[illegible].T.B.

Est. 18. Tab. B.

Est 102
Nº 112

[...]CA UNIVERSITARI[A]
[SE]VILLA

AVCTORES LATINÆ LINGVÆ IN VNVM REDACTI CORPVS:

Quorum Auctorum Veterum & Neotericorum Elenchum sequens pagina docebit.

Adiectis Notis DIONYSII GOTHOFREDI I.C.

Vna cum Indice generali in omnes Auctores.

EDITIO POSTREMA: emendatior, & nonnullis auctior.

GENEVÆ.
[redacted]
Apud Petrum & Iacobum Chouët.

M. DC. XXII.

[...]OTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

ELENCHVS ET SERIES
huius Corporis.

Huic editioni accessère præter superiora iam antea edita

¶ ij

GENEROSIS ET MAGNIFICIS DD. WOLFGANGO CHRISTOPHORO: ET WILHELMO CHRISTOPHORO, Mareschalis hæreditariis S.R. Imperij, Dominis in Bappenheym,

Dionysius Gothofredus I C. S. P. D.

CVM meos in ius Romanum Commentarios ederem (Generosi ac nobilissimi Domini Bappenheymij) inter antiquos illos authores, quorum testimoniis vsus sum ad ea vocabula, quæ in iure obscura essent, illustranda, Varro, Festus, Nonius & Isidorus, inter postremos non leguntur. Cœpi ab eo tempore consilium de illis omnibus in vnum quasi corpus redigendis, atque ita in publicum emittendis, cum aliis quibusdam auctoribus, qui ad superiorum argumenta facere, atque conducere videbantur. Etsi autem me fugiebat illos authores seorsim à multis editos, commodius tamen edi coniunctos videbam: vt qui in vnum legendo incidisset, alios euoluendi occasionem, & in mutua illorum inter se collatione, iusti commentarij atque interpretis vicem, in ipsis manibus, præsentem haberet. Multi enim Varronem legunt, quibus Festi, Nonij atque Isidori nomina penitus sunt ignota: aut si nota sunt, vno illorum sæpe contenti, plenam linguæ Latinæ originem, spretis aliis, assequi non possunt: vt omittam in auctoribus illis, qui à Festo & Nonio præsertim laudantur, venerandæ vetustatis reliquias spectari, cuius forma & imagine qui non capiuntur, vix est vt politi, nescio an homines, dici atque appellari debeant. Sed cùm mutili atque laceri variis locis illi authores essent: visum fuit breues ad Varronem, Festum

& Nonium notas adiungere: facta potissimùm collatione earum vocum, quæ ad ius pertinerent (quod à quoquam aliò antehac factum esse non videbam) vt nostræ professionis homines, eò magis ad antiquos illos auctores euoluendos excitarem. Et audenter dicam, ad multa in illis authoribus restituenda collationem nostri iuris summopere, & quasi necessariam requiri: quæ si defuisset, de multorum locorum restitutione quasi desperassem. Hæc autem cùm à me ita absoluta (vel cum aliquo successu) viderem, subiit illico animum meum, generosa illa indoles atque comitas, quæ inter cæteras & maximas virtutes in illa nobili ac vestra adolescentia elucet, cui hoc animi mei obsequentis indicium atque munus debere me statim intellexi. Idque eò magis, quòd amplissimæ vestræ familiæ stemmatis, & in imperio Romano ob illustrem & hæreditariam Mareschaliæ dignitatem satis superque cognitæ, præter omnium virtutum studia, iuris etiam ciuilis ac Romani (quæ mea professio est) cognitionem adiungitis: ductu atque auspicio doctissimi viri Friderici Weckmani præceptoris vestri: vt patriæ aliquando, non minus virtute, quàm sapientia ciuili, ornamento atque auxilio esse possitis. Vel id quoque me ad hoc munus vobis offerendum incitabat, quòd illi authores ex se digni, qui vestræ generositatis manibus tererentur, cùm ab his tanquam à capite & fontibus, docti quíque, linguæ Latinæ originem petere atque haurire soleant: præter alia infinita, quæ ad historiam & ad religionem, aut potiùs superstitionem veterum, intelligenda pertinent. Cuius rei maiorem etiam spem mihi faciebam, ex illa discendi (quæ in vobis est) cupiditate, atque constantia incredibili, quam & ætatis vestræ in omne virtutum genus succrescentis indoles, & quotidiana moderatoris vestri fides atque diligentia auctiorem atque cumulatiorem reddit. Atque vtinam hæc mea oratio sponte alioqui vos iam ad honoris metam currentes comitari atque subsequi possit: ídque, quod à me vobis munus offertur, gratum atque acceptum esse possit. Interea tamen vt ad hoc meum opus reuertar, ea conditione atque lege id à me sic incœptum ac perfectum, vt laudi atque diligentiæ eorum qui me tempore, in hoc interpretandi genere antecesserunt, nihil detractum, aut velim aut putem. Nam vt illis sua, ita & mihi in quibusdam mutandis sententia peculiaris

liaris

liaris esse potuit: libera tamen & aperta discendi ac iuuandi perpetuò cupida, sine conuicio, sine contumelia: & quod mihi solenne, breuis, citra affectationem vllam, vitatis prologis, qui nihil ad rem conferunt. viderint ista diligentiores, mihi certè neque tempus, neque animus fuit rebus otiosis lectorem fallere. mihi contrà curæ ac studio fuit nudam & simplicem lectionis varietatem ostendere, authores authoribus breuiter conferre. Neque dubito, quin tam grato à vobis animo hoc meum munus à vobis suscipiatur, quàm à me, Generosissimi Domini, sinceriter & in arram perpetui erga vos obsequij, offertur. Ex musæo XV. Augusti 1585.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

M. TERENTIVS VARRO DE LINGVA LATINA.

SVMMA EORVM QVAE LIBRIS DE lingua Latina M. Terentij Varronis continentur, distributio.

OMnes operis de lingua Latina tres feci partes. Prima, quemadmodum vocabula imposita essent rebus: secunda, quemadmodum ea in casus declinantur: tertia, quemadmodum coniungerentur, *sumptum ex ipso Varrone libro 6. de ling. in fine, & libro 7. in princ.* ¶Idem *libro 6. sub finem*, Institutis sex libris, quemadmodum rebus Latina nomina essent imposita ad vsum nostrum, è queis tres scripsi P. Septimio, qui mihi fuit quæstor: tres, tibi (Ciceronem alloquitur) quorum hic est tertius. Priores, de disciplina originis verborum: posteriores, de verborum originibus. ¶Hoc libro vt & secundo & tertio tractauit Varro De disciplina quam vocant ἐτυμολογικὴν, & quidem in hoc volumine primo explicauit, quæ contra eam dicerentur: quæ pro ea secundo: quæ de ea (id est eius forma) tertio, *ex Varrone 4. de ling. in pr.* Idem *libro 6. in fine.* In primo volumine est, quæ dicantur, cur etymologicè neque sit, neque ea vtilis sit.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA AD P. Septimium libri primi Fragmenta.

Aggulus, aggens, aggilla, iggerunt, in eiusmodi Græci, & Actius noster binam G scribunt: alij N & G, quod in hoc videri veritatem facile non est, similiter agceps, & agcora, *ex Prisciano libro 1.* nec K. nec Q. nec H. in numero literarum, ibid.* In quo L. Ælius noster literis ornatissimus memoria nostra errauit aliquoties. Nam aliquot verborum antiquorum Græcorum, perinde atque essent propria nostra, reddidit causas falsas. Non enim *leporem* dicimus, vt ait quod est leuipes, sed quòd est vocabulum antiquum Grecum. Multa enim vetera illorum ignorantur, quòd pro iis, aliis nunc vocabulis vtantur, & illum esse plerique ignorent Grecum quem nunc nominant Ἕλληνα, *puteum* esse quod vocant φρέαρ, leporem quod λαγωὸν dicunt. In quo non modò L. Ælij ingenium non reprehendo, sed industriam laudo. successum enim fortuna, experientiam laus sequitur *ex 1. Gellij 17. iuxta fidem veterum librorum.*

*   *   *

Idem Varro dicit *furem* ex eo dictum, quòd veteres Romani furuum atrum appellauerint: & fures per noctem, quæ atra sit, facilius furantur. *Ex 1. Gell. 17. iuxta fidem veterum librorum.*

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA AD P. Septimium libro II.

Fragmenta.

Hoc volumine Varro explicauit quæ pro disciplina quam vocant ἐτυμολογικὴν, dicantur, *ex Varrone 4. de lingua in pr.* Idem *libro 6. in fine.* In secundo volumine est, quæ sit Etymologice, & cur ea sit, & in illis sit.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA AD P. Septimium lib. IIII.

Fragmenta.

Hoc volumine explicauit Varro quæ de disciplina Etymologica [id est eius forma] dicerentur. *ex Varr. 4. de ling. in pr* Idē *lib. 6. in fi* In tertio volumine est quæ forma Etymologiæ. *Fenerator* à fenore cognominatus: *fenus* autem dictum à fetu, & quasi fetura quadam pecuniæ parientis, atque increscentis, & idcirco & M. Cato & cæteri ætatis eius feneratorem sine A litera pronuntiauerunt, sicuti fetus ipse, & fecunditas, appellata. *ex 16. Gell. 12. ex Nonio Marcello in Fenus.*

*   *   *

Sicut vocetur Panthera & Lea *Iunior Phylargirus ad Eclogam 21. Virgil.* Leam *Varro ad Ciceronem dicit lib. 3.*

Vtrunque mulieres & Epicrocum viri quoque habitarunt. Ex *Nonio in Habitare.*

EPITOME LIBRI QVARTI.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA AD M. TVLLIVM CICERONEM LIBER QVARTVS.

QVEMADMODVM vocabula essent imposita rebus in lingua Latina, sex libreis exponere institui. De heis treis ante hunc feci, quos Septimio misi: in quibus est de disciplina quam vocant ἐτυμολογικὴν. Quæ contra eam dicerentur, volumine primo: quæ pro ea, secundo: quæ de ea, tertio. In heis ad te scribam, à quibus rebus vocabula imposita sint in lingua Latina: & ea quæ sunt in consuetudine apud poetas. ¶Quum vniuscuiusq; verbi naturæ sint duæ: à qua re & in qua re vocabulum sit impositum: itaque à qua re sit *Pertinacia*, cum quæritur: ostenditur esse à pertendendo: in qua re sit impositum, dicitur; cum demonstratur, in quo non debet pertendi, & pertendit: Pertinaciam esse: quòd in quo oporteat manere, si in eo perstet, *Perseuerantia* sit. Priorem illam partem, vbi, cur & vnde sint verba, scrutantur Græci: vocant, ἐτυμολογίαν: illam alteram περὶ σημαινομένων: de quibus duabus rebus in heis libreis promiscuè dicam, sed exilius de posteriore. ¶Quæ ideo sunt obscura, quòd neq; omnis impositio verborum extat: quòd vetustas quasdam deleuit: nec quæ extat, sine mendo omnis imposita: nec quæ recte est imposita, cuncta manet: multa enim verba littereis commutateis sunt interpolata: neque omnis origo est nostræ linguæ è vernaculeis verbeis: & multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant, *vt Hostis*. nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui sueis legibus vteretur: nunc dicunt eum quem eum dicebant perduellem. ¶In quo genere verborum, vt casu erit illustrius, vnde videri possit origo, inde repetam. Ita fieri oportere apparet; quòd recto casu quom dicimus *Impos*, obscurius est esse à potentia, quàm quum dicimus impotem: & eo obscurius fit, si dicas *pos*, quàm impos. videtur enim pos significare potius pontem, quàm potentem. Vetustas non pauca deprauat, multa tollit. Quem puerum vidisti formosum, nunc vides deformem in senecta. Tertium sæculum non videt eum hominem, quem vidit primum. Quare illa quæ iam maioribus nostreis ademit obliuio fugitiua, secuta sedulitas Mucij & Bruti retrahere nequit. Non si non potuero indagare, eo ero tardior; sed velocior ideo, si quiuero. Non mediocreis enim tenebræ in silua, vbi hæc captanda: neque eò quò peruenire volumus, semitæ tritæ: neque non in tramitibus quædam obiecta quæ euntem retinere possent. Quoniam verborum nouorum & veterum discordia omnis in consuetudine communi: quot modeis litterarum commutatio sit facta, qui animaduerterit, scrutari facilius origines patietur verborum. Reperiet enim esse commutata, vt in superioribus libreis ostendi, maximè propter bis quaternas caussas. Litterarum enim fit demptione, aut additione; & propter earum artationem, aut cõmutationem, item syllabarũ productionem. Quę quoniam in superioribus libreis, cuiusmodi essent, exempleis satis demonstraui, heic commorandum esse modò non putaui. ¶Nunc singulorum verborum origines expediam. quorum quatuor explicandi gradus. Primus, in quo populus etiam venit. Quis enim non videt, vnde *ærifodinæ* & *viocurrus*? Secundus, quò grammatica descendit antiqua, quæ ostendit quemadmodum quodque poeta verbum confinxerit, quod declinarit. Hinc Pacuuius, *rudentisibilus*, hinc *incuruiceruicum* pecus, hinc chlamyde *clupeat* brachium. Tertius gradus, à quo philosophia ascendens peruenit: atque ea quæ in consuetudine communi essent, aperire cœpit, vt à quo dictum esset *oppidũ, vicus, via*, Quartus, vbi est aditus, & initia regis: quo si non perueniam, scientiam ad opinionem aucupabor. quod etiam nonnunquam in salute

noſtra facit, cum ægrotamus, medicus. Quòd ſi ſummum gradum non attigero; tamen ſecundum non prætcribo. Quod non ſolum ad Ariſtophanis lucernam, ſed etiam ad Cleanthis lucubraui. Nolui præterea eos qui poetarũ modò verba, vt ſint ficta, expediunt. Non enim videbatur conſentaneum quærere me eo in verbo, quod finxiſſet Ennius, cauſſam: negligere quod ante rex Latinus finxiſſet: cum poeticeis multeis verbeis magis delecter, quàm vtar, antiqueis magis vtar quàm delecter. Annon potius mea verba illa quæ hæreditate à Romulo rege venerunt, quàm quæ à poeta Liuio relicta? Igitur quoniam hæc ſunt tripartita *verba*, quæ ſunt aut *noſtra* aut *aliena* aut *obliuia*: de noſtreis dicã cur ſint: de alienis, vnde ſint: de obliuieis relinquam, quorum partem cùm ita inuenerim, vt opinor, ſcribam. In hoc libro dicam de vocabuleis locorum, & quæ in heis ſunt. In ſecundo, de temporum, & quæ in heis fiunt. In tertio, de vtraque re à poetis comprehenſa. ¶ Pythagoras Samius ait, omnium rerum initia eſſe bina: vt finitum & infinitum, bonum & malum. vitam & mortem, diem & noctem. Quare item duo: ſtatus, & motus: quod ſtat aut agitatur, corpus: vbi agitatur, locus: dum agitatur, tempus: quod eſt in agitatu, actio. Quadripatitio magis ſic apparebit: corpus eſt, vt curſor: locus, ſtadium, quà currit: tẽpus, hora quà currit: actio, curſio. Quare fit vt omnia ferè ſint quadripartita, & ea æterna. quòd neque vnquam tempus, quin fuerit motus (eius enim interuallum tempus) neque motus vbi non locus & corpus: (quòd alterum eſt quod mouetur: alterum vbi) neque vbi ſit agitatus non actio ibi. Igitur initiorum quadrigæ, locus, & corpus, tempus & actio. Quare quatuor genera prima rerum, totidem verborum: [horum enim] De heis loceis, & heis rebus quæ in heis videntur, in hoc libro ſummatim ponam. Sed quæ cognatio eius erit verbi, quas radices egerit extra fines ſuas perſequemur. Sæpe enim ad limitem arboris radices ſub vicini prodierunt ſegetes. Quare non cum de loceis dicam, ſi ab agro ad *agroſum* hominem & agricolam peruenero, aberraro. Multa ſocietas verborum: nec *vinalia* ſine vino expediri, nec *curia calabra* ſine calatione poteſt aperiri.

2 ¶ INCIPIAM de loceis ſubipſius loci origine. *Locus* eſt, vbi quid locatum eſſe poteſt: vt nunc dicunt, conlocatum veteres id dicere ſolitos apparet apud Plautum, Filiam habeo grandem, caſſam dote, atque inlocabilé, neque eam queo locare cuiquam. Apud Ennium, O terra trita, vbi Liberi fanum in cuius muro locaui. Vbi quidquam conſiſtit, locus. Ab eo præco dicitur *Locare*, quoad vſque id emitur, quod in aliquo conſiſtit pretium. Inde *Locarium*, quod datur in ſtabulo, & taberna, vbi conſiſtant. Sic *loci muliebres*, vbi naſcendi initia conſiſtunt.

3 ¶ LOCA natura, ſecundum antiquam diuiſionem, prima duo, cælum & terra deinde particulatim vtriuſque multa. *Cæli* dicuntur loca ſupera, & ea deorum: *terra*, loca infera, & ea hominum. Vt aſia, ſic cælum dicitur modeis duobus. Nam & Aſia, quæ non Europa, in qua eſt Syria: & Aſia dicitur prioris pars Aſiæ, in qua eſt Ionia, & prouincia noſtra Cilicia. Sic *cælum* dicitur duobus modeis: & pars eius ſummum, vbi ſtellæ: & id quod Pacuuius demonſtrat, cùm dicit, Hoc vide circum ſupráque quod complexu continet terram. Cui ſubiungit. Id quod noſtri cælum memorant. Aqua bipartita diuiſione. Lucretius ſuorum vnius & viginti librorum initium fecit hoc. Ætheris & terræ genitabile quærere tempus. *Cælum* dictum ſcribit Ælius Gallus, quod eſt cælatum: aut à contrario nomine, quod apertum eſt: non malè quòd poſterior Ælius, multo potius cælare à cælo, quàm cælum à cælando. Sed non minus illud alterum de cælando, ab eo potuit dici quòd interdiu cælatur, quàm quod noctu non cælatur omnino. Ego magis puto à chao *cauum*: & hinc cælum: quoniam vt dixi, Hoc circum ſupráque, quod complexu continet terram, cauum cælum. Itaque dicit Andromacha, Noctíque caua cæli ſignitenentibus conficis bigeis. Et agamemnon, In altiſono cæli clypeo. Cauum enim clypeum. Et Ennius item ad cauationem, Cæli ingentes fornices. Quare vt à cauo *cauea*, & *cauile* & *conuallis*, cauata vallis, & cauere cautione: vt *cauum* ſit ortum, vnde omnia apud Heſiodum, à chao cauum cælum.

4 ¶ TERRA dicta ab eo, vt Ælius ſcribit, quòd teritur. Itaque tera in augurum libreis ſcripta cum R vno. Ab vno coloneis locus cõmunis, qui prope oppidum relinquitur *Territorium*, quod maximè teritur. Hinc linteum, quod teritur corpore, *Termentarium*: hinc in meſſe *Tritura*, quòd tum frumentum teritur: & *Tribolum* quo teritur. Hinc fines agrorum, *Terminus*, quòd hæ partes propter limitare iter maximè teruntur. Itaque terminus cùm in Latio aliquot loceis dicitur, vt apud Actium, nõ terminus, ſed Termen. hoc Græci τέρμα. Euander enim qui venit in Palatium è Græcia, Arcas fuit. *Via* quidem *Iter*, quod ea vehendo teritur: *Actu* iter in agreis, quòd agendo teritur: etiam *Ambitus iter*, quòd circumeundo teritur. nam ambitus circumitus: ab cóque duodecim tabularũ interpretes, *ambitum parietis*, circumitum eſſe deſcribunt. Igitur tera *terra*, & ab eo poetæ appellarunt ſumma terræ, quæ ſola teri poſſunt, *Sola terræ*. Terra, vt putant, eadem & *Humus* ideo Ennius, In terram cadenteis, dicit, cubiteis pinſibant humum. Et quod terra ſit humus, ideo *Humatus*, mortuus, qui terra ſit obrutus: ab eo qui Romanus combuſtus eſt, aut inſepulchrũ eius abiecta gleba non eſt: aut ſi os exceptum eſt mortui ad familiam expurgandam; donec in purgando, humo non eſt opertus, vt pontifices dicunt, quoad inhumatus ſit, familia

funesta manet, & dicitur humilior. ¶Quæ ad humum sunt, aut à re, vt Sabini, & Lucani: aut declinata ab hominibus, vt Appulia & Latium: vtrunque, vt Etruria, & Tuscia. Qua regnũ fuit Latini, vniuersus ager dictus *Latium* particulatim oppideis cognominatus: vt à Præneste *Prænestinus*, ab Aricia *Aricinus*. Vt nostri augures publicè dixerunt: agrorum sunt genera quinque: *Romanus*, *Gabinus*, *Peregrinus*, *Hosticus*, *Incertus*. *Romanus* dictus, vnde Roma, ab Romulo. *Gabinus*, ab oppido Gabiis. *Peregrinus*, ager pacatus, qui extra Romanum & Gabinum: quòd vno modo in heis feruntur auspicia. dictus *peregrinus* à pergendo, id est progrediendo. eò enim ex agro Romano primùm progrediebatur. quocirca Gabinus, siue peregrinus, secundùm hos auspicia habent singularia. Ab reliquo discretus. *Hosticus*, dictus ab hostibus. *Incertus* is ager, qui de heis quatuor qui sit ignoratur. ¶*Ager* dictus est, in quam terram quid agebant, & vnde quid agebant fructus caussa. id Græci dicunt ἀγρόν. Vt ager, quod agi poterat, sic qua agi, *Actus*. Eius finis minimus constitutus in latitudinem pedes quatuor, fortasse ab eo quatuor, quòd ea quadrupes agitur: in longitudinem pedes centum & viginti. in quadratum actus, & in latum, & longum, vt esset centum & viginti. Multa antiqui duodenario numero finiebant: vt duodecim decuriis actum. *Iugerum* dictum iuncteis duobus actibus quadrateis. *Centuria* primò à centum iugeribus dicta: post duplicata retinuit nomen: vt tribus multiplicatæ idem tenent nomen: Vt quò agebant, *Actus*: sic qua vehebant *Via* dictæ: quò fructus conuehebant *Villa*. quæ ibant, ab itu *Iter* appellarunt: qua anguste, *Semita*: vt semi iter dictum. *Ager cultus* ab eo quòd ibi cum terra semina coalescebant: ab eo inconsitus, *incultus*. Quod primum ex agro plano fructus capiebant, *Campus* dictus. postea quàm proxima superiora loca colere cœperunt, à colendo *Colles* appellarunt. Quos agros non colebant propter siluas, aut id genus, vbi pecus possit pasci, & possidebant: ab vsu suo *Saltus* nominarunt. Hæc etiam Græci τὰ ἄλσεα καὶ νομὰς, nostri *Nemora*. Ager, quòd videbatur pecudum ac pecuniæ esse fundamentum. *Fundus* dictus: aut quòd fundat quotquot anneis multa. *Vineta* ac *Vinea* à vite multa. *Vitis* à vino, idque [vina] à vi. hinc *Vindemia*, quod est vini demia, vitis demia. *Seges* ab satu, id est semine. *Semen*, quod non planè id quod inde. hinc *seminaria*, *sementes* item alia quæ *segetes* ferunt. *Fruges* à fruendo, fructúsque ab spe *Stica*, vti & *Culmi*, quod in summo campo nascuntur, summum culmen. Vbi frumenta secta terantur, & arescant. *Area*. Propter horum similitudinem loca in vrbe pura, *areæ*, à quo potest etiam *Ara* deûm esse, quòd pura. Nisi potius ab ardore, ad quem vt sit, fit *ara*, à quo ipsa *area* non abest: quòd, qui arefacit, ardor est solis. *Ager Restibilis*. qui restituitur ac reseritur quotquot anneis: contrà qui intermittitur, à nouando *Noualis ager*. *Aruum* & *arationes* ab arando: & ab eo quod aratri vomer sustollit. *Sulcus*: quòd ea terra iacta, id est proiecta. *Porca*, *Prata* dicta ab eo quòd sine opere parata. Quod in agreis quotquot anneis rursum facienda eadem, vt rursus capias fructus: appellata *Rura*. (Diuidit in eos agros, cum scribit Sulpicius, Plebi rura largitur ad aream.) *Prædia* dicta item vt *prædes*, à præstando: quòd ea pignori data publicè mancupes fidem præstent.

* * *

5 ¶VBI nunc est Roma, septem montium demissior infimus locus. Infimus ✓ *humilimus* quòd in mundo infima humus. *Humor* hinc itaque. Ideo Lucilius, Terra abiit in nimbos, himbresque. Pacuuius, Terra exhalat auram, atque auroram humidam humectam. Hinc ager *Vliginosus*, humidissimus: hinc *Vdus*, *vuidus*. Hinc *sudor* quiuis deorsum in terra himber. Vnde sumi potest. *Puteus*. nisi potius quod Æoles dicebant τὸ πύθεον καὶ ποταμόν. Sic *Potura* à potu, non vt nunc à πίσω. A puteis oppidum *Puteoli*, quòd sint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ. Nisi à putore potius: quòd putidus sit odoribus sæpe ex sulfure & alumine. Extra oppida à puteeis *Puticulæ*: quòd ibi in puteeis obruebantur homines. Nisi potius, vt Ælius scribit, puticulæ, quòd putescebant ibi cadauera proiecta: qui locus publicus vltra Esquilias. itaque eum Afranius Puticulos in togata adpellat, quòd inde suspiciunt perpetuo lumen. *Lacus*, lacuna magna, vbi aqua contineri potest. *Palus*, paululum aquæ in altitudinem, & palam latius diffusæ. *Stagnum*, quod Græcè στεγνόν, quod nomen habet primum. Hinc ad villas rotunda stagna: quòd rotundum facilè continet: [nec] anguli maximè laborant. *Fluuius*, quod fluit, item *flumen*: à quo lege prædiorum vrbanorum scribitur: *Stillicidia flumináque, vt ita fluant, cadántq́.* Inter hæc hoc interest, quòd *stillicidium*, eo quòd stillatim cadat: *flumen*, quòd fluit continuè. *Amnis*, id flumen est quod circuit aliquid: nam ambitu amnis. Ab hoc qui circum Aternum habitant amnem, *Amiternini* appellati. Ab eo qui populum candidatus circumit *ambit*: qui aliter facit, *ex ambitus caussam dicit*. Itaque *Tiberis amnis*, qui ambit Martium campum, & vrbem. Oppidum *Inter amna* dictum, quòd inter amneis est constitutum, item *Antemnæ*, quòd ante amnem qui influit in Tiberim: quod in bello malè acceptum consenuit. ¶*Tiberis*, quòd caput extra Latium si inde nomen quoque effluit in linguam nostram, nihil Latium: vt quod oritur e Samnio Volturnus, nihil ad Latinam linguam. at quod proximum oppidum ab eo secundum mare *Volturnum*,

Volturnum, ad nos iam Latinum vocabulum, vt *Tiberinus*: nam & colonia nostra *Volturnum*, & *Deus Tiberinus*. Sed de *Tiberis* nomine anceps est historia. nam & suum Etruria & Latium esse credit. Fuerunt qui à vicino regulo Veientum Dehebri dixerint appellatum primò Dehebrim. Sunt qui Tiberis priscum nomen Latinum Albulam vocatum littereis tradunt: posterius propter Tiberinum regem Latinorum mutatum, quòd ibi interierit: nam hoc eius, vt tradunt, sepulchrum.

6 ¶ VT omnis natura in cælum & terram diuisa est, sic cælum in regiones, terra in Asiam & Europam. Asia enim iacet ad meridiem, & austrum: Europa ad septentrionem, & Aquilonem. *Asia* dicta ab nympha, ex qua & Iapeto trahitur Prometheus. *Europa* ab Europa Agenoris filia, quam ex Phœnicia Manlius scribit taurum exportasse: quorum egregiam imaginem ex ære Pythagoras Tarenti fecit. Europæ loca multæ incolunt nationes, ea ferè nominata aut translatitio nomine, aut ab hominibus.

7 ¶SVNT & nomina ab tot montibus, quos postea vrbs mureis comprehendit: è queis *Capitolium* dictum, quòd heic, cùm fundamenta foderentur ædis Iouis, caput humanum inuentum dicitur. Hic *mons* antè *Tarpeius* dictus, à Virgine Vestali Tarpeia, quæ ibi ab Sabineis necata armeis, & sepulta: eius nominis monimentum relictum, quod etiam nunc eius rupes *Tarpeium* appellatur *saxum*. Hunc antea *montem Saturnium* appellatum prodiderunt, & ab eo late *Saturniam terram*, vt etiam Ennius appellat. Antiquum *oppidum* in hoc fuisse *Saturniam* scribitur. Eius vestigia etiam nunc manent tria: quòd *Saturni fanum* in faucibus: quòd *Saturnia porta*, quam Iunius scribit, quam nunc vocat Pandanam: quòd post ædem Saturni, in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti. ¶ *Auentinum* aliquot de causseis dicunt. Næuius ab auibus, quòd eò se ab Tiberi ferrent aues: alij ab rege Auentino Albano, quòd ibi sit sepultus: alij ab aduentu hominum, quòd commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum. Ego maximè puto ab aduectu: nam olim paludibus mons erat ab reliqueis disclusus. Itaque eò ex vrbe qui aduehebantur ratibus, quadrantem soluebant. cuius vestigia, quòd ea, qua tum itur, velabrum: & vnde ascendebant ad rumam noua via lucus est, & sacellum larum. *Velabrum* dicitur à vehendo. *Velaturam facere* etiam nunc dicuntur qui id mercede faciunt. *Merces* dicitur à merendo & ære. Hinc vecturæ, quas soluebant hi qui ratibus transibant, *Quadrans*. ab eo Lucilius scripsit *quadrantis ratiti*.

8 ¶RELIQVA vrbis loca olim discreta (vt Argeorum sacraria in septem & viginti parteis vrbis sunt disposita. *Argeos* dictos putant à principibus qui cum Hercule Argiuo venerunt Romam, & in Saturnia subsederunt) è queis prima est scripta *regio Suburana*: secunda, *Esquilina*: tertia, *Collina*: quarta, *Palatina*. ¶In Suburanæ regionis parte princeps est *Cœlius mons*. à Cœlio Vibennio Tusco, duce nobili, qui cũ sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi, post Cœlij obitum, quòd nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus *vicus Tuscus*: & ideo ibi Vortumnum stare, quòd is deus Etruriæ. Principes de Cœlianeis, qui à suspicione liberi erant, traductos volunt in eum locum qui vocatur *Cœliolus*. Cum Cœlio coniunctæ *Carinæ*: sed inter eas quem locum *Ceroliensem* appellatum apparet, quòd primæ regionis quartum sacrarium scriptum sic est, *Ceroliensis quarticeps circa Mineruium: qua in Cœlium montem itur, in tabernola est*. Ceroliensis à Carinarum iunctu dictus *Carinæ*: postea *Ceronia*, quòd hinc oritur caput sacræ viæ ab Streniæ sacello, quæ pertinet in arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti solent inaugurare. Huius sacræ viæ pars hæc sola volgo nota quæ est à foro eunti proximo cliuo. Eidem regioni attributa *Subura*, quòd sub muro terreo Carinarum: in ea est Argeorum sacellum sextum. Subura, Iunius scribit ab eo quòd fuerit sub antiqua vrbe. cui testimonium potest esse, quòd subest ei loco qui terreus murus vocatur. Sed ego à pago potius Sucusano dictam puto *Sucusam*. Nunc scribitur litera B, non C. *Pagus Sucusanus*, quòd succurrit Carineis. ¶Secundæ regionis *Esquilinæ* ab Esquileiis: alij has scripserunt ab excubiis regis dictas: alij ab eo quòd excultæ à rege Tullio essent. Huic origini magis concinunt luci vicini: quòd ibi lucus fagutalis & lucus Mephitis, & Lucus Iunonis Lucinæ: quorum angusti fines: non mirum. iamdiu enim late auaritia vna est. Item lucus Larum, Querquetulanum sacellum. Esquiliæ duo montes habiti, quòd pars *Cispius mons* suo antiquo nomine etiam nunc in sacreis appellatur. In sacreis Argeorum scriptum est sic, *Oppius mõs princeps lucum Esquilinum, lucum fagutalem sinistra, quæ sub mœrum est. Oppius mons bicepsos simplex. Oppius mons tercicepsos lucum. Esquilinum, dexterior via in tabernola est. Oppius mons quadricepsos lucum Esquilinum, via dexterior in figlineis est. Septimius mons quinticepsos lucum Pœtilium. Esquilinus sexticepsos. Cispius mons septicepsos apud ædem Iunonis Lucinæ, vbi æditumus habere solet.* ¶ Tertiæ regionis colles ab quinque deorum faneis appellati: è queis nobiles duo colles. *Viminalis* à Ioue Viminio, quòd ibi aræ sunt eius, aut quòd ibi vimeneta fuerunt. *Collis Quirinalis*, vbi Quirini fanum: qui à Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam, quòd ibi habuerunt castra. quod vocabulum coniunctarum regionum nomina obliterauit:

Dictos enim colles plureis apparet ex Argeorum sacrificijs: in quibus sic scriptum est, *Collis Salutaris quarticepsos ædem Quirino: collis Salutaris quarticepsos aduersum est pila Naris, ædem Salutis: collis Mutialis quinticepsos apud ædem Dei fidij in delubro, vbi aditumus habere solet: collis Latiaris sexticepsos in vico Mustellario summo apud Turaculum ædificium solum est.* Horum deorũ aræ, à quibus cognomina habent, in eius regionis partibus sunt. ¶Quartæ regionis *Palatium*, quòd Palantes cum Euandro venerunt: aut quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt. Sed hoc alij à Palatia vxore Latini putarunt. Eundem hunc locum à pecore dictum putant quidam. itaque Næuius Balantium appellat. Huic Germalum & Velias coniunxerunt & in hac regione sacriportus est, & in ea sic scriptũ, *Germalensis quinticepsos apud ædẽ Romuli. Viliensis sexticepsos in Velia apud ædem deûm penatium. Germalum* à germaneis Romulo & Remo, quòd ad ficum ruminalem & hi inuenti, quò aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alueoleo expositos. *Velia* vnde essent, plures accepi caussas: in queis, quòd ibi pastores Palatini ex ouibus ante tonsuram inuentam vellere lanam sint soliti: ex quo *Vellere* dicitur.

9 ¶Ager Romanus primum diuisus in parteis treis, à quo tribus appellatæ Tatiensium, Ramnium, Lucerum. nominatæ, vt ait Ennius, *Tatienses* à Tatio, *Ramnenses* à Romulo: *Luceres*, vt ait Iunius, à Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tusca, vt Volumnius, qui tragœdias Tuscas scripsit, dicebat. Ab hoc quoque quatuor parteis vrbis tribus dictæ: & ab luceis *Suburana, Esquilina, Collina, Palatina.* Quinta, quòd sub Roma *Romilia.* Sic reliquæ tribus ab ijs rebus, de quibus in tribuum libreis scripsi.

10 ¶Qvod ad loca, quæque ijs adiuncta fuerunt, diximus: nunc de ijs quæ in loceis esse solent. Immortalia & mortalia expediam, ita vt prius quod ad deos pertinet, dicam. *Principes Dei, cælum* & *terra*: hi dei ijdem qui in Ægypto *Serapis* & *Isis*, & iste Harpocrates digito significat. qui sunt *Taautes* & *Astarte* apud Phœnicas, vt idem principes in Latio *Saturnus* & *Ops.* Terra enim & cælum, vt Samothracum initia docent, sunt *Dei magni*, & hi, quos dixi multeis nominibus. Nam neque, quas Ambracia ante portas statuit duas virileis species aheneas, dei magni: neque, vt volgus putat, hi *Samothraces dij* qui Castor & Pollux: sed hi mas & fœmina: & hi quos augurum libri scriptos habent sic, *Diui potes*: & sunt pro illeis qui in Samothrace θεοὶ δυνατοί. Hæc duo, cælum & terra: quod anima, & corpus: humidum & frigidum. Oua parire solet genus penneis condecoratum: non animas, vt ait Ennius. & post: Inde venit diuinitus pulleis insinuans se ipsa anima, siue, vt Zenon Citieus, animalium semen ignis, qui anima & mẽs: qui calor è cęlo, quod heic innumerabiles & immortales ignes. Itaque Epicharmus Enni de mẽte humana dicit. Istic est de sole sumptus ignis. Idẽ solem adserit, Isque actus mentis est, vt humores frigidæ sunt humi, vt supra ostẽdi, quibus iuncti cęlũ & terra omnia ex se genuerunt: quòd per hos natura frigori immiscet calorẽ atq; humori aritudinem. Rectè igitur Pacuuius ait, Animam æther adiungat. Et Ennius, Esse igitur corpus terram, quæ deperit ipsam, Et capit, & neque iam dispendei conficit hilum. Animæ & corporis discessus, quòd nateis sit exitus, inde *Exitium*, vt cum in vnum ineunt, *Initia.* Inde omne corpus, vbi nimius ardor aut humor viget, aut interit, aut manet sterile. cui testis æstas hiems: quòd in altero aer ardet, & spica aret: & in altero natura ad nascendum cum himbre & frigore victitare non volt, & potius ver expectat. Igitur caussa nascendi duplex, ignis & aqua. Ideo ea in nuptijs in limine adhibentur, quod coniungit hic. & mas ignis, quòd ibi semen, aqua femina, quòd fetus ab eius humore, & eorum iunctione sumit *Venus.* Hinc comicus, *Victrix Venus* vidésne hæc? non quòd vincere velit Venus, sed quòd vincire, & vinciri ipsa. *Victoria* ab eo quòd superati vinciuntur. Vtrique testis poesis, quòd & Victoria & Venus dicitur cæligena. Tellus enim, quòd prima vincta cælo, *Victoria* ex eo. & ideo hæc cum corona, & palma, quòd corona vinculum capitis, & ipsa à vinctura dicitur. *Viere, Vincire*: à quo est in Asoto Ennij, Ibant malam viere Veneriam corollam. *Palmam* dicunt quòd ex vtraque parte natura vincta habeat paria folia. Poetæ de cælo semen igneum cecidisse dicunt in mare, ac natam è spumeis Venerem coniunctione ignis & humoris, quam haberet vim significantes. à qua vi nateis dicta *Vita*, vt illud à Lucilio, Vis est vita vides, quæ nos facere omnia cogit. Quare quòd cælum principium, ab satu est dictus *Saturnus.* quod ignis Saturnalibus, hoc est cerei superioribus mittuntur. Terra, *Ops*, quòd heic omne opus, & hac opus ad viuendum: & ideo dicitur Ops mater, quòd terra nutriat. Hæc enim terreis genteis omneis peperit, & resumit denuo. quæ dat cibaria, vt ait Ennius: quæ quòd gerit fruges, *Ceres.* Antiqueis enim, quod nunc & hi dei cęlum & terra, Iuppiter & Iuno. quòd, vt ait Ennius, Istic est is Iuppiter, quem dico, quem Græci vocant aëra: qui ventus est, & nubes, himber postea, atque ex himbre frigus: ventus post fit, aer denuo. Hæc propter *Iuppiter* sunt ista, quæ dico tibi: qui mortaleis atque vrbeis belluásque omneis iuuat. quòd hic omneis & sub hoc. Eundémque appellans dicit Ennius, Diuúmque hominúmque pater rex. *Pater*, quòd patefaciat omnia, & ipsum semen: nam tum est conceptum, & inde cum exit, quod oritur. Hoc

idem

idem magis ostendit antiquum Iouis nomen. Nam olim *Diouis* & *Diespiter* dictus, hoc est aer,& dies pater. à quo *diei* dicti, qui inde: & *dies*,& *dius*,& *diuus*. Vnde *Sub Dio*, & *Dius Fidius*. Itaque inde eius perforatum tectum, vt videatur *diuum*,id est cælum. Quidam negant sub tecto per hunc deierare oportere. Ælius Gallus *Dius Fidius* dicebat Diouis filius, vt Græci Διόσκουρον Castorem: & putabant hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem ab Græca. Idem hic *Diespiter* dicitur, infimus aer, qui est coniunctus terræ, vbi omnia oriuntur, vbi aboriuntur: quorum quòd finis ortus, *Orcus* dictus. Quòd Iouis Iuno coniux, & hic cælum, hæc terra, quæ eadem tellus: & ea dicta: quòd vna cum Ioue iuuat *Iuno*: & *regina*, quòd hæc omnia terrestria regit. *Sol*, vel quòd ita Sabini, vel quòd solum ita lucet vt ex eo dies fit. *Luna*, quòd sola lucet noctu. itaque ea dicta *Noctiluca* in Palatio: nam ibi noctu lucet templum. hanc, vt Solem Apollinem, quidam Dianam vocant Apollinis: vocabulum Græcum alterum, Latinum alterum. & hinc quòd in altitudinem & latitudinem simul, *Diuiana* appellata. Hinc Epicharmus Enni Proserpinam quoque appellat, quòd solet esse sub terreis. *Proserpina* dicta, quòd hæc vt serpens modò in dextram, modò in sinistram partem latè mouetur. Serpere & Proserpere idem dicebant: vt Plautus, qui scribit, Quasi proserpens bestia. Quæ ideo videtur à Latineis *Iuno Lucina* dicta, vel quòd terra: (vt physici dicunt) iuuat & lucet, vel quòd ab luce eius, qua quis conceptus est, vnà iuuat, donec mensibus acteis produxit in lucem. Facta igitur à iuuando & luce *Iuno Lucina*: à quo parientes eam inuocant. Luna enim, nascentium dux, quòd menses huius. Hoc vidisse antiquos apparet, quòd mulieres potissimum supercilia sua attribuerunt ei deæ. Heic enim maximè debuit collocari Iuno Lucina, vbi ab dieis lux datur oculeis. *Ignis* à nascendo, quòd hic nascitur: & omne quod nascitur, ignis scindit. Ideo calet, vt qui denascitur, ignem amittit ac frigescit. Ab ignis iam maiore vi, ac violentia *Volcanus* dictus. Ab eo quòd ignis per splendorem fulget, *Fulgor*, *Fulmenque* & *Fulgus*: quòd fulmine ictus Phaethon contrariis diis. Ab aquæ lapsu lubrico Lympha, *Nympha Iuturna*, quæ iuuaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent. A fontibus, & fluminibus, ac cetereis aqueis, dei: vt *Tiberinus* à Tiberi: & ab lacu Velino, *Velinia*: & *nympha Commotia* ad lacum Cutiliensem, à commotu: quòd ibi insula in aqua commouetur. *Neptunus*, quòd mare terras obnubit, vt nubes cælum: à nuptu, id est, opertione, vt antiqui. à quo *Nuptiæ*, *Nuptúsque* dictus. *Salacia* Neptuni ab salo. *Venilia* à veniendo, ac vento illo quem Plautus dicit, Quod ille dixit qui secundo vento vectus est tranquillo mari, *Ventum gaudeo*. *Bellona* à bello nũc, quæ *Duellona* à duello. *Mars* ab eo quòd maribus in bello præest: aut quòd à Sabineis acceptus, ibi Mamers. *Quirinus* à Quiritibus. *Virtus*, vt viri vis, à virilitate. *Honos* ab honesto honore. Itaque *Honestus* dicitur, quòd honoratus: & dictum *Honus* est honos, qui sustinet rempublicam. *Castoris* nomen Græcum, & *Pollucis* à Græceis in Latineis littereis veteribus nomen, quod est, inscribitur, vt Πολυδεύκης, Polluces, non, vt nunc, Pollux. *Concordia* à corde congruente. *Feronia*, *Minerua*, *Nouensiles* à Sabineis: paulò aliter ab eisdem dicimus *Laram*, *Vestam*, *Salutem*, *Fortem*, *Fortunam*, *Fidem*. Ea re Sabinorum linguam olent, quæ Tatij regis voto sunt Romæ dedicatæ. Nam vt annales dicunt, vouit Opi, Floræque: Dioui, Saturnóque: Soli, Lunæque: Volcano, Summanóque: itémque, Larundæ, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianæ, Cloacinæque. E queis nonuulla nomina in vtraque lingua habent radices: vt arbores quæ in confinio natæ, in vtroque agro serpunt. Potest enim esse Saturnus heic alia de caussa dictus atque in Sabineis, & sic Diana, de quibus suprà.

11 ¶DICTVM est quo ad immortaleis attinet: deinceps quod ad mortaleis attinet, videamus. & de his animalia in tribus loceis, quòd sunt in aere, in aqua, in terra: à summa parte ad infimam descendam. ¶Primùm nominem *Alites* ab aleis: *Volucres* alij à volatu. deinde generatim. De heis pleræque à sueis vocibus, vt hæ: *Vpupa*, *Cuculus*, *Cornix*, *Hirundo*, *Vlula*, *Bubo*: item hæ, *Pauo Anser*, *Gallina*, *Columba* Sunt quæ alieis de caussleis appellatæ: vt *Noctua*, quòd noctu canit ac vigilat: *Lusciola*, quod luctuosè canere existimatur, atque esse ex Attica Progne in luctu facta auis. Sic *Galeritus*, & *Motacilla*: alter quod in capite habet plumam elatam: altera, quod semper mouet caudam. *Merula*, quod mera, id est sola, volitat: contra ab eo *Graculi* quod gregatim: vt quidam Græci παγέργεα. *Ficedula*, & & *Miliaria* à cibo: quod alteræ fico, alteræ milio fiant pingues.

12 ¶Aquatilium vocabula animalium partim sunt vernacula, partim peregrina. ¶Foris, *Muræna* quod μύραινα: *Cybium* *Thynnus*, cuius itẽ partes Græceis vocabuleis omnes, vt *Melandria*, atque *Vraon*. ¶Vocabula piscium, pleraque translata à terrestribus: ex aliqua parte similib. rebus: vt *Anguilla*, *Lingulaca*, *Sudis*, alia à coloribus, vt hæc: *Asellus*, *Vmbra*, *Turdus*: alia à vi quadam, vt hæc: *Lupus*, *Cunicula*, *Torpedo*. ¶Item in conchyleis aliqua ex Græceis: vt *Peloris*, *Ostrea*, *Echinus*. Vernacula, ad similitudinem: vt *Surena*, *Pectunculi*, *Vngues*.

13 ¶SVNT etiam animalia, in aqua quæ inter-

dum in terram exeunt: alia Græceis vocabuleis. vt *Polypus, Hippopotamus, Crocodilus*: alia Latineis, vt *Rana, Anas, Mergus*, à quo Græci ea quæ in aqua & terra possunt viuere, vocant ἀμφίβια. E queis *Rana* ab sua dicta voce: *Anas*, à nando: *Mergus*, quòd mergendo in aquam captet escam. Item aliæ in hoc genere à Græceis: vt *Querquedula, Cerceris, Halcedo*, quòd ea Halcyon. Latina, vt *Testudo*, quòd testa tectum hoc animal: *Loligo*, quòd subuolat, littera commutata, primò Viligo. Vt Ægypti in flumine quadrupes, sic in Latio nominati *Lytra* & *Fiber*. *Lytra*, quòd succidere dicitur arborum radices in ripa, atque eas dissoluere, vnde Lytra. *Fiber*, ab extrema ora fluminis dextra & sinistra maximè quòd solet videri: & antiqui *Fibrum* dicebant extremum, vnde in sageis extrema *Fimbria*, & in iecore extremum *Fibra*. hinc *Fiber* dictus.

14 ¶ QVÆ sunt hominum propria primùm, deinde de pecore, tertiò de ferijs scribam: incipiam ab honore publico. *Consul* nominatus, quòd consulere populum & senatum debet. nisi illinc potius vnde Actius ait in Bruto. Qui rectè consulat, consul fiat. *Prætor* dictus, qui pręiret iure & exercitu. A quo Lucilius, Ergo prætorũ est ante præire. *Censor*, ad cuius censionem, id est arbitrium, censeretur populus. *Ædilis*, qui ædes sacras & priuatas procuraret. *Quæstores*, à quęrendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quæ triumuiri capitales nunc conquirunt: ab heis postea qui quęstionum iudicia exercẽt, *quæstores* dicti. *Tribuni militũ*, quòd terni tribus tribubus Ramnium, Lucerũ, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur. *Tribuni plebei*, qui ex tribuneis militũ primùm tribuni plebei facti, qui plebem defenderent in secessione Crustumerina. *Dictator*, quòd à consule dicebatur, cui dicto audientes omnes essent. *Magister equitum*, quòd summa potestas huius in equites, & adcẽsos: vt est summa populi Romani dictator, à quo is quoque *magister populi* appellatus. Reliqui, quòd minores quàm hi magistri, dicti Magistratus: vt ab albo *Albatus*.

15 ¶ SACERDOTES vniuersi à sacreis dicti. *Pontifices* (vt Q. Scęuola Põtifex Maximus dicebat) à posse & facere. pontifices ego à ponte arbitror. nam ab ijs sublicius est factus primùm, & restitutus sæpe, cum ideo sacra & vls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. *Curiones* dicti à curieis: qui fiunt vt in heis sacra faciant. *Flamines*, quòd in Latio capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti. Horum singuli cognomina habent ab eo deo cui sacra faciũt: sed partim sunt aperta, partim obscura. Aperta, vt *Martialis, Volcanalis*: obscura *Dialis*, & *Furinalis*: cum *Dialis* à Ioue sit, qui Dionis est: *Furinalis* à Furina, cuius etiam in festeis Furinales feriæ sunt. Sic *Flamen Falacer* à diuo patre Falacre. *Salij* à saltando, quod facere in comitio in sacreis quotanneis & solent & debent. *Luperci*, quòd lupercalibus in lupercali sacra faciunt. *Fratres Aruales* dicti sunt qui sacra publica faciunt propterea vt fruges ferant arua: à ferendo & arueis *fratres aruales* dicti sunt, quia fratria dixerunt. *Fratria* est Gręcum vocabulum partis hominum: vt Apollini etiam nũc. *Sodales Titij* dicti ab Titijs auibus, quas in augurijs certeis obseruare solent. *Feciales*, quòd fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat vt iustum conciperetur bellum, (& inde desitum,) & vt fœdere fides pacis constitueretur. Ex heis mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiã nunc fit *fœdus*, quod fidus scribit Ennius dictum.

16 ¶ IN re militari *Prætor* dictus, qui præiret exercitui. *Imperator* ab imperio populi, qui eos qui id adtentassent, oppressit hosteis. *Legati*, qui lecti publicè, quorum opera consilióque vteretur peregre magistratus: quíve nuntij senatus aut populi essent. *Exercitus*, quòd exercitando fit melior. *Legio*, quòd leguntur milites in delectu. *Cohors*, quòd vt in villa ex pluribus tecteis coniungitur, ac quiddam fit vnum: sic hæc ex manipuleis copulatur cohors: quæ in villa dicta, quòd circa eum locum pecus coerceretur. Tametsi cohortem in villa Isicrates dicit esse Græce κόρτον apud poetas dictam. *Manipulos exercitus* minimas manus, quæ vnum sequuntur signum. *Centuria*, quæ sub vno Centurione sunt, quorum centenarius iustus numerus. *Milites*, quòd trium millium primò legio fiebat, ac singulæ tribus, Tatiensium, Ramnium, Lucerum, millia singula militum mittebant. *Hastati* dicti qui primi hasteis pugnabant: *Pilani*, qui pileis: *Principes*, qui à principio gladijs, & post commutata re militari minus illustres sumuntur. Pilani, *Triarij* quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremeis subsidio deponebãtur. Quod hi subsidebant, ab eo *Subsidium* dictum, à quo Plautus, Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent triarij. *Auxilium* appellatur ab auctu, cùm accesserant, qui adiumento essent, alienigenæ. *Præsidium* est dictum, quia extra castra præsidebant in loco aliquo, quo tutior regio esset. *Obsidium* dictum ab obsidendo, quo minus hostis egredi posset inde. item ab abscidendo: cùm id ideo facerent quo facilius diminuerent hosteis. *Duplicarij* dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur, institutum. *Turma* terma est: E in V abiit: quòd terdeni equites ex tribus tribubus, Tatiensium, Ramnium, & Lucerum, fiebant. Itaque primi singularum decuriarum, *Decuriones* dicti. qui ab eo singuleis turmeis sunt etiam nunc terni. Quos hi primo administros ipsi sibi adoptabant. *Optiones* vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem tribuni faciunt. *Tubicines* à tuba & canendo, similiter *Liticines*, & *Classicos* à classe: qui item cornu canunt, vt

tum

tum cúm classes, comitiis ad comitatum vocant.

17 ¶Qvæ à fortuna vocabula, in heis quædam minus aperta: vt pauper, diues, miser, beatus: sic alia. *Pauper* à paulola re. *Miser*, à minus, cui cùm opus est, minus nullo est. *Diues*, à diuo, qui, vt deus, nihil indigere videtur. *Beatus* qui multa bona possidet: & is *Opulentus* ab ope, cui eæ opimæ. Ab eadem *Inops*, qui eius indiget. Ab eodem fonte *Copia*, & *Copiosus*. *Pecuniosus*, à pecunia magna: *Pecunia* à pecu. à pastoribus enim horum vocabulorum origo.

18 ¶Artificibvs maxima caussa ab arte. i. ab arte medicina vt sit *Medicus*, à sutrinâ *Sutor*: non à medendo, ac suendo, quæ omnino vltima. Huic rei earum radices, vt in proximo libro aperietur. Quare, quòd ab arte *Artifex* dicitur, nec multa in eo obscura, relinquã. Similis caussa, quæ ab scientia vocantur aliqua, vt *præstigiator*, *monitor*, *nomenclator*. Sic etiam à spatio quodam dicuntur, *cursor*, *natator*, *pugil*. & in hoc genere, quæ sunt vocabula, pleraque aperta, vt *Legulus*, & *Vindemiator*: alter ab oleis, alter ab vueis. Hęc etsi minus aperta, vindemiator, vt *vestigator*, & *venator*: tamen id est quod *Vindemiator*, vel quòd vinum legere dicitur, vel quòd de vite id demit: *Vestigator* à vestigiis ferarum, quas indagatur: *Venator* à venatu. [Quod sequitur verbum aduentum & inuentum.] Hæc de hominibus.

19 ¶Hinc quod sequitur, de pecore. *Pecus* ab eo quòd perpascat, à quo pecora vniuersa: quòd in pecore pecunia tum consistebat pastoribus: & standi fundamentum. *Pes* (à quo dicitur in ædificiis area *pes magnus*: & qui fundamentum instituit, *pedem ponit*.) A pede *Pecudes* appellarunt, vt ab eodem *Pedicam*, *Pedissequam*, & *Peculatoria oues*, aliúdve quid. id enim *peculium primum*. Hinc *Peculatum* publicum, primo vt cum pecore diceretur multa, & id esset coactum in publicum, si erat auersum, ex qua fructus maior. Hinc est quod Græceis *Bos*, βοῦς, & *Taurus*, ταῦρος, item ὄις, *ouis*. ita enim antiqui dicebant, non vt nunc, πρόβατον. Possunt in Latio quoque vt in Græcia, à sueis vocibus hæc eadem ficta. *Armenta*, quòd boues ideo maximè parabantur vt inde eligerent ad arandum: inde Aramenta dicta, postea tertia littera extrita. *Vitulus* quòd Græcè antiquitus, ἰταλός, aut quòd plerique vegeteis, vegitulus. *Iuuẽcus*, iuuare qui iam ad agrum colendum posset. *Capra*, carpa, à quo scriptum omnicarpæ capræ. *Hircus* quòd Sabini fircus: & quòd illeic fedus in Latio rure *hedus*: quod in vrbe, vt in multeis, A addito hædus. *Porcus*, quod Sabini dicunt de aprino porco poridus, inde porcus. nisi à Græceis, quòd Atheneis in libreis sacrorum scriptum est, κάπρῳ καὶ πόρκῳ. *Aries*, quòd eum dicebant ares veteres, nostri *aruiga*: hinc *Aruignus*. Hæ sunt quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur. quas & Actius scribit, & in pontificalibus libreis videmus in hostiis eam aruigem, quæ cornua habet. quoniam is cui oui mari testiculi dempti: & ideò vt natura versa *Veruex* declinatus. Pecori ouilo quòd agnatus, *Agnus*. *Catulus* à sagaci sensu, & acuto. Hinc *Canis*: nisi quòd tuba, & cornu, signum cum dant, canere dicuntur, quod hic item, & nocticulus in custodia, & venando signum voce dat, canis dictus.

20 ¶Ferarvm vocabula item partim peregrina, vt *Panthera*, *Leo*: vtraque Græca. à quo etiam & rete quoddam *Panther*, & *Leana*, & muliercula *Pantheris*. *Tigris*, qui est vt leo varius, qui viuus capi adhuc non potuit: vocabulum è lingua Armenia. nam ibi & sagitta & quod vehementissimum flumen, dicitur Tigris. *Vrsi* Lucana origo, vel vnde illi, nostri ab ipsius voce. *Camelus* suo nomine Syriaco in Latium venit: vt Alexandria *Camelopardalis* nuper adducta, quòd erat figura vt camelus, maculeis vt panthera. *Apri* ab eo quòd in loceis aspereis. nisi à Græcis, quòd hi κάπρος. *Caprea* à similitudine quadam capræ. *Cerui*, quòd magna cornua gerunt, mutato G in C, vt in multeis: quasi gerui. *Lepus*, quòd è Siculeis quidam Græcei dicunt λέποριν. à Roma quòd orti Siculi, vt annales nostri veteres dicunt, fortasse hinc illud tulerunt, & heic reliquerunt id nomen. *Volpes*, vt Ælius dicebat, quòd volat pedibus.

21 ¶Proxima animalibus sunt ea quæ viuere dicuntur, neque habere animam, vt virgulta. *Virgultum* dicitur à viridi, idque à vi quadam humoris: quæ si exaruit, moritur. *Vitis*, quòd ea vini origo. *Malum*, quod Æoles dicunt μᾶλον. *Pinus iuglans*: quòd hęc nux antequam purgetur, similis glandi. Hæc glans optima & maxima, ab Ioue & glande iuglans est appellata. Eadem, *Nux*, quod vt nox aërem, ita huius succus facit corpus atrum. ¶Quæ in orteis nascuntur, alia peregrineis vocabuleis, vt Græceis *Ocymum*, *Menta*, *Ruta*, quam nunc πήγανον appellant. Item *Caulis*. *Lapatium*, *Radix*. Sic enim antiqui Græci quam nunc *Raphanum*. Item ex Græceis vocabuleis, ἕρπυλλον, ῥόδον, addita & commutata vna littera, *Serpillum*, *Rosa*. Item Græca, κορίανδρον, μαλάχη, κύμινον. Item Latina, *Lilium*, ἀπὸ λειρίου, & *Malua* à μαλάχη. & *Susimbrium* ἀπὸ σισυμβρίου. Vernacula *Lactuca* à lacte, quòd olus id habet lac. *Brassica*, vt præseca: quòd ex huius scapo minutatim pręsecatur. *Asparagi*, quod ex aspereis virgulteis nascuntur, & ipsi scapi asperi sunt, non leues. Nisi Græcum: illic enim quoque dicitur ἀσπάραγος. *Cucumeres* dicuntur à curuore, vt curui meres dicti. *Fructus* à ferendo res: & hæ, quas fundus: & hæ quæ in fundo feruntur, vt fruamur. Hinc declinatæ *Fruges*, & *Frumentum*. Sed hæ è terra, etiam Frumentum, quòd exta loco quo solent addi ex mola, id est ex sale, & farre molito. *Vua* ab vuore.

22 ¶Quæ manu facta sunt dicam, de victu, de vestitu, de instrumento: & si quid aliud videbitur heis aptum. ¶De victu, antiquissima *Puls:* appellata, vel quòd ita Græci, vel ab eo (vt scribit Appollodorus) quòd ita sonet, cũ aqua ferventi insipitur. *Panis*, quòd primò figuras faciebant mulieres in panificio Panis: posteáque figuras facere instituerent alias. A pane & faciendo *Panificium* cœptum dici. Hinc *Panarium*, vbi id seruabant: sicut *Granarium*, vbi granum frumenti condebant, vnde id dictum. Nisi ab eo quod Græci κίκκον à quo Græceis quoque granum dictum. & in quo eadem conduntur, *Horreum* ab horrendo. *Triticum*, quod tritum est spiceis. *Far*, à faciendo, quod in pistrino fit. *Milium* à Græco. nam id prius μίλιν, post μίδιν. *Libum*, quòd libaretur priusquam esset, vt erat coctum. *Testuatium*, quòd in testu caldo coquebatur: vt etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ. *Circuli*, quòd mixta farina caseo & aqua circuitum æquabiliter fundebant. Hoc quidã, qui magis incondite faciebant, vocabant *Lixulas* & *Semilixulas*, vocabulo Sabino: ídque frequentius Sabini à globo farinæ dilatato. Item in oleo cocti, dicti à globo *Globuli*. *Crustulum* à crusta pultis, quoius ea quæ vt corium exuritur, *Crusta* dicta. Cetera ferè opera à vocabuleis Græceis sumpta, vt θρύμμον καὶ τεύφον, & *placenta*, quòd edebant cum pulte. Ab eo *Pulmentum*, vt Plautus: hinc *Pulmentarium* dictum. Hoc primum debuit pastoribus. *Caseus:* à coacto lacte, vt coaxeus dictus. Dein posteaquam desierunt esse contenti heis quæ suapte natura ferebat sine igne: in quo erant poma, quę nimis cruda esse poterant, decoquebant in olla. Ab olla *Olera* dicta: quorum à genere cruda olera, è queis ad coquendum, quod rueret è rure, Ruapa: vnde *Rapa*. *Olea* ab elea: olea grandis, *Orchitis:* quòd ea antiquus *Orchemora*.

¶Hinc ad pecudis carnem peruentum est. *Suilla* sic ab illeis generibus cognominata. Hanc primò assam secundò elixam: tertiò è iure vti cœpisse natura docet. Dictum *Assum*, quòd ab igne assudescit. *Vuidum* est quod humidum, & ideo vbi id non est, succus abest: & ideo sudando assum distillat calore: vt crudum nimium habet humoris: sic excoctum parum habet succi. *Elixum*, est è liquore aquæ deductum: & ex iure, quod iucundum magis conditione est. *Succidia*, ab suibus concidendis: nam id pecus primum occidere cœperunt domini, & vt seruarent, salere. *Tergus* suis, ab eo, quòd eo tegitur *Perna* à pede suis à nomine eius. *Offula* dicta, vt offa minima in sue. *Insicia*, ab eo quòd insecta caro, vt in carmine Saliorum est: quod in exteis dicitur nunc *Profectum*. *Murtatum* à myrto, quod eo largè fartum intestinum crassum. *Lucanum* dicunt, quòd milites à Lucaneis didicerũt, qui & Falerijs *Faliscum ventrem*. *Fundulum*, à fundo: quòd non vt reliquæ partes, sed ex vna parte sola apertum. ab hoc Græcos puto τυφλὸν ἔντερον appellasse. Ab eadem fartura *Farcimina* in exteis appellata: à quo, quod in eo tenuissimum intestinum fartum, *Hila*, ab hilo dicta, id est minimo: quod ait Ennius, Neque dispendei facit hilum. Quod in hoc farcimine summo quiddam eminet: ab eo quòd vt in capite aper, *Apexabo* dicta. Tertium fartum est. *Longabo*, quod longius quàm duo hila. *Agumentum*, quod ex immolata hostia desectum in iecore imponendo agendei caussa. *Magmentum*, à magis: quod ad religionem magis pertinet. Itaque propter hoc montana fana constituta loceis certeis, quod id imponeretur matæ: ob quod Græci μάτται καὶ μάτται. Item Græci sigillatim, vt ouum, bulbum.

23 ¶Lana Græcum, vt Polybius & Callimachus scribunt. *Purpura*, à purpuræ maritimæ colore. *Pœnicum*, quod à Pœneis primùm dicitur adlatum. *Stamen* à stando, quòd eo stat omne in tela velamentum. *Subtemen*, quod subit stamini. *Trama*, quòd tranat frigus id genus vestimenti. *Densam* à dentibus pectinis, quibus feritur. *Filum*, quod minimum est hilum. id enim minimum est in vestimento. *Pannus*, Græcum: *Panuelum* dictum à panno, & voluendo filo. *Tunica*, ab tuendo corpore: tunica vt induca. *Toga* à tegendo. *Cinctus* & *Cingulum*, à cingendo: alterum vireis, alterum mulieribus attributum.

24 ¶Arma, ab arcendo, quòd heis arcemus hostem. *Parma*, quòd è medio in omneis parteis par. *Conum*, quod cogitur in cacumen versus. *Hasta*, quod stans solet ferri. *Iaculum*, quod vt iaciatur, fit. *Tragula* à traijciendo. *Scutum* à sectura, vt secutum: quòd minutè consectũ sit tabelleis. *Vmbones*, aut à Græco, vel quod ambones. *Gladius* C in G commutato, à clade. quod fit ad hostium cladem gladius. similiter ab omine *Pilum*, quòd hostis feriret, vt perilum. *Lorica*, à loreis: quòd de corio crudo pectoralia faciebant: postea succuderunt Galli è ferro sub id vocabulum ex anuleis ferream tunicam. *Balteum*, quòd singulum è corio habebant bullatum, balteum dictum. *Ocrea*, quòd opponebatur ob crus. *Galea* ab galero, quo multi vsi antiqui. *Tuba* à tubeis, quos etiam nunc ita appellant tubicines sacrorum. *Cornua*, quòd ea quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu. *Vallum*, vel quod ea varicare nemo possit: vel quòd singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram literæ V. *Cerui* à similitudine cornuum cerui. Item reliqua ferè ab similitudine, vt *vinea*, *testudo*, *aries*.

25 ¶Mensam escariam *cibillam* appellabant; ea erat quadrata, vt etiã nũc in castreis est. A cibo *Cibilla* dicta: postea rotunda facta. & quòd à nobis media, à Græcis μέσα, *Mensa* dici potest. nisi etiã quòd ponebant pleraq; in cibo mensa. *Trulla* à similitudine truæ, quæ quòd magna, & hæc

hæc pusilla, vt truula. Hinc Græci τρυβλίον, nos trullam. *Trua*, quæ à culina in lauatrinā aquam fundunt. Trua, quòd trauolat ea aqua, ab eodem est appellatum *Trulleum*, simile enim figura, nisi quòd latius concipit aquā, & quòd manubrium cauū non est, nisi vinaria trulla accessit. *Matellio* à matula dictus, & dictus posteaquam longius à figura matulæ discessit, & ab aqua *Aqualis* dictus. Vas aquariū vocāt *Futum*, quo in triclinio allatam aquam infundebant: quo postea accessit μάγνος cum Græco nomine: & cū Latino nomine Grȩca figura *barbatus*. *Peluis*, à pedū lauatione, vt pedeluis. *Candelabrum* à cādela. ex heis enim funiculi ardētes figebātur. *Lucerna* pòst inuēta, quæ dicta à luce, aut quod id vocāt Græci λύχνον. Vasa in mensa escaria, vbi putē aut iurulenti quid ponebat: à capiēdo *Catinum* nominauerūt. nisi quòd Siculi dicūt κάτινον, vbi assa ponebāt. *Magidā* aut *Lāgulā*, alterū à magnitudine, alterum ab latitudine finxerunt. *Patinas* à patulo dixerūt, vt pusillas, quod heis libarent cænas *patellas*. *Tryblia*, & *Canistra*, quæ putāt esse Latina, sunt Græca. τρυβλίον καὶ κάνεον; Græca sunt. Reliqua, quòd aperta sint, vnde sint, relinquo.

26 ¶MENSAM vinariam rotundā nominabant *Cylibathum*, vt etiam nunc in castreis, id videtur declinatum à Græco, ἀπὸ τῆς κύλικος. qui illa capit, & minores. *Capulæ* à capiendo; quod ansatæ, vt prehendi possint, id est capi. Harū figuras in vaseis sacreis ligneas & fictiles antiquas etiā nunc videmus. Præterea in poculeis erant *Pateræ*, eo quòd pateant, Latinè ita dictæ. Heisce etiā nūc in publico cōuiuio, antiquitatis retinēdæ caussa, cū magistri fiunt, potio circumfertur: & in sacrificādo deeis, hoc poculo magistratus dat deo vinum. *Pocula* à potione: vnde *Potatio*; & etiam *Poma*, quod hæc poscūt potū. ἀπὸ τοῦ πότου Græca origo potionis. *Aqua* quod æqua summa. *Fons*, vnde funditur è terra aqua viua, *vt fistula aquæ*, fusus aquæ. Vas vinarium grandius, *Sinum*, ab sinu; quòd sinū maiorē cauationē quàm pocula habebat. Item dicta *Deposta* etiam nunc in diebus sacreis, Sabineis vasa vinaria in mēsa deorū sunt posita. Apud antiquos scriptores Græcos inueni appellari poculi genus δεπίσκαι. Quare vel inde radices in agrum Sabinū Romanū sunt profectæ. Quo vinum dabāt, vt minutatim funderent, à gutteis *Guttum* appellarunt: & quo sumebant minutatim; à sumēdo *Sempulum* nominauere. In huiusce locum in conuiuiis è Græcia successit *Epichysis*, & *Cyathus*; in sacrificiis remansit guttum & simpulum. ¶Altera vinaria mensa erat lapidea quadrata oblonga vna columella; vocabatur *Cartibulum*. Hæc in ædibus ad compluuium apud multos me puero ponebatur; & in ea, & cum ea ænea vasa: à gerendo *Gertibulum*, vnde cartibulum pòst dictum.

27 ¶PRÆTEREA erat tertium genus mensæ, & quadratæ vasorū: vocatúrque *Vrnarium*. quòd vrnas cum aqua positas ibi potissimum habebant in culina. Ab eo etiam nunc ante balineum locus vbi poni solebant vrnæ, *Vrnarium* vocatur. *Vrnæ* dictæ quòd vrinant in aqua haurienda, vt *Vrinator*. *Vrinare* est mergi in aquam. *Imburum* fictum ab vrbo, quòd ita flexum vt redeat sursum versus: vt in aratro, quod est vrbum. *Calix* à calido: quod in eo calda puls apponebatur: & calidum eo bibebant. Vas, vbi cibum coquebant, ab eo *Cacabum* appellarunt. *Verus* à versando.

28 ¶AB sedendo appellantur *Sedes*, *Sedile*, *Sedum*, *Sella*, *Seliquastrum*. Deinde ab heis *Subsellium*. vt *Subsipere*, quod non planè sapit: sic quod non planè erat sella, *subsellium* dictum. vbi in eiusmodi duo, *Bisellium* dictum. *Arca*, quòd arcentur fures ab ea clausa. *Armarium* & *Armamentarium* ab eadem origine, sed declinata aliter.

29 ¶MVNDVS muliebris dictus à munditia. *Ornatus*, quasi ab ore natus. hinc enim maximè sumitur quod eam deceat. Itaque ob id paratur speculū. *Calamistri*, quòd heis calefacteis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, à cinere *Cinerarius* est appellatus. *Discerniculū*, quo discernitur capillus. *Pecten*, quòd per eum explicatur capillus. *Speculum*, à speciēdo, quòd ibi spectant. *Vestis* à veleis: vel ab eo quod vellus lana tonsa vniuersa ouis. id dictum quod vellebant lanam: ex lana facta vestis. Et quod capillum contineret, dictum à rete *Reticulum*. *Rete* ab raritudine. Item *Texta*, fasciola qua capillum in capite colligarent. Dictum *Capital* à capite, quod sacerdotulæ in capite etiam nunc solent habere. Sic *Rica* à ritu: quòd Romano ritu sacrificium feminæ cùm faciunt, capita velant. *Mitra*, & reliqua ferè in capite, postea addita cum vocabuleis Græceis.

30 ¶PRIVS de indutu aut amictu quæ sunt, tangā. *Capitium* ab eo quòd capit pectus, id est, vt antiqui dicebant, indutu comprehendit: alterum quod subtus, à quo *Subucula*: alterum quod supra; à quo *Supparus*. nisi quod id dicunt Osce. Alterius generis item duo: vnum quod foris, ac palam. *Palla*: alterū quod intus, à quo *Intusium*. id quod Plautus dicit, Intusiatam, patagiatam caltulam, ac crocotulam. Multa post luxuria adtulit: quorum vocabula apparent esse Græca: vt ἄσβεστον. Amictus est dictum *Amiectum*, id est circumiectum: à quo etiam quod vestes se inuoluunt, *Circumiectum* appellant: & quòd amictui habent purpuram circum, vocant *Circumtextum*. Antiquissimi amictui *Ricinium*, id quod eo vtebātur duplici, ab eo quòd dimidiam partem retrorsum iaciebant, ab reiiciendo Recinium dictum. Hinc quòd facta duo simplicia paria, *Parilia* primo dicta: *reclusum* propter leuitatem παραπηχεῖα, χειρωμί: sic multa Græca. *Lana*, quòd de lana multa: duarum enim togarum instar. vt antiquissimum mulierum, recinium: sic hoc duplex, virorum.

31 ¶Instrvmenta rustica quæ serendi aut colẽdi fructus caussa facta. *Sarculũ* à serẽdo ac sarriẽdo. *Ligo*, quòd eo, propter latitudinem, quod sub terra facilius legitur. *Pala* à pangendo, G in L mutatum quod fuit. *Rutrum* vt ruitum, à ruendo. *Aratrum*, quòd arauit terram. Eius ferrũ *Vomer*, quòd vomit eo plus terram. *Dens*. quòd eo mordetur terra. Supra id regula quæ stat, *Stiua*, à stando: & in ea transuersa regula, *Manicula*, quòd manu bubulci tenetur: qui quasi est temo inter boues. *Bura* à bubus. alij hoc à curuo *Curuum* appellant. Sub iugo medio *Couum*, quod bura extrema addita appellatur, vocatur couũ à cauo. *Iugum* & Iumentum à iunctu. *Irpices*, regula cum pluribus dentibus, quam item vt plaustrum boues trahunt, vt eruant quę in terra sunt. *Sirpices* postea, S. detrita à quibusdam dicti. *Rastelli*, vt Irpices, serræ leues: itaque homo in prateis per fenicecia eo festucas abradit: quo ab rasu Rastelli dicti. *Rastri*, quibus dentalibus penitus eradunt terram atq; eruunt, à quo & *Rutabri* dicti. ¶*Falces* à farre, littera commutata. Hę in Campania *Secula*, à secando à quadam similitudine harum, aliæ: & quòd apertum, vnde *falces Fenariæ*. & *Adorea*: & quod non apertum, vnde *Lumariæ falces*, & *sirpiculæ*. *Lumariæ* sunt, quibus secant lumecta, cum in agreis serpũt spinæ. quas quòd à terra agricolæ soluunt, id est luunt, *Lumecta*. *Sirpiculæ* vocatæ à sirpando, id est ab alligando. sic *Sirpata dolia* quassa cùm alligata dicta. heis vtuntur in vinea alligando fasces, incisos fustes, faculas. has *phancillas* Chersonesicè dicunt fasces. *Pilum*, quòd eo far pinsunt. id vbi fit: *Pistrinum*. L & S inter se sæpe commutant. Inde post in vrbe Lucili *pistrina*, & *pistrix*. *Trapetes* molę olearię vocantur. Trapetes à terendo, nisi Græcum. *Mola* à Molendo: harum enim motu eo coniecta moliuntur. *Vallum* à volatu, quod cùm id iactant, volant inde leuia. *Ventilabrum*, quo ventilatur in ære frumentũ. ¶Quibus comportantur fructus ac necessariæ res, de ijs *Fiscina* à ferendo dicta. *Corbes* ab eo quòd spicas aliudve quid conruebant. Hinc minores *corbulæ* dictæ. ¶De heis quæ iumenta ducũt. *Tragula* ab eo quòd trahitur per terram. *Sirpea*, quæ virgeis sirpatur, id est colligando implicatur, in qua stercus aliúdve qu uehitur. *Vehiculum* in quo faba aliúdve quid vehitur, quo ex viminibus vterentur, & quod eo vehitur, breuis veha Vehiculum dictum est. Ab alijs etiam dictum *Arcera*, quæ etiam in XII. tabuleis appellatur, quòd ex tabuleis vehiculum erat factum vt area, Arcera dictum. *Plaustrum* ab eo quòd non, vt in heis quæ supra dixi, sed ex omni parte palã est, quæ in eo vehuntur, quod perlucent, lapides, asseres tignum.

32 ¶Ædificia nominata à parte, vt multa, ab ædibus, & faciendo. Maximum ædificium est *Oppidum* ab ope dictum: quòd munitur opis caussa, vbi sint: & quod opus est ad vitam gerendam, vbi habitent tutò: vel oppida, quòd opere munibant mœnia, quo munitius essent. Quòd exaggerabant, *Aggeres* dicti, & quòd aggerem contineret murus, quod muniendi caussa manu parabatur, quo cepiebant oppidum: è quo munere *Murus*. Eius summa, *Pinnæ*, ab heis quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites. *Turres* à torueis, quòd hæ prospiciunt ante alios. Qua viam relinquebant in muro, quæ in oppidum portarent, *Portas*. Oppida condebant in Latio, Etrusco ritu multa: id est iuncteis bubus tauro, & vacca interiore aratro circum agebant sulcum. Hoc faciebant religionis caussa die auspicato, vt fossa, & muro essent munita. Terram vnde excalpserant, *Fossam* vocabant: & introrsum factum murum. Postea quòd fiebat orbis, *Vrbs*. Principium quod erat post murum, *Pomerium* dictum: eiusque ambitu auspicia vrbana finiuntur. Cippi pomerij stant, & circum Ardolam Ardeam, & circum Romam. Quare & oppida quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & vrbo *Vrbes*: & ideo coloniæ nostræ omnes in littereis antiqueis scribuntur vrbes: quod item conditæ, vt Roma: & ideo colonię, vt vrbes condũtur quòd intra pomerium ponuntur. ¶Oppidũ quod primũ conditũ in Latio stirpis Romanę *Lauinium*, nam ibi dies penates nostri. Hoc à Latini filia: quæ coniuncta Æneæ, Lauinia appellata. Hinc post triginta annos oppidum alterum conditur *Alba*, id ab sue alba cognominatum. Hæc è naui Æneæ cum fugisset Lauinium, triginta parit porcos. Ex hoc prodigio pòst Lauinium conditum anneis triginta, hæc vrbs facta: propter colórem suis, & loci naturam, *Alba Longa* dicta. Hinc mater Romuli *Rhea*, ex hac *Romulus*, hinc *Roma*. ¶In oppido *vici* à via, quòd ex vtraq; parte viæ sunt ædificia. *Fundulæ* à fundo, quòd exitum non habet, ac peruiũ non est iter, *Angiportum*, & id angustum, ab angendo, & portu. Quò conferrent suas cõtrouersias & quę vendere vellent, & quo quæque ferrent, *Forum* appellarunt. Vbi quid generatim additum, ab eo cognomen, vt *boarium forum*, *forum olitorium*. hoc erat *antiquum Macellum*, vbi olerum copia. ea loca etiam nunc Lacedæmonij vocãt μακελλῶνας: sed Iones ostia ortorum & castelli μακέλλα. Secundum Tiberim ad Iunium *forum piscarium* vocant. Ideo ait Plautus, Apud piscarium, vbi variæ res. Ad corneta *forum cupedinis*, à Cupedio: quòd multi forum cupidinis, à cupiditate. Hæc omnia postquam contracta in vnum locum, quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus; appellatum *Macellum*, vt quidam scribũt, quod ibi fuerit ortus: alij, quod ibi domus fuerit cui cognomẽn fuit Macellus, quæ ibi publicè diruta: è qua ædificatum hoc, quod vocatur ab eo macellum. In foro *lacum Curtium* à Curtio dictum constat, de eo triceps historia. nam & Porci-

& Procilius non idem prodidit quod Piso: nec quod is, C. Ælius Stilo secutus. A Procilio relatum in eo loco dehisse terram, & ex senatusconsulto ad haruspices relatum, esse respõsum *deum Manium Postulionem* postulare, id est, ciuem fortissimum eodem mitti. tum quendam Curtium, virum fortem, armatum ascendisse in equũ, & à Concordiæ versum, cum equo in eum præcipitatum. eo facto, locum coisse, atque eius corpus diuinitus humasse, & reliquisse gẽti suæ monumentum. ¶L. Calpurnius Piso in annalibus scribit, Sabino bello, quod fuit Romulo & Tatio, virum fortissimum Metium Curtium Sabinum, cùm Romulus cum sueis ex superiore parte impressionem fecisset, Curtium in locum palustrem, qui tum fuit in foro, ante quam cloacæ sint factæ, secessisse, atque suos in Capitolium recepisse. Ab eo lacum inuenisse nomen. ¶C. Ælius & Q. Lutatius scribunt eum locum esse fulguratum, & ex senatusconsulto septum esse: idque factum esse à Curtio consule, cui Marcus Genucius fuit collega, Curtium appellatum.

¶ *Arx* ab arcendo, quòd is locus munitissimus vrbis; à quo facilimè possit hostis prohiberi. *Carcer* à coercendo, quòd exire prohibentur. In hoc pars quę sub terra, *Tullianum* ideo quòd additum à Tullio rege. quòd Syracuseis, vbi simili de caussa custodiuntur, vocantur *Latomiæ*, & de latonia translatum, quod heic quoque lapidicinæ fuerunt. Inde *Lauretum*, ab eo quòd ibi sepultus est T. Tatius rex, qui à Laurentibus interfectus est. ab silua laures, quòd ea ibi excisa, & ædificatus vicus. vt inter sacram viam & macellum editum. *Corneta* à corneis, quæ abscissæ loco reliquerunt nomen. vt *Esculetum* ab esculo dictum, & *Fagutal* à fago: vnde etiam quod ibi sacellum, *Iouis Fagutalis*. *Armilustrum*, ab ambitu lustri locus. item *Circus maximus* dictus, quòd circum spectaculeis ædificatus, vbi ludi fiunt; & quòd ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt. Itaque dictũ in Cornicula millies aduentu, quem circumeunt ludentes, Quid cessamus ludos facere? Circus noster ecce adest. In circo primo, vnde mittuntur equi, nunc dicuntur *carceres*. Næuius *Oppidum* appellat. *Carceres* dicti quòd coercentur equi, neinde exeant ante quàm magistratus misit: *Oppidum*, quod à muri parte pinneis turribúsque carceres olim fuerunt. Scripsit poeta, Dictator vbi currum insidit, peruehitur vsque ad oppidum. Intimus *circus ad Murtium* vocatus, vt Procilius aiebat, ab vrceeis, quòd is locus esset inter figulos. alij esse dicunt à murteto declinatum, quòd ibi id fuerit. cuius vestigium manet, quòd ibi sacellum etiam nunc Murtiæ Veneris. Item simili de caussa *circus Flaminius* dicitur, qui ædificatus est circum Flaminium campum, & quòd ibi quoque ludeis Tauriceis circum metas currunt. *Comitiũ* ab eo, quòd coibant eò comitiis curiateis, & litium caussa. ¶*Curia* duorum generum. nam & vbi curarent sacerdotes res diuinas, *vt curia veteres*: & vbi senatus humanas: *vt curia Hostilia*, quòd primus ædificauit Hostilius rex. Ante hãc *Rostra*, cuius id vocabulum ex hostibus capta fixa sunt rostra. Sub dextra huius à comitio locus substructus, vbi nationum subsisterent legati, qui ad senatum essent missi. Is *Græcostasis* appellatur à parte, vt multa. *Senatum* supra Græcostasin, vbi ædes Concordiæ & basilica Opimia. Senaculum vocatum vbi senatus, aut vbi seniores consisterent, dictum vt γερουσία apud Græcos. *Lautolæ* à lauando, quod ibi ad Ianum Geminum aquæ calidæ fuerunt. Ab heis palus fuit in minore Velabro, à quo, quòd ibi vehebantur lintribus, *Velabrum*, vt illud maius, de quo suprà dictum est. *Aequimelium*, quòd æquata Melij domus publicè, quòd regnum occupare voluit is. Locus *ad busta Gallica*, quòd Roma recuperata, Gallorum ossa, qui possederunt vrbem, ibi coaceruata ac consita. Et locus qui vocatur *Doliola* ad cloacam maximam, vbi non licet despuere, à dolioleis sub terra. Eorum duæ traditæ historiæ: quòd alij esse aiunt ossa cadauerum: alij Numæ Pompilij religiosa quædam post mortem eius infossa. *Argiletum* sunt qui scripserunt ab Argo, seu quòd is huc venit, ibíque sepultus sit: alij ab argilla, quòd ibi id genus terræ. *Cliuus Publicius*, ab ædilibus plebei Publicieis, qui eum publicè ædificarunt. Simili de caussa *Publicius vicus*, & *Cosconius vicus*, quòd ab heis vireis dicuntur ædificati. Cliuus proximus ad florales vsus versus. *Capitolium vetus*, quod ibi sacellum Iouis, Iunonis, Mineruæ: & id antiquius quàm Ædis quæ in capitolio facta. Esquilijs *vicus Africus*, quòd ibi obsides ex Africa bello Punico dicuntur esse custoditi. *Vicus Ciprius* à cipro: quòd ibi Sabini ciues additi consederunt, qui à bono omine id appellarunt. Nam *ciprum* Sabinè bonum. Prope hunc *vicus Sceleratus* dictus à Tullia Tarquinij Superbi vxore, quod, ibi cum iaceret pater occisus, supra eum vt mitteret carpentum mulio, iussit.

33 ¶Et quoniam vicus constat ex domibus, nunc earum vocabula videamus. *Domus* Græcum est. & ideo in ædibus sacreis ante cællam, vbi sedes dei sunt, Græci dicunt πρόδομον: quòd post, ὀπισθόδομον. *Aedeis* ab aditu, quòd plano pede adibant. Itaque ex ædibus efferri indictiuo funere præco etiam eos dicit, qui è taberneis efferuntur, & omneis in censu villas inde dicimus Ædes. *Cauum adium* dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem omnium vsum. In hoc locus si nullus relictus erat, sub diuo qui esset, dicebatur *Testudo* à testudinis similitudine, vt est in prætorio in castreis. Si relictum erat in medio, vt lucem caperet: deorsum, quò impluebat, *Impluuium* dictum: & sursum, qua compluebat, *Compluuium*, vtrumque à pluuia. *Tuscanicum* dictum à Tuscois, posteaquã illorũ cauum

ædium ſimulare cœperunt. *Atrium* appellatum ab Atriatibus Tuſceis. illinc enim exemplum ſumptum. Circum cauum ædium erant vniuſcuiuſque rei vtilitatis cauſſa parietibus diſſepta: vbi quid conditum eſſe volebant; à cælando *Cellam* appellarunt, *Penariam*, vbi penus. Vbi cubabant, *Cubiculum*: vbi cænabant *Cœnaculum* vocitabant: vt etiam nunc Lanuuij apud ædem Iunonis, & in cetero Latio ac Faleriis, & Cordubæ dicuntur. Poſteaquam in ſuperiore parte cænitare cœperunt, ſuperioris domus vniuerſa, Cænacula dicta. Poſteaquam ibi cœnabant, plura facere cæperunt, vt in caſtreis ab hieme hiberna, *hibernum* domus vocarunt: contra *æſtiuum*.

** Deſunt paginæ tres. **

34 ¶ religionem Porcius deſignat, cùm de Ennio ſcribens dicit eum coluiſſe Tutilinæ loca. Sequitur *porta Næuia*, quòd in nemoribus Næuijs. Næuius enim loca vbi ea ſic dicta, coluit. Deinde *porta Rauduſcula*, quòd ærata fuit. æs *Raudus* dictum: ex eo in veteribus mancupijs ſcriptum, *Rauduſculo libram ferito.* Hinc *porta Lauernalis* ab ara Lauernæ, quòd ibi ara eius deæ. Præterea intra muros video portas dici: in Palatio, *Mucionis*, à mugitu, quòd ea pecus in Bucitarum antiquum oppidum exigebant: alteram, *Romanulam*, quæ eſt dicta ab Roma, quæ habet gradus in naualia ad Volupię ſacellum. Tertia eſt *Ianualis* dicta ab Iano. & ideò ibi poſitum Iani ſignum, & ius inſtitutum à Numa Pompilio, vt ſcribit in annalibus L. Piſo, vt ſit clauſa ſemper, niſi cùm bellum ſit. Nuſquam traditum eſt memoriæ Pompilio rege fuiſſe apertam: & poſt T. Manlio conſule, bello Carthaginenſi primo confecto, & eodem anno apertam.

** Deſunt quædam. **

35 ¶ SVPER lectuleis origines, quas aduerti, hæ. *Lectica*, quòd legebant, vnde eam facerent, ſtramenta atque herbas, vt etiam nunc fit in caſtreis. lectos, ne eſſent in terra ſublimes in heis ponebant. Niſi ab eo quòd Græci antiqui dicebant λέκτρον, lectum potius, quam lecticam quòd inuoluebant. quòd ferè ſtramenta erant è ſegete, *Segeſtriam* appellant, vt etiam nunc in caſtreis. Niſi à Græceis. nam σιγάστρον, vbi lectus mortui fertur, dicebant. *feretrum* noſtri, Græci φέρετρον καὶ φέρετρον. Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quòd in ea ſagum, aut tomentum, aliúdve quid calcabant, ab inculcando *Culcita* dicta: ac quicquid inſternebant, à ſternendo *Stragulum* appellabãt. *Puluinar* vel à plumeis vel à pelluleis declinarunt. Quibus operiebantur, *Operimenta*, & *pallia*, *Opertula* dixerunt. In heis multa peregrina, vt *Sagum*, *Reno* Galli quid gaunacumma eius ſagum, & *Amphimalon*, Græca: contra Latinum *Torale*, quod ante torum & *Torus* à toruo, quòd is in promptu. ab hac ſimilitudine *Toruinus* in mulieris capite ornatus. Quia ſimplici ſcanſione ſcandebant in lectum non altum, *Scabellum*: in altiorem, *Scamnum*. Duplicata ſcanſio, *Gradus* dicitur, quòd genitur ab inferiore in ſuperiorem. Græca ſunt, *Periſtromata* & *Peripetiſmata*. ſic aliud aliquid item conuiuij cauſſa ibi.

36 ¶ Multa pecuniæ ſignatæ vocabula ſunt æris & argenti hæc. *As* ab ære. *Dupondius* à duobus ponderibus, quòd vnum pondus *Aſſipondium* dicebatur: id ideò quòd As erat libræ pondus. deinde ab numero reliquum dictum vſque ad *Centuſſis*, vt as ſingulari numero. Ab tribus aſſibus *Treſſis*, & ſic proportione *Nonuſſis*. In denario numero hoc mutat: quod primum eſt, ab decem aſſibus *Decuſſis*: ſecundum à duobus decuſſibus *Biceſſis*, quod dixi ſolum à duobus decuſſibus *biceſſis*. Reliqua conueniunt, vt *Triceſſis* à tribus, ſic proportione vſque ad *Centuſſis*: quo maius æris vocabulum non eſt. nam ducenti in proportione cum dicuntur, non magis aſſes, quàm denarij aliæve res ſignificantur. Æris minima pars, *Sextula*, quòd ſexta pars vnciæ. *Semuncia*, quòd dimidia pars vnciæ. *Se* valet dimidium, vt in *Selibra* & *Semodio*, *Vncia* ab vno. *Sextans* ab eo quòd ſexta pars aſſis: ſicut *Quadrans*, quòd quarta: & *Triens*, tertia pars. *Semiſſis*, quòd ſemi æs, id eſt, dimidium aſſis, vt ſuprà dictum eſt. *Septunx* à ſeptem & vncia concluſum: Reliqua obſcuriora, quòd à diminutione: & ea quæ diminuuntur, ita ſunt vt extremas ſyllabas habeant. vt à duodecima vna dempta vncia, *Deunx*. *Dextans* dempto ſextante: *Dodrans*, dempto quadrante. *Bes*, vt olim des, dempto riente. In argento nummi id à Siculeis. *Denarij*, quòd denos æris valebant. *Quinarij*, quod quinos. *Seſtertius*, quòd ſemis tertius. Dupondius enim & ſemis antiquus ſeſtertius eſt: & veteris conſuetudinis vt retro æra dicerentur, ita vt ſemis tertius, ſemis quartus pronuntiarent. Seſtertius igitur ab ſemis tertius dictus. Nummi denarij decuma *libella*, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parua. *Sembella*, quòd ſit libellæ dimidium, quòd ſemis aſſis. *Teruncius* à tribus vnciis, ſembellæ quòd valet dimidium: & eſt quarta pars, ſic vt quadrans aſſis. Eadem pecunia vocabulum mutat. nam poteſt idem dici, dos, *arrhabo*, *merces*, *corollarium*. *Dos* erit pecunia, ſi nuptiarum cauſſa data: hæc Græce δωτίνη, ita enim hoc Siculi: ab eodem *Donum*. Nam Græcè vt ipſi δῶρον, vt alij δόμα, & vt Attici δόσις. *Arrabo* ſic dicta, vt reliquum reddatur. hoc verbum à Græco ἀῤῥαβών. Reliquum, ex eo quòd debitum reliquit. *Damnum* à demptione, cùm minus re factum quàm quanti conſtat.

Lucr.im

Lucrum, ab luendo, si amplius, quàm exoluerit quanti esset ceptum. *Detrimētum*, à detritu, quòd ea quæ trita, minoris pretij. Ab eadem *Intertrimētum*, ab eo quòd duo, quæ inter se trita & deminuta, à quo etiam *Intrigo* dicta, & *Intertrigo*. *Multa*, à pecunia, quæ à magistratu dicta, vt exigi possit ob peccatum, quod singulæ dicuntur appellatæ esse multæ, quòd olim vnum dicebant *multa*. Itaque cùm in dolium aut culeum vinum addunt rustici, prima vrna addita, dicunt etiam nunc *Multa*. *Pœna*, à puniendo, vel à pœnitendo, quod post peccatum sequitur. *Pretium*, quod æstimationis, emptionísve caussa cōstituitur dictum à periteis, quòd hi solum possunt facere rectè id. Si quid datum pro opera aut opere, *Merces*, à merendo. Quod manu factum erat, & datum pro eo, *Manupretium*, à manibus & pretio. *Corollarium*, si additum præter quàm quod debitum eius. vocabulum fictum à corolleis: quòd hæ, cùm placuerant actores, in scena dari solitę. *Præda* est ab hostibus capta, quòd manu parta, vt parida præda. *Præmium* à præda, quòd ob rectè quid factum concessum. Si datur quod reddatur, *Mutuum*, quod Siculi μοῖτον. Ita scribit Sophron. μοῖτον ἀντίδημον, & *Munus*, quod mutuo animo qui sunt, dant officij caussa. Alterum munus, quod muniendei caussa imperatum, à quo etiam *Municipes*, qui vnà munus fungi debent, dicti. Ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus, *Sacramentum* à sacro. Qui petebat, & qui inficiabatur de aliis rebus, vterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat, victi ad ærarium redibat. *Tributum* dictum à tribubus, quòd ea pecunia quæ à populo imperata erat, tributim à singuleis pro portione census exigebatur. Ab hoc ea quæ assignata erat, *Ad tributum* dictum. Ab eo quoque quibus adtributa erat pecunia, vt militi reddant, *Tribuni ærarij* dicti. Id quod adtributum erat, *æs militare*, hoc est quod ait Plautus, Cedit miles, æs petit. Et hinc dicuntur *milites ærarij*, ab ære, quòd stipendia facerent. Hoc ipsum *Stipendium* ab stipe dictum, quòd æs quoque Stipem dicebant. Nam quòd asses libræ pondo erant; qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cælla stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparet: à stipando *Stipem* dicere cœperunt. *Stipare* ab στείβειν fortasse, Græco vocabulo. Id apparet, quòd vt alias, tum institutum etiam nunc, diis cum thesaureis asses dant, stipem dicunt: & qui pecuniam alligat, *Stipulari & Restipulari*. *Milites stipendiarij* ideo quòd eam stipem pēdebant. Ab eo Ennius scribit, Pœni stipendia pendunt. Ab eodem ære impendendo, *Dispensator*, & in tabuleis scribimus *Expensum*. & inde *prima Pensio*, & sic aut secunda, aut quæ alia. Et *Dispendium*, ideo quòd in dispendendo solet minus fieri: *Compendium*, quòd cùm compenditur, vna fit. A quo vsura, quòd in sortem accedebat, *Impendium* appellatum: quæ cùm accederet ad sortem, ex vsu *Vsura* dicta, vt *Sors* quod suum fit sorte. Per *trutinam* solui solitum, vestigium etiam nunc manet in æde Saturni, quòd ea etiam nunc propter pensuram, Trutinam habet positam. Ab ære *Acrarium* appellatum.

17 ¶Ad vocabula, quæ pertinere sumus rati, ea quæ & loca, & ea quæ in loceis, sunt satis arbitror dicta: quòd neque parum multa sunt aperta: neque si amplius velimus, volumen patietur. Quare in proximo (vt in primo libro dixi) quod sequitur de temporibus dicam.

EPITOME LIBRI QVINTI.

In quo de vocabuleis temporis, & quæ in tempore, eorúmque origine ex auctoribus qui soluta oratione scripserunt. Præfatio 1.

¶De vocabuleis temporum in genere 2. *De vocabulis temporum in specie dierum qui instituti deorum caussa. ¶Quorum alij stati: alij annales* 3. *Dierum qui instituti hominum caussa: vbi inter cætera de mensibus* 4.

¶De vocabuleis eorum quæ in tempore eorum obscuritate ac multitudine 5. *Eorum autem alia pertinent ad ea quæ debemus cogitare* 6. *Dicere* 7. *Facere: vbi inter cætera agitur de his quæ advisum, auditum, ofactum, gustum, tactum* 8.

¶De iudicio ex censoriis tabuleis 9.

¶De quibusdam vocabuleis quæ Latini à Græcis mutuati 10. *¶Conclusio* 11.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA LIBER QVINTVS

AD M. TVLLIVM CICERONEM.

ORIGINES verborum, quæ sunt locorum, & quę in heis in priore loco scripsi: in hoc dicam de vocabuleis temporum, & earum rerum quæ in agendo fiunt aut dicuntur cum tempore aliquo; vt sedetur, ambulatur, loquitur. Atque siqua erunt ex diuerso genere adiuncta, potius cognationi verborum quàm auditori calumnianti geremus morem. Huius rei auctor satis mihi Chrysippus, & Antipater, & illi in quibus etsi non tantum acuminis, aut plus litterarum; in quo est Aristophanes, & Apollodorus, qui omnes verba ex verbeis ita declinari scribunt vt verba literas alia adsumant, alia amittant, alia commitent

vt fit in *turdo*, in *turdario*, in *turdelice*. Sic declinantes Greci nostra nomina, dicũt Lucianũ Λευκιανὸν, & Quintium, Κοίντιον. Ἀρίσταρχον illi, nos Aristarchum, & Δίωνα, Dionem. sic inquam consuetudo nostra multa declinauit, vt à vetere *vetustũ*, ab solo *solũ*, ab libero *liberũ*, ab lasibꝰ *lares*. quę obruta vetustate, vt potero eruere conabor.

2 ¶ Dicemvs primò de temporibus, & quæ per ea fiunt. Sed ita vt ante de natura eorum. ea enim dux fuit ad vocabula imponenda homini. ¶ Tempus esse dicunt interuallum mundi, & motus. Id diuisum in parteis aliquot maximè ab solis & lunę cursu. Itaque ab eorum tenore temperato *Tempus* dictum: vnde *Tempestiua*: & à motu eorum, qui toto cælo coniunctus mundus deo, motus casu venit. à quo tempus id ab hoc deo *dies* appellantur. *Meridies* ab eo quòd medius dies. D antiqui non R in hoc loco dicebant, vt Præneste incisum in solario vidi, quod Cornelius in basilica Æmilia & Fuluia inumbrauit. Diei principium *Mane*, quòd tum manat dies ab Oriente. Nisi potius quòd bonum antiqui dicebant Manum. ad cuiusmodi religionem Græci quoque, cùm lumen adfertur, solent dicere φῶς ἀγαθόν. *Suprema*, summum diei, id à superrimo. hoc tempus duodecim tabulæ dicunt *Occasum* esse *solis*: sed postea Lex Prætoria id quoque *tempus* iubet esse *supremum*, quo prætor in comitio supremam pronuntiauit populo. Secundum hoc dicitur *Crepusculum*, à crepero. id vocabulum sumpserunt à Sabineis: vnde veniunt *Crepusci* nominati Amiterno, quòd eo tempore erant nati, *vt Lucij* prima luce in creatione. *Crepusculum* significat dubium: ab eo res dubiæ dictæ *Creperæ*, quòd crepusculum, dies etiamnum sit, an iam nox, multeis dubium. *Nox* (vt Catulus ait) quòd omnia, nisi interueniat sol, pruina obriguerint. quòd nocet, nox, nisi quod Græce νύξ, nox. Cùm stella prima exorta Græci vocant ἕσπερον nostri *Vesperuginẽ*. vt Plautus, Neque vesperugo, neque vergiliæ occidunt. Exortæ stellæ tempus dictum à Græceis ἑσπέρα Latine *Vesper*: vt ante solem ortum, quòd eadem stella vocabatur *Iubar*, quod iubata. Pacuuius dicit, Pastor exorto iubare, noctis decurio itinere. Ennius, Aiax lumen iubárve in cælo cerno? Inter vesperuginem & iubar dicta nox. *Intempesta nox*, vt in Bruto Cassius, quod dicebat Lucretia, Nocte intempesta nostram deuenit domum. Intempestam Ælius dicebat, cùm tempus agendi est nullum: quod alij *concubium* appellarunt, quòd ferè omnes tunc cubarent: alij, ab eo quòd sileretur, *Silentium* noctis. Quod idẽ Plautus tẽpus *Conticinium*. scribit enim, Videbimus. factum volo: i, redito conticinio. ¶ Alter motus solis est, alter cæli, quod mouetur à bruma ad solstitium. Dicta *Bruma*, quòd breuissimus dies est: *Solstitium*, quod sol eo die sistere videatur, aut quòd sol ad nos versum, proximum est solstitium. Cùm venit in medium spatium inter brumam & solstitium, quod dies æquus sit ac nox, *Aequinoctium* dictum. Tempus à bruma ad brumam dum sol redit, vocatur *Annus*: quòd vt paruuli circuli annulli, sic magni dicebantur circites anni: vnde Annus. huius temporis pars *Hiemps*, quòd tum multi himbres. hinc *Hibernacula*, *Hibernum*: vel quòd tum anima, quæ flatur, omnium apparet, ab hiatu *hiemps*. ¶ Tempus secundum, *Ver*: quòd tum virere incipiunt virgulta, ac vertere se tempus anni. nisi quòd Iones dicunt βῆρ. ¶ Tertium, ab æstu, *Aestas*. hinc *Aestiuum*. Nisi fortè à Græco αἴθεσθαι. ¶ Quartum, *Autumnus*.

* *Multa desunt.* *

ab sole: sic *mensis* à lunæ motu dictus, dum ab sole profecta, rursus redit ad eum luna, quòd Græcè olim dicta μήνη: vnde illorum μῆνες. ab eo nostri. A mensibus *Intermestris* dictus: quòd putabant inter prioris mensis senescentis extremos dies, & nouam lunam esse diem, quem diligentius Attici ἕνην καὶ νέαν appellarunt: ab eo quod ea die potest videri extrema & prima luna. *Lustrum* nominatum tempus quinquennale à luendo, hoc est soluendo: quod quinto quoque anno vectigalia & vltro tributa per censores persoluebantur. *Seculum*, spatium annorum centum vocarunt: dictum à sene, quòd longissimum spatiũ senescendorum hominum id putarunt. *Aeuum* ab ætate omnium annorum: hinc *Aeuiternum*, quod factum est *Aeternum*. Id ait Chrysippus esse αἰῶνα. Ab eo Plautus, non omnis ætas ad perdiscendum est satis. hinc poetæ *Aeterna templa cæli*.

3 ¶ A cæli naturali discrimine ciuilia vocabula dies accesserunt. Dicam prius, qui deorum caussa, tum qui hominum, sint instituti. *Dies Agonales*, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab agone: eo quòd interrogatur à principe ciuitatis. & princeps gregis immolatur. *Carmentalia* nominantur quòd sacratum & feriæ Carmentis. *Lupercalia* dicta quod in lupercali luperci sacra faciunt. Rex cùm ferias menstruas Noneis Februarieis edicit, hunc *diem Februatum* appellat. *Februum* Sabini purgamentum, & id in sacreis nostreis verbum. Nam & Lupercalia Februario, vt in antiquitatũ libreis demonstraui *Quirinalia* à Quirino, quòd ei deo feriæ, & eorum hominum qui fornacalibus sueis non fuerunt feriati. *Feralia* ab inferijs, & ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulchrum, quibus ius ibi parentare. *Terminalia*, quòd is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius, & cùm intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense. *Equiria*, ab equorum cursu. Eon. die currunt equi in campo Martio. *Liberalia* dicta quòd per totum oppidum eo die sedent sacerdotes liberi, hedera coronatæ anus cũ libeis & foculo pro emptore sacrifican-

ſacrificantes. In libreis Saliorum, quorum cognomen Agonenſium, forſitan hic dies ideo appellatur potius Agonia. *Quinquatrus*: hic dies vnus à nominis errore obſeruatur proinde vt ſint quinque, dictus vt ab Tuſculaneis: poſt diem ſextum Eidus ſimiliter vocatur *Sexatrus*, & poſt diem ſeptimum, *Septimatrus*: ſic hic quòd erat poſt diem quintum Eidus, *Quinquatrus*. *Tubiluſtrum* appellatur, quòd eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrantur. *Megaleſia* dicta à Græceis, quod ex libris Sibyllineis accerſita ab Attalo rege Pergami prope murum Megaleſion, vbi templum eius deæ, vnde aduecta Romam. *Fordicidia* à fordeis bubus. *bos Forda*, quæ fert in ventre, quòd ea die publicè immolantur boues prægnantes in curiis complureis. A fordeis cædendeis *Fordicidia* dicta. *Palilia* dicta à Pale, quòd & feriæ ei deæ fiunt, vt *Cerealia* à Cerere, *Vinalia* à vino. Hic dies Iouis, non Veneris. Huius rei cura non leuis in Latio. nam aliquot loceis vindemiæ primùm à ſacerdotibus publicè fiebant, vt Romæ etiam nunc. nam flamen Dialis auſpicatur vindemiam: & vt iuſſit vinum legere, agna Ioui facit: inter cuius exta cæſa & porrecta flamen *prorſus vinum* legit. In Tuſculaneis ſacreis eſt, Vinum nouum ne vehatur in vrbem ante quàm vinalia kalentur. *Robigalia* dicta à Robigo. ſecundum ſegetes huic deo ſacrificatur, ne rubigo occupet ſegetes. *Dies Veſtalia*, vt virgines Veſtales Veſtæ ſacrificent. *Quinquatrus Minuſculæ* dictæ Iuniæ Eidus ab ſimilitudine Maiorum, quòd tibicines tum feriati per vrbem vagantur, & conueniunt ad ædem Mineruæ. *Dies Fortis Fortunæ* appellatus ab Seruio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra vrbem Romam dedicauit Iunio menſe. *Dies populi Fugia* videtur nominatus, quòd eo die repente tumultu fugerit populus. non multo enim poſt hic dies quàm deceſſus Gallorum ex vrbe: & qui tum ſub vrbe populi, vt Ficuleates ac Fidenates, & finitimi alij, contra nos coniurarunt. Aliquot huius diei veſtigia fugæ in ſacreis apparent. de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt. *Nonæ Caprotinæ*, quòd eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub ſacrifico faciunt, & è caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis.

* * *

Apollinaribus ludeis docui populum.

* * *

Neptunalia à Neptuno. eius enim dei feriæ. *Furinalia* à Furina, quod ei deæ feriæ publicæ dies is, cuius deæ honos apud antiquos. Nam ei ſacra inſtituta annua, & flamen adtributus: nunc vix nomen notum pauceis. *Portunnalia* dicta à Portunno, cui eo die ædes in portu Tiberino facta, & feriæ inſtitutæ. *Vinalia Ruſtica* dicuntur ante diem duodecimum kalendas Septembris, quod tum Veneri dedicata ædis, & orti eius tutelæ adſignantur, ac tum ſunt feriati olitores. *Conſualia* dicta à Conſo, quod tum feriæ publicæ ei deo, & in circo ad aram eius ab ſacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. *Volcanalia* à Volcano, quod ei tum feriæ, & quòd eo die populus pro ſe in ignem animalia mittit. *Opeconſiua* dies ab dea Opeconſiua, cuius in regia ſacrarium, quod ideo actum *vt eo præter virgines Veſtales, & ſacerdotem publicum, introeat nemo: Is cùm eat, ſuffibulum haud habeat*: ſcriptum id dicitur, vt à ſuffiendo ſubligaculum. *Vortumnalia* à Vortumno, cuius feriæ Octobri menſe. *Meditrinalia* dies dictus à medendo, quod, vt Flaccus flamen Martialis dicebat, hoc die ſolitum vinum nouum & vetus libari & deguſtari medicamenti cauſſa. Quod facere ſolent etiam nunc multi, cùm dicant, *Nouum vetus vinum bibo: nouo veteri morbo medeor*. *Fontinalia* à fonte, quod is dies feriæ eius. ab eo autem tum, & in fontes coronas iaciunt, & puteos coronant. *Armiluſtrium*, ab eo quod in armiluſtrio armati ſacra faciunt. Niſi locus potius dictus ab heis. ſed quod de heis prius. Id ab luendo aut luſtro, id eſt, quod circumibant ludentes ancilibus armati. *Saturnalia* dicta à Saturno, quòd eo die feriæ eius. vt poſt diem tertium *Opalia*, Opis. *Angeronalia* ab Angerona, cui ſacrificium fit in curia. *Accalia* feriæ publicæ Laurentinæ is dies, quem quidam inſcribendo *Laurentalia* appellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui ſacerdotes noſtri publice parentant ſexto die, qui atra dicitur, & dicunt hunc diem Tarentini *Accas Tarentinas*. Hoc ſacrificium fit in Velabro, qua in nouam viam exitur, vt aiunt quidam, ad ſepulcrum Accæ: vt quod ibi prope faciunt diis manibus ſeruilibus ſacerdotes. qui vterque locus extra vrbem antiquam fuit, non longè à porta Romanula, de qua in priori libro dixi. *Dies Septimontium* nominatus, ab heis ſeptem montibus in queis ſita vrbs eſt. Feriæ non populi, ſed montanorum modo, vt *Paganalibus* qui ſunt alicuius pagi. ¶De ſtatutis diebus dixi, nunc de annalibus dicam. *Compitalia*, dies adtributus laribus, vt alibi: ideo vbi viæ competunt, tum in compiteis ſacrificatur; quotanneis is dies concipitur. Similiter *Latinæ feriæ* dies conceptiuus dictus à Latineis populeis, quibus ex Albano monte ex ſacreis carnem petere fuit ius cum Romaneis: à quibus Latineis Latinæ dictæ *Sementinæ feriæ*, dies is qui à pontificibus dictus, appellatus à ſemente, quod ſationis cauſſa ſuſceptæ. *Paganica*, eiuſdem agriculturæ cauſſa ſuſceptæ, vt haberet in agreis omnis pagus: vnde paganicæ dictæ ſunt. Præterea *feriæ Conceptiuæ*, quæ non ſunt annales, vt hæ quæ dicuntur ſine proprio vo-

cabulo, aut cum perſpicuo, *vt Nouendialis.*

¶ ¶De heis diebus nunc iam, qui hominum cauſſa conſtituti, videamus. Primi dies menſium nominati *kalendæ*, ab eo quòd heis diebus kalentur eius menſis Nonæ à pontificibus quintanæne an ſeptimanæ ſint futuræ, in Capitolio in curia kalabra ſic dictæ, *Quinque kalo Iuno Nouella. Septem kalo Iuno Nouella.* *Nonæ* appellatæ, aut quòd ante diem nonum Eidus ſemper, aut quòd vt nonus annus kalendæ Ianuariæ ab nono ſole appellatæ, nouus menſis, noua luna Noneis. Eodem die enim in vrbem ab agreis ad regem conueniebat populus. Harum rerum veſtigia apparent in ſacreis Nonalibus in arce; quòd tunc ferias primas menſtruas, quas futuræ ſint eo menſe, rex prædicit populo. *Eidus* ab eo quod Tuſci Itus', vel potius quod Sabini Eidus dicunt. *Dies* poſtridie kalendas, Nonas, Eidus appellati *atri*, quòd per eos dies noui inciperent. *Dies Faſti*, per quos prætoribus omnia verba ſine piaculo licet fari. *Comitiales* dicti, quòd tum eſſet populus conſtitutus ad ſuffragium ferendum, niſi ſi quæ feriæ conceptæ eſſent, propter quas non liceret: vt Compitalia, & Latinæ. Contrarij horum vocantur *dies Nefaſti*, per quos dies nefas fari prætorem: *Do, dico, addico.* Itaque non poteſt agi. Neceſſe eſt aliquo eorum vti verbo, cum lege quid peragitur. Quòd ſi tum imprudens id verbum emiſit, aut quem manumiſit, ille nihilominus eſt liber, ſed vitio: vt magiſtratus vitio creatus, nihilo ſecius magiſtratus. Prætor qui tum fatus eſt, ſi imprudens fecit, piaculari hoſtia facta piatur: ſi prudens dixit, Quintus Mucius abnegabat eum expiari, & vt impium non poſſe dicebat. *Intercisi dies* ſunt, per quos mane & veſperi eſt nefas, medio tempore inter hoſtium cæſam & exta porrecta fas: à quo quod fas tum intercedit, interciſi dies, aut quòd tum interciſum, nefas. *Dies* qui vocatur ſic, *Quando rex comitiauit fas*: dictus ab eo quòd eo die rex ſacrificulus dicat ad comitium, Ad quod tempus eſt nefas, ab eo fas. Itaque poſt id tempus lege actum ſæpe. *Dies* qui vocatur, *Quando ſtercus delatum fas*: ab eo appellatus, quòd eo die ex æde Meſtæ ſtercus euerritur, & per Capitolinum cliuum in locum defertur certum. *Allienſis dies* ab Allia fluuio dictus. nam ibi exercitu noſtro fugato, Galli obſederunt Romam. Quod à ſingulorum dierum vocabula pertineat dixi. ¶Menſium nomina ſunt aperta ferè, ſi à Martio, vt antiqui inſtituerunt, numeres. Nam primus [*id eſt Martius*] à Marte. Secundus [*id eſt Aprilis*] (vt Fuluius Flaccus ſcribit, & Iunius Gracchus) à Venere, quòd ea ſit Ἀφροδίτη. cuius nomen ego, antiqueis littereis quòd nuſquam inueni, magis puto dictum, quòd ver omnia aperit, Aprilem. Tertius, à maioribus, *Maius.* Quartus, à iunioribus, *Iunius.* Dehinc quintus *Quintilis*, & ſic deinceps vſque ad Decembrem à numero. Ad hos qui additi, prior à principe Iano *Ianuarius* appellatus. Poſterior, vt iidem dicunt ſcriptores, ab diis] infereis *Februarius* appellatus, quòd tum heis parentetur. Ego magis arbitror Februarium à die februato, quòd tum Februatur populus, id eſt, luperceis nudeis luſtratur antiquum oppidum Palatium, gregibus cinctum.

5 ¶ QVOD ad temporum vocabula Latina attinet, hactenus ſit ſatis dictum. Nunc quod ad eas res attinet, quę in tempore aliquo fieri animaduerterim, dicam. & hæc ſunt, Legiſti currens, ludens. De queis duo prædicere volo, quanta ſit *multitudo* eorum, & quæ ſint *obſcuriora* quàm alia. ¶Cum verborum declinantium genera ſint quattuor: vnum, quod tempora adſignificat, neque habet caſus, vt ab lego, legis: alterum quod caſus habet, neque tempora adſignificat, vt ab lego, lectio, & lector: tertium, quod habet vtrumque, & tempora & caſus, vt ab lego, legens, lecturus: quartum, quod neutrum habet, vt ab lego, lectè, lectiſſimè: horum verborum ſi primigenia ſunt ad mille (vt Coſconius ſcribit) ex eorum declinationibus verborum diſcrimina quingenta millia eſſe poſſunt: ideò quia ſinguleis verbeis primigeniis circiter quingentæ ſpecies declinationibus fiunt. *Primigenia* dicuntur verba, vt lego, ſcribo, ſto, ſedeo, & cetera, quæ non ſunt ab aliquo verbo, ſed ſuas habent radices. Contra, *verba declinata* ſunt, quæ ab aliquo oriuntur, vt ab lego, legis, legit, legam, & ſic itidem hinc permulta. Quare ſiquis primigeniorum verborum origines oſtenderit, ſi ea mille ſunt, quingentûm millium ſimplicium verborum cauſſas aperuit vna. In nulleis tamen, qui ab heis reliqua orta oſtenderit, ſatis dixerit de origine verborum, cùm vnde nata ſint principio erant pauca, quæ inde nata ſunt, innumerabilia. A quibus iiſdem principiis, antepoſiteis præuerbiis pauceis, immanis verborum accedit numerus, quòd præuerbiis additeis, atque commutateis aliud atque aliud fit. Vt enim ceſſit atque receſſit, ſic acceſſit & abſceſſit: item inceſſit & exceſſit, ſic ſucceſſit, & deceſſit, & conceſſit, & præceſſit. Quòd ſi hæc decem ſolùm præuerbia eſſent, quoniam ab vno verbo declinatione quingenta diſcrimina fierent, heis decemplicateis coniuncto præuetbio, ex vno quinque millia numero efficerent: ex mille ad quinquagies centum millia diſcrimina fieri poſſunt. Democritus, ſecuti & item alij, qui infinita principia dixerunt. quæ vnde ſint, non dicunt, ſed cuiuſmodi ſint. faciunt tamen magnum quod quæ heis conſtant in mundo, oſtendunt. Quare ſi etymologia principia verborum poſtulet mille, de quibus ratio ab ſe non poſcatur, & reliqua oſtendat, quod non poſtulat: tamen immanem

verbo-

verborum expediet numerum. ¶De multitudine quoniam, quòd satis esset, admonui: *de obscuritate* pauca dicam. Verborum quæ tempora adsignificant; ideo locus difficillimus est τὰ πνα, quòd neque heis ferè societas cum Græca lingua, neque vernacula ea, quorum repertum memoria adfuerit nostra. de quibus, vt dixi, quę poterimus, incipiam hinc. Primum quod dicitur *Ago*, *Actio* ab agitatu facta. Hinc dicimus, *Agit gestum* tragœdus, & *Agitantur* quadrigæ. Hinc *Agitur pecus* pastum, quà vix agi potest. Hinc *Angiportum*, quia nihil in eo potest agi. Hinc *Angulus*, quod in eo locus angustissimus, cuius loci is angulus.

6 ¶Actionvm trium, primus agitatus mentis; quod primùm ea quæ sumus acturi, *cogitare* debemus; deinde tum *dicere*: ac postremò *facere*. De heis tribus minime putat volgus esse actionem cogitationem: tertium, in quo quid facimus, id maximum. Sed & cùm hoc agitamus, quid & in eam rem cogitamus, in mente agimus: & cùm pronuntiamus, agimus. Itaque ab eo orator dicitur *agere caussam*: & augures *agere augurium* dicuntur, cùm in eo plura dicant quàm faciant. ¶ *Cogitare* à cogendo dictum. mens plura in vnum cogit, vnde deligere possit. Sic è lacte coacto *Caseus* nominatus. sic ex hominibus *Concio* dicta. sic *Coactio*, sic *Compitum* nominatum. A cogitatione *Concilium*: vnde *Concilium*: quod vt vestimentum apud fullonem cùm cogitur, *Conciliari* dicitur. ¶Sic *Reminisci*, cùm ea quæ tenuit mens ac memoria, cogitantur, & cogitando repetuntur. Hinc etiam *Comminisci* dictum, à con & mente: cùm finguntur in mente quæ non sunt: & ab hoc illud quod dicitur *Reminiscor*, cum commentum pronuntiatur. Ab eadem mente *Meminisse* dictum: & *Amens*, quod à mente sua discedit. Hinc etiam, *Metuo*, mentem quodammodo motam amoueo. sic quod frigidus timor est, *Tremuisti*, id est, timuisti. *Tremor* dictum à similitudine vocis, quæ tunc cum valde timetur, apparet. tum etiam in corpore pili, vt arista in spica hordei *Horrent*. ¶*Curare*, à cura dictum. *Cura*, quòd cor vrat. *Curiosus*, qui hac præter modum vritur. *Recordari*, rursus in cor reuocare. *Curia* vbi senatus rempublicam curat: illa etiam Curia dicitur vbi cura sacrorum publica: ab heis *Curiones*. ¶*Volo* à voluntate dictum, & à volatu, quòd animus ita est vt puncto temporis peruolet quò vult. ¶*Libere* à labendo dictum, quòd vt lubrica mens prolabitur, vt dicebant olim. A libendo *Libido*. *Libidinosus*: sic alia, vt *Libentina*. ¶ *Metuere* à quodam motu animi, cùm id quod malum casurum putat, refugit mens. Cùm vehementius in mouendo, vt ab se abeat, & foras fertur, *Formido*. Cùm pauet, ab eo *Pauor*. ¶*Meminisse*, à memoria, cùm id quod remansit in mente, in id rursus mouetur quæ à manando, vt *Manimoria* potest esse dicta. Itaque Salij, qui cantant *Mamurium Veturium*, significant veterem memoriam. *Monere* ab eadem, quòd is qui monet, proinde sit ac memoria sic *Monimenta* quæ in sepulcreis. Et ideo secundùm viam, quo prætereunteis admoneant & se fuisse, & illos esse mortaleis. Ab eo cetera quæ scripta ac facta memoriæ caussa, Monimenta dicta. ¶ *Merere* à marcere, quòd mærore corpus marcescere videatur. hinc etiam *Macri* dicti. ¶ *Lætari* ab eo quòd latius gaudium propter magni boni opinionem diffusum. Itaque Terentius ait, Gaudia sua si omnes homines cofnerant vnum in locum, tamen mea exsuperet lætitia. Sic cùm se habent læta.

7 ¶Narro cùm alterum facio narrum: à quo *Narratio*, per quam cognoscimus rem gestam, quæ pars agendi est.

* *Desunt quedam.* *

Adijciēda & hæc, quæ aut coniuncta cum temporibus, aut ab heis. eorum hoc genus videntur etyma. ¶ *Fatur* is qui primum homo significabilem ore emittit vocem. Ab eo, ante quam ita faciant pueri dicuntur *Infantes*, cum id faciunt, iam fari: cum hoc vocabulum à similitudine vocis pueri, ac *Fatuus* fari id dictum. Ab hoc tempore quod tum puereis constituant Parcæ fando, dictum *Fatum*, & res *Fatales*. Ad hæc eandem vocem qui facilè fantur, *Facundi* dicti: qui futura prædiuinando solent fari, *Fatidici* dicti. iidem *Vaticinari*, quod vesana mente faciunt. Sed de hoc postea erit vsurpandum, cum de poeteis dicimus. Hinc *Fasti* dies, quibus certa verba legitima sine piaculo prætoribus licet fari. Ab hoc *Nefasti*, quibus diebus ea fari ius non est: &, si fati sunt, piaculum faciunt. Hinc *Effata* dicuntur, quòd augures finem auspiciorum cælestium extra vrbem agreis sunt effati. hinc *effari templa* dicuntur ab auguribus: *adfatus*, qui in heis fines sunt. Hinc *Fana* nominata, quod pontifices in sacrando fati sunt finem. hinc *Profanum* est, quod ante fanum, id est coniunctum fano: hinc *Profanatum*, quod in sacrario pollutum. Atque inde Herculi decuma data ab eo est, quod sacrificio quodam *Fanatur*, id est, vt fani lege sit, id dicitur. *Pollutum*, quòd à porriciendo est fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum pollutum est: vt cum *Profanum* dicitur, id est proinde vt sit fani factum. Itaque vbi olim fano consumebatur omne quod profanum erat, vt etiam fit: quod prætor vrbanus quotanneis facit, cum Herculi immolat publice iuuencam. Ab eodem verbo fari, *Fabulæ*, vt tragœdiæ & comœdiæ, dictæ. Hinc *Fassi* & *Confessi*, qui fati id quod ab heis quæsitum. Hinc *Professi*, hinc *Fama*, & *Famosi*. Ab eodem *Falli*, *Falsum*, & *Fallacia*: quæ propterea quòd fando quem decipit.

ac contra quàm dixit, faciat. Itaque si quis re fallit, in hoc non proprio nomine fallacia, sed translatione. vt à pede nostro pes lecti, ac pes betæ. Hinc etiam *Famiger*, *Affabile*, & sic composita alia item, vt declinata multa, in quo & *Fatuus*, & *Fatuè*. ¶*Loqui* ab loco dictum: quòd qui primò dicitur fari & vocabula & reliqua verba dicit, antequam suo quisque loco ea dicere potest. Hinc Chrysippus negat loqui, sed *vt loqui*: quare vt imago hominis non sit homo: sic in corueis, cornicibus, puereis primitus incipientibus fari, verba non esse verba, quòd non loquantur. Igitur is loquitur qui suo loco quodque verbum sciens ponit: & istum *Prolocutum* dicimus, cùm animo quod habuit, extulit loquendo. Hinc etiam amplius dicuntur *Eloqui* ac *Reloqui* in faneis Sabineis è cælla dei, qui eloquuntur. hinc dictus *Loquax*, qui nimium loquitur: hinc *Eloquens*, qui copiosè loquitur, hinc *Colloquium*, cùm conueniunt in vnum locum loquendi caussa. Hinc *Adlocutum* mulieres ire aiunt, cùm eunt, ad aliquam locutum consulendi caussa. hinc quidam *Loquelam* dixerunt, verbum quod in loquendo efferimus. *Concinne loqui* dictum à concione, vbi inter se conueniunt partes, & inter se respondent aliud alij. ¶ *Pronuntiare* dictum & *Nuntiare*. Pro idem valet quod ante, vt in hoc Proludit. Ideo *actores pronuntiare dicuntur*, quod proscenio pronuntiant poeta cogitare: quod maximè tum dicitur propriè, nouam fabulam cùm agunt. *Nuntius* est enim ab eis rebus nominatus, quòd à Græco verbo νέος videri potest declinatum: ab ea quidem Græca voce *Neapolis*, νέα πόλις, ab antiqueis nostreis vocitata: à quo etiam extremum *Nouissimum* quoque dici cœptum volgo, quod mea memoria, vt Ælius Gallus, sic senes aliquot, nimium nouum verbum quòd esset, vitabant. Cuius origo, vt à vetere vetustius, ac veterrimum, sic à nouo declinatum *nouius* & *nouissimum*: quod extremum. Sic ab eadem origine *Nouitas*, *Nouitius*, & *Noualis*, & *sub noueis*, dicta pars in foro ædificiorum. quod vocabulum eius peruetustum, vt nouæ viæ, quæ via iamdiu vetus. Ab eo quoque potest dictum *nominare*, quòd res nouæ in vsum quomodo additæ erant: quibus ea nouissent, nomina ponebant. Ab eo *nuncupare*, & *nuncupatæ res*, quòd tum in ciuitate vota noua suscipiuntur. Nuncupare, nominare valere, apparet in legibus, vbi *nuncupatæ pecuniæ* sunt scriptæ. Item in choro in quo est, Æneas quis est qui meum nomen nuncupat? Item in Medea, Quis tu es mulier quæ me insueto nuncupasti nomine? ¶*Dico*, originem habet Græcam, quod Græci δικάζω. Hinc Ennius, Dico qui hunc dicare cupit. hinc *Iudicare*, quòd tunc ius dicatur: hinc *Iudex*, quòd ius dicat accepta potestate, id est, quibusdam verbeis dicendo finit. Sic enim *ædis* sacra à magistratu pontifice præeunte dicendo dedicatur. Hinc ab indicando *Indicium*: hinc illa, *Indicit bellum*, *indixit funus*: *Prodixit diem*: *Addixit iudicium*. Hinc appellatum *Dictum* in mimo, ac *Dictiosus*. hinc in manipuleis castrensibus *Dicta* ducibus. Hinc *Dictata* in ludo: hinc *Dictator* magister populi, quod is à consule debet dici: hinc antiqua illa, *Dicis immo*, & *Dicis caussa*, & *Addictus* (si dico quid scienti quod det; quod ignorauit trado) Hinc *Doceo* declinatum: vel quòd cùm docemus, dicimus: vel quòd qui docentur, inducantur in id quod docentur: ab eo quod sit ducere, qui est *Dux*, aut *Ductor*, qui ita inducit, vt doceat. Ab docere *Disciplina*, & *Discere*, littereis commutateis pauceis. Ab eodem principio *Documenta*, quæ exempla docendi caussa, dicuntur. ¶ *Disputatio*, & *computatio*, cum præpositione, à Putando, quod valet purum facere. Ideo antiqui purum *Putum* appellarunt. Ideo *Putator*, quòd arbores puras facit. Ideò *Ratio putari* dicitur, in qua summa fit pura. Sic is sermo, in quo pura disponuntur verba, ne sit confusus, atque vt diluceat, dicitur *Disputare*. ¶Quod dicimus, *Disserit parteis*, item *areas*, translatitio æquè ex agreis verbo vtimur. Nam vt olitor disserit in areas sui cuiusque generis res, sic in oratione qui facit, *Disertus*. *Sermo*, opinor, est à serie: vnde *Serta*, & in vestimento *Sartum*, quòd comprehensum. Sermo enim non potest in vno homine esse solo, sed vbi oratio cum altero coniuncta. Sic *Conserere* manum dicimur cum hoste: sic *ex iure manu consertum* vocare. Hinc *Adserere manu* in libertatem, cùm prehendimus. Sic augures dicunt; Si mihi auctor es verbi.

*   *   *

nam *manu adserere* dicit. Hinc etiam ipsi *Consortes*, ad quos eadem sors hinc *Sortes*, quòd in heis iuncta tempora cum hominibus ac rebus. Ab heis *Sortilegi*. Ad hoc pecunia quæ in fenore, *Sors est*, impendium quod inter se iungat.

¶*Legere* dictum quòd legantur ab oculeis litteræ. Ideo etiam *Legati* quòd vt publice mittantur, leguntur. Item à legendo *Leguli*, qui oleam aut vuas legunt. Hinc *Legumina* in frugibus variis: *Leges* etiam, quæ lectæ, & ad populum latæ, quas obseruet. Hinc *Legitima*, & *Collegæ*, qui vnà lecti. & qui in eorum locum suppositi, *Subiecti*, addicti, *Adlecti*, & *Collecta*, quæ ex pluribus loceis in vnum lecta. Ab legendo *Ligna* quoque, quòd ea caduca legebantur in agro, quibus in focum vterentur. Itidem ab legendo *Legio*, & *Diligens*, & *Dilectus*.

¶*Murmuratur*, dictum à similitudine sonitus. Qui murmurat: ita leuiter loquitur, quòd magis id sono facere, quã vt intelligatur, videatur. Hinc etiam poetæ *murmurantia littora*. Similiter. *Fremere*, *Gemere*, *Clamare*, *Crepare*, ab vocis

similitudine & sonitus dicta. Hinc illa, arma *Sonant*, *Fremor* oritur: nil me *increpitando* commoues. Viciniáque horum, *Quiritare*. *Iubilare*. *Quiritare* dicitur is qui Quiritium fidem clamans implorat. Quirites à Curensibus, & ab iis qui cum Tatio rege in societatem venerunt, & donati ciuitate. Vt Quiritare, vrbanorum, sic *Iubilare*, rusticorum. Itaque hos imitatus Aprissius ait in Bacche, Quis me iubilat? Vicinus tuus antiquitus. Sic *Triumphare* appellatum, quòd cum imperatore milites redeuntes clamitant per vrbem in Capitolium eunti, *Io triumphe, io*. Idq; à θριάμβῳ Græco Liberi patris cognomento potest dictum esse. ¶ *Spondere* est dicere, *Spondeo*, à *sponte*. nam id valet, & à voluntate. Ideo Lucilius scribit de Cretea, Cùm ad se cubitum venerit sua voluntate, sponte ipsam suapte adductam, vt tunicã & cetera reiiceret. Eandem voluntatem Terentius significat, cum ait, Satius esse sua sponte recte facere, quàm alieno metu. Ab eadem sponte, à qua dictum spondere, declinatum spondet, & *Respondet*, *Desponsor*, & *sponsa*, item sic alia. *Spondet* enim, qui dicit sua sponte, spondeo. spondet etiam *sponsor*, qui idem vt faciat obligatur. hinc *Sponsus*, *Consponsus*. hoc Næuius significat cùm ait, *Consponsi*. Spondebatur pecunia, aut filia nuptiarum caussa: appellabatur & pecunia, & quæ desponsa erat, *Sponsa*. quæ pecunia inter se contra sponsum rogata erat, dicta, *Sponsio*. cui desponsa quòd erat, *Sponsus*. quo die sponsum erat, *Sponsalis*. qui spoponderat filiam, *Despondisse* dicebatur: quòd de sponte eius, id est voluntate, exierat. Non enim si volebat, dabat, quòd sponsu erat alligatus. Nam in comœdiis vides dici, Spondén' tuam gnatam filio vxorem meo? quòd tum & prætorium ius, ad legem, & censorium iudicium ad æquum æstimabatur. Sic *Despondisse* animum quoque dicitur, vt despondisse filiam; quòd suæ spontis statuerat finem. à qua, *Sponte dicere*, cùm spondere quoque dixerunt, cùm à sponte responderetur, id est, ad voluntatem rogantis. Itàque qui ad id, quod rogatur, non dicit, non respondet: vt non respondet ille statim, qui dixit spondeo, si iocandi caussa dixit, neque *agi* potest cum eo *ex sponsu*. Ita quisquis dicit in tragœdia, Meministíne te despondere mihi gnatam tuam? quod sine sponte sua dixit, cum eo agi non potest *ex sponsu*. Etiam *Spes* à sponte potest esse declinata, quòd tum *sperat*, tum quod vult, sic fieri putat. nam quod non volt, si putat; metuit, non sperat. Itaque hic quoque qui dicit in Astraba Plauti, Sequere, adsequere Polyba, disce: meam spem cupio consequi. Sequor Hercule quidem. nam libenter mea *sperata* consequor. Et quod sine sponte dicunt: vere neque ille sperat qui dicit adolescens, neque illa *sperata* est. *Sponsor*, & præs, & vas: neque idem, neque res à quibus ij, sed dissimiles. Itaque *Præs*, qui à magistratu interrogatus in publicum vt præstet: à quo & cùm respondet, dicitur Præs. *Vas* appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat. Consuetudo erat, cùm reus parum esset idoneus, incepteis rebus, vt pro se alterum daret: à quo caueri postea lege cœptum est, ab heis, qui prædia venderent, *vades ne darent*. Ab eo scribi cœptum in lege mancipiorum: *vadem ne posceret, nec dabitur*. ¶ *Canere*, & *canis*, & *Succinit*, & *Cantus*, & *Cantio*, ex camena, permutato N. ab eo quod semel canit; si sæpius, cantat. hinc *Cantitat*, item alia, nec sine canendo *tibicines* dicti. Omnium enim horum quid à canere. etiam *Bucinator* à vocis similitudine & cantu dictus. ¶ *Oro* ab ore, & *Perorat*, & *Exorat*, & *Oratio*, & *Orator*, & *Osculum* dictum. Inde *Omen*, & *Ornamentum*. alterum quod ex ore primum elatum est, Osmen dictum; alterum cum præpositione dicitur nunc ornamentum, olim osnamenta: vt scenici pleriq; dicunt. Hinc *Ostines* dicuntur apud augures, quòd ore faciunt auspicium.

8 ¶TERTIVM gradum agendi dicunt, vbi quid faciunt: in eo propter similitudinem *agendi*, & *faciendi*, & *gerendi*. quidam error heis qui putant esse vnum. Potest enim aliquid facere, & non agere: vt *poeta facit fabulam*, & non agit: contrà *actor agit*, & non facit, & sic *à poeta fabula fit*, & non agitur; *ab actore agitur*, & non fit. Contrà *imperator qui dicitur res gerere*: in eo neque agit, neque facit, sed gerit, id est sustinet, translatum ab heis qui honera gerunt, quòd sustinent. Proprio nomine dicitur *Facere* à facie, quòd rei, quam facit, imponit faciem. vt *fictor* cùm dicit Fingo, figuram imponit: cùm dicit *Informo*, formam: sic cùm dicit *Facio*, faciem imponit: à qua facie discernitur, vt dici possit aliud esse vestimentum, aliud vas. Sic enim quæ fiunt apud fabros, fictores, item apud alios alia. Qui quid administrat, cuius opus non extat, quod sub sensum veniat, ab agitatu, vt dixi, magis *agere* quàm facere putatur. sed quòd heis magis promiscuè quàm diligenter consuetudo est vsa, translatitiis vtimur verbeis. Nam & quidem *Facere verba* dicimus, & qui aliquid agit, non esse insitientem. ¶ Qui *adducet*, dicitur Lucere ab luce: & luce dissoluuntur tenebræ, ab luce *Noctiluca*. *Lucere* item à luce, quòd propter lucem cultus institutus. *Adquirere* est ab ad & quærere: ipsum *Quærere*, ab eo quòd, quæ res vt recuperaretur, datur opera: à quærendo *Quæstio*: ab heis *Conquæstor*. ¶ *Video*, à visu: quinque enim sensuum maximus est in oculeis. Nam cum sensus est nullus, quod abest mille passus, sentire possit oculorum sensus visúsque ad stellas peruenit. Hinc *Visenda*, *Vigilant*, *Peruigilium*, & *Inuident*. & Actiacum illud Obliuio lauet, quod incidit inui

dum. à quo etiam *Violauit* virginem, pro vitiauit, dicebant. Æquè eadem modeſtia potius Cum muliere fuiſſe, quàm Concubuiſſe, dicebant *Cerno*, idem valet. Itaque pro video, vt ait Ennius. Lumen, iubárve in cælo cerno? C. Annius, Senſúmque ineſſe & motum in membreis cerno. Dictum *Cerno*, à creo, id eſt à creando: ab eo quod, cum quid creatum eſt, tunc denique videtur. Hinc *fines capillorum diſcripti*, quòd finis videtur diſcrimen, & in teſtamento, id eſt, facito videant te eſſe hæredem. Itaq; in cretione adhibere iubent teſtes. Ab eodem eſt quod ait Medea. Ter ſub armeis malim *vitam cernere*, quàm ſemel modo parere. Quod vt decernunt de vita eo tempore multorum, videatur vitæ finis. *Spectare* dictum ab Specio antiquo; quo etiam Ennius vſus, Vos epulo poſtquam ſpexit. Et quod in auſpiciis diſtributum eſt: qui habeant *Spectionem*, qui non habeant, & quod in auguriis augures dicunt, *auem ſpecere*. Conſuetudo autem communis, quæ cum præuerbiis coniuncta ſunt, etiam nunc ſeruat: vt *Aſpicio*, *Conſpicio*, *Reſpicio*, *Suſpicio*, *Deſpicio*: ſic alia. In quo etiam *Exſpecto*, quod ſpectare volo. Hinc *Specula*: hinc *Speculum*: quod in eo ſpecimus imaginem, *Specula*, de qua proſpicimus. *Speculator*, quem mittimus ante, vt reſpiciat quæ volumus. Hinc, quo oculos inungimus, quibus ſpecimus, *Specillum*.

¶ Ab auribus videntur dicta verba, *Audio*, & *Auſculto*, *audio*, ab aueo, quòd auribus auemus diſcere ſemper. quod Ennius videtur etymon oſtendere velle in Alexandro, cùm ait, Iamdudum ab ludeis animus atque aures auent, auidè expectantes nuntium. Propter hanc aurium auiditatem theatra replentur. Ab audiendo etiam *Auſcultare* declinamus; quòd hi auſcultare dicuntur qui auditeis parent, à quo dictum poetæ, audio, aut auſculto. ¶ Litteræ commutatione dicitur *Odor*, olor, hinc *Olet*, & *Odorari*, & *odoratur*, & *Odora res*. ¶ Sic ab ore, edo, ſorbeo, bibo, poto. *Edo* à Græco ἔδω. Hinc *Eſculentum*, & *Eſca*, *Edulia*: & quod Græcè γεύεϑαι, Latinè *Guſto*, *Sorbere*, item *Bibere*, à vocis ſono: vt *Feruere aquam* ab eius rei ſimili ſonitu. Ab eadem lingua πόνω, vnde *Potio*, vnde *Poculum*: *Potatio*, *Repotatio*: itidem *Puteus*, quòd ſit Græcum antiquum non vt nunc φρέαρ dictum.

¶ A manu *Manupretium*: *Mancipium*, quod manu capitur. Cùm iungit plures manus, *Manipulus*. vnde *Manipularis miles*, vnde *Manica*, *Manubrium*, quòd manu teneatur. *Mantelum* quaſi manuterium, vbi manus terguntur.

9 ¶ Nunc primùm ponam de cenſoriis tabuleis. Vbi noctu in templum cenſura auſpicatur, atque de cælo nuntium erit: præconi ſic imperato, vt viros vocet, *Quod bonum fortunatum, fœlixq; ſalutareq; ſiet populo Romano Quiritium, reiq; publicæ populi Romani Quiritium, mihiq;, collegæq; meo, fidei, magiſtratuique noſtro, Omnes Quirites, pedites, armatos, priuatosq;, curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe ſine altero dare rationem volet, voca inlicium huc ad me.* Præco in templo primùm vocat, poſtea de mœreis item vocat. Vbi lucet, cenſor, ſcribæ, magiſtratus murrha, vnguenteis vnguntur. Vbi prætores, tribunique plebei, quique in conſilium vocati ſunt, venerunt: cenſores inter ſe ſortiuntur, vter luſtrum faciat, vbi templum factum eſt. Poſt autem conuentionem habet qui luſtrum conditurus eſt. In commentariis conſularibus ſcriptum ſic inueni, Qui exercitum imperaturus erit, accenſo dicit hoc, *Calpurni voca inlicium omneis Quirites huc ad me.* Accenſus dicit ſic, *Omnes Quirites inlicium viſite huc ad iudices.* C. Calphurnius dicit, *Voca ad conuentionem omneis Quiriteis huc ad me.* Accenſus dicit ſic, *Omnes Quirites ite ad conuentionem huc ad iudices.* Deinde conſul loquitur ad exercitum, *Impero qua conuenit ad comitia centuriata*. Quare hîc accenſo, illic præconi dicit, *hæc eſt cauſſa*, in aliquot rebus idem vt præco, *accenſus* accipiebat. à quo Accenſus quoque dictus. Accenſum ſolitum ciere Bœotia oſtendit: quam comœdiam alij eſſe dicunt: hoc verſu, Vbi primùm accenſus clamari meridiem. Hoc idem Coſconius in actionibus ſcribit, prætorem accenſum ſolitum tum eſſe iubere, vbi ei videbatur horam eſſe tertiam, *inclamare horam eſſe tertiam*, *itemq; meridiem*, *& horam nonam.* Circum aras mitti ſolitum, quom inliceret populum in eum locum vnde vocare poſſet ad conuentionem vocantis, non ſolùm ad conſulis & cenſoris ſed etiam quæſtoris, vt commentarium indicat vetus inquiſitionis M. Sergij Mani filij quæſtoris, qui capitis accuſauit Trogum, in qua ſic eſt, *Auſpicio orando ſede in templo auſpicij, dum aut ad prætorem aut ad conſulem mittat auſpicium petitum commeatum. prætores vocet ad te, & eum de mœreis vocet: præconi id imperare oportet, cornicinem ad priuati ianuam, & in arcem mittas, vbi canat collegas T. Trogi, & comitia edicat è roſtreis. argentarij tabernas occludant: patres cenſeant, exquiras & adeſſe iubeas. magiſtratus cenſeant ex ara conſules, prætores, tribunóſque plebei collegaſq; ſuos, & in templo iubeas adeſſe homineis, ac, cùm mittas concionem aduoces.* In eodem commentario acquiſitionis ad extremum ſcriptum caput edicti hoc eſt. *Item quod attingat, qui de cenſoribus claſſicum ad comitia centuriata redemptum habent, vti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce claſſicus canat tum circumq; mœres, & ante priuati huiuſce T. Quinctij Trogi ſceleroſi hominis hoſticum canat, & vt in campo cùm prima luci adſit.* Et inter id cùm circum mœros mittitur, & cùm concio aducatur, intereſſe tempus, apparet ex heis quæ

interea fieri inlicium ſcriptum eſt. Sed ad comitia tum vocatur populus: ideó quòd alia de cauſſa hic magiſtratus non poteſt exercitum vrbanum conuocare: cenſor, conſul, dictator, interrex poteſt. quòd cenſor exercitu centuriato conſtituit quinquennalem cùm luſtraret, & in vrbem *ad vexillum* ducere debet. dictator & conſul in ſingulos annos: quòd hic exercitui imperare poteſt quò eat, id quod propter centuriata comitia imperare ſolent. Quare non eſt dubium cùm hoc inlicium ſit, cùm circum muros itur, vt populus inliciatur ad magiſtratus conſpectum, quòd conſul vocare poteſt in eum locum vnde vox ad conuentionem vocantis exaudiri poſſit. Quare vna origine *Inlicio* & *Inlicius*, quòd in choro Proſerpinæ eſt: & *Pellexit* quòd in Hermiona eſt, cùm ait Pacuuius, Regni alieni cupiditas pellexit. Sic *Elicij* Iouis ara in Auentino, ab eliciendo. Hoc nunc aliter fit atque olim, quòd augur conſuli adeſt tum cùm exercitus imperatur, ac præit quid eum oporteat dicere. Conſul auguri imperare ſolet vt inlicium vocet, non accenſo, aut præconi. Id inceptum credo, cùm abeſſet accenſus, & nihil intererat cui imperaret; & *dicis cauſſa* fiebant quædam, neque item facta, neque item dicta ſemper. Hoc ipſum Inlicium ſcriptum inueni in M. Iunij commentariis: quod tamen ibidem eſt quod illicite illexit, Quæ cum E, & C, cum G, magnam habent communitatem.

20 ¶ Sed quoniam in hoc de pauceis rebus verba feci multa: de pluribus rebus verba faciam pauca, & potiſſimum, quæ in Græca lingua putant Latina. vt Scalpere, σκαλεύειν: Sternere, στορνύειν: Lingere, λείχειν. Ferre, φέρειν: Prouidere, προϊδεῖν: Errare, ἐρύειν. quæ omnia Græca ſunt. Item ab γίγνομαι, Gigno, & ab eo quod dicunt στραγγαλίζειν, Strangulare: Tingere, θιγγάνειν. Præterea ab eo quod nos Malaxare, illi μαλακίζειν, Potare, ποτίζειν, Domare δαμᾶν, Mulgere ab ἀμέλγειν. vt Runcinare à runcina, cuius origo Græca ῥύγχος.

11 ¶ Qvod ad originem verborum huius libri pertinet, quoniam ſatis multas arbitror poſitas huius generis, deſiſtam. Et quoniam de hiſce rebus treis libros ad te mittere inſtitui: de oratione ſoluta duos, de poetica vnum: & ex ſoluta oratione ad te miſi duos, priorem de loceis, & quæ in loceis ſunt, hunc de temporibus, & quæ cum heis ſunt coniuncta. deinceps in proximo de poeticeis verborum originibus ſcribere inſtitui.

EPITOME LIBRI SEXTI.

In quo de vocabuleis locorum, Temporum & quæ in loco aut tempore: eorumq́; origine ex Poetis.

¶ Præfatio 1. De loceis 2. De his qui in loco 3. De Temporibus 4. De his quæ tempus adſignificant, ſeu de verbis, aduerbiis, & verbalibus 5. Priſca quædam vocabula ex Poetis 6. Concluſio 7.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA LIBER SEXTVS,

AD M. TVLLIVM CICERONEM.

TEmporvm vocabula, & eorum quæ coniuncta ſunt, aut in agendo fiunt, aut cum tempore aliquo enuntiantur, priore libro dixi. In hoc dicam de poeticeis vocabuleis, & eorum originibus. In queis multa difficilia. nam verbum, quòd conditum eſt, & quibus littereis oportet ſcribi, aperiam. Inde ſi poſt aliqua dempta ſit, obſcurior fit voluntas, in poſteriores non reprehendenda. Igitur in illeis qui in ſcrutando verbo litteras adiiciunt aut demunt, facilius quid ſub ea voce ſubſit, videre poſſint. Etenim facilius obſcuram operam Myrmecidis ex ebore oculi videant, ſi extrinſecus admoueant nigras ſetas. cùm hæc adminicula addas ad eruendam voluntatem impoſitoris: tamen latent multa. Quòd ſi poetice in carminibus ſeruaret multa priſca, quæ eſſent: ſic etiam cur eſſent, poſuiſſet: fecundus poemata ferrent fructum. Sed vt in ſoluta oratione, ſi in poemateis verba omnia quę habent ἔτυμα, poſſunt dici, nec multa ab eo quòd non erunt in lucubratione litteræ proſecutæ: licèt multum legerent C. Ælij hominis in primo in littereis Latineis exercitati interpretationē carminum ſaliorum: videbis & exili littera expeditā: & præterita obſcura multa. Nec mirum, cùm non modò Epimenides poſt annos quinquaginta expeditus à multeis non cognoſcatur, ſed etiam Teucer Liuij poſt annos duodecim ab ſueis qui ſit ignoratur. Ad hoc quid ad verborum poeticorum ætatem? quorum ſi Pompilij regnum fons in carminibus ſaliorum, neque ea à ſuperioribus accepta: tamen habent ſeptingentos annos. Quare, cur ſcriptoris induſtriam reprehendas, qui herois tritauum atauúmq; non

potuerit reperire, cum ipse tui tritaui matrem non possis dicere? Quod interuallum multo tanto propius nobis, quam hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima verba poetica dicuntur Latina. Igitur de originibus verborum qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quàm qui aliquid nequiuerit, reprehendendũ. præsertim cùm dicat etymologice, non omnium verborũ posse dici caussas: vt quia quare ad medendum medicina. neque si non norim radices arboris, non possem dicere pirum esse ex ramo, ramum ex arbore, eam ex radicibus quas non video. Quare qui ostendit equitatum esse ab equitibus; equites ab equite, equitem ab equo: neque equus vnde sit dicit: tamen hic docet plura, & satisfacit grate. Quem imitari possumus, vt ipse liber erit indicio.

2 ¶ Dicam isto libro de verbeis quæ à poeteis sunt posita. Primùm de loceis: deinde de iis quæ in loceis sunt: tertio de temporibus: tum quæ cum temporibus sunt coniuncta, vtque cum heis sunt coniuncta, adiungam, & siquid excidit ex hac quadripartitione, tamen in ea vt comprehendam, incipiam hinc. Vnus erit quem tu tolles in cærula cæli templa. *Templum* tribus modeis dicitur, ab natura: ab auspicio, ab similitudine. Natura in cælo ab auspiciis, in terra: ab similitudine, sub terra. *In cælo templum dicitur*: vt in Hecuba, O magna templa cæli tum commixta stelleis splendideis. *In terra*, vt in Periboea, Scrupea saxa Bacchi templa prope adgreditur. *Sub terra*, vt in Andromacha, Acherusia templa alta Orci saluete infera. quam quia initium erat oculis, à tuendo primò *templum* dictum, quocirca cælum qua tuimur, dictum templum. Sic, Contremuit templum magnum Iouis altitonantis. id est (vt ait Næuius in Hermispherio) vbi terra cærulo septum stat. Eius *templi partes quatuor*: sinistra ab oriente, dextra ab occasu: antica ad meridiem, postica ad septentrionem. *In terreis* dictum *templum* locus augurij aut auspicij caussa quibusdam conceptes verbeis finitus. Concipitur verbeis non iisdem vsquequaque. In arce ita, *Testaq; meta sunto, quoad ego eas relinquum, nuncupauero. Olla ver arbor, quicquid est, quam me sentio dixisse, templum tectumq; ferto in sinistrum. Olla ver arbor, quicquid est quod me sentio dixisse, templum tectumq; ferto in dextrum. Interea concretione, conspicione, cortumione, vtique ea rectissime sensi.* In hoc templo faciundo arbores constitui fines apparet, & intra eas regiones qua oculi conspicient, id est tuimur: à quo *templum* dictum, & *Contemplare*. vt apud Ennium in Medea, Contempla, & templum Cæreris ad læuam aspice. Contemplare & *Conspicare* idem esse apparet. ideo dicere cum templum faciant augures, *Conspicione*, qua oculorum conspectum finiant: quòd cùm dicunt conspicionem, addunt *Cortumionem*, quæ dicitur à cordis visu. Cor enim, cortumionis origo. Quod addit templa vt sint dextra: aiunt sancta esse, qui glossas scripserunt. Id est falsum. nam curia Hostilia templum est, & sanctum non est, sed hoc vt putarent ædem sacram esse templum & sanctum esse: quòd in vrbe Roma pleræque ædes sacræ sunt templa, eadem sancta. ¶ Et quòd loca quædam agrestia, quòd alicuius dei sunt, dicuntur *Tesca*. Nam apud Actium in Philoctete, Lemnia quis tu es mortalis, qui in diserta & tesca te apportes loca: Loca enim, quæ sunt, designat cum dicit Lemnia. Præstolare, & celsa Cabirum delubra tenes, mysteriáque pristina casteis concepta sacreis. Deinde Volcania templa sub ipseis collibus: in quos delatus locos dicitur, alto ab limine cæli. Et Næuius, Expirante vapore vides vnde ignes cluet mortalibus diueis. Quare heic qui tesca, dixit, non errauit. neque ideo quòd sancta: sed quòd ibi mysteria fiunt, ac tuentur, Tuesca dicta, post tesca. *Tueri* duo significat, vnum ab aspectu, vt dixi: vnde est illud, *Tueor te* senex proh Iuppiter? Et, Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri? Alterum à curando ac tutela: vt cùm dicimus, *Bellum tueor*, & *tueri villam*. à quo etiam quidam dicunt illum qui curat ædes sacras, *Æditumum*, non Æditumum. Sed tamen hoc ipsum ab eadem profectum est origine, quòd quem volumus domum curare, dicimus. Tu domi videbis vt Plautus, cum ait, Intus para, cura, vide quod opus fiat. Sic dicta *Vestispica*, quæ vestem spiceret, id est, videret vestem ac tueretur. Quare à tuendo & *templa* & *tesca* dicta, cum discrimine eo quod dixi. Etiam inde idem, illud enim extemplo acceptum me negato & filium. *Extemplo*, est continuò: quòd omne templum debet circum septum, nec plus quam vnum introitum habere. ¶ Quod est apud Actium Peruade polum, splendida mundi sidera bigeis continueis secepit spoliis. *Polus*, Græcum: id significat circuitum cæli. Quare quod est *Peruade polum*, vade per polum. *Signa* dicuntur eadem & sidera. Signa, quòd aliquid significent, vt libra, æquinoctium. *Sidera*, quæ insidunt: atque ita significant aliquid in terreis perurendo, aliúdue. Quare & signum candens in Hectore. Quod est terrarum amfracta reuisam. *Amfractum* est ab origine flexum duplici, dictum ab ambitu, & frangendo ab eo leges iubent in directo pedum octo esse, in amfracto sexdecim: id est, in flexu. ¶ Ennius, Vt tibi Titanis Triuia dederit stirpem liberûm. Titanis Triuia Diana est, ab eo dicta *Triuia* quòd in triuio ponitur ferè in oppideis Græceis. vel quòd luna dicitur esse, quæ in cælo tribus viis moue-

moue-

mouetur, in altitudinem & latitudinem & longitudinem. *Titanis* dicta quòd eam genuit Titani filia Latona, vt scribit Manilius, Creta Titano. vt idem scribit, Latona parit casto complexu Iouis Deli deos geminos, id est, Apollinem & Dianam. ¶Idem de eodem, O sancte Appollo, qui vmbilicum certum terrarum obtines. *Vmbilicum* dictum aiunt ab vmbilico nostro: quòd is medius locus sit terrarum, vt vmbilicus in nobis. Quod vtrunque est falsum. neque hic locus est terrarum medius: neque noster vmbilicus, est hominis medius. Itaque pingitur qui vocatur ἰχθὺν à Pythagora: vt media cæli ac terræ linea ducatur infra vmbilicum, per id quo discernitur homo, mas an femina sit: vbi ortus humanus similis vt in mundo. Vbi enim omnia nascuntur in medio, quòd terra mundi media. Præterea si quod medium, id est vmbilicus vt pila terræ: non Delphis medium, & terræ & medium non hoc: sed quod vocant Delphis in æde foramen, adlatum est quiddam, vt thesauri speciem, quod Græci ὀμφαλὸν, vmbilicum dixerunt.

¶Pacuuius, *Calydonia* altrix *terra* exuberantium virum. Vt ager Tusculanus, sic Calydonius, ager est, non terra, sed lege poëtica, quòd terra Ætolia, in qua Calydon, à parte totam accipi Ætoliam voluit. ¶Actius, *Mystica* ad dextram per vada vecti, Mystica à mysterijs, quæ ibi in propinqueis locis nobilia sunt. ¶Ennius, *Areopagitæ* quid dedere aliud quàm pedam? Areopagitæ ab Areopago, is locus Athenis. ¶Musæ quæ pedibus magnum pulsatis *olympum*, Cælum dicunt Græci olympum, montem eum in Macedonia omnes: à quo potius puto dictas musas *Olympiadas*. Ita enim ab terrestribus loceis cognominatæ *Libethrides, Pipleides, Pimpliades, Thespiades, Heliconiades.* ¶Quasi Hellespontum, & *claustra*: quòd Xerxes quondam eum locum clausit. Nam, vt ait Ennius, Iique Hellesponto pontem contendit in alto. Nisi ab eo quod Asiam & Europam ibi concludit mare, & inter angustias facit Propontidis fauces. ¶Pacuuius, Liqui in Ægeo freto. Dictum *Fretum* à similitudine feruentis aquæ: quòd in fretum sæpe concurrat æstus, atque efferuescat: *Aegeum* dictum ab insuleis, quòd in eo mari sic scopuli vocantur, à similitudine caprarum. αἶγες. ¶Pacuuius. (Æges) ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus. *Aequor* mare appellatum, quòd æquatum, cum motum vento non est, *Ratis* nauis longa dicitur: vt Ennius, cùm ait, Conferre aut ratem æratam qui perit, & qui dum mare sudantes eunt, atque sedentes. Ratis dicta nauis longa propterremos, quòd hi cùm per aquam sublati sunt dextra & sinistra, duas parteis efficere videntur. rati enim, vnde hoc translatum, illic vbi plures mali aut asseres.

* *Deest pagina.* *

3 Agrestis ab agro. *Insulas* dictas apparet in hosteis, quòd velamenta è lana quæ addũtur, Insulæ, intra hostiarium cornua velamenta erant, itaque cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas, sed velatas frondenteis comas. *Cornuatam* vmbram iaci. Dicere apparet cornuatum à cornibus. *Cornua* à curuore dicta, quòd pleraque curuamus. ¶At quas memorat nosse vos esse *Casmenas*. Casmenarum priscum vocabulum, ita natum atque scriptum est: alibi Carmenæ, ab eadem origine sunt declinatæ: vt in multeis verbeis, in quo antiqui dicebant S, postea dicunt R, vt in carmine saliorum sunt hæc, Cosauli, Dolosi, Eso. Omnia verò adpatula coemisse. Iam Cusiatij, Muses, Ruse, dúmque Ianus venet: post Melios, Melior: Fœdesum, Fœderum: Plusima, Plurima: Asena, Arena: Ianitos, Ianitor. Quare Casmena, Carmena: inde *carmina*. R postea extrito camena factum. Ab eadem voce canite, pro quo in saliari carmine scriptum est *Cante*, hoc versu, *Diuum exta cante, diuum deo supplice cante.* In carmine priami apud Actium, quod est, Veteres casmenas *cascas* res volo profari. Et primùm *Cascum* significat vetus. eius origo Sabina, quæ vsque radices in Oscam linguam egit Cascum, vetus esse significat Ennius, cùm ait, Quam primum casci populi genuere Latini. Eo magis Manilius quod ait, Cascum duxisse cascam non mirabile est, quoniam canoras conficiebant nuptias. Item ostendit Papinij epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam,

Ridiculum est cùm te Cascam tua dicit amica
Casca Philotonis, ipsæ senex puerum.
Dic tu illam pusam: sic fies mutua muli.
Nam verè pusus tu, tua amica senex.

Item ostendit quod *oppidum* vocatur *Cassinum*: Hoc enim à Sabineis orti Samnites tenuerunt, & nunc nostri: vnde & *Cassinum forum* vetus. Item significant in Atellaneis aliquot pupum senem, quòd Osci *Casnar* appellãt. ¶Apud Lucilium, Quid tibi ego *ambages* Ambiui scribere coner? Profectum à verbo Ambe, quod est in *ambitu* & *ambitioso*. Apud Valeriũ Soranum, Vetus *adagio* est, ô P. Scipio. Quod verbum vsque eò euanuit, vt Græcum παροιμία pro eo positum, magit sit apertum. Nam idem quod vocant Græci παροιμίαν vt, Auribus lupum teneo. Canis caninam non est. Adagio, & littera commutata Abagio, dicta ab eo quòd ambit orationem: neque in aliqua vna re consistit sola. *Ambagio* dicta vt Ambustum, quod circum vstum est. vt *Ambiegna* bos apud augures, quam circum aliæ hostiæ constituuntur. ¶Cùm tria sint coniuncta in origine verborum, quæ sint animaduertenda, à quo sit impositum, & in quo, & quid: sæpe non minus de tertio quam de primo dubitatur, vt in

hoc : vtrum primùm *vna Canis* an *Canes* sit appellata. dicta enim apud veteres *vna canes.* Itaque Ennius scribit, Tantidem quasi fera canes sine dentibus latrat. Lucilius, Nequam & magnus homo, laniorum immanis canes vt. Impositio vnius debuit esse canis, plurium canes. Sed neque Ennius consuetudinem illam sequens, est reprehendendus: neque is qui nunc dicit, Canis caninam non est. *Canes*, quòd latratu signa dant, vt signa canant, canes appellatæ: & quòd ea voce indicant quæ noctu latent, *Latratus* appellatus. Sic dictum à quibusdam vt vna canes, vna trabes remis rostrata per altum. ¶Ennius, Vtinam ne in nemore Pelio securibus Cæsa abcidisset abiegna ad terram *trabes.* Cuius verbi singularis casus rectè correptus, ac facta trabs. ¶In Medo Ennius, Cælitum *Camilla* expectata aduenis, salue hospita Camilla: qui glossemata interpretati, dixerunt administram; addi oportet, in heis quæ occultiora. Igitur dicitur in nuptijs *Casmillus*, qui cum merum fert, in quo quid sit in ministerio plerique extrinsecus nectunt. hinc *Casmillus* nominatur in Samothraces mysterjis Dius quidam administer dijs magneis. Verbum Græcum arbitror*, quod apud Callimachum in poemateis eius inueni. ¶Apud Ennium *Subulo* finitimas propter astabat aquas: Subulo dictus, quòd ita dicunt tibicines Tuscii quocirca radices eius in Etruria non Latio quærendum est. Versus quos olim *Fauni* vatésque canebant. Fauni, dei Latinorum, ita vt Faunus & Fauna sint in versibus quos vocant Saturnios: in siluestribus loceis traditum est solitos fari. à quo fando Faunos dictos. Antiquos poetas *Vates* appellabant à versibus viendeis, vt in poemateis cùm scribam, ostendam. Corpore *Tartarino* prognata paluda virago. Tartarino, à Tartaro dictum. Plato in quarto de fluminibus, apud inferos quæ sint, in heis vnum Tartarum appellat: quare *Tartari* origo Græca. *Paluda* à paludamentis. Sunt hæc insignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cùm exit imperator, ac lictores mutant vestem, & signa incinuerunt: *Paludatus* dicitur profisciscì: quæ, propterea quòd conspiciuntur qui ea habent, ac fiunt palàm, *Paludamenta* dicta. ¶Plautus, *Epeum fumicum* cocum: ab Epeo illo qui dicitur ad Troiam fecisse equum Troianum Argiueis, & aptè cibum curasse. ideo ait Epeum fumificum qui legioni nostræ habet coctum cibum. ¶Apud Ennium, Atque prius pariet locusta *lucam bouem.* Luca bos, elephas. cur ita sit dicta duobus modeis inueni scriptum. Nam & in C. Ælij commentario erat, à Libyceis Lucas: & in Verginij commentario, ab Lucaneis Lucas: ab eo quòd nostri cùm maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bouem: & in Lucaneis Pyrrhi bello primum vidissent apud hosteis elephantos, id est quadrupedes cornutas (nā quos dentes multi dicunt, sunt cornua) lucam bouem appellasse. Si à Libya dictæ essent lucæ; pantheræ & leones, non Africanæ bestiæ dicerentur, sed lucæ. Si ab Lucaneis dictæ: vt si cur potius Lucani quam Luci dicti? Quare ego arbitror potius Lucas ab luce, quòd longe relucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatæ erant turres. Ennius, *Orator* sine pace redit, regíque refert rem. Orator ab oratione dictus. qui enim verba haberet orationum publicè aduersus eum quo legebatur ab oratione Orator dictus: cùm res maiore ratione legebantur potissimum, qui caussam commodissimè orare poterant. Itaque Ennius ait, Oratores doctiloqui. Apud Ennium *Olli* respondet suauis sonus Egeriai. Olli valet dictum illi, ab olla, & ollus. quod alterum comitijs cum recitatur, à præcone dicitur olla centuria; non illa: alterum apparet in funeribus indictiueis, quum dicitur *Ollus leto datus est.* quod Græcus dicit λήθῃ, id est obliuioni. Apud Ennium, Mensas constituit, idémque *ancilia.* Ancilia dicta ab ancisu, quòd ea arma ab vtraque parte, vt peltæ Thracum, incisa. ¶Saturnio in carmine, *Libáque,* fictores, Argeos, & tutulatos. Liba quòd libādi caussa fiunt: *Fictores* dicti à fingendeis libeis: *Argei* ab Argis Argei fiunt è scirpeeis virgulteis, simulacra sunt hominum triginta: ea quotanneis à ponte sublicio à sacerdotibus publicè iaci solent in Tiberim. *Tutulati* dicti hi qui in sacreis in capitibus habere solent, vt metam. id Tutulus appellatur, ab eo quòd matres familias crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent vti velatos, dicunt Tutulos: siue ab eo quòd tuendi caussa capilli fiebant: siue ab eo quòd altissimum in vrbe quòd est, ea res tutissima, Tutulus vocatur. Eundem Pompilium Numam ait fecisse *flamines*, qui cùm omnes sint à singuleis deeis cognominati in quibusdam apparent etyma. vt cur sit *Martialis*, *Quirinalis.* Sunt in quibus flaminum cognominibus latent origines: vt qui sunt in versibus plerique, *Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis*: obscura est eorum origo. Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pomona pomorum patrona. Apud Ennium, Iam *cata* signa ferè sonitum dare voce parabant. Cata, acuta. hoc enim verbo Sabini dicunt: quare Catus Ælius Sextus, non (vt aiunt) sapiens, sed acutus, & quod est, tunc cœpit memorari. *Simul cata dicta*, accipienda acuta dicta. Apud Lucilium, *Thynno capto cornum* excludunt foras: occidúntque *lupos* aperdite, & iura *siluri.* Sumerete atq; amiam. Piscium nomina sunt, eorúmque in Græcia origo. ¶Apud Ennium, Quæque cæruleo freto orta nare cœpta.

* *Desunt quædam.*

Caua *cortina* dicta, quòd est inter terram & cælum ad

lum ad similitudinem cortinæ Apollinis: ea à corde, quòd inde sortes primùm æstimatæ.

¶ Apud Ennium, Qui inde inuicteis sumpserunt *perduellibus*. Perduelles sunt hostes. vt perficit, sic *perduellum*, *Duellum*: id postea bellum. Ab eadem caussa facta *Duellona*, *Bellona*. ¶Apud Plautum, Neque iugula, neque vesperugo, neque vergiliæ occidunt. *Iugula* signum est quod Actius appellat Oriona, cùm ait, Citius Orion patefit. huius signi caput dicitur è stelleis quatuor quas infra duæ claræ, quas appellant humeros. inter quas quod videtur iugulum: vnde Iugula dicta. *Vesperugo*, stella quæ vespere oritur, & quo etiam Opilius scribit vesperum. itaque dicitur, Alter vesper adest, quem dicunt Græci διέσπερον. ¶Næuius patrem suum optimum, appellat supremum. *Supremum* à supperrimo dictum. itaque in duodecim tabuleis. *Solis occasu diei suprema tempestas esto.* Libri augurum pro tempore *Tempestatem* dicunt, id est, supremum augurij tempus. ¶In Cornicula, Qui *regi latrocinatus* decem annos Demetrio. *Latrones* dicti à latere, qui circum latera habebant ferrum: quos postea à stipatione *Stipatores* appellarunt, & qui conducebantur mercede. Ea enim merces dicitur Græce λάτρον ϗ ὀψώνιον. Ab eo veteres poetæ nonnunquam milites appellant *latrones*, quod item vti milites cum ferro, aut quòd latent ad insidias faciendas. ¶Apud Næuium, Risi egomet cassabundum ire ebrium. *Cassabundum*, à cadendo. Item, *Diabathra*, in pedibus habebat, & erat amictus epicroco. Vtrumque vocabulum Græcum. ¶In Menæchmeis Plauti, Inter ancillas sedere iubeas, lanam *carere*. Idem est hoc verbum in Cosmotria Næuij. Carere à carendo, quòd eam tum purgant ac deducunt, vt careat spurcitia. Ex quo *Carminari* dicitur tum lana, cùm caret eo quod in ea est nequam. Est *lana quam* in Romulo *Næuius appellat Oscam*, ab Osceis. In Persa, Iam pol ille hic aderit credo congerro meus. *Congerro* à gerra, & Græcum est, & in Latina cratis. In Menæchmeis, Idem istuc alieis adscriptiueis fieri ad legionem solet. *Adscriptiui* dicti, quòd olim adscribebantur inermes, qui succederent armateis militibus: id est, si quis eorum deperisset. In Trinummo, Nam illum tibi *ferentarium*. à ferendo, id est inanem, ac sine fructu: aut quod Ferentarij equites his dicti, qui ea modò habebant arma, quæ ferrentur, vt iaculum, Huiuscemodi equites pictos vidi in Æsculapij æde vetere, & ferentarios adscriptos. In Friuolaria, Vbi rorarij estis? en sunt. vbi sunt accensi? ecce *Rorarij* dicti à rore: qui bellum committebant ante. ideo quòd ante rorat quàm pluit. *Accensos*, ministratores Cato esse scribit: potest id ab arbitrio: nam inde ad arbitrium eius, cuius minister. (Pacuuius deum triportenta in Mercatore ponit.) ¶Idem in Mercatore, Non tibi istuc magis diuidia est quàm mihi hodie fuit. hæc eadem in Corollaria Næuij. Diuidia à diuidendo dicta, quòd Diuisio distractio est doloris. Itaque in Curculione ait, Sed quid tibi est? lienes necant, renes dolent, pulmones distrahuntur. In Phagone, Honos *cyncerasto* perit. Synceractum est omne edulium antiquo vocabulo Græco. In Parasito pigro, Domum ire cœpi *tramite* dextra via. Trames à transuerso dictus. In Fugitiueis, Age, euge, specta, vide *vibices* quantas. Iam inspexi quid essent. Vibices, alij excitatum verberibus corpus. In Cistellaria, non quasi vt hæc sunt heic, *limaces* liuidæ. Limax à limo, quod ibi viuit. *Diobolares*, scæniculæ, miraculæ. Diobolares, à bineis oboleis: *Scænicula*, ab scæno nugario vnguento. *Miracula*, à mireis, id est monstreis. à quo Actius ait, Personas distortas oribus deformeis, *miriones* ¶Ibidem, Scrantiæ, scrupedæ, stritabillæ, Tantalæ. Ab screando *Scrantia* si adsignificat. *Scrupedam* Aurelius scribit Auscaripedam. Iuuentius comicus dicebat à vermiculo piloso, qui solet esse in fronde cum multeis pedibus. Valerius, à pede ac scrupea. Ex eo ab Actio rositum, Incuriosa itaque es Menalippe? Reijcis abs te religionẽ? scrupeã imponas. *Stritabilas*, à stritilando. *Stritare* ab eo qui sistit ægrè. In Astraba. *Actiosa* annonam è vili concinna vireis. Ideo in Sitelitergo idem ait, Mulieres vxorculauit: ego noui, scio actiosas. quas sic Claudius scribit actiosas demonstrari suspicatrices, ab agendo, actiosas. Vt ab vna faciendo, *Factiosa*: sic ab vna agendo, Actiosæ dictæ. In Cestione, *Cerastibola*. vt de lumbo obscænabis. Cerastibola Opilius scribit circũ coxendices sunt nobis: id Græcum est ab huius loci versura. In Neruolaria, *Scobinam* ego illam actutum adrasi. Scobinam, à scobe. lima enim materia fabrilis est. In Pœnulo, Vinceretis ceruum cursu, vel *grallatorem* gradu. Grallator à gradu magno dictus. In Truculento, Sine virtute argutum ciuẽ mihi habeam pro *præfica*. Præfica, vt Aurelius scribit, mulier ab luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes eius caneret. Hoc factitatum Aristoteles scribit in libro qui inscribitur, Nomina Barbarica, quibus testimonium est quod fretum est Næuij, Hæc quidem hercle opinor præfica est. nam mortuos conlaudat. Claudius scribit, dicta, quæ præficeretur ancilleis, quemadmodum lamentarentur, præfica est dicta. Vtrunque ostendit à præfatione Præficam dictã. ¶Apud Ennium, Decem *coclites*, quos montibus summeis ripeis sedere. Ab oculo Cocles quasi ocles dictus, qui vnum haberet oculum. quocirca in Curculione est, De coclitum prosapia te esse arbitror. nam hi sunt vnoculi.

4 Nvnc de temporibus dicam. Quod est apud Cassium, Nocte *intempesta* nostram deuenit domum: Intempesta nox dicta ab tempestate.

Tempestas ab tempore: *intempesta nox*, quo tempore nil agitur. Quid noctis videtur? in altissimo cæli clypeo temo superat stellas sublime cogens etiam atque etiam noctis iter. Hic multam noctem ostendere vult à temonis motu. Sed *temo* vnde & cur dicatur latet. Arbitror antiquos rusticos primùm notasse quædam in cælo signa, quæ præter alia erant insignia, atque ad aliquem vsum culturæ tempus designandum conuenire aduertebantur. E queis signa sunt, quod has septem stellas Græci, vt Homerus vocat ἅμαξαν & propinquum eius signum βοώτην; nostri eas septem stellas, boues, & triones, & prope eas axem. *Triones* enim, boues appellantur à bubulceis etiam nunc, maximè cùm arant terram: è queis vt dicti valentes, *Glebarij*, qui facilè proscindunt glebas: sic omnes qui terram arabant, à terrâ *Teriones*, vnde Triones, vt dicerentur à detritu. *Temo* dictus à tenendo: is enim continet iugum, & plaustrum appellatum, à parte totum, vt multa. Possunt *triones* dici septem, quòd ita sitæ stellæ vt terna trigona faciant. Aliquod lumen iubárve in cælo cerno? *Iubar* dicitur stella lucifer, quæ in summo habet diffusum lumen, vt leo in capite iubam. Huius ortus significat circiter esse extremam noctem. Itaque ait Pacuuius, Exorto iubare, noctis decurso itinere. Apud Plautum in Parasito Pigro, Inde hic bene potus primo crepusculo. *Crepusculum* dictum à Sabineis, & id dubium tempus, noctis an diei sit. Itaque in Condalio est, Tam crepusculo ferè vt ament lampadas accendere. Ideo dubiæ res Creperæ dictæ. In Trinummo, *Concubium* sit noctis prius, quam ad postremum perueneris. Concubium à concubitu, dormiendi caussa dictum. In Asinaria, Videbitur, factum volo. at redito conticinio. *Conticinium* puto à conticescendo dictum, siue (vt Opilius scribit) ab eo quòd conticuerunt homines.

5 ¶ Nvnc de heis rebus quæ adsignificant aliquod tempus, cùm dicuntur aut fiunt, dicam. ¶ Apud Accium, *Reciproca* tendens neruo equino concita tela. Reciproca est, cùm vnde quid profectum, redit eo: quod ab recipere *Reciprocare* fictum: aut quod poscere *Procare* dictum. ¶ Apud Plautum. Vt *transuersus* non prouersus cedit, quasi cancer solet. Dicitur ab eo qui in id quod est versus. & ideo qui exit in vestibulum, quod est ante domum, *Prodire*, & *Procedere* dicitur. quod cùm leno non faceret, sed secundum parietem transuersus iret dixit: Vt transuersus cedit, quasi cancer, non prouersus, vt homo. ¶ Apud Ennium, *Andromachæ* nomen qui indidit, rectè indidit. Item, Quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant. Imitari dum voluit Euripidem, & ponere etymon, est lapsus. Nam Euripides quòd Græca posuit, etyma sunt aperta. Ille ait ideo nomen additum Andromachæ quòd ἀνδρὶ μάχεται. hoc Ennij quis potest intelligere in versu significare, Andromachæ nomen qui indidit, rectè indidit? An Alexandrum ab eo appellatum in Græcia, qui Paris fuisset? A quo Herculem quoque cognominatum ἀλεξίκακον, ab eo quòd defensor esset hominum. ¶ Apud Accium, Iámque *auroram* rutilare procul cerno. Aurora dicitur ante solis ortum, ab eo quòd ab igne solis tum aureo aer aurescit. Quod addit *Rutilare* est ab eodem colore. Aurei enim *Rutili*; & inde etiam mulieres valde rufæ *Rutilæ* dictæ. ¶ Apud Terentium, Scortatur, potat, olet vnguentum de meo. *Scortari*, est sæpius meretriculam ducere: quæ dicta à pelle. Id enim non solùm antiqui dicebant Scortum, sed etiam nunc dicimus *Scortea* ea quæ ex corio & pellibus sunt facta. Inde aliquot sacreis ac sacelleis scriptum habemus, *Nequid scorteum adhibeatur*, ideo ne morticinium quid adsit. In Atellaneis licet animaduertere rusticos dicere se adduxisse pro scorto pelliculam. ¶ Apud Accium, Multeis nomen vestrum *numénque* ciendo. Numen dicunt esse imperium dictum ab nutu, omnia sunt eius, cuius imperium maximum esse videatur. Itaque in Ioue hoc, & Homerus, & aliquotiens Liuius. ¶ Apud Plautum, Si vnum *epityrum* edam apud illum esuriens insanè bene. Epityrum vocabulum est cibi, quo frequentius Sicilia quàm Italia vsa. Idem vehementer cùm vellet dicere, dicit *Insanè*: quod insani faciunt omnia vehementer. ¶ Apud Pacuuium, Flexanima tanquam *lymphata*. Dicitur à lympha Nympha: vt apud Græcos Thetis. Apud Ennium, Ea Thetis illi mater. In Græcia commota mente, quos νυμφολήπτους appellant: ab eo Lymphatos dixerunt nostri. *Bacchus* Liber, cuius comites Bacchæ: & vinum in Hispania Bacchi. origo in heis omnibus Græca. ¶ Apud Pacuuium. *Halcyonis* ritu littus peruolgans furor. Hæc enim auis nunc Græcè dicitur ἀλκυὼν, à nostreis Halcedo: hæc hieme quòd pullos dicitur tranquillo mari facere, eos *dies Halcyonios* appellant. Quod est in versu, Halcyonis *ritu* id est, eius instituto. vt cùm Haruspex præcipit, *vt suo quisque ritu sacrificium faciat*: & nos dicimus duodecim viros Græco ritu sacra, non Romano, facere. Quod enim fit *rite*, id ratum ac rectum: ab eo Accius rectè perfecteis sacreis vult accipi. ¶ Apud Ennium, Si voles aduortere animum, *comiter* monstrabitur. Comiter hilarè ac lubenter: cuius origo Græce κῶμος: inde Latina *comissatio* dicta, & à Græceis (vt quidam dicunt) *Comœdia*. Apud Atilium: Cape, cæde Lyde, come, conde. *Cape*, vnde Accipe. sed hoc in proximo libro retractandum. ¶ Apud Pacuuium, Nulla res neque *cicurare*, deque mederi potis est, neque reficere. *Cicurare*, mansuefacere. quod enim à fero discretum,

tum id dicitur *Cicur*: & ideo dictum, *Cicur ingenium* obtineo, mansuetum. à quo Veturij quoque nobiles cognominati *Cicurini*. Id natum à cico. *Cicum* dicebant membranam tenuem quæ est in malo Punico discrimen. à quo etiam Plautus dicit, Quod volet densum cicum non interduo. ¶Apud Næuium, Eccum venire video *ferme* iniuria. *Ferme* dicitur quod nunc fere. vtrunque dictum à ferendo, quòd id quod fertur, est in motu, atque aduentat. ¶Apud Plautum, *Euax iurgio* vxorem tandem abegi ab ianua. *Euax* verbum nihil significat, sed effutitium naturaliter est, vt apud Ennium, *Hehe* ipse clypeus cecidit. Apud Næuium, *Eheu* mea puella spe quidem is succensit tibi. Apud Pompilium, *Heu* qua me caussa fortuna infesta premis? Quod ait *Iurgio*, id est litibus. Itaque quibus res erat in controuersia, ea vocabatur *Lis*: ideo in actionibus videmus dici, *Quam rem siue litem* dicere oportet. Ex quo licet videre *Iurgare* ab iure dictum: cùm quis iure litigaret. à quo *Obiurgat* is qui id facit iniustè. ¶Apud Lucretium, Atque aliquos ibi ab rebus *clepsere* foro. Qui clepsere dixit, vnde etiam alij *Clepere*: id est corripere: quorum origo à clam, vt sit dictum *clapere*, & ex E, A commutato, vt multa, est factum clepere. Potest & à Græco dictum, *κλέπτειν*. ¶Apud Matium, Corpora Graiorum mærebar *mandier* igni. Dictum *Mandier* à mandendo, vnde manducari. à quo in Atellaneis obsonium vocant *Manducum*. Apud Matium, *Obsciani* interpres, funestique omnis auctor. *Obscænum* dictum ab scæna. ea vt Græci. vt Actius scribit, scena. In pluribus verbeis A ante E alij ponunt, alij non. vt quod partim dicunt *Scæptrum*, partim dicunt *Sceptrum*: alij *Fænus*, alij *Fenus*: sic *Fænisicia*, & *Fenisicia*. à quo rustici pappum *Mæsum*, non *mesum*. A quo Lucilius scribit, Cæcilius ne rusticus fiat. Quare turpe, id *obscænum*: quòd nisi in scæna palam dici non debet. Potest vel ab eo quod puereis turpicula res in collo quædam suspenditur, nequid obsit bonæ scæuæ caussa. inde *Scæuola* appellatus. Ea dicta ab scæua, id est sinistra: quòd quæ sinistra sunt, bona auspicia existimantur. A quo dicuntur comitia, aliúdve quid sit, dici aue sinistra, quæ nunc est. id à Græco est, quod hi sinistram vocant *σκαιὰν*. quare quod dixi scæuum, bonum omen est: obscænum verò, turpe. quod inde dicitur obscæne, quod exotericum. ¶Apud Plautum, Quia ego ante hac te amaui: & mihi amicam esse *creui*. valet, constitui. Itaque heres, cùm constituit se heredem esse, dicitur *Cernere*, cùm id fecit, creuisse. Apud eundem, Quo de sinu *frequentem* operam dedistis. valet adsiduam. Itaque qui adest, *adsiduus*: ferre quem quæ oportet, is *frequens*. opponi solet itaque. Illud quæ eædem mulierculæ dicunt, Pol istoc quidem nos pretio *tanti est frequentare*: ita in prandio nos lepidè ac nitide accepisti. Apparet dicere facile est, curare vt adsimus, cùm tam bene nos accipias. ¶Apud Ennium, Decretum est *fossare* corpora teleis. hoc verbum Ennij, dictum à fodiendo. à quo *Fossa*. Apud Ennium, Vocibus concide: fac siet obrutus.

Desunt quædam.

Mussare dictum, quòd muti non amplius quàm *μῦ* dicunt. à quo idem dicit, Quod minimum est, neque vt aiunt, *μῦ* facere audet. ¶Apud Pacuuium, Dij monerint meliora, atque amentiam *auerruncassint*. A vertendo *Auerruncare*: vt deus, qui ijs rebus præest, *Auerruncus*. Itaque ab eo precari solent vt pericula auertat. ¶In Aulularia, *Pipulo* te differam ante ædeis. id est conuicio, declinatum à pipatu pullorum. Multa ab animalium vocibus translata in homines: partim quę sunt aperta, partim obscura. Perspicua, vt Ennij, Animus cum pectore *latrat*. Plauti, *Gannit* odiosus omni totæ familiæ Cæcilij, Tantam rem *dibulare*, vt pro nihilo habuerit. Lucilij, Hęc inquam, *rudet* ex rostreis, atque *hinnitabat*. Eiusdem, Quantum *hinnitum* atque equitatum. Hæc minus aperta: Porcij ab lupo, volutare *vlulantis*. Ennij à vitulo, Tibicina maximo labore *mugit*. Eiusdem à boue, Clamore *bouantes*. Eiusdem ab leone, Pausam fecere *fremendi*. Eiusdem ab hœdo, Clamor ad cælum voluendus per æthera *vagit*. E à frendice, Frunde *frutimi* suauiter. M. Actius in Casina à fringuilla, Quid *fringuis*? quid istuc tam cupide cupis? sues auoluerat. Ita trude neque in re, neque in iudicium Æsopi, nec theatrales. ¶In Colace, *Nexum*. Manilius scribit, omne quod per libram & æs geritur, in quo sint mancipi: Mucius Scæuola, quæ per æs & libram fiant, vt obligentur, præterquam quæ mancipio dentur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quæritur. Nam idem quod obligatur per libram, neque suum fit, inde Nexum dictum. Liber, qui suas operas in seruitute pro pecunia, quam debeat, dum solueret, *Nexus* vocatur, vt ab ære *Obæratus*. Hoc C. Popilio rogante Sylla dictatore sublatum ne fieret, & omneis qui bonam copiam iurarent, ne essent nexi, dissoluti. ¶In Casina, Sine amet, sine, quòd lubet, id faciat: quãdo tibi nil domi *deliquium* est. Deliquium dictum ab eo quòd deliquatur: vt turbida quæ sunt, deliquantur, vt liquida fiant. Aurelius scribit deliquium esse à liquido: Claudius ab eliquato. Si quis alterutrum sequi malit, habebit auctorem Cæcilium, Per lætitiam liquitur animus. Aliquando liquitur fictum.

6 ¶Mvlta apud poëtas reliqua esse verba, quorum origines possunt dici, non dubito. vt apud Næuium in Esiona. Enimuero *gladij lingula* à lingua. In Clastidio, *Vitulantes* à vitula. in Dulorestе, *Caperata fronte*, à ca

fronte. In Demetrio, *Persibus* aperite. Itaque sub hoc glossema callide subscribunt. In Lampadione, *Protinam* à protinus continuitatem significans. In Agidone, *Candacus*, suauis: tametsi à magistreis accepimus mansuetum. In Romulo, *Sponsus*, contra sponsum rogatus. In Stigmatia, *Prabia* à præbendo, vt sit tutum: quòd sint remedia in collo puereis. In Therimo, *Conficti-tant*, à conficto conuenire dictum. ¶In Tarentilla Pacuuij, Ab luce *Inlustre*: In Tunicularia, *Exbolas quassant*, eiiciunt, à Græco verbo ἐκβολὴ dictum. In bello Punico, Nec satis *resarrire*, ab serra dictum, id est aperire. Hinc etiam *Sera*, quibus remoteis fores panduntur.

7 ¶Sed vereor ne plures sint futuri qui de hoc genere me quòd nimium multa scripserim, reprehendant: quàm quòd reliquerim quædam, accusent. ideo potius reprimendum quàm producendum puto esse volumen. Nemo reprehensus qui è segete ad spicilegium reliquit stipulam. Quare instituteis sex libreis, quemadmodum rebus Latina nomina essent imposita ad vsum nostrum, è queis treis scripsi P. Septimio, qui mihi fuit quæstor: treis tibi, quorum hic est tertius: priores de disciplina originis verborum: posteriores de verborum originibus: in illeis qui ante sunt, in primo volumine est, quæ dicantur, cur etymologicè neque sit neque ea vtilis sit: in secundo, quæ sit, & cur ea sit, & in illeis sit: in tertio, quæ forma etymologiæ. In secundeis tribus quos ad te misi, item generatim discreteis: primum, in quo sunt origines verborum locorum, & earum rerum quæ in locis esse solent: secundum, quibus vocabuleis tempora sint notata, & hæ res quæ in temporibus fiunt. Tertius hic, in quo à poëteis item sumpta vtilia, quæ dixi in duobus libreis soluta oratione. Quocirca, quoniam omnis operis de lingua Latina treis feci partes: prima, quemadmodum vocabula imposita essent rebus: secunda, quemadmodum in ea casus declinantur; tertia, quemadmodum coniungerentur: prima parte perpetrata, vt secundam ordiri possimus, huic libro faciam finem.

EPITOME LIBRI SEPTIMI.

Pro anomalia, dissimilitudine, ac consuetudine vulgari loquendi, aduersus Analogiam similitudinem & formam certa ratione loquendi.

¶Præfatio 1. *¶Declinationum ex quibus anomalia descendit, vtilitas necessaria* 2. *¶Declinationum subiectum* 3. *¶Declinationes partibus orationis inesse* 4. *Nominibus* 5. *Casibus* 6. *Comparatiuis & superlatiuis* 7. *Verbis* 8. *¶Declinationum species* 9. *¶Pro anomalia aduersus analogiam* 10. *Anomalia aperta & breuis* 11. *Æque significat ac analogia* 12. *Anomalia in vestitu* 13. *Ædificiis* 14. *Supellectile* 15. *Elegans* 16. *Necessaria* 17.18.19.20.21.22. *Analogia nusquam est in nominibus* 23. *(Siue spectemus ipsarum vocum formas ac terminationes* 24. *Numero* 25.) *Casus* 26.) *Articulis seu prouocabulis* 27. *Pronominibus* 28, *Nominatiuis* 29. *(Siue deducta sint à vocabulo* 30. *Nomine* 31. *Verbo* 32.) *Compositis verbis* 33. *Casibus* 34. *(Propterea quod si esset Analogia omnes nominatiui & articuli haberent æqualiter totidem casus non alij plus, alij minus* 35. *Littera declinarentur* 36. *Nullus casus duobus modis efferretur* 37. *A similibus verbis & nominatiuis similiter declinatis, ijdem casus obliqui fierent* 38.) *Superlatiuis* 39. *Deminutiuis* 40. *Nominibus infinitis* 41.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA LIBER SEPTIMVS.

QVOM oratio natura tripartita esset, vt superioribus libreis ostendi, cuius prima pars, quemadmodum vocabula rebus essent imposita: secunda, quo pacto de heis declinata in discrimina ierunt: tertia, vt ea inter se ratione coniuncta sententiam efferant: prima parte exposita, de secunda incipiam hinc. Vt propago omnis natura secunda: quod prius illud rectum, vnde ea sit declinata. Ita declinatur in verbeis rectũ Homo: obliquum *Hominis*, quod declinatum à recto. De huiusce multiplici natura discriminũ oræ sunt hæ: cur, & in quo, & quemadmodum in loquendo declinata sunt verba. De quibus duo prima duabus caussis percurram breuiter: quòd & tum cùm de copia verborum scribam, erit retractandum: & quòd de tribus tertium quod est, habet suas permultas ac magnas parteis.

2 ¶Declinatio inducta in sermones non solùm Latinos, sed omnium hominum, vtili & necessaria de caussa. Nisi enim ita esset factum, neque dicere tantum numerum verborum possemus. infinitæ enim sunt naturæ, in quas ea declinantur: neque quę didicissemus ex heis, quæ inter se rerum cognatio esset, appareret. At nunc ideo videmus, quod simile est, quod propagatum. *legi*, vt declinatum est à lego: duo simul apparent quodammodo: eadem dici, & non eodem tempore factum. Vt si verbi

gratia

gratia alterum horum diceretur Priamus, alterum Hecuba: nullam vnitatem adsignificaret, quæ apparet in Lego & legi, & in Priamus Priami. Vt in hominibus quædam sunt cognationes, & gentilitates: sic in verbeis. Vt enim ab Aimilio homines orti *Aimilij*, ac gentiles, sic ab Aimilij nomine declinatæ voces in gentilitate nominali. Ab eo enim quod est impositum recto casu Aimilius, orta, *Aimilij*, *Aimilium*, *Aimilios*, *Aimiliorum*; & sic reliqua, eiusdem quæ sunt stirpis. Duo igitur omnino verborum principia, impositiciorum & declinatorum: alterum, vt fons, alterum vt riuus. Imposititia nomina esse voluerunt quampaucissima, quo citius ediscere possent: declinata quamplurima, quæ istoc opere facilius omnes, quibus opus essent, discerent. Ad illud genus quod prius, historia opus est. nisi descendendo enim, aliter id non peruenit ad nos: ad reliquum genus, quod posterius, ars: ad quam opus est pauceis præcepteis, quæ sunt breuia. Quæ enim recte in vno vocabulo declinare didiceris: in infinito numero nominum vti possis. Itaque noueis nominibus adlateis in consuetudinem, sine dubitatione eorum declinatus statim omnis dicit populus. etiam nouitij serui empti in magna familia, citò omnium conseruorum nomina recto casu accepto in reliquos obliquos declinant. Qui si nonnumquam offendunt, non est mirum: etenim illi qui primi nomina imposuerunt rebus forsitan in quibusdam sunt lapsi. Voluisse enim putant singulareis res notare, vt ex iis in multitudine declinarentur, vt est ab Homine *Homines*, sic mares liberos voluisse notari, vt ex heis feminæ declinarentur: vt est à Terētio *Terentia*: sic in recto casu, quas imponerent voces, vt illinc essent futuræ quæ declinarentur: sed hæc in omnibus tenere nequisse, quòd & vna dicuntur *scopæ*, & mas & femina *aquila*: & recto & obliquo vocabulo *vis*. Cur hæc non tam sint in culpa, quàm putant plerique, soluere non difficile, sed nunc non necesse. non enim quod non potuerunt adsequi, sed quod voluerunt, ad hoc quod propositum refert. Quod nihilo minus declinari potest ab eo quod imposuerūt *scopæ*, scopa; quam si imposuissent scopa, ab eo scopæ. sic alia.

3 ¶ CAVSSAM quare ab impositeis nominibus declinarint, ostendi. Sequitur, in queis voluerint declinare aut noluerint: generatim ac summatim, item in formeis. *Duo* enim *genera verborum: vnum secundum* quod declinando multas ex se parit disparileis formas, vt est lego, legis, legam, sic alia: alterum genus *sterile*, quod ex se parit nihil. vt etiam, vix, magis, cras, cur. Quarum rerum vsus erat simplex: ibi etiam vocabuli declinatus. vt in qua domo vnus seruus, vni seruolo post nomen: in qua multi, pluribus. Igitur & in heis rebus, quorū sunt nomina, quod discrimina vocis plura propagines plures. In heis reb. quę copulæ sunt, at heis iunguntur verba, quòd non opus fuit declinari in plura, ferè singula sunt. Vno enim loro colligare possis vel hominem, vel equum, vel aliud quod, quicquid est quod cum altero potest colligari Sic quod dicimus in loquendo, Consul fuit Tullius & Antonius: eodem illo & omneis binos consules colligare possumus. Vel dicam amplius, omnia nomina, atq; ideo etiam omnia verba: (cùm fiunt tunc ex vna syllaba, illud & maneat vnū.) Quare duce natura, si quę imposita essēt vocabula rebus:

Multa desunt.

Ne ab omnibus heis declinatus putarent: quorum generum declinatione oriuntur.

4 ¶ PARTES orationis sunt duæ, si item vt Dion, in treis diuiserimus partes res quæ verbeis ad significantur, vna quæ adsignificat casus: altera, quę tempora: tertia, quæ neutrū. De heis Aristoteles duas partes orationis esse dicit: vocabula & verba: vt homo & equus, & legit & currit. Vtriusque generis & vocabuli & verbi, quædam priora. quædam posteriora. priora, vt homo scribit: posteriora, vt doctus & doctè. dicitur enim Homo doctus, & Scribit doctè. Hæc sequitur & locus & tēpus: quòd neq; homo, neque scribit, potest sine loco & tempore esse: ita vt magis sit locus homini coniunctus, tempus scriptioni, cùm de heis nomē sit primū. Prius enim nomen est quam verbum temporale: & reliqua posterius quam nomen & verbum. Prima igitur nomina. Quare de eorum declinatione quam de verborum ante dicam.

5 ¶ Nomina declinantur, aut in earum rerum discrimina quarum nomina sunt, vt à Terentius, *Terentij*: aut in eas res extrinsecus, quarum ea nomina non sunt: vt ab equo, *Equito*. In sua discrimina declinantur, aut propter ipsius rei naturam de quo dicuntur, aut propter illius qui dicit. Propter ipsius rei discrimina, aut à toto, aut à parte. A toto, vt ab homine *Homunculus*, à capite *Capitulum*: propter multitudinem, vt ab homine *Homines*: ab eo quod alij dicunt Ceruices, & id Hortensibus in poemateis ceruix. Quæ à parte declinata, aut à corpore, vt à mamma *Mammosa*, à manu *Manubia*: alia ab animo, vt à prudentia *Prudens*, ab ingenio *Ingeniosus*. hæc sine agitationibus: aut vbi motus maiores. Item ab animo, vt ab strenuitate & nobilitate, *Strenui* & *Nobiles*. Sic à pugnando, & currendo, *Pugiles* & *Cursores*. Vt aliæ declinationes ab animo, aliæ à corpore: sic aliæ quæ extra hominem: vt *Pecuniosi*, *Agrarij*, quòd foris pecunia & ager propter eorum, quam dicuntur.

6 ¶ SVNT declinati casus, vt qui de altero diceret, distinguere posset cùm vocaret, cùm daret, cùm accusaret: sic alia quidem di-

scrimina, quæ nos & Græcos ad declinandum duxerunt. Sine controuersia sunt hi quinque. Quis vocetur vt Hercules: Quemadmodum vocetur, vt Hercules: Quò vocetur, vt ad Herculem: Cui vocetur, vt Herculi: Cuius vocetur, vt Herculis.

7 Propter ea verba, quæ erant proinde ac cognominata, vt prudens, candidus, strenuus: quod in heis præterea sunt discrimina propter incrementum, quod maius vel minus in heis esse potest: adcessit declinationum genus, vt à candido, *candidius*, *candidissimum*: sic à longo, diuite, id genus alijs vt fieret. Quæ in ea res quæ extrinsecus declinantur, sunt ab equo *Equile*, ab ouibus *Ouile*: sic alia. hæc contraria illeis quæ suprà dicta, vt à pecunia *Pecuniosus*, ab vrbe *Vrbanus*, ab atro *Atratus*. vt nonnunquam ab homine locus, ab eo loco homo: vt à Romulo Roma, à Roma, Romanus. Aliquot modeis declinata ea quæ foris. nam aliter qui à maioribus sueis *Latonius* & *Priamides*: aliter quæ à facto, vt à prædando *Præda*, à merendo *Merces*. Sic alia sunt quæ circumire non difficile: sed genus iam videtur, & alia vrgent: omitto.

8 ¶In verborum genere, quæ tempora adsignificant, quòd ea erant tria, præteritum, præsens, futurum: declinatio facienda fuit triplex, vt saluto, salutabam, salutabo. Cùm item personarum natura triplex esset, qui loqueretur, de quo, ad quem, hæc ab eodem verbo declinata, quæ in copia verborum explicabuntur.

9 ¶Qvoniam dictum de duabus declinationibus, cur & in qua sit forma: tertium quod relinquitur, quemadmodum, nunc dicetur. *Declinationum genera* sunt *duo*, Voluntarium, & Naturale: *voluntarium* est, quo, vt cuiusque tulit voluntas, declinauit. Sic tres cum emerunt Ephesi singulos seruos: nonnunquam alius declinat nomen ab eo qui vendit: Artemidorus, atque Artenam appellat: alius aut ab regione, quòd ibi emit, ab Ionia, Ionam: aut ab vrbe Epheso Ephesium: sic alius ab aliqua alia re, vt visum est. Contra *naturalem declinationem* dico, quod non à singulorum oritur voluntate, sed à communi consensu. Itaque omnes impositeis nominibus, eorum item declinant casus: atque eodem modo dicunt huius Artemidori, & huius Ionæ, & huius Ephesij: sic in alijs casibus. Cùm vtrumque nonnunquam accidat: & vt in voluntaria declinatione animaduertatur natura, & in naturali voluntas: quæ cuiusmodi sint, aperietur infra. Quod vtraque declinatione alia fiunt similia, alia dissimilia, de eo Græci Latinique libros fecerunt multos: partim cùm alij putarent in loquendo ea verba sequi oportere quæ à similibus similiter essent declinata, quas appellarunt ἀναλογίας: alij cùm id negligendum putarent, ac potius sequendam συνήθειαν, dissimilitudinémque quæ in consuetudine est: quam etiam vocant ἀνωμαλίαν: cùm, vt ego arbitror, vtrumque sit nobis sequendum. quod in declinatione voluntaria sit ἀνωμαλία: in naturali magis analogia. De quibus vtriusque generis declinationibus libros faciam bis ternos: prioreis treis de earum declinationum disciplina: posterioreis, ex eius disciplinæ propaginibus. De prioribus primus erit hic: quæ contra similitudinem declinationum dicantur. Secundus quæ contra dissimilitudinem. Tertius de similitudinum forma. De quibus quæ experiero, singuleis tribus: tum de altereis totidem scribere ac diuidere incipimus.

10 ¶Incipiam, quod huiusce libri est, dicere contra eos qui in similitudinem sequuntur: quæ est, vt in ætate puer ad senem, puella ad anum: in vrbeis, vt est scribo, scribam: dico, dicam. prius contra vniuersam analogiam: tum de singuleis partibus à natura sermonis incipiam.

11 ¶Omnis oratio cùm debeat dirigi ad vtilitatem: ad quam tum denique peruenit, si est *aperta* & *breuis*: quæ petimus, quòd obscurus & longus orator est odio: & cùm efficiat *aperta*, vt intelligatur: *breuis*: vt cito intelligatur: & apertam consuetudo, breuem temperantia loquentis: & vtrumque fieri possit sine analogia. nihil ea opus est. Neque enim vtrum Herculi an Herculis clauam dici oporteat, si doceas analogia, cùm vtrumque sit in consuetudine, non negligendum, quod æquè sunt & breuia & aperta.

12 ¶Præterea quòd in vtilitatis caussa quæque res sit inuenta: si ex ea quis id sit consecutus, amplius eam scrutari non debet, cum sit nimium otiosi. & cum vtilitatis caussa verba ideo sint imposita rebus, *vt ea significent*: si id consequimur vna consuetudine, nihil prodest analogia.

13 ¶Accedit, quòd quæcunque vsus caussa ad vitam sint adsumpta, in heis vtilitatem quærere, non similitudinem. itaque *in vestitu*, cùm dissimilima sit virilis toga tunicæ muliebri, stola pallio: tamen inæqualitatem hanc sequimur nihilominus.

14 In *ædificiis*, quòd non videmus habere atrium περίστυλον, similitudinem, & cubiculum ad æquale: cùm tamen propter vtilitatem in heis dissimilitudines potius quàm similitudines sequamur. itaque & hiberna triclinia & æstiua, non item valuata & fenestrata facimus.

15 Qvare cum in vestitu ædificiis, sic in *supellectile*, *cibo*, cetereis omnibus quæ vsu ad vitam sunt adsumpta, dominetur inæqualitas: in sermone quoque, qui est vsus caussa constitutus, ea non repudianda.

16 ¶Qvod

16 ¶Qvod ſi quid duplicem putat eſſe ſummam, ad quas metas naturæ ſit perueniendum in vſu, vtilitatis & *elegantiæ*: quòd non ſolùm veſtiti eſſe volumus, vt vitemus frigus, ſed etiam vt videamur veſtiti eſſe honeſtè: non domum habere, vt ſimus in tecto & tuto ſolùm, quod neceſſitas contruſerit, ſed etiam vbi voluptas retineri poſſit: non ſolùm vaſa ad victum habilia, ſed & figura bella, atque ab artifice: quòd aliud homini, aliud humanitati ſatis eſt. Quoduis ſitienti poculum homini idoneum; humanitati niſi bellum, parum, ſed cùm diſceſſum eſt ab vtilitate ad voluptatem, tamen in eo ex diſſimilitudine plus voluptatis quàm ex ſimilitudine ſæpe capitur. quo nomine & gemina conclauia diſſimiliter pollent, & lectos non omneis pareis magnitudine ac figura faciunt. Quòd ſi eſſet analogia petenda in ſupellectile, omnes lectos haberemus domi ad vnam formam, & aut cum fulcro aut ſine eo, nec tum ad trieliniarem gradum, non item ad cubicularem: neque potius delectaremur ſupellectile, diſtincta quæ eſſet ex ebore, aliiſque rebus diſparibúſque figureis, quàm grabateis analogeis, cùm ad ſimilem formam plerunque eadem materia fiunt. Quare aut negandum nobis diſparia eſſe iucunda: aut quoniam eſſe neceſſe eſt confiteri, dicendum, verborum diſſimilitudinem, quæ ſit in conſuetudine, non eſſe vitandam.

17 ¶Qvod ſi analogia nobis ſequenda eſt: aut ea nobis obſeruanda eſt quæ eſt in conſuetudine: aut quæ non eſt. ſi ea quæ eſt, ſequenda eſt: præcepteis nihil opus eſt: quòd cùm conſuetudinem ſequemur, ea nos ſequetur. ſi, quę non eſt in conſuetudine, ſequemur: vt quiſque duo verba in quatuor formeis finxerunt ſimiliter, quamuis hæc nollemus, tamen erunt ſequenda: vt, Iupiter, Marſpiter, quas ſi quis ſeruet analogias, pro inſano ſit reprehendendus. non ergo ea eſt ſequenda.

17 ¶Qvod ſi oportet vt à ſimilibus ſimiliter omnia declinentur verba, ſequitur vt ab heis ſimilibus ſimilia debeant fingi. quod non fit: nam & à ſimilibus alia fiunt ſimilia, alia diſſimilia: & à diſſimilibus partim ſimilia, partim diſſimilia. ¶A ſimilibus ſimilia, vt à bono ac malo, bonum, malum. ¶A ſimilibus diſſimilia, vt à lupus, lepus: lupo, lepori. ¶Contrà à diſſimilibus diſſimilia, vt Priamus Paris, Priamo Pari. ¶A diſſimilibus ſimilia, vt Iupiter Iouis, & Iouis Iouis. Eo etiam magis ἀναλογικῶς diſſimilia finguntur, ſed etiam ab iiſdem vocabuleis diſſimilia: neque à diſſimilibus ſimilia, ſed etiam eadem. Ab iiſdem vocabuleis diſſimilia fingi apparet, quòd cùm duę ſint Albæ, ab vna dicuntur *Albani*, ab altera *Albenſes*: cùm ternæ fuerint Athenæ, ab vna dicti *Athenæi*, ab altera *Athenienſes*, à tertia *Athenaopolitæ*. Si ex diuerſeis verbeis multa facta, in declinando inueniuntur eadem: vt cùm dico à luo, luam, & abluo, abluam. Omnia ferè noſtra liberalia & muliebria multitudinis cum recto caſu fiunt diſſimilia, cum dandei caſu, ſimilia, vt mares Terentij, feminæ Terentiæ: eadem in dandei, vireis Terentiis, & mulieribus Terentiis. Diſſimilia, Plautus & Plautius: & communia, huius Plauti, & huius Plautij.

19 ¶Denique ſi eſt analogia, quòd in multeis verbeis eſt ſimilitudo verborum: ſequitur quod in pluribus eſt diſſimilitudo: vt non ſit in ſermone ſequenda analogia.

20 ¶Postremo, ſi eſt in oratione, aut in omnibus eius partibus eſt, aut in aliqua: & in omnibus non eſt: in aliqua eſſe parum eſt: vt album eſſe Æthiopem, non ſatis eſt quòd habet candidos dentes, non eſt ergo analogia.

21 ¶Cvm à ſimilibus verbeis quæ declinantur, ſimilia fore pollicentur qui analogias eſſe dicunt, & cùm ſimile tum denique dicentes ſe oſtendere ex verbo verbum, quod ex eodem ſit genere, eadem figura tranſitum de caſu in caſum ſimiliter oſtendi poſſit. Qui hæc dicunt, vtrumque ignorant, & in quo loco ſimilitudo debeat eſſe, & quemadmodum ſpectari ſoleat, ſimile ſit nécne. quæ cùm ignorant, ſequitur, vt cùm analogiam dicere non poſſint, ſequi debeamus [ἀνομαλίαν.] Quæro enim, *verbum* vtrum dicant vocem quæ ex ſyllabeis eſt ficta, eam quam audimus, an quod eam ſignificat quam intellegimus; an vtrumque. ſi vox voci eſſe debet ſimilis, nihil refert, quod ſignificat, mas an femina ſit: & vtrum nomen, ac vocabulum ſit. quod illi intereſſe dicunt. Sin illud quod ſignificatur, debet eſſe ſimile, Diona & Theona, quos dicunt eſſe ipſi pene geminos, inueniuntur eſſe diſſimiles: ſi alter erit puer, alter ſenex, aut vnus albus, alter Æthiops: item aliqua re alia diſſimiles. Sin ex vtraque parte debeat verbum eſſe ſimile: non citò inuenietur quin in alterutra re claudicet. nec Perperna & Alphena erit ſimile: quod alterum nomen virum, alterum mulierem ſignificat. Quare quoniam vbi ſimilitudo eſſe debeat, neque vult oſtendere: impudentes ſunt qui dicunt analogias.

22 ¶Altervm illud, quod dixi, quemadmodum ſimile expectari oporteret, ignorare apparet ex eorum præcepto, quòd dicunt, cùm tranſierit e nominandei caſibus in eos quos appellant vocandei, tum denique poſſe dici rectos eſſe ſimileis aut diſſimileis. eſſet enim, vt ſiquis Menæchmos geminos cùm videat, dicat ſe non poſſe iudicare diſſimileſne ſint, niſi qui ex eis ſint nati, conſiderarit: nunc diſcrepant inter ſe. niſi inquam quo magis minúſve ſit ſimile, quod conferas cum altero, ad iudicandum extrinſecus oportet ſumi. Quarę

cùm ignorent quemadmodum similitudo debeat sumi, de analogia dicere non possunt. Hæc apertius dixissem, nisi breuius eo nunc mallem: quæ infra sunt, planius vsurpanda. Quare quod ad vniuersam verborum naturam attinet, hæc attigisse modo satis est.

23 ¶ Qvod ad parteis singulas orationis, deinceps d cam, quarum vis, quoniam sunt diuisiones plures, nunc ponam potissimum in quæ diuiditur. *Oratio* secanda, vt natura, *in quatuor parteis: vnam*, quæ habet casus: *alteram*, quæ habet tempora: & *tertiam*, quæ habet neutrum: & *quartam*, in qua est vtrumque. Has vocant quidam, appellandei, dicendei, adminiculandei, iungendei. *Appellandei*, dicitur, vt homo, & Nestor: *dicendei*, vt scribo, & lego: *iungendei*, vt atque: *adminiculandei*, vt doctè, & commodè. *Appellandei partes* sunt *quattuor*: è queis dicta à quibusdam *prouocabula*, quę sunt, vt quisque: *vocabula*, vt scutum, gladius: *nomina*, Romulus, Remus: *pronomina*, vt hic, hæc. Duo media dicuntur *nomina*: prima & extrema, *articuli*. Primum genus est *infinitum*: secundum, vt *infinitum*: tertium, vt *effinitum*: quartum *finitum*. Hæc sigillatim triplicia esse debent; quod sexum, multitudinem, casum. *Sexum* vtrum virile, an muliebre, an neutrum sit: vt doctus, docta, doctum. *Multitudinem*, vnum, an plura significet: vt hic, hi, hæ. *Casum*, vtrum, recto sit, vt Marcus; an obliquo, vt Marco; an communi, vt Iouis.

24 ¶Heis dicteis partibus, singulas prospice, quo facilius nusquam esse analogias, quas sequi debeamus, videas. Nempe esse oportebat vocis formas ternas, vt in hoc, humanus, humana, humanum. sed habent quædam binas, vt vt ceruus, cerua: quædam singulas, vt aper, & sic multa. non ergo est in huiuscemodi generibus analogia.

25 ¶Et in multitudine, vt vnum significat pater, plures patres: sic omnia debuerunt esse bina. Sed & singularia solum sunt multa, vt cicer, siler (nemo enim dicit cicera, silera) & multitudinis, vt salinæ. non enim ab heis singulari specie dicitur salina, & balnea. Neque ab eo quod dicunt balneum, habet multitudinem consuetudo. nam quòd est, vt prædium, balneum debuerunt esse plura, vt prædia, balnea: quod non est. non est ergo in heis quoque analogia.

26 ¶Alia casus habent, & rectos & obliquos: alia rectos solùm: alia modò obliquos. Habent vtrosque, vt Iuno, Iunonis: rectos modò, vt Iupiter, Marspiter: obliquos solùm, vt Iouis, Iouem. non ergo in heis est analogia.

27 ¶ Nvnc videamus in illa quadripartita. Primùm si esset analogia, vt in heis tribus articuleis, vt est quis, quem, cuius: sic diceretur, quæ, quam, cuius. Et vt est quis, cui, sic diceretur qua, quæ: nam est proportione simile, vt deæ bonæ, quæ sit: dea bona, quæ est & vt est quem, quis: sic quos, *ques*. Quare quod nunc dicitur, qui homines, dici oportuit ques.

28 ¶Præterea, vt est ab is, ei, sic ab ea, eæ diceretur, quod nunc dicitur ei: & pronuntiaretur, vt in ieis, vireis, sic eeis, mulieribus. & vt est in recteis, is, ea: debuit esse ibus, eeis: sed id est in obliqueis ieis, nunc non modò in virili, sicut in muliebri, dicitur eius: sed etiam in neutreis articuleis, vt, eius viri, eius mulieris, eius pabuli: cùm discriminentur in recteis casibus, is, ea, id. De hoc genere parcius tetigi, quòd librarios hæc spinosiora indulgentius laturos putaui.

29 ¶De nominatiueis, quę accidunt proxime ad finitam naturam articulorum, atque appellantur vocabula, vt homo & equus: eorum declinationum genera sunt quatuor. vnum, *nominandei*, vt ab equo, equile: alterum, *casuale*, vt ab equo, equum: tertium, *augendei*, vt ab albo albius: quartum, *minuendei*, vt à cista cistula. Primum genus (vt dixi) id est, cum aliqua parte orationis declinata sunt recto casu vocabula: vt à balneis balneator. hoc ferè triplices habet radices: quod & *à vocabulo* oritur, vt à venatore venabulum: & *à nomine*, vt à Tibure Tiburs: & *à verbo*, vt à currendo cursor. In nullo horum analogiam seruare videbis.

30 Primvm cùm dicatur, vt à boue & à sue, Ouile & Suile, sic à boue dicitur Bubile, non *bouile*. Et cùm simile sit auis, & ouis: neque dicitur, vt ab aue Auiarium, ab oue ouile, ab aue *auile* non est, neque ab oue *ouiarium*. Et cùm debuerit esse, vt à cubatione Cubiculum, sic à sessione *sediculum* non est. Quoniam taberna, vbi venit vinum, à vino Vinaria, à creta Cretaria, ab vnguento Vnguentaria dicitur: ἀναλογικῶς si essent vocabula, vbi caro venit, *carnaria*: vbi pelles, *pellaria*: vbi calcei, *calcearia* dicerentur: non laniena, pellesuina, sutrina. Et sic, vt est ab vno Vni, à tribus Trini, à quattuor Quatrini, sic à duobus *duini*, non Bini dicerentur. nec non vt quadrigæ, trigæ, sic potius *duigæ* quàm Bigæ. Permulta huiusce generis: quæ, quoniam admonitus perspicere potest, omitto.

31 ¶Vocabvla quæ *à nominibus* oriuntur à similibus nominibus similia esse debent dicemus, quoniam gemina sunt, Parma, Alba, Roma, Parmenses: aut quoniam similis est Roma, Nola, Parma, dicemus: vt Romani, Nolani, sic *Parmani*. & à Pergamo, ab Ilio similiter, vt Pergameneis, sic *Ilieneis*. aut vt Ilius mas & Ilia femina, sic *Pergamus* & *Pergama*. Et quoniam similia nomina sunt Asia, Lybia, dicimus vt Asiaticos, sic *Libyaticos* homines.

32 ¶ Qvæ vocabula dicuntur *à verbeis* fiunt, vt à scribendo Scriptor, à legendo Lector,

ctor: hæc quoque, non seruare similitudinem licet videre ex heis, cùm similiter dicatur, vt ab amando Amator, à salutando Salutator, à cantando Cantator: & cùm dicatur: Lassus sum metendo, ferendo: ex heis vocabula non reddunt proportionem: quòd non fit, vt Messor, *Fertor*. Multa sunt item in hac specie, in quibus potius consuetudinem sequimur quàm rationem verborum. Præterea, cum sint ab eadem origine verborum vocabula dissimilia superiorum, quòd simul habeant casus & tempora, quæ vocantur participia: & multa sint contraria, vt amor amo, feror fero: ab amo & huiusmodi omnibus verbeis oriuntur præsens & futurum, vt amans & amaturus: & ab heis verbeis tertium, quod debet fingi præteriti, in lingua Latina reperiri, non potest. non ergo est analogia. Sic amabor, legor & huiusmodi verbi, est vocabulum eius generis præteriti temporis, fit, vt amatus eram, sum, ero: neque præsentis & futuri ab heis fit. non est ergo analogia: præsertim cùm tantus numerus vocabulorum in eo genere interierit, quòd dicimus in heis verbeis, & in ieis verbeis quæ contraria non habent, loquor, venor: tamen dicimus loquens, venans: locuturus, venaturus. quod secundùm analogias non est. quoniam dicimus loquor & venor. Vnde illa quæ erant superiora, minus seruantur. quòd cum heis, quæ contraria verba habent alia efficiunt terna, vt ea quæ dixi: alia bina, vt ea quæ dicam, currens, ambulans: cursurus, ambulaturus. tertia enim præteriti non sunt: vt *cursus sum, ambulatus sum*. Neque in heis quidem quæ sæpius quid fieri ostendunt, seruant analogiam: vt est à cantando cantitans, ab amando *amitans* non est, & sic multa vt in heis singularibus, sic in multitudinis: sicut enim cantitantes, *seditantes* non dicuntur.

33 ¶ Qvoniam est vocabulorum genus quod appellant *compositum*, & negant conferri id oportere cum simplicibus, de quibus adhuc dixi; de composíteis separatim dicam. Cum à tibiis & canendo tibicen dicitur; quærant, si analogias sequi oporteat, cur non à cithara & psalterio, & pandura, dicamus *citharicen*, & sic alia. Si ab æde & tuendo Ædituus est, cur ab atrio & tuendo non *atrituus* sit potius quàm Atriensis? Si ab auibus capiendeis Auceps dicatur, debuisse aiunt ex piscibus capiendis *pisciceps*, vt aucupem. sic *piscicupem* dici, & vbi lauetur æs, *ærarias*, non Ærelauinas nominari: & vbi fodiatur argentum, Argentifodinas dici: neque vbi fodiatur ferrum, *Ferrifodinas*. Qui lapides cædũt, lapicidas: qui ligna, *lignicidas* non dici. neque vt aurificem, sic *argentificem*. non doctum dici indoctum, non salsum insulsum. Sic & ab hoc quoque fonte quæ profluant, animaduertere est facile.

34 ¶ Relinqvitvr de casibus, in quo Aristarchei suos intendunt neruos.

35 ¶ Primvm si in heis esset analogia, dicunt debuisse omneis nominatiuos & articulos habere totidem casus: nunc alios habere vnum solum, vt litteras singulas omnes: alios treis, vt prædium, prædij, prædio: alios, quattuor, vt mel, mellis, melli, melle: alios, quinq;, vt quintus, quinti, quinto, quintum, quinte: alios, sex, vt vnus, vnius, vni, vnum, vne, vno. Non esse ergo in casibus analogias.

36 ¶ Secvndo, quod Crates dicebat, cùr quæ singulos habent casus, vt litteræ Græcæ, non dicantur alpha, alphatos? Si idem mihi respondebitur quod Crateti, non esse vocabula nostra, sed penitus barbara: quæram cur iidem nostra nomina, & Persarum & ceterorum quos vocant barbaros, cum casibus dicant. quare, si esset analogia, aut, vt Pœnicorum & Ægyptiorum vocabula, singuleis casibus dicerentur: aut pluribus, vt Gallorum & ceterorum. Nam dicunt ab alaco *alacus*, & sic alias. In quod scribent, dicent, quod Pœnicum sit, singuleis casibus: ideò eas litteras Græcas nominari: sic Græci nostra seneis casibus non quineis dicere debebant. quòd cùm non faciunt, non est analogia.

37 ¶ Qvæ si esset, negant vllum casum duobus modeis debuisse dici: quod fit contra. Nam sine reprehensione vulgò alij dicunt in singulari, hac oui & aui: alij, hac oue, & aue. In multitudinis, hæ puppeis, resteis, & hæ puppes, restes. ¶ Item, quod in patrico casu hoc genus dispariliter dicatur ciuitatum, parentium: ciuitatum parentium: in accusandei hos monteis, fonteis, hos montes, fontes.

38 ¶ Item cùm si sit analogia, debent à similibus verbeis similiter declinateis similia fieri, & id non fieri ostendi possit: despiciendam esse eam rationem. Atqui ostenditur. nam quid potest similius esse quàm mens, dens, gens? cùm horum casus patricus, & accusandei, in multitudine sint dispariles. nam à primo fit gentium, & genteis, vtrobique vt sit I: à secundo mentium, & mentes, vt in priore solo sit I: à tertio & dentum, dentes, vt in neutro sit I. ¶ Sic item, quoniam simile est recto casu surus, lupus, lepus, rogant cur non dicant proportione item suro, lupo, *lepo*. Si respondent similia non esse, quod ea vocemus dissimiliter, sure, lupe lepus: sic enim respondere voluit Aristarchus Crateti. nam cùm scripsisset, similia esse, Philomedes, Heraclides, Melicertes, dicit non esse similia. in vocando enim cum E breui dici *Philomede*, cum E longo *Heraclide*, & cum E breui *Melicerte* In hoc dicunt Aristarchum non intellexisse quòd quæreretur, cùm sic solueris. Sic enim, vt quidquid in obliqueis casibus discrepant, dicere po-

tuit, propterea rectos casus non esse simileis: cùm quæratur duo inter se similia sint nécne, non debere extrinsecus adsumi, cur similia sunt. Item, si esset analogia, similiter aues, oues, sues dicerent: item vt ouium, auium sic *suium*. ¶Si analogia est, inquit, cur populus dicit dij Penates, *dij* Consentes? cùm sit, vt hic reus, ferus, deus: sic hi rei, feri, *dei*? ¶Item quærunt, si sit anolagia, cur appellant omnes ædem *deum Consentum*, & non *deorum Consentum*? Item cur dicatur *mille denarium*, non mille denariorum? est enim hoc vocabulum ea figura, vt Vatinius, Manlius, denarius. debet igitur dici, vt Vatiniorum, Manliorum, sic denariorum. & non equum publicum *mille assarium* esse, sed mille assariorum. ab eo enim assario multi assarij. ab eo assariorum. ¶Item secundùm illorum rationem debemus secundeis syllabeis longeis dicere Hectorem, Nestorem. est enim vt quæstor, prætor, Nestor, Hector. Et non debuit dici, quibus das, sed *queis* das. est enim vt eeis, heis, queis. At si est quibuscum, non ibus & *hibuscum* dicatur? Da *patri familias*, dicere non debuerunt, si analogias sequi vellent: quod est vt Atiniæ, Scatiniæ, familiæ: sic vna Atinia, Scatinia, familia. Item plures patres familias dicere non debuerunt, sed, vt Sisenna scribit, *patresfamiliarum*. Neque oportebat consuetudinem notare: alios dicere boum greges, alio *sbouerum*: vt struum sic *Iouum* & *Iouerum*: cùm esset vt Iouis bouis, struis, Iouem, bouem, struem, Ioui, boui, strui. Nec cùm hæc conuenirent in obliqueis casibus, dubitare debuerunt in recteis propinquioribus: nunc in consuetudine aliter dicere pro Iouis, Iuppiter: pro bouis & bus, bos: pro struis, strues.

39 ¶Deinceps dicam de altero genere vocabulorum, in quo contentiones sunt: vt album, albius, albissimum. in quo eam analogiam non seruari apparet. nam cùm sit simile, salsum: caldum: & dicatur ab eis, salsius, salsissimum, *caldius, caldissimum*, debuit dici, quoniam simile est bonum, malum: ab heis *bonius* & *malius, bonissimum*, & *malissimum*: nónne dicimus, bonum, melius, optimum? malum, peius, pessimum? In alijs verbeis nihil deest: vt dulcis, dulcior, dulcissimus. in alijs primum, vt peius, pessimum: in alijs medium, vt cęsius, cæsissimus: in alijs bina sunt quæ sint ab eadem voce declinata: & ea ita vt aliâs desint secundum & tertium, vt in hoc, mane, *manius manissimè*: aliâs vt duo prima absint, vt optimum: aliâs, vt primum & tertium desit, vt melius.

¶Præterea si dicerent similiter declinari, cùm similia essent macer, sacer, tener: & macerrimus, sacerrimus, tenerrimus: nó discreparent in heis, macrior, & magis sacer, & tenerior: neque alia trisyllaba fierent &, si in eis dominaretur similitudo, diceremus, vt candidissimus, candidissima, pauperrimus, pauperrima, vt candidus, candida, pauper, *paupera*, & vt dicimus doctus, docta, doctissimus, doctissima: sic diceremus, frugalissimus, frugalissima, *frugus* & *fruga*. Ea si proportione essent verba, vt vno vocabulo dicimus virum & mulierem sapientem, & diligentem: & sapientiorem, & diligentiorem: sic diceremus item cùm perueniremus ad summum. quod facimus aliter: nam virum dicimus sapientissimum & diligentissimum. feminam, sapientissimam & diligentissimam. ¶Quod ad vocabulorum huius generis exempla pertinet, multa sunt reliqua. sed eadem quę dicta ad iudicandum satis sunt, quòd analogia in collatione verborum sequi non debemus.

40 ¶Magnitudinis vocabula cùm possint esse terna, vt cista, cistula, cistella: in medijs non sunt: vt in heis, macer, macricolus, macellus: niger, nigricolus, nigellus. Itē minima in quibusdam non sunt, vt auis auicula, auicella: caput, capitulum, capitellum. In hoc genere vocabulorum, quòd multa desunt, dicendum est non esse in eo, sed potius sequendam consuetudinem quàm rationem. Quod ad vocabulorum genera quatuor pertinet, vt in potius consuetudinem quàm analogiam dominari facile animaduerti possit, dictum est.

41 ¶Sequitur de nominibus, quæ differunt à vocabuleis, ideò quòd sunt *infinita*, ac res communeis designent. vt vir, mulier: cùm nomina sint finita, ac significent res proprias vt Paris, Helena, è quibus sunt alia nomina à nominibus, vt Ilium, ab Ilo, & Ilia, ab Ilio: alia à vocabulo, vt ab albo, albius, & ab atro, atrius: in neutreis seruata est analogia. Nam & cùm sit à Romulo Roma, proportione non est, quòd debuit esse Perperni filia, non Perpernæ. Perperna mulieris nomen esse debuit, & nata à Perperno: quod est, vt Arbernus, Perpernus: Arberna, Perperna. Quòd si Marcus Perperna virile est nomen, & analogia sequenda: Lucius Ælia, & Quinctus Mucia, virilia nomina esse debebunt. Item quæ habent ab Rhodo, Andro, Cyzico, Rhodius, Andrius Cyzicenus: similiter Cyzicius eius diceretur vnusquisque. Nam vt ab Athenæis Athenæus dicitur rhetor nomine, etsi non sit Atheniensis: in hoc ipso analogia non est: quòd alij nomina habent ab oppideis, alij aut non habent, aut non, vt debent, habent. habent plerique libertini à municipio manumissi. in quo, vt societatum & fauorum serui, non seruarunt proportionem, & rationem, & Romanorum liberti debuerunt dici, vt à Fauentia Fauentius, à Reate Reatinus: sic à Roma Romanus. vt nominantur à libertineis orti publici serui, Romani, qui manumissi antequàm sub magistratus nomina, qui eos libe-

libe-

berarunt, succedere cœperunt. hinc quoque illa nomina Lesas, Vfenas, Carinas, Mæcenas: quę cum essent à loco, vt Vrbinas, & tamen Vrbinus, ab heis debuerunt dici, ad nostrorum nominum similitudinem.

* *Deest pagina.* *

EPITOME LIBRI OCTAVI.

Pro Analogia, similitudine ac ratione loquendi, aduersùs Anomaliam, dissimilitudinem, & nudam ac solam consuetudinem loquendi.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA LIBER OCTAVVS.

* *Desunt quædam.* *

tam nesciunt docere quàm dicere quæ ignorãt. in quo fuit Crates nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo homine acutissimo, qui reliquit sex libros περὶ τῆς ἀνωμαλίας: heis libreis contra analogiam atq; Aristarchum est nixus: sed ita vt scripta indicant eius, vt nutritius videatur peruidisse voluntatem. quod & Chrysippus, de inæqualitate cùm scribit sermones, propositum habet ostẽdere similes res dissimilibus verbeis, & similibus dissimiles esse vocabuleis notatis. id quidem est verum: & cùm Aristarchus de æqualitate conscribit, & de verborum similitudine, quorundam inclinationes sequi iubet, quoad patiatur consuetùdo. Sed hi qui in loquendo partim sequi iubent nos consuetudinem, partim rationem, nõ tam discrepant: quòd consuetudo & analogia coniunctiores sunt inter se quàm hi credunt. quòd est nata ex quadam consuetudine analogia: & ex hac consuetudo ex dissimilibus & similibus verbeis eorum, quod declinationibus constat. neque anomalia neque analogia est repudianda, nisi si non est homo ex anima, quòd est homo ex corpore & anima. Sed ea quæ dicam, quo facilius prouideri possint, prius de trineis copuleis disserendum, nam confusim ex vtraque parte plerique dicuntur, quorum alia ad aliam referri debent summam. Primùm *de copuleis natura* & sueis. hæc enim duo sunt quæ exigunt diuersa: quòd aliud est, dicere verborum analogias, aliud dicere vti oportere analogiis. Secundum *de copuleis multitudinis, ac finis*: vtrumque omnium verborum dicatur esse analogia, an vsus, an maioris partis. Tertium, *de copuleis personarum*, qui eis debent vti, quæ sunt plures. Alia enim populi vniuersi, alia singulorum: & de heis non eadem oratores & poetæ: quòd eorum non idem ius. Itaque populus vniuersus debet in omnib. verbeis vti analogia: &, si perperam est consuetus, corrigere se ipse; cùm orator non debeat in omnibus vti: quod sine offensione non potest facere, cùm poëtæ transilire lineas impune possint. Populus enim in sua potestate, singuli in illius. Itaque vt suam quisque consuetudinem, si mala est, corrigere debeat; sic populus suam. Ego populi consuetudinis non sum, vt dominus: at ille meæ est. Vt rationi obtemperare debet gubernator, gubernatori vnusquisque in nanaui: sic populus rationi, nos singuli populo. Quare ad quamcunque summam in dicendo referam, si animaduertes, intelliges vtrum dicatur analogia esse, an, vti oportet, redigere, dici id in populum aliter, ac inde omnibus dici in eum qui sit in populo.

2 ¶NVNC iam primùm dicam pro vniuersa analogia, cur non modò videatur esse reprehendenda, sed etiam cur in vsu quodammodo sequenda. Secundò, de singuleis criminibus, quibus rebus possint quæ dicta sunt contra, solui. dicam ita vt generatim comprehendam & ea quæ in priori libro sunt dicta, & ea quę possunt dici, atque illic præterij.

3 ¶PRIMVM quod aiunt, qui bene loqui velit, consuetudinem non rationem similitudinum sequi oportere: quòd alterum si neglegat, sine offensione facere non possit, alterum si sequatur, quòd sine reprehensione non sit futurum; errant: quòd qui in loquendo consuetudinem, qua oportet vti, sequitur, non sine ea ratione.

4 ¶NAM vocabula ac verba quæ declinamus, similiter ea in consuetudine esse videmus, & ad eam referimus: & si quid est erratum, non sine ea corrigimus. Nam vt qui *triclinium* constrarunt, si quem lectum de tribus vnum imparem posuerunt, vt de paribus nimium, aut parum produxerunt, vnà corrigimus, & ad consuetudinem communem, & ad aliorum tricliniorum analogias. Sic si quis in oratione in pronuntiando ita declinat verba vt dicat dispạria, quod peccat, redigere debemus ad certorum similium verborum rationem.

5 ¶CVM duo peccati genera sint declinationum, quod in consuetudinem perperam receptum est, alterum, quod nondum est, & perperam dicitur: vnum dant, non oportere dici quod sit in consuetudine: alterum non conceditur, quin ita dicatur, vt sit simile. cùm id faciat, ac si quis puerorum per delicias *pedes* malè ponere, atque imitari vacias cœperit, hos corrigi oportere, si concedant: contrà si quis in consuetudine ambulandei iam factus sit vacia, aut compernis, si eum corrigi non concedant. non sequitur vt stultè faciant qui pueris in geniculeis alligent serperastra, vt eorum deprauata corrigant crura. cum culpandus non sit medicus qui e longinqua mala consuetudine ægrum in meliorem traducit: quare reprehendendus sit, qui orationem minus valentem propter malam consuetudinem traducit in meliorem.

6 ¶PICTORES, Apelles. Protogenes, sic alij artifices egregij non reprehendendi, quòd consuetudinem Myconis, Dioris, Arimnæ & aliorum

aliorum superiorum non sunt secuti: Aristophanes improbandus, qui potius in quibusdam veritatem quàm consuetudinem secutus?

7 ¶QVID si viri sapientissimi, & *in re militari* & in aliis rebus multeis contra veterem consuetudinem cùm essent vsi, laudati; despiciendi sunt qui potiorem dicunt oportere esse consuetudinem ratione?

8 ¶ AN cùm quis perperam consueuerit quid facere *in ciuitate*, nō modò non patiemur, sed etiam pœna adficiemus? Item si quis perperam consueuerit dicere verbum, non corrigemus, cùm id fiat sine pœna?

9 ¶Et hi qui pueros *in ludum mittunt* vt discant quæ nesciunt verba, quemadmodum scribant: itidem barbaros, qui ignorabant verba quemadmodum oportuit dici, non docebimus, vt sciant qua ratione conueniat dici.

20 ¶SED vt nutrix pueros à lacte non subitò euellit à consuetudine, cùm à cibo pristino in meliorem traducit: sic in maioribus loquenquendo à minus commodeis verbeis ad ea quæ sunt cum ratione, modice traducere oportet, cùm sint in consuetudine contra rationem alia verba, ita vt ea facilè tolli possint: alia vt videantur esse fixa, quæ leuiter hærent ac sine offensione commutari possint. Si enim ad rationem corrigi oportet quę non ad rationem sunt, ita vt in præsentia corrigeré nequeas: quin ita dicas his oportet, si possis, non vti. sic enim obsolescent, ac postea iam obliterata facilius corrigi poterunt.

11 ¶QVAS nouas verbi declinationes ratione introductas respuet forum, iis boni poëtæ, maximè scenici, consuetudine subigere aureis populi debent, quod poetæ multum possint in hoc propter eos quædam verba in declinatione melius, quædam deterius dicuntur. Consuetudo loquendi est in motu. itaque solet fieri ex meliore deterior: meliora verba perperam dicta apud antiquos aliquos, propter poetas non modò nunc dicuntur recte, sed etiam quæ ratione dicta sunt tum, nunc perperam dicuntur.

12 ¶QVARE qui ad consuetudinem nos vocant, si *ad rectam*, sequamur: in eo enim quoque est analogia, si ad eam inuitent quæ est deprauata, nihilo magis sequemur. nisi cùm erit necesse, sequar in cetereis rebus mala exempla, nam ea quoque, cùm aliqua vis vrget, inuiti sequimur.

13 ¶NEQVE enim *Lysippus* artificum priorum potius est vitiosa sequutus, quàm artem: sic populus facere debet, etiam singuli sine offensione quod fiat populi, qui amissa modò quęrant, sed etiam quod indicium dent: iidem ex sermone si quid deperiit, non modò nihil impendunt vt requirāt, sed etiam contra indices repugnant, ne restituatur verbum nouum & ratione introductum, quominus vt recipiamus vitare non debemus.

14 ¶NAM ad vsum *in vestimenteis, ædificiis, supellectili*, nouitati non impedit vetus consuetudo. Quem enim amor adsuetudinis potius in panneis possessorem retinet, quàm ad noua vestimenta traducit?

15 ¶ANNON sæpe *veteres leges* abrogatæ noueis cedunt?

16 ¶NONNE inusitateis formeis *vasorum* recentibus à Græcia adlatis obliteratæ antiquæ consuetudinis sinorum & capidarum species? Heis formeis vocabulorum contaminati vti nollent, quæ docuerit ratio propter consuetudinem veterem. ¶Et tantum inter duos sensus interesse volunt, vt oculeis semper aliquas figuras supellectilis nouas conquirant, contrà aureis expertes velint esse?

17 ¶QVOTVS quisque iam *seruos* habet prisceis nominibus quæ mulier suum instrumentum atque vasa auri, veteribus vocabuleis appellat? Inducteis non tam irascendum, quàm huiusce prauitatis patroneis. Si enim vsquequaque non esset analogia, tum sequebatur vt in verbeis quoque non esset: non cùm esset vsquequaque (vt est) non esse in verbeis.

18 ¶QVÆ enim est *pars mundi* quæ non innumerabiles habeat analogias? *Cælum*, an mare, an terra, an aer, & cætera quæ sunt in heis? nónne in cælo, vt ab æquinoctiali circulo ad solstitialem, & hinc ad septentrionalem diuisum? sic contra paribus partibus item à bruma versum contraria parte? non, quantum polo superior, abest inferior ab eo quem ἀνταρκτικὸν vocant astrologi, & is ad brumalem? non quemadmodum quodq; signum exortum hoc anno, quotquot anneis eodem modo exoritur? Num aliter sola bruma venit ad æquinoctium? an contra cùm ad solstitium, venit ad æquinoctialē circulum, & inde ad brumam? Nonne luna, vt à sole discedit ad aquilonem, & inde redit in eandē viam, sic inde fertur ad austrum & regreditur inde? Sed quid plura de astreis, vbi difficilius reperitur quid sit aut fiat in motibus dissimiliter?

19 ¶AT *in mari*, credo, motus non habent dissimilitudines geminas, qui in vigintiquatuor horeis lunaribus cottidie quater se mutant? At cùm sex horeis æstus creuerunt, totidem decreuerunt rursum iidem. Item ab heis, an hanc analogiam ad diem seruant, ad mensem non item ad alios motus? Sic item cùm habeant alios inter se conuenientes, de quibus in libro, quem de æstuariis feci, scripsi.

20 ¶ Non *in terra* in sationibus seruata analogia? nec cuiusmodi in præterito tempore fructuum genera reddidit, similia in præsentī reddat: & cuiusmodi à tritico iacto reddit segetes, sic ordeo sato proportione reddit parileis? Nónne vt Europa habet flumina, lacus, monteis, campos sic habet Asia?

21 ¶Non *in volucribus* generatim seruatur analogia? non ex aquileis aquilæ, atque ex

turdeis; qui procreantur, turdi: sic ex reliqueis sui cuiusque generis?

22 ¶An aliter hoc fit quàm in aëre, in aqua? non hîc conchæ inter se generatim innumerabili numero similes? non pisces? sanè muræna fit lupus, aut merula? Non bos ad bouem conlatus, similis? & qui in heis progenerantur inter se vituli? etiam vbi dissimilis fetus, vt ex equa & asino mulus: tamen ibi analogia. quòd ex quocunque asino & equa nascitur item mulus, aut mula, vt ex equo & asina hinnuli.

23 ¶Non sic ex vino & muliere omni similis partus? quid pueri & puellæ? non horum ita inter se, non omnia similia membra, vt separatim in suo vtroq; genere similitudines sint pariles? Non homines omneis cùm sint ex anima & corpore, partes quoque horum proportione similes? Quid ergo cùm omnes animæ hominum sint diuisæ in octonas parteis, inter se non proportione similes? quinque quibus sentimus: sexta, qua cogitamus: septima, qua progeneramus: octaua, qua voces mittimus? Igitur, quoniam qua loquimur voce orationem, hanc quoque necesse est natura habere anologias, itaque habet, annon.

24 ¶Vides vt Græci habeant eam quadripartitam? vnam, in qua sit casus; alteram, in qua tempora: tertiam, in qua neutrum: quartam, in qua vtrunque: sic nos habere? Et quid verba nescis, vt apud illos sint alia finita, alia non: sic vtraque esse apud nos equidem non dubito. Qui animaduerterunt item in eam innumerabilem similitudinem numerum: vt trium temporum verba, vt trium personarum.

25 ¶Qvis enim potest non animaduertisse in omni oratione esse, vt legebam, lego, legam: sic lego, legis, legit: cùm hæc eadem dicantur alias vt singula, alias vt plura significent? Quis est enim tam tardus qui illas quoque non animaduertit similitudines, quibus vtimur imperando, quibus in optando, quibus in interrogando, quibus in infecteis rebus, quibus in perfecteis, sic in aliis discriminibus?

26 ¶Qvare qui negat esse rationem analogiæ non videt naturam non solùm orationis, sed etiam mundi: qui autem vident & sequi negant oportere, pugnant contra naturam, non contra analogiam: & pugnant volselleis, non gladio: cùm pauca excepta verba ex pelago sermonis puri, minus trita efferant: cùm dicant propterea analogias non esse similiter vt si quis viderit mutilum bouem, aut luscum hominem, claudicantem equum, neget in cornibus boum, hominum & equorum, naturam similitudinis proportione constare.

27 ¶Qvi autem, cùm *duo genera* esse dicunt *analogiæ*, vnum *naturale*, quòd, vt ex lentibus nateis nascuntur lentes, sic ex lupineis lupinum: alterum *voluntarium*, vt in fabrica, cùm vident scænam, vt dexteriore parte sint ostia, sic esse in sinisteriore simili ratione facta: de heis duobus generibus *naturalem* esse analogiam: vt fit in motibus cæli: *voluntariam* verò esse, quòd vt cuique fabro libitum sit, possit facere partem scænæ: sic in hominum partibus esse analogias: quòd eas natura fecit: in verbeis non esse, quòd & homines ad suam quisque voluntatem fingunt. itaque de eisdem rebus alia verba habere Græcos, alia Syros, alia Latinos. Ego declinatus verborum & voluntarios & naturales esse puto. *voluntarios*, quibus homines vocabula imposuerint rebus quædam, vt à Romulo Roma, à Tibure Tiburtes: *naturalis*, vt ab impositeis vocabuleis, quæ inclinantur in tempora aut in casus: vt ab Romulus, Romuli, Romulo, Romulum, & à Dico, dicebam, dixeram. Itaque in voluntariis declinationibus inconstantia est, in naturalibus constantia: quas vtrasque, quoniam id non debeant negare esse in oratione quod in mundi partibus omnibus sit, & declinationes verborum innumerabiles, dicendum est esse in iis analogiam. Neque ideò statim ea in omnibus verbeis est sequenda. nam siqua perperam declinauit verba consuetudo, vt ea aliter afferri non possint sine offensione multorum, hinc orationem verborum non prætermittendam ostendit loquendi ratio.

28 ¶Qvod ad vniuersalem pertinet caussam, cur similitudo & sit in oratione & debeat obseruari, & quam ad finem quoque, satis dictum. ¶Quare, quod sequitur, *de partibus singuleis deinceps expediemus*, ac singula crimina quæ dicunt in analogias, soluemus. In quo animaduerto, naturam *quadruplicem esse formam ad quam in declinando accommodari debeant verba*: quòd debeat subesse res quæ designetur: & vt sit ea res in vsu: & vt vocis natura ea sit quæ significauit, vt declinari possit, & similitudo. Figura verbi, vt sit ea quæ ex se declinata genus prodere certum possunt. quo neque à terra *terrus* vt diceretur, postulandum est, quòd natura non subest. vt in hoc alterum maris, alterum feminæ debeat esset. Sic neque propter vsum, vt Terentius significat vnum, plures Terentij, postulandum est vt sic dicamus faba & fabæ, non enim in similibus vtrumque. neque vt dicimus Terentius Terentium, sic postulandum vt inclinemus *A* & *B*: quòd non omnis vox natura habet declinatus. neque enim forma conlata querendum solùm quid habeat in figura simile, sed etiam nonnunquam in eo, quem habeat effectum. Sic. n. lana Gallica & Appula videtur imperito similis propter speciem, cùm peritus Appulam emat pluris, quod in vsu firmior sit. Hæc nunc strictim dicta, apertiora fient infrà. incipiam hinc.

29 ¶Qvod rogant ex qua parte oporteat simile esse verbum, ab voce an à significatione: respon-

reſpondeamus à voce. ſed tamen nonnunquam quærimus, genere ſimiliáne ſint, quæ ſignificantur; ac nomen virile cum virili conferimus, feminæ cum muliebri. non quòd id, quod ſignificat voces, commoueat: ſed quòd nonnunquam in re diſſimilis figuræ, formas vocum indiſſimiles ponunt diſpariles. vt calcei, muliebres ſint an viriles, dicimus ad ſimilitudinem figuræ: cùm tamen ſciamus nonnunquam & mulierem habere calceos viriles, & virum muliebreis. Sic dici virum Perpernam, & M. Læcam muliebri forma, & contrà: parietem, vt abietem, eſſe forma ſimilem: cùm alterum vocabulum dicatur virile, alterum muliebre: & vtrunque natura neutrum. Sic itaque ea virilia dicimus, non quæ virum ſignificant, ſed quibus proponimus hic & hi. & ſic muliebria, in quibus dicere poſſumus hæc & hæ.

30 QVARE nihil eſt quod dicunt Theona & Diona non eſſe ſimileis: ſi alter eſt Æthiops, alter Gallus: ſi analogia rerum diſſimilitudines adſumat & ad diſcernendum vocis verbeis figuras.

31 ¶QVOD dicunt ſimile ſit nécne, nomen nomini, imprudenter Ariſtarchum præcipere, oportere ſpectare non ſolū ex recto, ſed etiam ex eorum vocandei caſu: eſſet enim ridiculum, ſi ſimiles inter ſe parentes ſint, de filijs iudicare. Qui errant, quòd non ab obliqueis caſibus ſit, vt recti ſſimili facie oſtendantur. ſed propter eos facilius proſpici ſimilitudo poteſt eorum, quam vim habeat. vt lucerna in tenebris adlata non facit, quæ ibi ſunt poſita, ſimilia ſint: ſed vt videantur quæ ſint quæve deſint. Quid ſimilius videtur quàm in heis eſt extrema littera *crux, frux?* quas qui audit voces, auribus diſcernere poteſt nemo: cùm eaſdem non eſſe ſimiles ex alijs verbeis intelligamus. quòd cùm ſint cruces, & fruges. & de heis extremeis ſyllabeis exemptum ſit C ex altero: ſic, vt ex C & S crux, ex G & S frux. quod item apparet cùm eſt demptum S. nam fit vnum, cruci, alterum, frugi.

32 ¶QVOD aiunt: cùm in maiore parte orationis non ſit ſimilitudo, non eſſe analogiam: dupliciter ſtultè dicunt, quòd & in maiore parte eſt, & in minore parte eſt. &, ſi in minore non ſit, tamen ſit in maiore. Niſi etiam nos calceos negabunt habere, quòd in maiore parte corporis calceos non habeamus.

33 ¶ QVOD dicunt, nos ſequi diſſimilitudinem: itaq; in veſtitu, in ſupellectile delectari varietate: non paribus ſubuculeis vxoris: reſpondeo, ſi varietas eſt iucunda, magis varium eſſe, in quo alia ſunt ſimilia, alia non ſunt. Itaque ſic, vt abacum argento ornari videmus, vt alia paria ſint, alia diſparia: ſic in oratione. Rogāt ſi ſimilitudo ſit ſequenda, cur malimus habere lectos alios ex ebore: alios ex teſtudine, ſic item genere aliquo alio ad quæ dico non diſſimilitudines quoque ſequi. ſæpe itaque ex eadem ſupellectili licet videre. nam nemo facit triclinii lectos, niſi pareis & materia, & altitudine, & figura. Quis facit mappas triclinarias non ſimileis inter ſe? quis puluinos? quis denique cetera quæ vnius generis ſint plura? ¶Cum (inquit) vtilitatis cauſſa introducta ſit oratio, ſequendum non quæ habebit ſimilitudinem, ſed quæ vtilitatem. Ego quidem vtilitatis cauſſa orationem factam eſſe concedo, ſed vt veſtimenta; quare vt hîc ſimilitudines ſequemur: vt virilis tunica ſit virili ſimilis, item toga togæ: ſic mulierum ſtola ſtolæ, proportione, & pallium pallio ſimile: ſi cùm ſint nomina vtilitatis cauſſa, tamen virilia inter ſe ſimilia: item muliebria inter ſe ſequi debemus.

34 ¶QVOD aiunt, vt perſedit, & perſtitit, ſic percubuit, & percubiuit: quoniam non ſit, non eſſe analogiam, & in hoc errant: quòd duo poſteriora ex prioribus declinata ſint: cùm analogia polliceatur ex duobus ſimilibus ſimiliter declinateis ſimilia fore.

35 QVI dicunt, quòd ſit à Romulo Roma, & non Romula: neque vt ab oue Ouilia, ſic à boue Bouilia, eſſe analogias: errant, quod nemo pollicetur é vocabulo vocabulum declinari recto caſu ſingulari in rectum ſingularem: ſed ex duobus vocabuleis ſimilibus caſus ſimiliter declinatos ſimiles fieri.

36 ¶ QVOD dicunt, quòd vocabula litterarum Latinarum non declinentur in caſus, non eſſe analogias: hi ea quæ natura declinari non poſſunt, eorum declinatus requirunt. proinde vt non ea dicatur eſſe analogia, quæ à ſimilibus verbeis ſimiliter declinateis ſimilia declinat. Quare non ſolùm in vocabuleis litterarum non hæc requirenda analogia, ſed ne in ſyllaba quidem vlla, quod dicimus hoc ab, huius ab: ſic alia. Quòd ſi quis in hoc quoque velit dicere eſſe analogias rerum; tenere poteſt: vt enim dicūt ipſi alia nomina, quòd quinque habent figuras, habere quinque caſus, alia quattuor, ſic minus alia: dicere poterunt eſſe litteras ac ſyllabas in voce, quæ ſingulos habent caſus. In rebus plurimeis, quemadmodum inter ſe conferrent ea, quæ quaternos habebunt vocabuleis caſus; item ea inter ſe quaternos: ſic, quæ ſingulos habebunt, vt conferant inter ſe: dicentes, vt ſit hoc A, huius A. eſſe hoc E, huius E, huic E.

37 QVOD dicunt, eſſe quædam verba quæ habeant declinatus, vt caput: quorum pars reperiri quòd non poſſit, non eſſe analogias: reſpondendum ſine dubio, ſi, quod eſt ſingulare verbum, id non habere analogias: minimum duo eſſe verba debent, in quibus ſit ſimilitudo. quare in hoc tollunt eſſe analogias? ſed initio vocabulum recto caſu apparet in

hoc, Quod dedit ita caput, nec dispendi facit hilum, Quod valet, neque dispendij facit quidquam. Idem hoc obliquo apud Plautum. Video enim te nihili pendere præ Philolache omnes homines. Quod ex ne & hili: quare dictus est *Nihili*, qui non hili. habet casus tum cùm commutatur, de quo dicitur. De homine, dicimus enim, hic homo nihili est, & huius hominis nihili, & hunc hominem nihili. Si in illo commutaremus: diceremus; vt hoc linum, & limum, sic nihilum, non hic nihili, & huic lino & limo: sic nihilo, non huic nihili. Potest dici patricus casus, vt ei præponuntur pronomina plura: vt hic casus Terentij, hunc casum Terentij: hic miles legionis, huius militis legionis, hunc militem legionis.

38 ¶NEGANT, cùm omneis natura sit aut mas, aut femina, aut neutrum: debuisse ex singuleis vocibus ternas figuras vocabulorũ fieri vt albus, alba, album: nunc fieri in multeis rebus binas, vt Metellus, Metella: nonnulla singula, vt tragœdia, comœdia. sic esse Marcum, Numerium: at Marcam, & Numeriam non: dici coruum, turdum, nõ dici coruam turdam. contrà dicj pantheram, merulam, non dici pãtherũ, merulũ. Nullius nostrum filium filiam non aptè discerni marẽ ac feminã: vt Terentium & Terentiam. contrà deorum liberos, & seruorum non itidem: vt Iouis filiũ & filiam, non Iouem & Iouam. item magnum numerum vocabulorum in hoc genere non seruare analogias. Ad hæc dicimus, omnis orationis, quamuis res natura subsit, tamen si ea in vsum non peruenerit, eo non peruenire verba: ideo equus dicitur & equa. in vsu enim horum discrimina: coruus & *corua* non. quòd sine vsu id, quod dissimilis natura. Itaque quædã aliter olim, & nunc: tum omnes mares & feminæ dicebantur columbæ, quòd non erant in eo vsu domestico quo nunc. contra propter domesticos vsus quòd internouimus, appellatur mas, columbus: femina, columba. Nã cùm in tria genera transit, & idem est in vsu discriminare, totúmque denique apparet, vt in doctus, docta, doctum. doctrina enim per hæc tria transire potest, & vsus docuit discriminare doctas res ab hominibus, & in heis marem ac feminam in mare, & femina, & neutro. Neque natura mas transit, neque femina, neque neutra: & ideo non dicitur *feminus, femina, feminum*: sic reliqua. Itaque singularib. & secreteis vocabuleis appellati sunt: quare in quibus rebus non subest similis natura, aut vsus, in heis vocabuleis huiuscemodi ratio quæri non debet. Ergo dicitur, vt surdus vir, surda mulier, sic surdum theatrum: quòd omnes tres ad auditum sunt comparatæ. Contrà nemo dicit cubiculum surdũ, ad silentium, non ad auditum. at si fenestrã non habet, dicitur cæcũ, vt cæcus & cæca, quod omnia habẽt lumẽ, habere debent mas ac femina. Habent inter se natura quandam societatem neutra cum heis, quòd sunt diuersa non inter se: quódque de heis perpauca sunt quæ habeant quãdam communitatem. dei & serui nomina, quod non item vt libera nostra transeunt, eadem ex caussa; quod ad vsum attinet, institutiopus fuit de liberis, de reliqueis nihil attinuit: quòd in serueis gentilitia natura non subest in vsu: in nostreis nominibus, qui sumus in Latio, & liberi, necessaria. Itaque ibi apparet analogia: ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus: in prænominibus ideo non fit item, quòd hæc instituta ad vsum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia: vt à numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta. In vireis, vt Quintus, Sextus, Decimus. sic ab alijs rebus, cùm essent duo Terentij, aut plures, discernendei caussa vt aliquid singulare haberent, notabant. forsitan ab eo qui mane natus diceretur, vt is *Manius* esse: qui luci, *Lucius*: qui post patris mortem, *Postumus*. E quibus, quæ cùm item accedisset femineis, proportione appellata. declarant prænomina mulierum antiqua, Mania, Lucia, Postuma. Videmus enim *Maniam*, matrem larum, & *Luciam* Volumniam, saliorum carminibus appellari. *Postumam* à multeis post patris mortem etiam nunc appellari. Quare quocunque progressa est natura, cum vsu vocabuli similis, proportione propagata est analogia. Cùm in quibus declinationibus voluntariis maris, & feminæ, & neutri, quæ voluntaria sunt, non debent similiter declinari: sed in quibus naturales sint declinatus, hi qui esse reperiuntur. Quocirca in tribus generibus nominum iniquè tollunt analogias.

39 ¶QVI autem eas reprehendunt quòd alia vocabula singularia sunt solùm, vt cicer: alia multitudinis solùm, vt scalæ: cùm debuerint esse omnia duplicia, vt equus equei: analogiæ fundamentum esse obliuiscuntur naturam. nam & vsu singulare est quod natura vnum significat, vt equus: aut quod coniuncta quodammodo ad vnum vsum, vt bigæ. itaque dicimus vna musa, sic dicimus vnæ bigæ. Multitudinis vocabula sunt vnum, infinitum, vt musæ: alterum, finitum, vt duo, tres, quatuor: dicimus enim, vt hæ musæ, sic vnæ bigæ. & binæ, & trinæ bigæ: sic deinceps. Quare tam vnei & vnæ & vna quodammodo singularia sunt, quàm vnus, & vna, & vnum hoc modo mutat, quòd altera in singularibus altera in coniũcteis rebus, & vt duo, tria, sunt multitudinis, sic bina, trina. Est tertium quoq; genus singulare, vt in multitudine, vter: in quo multitudinis, vt vter, vtrei: vter poëta singularis, vtrei poëtæ multitudinis est. Qua explicata natura, apparet non debere omnia vocabula multitudinis habere par singulare. omnes enim numeri à duobus sursum versus multitudinis sunt: neque co-

que eorum quisquam habere potest singulare compar. Iniuria igitur postulat, siqua sint singularia, oportere habere multitudineis.

40 ¶ITEM qui reprehendunt quòd non dicatur, vt vnguentum vnguenta, vinum vina: sic acetum *aceta*, garum *gara*: faciunt imperitè, qui ibi desiderant multitudinis vocabulum, quæ sub mensuram ac pondera potius quàm sub numerum succedant. nam in plumbo, oleo, argento, cùm incrementum accessit dicimus, multum oleum, multum plumbum, argentum: non multa *olea*, *plumba*, *argenta*: cùm quæ ex hisce fiant, dicamus plumbea & argentea. aliud enim cùm ex argento: nam id tum cùm iam vas argenteum, aut pocillum, aut quid item: quòd pocilla argentea multa, non quòd argentum multum. ea natura in quibus est mensura, non numerus, si genera in se habent plura, & in vsum venerunt, & genere multo. sic vina, vnguenta dicta. alius enim generis vinum, quod Chio, alius quod Lesbo. Sic ex regionibus, quæ ipsa dicuntur, nunc melius vnguenta, cui nunc genera aliquot. Si item discrimina magna essent olei & aceti; & sic ceterarum rerum huiuscemodi in vsu communi, dicerentur sic olea vt vina. Quare in vtraque denique re, scindere conatur analogiam: & cùm in dissimili vsu similia vocabula quærunt: & cum item ea quæ metimur, atque ea quæ numeramus, dici putant oportere.

42 ¶ITEM reprehendunt analogias, quòd dicantur multitudinis nomine *publica balinea* non *balinea*. contrà quòd priuati dicunt vnum balineum. quòd plura balineas dicant. Quibus responderi potest, non esse reprehendendum quòd scalæ, & aquæ calidæ, pleraque, quæ cùm multitudinis vocabuleis sint appellata, neque eorum singularia in vsum venerint. Idémque, item contra primum balineum nouum, & Græcum introijt in vrbem, publicè ibi consedit vbi bina essent coniuncta ædificia lauandei caussa: vnum vbi viri, alterum vbi mulieres lauarentur: ab eadem ratione domi suæ quisque vbi lauatur, balineum, dixerit. & quòd non erant duo, balinea dicere non consueuerunt: cùm hoc antiqui non balineum, sed Lauatrinam appellare consueuissent. Sed aquæ calidæ à loco, & quæ vbi scaterent, cùm vt colerentur, & venissent in vsum nostreis, cùm aliæ ad alium morbum idoneæ essent. Hæ cùm plures essent, vt Puteoleis, & in Tusceis, quibus vtebantur, multitudinis potius quàm singulari vocabulo appellarunt. Sic scalas, quod à scandendo dicantur, & singulos gradus scanderent: magis erat quærendum si appellassent singulari vocabulo scalam, cùm origo nominatus ostenderet contra.

42 ¶ITEM reprehendunt de casibus, quòd quidam nominatus habent rectos, quidam obliquos; quòd dicunt vtrósque in vocibus oportere. Quibus idem responderi potest: in quibus vsus & natura non subsit, ibi non esse analogiam, sed ne in heis vocabuleis quæ declinantur, si transeunt è recto casu in rectum casum: quæ tenent ferè non discedunt à ratione nulla caussa. vt hi qui gladiatores dicunt *Faustinios*. nam quod plerique dicuntur, vt treis extremas syllabas, habeant easdem, Casceliani, Aquiliani, Cæciliani: animaduertant vnde oriuntur nomina dissimilia: Cascelius, Cæcilius, Aquilius, Faustius: rectè dicerent *Faustianos* potius quàm Faustinios. sic à Scipione quidam malè dicunt *Scipionios*. nam contra est *Scipionarios*. Sed, vt dixi, quòd ab huiuscemodi cognominibus raro declinantur cognomina, neque in vsum etiam perducta notant quædam.

43 ¶ITEM dicunt, cùm sit simile stultus, luscus: & dicatur, stultus, stultior, stultissimus: non dici, luscus, *luscior*, luscissimus, sic in hoc genere multa. Ad quæ dico ideo fieri, quòd natura nemo lusco magis sit luscus: cùm stultitior fieri videatur.

44 QVOD rogant, cur non dicamus mane, *manius*, *manissime*: item de vespertino tempore: vere magis & minus esse non potest: ante & post potest. itaque prius est hora prima quàm secunda, non magis hora, sed magis mane surgere tam dicitur qui primo mane surgit, quàm qui non prior. Vt enim dies non potest esse magis quàm mane: itaque ipsum hoc quod dicitur magis sibi non constat: quòd magis mane significat primum mane, magis vespere, nouissimum vesper.

45 ¶ITEM ab huiuscemodi similitudinibus analogia, quòd cùm sit anus, cadus simile: & sit ab anu *Anicula*, *Anicella*, à cado duo reliqua. quòd non sint propagata: sic non dicatur à piscina *piscinula*, *piscinella*. ad huiuscemodi vocabula analogias esse, vt dixi, vbi magnitudo animaduertenda sit in vnoquoque gradu, & quæ sit in vsu communi, vt est cista, *cistula*, *cistella*, & canis, *catulus*, *catellus*: quod in pecoris vsu non est. Itaque consuetudo frequentius res in binas diuidit parteis, vt maius & minus: vt lectus, & *lectulus*, arca & *arcula*, sic alia.

46 ¶QVOD dicunt, casus alia non habere rectos, alia obliquos, & ideo nō esse analogias, falsum est. Negant habere rectos, in hoc, frugis, frugem itē roris, rorem: obliquos nō habere, vt in hoc Diesper, Marspiter. Ad hoc respondeo, & priora habere nominādei, & posteriora obliquos. Nam & *frugi* rectus est natura *frux*: ac si secundum consuetudinem dicimus, vt hæc auis, hæc ouis, sic hæc frugis. Sic secundum naturam nominandei est casus roris, secundum consuetudinem ros: cùm vtrumque

conueniat ad analogiam; quod & id quod in consuetudine non est cuiusmodi debeat esse apparet: & quod est in consuetudine nunc in recto casu, eadem est analogia ad pleraque, quæ ex multitudine cùm transeunt in singulare, difficulter efferuntur ore. sic cùm transiretur ex eo quod dicebant hæ oues, vna non est dicta oues, sed additum I, ac factum ambiguum verbum nominandei an patrici sit casus, vt ouis, & auis. Sic in obliqueis casibus cur negant esse *Marspipitris Diespitris*, non video: nisi quòd minus est tritum in consuetudine quàm Diespiter: quod in nihil argumentum est. nam tam casus, qui non tritus est, quàm qui est. Sed in casuum serie alia vocabula non habent nominandei, alia de obliqueis aliquem. Nihil enim video quo minus si ratio percellere poterat hoc crimen. Nam vt signa quæ non habent caput, aut aliquam aliam partem, nihilominus in reliqueis membreis eorum esse possunt analogiæ, sic in vocabuleis casuum. Possunt item fieri, ac reponi quod aberit, vbi patietur natura & consuetudo: quod nonnunquam apud poetas inueniemus factum. vt in hoc apud Næuium in Clastidio, Vita insepulta lætus in patriam reduxit.

47 ¶ ITEM reprehendunt quòd dicatur hæc strues, hic Hercules, hic homo: debuissent enim dici (si esset analogia) hic *Hercul* hæc *strus*, hic *homon*. hæc ostendunt non analogiam non esse, sed obliquos casus non habere caput ex sua analogia. nam vt in Alexandri statua si imposueris caput Philippi, membra conueniunt ad rationem: sic & ad Alexandri membrorum simulacrum caput, quod respondeat, ita fit. Nam si quis tunicam in vsu ita consuit, vt altera plagula sit angusteis claueis, altera lateis: vtraque pars in suo genere caret analogia.

48 ¶ ITEM negant esse analogias, quòd alij dicunt cupressus, alij cupressei. item de ficeis, platancis, & plerisque arboribus: de quibus alij extremum VS, alii EI faciunt. Id est falsum. nam debent dici hei & hæ ficei: quòd est vt nummei, ficei, vt nummorum, ficorum, si essent plures ficus, vt manus, diceremus vt manibus, sic ficibus: & vt manuum, sic ficuum. neque has ficos diceremus, sed ficus, vt non manos, sed manus. Sed neque consuetudo diceret singulareis obliquos casus huius fici, neque ab hac fico: vt non dicit huius mani, sed huius manus. & ab hac mano, sed manu.

49 ET illud putant esse caussæ cur non sit analogia, quòd Lucilius scribit, Decuis, siue decussis est, qui errant: quòd Lucilius nō debuit dubitare, quod vtrumque: nam in ære vsq; ab asse ad centussis numerus æs adsignificat, & eius numeri finito casus omnes à dupondio sunt quod dicitur à multeis duobus modeis, hic dupondius, & hoc dupondium: vt hoc gladium, & hic gladius. à tressibus virilia multitudinis hei tresses & heis tressibus: cum sit singulare hoc tressis ab eo; sic deinceps ad centussis. Deinde numerus æs non significat. numeri qui æs non significant, vsque à quatuor ad centum, tripliceis habent formas; quòd dicuntur hei quattuor, hæ quattuor, hæc quattuor: cùm peruentum est ad mille quartum adsumit singulare neutrum: quod dicitur hoc mille denarium, à quo multitudinis fit millia denaria. Quare quom ad analogias quod pertineat, non est vt omnia similia dicantur, sed vt in suo quæque genere similiter declinentur: stultè quærunt cur æs & dupondius & tressis non dicantur proportione: cùm as sit simplex, dupondius fictus, quòd duo asses pendebat, tressis ex tribus æris, quòd sic pro assibus nonnunquam æs dicebant antiqui. à quo dicimus assem tenentes, *Hoc ab ære, æneáque libra*: & mille æris legasse. quare, quòd à tressis vsque ad centussis numeri eiusmodi sunt compositi, eiusmodi habent similitudinem: dupondius, quòd dissimilis est, vt debuit, dissimilem habet rationem. Sic as, quoniam simplex est ac principium, & vnum significat, & multitudinis habet suum infinitum. dicimus enim asses: quos cùm finimus, dicimus dupondius & tressis, & sic porro, Videtur mihi, quoniam finitum & infinitum habeat, similitudinem non habere, vtrunque item dici: eo magis quòd in ipseis vocabuleis vbi additur certus numerus, alitur atque in reliqueis dicitur. Nam sic loquuntur, hoc mille denarium, non hoc mille denarii: &, hæc duo millia denariûm, non duo millia denarii. Si esset denarii in recto casu, atque infinitam multitudinem significaret, tunc in patrico denariorum dici oportebat. & non solùm in denariis, victoriateis, drachmeis, nummeis, sed etiam in vireis idem seruari oportere, cùm dicimus iudicium fuisse triumuirum, decemuirum, non triumuirorum, decemuirorum. Numeri antiqui habent analogias, quòd omnibus est vna nouenaria regula, duo actus, tres gradus, sex decuriæ; quæ omnia similiter inter se respondent. regulæ est numerus nouenarius, quod ab vno nouem cùm peruenimus, rursus redimus ad vnum, & hinc vnum & nongenta ab vna sunt natura nouenaria. sic ab octonaria & deorsum versus ad singularia perueniunt. Actus primus est ab vno ad nonaginta: secundus, à mille ad nonaginta millia: quod idem valebat vnum, & mille: vtrunque singulari numero appellant. Nam vt dicitur hoc vnum, hæc duo millia, & sic deinceps multitudineis: in duobus actibus reliqui omnes item numeri. Gradus singularis est in vtroque actu ab vno

ab vno ad nouem: denarius gradus ad decem ad nonaginta: centenarius ad nongenta: ita tribus gradibus sex decuriæ fiunt, tres milliariæ,& tres minores. antiqui heis numereis fuerunt contenti. Ad hos tertium & quartum actum à deciens minora imposuerunt vocabula, neque ratione: sed tamen non contra est eam de qua scribimus analogiam. Nam vt deciens cùm dicatur, hoc deciens, vt hoc mille, huius mille, vt sit vtrumque sine casibus vocis, dicemus, vt hoc mille, huius mille, sic hoc deciens, huius deciens: nec eò minus in altero, quod est mille, præponemus heis mille, horum mille.

50 ¶ QVONIAM in eo est nomen commune, quam vocant ὁμωνυμίαι obliqui casus, ab eodem capite, vbi erit ὁμωνυμία, quo minus dissimiles fiant, analogia non prohibet. Itaque dicimus hic Argus, cùm hominem dicimus; cùm oppidum, Græcanice hoc Argos, Latine hei Argei, item faciemus. eadem vox nomen & verbum significabit, vt in casus & in tempora dispariliter declinetur, vt faciamus à Meto, quod nomen est, Metonis, Metonem: quod verbum est, meto, metis, metam, metebam.

51 ¶ REPREHENDVNT, cùm ab eadem voce plura sunt vocabula declinata, & sunt quas συνωνυμίας appellant, vt Sappho, & Alcæus, & Alcæo, sic Geryon, & Geriones, & Geryonas: in hoc genere, quòd casus perperam permutant quidam: non reprehendunt analogiam, sed qui eis vtitur imperitè quod quisque caput pertenderit, sequi debet eius consequentias casus in declinando: ac non facere, cùm dixerit recto casu Alcæus in obliqueis dicere Alcæoni & Alcæonem: quòd si institerit, & non secutus erit analogias.

52 ¶ REPREHENDVNT Aristarchum, quòd hæc nomina *Melicertes* & *Philomedes* similia neget esse, quòd vocandei casus habet alter *Melicerta*, alter *Philomede*. Sic qui dicat, *lepus* & *lupus*, non esse simile, quòd alterius vocandei casus sit *lupe*, alterius, *lepus*. Sic *socer*, *mater*. quòd in transitu fiat ab altero trisyllabam *soceri*, ab altero bisyllabum *matri*. De hoc etsi supra responsum est cùm dixi de lana, heic quoque amplius adiiciam: similia non solùm à facie dici, sed etiam ab aliqua coniuncta vi & potestate, quæ & oculeis & auribus latere soleat. itaque sæpe gemina facie mala negàmus esse similia, si sapore sunt alió. Sic equos eadem facie nonnullos negamus esse simileis in nationes ex procreante dissimileis. Itaque in hominibus emendeis, si natione alter est melior, emimus pluris. atque in heisce omnibus similitudines non sumimus tantum à figura, sed etiam aliunde, vt in equeis ætas, vt in heis eiusmodi faciant pullos: vt in pomeis, quo sint succo. si igitur idem sequitur in similitudine verborum, quis reprehendendus non est. quare dissimilitudinum discernendarum caussa nonnunquam vt pronomen adsumitur, sic casum aliquem adsumi, vt in heis nemus, lepus, hic lepus, hoc nemus. Itaque differunt, ac dicuntur hei lepores, hæc nemora, sic aliud siquid adsumptum erit extrinsecus, quo similitudo penitus perspici possit. non enim erit remotum à natura. neque enim magnetes lapides duo inter se similes sint necne, perspicere possis, nisi minutum extrinsecus prope apposueris ferrum: quòd similes lapides similiter ducunt, dissimiliter dissimiles. Quod ad nominationum analogiam pertinet, ita declinatum arbitror vt omnia quæ dicuntur contra, ad respondendum ab heis sumi fontibus possit.

53 ¶QVOD ad verborum rationem attinet, cùm partes sint quatuor, temporum, personarum, generum, diuisionum: ex omni parte quoniam reprehendunt ad singula respondebo.

54 ¶ PRIMVM quod aiunt analogias non seruari *in temporibus*, cùm dicant, lego, legi, legam, & sic mille alia: nam quæ sunt vt legi, perfectum significare, duo reliqua, legam & lego, inchoatum: iniuria reprehendunt. Nam ex eodem genere & diuisione idem verbum, quod sumptum est, per tempora traduci potest: vt discebam, disco, discam: & eadem perfecti, sic, didiceram, didici, didicero: ex quo licet scire verborum rationem constare. Sed eos qui trium temporum verba pronuntiare velint, scienter id facere scire licet.

55 ¶ITEM illos qui reprehendunt, quòd dicimus, amor, amabor, amatus sum. non enim debuisse in vna serie vnum verbum esse duplex, cùm duo simplicia essent. Neque ex diuisione vniusmodi pæne verba discrepant inter se. nam infecta omnia simplicia similia sunt & perfecta duplicia inter se paria in omnibus verbeis: vt heic, amabar, amor, amabor, amatus ero. quare item male dicunt, ferio, feriam, percussi: quòd est ordo, feriam, ferio, feriebam: & item percussi, percutio, percutiam, sic deinceps in reliqueis temporibus reprehendenti responderi potest.

56 ¶SIMILITER erant qui dicunt ex vtraq; parte verba omnia commutare syllabas oportere, vt in heis, pungo, pungam, pupugi: tundo, tundam, tutudi. dissimilia enim conferunt, verba infecta cum perfecteis. Quod si infecta modò conferrent, omnia verbi principia incommutabilia viderentur: vt in heis, pũgebam, pungo, pungam. Et contrà ex vtraque parte commutabilia si perfecta ponerent, vt pupugeram, pupugi, pupugero.

57 ¶ITEM malè conferunt, fui, sum, ero: quòd fui est perfectum: cuius series sibi, vt debet, in omnibus personeis & formeis constat:

quod est, fueram, fui, fuero, de infecteis. sum, quodnunc dicitur, dicebatur, esum: & in omnibus personeis constabat, quòd dicebatur, esum, es, est: eram, eras, erat: ero, eris, erit. sic huiusmodi cætere seruare analogiam videbis.

58 ¶Etiam hoc reprehendunt, quod quædam verba neque personas habent ternas, neque tempora terna. Id imperitè reprehendunt, vt si quis reprehendat naturam quòd non vniusmodi finxerit animaleis omneis. Si enim natura non omnes formæ verborum terna habeant tempora, ternas personas: non habent totidem verborum diuisiones: quare cùm imperamus naturæ, quòd infecta solum habet: cùm & presenti & absenti imperamus, fiunt terna, vt lege, legito, legat. perfectum enim imperat nemo. contrà quæ sunt fatendei, vt, lego. legis, legit, nouena fiunt verba infecti, nouena perfecti.

59 ¶ Qvocirca non si genus cum gegenere discrepat, sed in suo quisque genere. si quid deest, requirendum. ad hæc addita si erũt ea quæ de nominatiueis supra sunt dicta, facilius omnia soluentur. Nam vt illeic extremum caput rectos casus, sic heic in forma est persona eius qui loquitur, & tempus præsens: vt scribo, lego quare vt illeic fit, sic heic item acciderit in formula, vt aut caput non sit, aut ex alieno genere sint proportione eademque illeic dicimus. cur nihilominus seruetur analogia: item sicut illeic caput suum habebit, & in obliqueis casibus transitio erit in aliquam formulam, qua adsumpta, reliqua facilius possunt videri verba vnde sint declinata. Fit enim vt rectus nonnunquam sit ambiguus: vt in hoc verbo *Volo*, quòd id duo significat: vnum à voluntate, alterum à volando. Itaque à Volo intelligimus & volare & velle.

60 Qvidam reprehendunt quòd *Pluit* & *Luit* dicamus in præterito & præsenti tempore, cùm analogiæ sui cuiusque temporis verba debeant discriminare. Falluntur: nam est, ac putant, aliter: quòd in præteriteis V dicimus longum luit, pluit: in presenti breue, luit, pluit. Ideóque in venditionis lege fundi *ruta cæsa* ita dicimus vt V producamus.

61 ¶ Item reprehendunt quidam quòd putant idem esse *sacrifico*, & *sacrificor*, & *lauat*, & *lauatur*. quod sit annon, nihil commouet analogiam: dum sacrificat, qui dicat, seruet sacrificabo, & sic per totam formam. nec dicat, sacrificandus, aut sacrificatus sum. hæc enim inter se non conueniunt. Apud Plautum cùm dicit, Pisceis ego credo, qui vsque dum viuunt, adlauant, diu minus lauari quàm hæc lauat Phronesium. Adlauant lauari non conuenit: vt T sit postremũ, sed R, vt lauantur. analogia adlauari reddit, quod Plauti aut librarij mendum fuit. si est, non ideo analogia, sed qui scripsit, est reprehendendus. omnino & lauant & lauantur dicitur separatim rectè in rebus certeis: quòd puerum nutrix lauat, puer à nutrice lauatur: nos in balineis & lauamus & lauamur. Sed consuetudo alterutrum cùm satis haberet, in toto corpore potius vtimur *Lauamur*, in partibus, *Lauamus*. quòd dicimus lauo manus, sic pedes, & cetera. Quare in balineis non rectè dicunt *Laui*, laui manus rectè. sed quoniam in balineis lauor, *lauatus sum*, sequitur. vt contrà, quoniam est soleo, oportet dici *Solui*, vt Cato & Ennius scribunt, non, vt dicit volgus, *Solitus sum*, debere dici. neque propter hæc, quòd hæc quoque discrepant in sermone pauca, minus est analogia, vt supra dictum est.

62 ¶Item cur non sit analogia, adferunt, quod à similibus similia non declinãtur, vt ab *dolo*, & *colo*. ab altero enim dicitur *dolaui*, ab altero *colui*. In quibus adsumi solet aliquid, quo facilius reliqua dicantur, vt Myrmecidis operibus minuteis solet fieri. Igitur in verbeis temporalibus quom similitudo sæpe sit confusa, vt discerni nequeat nisi trãsieris in aliã personam aut in tẽpus, quæ proposita sunt, nosse, similia intelleguntur, cùm transitũ est in aliam personam: quod alterum est, dolas, alterũ colis. Itaque in reliqua forma verborũ suam vterque sequitur formam, vtrum in secunda forma verborum temporale habeat in extrema syllaba AS, acsi discernendas dissimilitudines interest: quocirca quare ibi potius index analogiæ, quàm in prima? quod ibi abstrusa est dissimilitudo, vt apparet in heis, *meo*, *neo*, *veho*. ab heis enim dissimilia fiunt transitu. quod sic dicuntur, *meas*, *nes*, *vehis*: quorum vnumquodque suas conseruat similitudinis formas.

63 ¶Analogiam item de heis quæ appellantur participia, reprehẽdunt multa iniuria. Nam nõ debent duci terna à singuleis verbeis, amaturus, amans, amatus: quòd est ab amo, amans, & amaturus: ab amor amatus. Illud analogia quod præstare debet, in suo quidque genere habet casus, vt amatus, amato, amati: & sic in mulieribus, amata, amatę: item amaturus eiusmodi habet declinationes. amans paulo aliter, quòd hoc genus omnia sunt in suo genere similia proportione. sic virilia & muliebria sunt eadem.

64 De eo quod in priore libro extremum est, ideo non est analogia: quòd qui de ea scripserint, aut inter se non cõueniant aut in quibus conueniant, ea cũ consuetudinis discrepãt verbeis vtcunque. Sic enim omneis repudiandum est arteis: quòd in medicina & in musica & in alijs multeis discrepant scriptores. itẽ in quibus conueniunt, vt scripteis, sic etiã re repudiant. nam quod ita dicitur, non sit ars, sed artifex reprehendendus, qui debet in scribendo non vidisse verum: non ideo non posse scribi verum. qui dicit hoc monti, & hoc fonti, cùm alij dicant hoc monte & hoc fonte: sic

aliæ quæ

alia quæ duobus modeis dicuntur, cùm alterum sit verum, alterum falsum: non vter peccat, tollit analogias: sed vter rectè dicit, confirmat: & quemadmodum is qui cùm peccat in heis verbeis, vbi duobus modeis dicuntur, non tollit rationem cùm sequitur falsum: sic etiam in heis quæ non duobus dicuntur, siquis aliter putat dici oportere atque oportet, non scientiam tollit orationis, sed suam inscitiam nudat.

63 ¶Qvibvs rebus solui arbitraremur posse quæ dicta sunt priore libro contra analogiam, vt potui, breui percurri. Ex quibus si id confecissent, quod volunt, vt in lingua Latina esset anomalia: tamen nihil egissent: ideo quòd in omnibus partibus mundi vtraque natura inest: quòd alia inter se, alia sunt sicut in animalibus dissimilia: vt equus, bos, ouis, homo: item alia in vnoquoque horum genere inter se similia innumerabilia. Item in piscibus dissimilia, muræna lupo, heis soleæ, hæ murænæ, & mustellæ, sic aliis. vt maior ille numerus sit similitudinum earum quę sunt separatim in muræneis, separatim in aselleis, sic in generibus aliis. Quare cùm in inclinationibus verborum numerus sit magnus à dissimilibus verbeis ortus, quòd etiam vel maior est in quibus similitudines reperiuntur, confitendum est esse analogias. Itémque cùm ea non multò minus quàm in omnibus verbeis patiatur vti consuetudo communis: fatendum illud, quodammodo analogiam sequi nos debere vniuersos, singulos autem, præterquam in quibus verbeis offensura sit consuetudo communis. quòd, vt dixi, aliud debet præstare populus, aliud è populo singuli homines. Neque id mirum est, cùm singuli quoque non sint eodem iure. nam liberius potest poeta quàm orator sequi analogias.

¶ Quare, cum hic liber id quod pollicitus est demonstraturum absoluerit, faciam finem. proximo deinceps de declinatorum verborum forma scribam.

EPITOME LIBRI NONI.

De quatuor rebus quæ continentur declinationibus verborum. De simili ac dissimili 1. *Quid ratio quam appellant* λόγον. 2. *Quid Proportio quod dicunt* ἀνάλογον. 3. *Quid consuetudo & vsus.* 4. *In quibus non sit seruanda Analogia.* 5. *In quibus sit seruanda Analogia.* 6.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA LIBER NONVS.

In verborvm declinationibus disciplina loquendi dissimilitudinem an similitudinem sequi deberet multi quærunt. Cùm ab heis ratio quæ à similitudine oriretur, vocaretur *analogia*, reliqua pars appellaretur *anomalia*: de qua re primo libro, quæ dicerentur, cur dissimilitudinem ducem habere oporteret, dixi. Secundo contra quæ dicerentur, cur potius similitudinem conueniret præponi. quarum rerum quòd nec fundamenta, vt debuit, posita ab vllo, neq; ordo ac natura, vt res postulat, explicata, ipse eius rei formam exponam. ¶ Dicam de quattuor rebus quæ continentur declinationibus verborum: quid sit *simile ac dissimile*. quid *ratio* quam appellant λόγον, quid *proportio*, quod dicunt ἀνάλογον, quid *consuetudo*. quæ explicatæ declarabunt analogiam & anomaliam, vnde sit, quid sit, cuiusmodi sit.

2 ¶De similitudine & dissimilitudine ideo primum dicendum, quòd ea res est fundamentum omnium declinationum, ac continet rationes verborum. ¶*Simile* est, quod res plerasq; videtur habere easdem: quas illud cuiusque simile. ¶*Dissimile* est quod videtur esse contrarium. huius minimum ex duobus constat omne simile, item dissimile, quòd nihil potest esse simile quin alicuius simile: item nihil dicitur dissimile quin addatur quoius id sit dissimile. Sic dicitur similis homo homini, equus equo: & dissimilis homo equo: nam similis est homo homini, ideo quòd easdem figuras membrorum habent, quæ eos diuidunt ab reliquorum animalium specie: in ipseis hominibus simili de caussa vir viro similior quam vir mulieri, quòd plures habent easdem partes: & sic senior seni similior quàm puero. Eo porro similiores sunt qui facie quoque pæne eadem, habitu corporis simili. Itaque qui plura habent eadem dicuntur similiores: qui proxime accedunt ad id vt omnia habeant eadem, vocantur gemini, similimi. ¶Sunt qui treis naturas rerum putent esse, *simile, dissimile, neutrum*, quod aliàs vocetur non simile, aliàs non dissimile. Sed quamuis tria sint, simile, dissimile, neutrum, tamen potest diuid

etiam in duas parteis: sic, quodcumque conferas, aut simile esse, aut non esse. *simile* esse & *dissimile*, si videatur esse, vt dixi: *neutrum*, si in neutram partem præponderet: vt si duæ res quæ conferuntur, vicenas habent parteis, & in heis denas habeant easdem, denas alias ad similitudinem & dissimilitudinem æquè animaduertendas. hanc naturam plerique subijciunt sub dissimilitudinis nomen. Quare quoniam fit vt potius de vocabulo quam de re controuersia esse videatur: illud est potius aduertendum, cùm *simile* esse dicitur quid, cui parti simile dicatur esse. in hoc enim solet esse error, quòd potest fieri vt homo homini simile sit, & non sit, vt multas partes habeat simileis; & ideò dici possit simileis habere oculos, manus, pedes, sic alias res separatim, & vnà plures. Itaque, quod diligenter videndum est in verbeis, quas parteis & quot modeis oporteat vt simileis dicantur, vt infrà apparebit: is locus maximè lubricus est. Quid enim similius potest videri indiligenti, quàm duo verba hæc, *suis* & *suis*? quæ non sunt: quòd alterum significat suere, alterum suem. Itaque similia esse vocibus ac syllabeis confitemur, dissimilia esse partibus orationis videmus: quod alterum habet tempora, alterum casus. quæ duæ res vel maximè discernunt analogias. Item propinquiora genere inter se verba similem sæpe pariunt errorem, vt in hoc, quòd *nemus* & *lepus* videntur esse simile, quod vtrumque habuerit eundem casum rectum: sed non est simile, quòd eis certæ similitudines, opus sunt, in quo est, vt in genere nominum sint eodem. quod in heis non est: nam in virili genere est lepus, & neutro nemus: dicitur enim hic lepus, & hoc nemus. Si eiusdem generis essent, vtrique præponeretur idem, ac diceretur aut hic lepus aut nemus, hic aut hoc lepus, & hoc nemus. quare, quæ & cuiusmodi sunt genera similitudinũ ad hanc rem, perspiciendum ei qui declinationes verborum proportione sintne, quæret. Locum hunc, quod est difficilis, qui de heis rebus scripserunt, aut vitauerunt. aut inceperunt, neque adsequi potuerunt. itaque in eo dissensio, neque ea vniusmodi, apparet. nam alij de omnibus vniuerseis discriminibus posuerunt numerum: vt Dionysius Sidonius, qui scripsit eas esse septuaginta vnum: alij, partes eius, quæ habent casus: cuius eadem hic cum dicat esse discrimina quadraginta septem, Aristoteles retulit in litteras quatuordecim, Nestocles Parmenisius in litteras octo: sic alij pauciora, aut plura. quarum similitudinum si esset origo rectè capta, & inde orsa ratio, minus erraret in declinationibus verborum, quarum ego *principia* prima *duorum generum* sola arbitror esse, *ad quæ similitudines exegi oporteat*: è queis vnum positum *in verborum materia*, alterum vt *in materia figura*, quæ ex declinatione fit. Nam debet esse vnum, vt verbum verbo, vnde declinetur, sit simile: alterum, vt è verbo in verbum declinatio, ad quam conferatur, eiusdem modi sit. aliàs enim à similibus verbeis similiter declinantur, vt ab herus, ferus: hero, fero: aliàs dissimiliter herus ferus, heri ferum. Cùm vtrumque & verbum verbo erit simile, & declinatio declinationi; tum denique dicam esse similem, ac duplicem & perfectam similitudinem habere, id quod postulat analogia. Sed ne astutius videar posuisse *duo genera* esse *similitudinum sola*, cùm vtriusque inferiores species sint plures: si de heis reticuero, vt mihi relinquam latebras, repetam ab origine, quæ similitudineis conferendeis verbeis & inclinandeis sequendæ aut vitandæ sunt. ¶Prima diuisio in oratione, quòd *alia verba nusquam declinantur*, vt hæc, vix, mox: *alia declinantur*, vt à limo, limabo: à fero, ferebam: & cùm *nisi in heis verbeis quæ declinantur, non possit esse analogia*, qui dicit simile esse *mox* & *nox*, errat: quod non est eiusdem generis vtrumque verbum, cum nox succedere debeat sub casuum ratione. nox neque debeat neque possit. ¶Secunda diuisio est *de heis verbis quæ declinari possunt*: quòd alia sunt à voluntate, alia à natura. *Voluntatem* appello cum vnusquisque à nomine alio imponit nomen, vt Romulus, Roma. *Naturam* dico, cum vniuersi acceptum nomen ab eo qui imponit non requirimus quemadmodum id velit declinari, sed ipsi declinamus, vt huius Romæ, hanc Romam. De heis duabus partibus, *voluntaria declinatio refertur ad consuetudinem, naturalis ad rationem* Quare proinde ac simile, conferri non oportet, ac dicere, vt fit à Roma Romanus, sic ex Capua dici oportere Capuanus: quod in consuetudine vehementer nutat: quòd declinantes imperite rebus nomina imponunt, à quibus cùm accepit consuetudo, turbulenta necesse est dicere. itaque neque Aristarchus neque alij in analogijs defendendam eius susceperunt caussam. Sed, vt dixi, hoc genere declinatio in communi consuetudine verborum ægrotat & languescit: quòd oritur è populi multiplici imperio. itaque in hoc genere in loquendo magis anomalia quàm analogia.

¶Tertia diuisio est, quæ verba declinat à natura. ea diuiditur in parteis quatuor. in vnam *primam*, videlicet, quæ habet casus, neque tempora habent: vt docilis, facilis: in *alteram*, quæ tempora habent, neque casus: vt docet: facit: in *tertiam*, quæ vtraque habet, vt docens, faciens: in *quartam*, quæ neutrum: vt doctè. Ex hac diuisione singuleis partibus tres reliquere dissimiles. Quare nisi in sua parte inter se collata erunt verba, si non conueniunt, non erit ita simile vt debeat facere idem.

¶ In,

¶In articuleis vix adumbrata est analogia & magis vocum quàm rerum: in nominibus magis expressa: ac plus etiam in vocibus ac similitudinibus, quàm in rebus, suam obtinet rationem. Etiam illud accedit, in articuleis, habere analogias, ostendere sit difficile, quòd singula sint verba: heic contra facile, quòd magna sit copia similium nominum. Quare non tam hanc partem ab illa diuidédum quam illud videndum, vt satis sit verecundi, etiam illam in eandem harenam vocare pugnatum. ¶Vt in articuleis duæ partes, finitæ & infinitæ: sic in vocabuleis duæ, vocabulum & nomen: non enim idem, oppidum, & Roma: cùm oppidum, sit *vocabulum*, Roma *nomen*. quorum discrimen in heis reddendeis rationibus alii discernunt, alii non: nos sicubi opus fuerit, quid sit, & cur, adscribimus vniuscuiusque partes. quoniam species plures, de singulis dicam. Prima pars casualis diuiditur in parteis duas, in *nominatiuum* scilicet: quod finitum & infinitum est, vt hic & quis. de heis generibus duobus vtrum sumpseris, cum reliquo non conferendum, quòd inter se dissimiles habeant analogias nominatus.

¶Vt similis sit nominatus, habere debet vt sit eodem genere, specie eadem, sic casu, exitu. *Genere*, vt si nomen est, quod conferas sit nomen. *Specie simile*, vt non solum sed vtrunque sit virile. *Casu simile*, vt si alterum sit dandei, item alterum sit dandei, quocum conferas. *Exitu*, vt quas vnum habeat extremas litteras, easdem alterum habeat. ¶Ad hunc quadruplicem fontem ordines diriguntur binis vni, transuersi; alteri, directi: vt in tabula solet in qua latrunculeis ludunt. *Transuersi* sunt qui à recto casu obliqui declinantur, vt albus, albi, albo: *directi* sunt, qui à recto casu in rectos declinantur, vt albus, alba, album. vtrique sunt partibus seneis. Transuersorum ordinum partes appellantur *casus*: directorum, *genera*: vtreisque inter se implicateis, *forma*. Dicam prius de transuerseis. ¶Casuum vocabula alius alio modo appellauit. nos dicemus, qui nominandei caussa dicitur, *nominandei* vel *nominatiuum*.

* *Desunt paginæ* *

& scopæ dicitur vna scopa. aliter enim natura, quòd priora simplicibus, posteriora coniuncteis rebus vocabula ponuntur. sic bigæ, sic quadrigæ, à coniunctu dictæ. itaque non dicitur, vt hæc vna, lata, & alba: sic vna biga, sed vnæ bigæ: neque vt dicitur, vt hæ duæ, latæ, albæ, sic hæ duæ bigæ, & quadrigæ. Item *figura verbi* qualis sit refert, quòd in figura vocis alias commutatio sit in vno verbo in medio: vt curso, cursito: alias in extremo, vt doceo, docui: alias communis, vt lego legi. Refert igitur, ex quibus littereis quodq; verbum constet, maximè extrema, quòd ea in plereisque commutantur. quare in heis quoque partibus similitudines ab aliis malè, ab aliis bene. quod solent sumi in casibus conferendeis, rectè an perperam videndum. sed vbicunque commouentur litteræ, non solùm hæ sunt animaduertendæ, sed etiam quæ proximæ sunt, neque mouentur. hæc enim vicinitas aliquantum potest in verborum declinationibus. In queis figureis non ea similia dicemus quæ simileis res significant: sed quæ ex forma sint vt eiusmodi res similia ex instituto significare plerunque soleant. vt tunicam virilem & muliebrem, dicimus non eam quam habet vir aut mulier, sed quam habere ex instituto debet. potest enim muliebrem vir, virilem mulier habere (vt in scæna ab actoribus haberi videmus) sed eam dicimus muliebrem, quæ de eo genere est, quo indutu mulieres, vt vterentur, est institutum. vt actor stolam muliebrem, sic Perperna, & Cæcina, & Purpurina figura muliebria dicuntur habere nomina, non mulierum. ¶*Flexura* quoque *similitudo* videnda, ideo quòd alia verba quam vim habeant ex heis verbeis vnde declinantur, apparet, vt quemadmodum oporteat, vt à prætor, consul; prætori, consuli. Alia ex transitu intelliguntur, vt, socer, macer: quòd alterum fit socerum, alterum macrum: quorum vtrumque in reliqueis à transitu suam viam sequitur & in singularibus, & in multitudinis declinationibus. hoc fit ideo quòd naturarum genera sunt duo. quæ inter se conferri possunt. vnum, quod per se videri potest, vt homo & equus: alterum sine adsumpta aliqua re extrinsecus perspici non possit, vt Eques, & Equito. vtrunque enim dicitur ab equo: quare hominem homini similem esse, aut non esse, si contuleris ex heis ipseis homini animaduerseis scies. Ac duo inter se similiterne sint longiores quam sint eorum fratres, dicere non possis, si illeis breuiores, cum quibus conferuntur, quàm longi sint ignorentur. sic latiorum atque altiorum. item cetera eiusdem generis, sine adsumpto extrinsecus aliquo perspici similitudines non possunt. Sic igitur quidam casus, quòd ex hoc genere sunt, non facilè est dicere similes esse, si eorum singulorum solùm animaduertas voces: nisi adsumpseris alterum, quo flectitur in transeundo vox. ¶Quod ad nominatuum similitudines animaduertendas arbitratus sum satis esse augere, hæc sunt. ¶Relinquitur de articuleis. in quibus quædam eadem, quædam alia. De quinque enim generibus duo prima habent eadem, quòd sunt & virilia & muliebria, & neutra; & quòd alia sunt, vt significét vnum, alia vt plura; & de casibus, quos habent quinos. nã vocãdei voce notatus nõ est. Proprium illud habent, quòd *partim* sint *finita*, vt hic & hæc: partim *infinita*, vt quis & quæ; quorum

quod adumbrata & tenuis analogia : in hoc libro plura dicere non necesse est. ¶Secundũ genus,quæ verba tempora habent,neq; casus,sed habent personas,eorũ, declinatuũ species sunt sex.Vna, quæ dicitur *tẽporalis*,vt legebam, gemebam:lego,gemo.Altera,*personarum*,vt sero, meto;seris,metis.Tertia,*rogandei*, vt scribóne, legóne : scribíſne,legíſne?Quarta,*respondendei*, vt fingo,pingo;fingis, pingis. Quinta *optandei*, vt dicerẽ, facerẽ; dicã,faciã. Sexta,*imperandei*, vt cape, rape;capito,rapito, Item sunt declinatuum species quattuor, quæ *tempora* habent sine personeis, in rogando : vt foditurne? séritúrne? &, fodietúrne? seretúrne? Ab *respondendei specie* eædem figurę fiũt extremeis syllabeis dempteis.*Optandei species*,vt viuatur,ametur: viueretur,amaretur. *Imperandei declinatus* sítne,habet dubitationem: & earum sîtne hæc ratio, paretur, pugnetur : parari, & pugnari. Accedunt ad has species à copuleis diuisionum quadrineis , *ab infecti* & *perfecti* , emo,edo : emi, edi: *à semel & sæpius*, vt lego,scribo : lectitaui,scriptitaui : *faciẽdei & patiendei*, vt vro, vngo , vror, vngor: *A singulari & multitudinis*, vt laudo, culpo : laudamus, culpamus, Huius generis verborum,cuius species exposui quàm latè quidque pateat , & cuiusmodi efficiat figuras , in libreis qui de formuleis verborum erunt diligentius expedietur. ¶Tertii generis quæ declinantur cum temporibus & casibus , ac vocantur à multeis ideo *participalia*, hoc est,*gerundi*.

* *Desunt paginæ tres.* *

2 ¶quẽadmodũ declinamus, quærimus casus eius,etiamsi is qui finxit poeta aliquot vocabulum, & ab eo casu ipse aliquẽ perperã declinauit,potius eum reprehendimus quàm sequimur. Igitur ratio quam dico,vtrobique est & in heis verbeis quæ imponuntur , & in heis quæ declinãtur: neque non etiã tertia illa quæ ex vtroque miscetur genere.Quarum vnaquęque ratio conlata cum altera , aut similis, aut dissimilis, aut sæpe verba alia,ratio eadem: & nonnunquam ratio alia,verba eadem.Quæ ratio in amor amori,eadem in dolor dolori : neque eadem in Dolor dolorem : & cum eadem ratio quæ est in amor & amoris , sit in amores & amorum tamen , ea, quòd non in ea quæ oportet confertur materia, per se solùm efficere non potest analogias , propter disparilitatem vocis figurarum. quòd verbum copulatum singulare cum multitudine , ita cum est proportione, vt eandem habeat rationem:tum denique ea ratio conficit id quod postulat analogia:de qua deinceps dicam.

3 ¶SEQVITVR tertius locus,quæ sit ratio & proportio , quæ à Græcis vocatur ἀνάλογον: hinc dicta analogia. Ex eodem genere quæ res inter se aliqua parte dissimiles rationẽ habent aliquam , si ad eas duas alteræ res duæ conlatæ sunt,quæ rationem habeant eandem : quòd ea verba bina habeant eandem λόγον , dicitur vtrumque separatim analagon : simul conlata quattuor , analoga. Nam vt in gemineis, cùm simile dicimus esse Menæchmum Menæchmo , de vno dicimus , cùm similitudinem esse in heis , de vtroque videatur : sic cùm dicimus eandem rationem habere assem ad semissem , quam habet in argento libella ad sembellam , quid sit analogon , ostendimus: cùm vtrobique dicimus & in ære & argento esse eandem rationem : cùm dicimus de analogia , vt sodalis & sodalitas , ciuis & ciuitas, non est idem: sed vtrunque ab eodem ac coniunctum. sic analagon & analogia idem non est, sed item est congeneratum. Quare si homines substuleris ,sodales substuleris : si sodales,sodalitatẽ. Sic item si substuleris λόγον substuleris analogon : si id , analogiam. quæ cùm inter se tanta sint cognatione , debebit subtilius audiri quàm dici expectare. id est, cùm dixero quid de vtroque, & erit commune, expectes dum ego in scribendo transferã in reliquum. Sed vt potius tu persequare animo, hæc fiunt in dissimilibus rebus. vt in numereis, si contuleris cum vno duo, si cum decem viginti. Nam quum rationem duo ad vnum habent, eandem habent viginti ad decem. In nummeis in similibus, sic est ad vnum victoriatum denarius. sicut ad alterum victoriatum alter denarius. Sic item in aliis rebus omnibus proportione dicuntur, in quo est: sic quadruplex natura , vt in progenie , vt est filius ad patrem , sic est filia ad matrem : & vt est in temporibus meridies ad diem , sic media nox ad noctem. Hoc poetæ genere in similitudinibus vtuntur. multum hoc acutissimè geometræ , hoc in oratione diligentius quàm alii ab Aristarcho grammatici : vt cùm dicunt proportione similia esse,amorem amori , dolorem dolori. Cùm item dissimile esse videãt amorem dolori,quòd est alio casu;item dolorẽ dolori.sed dicũt quod à similibus nonnunquam rationes habent implicatas duas, vt sit vna directa, altera transuersa. Quod dico,apertius sic fiet. Esto sic expositos esse numeros, vt in primo versu sit vnum, duo, quattuor: in secundo, decem. viginti, quadraginta:in tertio,centum,ducenta,quadringenta.In hac formula numerorum duo inerunt quos dixi λόγους , qui diuersas faciunt analogias , vnus duplex, qui est in obliqueis versibus, quod est vnus ad duo,sic duo ad quattuor:alter,decemplex, in directis ordinibus : quod est vnus ad decem , sic decem ad centum. Similiter in verborum declinationibus est biuium , quod ab recto casu in recto : ita vt formulam similiter efficiant : quod si primo versu hic albus,huic albo,huius albi. secundo , hæc alba , huic albæ,huius albæ. tertio, hoc album,

huic albo; huius albi. Itaque fiunt per obliquas declinationes ex heis analogiæ hoc genus.

* *Desunt quædam.* *

albius, atrius: albio, atrio: per directas declinationes, albius, atrius: albia, atria: quæ scilicet erit particula ex illa ducenaria tria, quæ scilicet centenaria formula analogiarum, de qua suprà dixi. ¶Analogia quæ dicitur, eius genera sunt duo. Vnum *diiunctum* sic est, vt vnum ad duo, sic decem ad viginti: alterum *coniunctũ*, sicut est vnũ ad duo, sic duo ad quattuor: in hoc quòd duo bis dicuntur: & tũ conferimus ad vnũ, & tũ cũ quattuor. Hoc quoque, natura dicitur quadruplex. sic à septem chordeis citharæ, tamen duo dicuntur habere tetrachorda. quòd quemadmodum crepat prima ad quartã chordã, sic quarta ad septimã respõdet: media est alterius prima, alterius extrema. ¶Medici, in ægroteis septimos dies qui obseruant quarto die, ideò diligentius signa morbi aduertunt, quòd quam rationem habuit primus dies ad quartum, eandem præsagit habiturum qui est futurus, ab eo quartus, & qui est septimus à primo. *Quadruplices deiuncta sunt in casibus vocabulorũ*, vt rex regi: *coniuncta sunt triplices in verborum tribus temporibus*, vt legebam, lego, legam. quòd quam rationem habet legebam ad lego hanc habet lego ad legam. In hoc ferè omnes homines peccant, quòd perperam tribus temporibus hęc adiiciunt, cùm proportione volunt pronuntiari. Nam cùm sint verba alia infecta, vt lego & legis: alia: perfecta, vt legi & legisti: & debeant sui cuiusque generis in coniungendo copulari: & cùm rectè sit ideò lego ad legebam, nõ rectè est lego ad legi: quòd legi significat quid perfectũ, vt hoc, tutudi, pupugi: tundo, pungo: tũdam, pungam. item necatus sum, verberatus sum: necabor, verberabor. Iniuria reprehendunt, quòd infecti inter se similia sunt, & perfecti inter se, vt tundebam, tundo, tundam: & tutuderam, tutudi tutudero. Sic amabar, amor, amabor: & amatus eram, amatus sum, amatus ero. Itaque reprehendunt qui contra analogias dicunt cur dispariliter in tribus temporibus dicantur quædam verba natura, cùm quadruplex sit natura analogia. Id nonnunquam, vt dixi, pauciores videtur habere partes, sic etiam alias plureis: vt cùm est, quemadmodum ad tria vnum & duo, sic ad sex duo & quattuor. quæ tamen quadripartita comprehenditur forma quòd bina ad singula conferuntur. quod in oratione quoque nonnunquã reperietur. Sicut Diomedes confertur Diomedibus, sic dicitur ab Hercules Herculibus. & vt hæ heic ab vno capite à recto casu in duos obliquos descendunt casus: sic contrà, multa à duobus capitibus recti casuum confluunt in obliquum vnum. Nam vt ab eis recteis, hei Bœbiei, hæ Bœbiæ, fit heis Bœbieis: sic est ab heis, hei Cœliei, hæ Cœliæ, heis Cœlieis. A duobus similibus similiter declinatur: vt fit in heis, nemus, olus: nemora, olera. Alia à dissimilibus similiter declinantur: vt in articuleis ab hic, iste: hunc, istum. *Analogia fundamenta habet*, aut *à voluntate* hominum, aut *à natura verborum*, aut *re vtraque. Voluntatẽ* dico, impositionẽ vocabulorum *naturam*, declinationẽ vocabulorum, quò decurritur sine doctrina. Qui impositionem sequetur, dicet: si simile in recto casu dolus & malus: fore in obliquo, dolo & malo: si naturam sequetur, si sit simile in obliqueis Marco, Quincto, fore vt sit Marcum, Quinctum. Qui vtrũque sequetur, dicet, si sit similis transitus, vt est in seruus serue, fore vt sit item in ceruus cerue. Commune omnium est, vt quattuor figuras vocis habeat proportione declinatus. *Primum* genus est ortum ab similitudine in recteis casibus: *secundum* ab similitudine quæ est in obliqueis: *tertium* à similitudine quæ est in transitibus de casu in casum. Primo genere ab imposito ad naturam proficiscuntur: in secundo, contra: in tertio, ab vtroq. Quo circa etiã hoc tertiũ potest bifariam diuisum esse: tertium & quartum dici, quod in eo vt prosas, & rosas potest dici, qui initia faciet analogiæ, impositiones ab heis obliquas figuras declinare habebit: qui naturam, cõtra. qui ab vtraque, reliquas declinationes ab huiusmodi transitibus. Impositio est in nostro dominatu, nos in natura. quemadmodum enim quisque vult, imponit nomen, at declinat quẽadmodum vult natura. Sed quoniam *duobus modeis imponitur vocabulum*, aut re singulari, aut multitudine: singulari, vt cicer, multitudinis, vt scalæ. Nec dubium est quin ordo declinatuũ, in quo res singulares declinantur, solæ ab singulari aliquo casu proficiscantur, vt cicer, ciceri, ciceris. item contra in eo ordine qui multitudinis erit solùm quin à multitudinis, aliquo casu ordiri conueniat, vt scalæ, scaleis, scalas. Aliud videndum est, cùm duplex natura copulata ad declinatuum bini fiant ordines, vt est Mars, Martis. Vnde autẽ ratio analogię debuit ordiri, vtrum ab singulari re in multitudinem, an contra? neque enim si natura ab vno ad duo peruenit: idcirco non potest amplius esse in docendo posterius, vt vnde incipias vt quod sit prius ostendas. Itaque illi qui de omni natura disputant, atque ideò vocantur physici, tamen ex heis ab vniuersa natura profecti, retróque esse principia mundi ostendunt. Oratio cùm ex littereis constat tamẽ eã grammatici litteris ostenderunt. quare in demonstrando, quoniã potius profecisse oportet ab eo quod apertius est, quam ab eo quod prius est & potius ab incorrupto principio, ab natura rerum, quàm ab libidine hominum. Et hæc tria quæ sequenda magis sunt, minus sunt in singularibus quàm in multitudine,

commodius poteſt ordiri, quòd in heis principiis minus orationis verbeis fingendis, verborum forma, facilius ſingularia videri poſſe quam ex ſingularibus multitudinis: hæc oſtendunt, trabes, trabs: duces, dux. Videmus enim ex heis verbeis, trabes, duces, de extrema ſyllaba E literam excluſam, & ideo in ſingulari factum eſſe trabs, dux. Contra ex ſingularibus non tam videmus quemadmodum facta ſint ex B & S trabs, ex C & S dux. Si ſimilitudinis rectus caſus forte figura corrupta erit (id quod accidit raro) prius id corrigemus quàm inde ordiemur. obliqueis adſumere oportere figuras eas quæ non erunt ambiguæ, ſiue ſingulares, ſiue multitudinis, ex quibus id cuiuſmodi debent eſſe, perſpici poſſint. Nam nunquam alterum ex altero videtur: vt Chryſippus ſcribit, quemadmodum pater ex filio, & filius ex parte, neque minus in fornicibus propter ſiniſtram dextra ſtat, quàm propter dextram ſiniſtra. Quapropter, vt ex recteis caſibus obliqui, & ex obliqueis recti, & ex ſingularibus multitudines, & ex multitudinis ſingulares nonnunquam recuperari poſſunt: principium id potiſſimum ſequi debemus, vt in eo fundamentum ſit in natura, quòd in declinationibus ibi facilior ratio. Facilè enim eſt animaduertere peccatum magis cadere poſſe in impoſitiones eas quæ fiunt plerunque in recteis caſibus ſingularibus: quòd homines imperiti & diſperſi vocabula rebus imponunt, quocunque eos libido inuitauit. natura incorrupta eſt plerumque ſuapte ſponte, niſi qui eam vſu inſcio deprauauit. Quare ſiquis principium analogiæ potius poſuerit in naturalibus caſibus quàm in impoſitiueis, non multa in conſuetudine occurrent, & vt à natura libido humana corrigitur, non ab libidine natura, quòd, qui impoſitionem ſequi voluerint, facient contrà. ſin à ſingulari quis potius profiſci volet, id illum facere oportebit ab ſexto caſu, qui eſt proprius. Latineis enim non eſt caſus alius. Heis litterarum diſcriminibus facilius reliquorum varietatem diſcere poterit, quòd ii habent exitus aut in A, vt ab hac terra: aut in E, vt ab hac lance: aut in I, vt ab hoc leui: aut in O, vt ab hoc cælo: aut in V, vt ab hoc verſu. Igitur ad demonſtrandas declinationes biceps vna hæc. ¶Sed quoniam *vbi analogia, tria*; vnum, quod *in rebus*: alterum, quod *in vocibus*: tertium, quod *in vtroque*: duo priora ſimplicia, tertium duplex: animaduertendum hæc quam inter ſe habeant rationem. *Primùm ea* quæ ſunt diſcrimina in rebus, partim ſunt quæ ad orationem non attineant, partim quæ pertineant. Non pertinent, vt ea quæ obſeruant in ædificiis & ſigneis faciendeis ceteriſque rebus artifices: è queis vocantur aliæ, harmonicæ: ſic item aliæ nominibus aliis: ſed nulla harum fit loquẽdo pars ad orationẽ. Quę pertinent res, eæ ſunt quæ verbeis dicuntur proportione, neque à ſimilitudine quoque vocum declinatus habent. vt Iuppiter, Marſpiter: Ioui, Marti. Hæc enim genera nominum & numero & caſibus ſimilia ſunt, proportione. ſimilia inter ſe, quòd vtraque nomina ſunt, & virilia ſunt, & ſingularia, & caſu nominandei & dandei. *Alterum* genus vocale eſt, in quo voces modò ſunt proportione ſimiles, non res: vt biga bigæ, nuptia nuptiæ, Neque enim in heis res ſingularis ſubeſt vna, cùm dicitur biga, quadriga. neque ab heis vocibus quę declinata ſunt, multitudinis ſignificant quidquam. Ideò quòd omnia multitudinis quæ declinantur ab vno: vt à merula, merulæ, ſunt eiuſmodi vt ſingulari ſubiungantur: ſic merulæ duæ, caculæ tres, faculæ quattuor. Quare cùm idem non poſſit ſubiungi: cùm dicimus vnæ bigæ, quadrigæ duæ, nuptiæ tres, ſed pro eo vnæ bigæ, binæ quadrigæ, trinæ nuptiæ: apparet non eſſe biga, & quadriga, & bigæ, & quadrigæ: ſed vt eſt huius ordinis vna, duæ, tres principium vna: ſic in ordine altero, vnæ, binæ, trinæ, principium vna: ſic in hoc ordine altero, vnæ, binæ, trinæ, principium eſt vnæ. *Tertium* genus, eſt illud duplex quod dixi, id quo & res & voces ſimiliter proportione dicuntur: vt bonus, malus: boni, mali. de quorum analogia & Ariſtophanes & alii ſcripſerunt. Etenim hæc denique perfecta, vt in oratione illæ duæ ſimplices inchoatę analogię, de quibus tamen ſeparatim dicam, quòd heic quoque vtimur in loquendo. Sed prius de perfecta in qua & res & voces quadam ſimilitudine continentur. cuius genera ſunt tria: vnum, *vernaculum* ac dominatum: alterum, *aduentitium*: tertium, *nothum*, ex peregrino heic natum. *Vernaculum* eſt, vt ſutor, & piſtor: ſutori, & piſtori. *Aduentitium* eſt, vt Hectores, Neſtores, Hectoras, Neſtoras. Tertium illud *nothũ*, vt Achilles, & Peleus, de genere multi vtuntur, non modò poetę, ſed etiam plerique. hæc primò omnes qui ſoluta oratione loquuntur, dicebãt, vt quęſtorem, prętorem, ſic Hectorẽ, Neſtorem. Itaque Ennius ait, Hectoris natum de muro Troiano iactari. Actius hoc in tragœdiis largius à priſca conſuetudine mouere cœpit, & ad formas Græcas verborum magis reuocare. & à quo Valerius ait, Actius Hectorem nollet facere, Hectora mallet. quòd aduentia pleraque habemus Græca, ſecutum, vt de notheis Græcanicos quoque nominatos plurimum haberemus. Itaque vt heis alia Græca, alia Græcanica, ſic analogię, è quibus quę ſic nothę fiunt declinationes, de heis aliæ ſunt priſcę, vt Bacchides, Chryſides: alię, minores, vt Chryſideis, Bacchideis: alię, recentes, vt Chyſidas, Bacchidas: cùm heis omnibus tribus vtãtur noſtri. maximè qui ſequũtur media in loquẽdo, oſtendunt minimũ quod prima parũ ſimilia videt' eſſe Gręceis, vnde ſint tranſlata: tertia parum ſimilia noſtreis

4 Omnis analogiæ fundamentum ſimilitudo quædam, vt dixi, quæ ſolet eſſe in rebus, in vocibus, & in vtroque in qua harum parte cumque ſit in ferendo, & cuiuſmodi, videndum. Nam, vt dixi, neque rerum, neque vocis ſimilitudo ad has dupliceis, quæ in loquendo quærimus, ſeparatim ſatis eſt, quod vtraque parte opus eſt ſimili, analogias verborum exprimendas: quas ad loquendum vt perducas, accedere debet *vſus*. Alia enim ratio qua facias veſtimentum, alia, quemadmodum vtare veſtimento. *Vſus ſpecies* videntur eſſe *tres:* vna, *conſuetudinis veteris*; altera *conſuetudinis huius*, *tertia autem neutra. Veteris*, vt caſcus furus, caſci furi. *Huius conſuetudinis*, vt albus, caldus: albo, caldo. *Neutra*, vt ſcala, falera, ſcalam, faleram. Ad quas accedere poteſt *quarta*, quæ eſt *mixta*, vt amicitia, inimicitia: amicitiam, inimicitiam. *Prima* eſt, qua vſi antiqui, & nos reliquimus: *ſecunda*, qua nunc vtimur: *tertia*, qua vtuntur poetæ. ¶Analogia non item ea definienda *quæ dirigitur ad naturam* verborum, atque illa *qua ad vſum loquendei*. Nam *prior* definienda ſic, Analogia eſt verborum ſimilium declinatio ſimilis. *Poſterior* ſic, Analogia eſt verborum ſimilium declinatio ſimilis, non repugnante conſuetudine communi. Ad quam harum duarum ad extremum additum erit hoc: ex quadam parte: *poetica analogia* erit definita. harum *primam* ſequi debet populus, *ſecundam* omnes ſinguli e populo: *tertiam* poetæ. ¶Hæc diligentius quàm apertius dicta eſſe arbitror. ſed non obſcurius quàm de re ſimili definitiones grammaticorum ſunt, vt Aruſini, Ariſtodemi, Ariſtoclis, item aliorum. quorum obſcuritates eo minus reprehendendæ, quòd pleræque definitione re incognita propter ſummam breuitatem, non facilè perſpiciuntur, niſi articulatim ſit explicata. Quare magis apparebit ſi erit apertè de ſinguleis partibus: quid dicatur *verbum*, quid *ſimilitudo verbi*, quid *declinatio*, quid *ſimilitudo declinationis*. *non repugnante conſuetudine communi*, quid *ex quadam parte*. ¶*Verbum* dico, orationis vocalis partem, quæ ſit indiuiſa & minima, ſi declinationem naturalem habeat. Similem, verbum verbo, tum quom & res, qua ſignificatur, & in figura tranſitum declinationis parilem. *Declinatio* eſt cum ex verbo in verbum, aut ex verbi diſcrimine, vt tranſeat mens, vocis commutatio fit aliqua. ¶*Similitudo declinationis*, cùm item ex aliqua figura in figuram tranſit vt id tranſit cum quo confertur. ¶Adiectum eſt, *non repugnante conſuetudine communi*: quòd quædam verba contra vſum veterem declinata patietur, vt paſſa Hortenſium dicere pro has ceruices, ceruix: quædam non, vt ſi dicas pro fauces, faux. Vbi additur, *ex quadam parte*, ſignificat non eſſe in conſuetudine in heis verbeis omneis parteis: vt declinatum amo, iuuo: amor, iuuor.

5 ¶Qvid videretur analogia in oratione, & quas haberet ſpecies, & quæ de heis ſequenda viderentur, vt breui potui, informaui. ¶Nunc in quibus non debeat eſſe, ac proinde ac debeat, ſoleat quæri, dicam. Ea ferè ſunt quattuor genera: *Primùm* in id genus verbeis quæ non declinantur, analogia non debet quæri, vt in heis, nequam mox, vix. De heis magis in alio quàm in alio erratur verbo. dicunt enim non habere caſus mox & vix, nequam habere: quòd dicamus, hic nequam, huius nequam, huic nequam: cùm intelligimus, aut hominis eius quem volumus oſtendere eſſe nequam, dicimus caſus, & ei proponimus non, cuius putamus nequitiam. Quod vocabulum factum, vt ex non & volo, Nolo: ſic ex ne & quidquam, item media extrita ſyllaba, coactum eſt Nequam. Itaque vt eum quem putamus eſſe non hili dicimus Nihili, ſic in quo putamus eſſe nequidquam, dicimus nequam. ¶*Secundò*, ſi vnum ſolum habent caſum in voce, quod non declinentur, vt litteræ omnes. ¶*Tertiò*, ſi ſingularis eſt vocabuli ſeries, neque habet cum qua comparari poſſit, vt eſſe putant caput, capitis, capite. ¶*Quartum*, ſi ea vocabula quæ conferuntur inter ſe, rationem habent quam oportet, vt ſocer, ſocrus, ſocerum, ſocrum.

6 Contra in quibus debeat quæri analogia, ferè totidem gradus debent eſſe coniuncti. *Primum*, vt ſint res: *ſecundum*, vt earum ſit vſus: *tertium*, vti hæ res vocabula habeant: *quartum*, vt habeant declinatus naturaleis. *De primo gradu* quod natura ſubeſt & multitudinis & ſingularis, dicimus hei aſſes, hoſce aſſes, hic as, hunc aſſem: contra quòd in numeris finiteis multitudinis natura ſingularis non eſt, dicimus hei duo, & hei tres: heis duobus, heis tribus. ¶*Secundo gradu* ſi eſt natura, neque eſt vſus id genus vt ſit diſcriminandum, vt fit in faba, & id genus. Non enim opus fuit, quæ vt in ſerueis, item ex parte & vniuerſa nominamus.

* *Deſunt quædam.* *

LIBER X.

*

LIBER XI.

Rure ordinatum arbuſtum. *Ex Soſipatr. lib. I.*

Horum poematorum, his poematis, *Ex eodem libro.*

Catinuli. *Ex eodem libro.*

Git. per omnes caſus. *Ex eodem libro.*

LIBER XII.

*

LIBER XIII.

Oliuo & Oſſo. *Ex Soſiprato lib. I.*

LIBER XIV.

*

LIBER XV.

*

LIBER XVI.

*

LIBER XVII.

*

LIBER XVIII.

Quibus nos in hoc libro proinde, vt nihil intersit, vtemur indiscriminatim. *Ex Nonio Marcello Indiscriminatim.*

LIBER XIX.

*

LIBER XX.

*

LIBER XXI.

*

LIBER XXII.

Rure veni. *Ex Sosipatro libro* I.

LIBER XXIII.

Ingluuies, sunt tori circa gulam, qui propter pinguedinem fiunt, & interiectas habent rugas. *Iun. Phylarg. in 3 Georg. Virg.*

LIBER XXIV.

Proloquium est sententia, in qua nihil desideratur. *Ex 16. Gellij 8.*

Quom inde haurierint. *Ex Prosciano lib.* 10. *Haurici vel haurii.*

Incerti libri.

Quare in huiusmodi locis poni oportet, notam in transuersum inter syllabas frequentius ad extremum versum senarium, & similes, si pro longa, breuem habebunt, vt in hoc: Amicus summus meus & popularis Geta, *Ex Rufino de metris Terentij.*

*

Caput quod ab eo capiunt initium sensus ac nerui. *Ex Lactantio de opificio Dei. v. 5.*

*

In priore verbo graues prosodiæ quæ fuerunt manent: reliquæ mutant. *Ex Lactantio* 18. *v.* 12. *ex* 2. *ad M. Marcellum.*

*

Semel minúsve, an bis minus sit, non scio.
An vtrumque horum, vt quondam audiui dicier.
Ioui ipsi regi noluit concedere. *Ex* 12. *Gell.* 6.

*

Id præsente legatis omnibus, exercitu pronunciat. *Ex Donato est.* 4 *scena* 3. *Eunuchi.*

*

Fixum. *Ex Diomede lib.* 1. *c.* 4.

*

Varro ait, Alia ex Gręco sumpta ex masculino in femininum transire) & A litera finiri: ὁ κοχλοίας, hæc cochlea. ὁ χάρτης, hæc charta, ὁ γαυσάπης, hæc gausapa. *Priscianus lib.* 7.

*

Varro in libris ad Ciceronem ait iuuenior & senior comparatiui sunt per diminutionem: senior non satis senex: iunior non satis iuuenis vel intra iuuenem: sicut pauperior, intra pauperem. *Ex Seruio in* 5. *&* 6. *Æneid.*

*

Varro ait quatuor foraminum fuisse libras apud antiquos, & se vidisse libras quatuor foraminum. *Ex Acrone in artem poeticam Horatij.*

M. Varro in libro secundo ad Marcellum de Latino sermone, æditimum dici oportere cẽset, magis quàm edituum: quòd alterum sit recenti nouitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum. *Ex* 12. *Gellij* 10.

Ala, culmus, fabæ. *Seruius.*

M. VERRII

M. VERRII FLACCI QVÆ EXTANT,

De M. Verrio Flacco.

VErrivs *Flaccus libertinus docendi genere maximè inclaruit. namq; ad exercitanda discentium ingenia æquales inter se committere solebat, proposita non solùm materia, quam scriberent, sed & præmio, quod victor auferret: id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto quoque nepotibus eius præceptor electus transit in Palatium cum tota schola. verum vt neq; amplius posthac discipulum reciperet. Docuitq; in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatij tunc erat: sistertia centena in annum accepit. Decessit ætatis exactæ sub Tiberio. Statuam habet Præneste in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo fastos à se ordinatos, & marmoreo parieti incisos publicarat.* Ex Suetonio de Grammaticis.

Scribonius Aphrodisius Orbilij seruus, atque discipulus mox à Scribonia Libonis filia, quæ prior Augusti vxor fuerat, redemptus, & manumissus docuit, quo Verrius, tempore. cuius etiam libros de Orthographia rescripsit non sine insectatione studiorum, morumq; eius. Ex eodem.

Marcum quidem Antonium, vt insanum increpat Augustus, quasi ea scribentem, quæ mirentur potius homines, quam intelligant &c. Tuq; dubitas, inquit, Cymberne, Annius, an Verrius Flaccus imitandi sint tibi: ita vt verbis, quæ Crispus Sallustius excerpsit ex originibus Catonis, vtaris? an potius Asiaticorum oratorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda. Ex eod. in Aug. c. 86.

Ante obitum Augusti anno quarto Athenodorus Tarsensis Stoicus, philosophus & M. Verrius Flaccus grammaticus, insignes habentur. Ex Euseb. in Chron.

M. VERRII FLACCI RERVM MEMORIÆ DIGNARVM

LIB. I.

VErrivs hoc libro refert, cur dicatur versus ille ex Hesiodo, Malum consilium consultori pessimum est. Statua Romæ in comitio posita Horatij Coclitis fortissimi viri de cælo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum aruspices ex Etruria acciti inimico atque hostili in populum Romanum animo instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. Atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi. quem sol oppositu circum vndique aliarum ædium nunquam illustraret. quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum proditique sunt. & cum de perfidia confessi essent, necati sunt. constititque eam statuam perinde, vt veræ rationes post compertæ monebant, in locum editum subducendam, atque ita in area Volcani sublimiori loco statuendam. Ex qua re bene & prospere reipub. cessit. Tunc igitur quod in Etruscos aruspices male consulentes animaduersum vindicatumque fuerat versus hic senarius scite factus, cantatúsque esse pueris vrbe tota fertur. *Ex Gell. lib. 5. cap. 28.*

INCERTI LIBRI.

PLvrimas prodidit Verrius mortes repentinas. *Ex Plin. lib. 12. c. 71.*

Roma plurimos elephantos vidit anno quingentesimo secundo, victoria L. Metelli Pontificis in Sicilia de Pœnis captos CXLII. fuere transuecti ratibus, quas doliorum consertis ordinibus imposuerant. Verrius eos pugnasse in circo, interfectosque iaculis tradit, penuria consilij: quoniam neque ali placuisset neque donari regibus. *Ex eod. lib. 13 c. 6.*

Tenuissimum murænis tergus, contra anguillis crassius, eoque verberari solitos tradit Verrius prætextatos, & ob id multam his dicit non institutam. *Ex eod. 9. c. 3.*

Populum Romanum farre tantum e frumento trecentis annis vsum Verrius tradidit. *Ex eod. lib. 18 c. 7.*

Verrius Flaccus auctores ponit, quibus cre-

dat in oppugnationibus ante omnia solitum à Romanis sacerdotibus euocari deum, cuius in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve. *Ex eod. lib. 28. c. 2.*

Tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius tradit. *Ex eod. lib. 23. c. 3.*

Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse: Iouis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triũphantumque corpora. Sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in vnguenta cænæ triumphalis: & à Censoribus in primis Iouem mirandum locari. *Ex eod. lib. co. 7.*

Verrius Flaccus ait, cum populus Ro. pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quod dii despicerentur: anxiam vrbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum: euenisseque, vt Circensium die puer de cænaculo pompam superne despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset. Qui cum rem gestam senatui nunciasset: placuisse velari loca ea, qua pompa veheretur: atque ita peste sedata puerum, qui antiquitatem sortis absoluerat, togæ prætextæ vsum minus impetrauisse. *Ex Macrob. lib. 1.*

M. VERRII FLACCI SATVRNVS.

SATVRNALIORVM dies apud Græcos quoque festi habentur. *Ex Macrobio libro 1. Saturn.*

Dilucide me de constitutione Saturnaliorum scripsisse arbitror. *Ex eod. lib.*

Cur autem Saturnus ipse in compedibus visatur, Verrius Flaccus causam se ignorare dicit. *Ex eod. lib.*

XII. Kal. Ian. feriæ sunt Diuæ Angeroniæ, cui Pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciunt: quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angoret, ac animorum sollicitudines propitiata depellat. *Ex eod. lib.*

M. VERRII FLACCI DE OBSCVRIS CATONIS.

LIB. I.

LIB. II.

IN eo libro scriptum inuentum est, receptitium seruum dici nequam, & nulli pretij, qui, cum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptusque sit. Propterea, inquit, seruus eiusmodi sectari maritum, & flagitare pecuniam iubebatur. vt eo ipso dolor maior, & contumelia grauior viro fieret, quod cum seruus nihili petendæ pecuniæ causa compellaret. Cum pace autem, cunque venia istorum, si qui sunt, qui Verrii Flacci auctoritate capiuntur, dictum hoc sit. receptitius enim seruus in ea re, quam dicit Cato, aliud omnino est, quam Verrius scripsit. *Ex Gellio libro 17. c. 6.*

M. VERRII FLACCI DE VERBORVM SIGNIFICATIONE.

LIB. I.
LIB. II.
LIB. III.
LIB. IIII.

VERRIVS hoc libro dies, qui sunt postridie kalendas Nonas, Idus, quod vulgus imperite nefastos dicit: propter hanc causam dictos, habitosque atros esse scribit. Vrbe, inquit, à Gallis Senonibus recuperata L. Atilius in senatu verba fecit, Q. Sulpitium TR. MIL. ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum, rem diuinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse: tum exercitum populi Romani occidione occisum. & post diem tertium eius diei vrbem præter Capitolium captam esse. Compluresque alii senatores recordari sese dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res diuina postridie kalendas, Nonas, Idus à magistratu populi Rom. facta esset: & eius belli proximo deinceps prælio reipublicæ malam gestam esse. Tum Senatus eam rem ad Pontificeis reiecit, vt ipsi, quod videretur, statuerent. Pontifices decreuerunt nullum iis diebus sacrificium recte futurum. *Ex Gell. lib. 5. c 17.*

Historiam ab annalibus quidam differre eo putant, quod cum vtrumque sit rerum gestarum narratio, earum tamen proprie rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret, eamque esse opinioné quorumdam, Verrius refert. Ac se quidem dubitare super ea re dicit. Posse autem videri putat non nihil esse rationis in ea opinione. quod historia Græce significat rerum cognitionem præsentium. Sed nos audire soliti sumus, annales omnino id esse, quod historiæ sint: historias non omnino esse id, quod annales sint. *Ex Gell. libro 5 c. 18.*

LIB. V.

SALVA *res est dum saltat senex*, quare parasiti Appolinis in scæna dictitent, causam Verrius in libro quinto, quorum prima est p litera, reddidit. Quod C. Sulpicio. C. Fuluio Cõsulibus &c. At in hoc libro refert Sinnii Capitonis verba &c. Quam inconstantiam Verrii nostri non sine rubore retuli. *Ex Festo verbo salua res est.*

LIB. VI.

INCERTI LIBRI EX FESTO VEL PAVLO.

BELLITVDINEM ſicut magnitudinem Verrius (alias Varus) dixit.

Impetum, induſtrium, indulgentem perinde compoſita ait Verrius, atque impunis, & immunis, mihi non ſatis perſuadet.

Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, vt ait Verrius, in clibano ante, quam percoquatur, decidit in carbones, cinerémque, &c.

Mater, Matura, manes, mane, matrimonium, materfamiliæ, matertera, matrices, materiæ dictæ videntur, vt ait Verrius, quia ſint bona, &c.

Matronæ à magiſtratibus non ſummouebantur &c. quam ob cauſam ait Verrius. . . . nec viri earum ſedentes cum vxoribus in vehiculo, deſcendere cogebantur.

Mendicum dici Verrius putat à mente eius, quem fefellerit fortuna: vel quod precetur quemque, vt vitæ ſuæ medeatur cibo.

Metaphoram quam Græci vocant, nos tralationem, id eſt domo mutuatum verbum, quo vtimur, inquit Verrius, &c.

Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis, &c. Quidam nucis iuglandis, quam Verrius iuglandum vocat, medium, velut diſſepimentum, &c.

Occare, & occatorem Verrius putat dictum ab occædendo, quod cædat grandis globos terræ, cum Cicero venuſtiſſime dicat ab occæcando fruges ſatas.

Orcum quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum vragum &c. ſed nihil affert exemplorum, &c.

Oſcos, quos dicimus, ait Verrius Opſcos antea dictos teſte Ennio, cum dicat: De muris res gerit Opſcus. Adiicit etiam, quòd ſtuprum inconceſſæ libidinis obſcena dicantur ab eius gentis conſuetudine inducta. Quod verum eſſe non ſatis adducór, &c.

Pedum eſt, quidem baculum incuruum, &c. Sed in verſu, qui eſt in Iphigenia Ennij, Procede. gradum proferre pedum, nitere, ceſſas? id ipſum iaculum ſignificat, cum ait Verrius: mirari ſatis non poſſum, &c.

Percunctatio pro interrogatione dicta videtur ex nautico vſu, &c. ob quam cauſam ait Verrius etiam ſecundam ſyllabam per O ſolere ſcribi. Mihi id falſum videtur, &c.

Piari eos, veluti proprio verbo ait Verrius, qui parum ſint animati, &c.

Pictor Zeuſis riſu mortuus, dum ridet effuſe pictam à ſe anum γελῶ. Cur hoc loco relatum ſit à Verrio, cum de ſignificatu verborum ſcribere propoſitum habuerit, equidem non video, &c.

Prædia rurſus Verrius vocari ait ea remedia, quæ data Cæcilia &c. ea vocari ait, quod mala prohibeant.

Prærogatiuæ centuriæ dicuntur, &c. Verrius probabilius iudicat eſſe, & cum eſſent deſignati à prærogatiuis], in ſermonem res veniret, &c.

Profanum, quod non eſt fanum &c. vt Verrius &c. cuius opinionem neque in hoc, neque in aliis compluribus refutare minime neceſſe eſt. Cuius propoſitum habeam ex tanto librorum eius numero intermortua iam, & ſepulta verba, atque ipſo ſæpe confitente nullius vſus, atque auctoritatis præterire: & reliqua quam breuiſſime redigere in libros admodum paucos. Ea autem, de quibus diſſentio, & aperte, & breuiter, vt ſciero, ſcripta in his libris meis inuenientur, inſcribuntur: PRISCORVM VERBORVM CVM EXEMPLIS.

Quatere ſuſpenſum, & vicinum rei alicuius motum ſignificat: non vt Verrius putat, ferirem, &c.

Refert cum dicimus, errare nos ait Verrius. eſſe enim rectum Rei fert, &c. ſed eſſe iam vſu poſſeſſum.

Repagula ſunt, vt Verrius ait, quæ patefaciundi gratia ita figuntur, vt ex contrario quæ oppangantur, &c.

Repaſtinari ager is dicitur, vt Verrius exiſtimat, cuius natura mutatur fodiendo &c.

Repudium Verrius ait dictum, quod fit ob rem pudendam, &c.

Rhegium appellare oportere ait Verrius id municipium, quod in freto è regione Siciliæ eſt &c.

Romuliam tribum &c. . . . niſſe ait Verrius . . . &c.

Ruſcum eſt, vt ait Verrius, amplius paullo herba, & exilius virgultis &c.

Sacram viam quidam appellatam eſſe exiſtimant, &c. nec appellari debere ait Verrius, ſed diſiunctè vt ceteras vias Flaminiam, Appiam, Latinam: vt ne nouam viam quidem, &c.

Salicem Verrius virgulti genus non arboris dicit. & ridicule interpretatur. dictum, quod ea celeritate creſcat, vt ſalire videatur.

Salinum in menſa pro aquali ſolitum eſſe poni ait cum patella: quia nihil aliud ſit ſal, quam aqua.

Sas Verrius putat ſignificare eas, auctore Ennio, &c. cum ſuas magis videatur ſignificare, &c.

Satis verbum Verrio melius fuit præterire, vt mihi videtur, quam tam abſurdas opiniones ſuas de eo recitare, quas ſciens præterij, tam Hercules, quam de ſcabro, quod proximum ſequebatur.

Scraptæ dicebantur nugatoriæ, ac despiciendæ mulieres, vt ait Verrius, ab ijs, quæ screa iidem appellabant etc.

Scurræ vocabulum Verrius ineptissime aut ex Græco tractum ait, quod est σκυράζειν, aut à sequendo, cui magis assentitur etc.

Senonas Gallos Verrius ait existimare appellari, quia noui venerint etc.

Scrilla Verrius appellari putat nauigia Istrica. etc. cum περιφραστικῶς, & ficto vocabulo vsus sit etc.

Sertorem quidam putant dictum à prendendo etc. quod totum Verrius ἀπιθάνως introduxit.

Silicernium Verrius existimat etc.

Solea, vt ait Verrius, est non solum ea, quæ solo pedis subiicitur: sed etiam pro materia robusta etc.

Solida sella etc. . . . . bant inquit Verrius quod. . . . . absurde, vt mihi videtur, etc.

Solla appellantur sedilia etc. quæ, vt ait Verrius, omnia dicta sunt à solo etc.

Spondere Verrius putat dictum, quod sponte sua, id est voluntate, promittatur. Deinde oblitus inferiore capite sponsum & sponsam ex Græco dictam ait etc.

Stellionem g. . . . . . Verrius dic. . . . etc.

Stipatores ait dictos à stipe etc.

Suburam Verrius alio libro à pago Succusano dictam ait: hoc vero maxime probat eorum auctoritate etc.

Superuacaneum u. . . . . . cludit Verrius ab u . . . etc.

Tænias Græcam vocem sic interpretatur Verrius, vt dicat ornamentum esse laneum capitis honorati etc.

Talionis mentionem fieri in duodecim ait Verrius etc. neque id, quid significet, indicat: puto quia notum. etc.

Taminia, vua siluestris generis videtur Verrio dicta. quæ tam mira sit, quam minium.

Tarquitias scalas etc. appellatas esse ait vulgo existimari Verrius.

Tartarino cum dixit Ennius, horrendo, & terribili Verrius vult accipi. à Tartaro, qui locus apud inferos.

Tentipellium Artorius putat esse calciamentum etc. Titinium ait Verrius existimare id medicamentum esse etc. cum ille ὀπτικῶς dixerit.

Tonsillam esse Verrius ait palum dolatũ etc.

Tumultũ dici ait Verrius, qui ab alijs oriatur, quam ab Italicis, & Gallicis hostibus etc.

Turrhenos Etruscos appellari solitos ait Verrius, à Turrheno duce Lydorum etc.

Vacerram Verrius, & alii complures vocari dicunt, stipitem, ad quem equos solebant religare.

Vineæ, vt Verrius præcipit, quod vini feraces sint. etc.

M. VERRII FLACCI EPISTVLÆ.

Nam crebro in antiquis lectionibus inuenitur, sicut in epistulis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione dicens in aduerbiis pro V, O plerunque maiores ponere consuetos. & sic pro Huc Hoc, veteres dicere solebant, sicut pro illuc, illo dicimus. *Ex Seruio lib. 8. Æn.*

M. VERRII FLACCI CARMINA.

Blanditusq. labor molli curabitur arte. *Ex Prisc. lib. 8.*

INCERTA VERRII FLACCI.

Sævitiaq. eorum abominaretur ab hominibus. *Ex Prisc. lib 8.*

Festinat à fando dicitur: quoniam isti ignauiores, qui nihil perficere possunt, plus verborum, quam operæ habent. Sed id nimis coactum, atque absurdum videtur, inquit Gellius. *Ex Gell. lib. 16. ca. 14.*

Caper ostendit de dubiis generibus. Verrium Flaccum posuisse, alecem hanc dicens. *Ex Pris. lib. 6.*

Alicam sine aspiratione dictam Verrius tradit, & sic multi dixerunt. *Ex Charis. lib. 1.*

Helenius Acron Verrium dicit errare, qui putat hos ambo dici debere. *Ex eod lib.*

Amœna loca Varro dicta ait, eo quod solum amorem præstent, & ad se amanda alliciant. Verrius Flaccus, quod sine munere sint, nec quidquam his officiat: quasi amunia, hoc est sine fructu, vnde nullus fructus exsoluitur. inde etiam nihil præstantes immunes vocantur. *Ex Isid. lib. 14. cap. 7. etym.*

Non negat Verrius Flaccus kal. Apr. postea constitutum, vt matronæ Veneri sacrum facerent. *Ex Macrob. lib. 1. Saturn.*

Nonnulli etiam ex participiis putauerunt talia figurari. vt Verrius Flaccus, qui ab eo, quod est audens, audenter. *Ex Charis. lib. 11.*

Camara dicuntur, vt Verrius Flaccus adfirmat, non camera per E. Sed Lucretius cameræque caminis ex cratibus: etiam cameram dici posse ostendit. *Ex eod lib. 1.*

Inchoaui ab inchoo dicendum putat Iulius Modestus: quia sit compositum à caho initio rerum, quod Verrius (&) Flaccus in postrema syllaba aspirandum probauerunt. Cohum enim apud veteres mundum significat. *Ex Dione lib. 1.*

Clunes Verrius Flaccus masculino genere dici probat, quoniam in IS syllaba terminata omnia carentia nominatiuo singulari masculina sunt, vt panis, cinis, crinis, & similia. *Ex Charis. lib. 1.*

Diligenter

Diligente. Verrius Flaccus, inquit Plinius eorum nominum, quæ N S finiuntur casu nominatiuo, ablatiuus in E dirigendus est. *Ex eodem lib.*

¶Tappete [1] ex Græco sum-*psit, tappetæ.* Ennius cum ait. t-*appetem etiam dixit Turpi*lius in Demetrio Le . . *tappetem* veterem. sic tappet-*e neutro genere. Terentum* in campo Martio locum *Verrius ait ab eo,* dicendum fuisse, quod t-*erra ibiper ludos* Secularis Ditis patris *ita leuiter teratur* ab equis quadrigari-*is, vt eorum leuis motilitas* 2 æquiparet mo-*tus rapidos velocis Lunæ.* quod quam aniliter re-*latum sit, cuiuis* manifestum est. ¶ *Taurij ludi in*stituti dis Inferis ex *hac causa videntur.* Tarquinio regnante, cum *magna incidisset* pestilentia in mulieres *grauidas, earum* fetu si facti 3 sunt ex car-*ne diuendita populo* taurorum immolatorum. ob *hoc ludi Taurij* appellati sunt, & fiunt *in circo Flaminio, ne* intro muros euocentur dij *Inferi. Sed Taurios* ludos Varro ait vocari, quod *eis ludus discipu*lus pendens á doctore in cr-*udo corio tauri* solitus sit impelli, atque vs-*que eo inibi cogi* docere, quoad consisteret, *& sola virtute* talorum constaret pedu-*m firmitas.* ¶*Talas*sionem in nuptiis Varro ait- *sixum esse lanifici* τάλασον, id est quasillum, i-*ta enim so*litum appellari Talassionem. *at quidam* historiarum scriptor, Talassium ait *nomine* virum, rapta virgine vnicæ p-*ulchritu*dinis, quod ei id coniugium fuerit fe-*lix, boni* hominis 4 gratia nunc redintegrari. *tribuni*

[1 *tapetæ.* 2 *mobilitas.* 3 *fetus infecti.* 4 *ominis.*]

pag 159.

tia rogatione l-ex Curiata fertur, quo Hanni*bal anno in conspectu* Romæ cum esset. nec ex præsidi*is discedere liceret*, Q Fabius Maximus Verru*cosus, id per TR. PL. & Ma*-rcellus col. facere in*stituerunt, vt nota*-uit Ælius in xij. signi*ficationum verborum.* ¶*T*-risulcum fulgur fuit *ab antiquis dictum q*-uia id, aut incendit, a*ut afflat, aut te*- rebrat. ¶ Togatarum *duplex genus: prætextarum, h*-ominum fastigio: quæ *sic appellantur,* quod togis prætextis rem

p. administren-t, tabernariarum; quia *hominibus ex*-cellentibus etiam humiles *permixti, vt sunt p*-lagiarij, serui denique & *caupona ex tab*-ernis honeste prodeant *persæpe.* ¶ *Ta*-uras, vaccas steriles ap*pellabant, ait Verriu*-s, quæ non magis pariant, *quam tauri, sed vero*-similius sit ex Græco dic*tas, quia Græci vaccas,* ταύρας appellant. ¶Todi sunt *aues parua, & toti*-lli, quarum.m. Plautus in Sy*ro, cum ait Cum extri*-tis talis, cum todillis cru*sculis.* ¶ *Tubillustria* quibus diebus adscribi tum in *Fastis est, cum in atr* io Sutorio agna tubæ *lustrantur. ab is* tubos appellant, quod genus *lustrationis ex* Arcadia Pallanteo 1 trans*latum esse dicunt.* ¶*T*-uditantes, tundentes, *negotium tund*-entes significare ait Cincius, *id est agentes.* E-nnius l.2. Hæc inter se totum 2 *ui tuditan*- tes. & Lucretius item libro 2. Nec *tuditantia* rem cessant extrinsecus vllam. ¶*Tudites mall*-eos appellant antiqui á tunden*do., quamu*-is ali 3 cruribus 4 tudites. Inde Ateius *Philo'og*-us existimat Tuditano cognomen *inditum,* quod caput malleoli simile habuerit. *Tullios al*-ij dixerunt esse silanos, alij riuos, alij

[1 *Arcadia Pallanteo, vel Arcadia Pallante* 2 *tota* 3 *alij* 4 *tudib.*]

pag. 160.

vehementes proiectiones sanguinis [1] arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Ajace. Aiax misso sanguine tepido tulij efflantes volant. ¶ Topper significare ait Artorius cito, fortasse, celeriter, temere. 2 cito, sic in Nelei carmine. Topper fortunæ commutantur hominibus (citius) sic C. Næuius. Capesset flammam Volcani cito. 3 sic in eodem. Namque nullum peius macerat 4 humanum, 5 quam de mare sæuum. Viret 6 cui sunt magnæ topper confringent. importunæ vnde 7 (fortasse) sic Coelius l. vij. Ita vti se quisque vobis studeat æmulari in statu fortunæ reip. (eadem re gesta.) topper nihilo minore negotio acto, gratia minor esset. fortasse, sic Accius in Io. Topper, vt fit patris tencicititas. 8 (Ennius vero sic.) Topper, fortasse valet in Enni & Pacuui scriptis. apud Ennium est, Topper quam nemo melius scit. Pacuuius. Topper tecum sit potestas faxsit, si mecum velit. ad 9 in antiquissimis scriptis celeriter, ac mature. in Odyssia vetere Topper facit homines vtrius fuerint. Topper citi ad ædis venimus Circæ, 10 simul duona eorum portant ad nauis millia. alia in iisdem 11 & inserinuntur. Tibicines etiam hi appellantur, qui sacerdotes viri speciosi publice sacra faciunt, turbarum lustrandarum gratia. ¶ Torrens participaliter pro exurens ponitur, vt est apud Pacuuium in Antiopa. Flammeo vapore torrens terræ fetum exusserit. significat etiam fluuium subitis imbribus concitatum, qui alioqui siccitatibus exarescit. quius 12 aquam ipsam quæ fluit, flumen recte dici ait Ælius Gallus l.2. quæ ad ius pertinent. ceterum volgi consuet idi-

ſuetudine vtrumq. iam dici flumen, & perennem

[1 amnis. 2 mature. 3 topper. 4 macit. 5 hemonæ. 6 vires. 7 vndæ. 8 pater iſtam eiecit foras. 9 at. 10 Circes. 11 indidem. 12 Tubicines. 13. quamuis.]

pag. 161.

fluuium & torrentem. ¶Torũ, vt ſignificet torridũ, aridum. per vnum quidem, R, antiqua conſuetudine ſcribitur. ſed quaſi per duo R, ſcribatur pronuntiari oportet, nam antiqui nec mutas, nec ſemiuocales litteras geminabant, vt fit in Ennio, Arrio, Annio. ¶Turmam equitum dictam eſſe ait Curiatius quaſi terimam: quod terdeni equites ex tribus tribubus Titienſium, Ramnium, Lucerum fiebant. itaque primi ſingularum decuriarum decuriones dicti, qui ex eo in ſingulis turmis ſunt, etiam nunc terni. ¶Torreri à torro, 1 deductum proprie ſignificat ſiccare, atque areſacere. ſed vſurpatum eſt iam pro eo, quod ſit igne vrere. Plautus (in) vna edet 2 opera in furnum calidum condito, atque ibi torreto. ¶Turannos, 3 Etruſcos appellari ſolitos ait Verrius à Turrheno duce Lydorum, à cuius gentis præcipua crudelitate etiam tyrannos dictos. Tyria maria in prouerbium deductum eſt: quod Tyro oriundi Poeni adeo potentes maris fuerunt, vt omnibus mortalibus nauigatio eſſet periculoſa. Afranius in Epiſtola. Hunc ſerrium autem maria tyria conciet. ¶Toruitas à ferocia taurorum dicta eſt. Pacuuius in Armorum iudicio. Feroci ingenio toruus præ grandi gradu. &. Cum recordor eius ferocem, & toruam confidentiam. Turbelas 4 dixiſſe antiquos, quas nunc turbas appellamus, teſtis eſt Plautus in Pſeudolo. Quo alto 5 & quantas ſoleam turbelas dare. ¶Tutulum vocari aiunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem. quidam pileum lanatum forma metali figuratum, quo Flamines, ac Pontifices vtuntur, eodem nomine vocari. Ennius li-

[1 Torrere à torreo. 2 vna ædepol. 3 Turrheno. 4 turbellas 5 Quales.]

pag. 162.

baq. fictores argæos, & *tutulatos.* ¶*Tuor* video; Tueor, defendo *in vſu olim fuit.* ſed iam promiſcue vtuntur, *& ponitur tueor,* pro video; & contueor, *pro defendo.* ¶*Tuguria* à tecto appellantur *domicilia ruſticorum* ſordida. Afranius in V-*irgine.* *Sordidum* tugurium eſt, turpe *Cæcilius in Hypobolimæo.* Habitab-*at in tugurio ſine operculo.* quo nomine *Valerius in explanatione* xij. ſait etiam . . . *ſignificari.* ¶Tuſcum vicum ce-*teri omnes quidem ſcriptores* dictum aiunt ab *eo, quod Porſena rege* deſcendente 1 ab obſi-*dione, remanſerint* Romæ, locoq. his dato, *ibi habitauerint Veientes* fratres Celes & Vibena, *vnde poſt eiecti, quod* Tarquinium Romam ſecum max-*ime reducere cupierint.* M. Varro, quod ex Cœ-*lio in eum locum deducti ſint.* ¶Toxicum dicitur ceruar-*ium venenum, quo* quidam perungere ſagit-*tas ſoliti ſunt.*

Cæcilius in Gamo. Vt hom-*inem miſerum* toxico tranſegerit. Afra-*nius in* . . vxorium iſtud toxicum mit-*tite.* ¶*Tuſcos* quidam dictos aiunt à Tuſco *rege Herculis* filio. Alii quod vnici ſtudii ſi-*nt ſacrificiorum,* ex Græco, *velut* θυοσκοὶ ¶*Vnde* ¶*Tuſculum* ab eadem cauſa ſacrificiorum, v-*el quod aditum difficilem* habeat, id eſt, δύσκολον. ¶*Tumulum Stilo* Ælius ſic definit; Tumulus eſt *cumulus arenæ* editus ſecundum mare fluctib. in *altum eleuatus.* vnde ſimiliter & manufac-*tus, & naturalis* proprie dici poteſt. ¶Tumult-*uarij* milites, dicuntur lecti ob ſubitum ti-*morem; vnde* etiam tumultum dici ait Verrius, quia *non aliunde* is ornatur 2 quam ab Italicis & Gallicis h-*ominib.*

[1 diſcedente. 2 oriatur.]

pag. 163.

*qui immin*ent Italiæ. itaq. nullum *tumultum, præter* quam Gallicum, aut domeſticum *nominabant.* ¶*Thomices Græco* nomine appellantur *canabi impoliti,* & ſparto leuiter tortæ *reſtes, ex quibus funes* fiunt. Lucilius Vidimus *vinctum thomice can-*abina. Opillus 1, Aure-*lius ait moll-*em puluillum, quem in *collo habent, reſtis ne l-*ædat, thomicem vo-*cari.* ¶*Tongere Ælius Sti-*lo ait noſcere eſſe, *quod Præneſtini tongi-*tionem dicant. pro no-*tionem ſignificat & ia-*tius dominari. Ennius. *Alij rhetorica* tongent, & vincere *etiam quandoq.* videtur ſignificare. ¶*Teſca Verrius ai-*t loca augurio deſig-*nata, quo ter-*mino finis in terra auguri. Op-*ilius Aureli-*us loca conſecrata ad *augurandum ſcrib-*ſit. ſed ſancta loca vndiq. *ſepta doce*nt Pontificis libri, in quibus *ſcriptum eſt.* ¶*Templum-*q. ſedeniq. teſcumq. *ſiue deo, ſiue deæ* dedicauerit, vbi eos ac-*cipiat volentes,* propitioq. Hoſtius belli *Hiſtrici l. i.* per gentes alte ætherias, atque *auia teſca, per-*que violabis 2 templa antiqua *deum.* *Cicero t-*ero aſpera difficilius aditu *dixit, cum ait Lo-*ca aſpera, ſaxa teſca tuor. *Accius in Philo-*cteta. Quis tu es mortalis, *qui in deſert-*a, & teſqua te adportas loca. ¶*Tonſillam ait* eſſe Verrius palum dolatum *in acumen, & cuſpide* præferratum, vt exiſti-*mat, qu-*em configi 3 in littore nauis re-*ligandæ* cauſa. Pacuuius in Medio. 4 Acceſ-*ſi ad-*eam, & toſillam 5 pegi læto in litore. *Accius* Phinidis. Tacete, & tonſillas lito-*re la-*edo 6 edite. ¶Tonſam Ennius ſignifi-

[1 Opilius 2 volabilis 3 configi 4 Medo 5 tonſillam 6 lato.]

pag. 164.

cat remum, quod quaſi tondeatur ferro cum ait lvij. Poſte recumbite, veſtraq. pectora pellite tonſis. item. Pone petunt, exin referunt ad pectora tonſas. & in Aſota. Alius in mari vult magno tenere tonſam. ¶Thymbræum Apollinem Vergilius

à monte Thymbraco appellauit, qui est in agro Troiano. ¶Tolenno 1 est genus machinæ, quo trahitur aqua alteram partem prægrauante pondere. dictus à tollendo. ¶Tolerare, patienter ferre. Accius in Neoptolemo. Aut 2 quisquam potis est tolerare acritudinem. Ennius l. ij. Ferro se cæde, 3 quam dittis his toleraret. ¶ Toles tumor in faucibus quæ per diminutionem tonsillæ dicuntur. ¶ Tullianum, quod dicitur pars quædam carceris Ser. Tullium regem ædificasse aiunt. ¶Taxat verbum ponitur in his, 4 quæ finiuntur, quoad tangi liceat. in. litibus quoque, arbitrove 5 cum proscribitur quoad ei iussit 6 statuendi. ¶Taxatio dicitur, quæ fit certæ summæ. a tangendo autem dici etiam scænici testimonio sunt, qui taxatores dicuntur, quod alter alterius maledictis tangit. ¶ Tabernacula dicuntur à similitudine tabernarum, quæ ipsæ, quòd ex tabulis olim fiebant, dictæ sunt, non vt quidam putant, quod tabulis clauduntur. ¶Tagit. Pacuuius in Teucro. Vt ego, si quisquam me tagit. & tagam. Idem in Hermiona. Aut non cernam, nisi tagam. sine dubio antiqua consuetudine vsurpauit. nam nunc ea sine præpositionibus non dicuntur, vt contigit, attigit. ¶ Tablinum proxime Atrium locus dicitur, quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas

[1. *Tollenno* 2. *Haud* 3. *cædi,* 4. *ijs.* 5 *arbitrione* 6. *ius sit.*]

SCHEDÆ

SCHEDAE QVAE FESTI FRAGMENTO DETRACTÆ APVD POMPONIVM LÆTVM EXTABANT.

Ex bibliotheca Fuluij Vrsini.

pag. 167.

¶Manubiæ Iouis tres creduntur esse, quarum vnæ sint minimæ, quæ moneant placatæq. sint. Alteræ quæ maiores sunt, ac veniant cum fragore, discutiantque aut diuellant quæ à Ioue sint, & consilio deorum mitti existimentur. Tertiæ his ampliores, quæ cum igne veniant: & quanquam nullum sine igne fulgur sit, hæ propriam differentiam habeant, quæ aut adurant, aut fuligine deforment, aut accendant, quæ statum mutent deorum consilio superiorum. ¶Manias Ælius Stilo dicit ficta quæ 1 ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alij maniolas appellent. Manias autem, quas nutrices minitentur paruulis pueris esse laruas, id est manes deos deasque, qui aut ab inferis ad superos manant, aut Mania est eorum auia materna. sunt enim vtriusque opinionis auctores. ¶Mamercus prænomen Oscum est, ab eo quod hi Martem Mamertem appellant. ¶Mamiliorum familia progenita sit 2 a Mamilia Telegoni filia, quam Tusculi procreauit, quando id oppidum ipse condidisset. ¶Mantare, sæpe manere. Cæcilius in Epistola: iam ne 3 adeo manta. iam hoc vide, cæcus animum . . . . aduentus angit. ¶Manticularum vsus pauperibus in nummis recondendis, etiam nostro sæculo fuit. Vnde manticulari dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant. Inde poetæ pro dolose quid agendo vsi sunt eo verbo. Pacuuius. Ad manticulandum astu aggreditur. scit enim quid promeruerit. modici manticulatur, . . Ita me facti oppressi iugo. Item deinde. Aggrediar astu regem manticulan-

[1 *quædam* 2 *fuit* 3 *al. ore.*]

pag. 168.

dum est mihi. et. Machinam ordiris nouam manticula 1 & tactu, an sanctiora dicis iuraiuranda. Plautus hoc significare videtur, quibus quotidie paruæ noxæ extergeantur. frequens enim antiquis ad manus tergendas vsus fuit mantelorum. ¶Moeson persona comica appellatur, aut coci, aut nautæ, aut eius generis. dici ab inuentore eius Mœsone comœdo (vt) ait Aristophanes Grammaticus.

¶Mæniana appellata sunt à Mænio censore qui primus in Foro vltra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur superiora spectacula. ¶Maior Græcia dicta est Italia, quod eam Siculi quondam obtinuerūt: vel quòd multę magnęq; ciuitates in ea fuerūt ex Gręcia profectæ. ¶Maius mensis ex compluribus ciuitatibus Latinis ante vrbem conditam fuisse videtur. qua ex causa vtrum à maioribus, vt Iunius à iunioribus dictus sit: an à Maia, quòd Mercurio filio eius res diuinæ fiant solemnes: an quòd ipsi deæ in multis Latinis ciuitatibus sacrificia fiebant . . . 2 A ¶Monstrum vt Ælius Stilo interpretatur, à monendo dictum est, velut monestrum. Item Sinnius Capito, quod monstret futurum, & moneat voluntatem deorum, quod etiam ¶prodigium, velut prædictum 3 & quasi prædictum, quòd prædicat eadem, & ¶portentum quòd portendat: & significet. inde dici apparet id quartum, quod mihi visum est adciendum, præsertim cum ex eadem significatione pendeat, & in promptu sit omnibus id est ¶ostentum: quod item ab ostendendo dictum est apud auctores: qui monent histriones in scæna, sed etiam vbi adiciuntur commentarij. ¶Monile dictum est ornatus mulieris: qualem habuisse Eri-

[1 *manticula* 2 *A ipse mensæ* 3 *prædicium.*]

pag. 169.

phylam fabulæ ferunt. ex eo etiam equis præpendens a collo ornamentum, monile appellant. ¶Molucrum non solùm quo molæ teruntur 1 dicitur, id quod Greci μωλικρὸν appellant, sed etiam tumor ventris, qui etiam virginibus incidere solet, cuius meminit Afranius in Virgine. Ferme virgini, tanquam grauidæ mulieri vterus, molucrum vocatur, transit sine doloribus. Cloatius etiam 2 A in libris sacrorum, molucrum esse aiunt ligneum quoddam quadratum, vbi immolatur. Idem Ælius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur. Aurelius Opilius appellat vbi molatur. ¶Mola etiam vocatur far tostum, & sale sparsum: quòd eo molito, hostiæ aspergantur. molas auias inepte quidam dictas putant. ¶Mundus etiam mulieris

um virginali mundo clam patre. En- loco nauibus celsis munda facie, atque etiam æ e Cereris. Qui 3 mundus appellatur, qui ter in anno solet patere, 3. kal. Sep. & 4. Non. Octob. & 3. id. Nouemb. Qui (vel omni dictus est, quod terra mouetur. ¶ Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, vt ait Verrius, in clibano antequam percoquatur, decidit in carbones, cineremque, cuius meminit Lucilius. Pistricem. valida 5 si nummi suppeditabunt, addas empleuron, mamphulas quæ sciat omnis. ¶Municeps est, vt ait Ælius Gallus, qui in municipio liber natus est. Item qui ex alio genere hominum munus functus est. Item qui in municipio ex seruitute se liberauit à municipe. Item municipes erant, qui ex aliis ciuitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed

[1 *al. verrantur. al. vertuntur,* 2 Λ *&* *Ælius* 3 *Quin* 4 *id omne* 5 *validam.*]

---

pag. 170.

tantum muneris partem. At Seruilius 1 aiebat initio fuisse, qui ea conditione ciues Ro. fuissent, vt semper remp. separatim à populo Rom. haberent, Cumanos, Acerranos, Atellanos, qui æque ciues Ro. erant & in legione merebant, sed dignitates non capiebant.

¶Mutas, quasi 2 è literis appellatas quidam putant, quod positæ in vltimis partibus orationis obmutescere cogant loquentem. quidam quòd paruæ, exiguæque sint vocis, vt quando mutum oratorem, aut tragœdum dicimus. Multam Osce dici putant pœnam quidam. M. Varro ait pœnam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in l. I. quæstionum Epist. refert. ¶Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricij sunt vsi. M. Cato originum li. VII. Qui magistratum Curulem cepisset (calceos) mulleos allutaciniatos 3 ceteri perones. Item Titinius in Setiana 4 Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatis in calceos. quos putant à mullando dictos. i. suendo. ¶Multifariam dixerunt antiqui, videlicet, quod in multis locis fari poterat. ¶Manius Egeri 5 . . . Nemorensem Dianæ consecrauit, à quo multi, & clari viri orti sunt, & per multos annos fuerunt. vnde & prouerbium. Multi Mani Ariciæ. Sinnius Capito longe aliter sentit. ait enim turpes & deformes, significari, quia ¶Maniæ dicuntur deformes personæ. & Ariciæ genus panni 6 fieri, quod manici 7 appelletur. ¶Mœne singulariter dixit Ennius. Apud Emporium in campo hostium pro 8 mœne. ¶Mutire, loqui. Ennius in Telepho. Palã mutire plebeio piaculũ est. ¶Mœnia, muri, & cetera muniendæ vrbis gratia

[1 *al. Ser. filius* 2 *quasdam* 3 *alutaciniatos, vel lunatos* 4 *Setina* 5 *Ægerius agrum* 6 *panis* 7 *Manij* 8 *al. per.*]

---

pag. 171.

facta: vt Accius in Hellenibus. Signa ex templo canere, ac tela ob mœnia offerre imperat. Significat etiam officia. Plautus in Neruolaria. 1 Prohibentque mœnia alia, vnde ego fungor 2 mea, Murrinam genus. . . . . ¶Manuos in carminibus sæcular. Ælius Stilo significare ait bonos: & Inferi- di. ¶Manes pro boni dicuntur à suppliciter eos venerantibus propter metum mortis, vt immanes quoque pro valde Λ 3 . . . . dicuntur. ¶Muscerdas prima syllaba producta dicebant antiquĩ stercus murum. ¶Mepalia casæ Pœnicæ appellantur: in quibus quia nihil est secreti, solet solute viuentibus obici id vocabulum. Cato Originum libro quarto. ¶Mapalia vocantur vbi habitant: ea quasi cohortes rotundæ sunt. ¶Metalli 4 dicuntur in lege militari quasi mercenarij. Accius Annali. XXVII. Calones, famulique metalliq. 5 caculæq. à quo genere hominum Cæciliæ familiæ cognomen putat dictum. Quod est. . . . . .

¶ Manum & mentum, prouerbium est ex Græco ductum, quod est, πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου. Calchantem vitis ferentem quidam augur vicinus præteriens dixit errare: non enim ei fas esse nouum vinum . . . ¶Minusculæ quinquartus appellantur Idus Iun. quod is dies festus est tubicinum, qui colunt Mineruam. cuius deæ proprie festus dies est. Quinquartus mense Martio. Muli Mariani dici solent à C. Mario instituti, cuius milites in furca sunt posita 6 tabella varicosius onera sua portare assueuerant.

[1 *Sticho* 2 *al. fungar* 3 Λ *non bonis* 4 *metelli* 5 *metellique* 6 *superposita.*]

---

pag. 172.

SEX. POMPEI FESTI

LIBER XIII. INCIPIT.

¶Mulus Λ 1 . . . ea sterilis sit quam mulus. vel quod vt mulus non suo genere sed equis ortus, sic ea Solis, non suo fulgore luceat. ¶Murtiæ deæ sacellum . . . .

¶Martius mensis initium anni fuit & in Latio & post Romam conditam, quod eo 2 genus erat bellicosissima, cuius rei testimonium est, quod posteriores menses, qui annum finiunt, à numero appellati vltimum habent Decembrem. ¶Malo cruce, masculino genere eum dixit Gracchus in oratione, quæ est in P. Popilium posteriorem 3 tam repræsentauit antiquam consuetudinem, quam hunc frontem atq. hunc stirpem idem antiqui dixerunt, & rursus hanc lupum, hanc metum. Item cum idem in Pompilium & matronas 4 ait. Eo extemplo instituto, dignus fuit qui malo cruce periret . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . . . &improbum, qui assidue in litibus moraretur: ob eamque causam in ordine staret adeuntium Prætorem. At Ælius Stilo, qui minime ordine viueret. Λ 6 . . . . in ea oratione, quam scribit de suis virtutibus contra Thermum. Quid mihi fieret, si non ego stipendia (in ordine) omnia ordinarius meruissem semper? sunt quidam etiam, qui manipularem, quia infimi sit ordinis, appellatum credant ordinarium. ¶Ornatus dicitur & bonis artibus instru-

instructus ; & honores adeptus à populo : etiam

[1 A vehicu'o lunæ adhibetur quòd eam 2 ea 3 posteriore 4 Popillium & Mathonem 5 Hæc cum fine pag. 32. coniungenda sunt. 6 A M. Cato.]

pag. 173.

bene aptus, vt miles, aut gladiator, & acturus fabulas. Atq; & ornatus dicitur cultus ipse, quo quis ornatur vt cum dicimus aliquem tragico vel comico ornatu prodire. . . . . .

. . . .

¶Orestiades nymphæ, montium cultrices . .

¶Ordo sacerdotum æstimatur deorum ‸ 1 . . . maximus quisque Maximus videtur Rex, dein Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto Pontifex maximus. Itaque in solus 2 Rex supra omnis accubat. Licet 3 Dialis supra Martialem, & Quirinalem Martialis supra proximum. Omnes idem 4 supra Pontificem. Rex, quia potentissimus. Dialis, quia vniuersi mundi sacerdos qui appellatur Dium. Martialis, quod Mars conditoris vrbis parens. Quirinalis, socio imperij Romani Curibus ascito Quirino. Pontifex maximus, quod iudex atq; arbiter habetur rerum diuinarum, humanarumque. ¶Ordiri est rei principium facere, vnde & togæ vocantur exordiæ 5. ¶Opaca vocantur vmbrosa. ¶Opalia dies festi, quibus supplicatur Opi, appellantur, quorum alter . . . . . ¶Optutu, quasi optuitu, à verbo, quod est tuor, & significat video. ¶Optatam hostiam, alii optimam appellant eam, quam Ædilis tribus constitutis hostiis optat, quam immolari velit. ¶Optima spolia dicuntur originem quidem trahentia ab ope Saturni vxore, quod ipse agrorum cultor habetur, nominatus à satu, tenensque falcem effingitur, quæ est insigne agricolæ. Itaque illa quoque cognomina-

[1 maiestate, vt 2 al. in conuiuiis solus, 3 scilicet 4 item 5 al. exorditæ]

pag. 174.

tur Consiua, & esse existimatur terra. Ideoque in Regia colitur à P. R. quia omnes opes humano generi terra tribuat, ergo & opulenti dicuntur terrestribus rebus copiosi, & hostiæ opimæ præcipue pingues, & opima magnifica & ampla. Vnde spolia quoque quæ dux P.R. duci hostium detraxit, quorum tanta raritas est, vt intra annos paulo . . . . . trina contigerint nomini Romano. vna, quæ Romulus de Acrone, altera, quæ Consul Cossus Cornelius de Tolumnio, tertia quæ M. Marcellus Ioui Feretrio de Viridomato 1 fixerunt. M. Varro ait opima spolia esse, etiam si manipulari miles detraxerit, dummodo duci hostium . . . . non sint. Ad ædem Iouis Feretri poni testimonio esse libros Pontificum, in quibus sit. Pro primis spoliis bouem 2 pro secundis solitaurilibus pro tertiis agro publice fieri debere, esse etiam compelli reges 3

legem opimorum spoliorum talem. Cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Ioui Feretrio darier oporteat, & bouem cædito, qui cepit æris. cc. secunda spolia in Martis aram in campo, solitaurilia vtra voluerit, cædito. tertia spolia Ianui 4 Quirino agnum marem cædito, c. qui ceperit ex ære dato, cuius auspicio capta dis biaculum dato. huius ædis lex nulla extat, neque templum habeat neque 5 scitur. Vt qui optima lege fuerint 6 adici solet, cum quidam magistratus creantur . . . .

. . . .

¶Obscum duas diuersas & contrarias significationes habet. Nam Cloatius putat eo vocabulo si-

[1 Virdumaro. 2 boue. 3 Pompili regis 4 Iano 5 necne 6 fruant.]

pag. 175.

gnificari sacrum, quo etiam leges sacræ obscatæ 1 dicuntur, & in omnibus fere antiquis commentariis scribitur Opicum pro Obsco, vt in Titini fabula quinta. Qui obsce & Volsce fabulantur, nam latine nesciunt. 1 quo etiam verba impudentia, & elata appellantur obscena, quia frequentissimus fuit vsus Oscis libidinum spurcatum. Sed eodem etiam nomine appellatur locus in agro Veienti, quo frui soliti produntur Augures 2 ‸ Romani. ¶Obigitat antiqui dicebant, pro ante agitat, vt obambulare. ¶Obinunt, Obeunt. ¶Obiurar antiqui pro adistu ponebant, vt est in . . . . Pentesilea. Formidabant obiurare . . . . .

¶Ob vos sacro, in quibusdam precationibus est, pro vos obsecro, vt sub vos placo, pro supplico. ¶Opportune dicitur ab eo quod nauigantibus maxime vtiles, optatique sunt portus. ¶Obherbescere, herbam increscere.

¶Oboritur, nascitur. nam præpositionem ob, pro ad, solitam ponis, testis hic versus. Tantum gaudium oboriri ex tumultu maximo. & Ennius. Ob Romam noctu legiones ducere cœpit. ¶Obnectere, obligare, maxime in nuptiis frequens est. ¶Obseruasse dicitur, qui obseruat quid cuiusque causa facere debet. Itaque bis obseruat, coluisse aliquem dicitur. ¶Ommentans, Liuius in odyssea, quom ait, In Pylum aduenies, aut ibi ommentans, significat obmanens, sed ea significatione, qua sæpe fieri dicitur. id enim est mantare. ¶Ops antiqui dicebant quem nunc opulentum, vt testimonio est, non solum ei contrarium inops . . . .

[1 al. sacratæ obscæ al. obscitæ. 2 A publici populi. 3 is qui.]

pag. 176.

concedit. ego egens exortus sum. ¶Obsidionalis corona est, quæ datur imperatori ei, qui obsidione liberauit ab hostibus obsessos. ea fit ex gramine viridi fere ex eo loco decerpto, in erant inclusi. herbam autem victoriæ signum fuisse apud antiquos alij quod 1 exemplis docuimus. Quæ corona magnæ auctoritatis fuit. nam & P. Decio datæ duæ sunt, vna ab exercitu vniuerso, altera, ab his qui fuerunt in præsidio obsessi, & L.Sergio 2 Dentato, qui

Achilles Romæ existimatus est: ac fertur centies & vicies pro rep. depugnasse. coronis donatus. XXVI. in his aureis VIII. ciuicis XIIII. muralibus tribus. obsidionali vna. Inter obsidionalem, & ciuicam hoc interesse, altera singularis salutis signum est, altera diuersorum 3 ciuium seruatorum. ¶Obstitum Cloatius, & Ælius Stilo esse aiunt violatum attactumque de cælo. Cincius quom, 4 qui deo deæque 5 obstiterit, id est qui viderit quod videri 6 nefas esset. ¶Obstinato, obfirmato, perseuerāti, vt tenere possit, vt Pacuuius. obstinati exortus vt Accius in Amphitryone. Vt tam obstinato animo confisus tuo. Cato in Q. Termum de. X. hominibus. Rumorem, fama floccifecit capitas 7 stupris, obstinatus insignibus flagitiis. Næuius in Lycurgo. Vos qui astatis obstinati. ¶Obstrudant, obsatulent, ab auide truendo 8 cyngilam, 9 non sumendo cibum. Vnde & obstrudulentum . . . . dixit Titinius. Obstrudulenti aliquid, quod pectam sedens: aut luculentaster, 10 aut formaster frigidus. ¶Obsidiam, tanquā præsidium, subsidium, recte dicitur. cuius etiam auctor. C. Lælius pro se apud populum. Vt in 11 nobis terra marique simul obsidium

[1 *aliquot* 2 *Sicinio* 3 *vniuersorum* 4 *cum* 5 *qui deo, qui deæ* 6 al. *videre* 7 al. *cupitus* 8 al. *trudendo* 9 *gingiuam* 10 al. *hic lætaster,* 11 *vti.*]

pag. 177.

facerent. Et Sallustius historiarū. I. Magnis operibus 1 perfectis 2 obsidium cœpit per L. Catilinam legatum. ¶Obstitum, obliquum. Ennius LXVI. Montibus obstitis, obstantibus, vnde oritur nox. & in LVIII. Amplius exaugere obstipolumve 3 solis. Cæcilius in imbros. Resupina obstito capitulo sibi ventum facere cunicula 4. Lucretius. Omnia mendose fieri, atq. obstita necesse est. ¶Obsalutare, offerre salutandi gratia dicebant antiqui, vt consalutare, persalutare. ¶Obuaricator dicebatur, qui cuipiam occurrebat, quo minus rectum iter conficeret. ¶Oufentinæ tribus initio causa fu[illegible] nomen fluminis Oufens, quod est in agro Priuernate mare intra 6 & Taracinam. Lucretius 7 Priuerno Oufentina venit, fluuioque Oufente, postea deinde à Censoribus alij quoq. diuersarum ciuitatum eidem tribui sunt adscripti. ¶Oscillum Santra dici ait, quod oscillent, id est inclinent, præcipitésq. afferantur. 8 Oscillantes, ait Cornificius, ab eo quod eos cælare sint soliti personis propter verecundiam, qui eo genere lusus vtebantur. Causa auté eius iactationis proditur Latinus rex, qui prælio quod eis 9 fuit aduersus Mezentium Cæritum regem nusquam apparuerit, iudicatusque sit Iupiter factus Latiaris. Itaque (scit eius 10 dies feriatos liberos, seruosque requirere eum non solum in terris, sed etiam qua videretur cælum posse adiri per oscillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altissima ad infimum interdum, infima ad summum efferuntur. atque ideo memoriam quoque redintegrari initio acceptæ vitæ per motus cunarum, lactisque alimentum, quia per eos dies feriarum, & oscillis moueantur, & lactata potione

[1 al. *opiq-* 2 al. *profectis* 3 *obstipo lumine.* 4 al. *C. Licinius Imbrex* 5 *tunicula* 6 al. *inter mare, &* 7 al. *Lucilius* 8 *efferantur* 9 al. *ei* 10 *per sex eos f. scilicet eos.*]

pag. 178.

vtantur. nec desunt qui exemplum Græcorum secutos putent Italos, quod illi quoque iniuria interfecto Icaro, Erigone filia eius dolore impulsa suspendio periisset, per simulationem . . . . ¶Ostentum non solum pro portento poni solere, sed etiam principaliter . . . . testimonio est Pacuuius in Medo. Atque eccum in ipso tempore ostentum senem. & Accius in Bacchis. Præsens præsto irrideris nobis stirpe . . . . vltro ostentum obtulit. ¶Obscinum tripudium est, quod oris cantu significat quid portendi; cum cecinit cornu, cornix, noctua, parra picus. ¶Obstinet dicebant antiqui, quod nunc ostendit; vt in veteribus carminibus. Sed iam se cælo cedens 1 aurora obstinet suum patrem. ¶Oscines aues Ap. Claudianus esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, vt coruos, cornix, noctua, aut 3 quæ alis ac volatu, vt buteo, sanqualis, aquila, immistulus, vulturius. picam aut 4 Martius, Feroniusque, & parra, & in oscinibus, & in alitibus habentur. ¶Ostiam vrbem ad exitum Tiberis in mare fluentis Ancus Martius rex condidisse, & feminino appellasse vocabulo fertur. quòd siue ad vrbem, siue ad coloniam, quæ postea condita est, refertur, Quod neutrum certe plura . . . . ferri non debet. ¶Osculana pugna in prouerbio, quo significabatur victos vincere, quia in eadem & Valerius Læuinus impetator Ro. à Pyrrho erat victus, & breui eundem regem deuicerat. Sulpicius. . . . . item Imperator noster. eius rei meminit Titinius hoc modo. Hæc quidem quasi Osculana pugna est . . . . secus, quia in fugere polsi hinc spolia colligant. Signi

[1 al. *candens* 2 al. *Claudius* 3 *alites* 4 *Picus aut.*]

pag. 179.

ficatur etiam osculo sauium, vt Plautus in Neruolaria. ¶Osculum sat est mihi . . . . qui ambo 1 mi pater: quod inter cognatos, propinquosq. institutum ab antiquis est, maxime feminas . . . . . ¶Optima lex 2 A . . . in Magistro populi faciẽdo qui vulgo Dictator appellatur, quam plenissimum posset ius eius esse significabatur, vt fuit Mani Valerij. M. F. Volusuinæ gentis 3 qui primus Magister à populo 4 creatus est propter 5 quam vero prouocatio ab eo magistratu ad populum dicta 6 est, quæ ante non erat, desitum est adici; vt optima lege, vtpote imminuto iure priorum Magistrorum. ¶Originum libros quod inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando prægrauant ea, quæ sunt rerum gestarum P.R. ¶Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. his 7 adiutor dabatur centurioni à Trib. Militum, qui ex eo tempore, quem velint; centurionibus permissum est optare. etiam nomen ex facto sortitus est. Plautus in Asinaria. Qua me, qua vxorem, qua tu seruum Sauream potes, circumduce, aufer, promitto tibi non obsu-

obfuturum ſi id effeceris tibi, optionem ſumito Leonidam. ¶Obſidionem potius dicendum eſſe, quam obſidium, adiuuat nos teſtimonio ſuo Ennius in Telamone quom ait. Scibas natum ingenuum Aiacem, cui tu obſidionem paras. Item alio loco. Hector, qui haud ceſſat obſidionem obducere. ¶Orare antiquos dixiſſe pro agere; teſtimonio ſunt, quòd & oratores, & hi qui nunc quidem legati, tunc vero oratores reip. mandatas partis agebant. Ennius quoque quom dixit in libro 1. Annalium. Facere vero.

[1 *ambo* 2 A *cum diceba:ur.* 3 *Voluſi* N 4 *populi* 5 *poſt* al. *data* 6 *is.*]

pag. 180.

quod tecum precibus pater orat. ¶Oſcos quos dicimus ait Verrius Opſcos antea dictos. teſte Ennio, quom dicat, De muris ré gerit Opſcus. Adicit etiam, quòd ſtuprũ inconceſſæ libidinis obſcena dicatur, ab eius gentis cõſuetudine inducta quòd verũ eſſe non ſatis adducor, quom apud antiquos omnes fere obſcena dicta ſint, quæ mali ominis habebantur. vt illa Virgilij teſtimonio ſunt, vt ſuperiorum auctorum exempla referre non ſit neceſſe, quom ait. Harpyias obſcenas volucres. & Obſcenamque famem. ¶Ob præpoſitione antiquos vſos eſſe pro ad, teſtis eſt Ennius, quom ait. LXIIII. Omnes occiſi, obcenſique in nocte ſerena, id eſt, accenſi. 1 & in Iphigenia, Acherontem adibo 2 vbi mortis theſauri adiacent. 3 Eiuſdem autem generis eſſe ait obferre, obtulit, obcurrit, oblatus, obiectus: mihi non ſatis perſuadet. ¶Oſtentum, quo nunc vtimur interdum prodigij vice, quin participaliter quoque dici ſolitum ſit, non dubium facit etiam C. Gracchus de legibus à ſe promulgatis, quom ait. Quod vnum nobis in oſtentum, ipſis in vſum adportatur. ¶Occiſitantur, ſæpe occiduntur. ſic C. Gracchus pro roſtris in P. Popilium. Homines liberi nunc in oppido occiſitantur. ¶Oſi ſunt, ab odio declinaſſe antiquos teſtis eſt C. Gracchus in ea, quæ eſt de lege Minucia, quom ait. Mirum ſi quid his iniuriæ fit, ſemper eos oſi ſunt. quod nunc quoque cum præpoſitione elatum frequens eſt, quom dicimus, ſemper peroſi. ¶Oſtende, oſtendam: vt permultis aliis exemplis eius generis manifeſtum eſt. ¶Optionatus, vt Decurionatus, Pontificatus dicitur, vt Cato in ea, quam habuit apud equites. Maiores ſeorſum, atque diuerſum pretium

[1 al. *lucenti* 2 al. *obibo* 3 *obiacent.*]

pag. 181.

parare bonis, atque ſtrenuis, decurionatus, optionatus: haſtas donaticas, alioſque honores.

¶Ob os, ad os ſignificat . . . . Item vt ſuperioribus quoq. exemplis teſtatus 1 eſt. ¶Obſonitauere, ſæpe obſonauere. Cato in ſuaſione (de lege orchia derogaretur. 2 Qui antea obſonitauere: poſtea centenis obſonitauere. Significat autem conuiuari. ¶Oſtentas, ſæpe oſtendis gloriandi cauſa. Sed & participialiter: id & dici debet, & dictum eſt feminino genere. ¶Ouibus duabus multabantur apud antiquos in minoribus delictis, vt in maioribus amb. 3 nec hunc vltra numerũ excedebat multatio: quæ poſteaquã ære ſignato vti ciuitas cœpit, pecoraq. multaticia incuria corrũpebãtur, vnde etiã peculatũs crimẽ vſurpari cœptum eſt, facta æſtimatio pecoralis multæ, & boues cẽtenis aſſibus, oues denis æſtimatæ. Inde ſuprema multa, id eſt maxima appellatur tria milla æris. Item vinceſis 4 minoribus delictis. ¶Oliuitam antiqui dicebant, quõ olea cogebatur: 5 vt meſſem cum frumenta: aut vindemiam, quom vuas. quod vocabulum potius frequentari debebat, quam nullum 6 eius ſignificationis cauſa 7 haberemus, quamuis quidam obliuitatem meam 8 dicant. Oppidorum originem optime refert Cato. Cicero lib. 1. de gloria, eamque appellationem vſurpationem appellatam eſſe exiſtimat, quod opem darent adiciens, vt imitetur inertias 9 Stoicorum. ¶Orcum, quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Vragum 10, quod & v, litteræ ſonum per o, efferebant: per c, litteræ formam nihilominus, g, vſurpabant. Sed nihil affert exemplorum, vt ita eſſe credamus: niſi quod his 11 deus maxime nos vrgeat. ¶Obmoueto. pro admoueto dice-

[1 *teſtatum* 2 *ne legi Orchia derogaretur* 3 *xxx bob.* 4 *viceſſis* 5 al. *colligebatur* 6 al. *nullam* 7 al. *cauſam* 8. al. *oliuitatem eam* 9 al. *ineptias* 10 *Vrgum* 11 *is.*];

pag. 182.

batur apud antiquos, vt alia: quæ relata ſunt. ¶Offendices ait eſſe Titius nodos, quibus apex retineatur, & remittatur. At Veranius coriola exiſtimat, quæ ſint in loris apicis, quibus apex retineatur, & remittatur, quæ ab offendendo dicantur, nam quom ad mentum peruentũ ſit, offendit mentũ. ¶Oluatũ, Antiſtius Labeo ait eſſe menſuræ genus. ¶Occultum, offerre, ſignificat ſub terram fere ponere. ¶Obiacuiſſe antea iacuiſſe. ¶Præceptat, in ſaliari carmine eſt, ſeſe præcipit. ¶Pa pro parte; & ¶po, pro potiſſimum 2 poſitum eſt in ſaliari carmine. ¶Promeneruat item, pro monet. ¶Prædotiont, præoptant. ¶Proſpices, proſpice. ¶Peſnis 3, pennis 4, vt Caſmenas dicebant, pro Camænis: & Cæſnas pro cænis. ¶Polteo, pro vlteriore. ¶Polet: pollet: quia nõdum geminabant antiquĩ conſonantis. ¶Pliſima 5, plurima. ¶Pretet tremonti prętemuntpe. ¶Per fines, perfringas. 6 ¶Pro metion 7 præcipuum, præter cæteros meritum. aut pro medium 8 hoc eſt participat, aut 9 pro indiuiſo dicimus. Priuiclio es, 10 priuis, id eſt ſingulis. ¶Petilam ſuram: ficcam, & ſubſtrictam vulgo interpretatur. Scæuola ait vngulam albam equi ita dici. ¶Pilumnoe poploe in carmine ſaliari, Romani, velut pilis vti aſſueti: vel quia præcipue pellant hoſtis. ¶Præpetes aues quidam dici aiunt, quia ſecundum auſpicium faciant præteruolantes. alij quod aut ea, quæ præpetamus indicent. aut quod præteruolent. aut ex Græco tractum putãt, quod ante conſpectum volent noſtrũ. inepte. s. ex præpoſitione Latina cõponentes & Græcó vocabulo. 1 ceterum poetæ promiſcue omnes aues ita appellant. Pilare compilare. ſunt qui Græcæ originis. . . . .

[1 al. *Oluatium* 2 al *populo* 3 al. *Pæſnis* 4 al. *Pœnis* 5 al. *Pluſima* 6 al. *perſtringat* 7 al. *promorion* 8 al. *medio* 9 al *vt vt* 10 *priuicloes.*]

pag. 183.

¶Picati appellantur quidam, quorum pedes formati

sunt in speciem sphingum: quod eas Dorificas vocāt. ¶Petulantes, & petulci etiam appellātur qui proteruo impetu,& crebro petunt lædendi alterius gratia. Ver.in IV.Geor.Neq.oues, hodieq. petulci floribus insultent,&,Cornigeras norunt matres. . . . . agnique petulci. Et Afranius in Ida. Nostrum in cōuentum, aut consessum ludum ; lapiumq. petulcum. Interdum pro veloce vsi videntur antiqui,vt hoc versu intelligi potest. Exiluit quasi petulcus quidam, pedibus conuibrauit. ¶Petrarum genera sunt duo, quorum alterum naturale saxum prominens in mare, cuius Ennius meminit L.XI. Alte delata,cetérisque 2 ingentibus recta.& Leuius 3 in Centauris. Vbi ego sæpe petris.alterum manufactum,vt docet Ælius Gallus. petra est, qui locus 4 dextra ac sinistra fornicem expleturusq; 5 ad libramentum summi fornicis. ¶Petissere antiqui pro petere dicebant:ea quidem forma verbi,qua sunt lacessere, & incessere. sed vt mihi videtur , quom significabant sæpius petere, vt petessant,sæpius petant. ¶Petrones rustici fere dicuntur propter vetustatem, & quod deterrima quæque ac præruptus.. iā agri petræ vocantur,vt rupices idē à rupicis.6 ¶Petauristas Lucilius à petauro appellatos existimare videtur,quom ait.Sicuti mechanici, cū alto exiluere petauro.At Ælius Stilo quòd in aere volent,cum ait Petaurista proprie Græce,ideo quod his,περὶ ἀέρα πέται 7.¶Petoritū,&Gallicū vehiculū esse &nomē eius dictū esse existimant à numero iiij rotarum.alij Osce,quòd hi quoq; petora quatuor vocent alij Græce, sed αἰολικῶς dictum. ¶Petiminia in his 8 iumentorum vlcera,& vulgo appellant , & Lucilius

[1 al.*pedicus.* 2 *petrisq;* 3 *Læuius* 4 al.*qua Iouis* 5 al.*expletura est* 6 *à rupibus* 7 *is* 8 al.*humeris.*]

pag. 184.

meminit quom ait.Vt petimen naso,aut lumbos ceruicibus tangat. eo nomine autem , & inter duos armos suis quod est,aut nectos 1 solitū appellari testatur.Næuius in descriptione Sullæ 2, quom ait· Petimine piscino qui meruerat. ¶Penuas antiquos fertur appellasse pœnas ex Græco , quod illi πτηνὰ ea, quæ sunt volucriora 3 dicant.Item easdem pesnas,vt crescat. ¶Pictor Zeuxis risu 4 mortuus, dum ridet effuse pictam à se anum γερῶν. cur hoc loco relatum sit à Verrio , cùm de significatu verborum scribere propositum habuerit,equidem non video, cum versiculos quoque(adhæreret tulerit & ineptos pati,sed nullius prætoris 5 prætexto nomine: qui tamen sunt hi. Nam quid modi facturus risu denique? nisi pictor fieri vult , qui risu mortuus. ¶Picta quæ nunc toga dicitur, purpurea ante vocitata est,eaque erat sine pictura. eius rei argumentum est pictura in æde Vertumni,& Consi,quarum in altera M.Fuluius Flaccus,in alterà T.6 Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt. ¶Tunica autem palmata à latitudine clauorū dicebatur,quæ nunc à genere picturæ appellatur. ¶Impetum,industrium , indulgentem perinde composita esse ait Verrius,atq; impune, & immunis, mihi non satis persuadet.

¶Pietati ædem consecratam ab Acillo 7 aiunt eo loco, quo quondam mulier habitauerit , quæ patrem suum inclusum carcere mammis suis clam aluerit,ob hoc factum , impunitus 8 ei concessus est.¶Picum auem quidam dictum putant à Pico rege Aboriginum, quo dissolutus sit 9 Λ . . . .

. . . .

¶Piscatorium æs vetusto more appellatur , quod in

[1 al.*pectus* 2 al. *suilla* 3 a l.*volucria* 4 *risu* 5 *ea de re retulerit,& ineptos satis,& nullius pretij* 6 f *L.* 7 *Acilio* 8 *impunitas* 9 V *quod is solitus eo vti.*]

pag. 185.

monte Albano datur pro piscibus. ¶Pedā vestigium humani præcipue pedis appellasse aut quos in commentariis quibusdam inueniri solet. ¶Pescia in saliari carmine Ælius Stilo dici ait, capitia ex pellibus agninis facta quod Græci pelles vocent pesce neutro genere pluraliter. ¶ Pestiferum fulgur dicitur , quo mors,exiliumve significari solet. ¶Pisalitem appellant Næuius Pantaleontem,id est Pisis oriundum tyrannum , cum alioqui inde profecti nunc Pisani dicantur. ¶Pedibus obsitum, id est pediculis,Titinius pedicosum appellat hoc modo. Rus detrudetur pedicosus , squalidus. Pedes autem pro pediculis. sic Plautus refert in Curculione. Item genus Λ 1 inter homines meo quidem animo,vt muscæ,culices,cimices,pedesq;, pulicesq. & Liuius in gladiolo. Pulices ne, an cimices an pedes, responde mihi . & Lucilius. Vbi me vidit, caput scabit,pedes legit. ¶Pesestas inter alia quæ (si) inter precationem dicuntur, 2 cum fundus lustratur,significare videtur pestilentiam, vt intelligi ex ceteris possunt , quom dicitur , Auertas morbum, mortem , labem , nebulam, impetiginem. ¶Pedum baculi genus incuruum , vt Virg. in Buc. quom ait.At tu sume pedum, quod me cum sæpe rogaret.¶Pedem struit in xij.significat fugit,vt ait Ser. Sulpicius. ¶Pistum pisendo perpolitum, antiqui frequentius vsurpabant, quam nunc nos dicimus.

¶ Pedarium Senatorem significat Lucilius quom ait. Agipes vocem mittere cœpit. qui ita appellatur, quia tacitus transeundo ad eum , cùm sententiam probat,quid sentiat, indicat. ¶Piscatorij ludi, vocantur,qui mense Iunio trans Tiberim fieri solent pro quæstu piscantium. Piscinæ publicæ ho-

[1 Λ al *lenonem* 2 f al. *interpretatores dicunt imprecatores* 3 al.*à piscendo propolitum.*]

pag. 186.

dieq; nomen manet,ipsa non extat ad quam & natatum , & exercitationis alioqui causa veniebat populus. Vnde Lucilius ait Pro obtuso ore pugil, piscinensis reses. ¶Pectenatum tectum dicitur à similitudine pectinis in duas partes diuisum,vt testudinatum in quatuor.¶Piari eos velut proprio verbo, ait Verrius, qui parum sint animati , cum mentis suæ non sunt,per quædam verba liberantur incommodo.

¶Pignosa,pignora eo modo,quo Valesij, Auselij,pinosi,palisi, dicebantur.

¶Pectuscum Palati dicta est ea regio Vrbis , quam Romulus obuersam posuit,ea parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare versus, & quia 2 mollissime adibatur vrbs : cum Etruscorum agrum à Romano Tiberis discluderet ceteræ vicinæ ciuitates colles aliquos

aliquos haberent oppositos. ¶ Peculatus est nunc quidem qualecunq; publicum furtum, sed inductum est à pecore, vt pecunia quoque ipsa. Iam 4 etiam noxij 5 pecore multabantur, quia neque æris adhuc, neque argenti erat copia. Itaque suprema multa etiam nunc appellatur. ¶Piatrix dicebatur sacerdos, quæ expiare erat solita, quam quidem simulatricem, alij sagam, alij expiatricem vocãt; & piamenta, quibus vtitur expiando, alij purgamenta. ¶Piacularis porta appellatur propter aliqua piacula, quæ ibidem fiebant, vel, vt ait Cloatius, cum ex sacro 6 per aliquem piaculo soluitur, vt aliqua piandi propitiandíque causa immolatur. ¶ Pigere interdum pro tardari, interdum pro pœnitere poni solet. ¶Pangere, figere. vnde plantæ pangi dicuntur, cum in terram demittuntur. . . . ¶Permutatur id proprié dici videtur, quod ex alio loco

[1 *Pinasii, Papisii.* 2 *qua* 3 *aliquot* 4 *Nam* 5 *noxiæ* 6. *cum facto.*

pag. 187.

in alium transfertur. at commutatur, quom aliudpro alio substituitur. Sed ea iam confuse in vsu sunt.

¶Pierides Musæ propter amœnitatẽ, ac solitudinem Pierij montis dictæ videntur, quo 1 esse 2 secretis locis propter studia liberalia delectentur. ¶Percontatio pro interrogatione dicta videtur ex nautico vsu, quia conto pertentant, cognoscuntque nauigantes aquæ altitudinem. ob quam causam ait Verrius etiam secundam syllabam per o. solere scribi. mihi id falsum videtur: nam est illa percunctatio, quod is, qui curiose quid interrogat, percunctari sit 3 vt recte per v. literam scribatur. ¶Perfugam Gallus Ælius ait, qui liber, aut seruus, aut hostis sui 4 voluntate ad hostes transierit. qui idem dicitur transfuga, quanquam sunt, qui credant perfugam esse, non tam qui alios fugiat, quam qui ob spem commodorum ad quempiam perfugiat: ¶ Perfacul antiqui, & per se facul dicebant, quod nunc facile dicimus, inde permansit in consuetudine facultas. ¶Peremptalia fulgura Graccus 5 ait vocari, quæ superiora fulgura, vt 6 portenta vi sua peremant duob. modis, prioribus tollendis: aut maiore manubia, vt tertia secundæ, secunda primæ cedat. nam vt omnia 7 superentur fulgure, sic ictum fulgur manubiis vinci. ¶Perediam & bibesiam Plautus finxit sua consuetudine, cum intelligi voluit cupiditatem edendi & bibendi. ¶Peremere Cincius in libr. de verbis priscis ait significare idem, quod prohibere. at Cato in li. qui est de re militari pro viciare vsus est.

. . . .

. . . .

¶Tabem eam, quæ faceret tabescere apud antiquos

[1 *quod* 2 al. *eae* 3 *per cunctas res it,* 4 *sua* 5 *Granius* 6 *aut* 7 *omina.*

pag. 188.

vsurpatum. Sallustius quoque frequenter, vt in Catilina, cùm ait. Vt tabes plerosque ciuium animos inuaserat. & in li. IV. historiarum. Qui quidem mos, vt tabes in Vrbem coierit 1 & Coruinius 2 pro Liburnia. Propter hanc tabem, atque perniciem domus totius. ¶ Tabellis pro chartis vtebantur antiqui, quibus vltro citro 3 siue priuatim, siue publicè opus erat, certiores absentes faciebant. vnde adhuc tabellarij dicuntur. & tabellæ missæ ab imperatoribus. ¶Tagax furunculus à tangendo 4 cuius vocabuli Lucilius meminit. Et mutonis manum perscribere posse tagem. 6 ¶Tages nomine Genij filius, nepos Iouis, puer dicitur disciplinam dedisse aruspicij duodecim populis Etruriæ. ¶Taminia vuæ siluestris genus. videtur Verrio dicta, quod tam mira sit quàm minium. ¶ Talus in Sabinorum nominibus prænominis loco videtur fuisse. ¶Talentorum non vnum genus Atticum est sex millium denarium. Rhodium & 7 Cistophorum quatuor millium, & quingentorum denarium. Alexandrinum XIJ. 8 denarium Neapolitanum sex 9 denarium. Syracusanum trium 10 denarium. Rheginum victoriati. ¶Tãne, eo vsque, vt Ælius Stilo & Opillus 11 Aurelius interpretantur. Itaque Afranius. Tamne ardua tua plena est aranearum. ¶Thaleæ 12 nomen dictum 13 alij ab ætatis flore aiunt, alij quòd carmina semper floreant ¶ Talipedare antiqui dicebant pro vacillare pedibus lassitudine, quasi qui trahit pedes, vt talis videatur insistere, aut identidem tollere pedes.

¶Tam significationem habet, cum ponimus præpositiuam quandam, cui subiungimus quam, vt cum dicimus, tam egregium opus tam paruo pretio venisse.

[1 *al. coniectus.* 2 *Cornificius.* 3 *citroque* 4 *tagendo* 5 *manu perscabere* 6 *tagacem* 7 *septem. m.* 8 IIX. *m.* 9 VI: *m.* 10 III. *m.* 11 *Opilius* 12 *Thaliæ* 15 *esse.*]

pag. 189.

id est sic. vt apud Græcos quoque ὅσος ἀγαθόν. Item ex contrario ei dicimus, quàm malus Homerus, tam bonus Cherylus 1 poeta est. At antiqui tam etiam pro tamen vsi sunt, vt Næuius. Quid 2 si taceat, dum videat, tam etiam sciat, quid scriptum sit. Ennius. Illæ meæ tam potis pacis potiri. Titinnius. Bene cum facimus, tam male subimus, vt quidem perhibent viri. Item. Quanquam 3 estis nihili, tam escator 4 simul vobis consului. ¶Tandem quom significat aliquando, interdum tamen ex superuacuo ponitur. vt apud Ter. in Phormione, quom ait. Ita ne tandem vxorem duxit Antipho iniussu meo? non enim hic tempus vllum significat. At Cicero etiam duplicat temporalem significationem, cum ait. Tandem aliquando. ¶Tauri, verbenæque in commentario sacrorum significat ficta farinacea. ¶Tama dicitur, cum labore viæ sanguis in crura descendit, & tumorem facit. Lucilius. 5 Inguenne existat, papulæ, tama, ne boa noxit. ¶Tænias, Gręcam vocem sic interpretatur Verrius, vt dicat ornamentum esse laneum capitis honorari, vt sit apud Cæcilium in Androgyno. Sepulchrum plenum tæniarum, ita vt solet, & al as. Dum tæniam qui 6 volnus vinciret. Ennius in Alexandro. Volans de cælo cum corona, & tæniis. Accius in Neoptolemo. Decorare est latius, quã vrbenæ exeneis. 7 ¶Tædulum antiqui interdum pro fastidioso: interdum, quod omnibus tædio esset, ponere soliti sunt. ¶ Tatium occisum ait Laniuij 8 ab amicis eorum legatorum, quos interfecerant Tininius I-

trones, sed sepultum in Auentiniensi laureto. Quod ad significationem verborum non magis pertinet, quam plurima alia, & præterita iam, & deinceps

[1 *Choetilus* 2 al. *Qui* 3 *Quam* 4 *ea me castor* 5 al. *Lucretius.* 6 *qua* 7 al. *e taenius* 8 al. *Lauinij* 9 al. *Tatiani.*]

pag. 190.

quæ referuntur. ¶Taurorum specie simulacra fluminum, id est cum cornibus formantur, quòd sunt atrocia, vt tauri. ¶Talionis mentionem fieri in xij. ait Verrius hoc modo. Si membrum rapit, 1 ni cum eo pacit, talio esto. neq; id, quid significat indicat, puto quia notum est. permittit enim lex parem vindictam. ¶Tarquitias scalas, quas rex Tarquinius Superbus fecerit, abominandi eius nominis gratia ita appellatas esse ait volgo existimari. ¶Tarpeiæ esse 2 effigiem ita appellari putant quidam in æde Iouis Metellina, eius videlicet in memoriam virginis quæ pacta à Sabinis hostibus ea, quæ in sinistris manibus haberent vt sibi darent, intromiserit eos cum rege Tatio, qui postea in pace facienda cauerit à Romulo, vt ea Sabinis semper pateret. ¶Tam perit, quam extrema faba, in prouerbio est, quòd ea plerumque aut proteritur, aut decerpitur à prætereuntibus. ¶Tapulam legem conuiualem ficto nomine conscripsit iocoso carmine Valerius Valentinus, cuius.m. Lucilius hoc modo. Tappulam rident legem concere 3 opimi. ¶Termonem Ennius Græca consuetudine dixit, quem nos nunc terminum hoc modo. Ingenti vadit cursu, qua redditus termo est. &, Hortatore bono prius, quam finibus termo. ¶Trientem tertium pondo coronam auream dedisse se Ioui donum scripsit. T. Quintius Dict. . . . quom per nouem dies totidem vrbes, & decimam 4 Præneste cepisset. id significare ait Cincius in Mystagogicon. ii. duas libras pondo, & trientem, qua consuetudine hodieq. vtimur, quom lignum bes alterum dicimus, id est pedem, & bessem latitudinis habens. & sestertium, id est duos asses, & semissem tertium. item si

[1 *rapsit, al. rapit,* 2 al. *etiam* 3 *congeræ* 4 *deditione.*]

pag. 191.

tres asses sunt & A 1 quadrans quartus 2 . . . . ¶Tersum diem pro sereno dictum ab antiquis, nec se habere rei auctorem ait. ¶Teretinatibus à flumine . . . . . ¶Tripudium . . . . ciis. in exultatione tripudiat . . . . a terra pauienda, nam pauire, est ferire, a quo & pauimenta id ex Græco, quod illi παίειν, quod nos ferire . . . . mum intactus vsur . . . . . ¶Teminare, violare . . . . . & contaminare, dictum videlicet . . . ilintare. ¶Teres est in longitudine rotundatũ. quales asseres natura ministrat. ¶Temetum, vinum. Plautus in Aulularia. Cererin' Strobile has facturi nuptias? qui? quia temeti nihil allatum video. Pomponius in Decima, Non multi temeti, sed plurimi. Nouius in duobus Dossenis. Sequimini perminate, sequere temeti timor. idem in Funere. Agite, exite, temulentum 3 tollite: & in Surdo. Filias habeo temulentas, sed eccas video incedere. Afranius in Consobrinis. Pol magis istius temulentæ, futilis. ¶Tintinnare est 4 apud Næuium hoc modo. Tantum ibi molæ crepitum faciebant, tintinnabant compedes. & apud Afranium. Ostiarij impedimenta tintinnire audio. ¶Tributorum conlationem, quom sit alia in capite, illud 5 ex censu, dicitur etiam quoddam temerarium vt post Vrbem & Gallis captam conlatum est, quia proximus xv. annis census alius 6 non erat. Item bello Punico secundo, M. Valerio Læuino, M. Claudio Marcello cos. quom & Senatus, & populus in ærarium, quod habuit 7 detulit.

¶Tentipellium Artorius putat esse calciamentum ferratum, quo pelles extenduntur, indeque Afranium

[1 A *quadrans.* 2 A *dicitur.* al. *temulentiamq.* 4 al. *Titinnire* 5 al. *aliud* 6 *populus* 7 al. *potuit.*]

pag. 192.

dixisse in Promo 1. Pro manibus credo habere ego illos tentipellium. Titinium ait Verrius existimare, id medicamentum esse, quo rugæ extendantur, quom dicat. Tentipellium inducitur, rugæ in ore extenduntur. quum ille ἐσπικῶς dixerit. ¶Tignum non solum in ædificiis, quo vtuntur, appellatur, sed etiam in vineis, vt est in XII. Tignum iunctum ædibus, vineave, & concapit 2 ne soluito. Tela proprie dici videntur ea, quæ missilia sunt. ex Græco videlicet translato eorum nomine, quoniam illi τηλόθεν missa dicunt, quæ nos eminus. sicut arma ea, quæ ab humeris dependentia retinentur manibus, quoniam quidem non minus in nobis eam partem corporis armum vocari existimandum est, quam . . . . ¶Tigillum, Sororium. Vici appellari incipiunt ex agris, qui ibi villas non habent, vt Marsi, aut Peligni. sed ex vicis partim habent remp. & ius dicitur, partim nihil eorum, & tamen ibi nundinæ aguntur 3 negotij gerendi causa, & magistri vici, item magistri paci quotannis fiunt. altero, cum id genus ædificiorum definitur, quæ continentia sunt his oppidis, quæ itineribus, regionibúsque distributa inter se distant, nominibúsq; dissimilibus discriminis causa sunt dispartita. tertio, cum id genus ædificiorum definitur, quæ in oppido priuo, id est, in suo quisque loco proprio ita ædificat, vt in eo ædificio peruium sit, quo itinere habitatores ad suam quisque habitationem habeat accessum, qui non dicuntur vicani sicut hi, qui aut in oppidi vicis, aut hi, qui in agris fiunt, vicani appellantur.

¶Viget dictum videtur a vi agendo, sed non vi

[1 al. *Primo.* 2 *capulo* 3 *habentur.*]

pag. 193.

agendis, hostilibusque rebus, verum his, quæ celer 1 . . . concitato animo ad bonam frugem ten. . . . .

¶Voicram auem, quę se vellit. Augures hanc eandem fucillantem 3 appellant. . . . .

¶Vigintiquinq; pœnas in XII. significat vigintiquinque asses. ¶Victimam Ælius Stilo ait esse vitulum, ob eius vigorem. alij autem, quæ vincta ducatur ad altare:

altare:aut quæ ad 4 hosteis victos immoletur. ¶Vectigal, æs appellatur, quod ob tributum, & stipendium, & equestre, & ordinatum populo debetur. ¶Viæ sunt & publicæ, per Λ 5 . . . e omnibus eorum, quorum sunt priuatæ . . . . . vias licet. priuatæ. quibus vetitum vti.. . . præter muniunto. dionisa m lapides sunt, qua volet, iumenta agito. ¶ Viatores appellantur, qui magistratib. apparent. eo quia initio omnium tribuum, cum agri in propinquo erant vrbis, atque assidue homines rusticabant, crebrior opera eorum erat in via, quam vrbe, quod ex agris plerunque homines vocabantur à magistratib. ¶Verticulas, cum ait Lucilius, ita appellauit vertebras. ¶Vernæ, qui in villis vere nati, quod tempus duce natura feturæ est: & tunc rem diuinam instituerit Marti Numa Pompilius, pacis concordiæve obtinendæ gratia: inter Sabinos, Romanosque vt vernæ viuerent, ne vincerent. Romanos enim vernas appellabant, id est ibidem natos, quos vincere perniciosum arbitrium Sabinis, qui coniuncti erant cum P. R. Vergiliæ dictæ, quòd eorum orta ver finitur, æstas incipit. ¶ Vastu pro magnum. ponitur tamen & pro mani. Accius. Iam hanc vrbem ferro vastam faciet Peleus. & Pacuuius.

[1 *celeriter* 2 *tendunt*. 3 al. *felicitatem*. 4 *ob* 5 Λ *quat ir*. (

pag. 194.

Quales, scabres quod, inculta vastitudine. 1 ¶Ve victis, in prouerbium venisse existimatur, cum Roma capta à Senonibus Gallis aurum ex cōuentione, & pacto adpenderetur, vt recederent, quod iniquis ponderibus exigi à barbaris querente ΛP. Claudio, Brennus rex Gallorum ad pondera adiecit gladium, & dixit, ve victis. quem postea persecutus Furius Camillus, cum insidiis circumuentum concideret, & quereretur contra fœdus fieri, eadem voce remunerasse dicitur. ¶ Vegrande significare alij aiunt male grande: vt vecors, vesanus, mali cordis, maleque sanus. alij, paruum, minutum, vt quom dicimus, vegrande frumentum. & Plautus in cistellaria. Qui nisi itures nimium is vegrandi gradu. ¶Vecors est turbati, & mali cordis. Pacuuius in Iliona. Qui veloci superstitione cum vecordi coniuge. & Nonius in . . . Coactus tristimoniam ex animo deturbat & Vecordiam. ¶Vapula Papiria, in prouerbio fuit antiquis, de quo Sinnius Capito sic refert, tum dici solitum esse, cum vellent minantibus ibi 2 significare se eos negligere, & non curare, fretos iure libertatis. Plautus in Feneratrice, Heus tu in barbaria quod fecisse dicitur libertus suæ patronæ, ideo dico . . . liberta salue. Vapula Papiria in barbaria est, in Italia. Ælius hoc loco, vapula positum esse ait pro dole. Varro, pro peri. teste Terentio in Phormione. Nam tu . . resipis verbero. & Plauto in Curculione. Reddin', an non mulierem prius, quam te huic meæ machæræ obicio mastigia? Vapula ergo res vehementer iubeo, ne me territes. ¶Vacerram Ælius & alij complures vocari aiunt stipitem, ad quem equos solent religare. Ateius ve-

[1 *squale scabre atq*. 2 *fibi* 3 *Vapulare ego*-]

pag. 195.

ro Philologus hoc nomine significari maledictum magnæ acerbitatis, vt sit vecors & vesanus teste Liuio, qui dicit. Vecorde, & malefica vecordia. ¶Vagerem pro vagitu. Ennius li. XVI. Qui clamor oppugnātis vigore volāti. Lucretius li. II. Et superātur, itē miscetur funere vigor. ¶Valuoli fabæ folliculi appellati sunt, quasi valliuoli, quia valuo factia excutiātur. ¶Vagulato in L. XII. significat quæstio cum cōuicio. Cui testimoniū defuerit, is tertius diebus ob portum obuagulatum ito. ¶Valgos Opillus Aurelius, aliique cōplures aiunt dici, qui diuersas suras habeant. Plautus in Milite glorioso. Qoi talos vitiosos maiorem partem videas vagi salis & in Silitergo: S n ea mihi insignitos pueros pariat postea, aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut bocchum filium. ¶Viere, alligare significat, vt hic versus demonstrat. Ibant malaci viere Veneriam corollam, vnde vimina, & vasa viminea, quæ vinciūtur ligata. ¶Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu quasi à vermibus scindantur. hic dolor Græce στρόφος dicitur. ¶Veruta, pila dicuntur, quòd Λ3 habeant præfixa. Ennius L. X. . . . . cursus quingētos sæpe veruti. ¶Vruat, Ennius in Andromeda significat, circundat, ab eo sulco, qui fit in vrbe condenda vruo aratri, quæ sit forma simillima vncini à curatione orutis & dentis, cui præfigitur vomer. ait autem. Circum sese vruat ad pedes à terræ quadringentos caput. ¶ Vngulus Oscorum lingua anulus, vt . . . . si quid monumenti nacta est, qui eorum acquireret, est vngulus quem ei detraxit ebrio. Pacuuius in Iliona. Repugnanti ego porro hunc vi detraxi vngulum, & in Atalanta Su-

[1 *malefice, vacerra* 2 *fracti* 3 al. *verua*.]

pag. 196.

spensum læuo brachio ostendo vngulum. ¶Vnciaria lex appellari cœpta est. quàm L. Sulla, & Pompeius Rufus tulerunt, qua sanctum est, vt debitores decimam partem . . . . dicebant antiqui, cuius color inficiendo mutatur, vt Ennius cum ait. Cum illud, quo iam semel est imbuta veneno. ¶Ventabant dixisse antiquo verisimile est, cum & præpositione adiecta . . . . . aduentabant. V. nt uptum est, vel . . . . . . quod Græci ὕειν dicunt. ¶Venditiones dicebātur olim Censorū locationes: quòd velut fructus publicorū locorū venibāt. ¶Viminalis & porta & collis appellātur, quòd ibi viminū fuisse videt' silua, vbi est & ara Ioui Viminio cōsecrata. ¶Vindex, ab eo quòd vindicat, quominus is, qui prēsus est, ab alio teneat'. ¶Vineę, vt Verrius præcipit, quod vino feraces sint, etiam militares quædam machinationes à similitudine appellātur. ¶Viuatus & viuidus & poetis dicuntur à vi magna. ¶Vindiciæ appellantur res eæ, de quibus controuersia: (quod potius dicitur ius, quia fit inter eos, qui contendūt. 1 Cato in ea, quam scribit. L. Furio du aqua . . . . s. Prætores secundum populum vindicias dicunt. . . Lucilius. Nemo hic vindicias, neque sacra. ne-

eq. numen veretur. de quo verbo Cincius sic ait. Vindiciæ olim dicebantur illæ, quæ ex fundo sumptæ in ius adlatæ erant. at Ser. Sulpitius . . . . . . iam singulariter formato vindiciam esse ait, qua de re controuersia est, ab eo quod vindicatur . . . .

. . . . . & in XII. S. vindiciam falsam tulit, (si velit is, 2 . . tor arbitros tres dato, aut arbitrio . . fructus duplione damnum decidito.

[1 *aut potius dicuntur vindicia inter eos, qui contendunt 2 re sive litis.*

SEX·

SEX. POMPEI FESTI
DE VERBORVM SIGNIFICATIONE, LIBRI XX.

VNA CVM PAVLI DIACONI AB ANTONIO AVGVSTINO EPITOME, CONIVNCTI.

Epiſtola Pauli ad Carolum Regem.

DIVINAE largitatis munere, ſapientia potentiáque præfulgido Domino Regi Carolo Regum ſublimiſsimo Paulus vltimus ſeruulus, Cupiens aliquid veſtris bibliothecis addere, quia ex proprio perparum valeo, neceſſariò ex alieno mutuaui. Feſtus denique Pompeius Romanis ſtudiis affatim eruditus, tam ſermonum abditorum, quàm etiam quarundam cauſſarum origines aperiens, opus ſuum ad viginti vſque prolixa volumina extendit. ex qua ego prolixitate ſuperflua quæque, & minus neceſſaria prætergrediens, & quædam abſtruſa penitus ſtilo proprio enucleans, nonnulla ita vt erant poſita relinquens, hoc veſtræ celſitudini legendum compendium obtuli. In cuius ſerie, ſi tamen lectum ire non dedignabimini, quædam ſecundum artem, quædam iuxta etymologiam poſita non inconuenienter inuenietis, & præcipuè ciuitatis veſtræ Romuleæ, viarum, portarum, montium, locorum, tribuúmque vocabula diſerta, reperietis, ritus prætereà gentilium, & conſuetudines, varias dictiones quoque poetis, & hiſtoriographis familiares, quas in ſuis opuſculis frequentius poſuere. quòd exiguitatis meæ munuſculum ſi ſagax, & ſubtiliſsimum veſtrum ingenium non vſquequaque reppulerit, tenuitatem meam, vita comite ad potiora excitabit. Vale.

ABACTI magistratus dicebantur, quia coacti deposuerant imperium.

Abalienatus dicitur, quem quis à se remouerit.

Ambulantes, abscedentes.

Abarcet, prohibet.

Abauus dicitur, quia abest ab auo, & est auus aui.

Abditiui, abortiui.

Abemito significat demito, vel auferto. *emere* enim antiqui dicebant pro accipere.

Abgregare, est ab grege ducere: *adgregare*, ad gregem ducere: *segregare*, ex pluribus gregibus partes seducere. vnde & *egregius* dicitur è grege lectus. quorum verborum frequens vsus non mirum si ex pecoribus pendet: cum apud antiquos opes, & patrimonia ex his præcipue constiterint. vt adhuc etiam *pecunias* & *peculia* dicimus.

Abietaria negotia dicebantur, quā materiā nūc dicimus. videlicet ab abietibus coemendis.

Abijsse, pro adijsse dicebant.

Abitionem antiqui dicebant mortem.

Abnutare sæpe abnuere.

Aboloes dicebant, pro ab illis. antiqui enim litteram non geminabant.

Aborigenes appellati sunt, quod errantes conuenerint in agrum, qui nunc est populi Romani. fuit enim gens antiquissima Italiæ.

Abortum grauidæ mulieris dicitur, quod non sit tempestiue ortum.

Abrogare, infirmare.

Abs præpositio à Græco deducitur ἀψ. significat autem retractionem in partem posteriorem.

Accratum lutum, cum paleis mixtum.

Acerra, ara, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. alij dicunt arculam esse thurariam, scilicet vbi thus reponebant.

Acetare dicebant, quod nunc dicimus agitare.

Acieris, securis ærea, qua in sacrificijs vtebantur sacerdotes.

Acies, Acumen, Acus, & Acuere dicuntur ab ἀκόνη quam Latine dicimus cotem.

Aclassis tunica, ab humeris non consuta.

Acrumacruma, vtensilia ampliora.

Actus, modo significat in comœdijs, & tragœdijs certa spatia canticorum: modo iter inter vicinos quatuor pedum latum: modo in geometria minorem partem iugeri, id est centum viginti pedum: modo motum corporis, vt histrionum & saltatorum, qui etiam ex hoc ipso actuosi dicuntur.

Acupedius dicebatur, cui præcipuum erat in currendo acumen pedum.

Acus palea est. Varro rerum rusticarum tertio: acus substruendum parturientibus. acus in area excutitur. Idem in eodem primo argillam mixtam acere.

Acus dicitur, qua sarcinatrix, vel etiam ornatrix vtitur. paleæ etiam quædam de frumento acus dicuntur. exercitus quoque instructio: quod ea pars militum vehementissima est ad hostem vulnerandum acumine telorum. totum autem ex Græco sermone trahitur: cum sarcire apud illos ἀκέσασθαι dicitur.

Ad aut proprie personam significat: vt Eo, ad Pompeium: aut locū, vt Abijt ad theatrum.

Adagia, ad agendum apta.

Adasia, ouis vetulæ recens partus.

Adaxint, adegerint.

Adcensi dicebantur, qui in locum mortuorum militum subito subrogabantur: dicti ita, quia ad censum adijciebantur.

Addicere est proprie idem dicere, & approbare dicendo: alias addicere damnare est.

Addubanum, Danubium.

Ad dues, addideris.

Adeo duas habet significationes. nam cum prima acuta effertur: idem significat, quod accedo. vt cum dicimus Adeo prætorem: cum autē secunda, id est, quod vsque eo, non quidem secundum rationem, quia *ad* præpositio accusatiuis accommodata est: sed vetusta quadam loquendi consuetudine.

Ad exitam ætatem, ad vltimam ætatem.

Adfabrum, fabrefactum.

Adfatim dictum à copia fandi siue abundanter. Liuius: Adfatim edi, bibi, lusi. Terentius adfatim dixit pro eo, quod est, adlassitudinem.

Adfectare est pronum animum ad faciendum habere.

Adfines, in agris vicini, siue consanguinitate coniuncti.

Adgrettus. apud Ennium adgrettus fari, pro eo quod est adgressus ponitur. quod verbum venit à Græco ἄγρει.

Adigas, dare cogas.

Adticulum, paruum aditum.

Adlecti dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum sunt numero adsumpti. nam *patres* dicuntur, qui sunt patricij generis: *conscripti*, qui in senatu sunt scriptis adnotati.

Adlicit est, perducit aliquem in rem. dictum à verbo lacit, id est decipit. Hinc descendit inlicere, & oblectare, id est frustrantem inducere.

Adliuescit, liuere incipit, hoc est liuidum fieri.

Admissiuæ aues dicebantur ab auguribus, quæ consulentem iuberent.

Adnictat, sæpe, & leuiter oculo annuit. Næuius in Tarentilla: alij adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet.

Adolescit à Græco ἀδολεσχῶ, id est adcresco, venit vnde fiunt *adultus*, *adolescens*, *altare*: eo quod in illo ignis excrescit. & *exoletus*, qui excessit olescendi, id est crescendi modum: & *inolenit*, id est creuit.

Adoptatitius

Adoptatitius ex adoptato filio natus.

Ador farris genus, odor quondam appellatum, ab edẽdo; vel quod aduratur, vt fiat toſtum. vnde in ſacrificio mola ſalſa efficitur.

Adorare apud antiquos ſignificabat agere. vnde & legati oratores dicuntur: quia mandata populi agunt.

Adoream laudem, ſiue gloriam dicebant: quia glorioſum eum putabant eſſe, qui farris copia abundaret.

Adpromiſſor eſt, qui quod ſuo nomine promiſit, idem pro altero quoque promittit.

Adrumauit, rumorem fecit, ſiue commurmuratus eſt. quod verbum quidam à rumine, id eſt parte gutturis putant deduci.

Adſciſcere eſt adiungere vel adſumere.

Adſcripti dicebantur, qui in colonias nomina dediſſent, vt eſſent coloni.

Adſcriptitij, veluti quidam ſcripti dicebantur: qui ſupplendis legionibus adſcribebantur. hos & adcenſos dicebant: quod ad legionum cenſum eſſent adſcripti. quidam velatos, quod veſtiti inermes ſequerentur exercitum, nonnulli ferentarios, quod fundis lapidibuſque præliaturi ea modo ferrent, quæ in hoſtes iacerent. alij rorarios, quod id genus hominum ante, quam acies coirent in modum rorantis tempeſtatis dimicaret.

Adſectata femina vel in bonam partem dicitur, velut honorata: vel in malam; quaſi ad extremum periculum adducta.

Adſerere manu eſt admouere. quod ea quoque quæ in terram dimittuntur, ſeri dicuntur. vnde etiam feræ appellantur, quia foribus admotæ opponũtur defixæ poſtibus: quemadmodum ea, quæ terræ inſeruntur.

Adſidelæ, menſæ vocantur, ad quas ſedentes flamines ſacra faciunt.

Adſiduus dicitur qui in ea re, quam frequenter agit, quaſi conſediſſe videatur. alij adſiduum locupletem: quaſi multorum aſſium dictum putarunt. alij eum, qui ſumptu proprio militabat: ab aſſe dando vocatum exiſtimarunt.

Adſipere, & præſipere dicebãt antiqui à ſapiendo. ſicut nos quoque modo dicimus ab æquo iniquum: à quærendo inquirere.

Adtegrare eſt, vinum in ſacrificijs augere. integrare enim, & adtegrare minus factum eſt in ſtatutum redigere.

Adſtaſſent, ſtatuerunt.

Adteſtata dicebantur fulgura, quæ iterato fiebant, videlicet ſignificationem priorum adteſtantia.

Adtritum, & tritum ex Græco deſcendit: quia illi veſtem tritam τριβώνιον appellant.

Adtubernalis, habitator continuæ tabernæ. quod genus domicilij antiquiſſimum Romanis fuiſſe teſtimonio ſunt exteræ gentes, quæ adhuc tabulatis habitant ædificijs. vnde etiam tecta caſtrenſia, quãuis pellibus contegantur, tabernacula tamen dicuntur.

Aduelitatio iactatio quædam verborum figurata ab haſtis velitaribus. velites dicuntur expediti milites, quaſi volites, id eſt volantes.

Aduerſus aut contrarium ſignificat: aut idem quod erga.

Adulari eſt compoſitum ex accedendo, & adludendo.

Adulter, & adultera dicuntur: quia & ille ad alteram, & hęc ad alterum ſe conferunt.

Adulterina ſigna dicuntur alienis anulis facta.

Aduocitat ſæpe aduocat.

Aduoſem, aduerſarium hoſtem.

Æ ſyllabam antiqui Græca conſuetudine per AI ſcribebant. vt aulai, pictai, muſai.

Ædilis initio dictus eſt magiſtratus, qui ædium non tantum ſacrarum, ſed etiam priuatarum curam gerebat. poſtea hoc nomen & ad magiſtratus tranſlatum eſt. Dictus eſt autem Ædilis, quod facilis ad eum plebi aditus eſſet. ſed & Ædilatus dicebatur eadem dignitas, ſicut pontificatus, magiſtratus.

Ædis, domicilium in edito poſitum, ſimplex, atque vnius aditus. ſiue ideo ædis dicitur, quod in ea æuum degatur, quod Græce αἰὼν vocatur. itaque ædificare, cum ſit proprie ædem facere, ponitur tamen pro omni genere conſtructionis καταχρηστικῶς.

Æditimus, ædis intimus.

Ædituus, ſacræ ædis tuitor. id eſt curam agens.

Ægeum mare appellatur, quòd crebræ in eo ſint inſulæ: vt procul aſpicientibus ſpecies caprarũ videãtur. ſiue quod in eo Ægæa Amazonum regina perierit. ſiue quod in eo Ægeus pater Theſei ſe præcipitauerit.

Ægrum ex Græco ἀηγειν appellatur. à quibuſdam putatur à voce doloris appellari: quod eſt αἲ αἲ.

Ægyptinos, Æthiopas.

Æmidum, tumidum.

Æmiliam gentem appellatã dicunt à Mamerco Pythagoræ philoſophi filio: cui propter vnicam humanitatem cognomen fuerit Æmilios. alij, quod ab Aſcanio deſcendat, qui duos habuit filios Iulum, & Æmilon.

Ænariam appellauere locum, vbi Æneas claſſem à Troia veniens appulit.

Ænatores cornicines dicuntur, id eſt cornu canentes.

Æneolum, quod ex ære fit dicimus.

Æneſi dicti ſunt comites Æneæ.

Ænulum, vas ex ære paruum.

Æquidiale apud antiquos dictũ eſt, quod nunc dicimus æquinoctiale. quia nox diei potius quam dies nocti adnumerari debet. Græci quoque in hęc conſentiunt ἰσημερίαν, id eſt æquidiale, dicentes.

Aequilauium, significat ex toto dimidium dictum à lauatione lanæ, quæ dicitur æquilauio redire, cum dimidium decidit sordibus.

Aerarij Tribuni à tribuendo aere sunt appellati. Aerarium sane populus Romanus in æde Saturni habuit.

Aeribus pluraliter ab ære, id est æramento dicit Cato.

Aerosam appellauerunt antiqui insulam Cyprum; quod in ea plurimum æris nascatur.

Aerumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant. quarum vsum quia C. Marius rettulit, *muli Mariani* postea appellabantur. itaque aerumnae, labores honerosos significant, siue à Græco sermone deducuntur. nam αἴρειν Græce, Latine tollere dicitur.

Aeruscare, aera vndique, id est pecunias, colligere.

Aestimenta pœna ab antiquis ab aere dicta est. qui eam æstimauerunt ære: ouem decussi, bouem centussi, hoc est decem & centum assibus.

Aestimias, æstimationes.

Aestuaria sunt omnia, qua mare vicissim tum accedit, tum recedit.

Agasones equos agentes, id est minantes.

Ægea via in naui dicta, quod in ea maxima quaeque res agi solet.

Agedum significat age modo. est enim adhortantis sermo.

Agere modo significat ante se pellere, id est minare. Vergilius: & potum pastas age Tytire. modo significat iurgari; cum dicimus, agit cum eo furti. modo rependere: vt cum dicimus, gratias ago. modo verbis indicare: vt cum dicimus causam ago. quin etiam si accessit gestus, & vulgus quidam decor: vt cum scænici agere dicuntur.

Agina est, quà inseritur scapus trutinæ, id est in quo foramine trutina se vertit. vnde *aginatores* dicuntur.

Agnus dicitur à Græco ἁγνὸς, quo significat castum. eo quod sit hostia pura, & immolationi apta. Agnus ex Græco ἀμνὸς deducitur. quod nomen apud maiores communis erat generis, sicut & lupus, quod venit ex Græco λύκος.

Agolum, pastorale baculum, quo pecudes aguntur.

Agonias hostias putabant ab agendo dictas.

Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat. hostiam enim antiqui *agoniam* vocabant. ¶ *Agonium* etiam putabant deum dici præsidentem rebus agendis: *Agonalia* eius festiuitatem. siue qua agones dicebant montes: *Agonia sacrificia*, quæ fiebant in monte. hinc Romæ mons Quirinalis Ægonis, & collina porta Ægonensis. ¶ *Agonium* id est ludum. ob hoc dictum, quia locus in quo ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo, cuius festa *Agonalia* dicebantur.

Albegmina partes extorum, quæ dijs immolabant.

Albesia scuta dicebantur, quibus albenses, qui sunt Marsi generis, vsi sunt, hæc eadem *decumana* vocabantur, quo essent amplissima, vt *decumani fluctus*.

Albiona ager trans Tiberim dicitur, à luco Albionarum: quod loco bos alba sacrificabatur.

Albogalerus, à galea nominatus. est enim pileum capitis quo Diales flamines, id est sacerdotes Iouis vtebantur. fiebat enim ex hostia alba Ioui cæsa: cui adfigebatur apex virgula oleagina.

Albula Tiberis fluuius dictus albo aquæ colore. *Tiberis* autem à Tiberio Siluio rege Albanorum: quod is in eo extinctus est.

Album, quód nos dicimus, à Græco, quod est ἄλφον, est appellatum. Sabini tamen *alpum* dixerunt. vnde credi potest nomen *Alpium* à Candore niuium vocitatum.

Alcedo dicebatur antiquis pro halcyone. vt pro Ganymede *Catamitus*: pro Nilo *Melo*,

Alebria, bene alentia.

Aleonem, aleatorem. Næuius: pessimorum pessime, audax, ganeo, lucro, aleo.

Aletudo, corporis pinguedo.

Alga, herba, quam mare ad littus proijcit. Vergilius in Bucolicis: Proiecta vilior alga.

Algeo ex Græco ἀλγῶ dicitur, id est doleo. vt sit frigus, dolor quidam membrorum, rigore confectus.

Alica dicitur quod alit corpus.

Alicariæ meretrices appellabantur in campania solitæ ante pristina alicariorum versari quæstus gratia. sicut hæ, quæ ante stabula sedebant, dicebantur *prostibulæ*.

Alienatus qui alienus est factus.

Alimodi pro aliusmodi.

Aliorsum, & *illorsum*, sicut *introrsum* dixit Cato.

Ali rei dixit Plautus pro eo: quod est aliæ rei.

Alites volatu auspicia facientes istæ putabantur buteo, sanqualis: immusculus, aquila, vulturius.

Aliuta antiqui dicebant pro aliter Græco ἄλλη vel ἄλλως transferentes. Hinc est illud in legibus Numæ pompilij: SI QVIS ALIVTA FAXIT IPSOS IOVI SACER ESTO.

Allus, pollex scandens proximum digitum

quod Græce dicitur ἀλλεῖδς.

Alliensis dies dicebatur apud Romanos obscœnissimi ominis. ab Allia fluuio scilicet, vbi Romanus fusus à Gallis exercitus est.

Alma, sancta, siue pulchra, vel alens: ab alendo scilicet.

Almities habitus almarum rerum.

Altaria sunt, in quibus ignis adoletur. Altaria ab altitudine dicta sunt. quod antiqui dijs superis in ædificijs à terra exaltatis sacra faciebant: dijs terrestribus in terra: dijs infernalibus in effossa terra.

Altellus Romulus dicebatur, quasi altus in tellure: vel quod tellurem suam aleret: siue quod aleretur telis: vel quod à Tatio Sabinorum rege postulatus sit in colloquio pacis: & alternis vicibus audierit, locutúsque fuerit. sicut enim fit diminutiue à macro macellus, à vafro vafellus: ita ab alterno altellus.

Alter, & pro non bono ponitur: vt in augurijs altera cum appellatur auis, quæ vtique prospera non est. sic alter nonnumquam pro aduerso dicitur, & malo.

Alteras ponebant pro eo, quod est aduerbium alias.

Altercatio, iurgatio.

Alternatio, per vices successio.

Alterplicem, duplicem.

Alterta, alterutra.

Alterum Sinnius ait idem significare, quod apud Græcos ἕτερον. Quidam vero ex vtroque esse compositum ἄλλος & ἕτερος.

Altum proprie mare profundum.

Altus ab alendo dictus: alias ab altitudine.

Alucinatio, erratio.

Alueolum, tabula aleatoria.

Alumento pro Laumedonte à veteribus Romanis nec dum adsuetis Grꝗcꝗ linguꝗ dictũ est: sic Melo pro Nilo, Catamitus pro Ganymede: Alphius pro Alpheo dicebatur.

Aluus venter feminæ, ab alendo dicta est.

Am præpositio loquelaris significat circum. vnde supra *seruus ambactus*, id est circum actus dicitur.

Amasso, amauero.

Amatio ab amore denominatum.

Ambactus apud Ennium lingua gallica actus dicitur.

Ambaruales hostiæ appellabantur, quæ pro aruis à duobus fratribus sacrificabantur. Ambarualis hostia est, quæ rei diuinæ sacra circum arua ducitur ab ijs qui pro frugibus faciunt.

Ambaxioqui, circum euntes cateruatim.

Ambegni bos, & veruex appellabatur, cum ad eorum vtraque: latera agni in sacrificium ducebantur.

Ambest ita tertiæ personæ verbum est, vt nullam aliam habeat declinationem.

Ambidens. siue bidens ouis appellabatur, quæ superioribus, & inferioribus est dentibus.

Ambiguum est, quod in ambas agi partes animo potest. huiusmodi apud Græcos ἀμφίβολον dicitur.

Ambitio est ipsa actio ambientis.

Ambitus proprie dicitur inter vicinorum ædificia locus duorum pedum, & semipedis ad circum eundi facultatem relictus. ex quo etiam honoris ambitus dici cœptus est à circum eundo, supplicandóque. Ambitus proprie dicitur, circuitus ædificiorum patens in latitudinem pedes duos, & semissem: in longitudinem idem, quod ædificium. sed & eodem vocabulo crimen auaritiæ, vel adfectati honoris appellatur.

Ambo ex Græco dictum videtur, quod illi ἄμφω dicunt.

Ambrices regulæ, quæ transuersæ asseribus, & regulis interponuntur.

Ambrones fuerunt gens quædam Gallica, qui subita inundatione maris, cum amisissent sedes suas, rapinis, & prædationibus se suósque alere coeperunt. eos, & Cimbros, Teutonosque C. Marius deleuit. ex quo tractum est, vt turpis vitæ homines Ambrones dicerentur.

Ambulacra. ambulationes.

Amburbiales hostiæ dicebantur, quæ circum terminos vrbis Romæ ducebantur.

Ambustus circum vstus.

Amenta, quibus, vt mitti possint, vinciuntur iacula, siue solearum lora. ex Græco, quod est ἅμματα, sic appellata. vel quia aptantes ea ad mentum trahunt.

Ameria vrbs in Vmbria ab Amiro sic appellata.

Amia genus piscis.

Amicinum vtris pediculum, ex quo vinum diffunditur.

Amicitia vocabulum ab amore deducitur: quamuis interdum vituperandus sit amor. ab antiquis autem ameci, & amecæ per E litteram efferebantur.

Amiculum genus est vestimenti à circumiectu dictum.

Aminula vrbs paruarum opum fuit in Apulia.

Amita. patris mei soror, quia similiter tertia à me sit, atque auia, videri potest dicta: ex eo, quod ab antiquioribus auita sit vocitata. siue amita dicta est, quia à patre meo amata est. nam plus sorores à fratrib. quam fratres diligi solent. videlicet propter dissimilitudinẽ personarum, quæ ideo minus habent dissensionis, quo minus æmulationis.

Amites. perticæ aucupales.

Amnenses appellabantur vrbes sitæ prope amnem, vt à mari maritimæ. vnde *Interamna*, & *Antemnæ*, dictæ sunt, quod inter amnes sunt positæ, vel ante se habeant amnes.

Amnis propriè dicitur à circũnando, quoniam AM ex Græca præpositione sumptum, quæ est ἀμφὶ, significat circum, & nare fluere.

Amœbæum carmen est, quotiens aliqui ex æquali numero versuum canunt: & ita se habet ipsa responsio, vt aut malum, aut contrarium aliquid dicat.

Amœna dicta sunt loca, quæ ad se amanda alliciant, id est trahant.

Amosio, annuo.

Ampedices dicebãtur, ab antiquis, quod circum penderent quos nũc appẽdices appellamus.

Amputata, id est circumputata, dicitur ab eo, quod antiqui *putum* pro puro dicebant. vnde deducuntur *pudor* & *pudicus*.

Amsegetes dicuntur, quorum ager viam tangit.

Antermini, qui circa terminos prouinciæ manent. Vnde amiciri, amburbium, ambarualia, amplexus dicta sunt.

Amussim, regulariter, tractũ à regula, ad quam aliquid exæquatur, quæ amussis dicitur. quidam amussim esse dicunt non tacite: quod mutire interdum dicitur loqui.

Anatem morbum annuum dicebant, id est vetularum: sicut *senium* morbum senum.

Ancasa dicta sunt ab antiquis vasa, quæ cælata appellamus: quod circum cędendo talia fiant. ipsum quoque cælare verbũ ab eadem causa est dictum, D littera cum L permutata.

Anceps significare videtur id, quod ex vtraque parte caput habeat, vt securis, bipennis. sed magis à capiendo, quod ex vtraque parte æque captatur, appellatum est.

Ancillæ dictæ ab Anco Marcio: quod is bello magnum feminarum numerum ceperit. siue ideo sic appellantur, quod antiqui *anculare* dicebant, pro ministrare. ex quo dij quoque, ac deæ feruntur coli, quibus nomina sunt Anculi, & Anculæ.

Anclabris mensa ministerijs diuinis apta. vasa quoque ænea, quibus sacerdotes vtuntur, anclabria appellantur.

Antlare haurire. à Græco ἀντλῶ descendit. Liuius. florem antlabant liberi ex carchesijs.

Ancumulentæ feminæ menstruo tempore appellantur. vnde trahitur inquinamentum.

Ancus appellatur, qui aduncum brachium habet, vt exporrigi non possit.

Andron locus domicilij appellatur angustior longitudine, in quo viri plurimi morabantur, vt gynæceum à mulieribus.

Andruare, id est recurrere à Græco verbo ἀναδρῖν, id est inuenire. hinc *drua* vocata est.

Angeronæ deæ sacra à Romanis instituta sunt, cum angina omne genus animalium consumeretur cuius festa Angeronalia dicebantur.

Anginam vinariam habere dicuntur, qui vino suffocantur.

Angiportus iter cõpendiariũ in oppido: eo quod sit angustus portus, id est aditus in portum.

Angor est animi, vel corporis cruciatus, proprie à Græco συνάγχυ, id est strangulatione dictus. vnde & faucium dolor *angina* vocatur. Plautus: vellem me in anginam verti, quo huic aniculæ fauces præoccuparem.

Angulus à Græco ἀγκύλον, siue ab eo quod est ἐγγὺς, id est prope: quod aduncatur, quod ex diuerso coacta faciunt anguli formam.

Annaria lex dicebatur ab antiquis ea, quæ finiuntur anni magistratus capiendi.

Annus ex Græco venit quem illi ἔνον dicunt: & quod nos triennium, illi dicunt τρίενον.

Anquirere est, circum quærere.

Antarium bellum, quod ante vrbem geritur.

Ante Terentius pro antea ponit.

Antefixa, quæ ex opere figulino tectis adfiguntur sub stillicidio.

Antes sunt extremi ordines vinearũ. vnde etiã nomen trahũt ante, quæ sunt latera ostiorũ.

Anteurbana, prædia vrbi propinqua.

Antiæ muliebres capilli demissi in frontem appellati ex Græco videntur. quod enim nos contra, illi ἀντὶ dicunt.

Anticum veteres etiam pro ianua posuere.

Antigerio antiqui pro valde dixerunt.

Antios, id est excruciatos.

Antipagmenta valuarum ornamenta: quæ antis adpanguntur, id est adfiguntur.

Antiquare est in morem pristinum reducere.

Antras, conualles, vel arborum interualla.

Antroare, gratias referre *truãt*, mouẽt, *truã* quoque vocant, quo permouẽt coquentes exta.

Anus dicta est ab annorum multitudine: quoniam antiqui nõ geminabant cõsonantes, vel quod iã sit sinę sensu, qui Græce dicitur ἄνους.

Anxur vocabatur, quæ nunc Tarracina dicitur Volscæ gentis. sicut ait Ennius: Vulsculus perdidit Anxur.

Ape apud antiquos dicebat, prohibe, cõpesce.

Apellinem antiqui dicebant pro Appollinem.

Aperta idem Apollo vocabatur. quia patente cortina responsa ab eo dentur.

Apex, qui est sacerdotum insigne, dictus est ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, aperte dicebant. vnde aptus is, qui conuenienter alicui iunctus est.

Apica dicitur ouis, quæ ventrem glabrũ habet.

Apiculũ filũ, quo flamines velatũ apicẽ gerunt.

Apluda est genus minutissimæ paleæ frumenti, siue panici. de qua Næuius. Non hercle apluda est hodie, quam tu nequior. sunt qui apludam sorbitionis liquidissimũ putent genus: quod flatu deijciat, & quasi adplodatur.

Aplustria nauium ornamenta: quæ quia erant amplius, quam essent necessaria vsu, etiam amplustria dicebantur.

Apollinares ludos, hoc est in laudem Apollinis, populus laureatus spectabat stipe data pro cuiusque copia.

Apol

Apor apud

Appellitauisse, appellasse.

Appia via, & aqua ab Appio Claudio est appellata.

Apricum locum à sole apertum à Græco vocabulo φρίκη appellatur, quasi ἄφρικος, id est sine horrore, videlicet frigoris vnde etiam putatur Africa appellari.

Aptus cum propria significatione intelligatur, poni tamen solet pro adepto: sicut *apici* pro adipisci.

Apua, genus minimi pisciculi.

Apud mutuam loci, & personæ coniunctionem significat: vt cum dicimus cæno apud amicum. Apud, & *Penes* in hoc differunt: quod alterum personam cum loco significat: alterum personam, & dominium, ac potestatem, quod trahitur à penitus.

Aqua dicitur, à qua iuuamur. Aqua & ignis interdici solet. quam accipiunt nuptæ: videlicet, quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent. Itaque funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua dispersi, quod purgationis genus vocabant suffitionem.

Aquælicium dicitur, cum aqua pluuialis remedijs quibusdam elicitur: vt quondam, si creditur, manali lapide in vrbem ducto.

Aquagium quasi aquæ agium, id est aquæ ductus, appellatur.

Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum sordidi *adseclæ*.

Aquilus color est fuscus, & subniger à quo *aquila* dicta esse videtur. quamuis eam ab acute volando dictam volunt. Aquilius autem color ab aqua est nominatus. nam cum antiqui omnino naturales nossent, id est album & nigrum: interuenerit autem is quoque qui ita neutri simili. est, vt tamen ab vtroque proprietatem trahat: potissimum ab aqua eum denominarunt, cuius incertus est color.

Aquilius prænomen ab aquilo colore, id est nigro, est dictum.

Aquilo ventus à vehementissimo volatu ad instar aquilæ appellatur.

Aquipenser genus piscis.

Arabice olet, id est ex odoribus Arabicis.

Arbilla aruina, id est pingendo corporis.

Arbiter dicitur iudex, quod totius rei habeat arbitrium, & facultatem.

Arbitrarium: cum adhuc res apud arbitrum geritur.

Arbitrium dicitur sententia, quæ ab arbitro statuitur.

Arbosem pro arbore antiqui dicebant, & *robosem* pro robore.

Arbutus genus arboris frondibus ratis. Vergilius: & quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra.

Arca deminutiuum facit arculam, & arcellam: vt à porco porculum & porcellum: à mamma, mammulam, & mammillam.

Arcani sermonis significatio trahitur siue ab arce, quæ tutissima pars est vrbis, siue à genere, sacrificij, quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum à notitia vulgari, vt ne litteris quidem mandetur: sed per memoriam successorum celebretur. siue *ab arca*, in qua, quæ clausa sunt, tuta manent. cuius ipsius origo ab arcendo pendet.

Arcere est continere. vnde & *arcus* in ædificijs dictu est: quia se ipsum continet. Alij dicunt *arcum* dictum esse ab opere arrigendo in altitudinem. Arcere prohibere est. similiter *abarcet* prohibet. *porcet* quoque dictum ab antiquis, quasi porro arcet, & pro eo quod est continet, ponitur. vnde & *coercere* continere dicimus. trahitur autem hoc verbum à Græcorum magistratu, quem illi ἄρχοντα vocant: in cuius potestate est cogere, vel prohibere.

Arcubiæ qui excubabant in arce.

Arcula dicebatur auis, quæ in auspicijs vetabat aliquid fieri.

Arculata dicebantur circuli, qui ex farina in sacrificijs fiebant.

Arculum appellabant circulum, quem capiti imponebant ad sustinenda commodius vasa, quæ ad sacra publica capite portabant.

Arculus putabatur etiam deus, qui tutelam gereret arcarum.

Arcuma genus plaustri est modici, quo homo gestari possit.

Area proprie dicitur locus vacuus, quasi exaruerit, & non possit quidquam generare.

Arferia aqua, quæ inferis libabatur. dicta à ferendo, siue vas vini, quod sacris adhibebatur.

Argea loca Romea appellantur: quod in his sepulti essent quidam Argiuorum illustres viri.

Argennon argentum percandidum.

Argeos vocabant scirpeas effigies, quæ per virgines Vestales annis singulis iaciebantur in Tiberim.

Argus, oculeus. Argus nomen est hominis, qui fuisse fingitur oculis plenus.

Argutum iri, in discrimen vocari.

Aridum proprie est, quod naturalem humorem amisit. dicitur autem per contrariam significationem, quod irrigari desierit. nam Græco irrigare est ἄρδειν.

Arilator, qui etiam cocio appellatur, dictus videtur à voce Græca, quæ est αἴρω, id est tolle. quia sequitur merces, ex quibus quid cadens lucelli possit tollere. *lucellum* deminutiuum est à lucro.

Ariminum à nomine fluminis propinqui est dictum.

Aristophorum vas, in quo prandium fertur, vt discus.

Arma propriè dicuntur ab armis, id est humeris, dependentia: vt scutũ, gladius, pugio, sica. & ea, quib. prope præliatur: sicut *tela*, quibus procul.

Armata dicebatur virgo sacrificans, cui lacinia togæ in humerum erat reiecta. Legibus etiam Laurentium sancitum est, ne pomũ ex alieno legatur *in armum*, id est, quod humeri onus sit.

Armentum id genus pecoris appellatur, quod est idoneum ad opus armorum. Inuenies tamen feminine *armentas* apud Enniũ positum.

Armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum brachijs armos vocabant. vnde *arma* ab his dependentia sunt vocata.

Armillum vas vinarium in sacris dictum, quod *armo*, id est humero deportetur.

Armilustrium festum erat apud Romanos, quo res diuinas armati faciebant, ac dum sacrificarent, tubis canebant.

Arna caput, agni caput.

Arquites, arcu præliantes, qui nunc dicuntur sagittarij.

Arse verse, auerte ignem significat. Tuscorum enim lingua *arse*, auerte: *verse* ignem constat appellari. vnde Afranius ait: Inscribat aliquis in ostio ARSE VERSE.

Arsineum, ornamentum capitis muliebris.

Artifices dicti, quod scientiam suam per artus exercent: siue quod apte opera inter se artent: qua ex causa etiam *artes* appellatæ sunt.

Artitus, bonis instructus artibus.

Artus ex Græco appellantur, quos illi ἄρθρα dicunt. siue artus dicti, quod membra membris artentur.

Aruum dicimus agrum needum satum.

Arytenam, siue artenam, vas ab hauriendo sic appellabant.

Asparagus herba dicta, quod in aspero virgulto nascatur.

Assa dicebatur cantus tibiarum.

Asseres dicti quod assideãt parieti, trabibusque.

Assiratum apnd antiquos dicebatur genus quoddã potionis ex vino & sanguine temperatum: quod Latini prisci sanguinem *assir* vocarent.

Ast significat at, sed, vel autem.

Astis apud poetas astutiam significat. cuius origo ex Græco ab oppido ἄστυ deducitur: in quo qui conuersent adsidue sint cauti, atq; acuti esse videantur.

Astutus, arte tutus.

At differentiam rerum significat. vt cum dicimus, Scipio est bellator, at M. Cato orator.

Atanuuium est poculi fictilis genus, quo in sacrificijs Romani vtebantur sacerdotes Potitij.

Atauus: quia *tata* est aui, id est pater: vt pueri vsurpare solent.

Atra bilis ab atro, id est, animi vitio dicta. est enim atrũ nigrũ, id est, à cãdore remotum.

Atratas atri coloris.

Atriplexum herba, quæ nunc atriplex dicitur.

Atrium proprie est genus ædificij ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia descendit. dictum autem atrium, vel quia id genus ædificij Atriæ primum in Etruria sit institutum: vel quia à terra oriatur quasi *aterreum*.

Atroces appellantur ex Græco, quia illi atrocia appellant, quæ cruda sunt. siue atrox dicitur ab eo, quod nihil timeat. τρέσαι enim Græci dicunt timere.

Attæ appellantur, qui propter vitium crurum, aut pedum plantis insistunt: & attingunt magis terram, quam ambulant. quòd cognomen Quintio poetæ adhæsit.

Attam pro reuerentia seni cuilibet dicimus: quasi eum aui nomine appellemus.

Atticissat, Attice loquitur. Plautus: non Atticissat, sed Sicilissat, id est Sicule loquitur.

Attinge pro attingam posuere.

Auecta sæpe aucta.

Auctuarium dicebant antiqui, quod supra mensuram, vel pondus iustum adijciebatur, vt cumulus vocatur in modio.

Auctor communis generis apud antiquos.

Auctum vocabatur spatium circi, quod supra definitum modum victoriæ adiungitur.

Audacia ab auide, i. cupide agendo dicta est.

Audacias pluraliter Cato dixit.

Audax deminutiuum facit audaculus.

Audiuitaui, sæpe audiui.

Auentinus mons intra vrbem dictus est: quod ibi rex Albanorum Auentinus bello fuerit extinctus: atque sepultus.

Auere nihil aliud est, quam cupere, argumento est *auidum & auiditatem*. ex quibus præcipua cupiditas intelligitur, cum significet & gaudere.

Aues ab aduentu earum dicuntur, quod inde veniant, vnde quis non suspicetur.

Augur ab auibus, gerendóque dictus: quia per eum auium gestus educitur: siue ab auium garritu: vnde & *augurium*.

Auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus: quod ibi augures publice auspicarentur.

Augustus locus sanctus, ab auium gestu: id est quia ab auibus significatus est, sic dictus: siue ab auium gustatu: quia aues pastæ id ratum fecere.

Auidus à non videndo, propter nimiam cupiditatem appellatur. sicut *amens*, qui mentem suam non habet.

Auillas agnas recentis partus.

Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas: quia nullam literam geminabant. Itaque *aulicoqua* exta, quæ in aulis coquebantur, dicebant, id est elixa.

Auolant, euolant.

Aureas dicebant frenos, quibus equorum aures religantur.

Aureax auriga, *aureas* enim dicebatur frenum, quod ad aures equorum religabatur. *orias* quo ora coercebantur.

Aureliam familiam ex Sabinis oriundam à Sole dictam putant: quod ei publice à populo Romano datus sit locus, in quo sacra facerent Soli. qui ex hoc Auselij dicebantur, vt Valesij, Papisij: pro eo, quod est Valerij, Papirij.

Auricalchum, vel oricalchum quidam putant compositum ex aere, & auro: siue quod colorem habeat aureum. *oricalchum* sanè dicitur, quod in montuosis locis inuenitur. mons etenim Græcè ὄρος appellatur.

Auritus à magnis auribus dicitur, vt sunt asinorum & leporũ, alias ab audiendi facultate.

Aurum dictum, quia præcipuè custoditur. Græce enim ὁρεῖν, custodire dicitur. vnde & thesaurum Hippocrates medicus de nomine inuentoris id dictum putat. quem vocitatum ait Aurum. quidam à similitudine auroræ coloris nomen traxisse existimant. nonnulli quia mentes hominum auertat. alij à Sabinis translatum putant: quod illi ausum dicebant.

Ausculari dicebant antiqui pro *osculari*, quod est os cum ore conferre.

Ausis, audeas.

Ausoniam appellauit Auson Vlyssis, & Calypsus filius eam primam partem Italiæ, in qua sunt vrbes Beneuentum, & Cales. deinde paulatim tota quoque Italia, quæ Apennino finitur. dicta est Ausonia ab eodem duce à quo etiam conditã fuisse Aruncam vrbem ferunt.

Auspicium ab aue spicienda. nam quod nos cum præpositione dicimus aspicio: apud veteres sine A præpositione spicio dicebatur.

Autumnum quidam dictum existimant, quod tunc maxime augeantur hominum opes coactis agrorum fructibus.

Auunculus matris meæ frater, traxit appellationem ab eo, quod neque tertius à me, vt auus est: sed non eiusdem iuris. ideoque vocabuli facta deminutio est, siue auunculus appellatur, quod aui locum obtineat, & proximitate tueatur sororis filium.

Auus patris, matrisq. pater, dictus à Græco vocabulo, quod est apud eos πάππος, mutatis quibusdã literis. Alij volunt, quod ex ea voce appelletur, quod apud eosdẽ Græcos τέτα appellatur. significatq. magnum. cum veluti magnus pater sit auus. Alij putant auum dictum esse, quia ad duos attineat, quasi ad duum: vel quia ad patrem sit additus.

Auxiliares dicuntur in bello socij Romanorum exterarum nationum: dicti ex Græco vocabulo αὔξησις, quod nos dicimus rerum crescentium auctionem.

Auxilla, olla paruula.

Axamenta dicebantur carmina saliaria, quæ à Saliis sacerdotibus componebantur in vniuersos homines (composita.) Nam in deos singulos versus facti, à nominibus eorum appellabantur. vt Ianualij, Iunonij, Mineruij.

Axare, nominare.

Axe adglomerati, vniuersi stantes, id est cohortibus, aut legionibus.

Axis, quem Græci ἄξονα dicunt, plures habet significationes. Nam & pars cæli septentrionalis, & stipes teres, circa quem rota vertitur: & tabula sectilis axis appellatur.

Axitiosi factiosi dicebantur: cum plures vna quid agerent, facerentque. *Axit* autem antiquos dixisse, pro egerit, manifestum est. vnde *axies* mulieres, siue dij dicebantur vna agentes.

B

B*Acar* vas vinarium simile bacrioni.

Bacchanalia dicebantur Bacchi festa.

Bacrionem dicebant genus vasis longioris manubrij. hoc alij *trullam* appellant.

Baiulos dicebant antiqui, quos nunc dicimus operarios. vnde adhuc *baiulari* dicitur.

Balena nomen à Græco descendit. hanc illi φάλλαιναν dicunt antiqua consuetudine, qua πύῤῥον *burrum*, πύξον *buxum* dicebant. Balænam belluam marinam, ipsam dicunt esse pistricem, ipsam esse cetum.

Bajatrones, & blateas bullas luti ex itineribus: aut quod de calceamentorum solcis eraditur, appellabant.

Barathrum Græci appellant locum præcipitem, vnde emergi non possit. dictum ab eo, quod est βάθος.

Barbari dicebantur antiquitus omnes gentes exceptis Græcis. vnde Plautus Næuium poetam Latinum, barbarum dixit. & de se cum transfert fabulam ex Græco dixit. M. Attius vortit barbare (Fortasse & hinc noster apostolus Græcis, ac barbaris se debitorem esse fatetur.)

Barbaricum appellatur clamor exercitus: videlicet quod eo genere barbari vtantur.

Bardus stultus à tarditate ingenij appellatur. Cæcilius: nimis audacem, nimisque bardum, barbarum. trahitur autem à Græco, quod illi βραδὺς dicunt. *Bardus* Gallicè cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit, à gente Bardorum, de quibus Lucanus. Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Barium vrbem Italiæ appellauerunt conditores eius expulsi ex insula Bara, quæ non

longè est à Brundisio.

Barrire elephanti dicuntur, sicut oues dicimus *balare*, vtique à sono ipso vocis.

Basilica ἀπὸ τῦ βασιλέως, hoc est rege dicta.

Basilicum, regale.

Basiliscus appellatur genus serpentis. vel quod in capite habeat album instar diadematis: vel quod reliqua serpentum genera vim eius fugiant.

Batus genus herbæ.

Bellarium, & *bellaria* res aptas bellis appellabant.

Bellicrepam saltationem dicebant, quando cum armis saltabant. quod à Romulo institutum est: ne simile pateretur, quod fecerat ipse, cum à ludis Sabinorum virgines rapuit.

Bellitudinem sicut magnitudinem Verrius dixit.

Bellona dicebatur dea bellorum, ante cuius templum erat columella, quæ bellica vocabatur, supra quam iaciebant, cum bellum indicebatur.

Bellule, apud Plautũ. deminutiuum aduerbium est à bene, quod facit belle, & bellule.

Bellum à belluis dicitur: quia belluarum sit perniciosa dissensio.

Bellutus bestiæ similis.

Beneficiarij dicebantur milites, qui vacabant muneris beneficio. è contrario *munifices* vocabantur, qui non vacabant, sed munus reipublicæ faciebant.

Beneuentum colonia cum deduceretur, appellari cœptum est melioris ominis causa. namq; eam vrbem antea Græci incolentes μαλόεντον appellarunt.

Benignus proprie dicitur is, qui bonis, & dignis largitur. est autem compositum ex bono, & gignendo.

Benna, lingua Gallica, genus vehiculi appellatur. vnde vocantur conbennones in eadem benna sedentes.

Bes appellatum est, quod bis triens sit, quamuis dura compositio fiat bessis ex triente. bessis vnciæ octo sunt, triens quatuor.

Bibliotheca & apud Græcos, & apud Latinos, tam librorum magnus per se numerus, quam locus ipse, in quo libri collocati sunt, appellantur.

Bidental dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur. *Bidentes* autem sunt oues duos dentes longiores ceteris habentes.

Bigenera dicuntur animalia ex diuerso genere nata, vt leopardus ex leone & panthera; cicursus ex apro & scropha domestica, mulus ex equa & asino.

Bignæ geminæ dicuntur, quia bis vna die natæ sunt.

Bilbit factum à similitudine sonitus, qui fit in vase. Neuius. Bilbit amphora, inquit.

Bilinges Brutates, Ennius dixit, quod Brutij & Osce, & Græce loqui soliti sint, sunt autem Italiæ populi vicini Lucanis.

Billis apud Afros appellatur semen humanum humi profusum.

Binomius, cui geminum est nomen, vt Numa Pompilius, Tullus Hostilius.

Biseta porca dicitur, cuius à ceruice setæ bifariam diuiduntur, cum iam esse incipit maior sex mensium.

Bitienses dicuntur, qui peregrinant assidue.

Blandicella verba blanda per deminutionem sunt dicta.

Blaterare est stulte, & percupide loqui, quod à Græco βλὰξ originem ducit. sed & camelos, cum voces edunt, blaterare dicimus.

Blennos stultos esse Plautus indicat, qui ait: Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones.

Blitum genus oleris à saporis stupore appellatum esse ex Greco putatur. quod ab his βλὰξ dicatur stupidus.

Boa serpens est aquatilis, quem Græci ὕδρον vocant, à qua icti obturgescunt. crurum quoq; tumor viæ labore collectus boa appellatur.

Boare, id est clamare, à Græco descendit βοᾶν.

Boarium forum Romę dicebatur, quod ibi venderentur boues.

Bocas genus piscis à boando, id est vocem emittendo appellatur.

Boia, id est genus vinculorum, tam ligneæ, quam ferreæ dicuntur.

Boicus ager dicitur, qui fuit Boiorũ Gallorum. is autem est in Gallia citra Alpes, quæ togata dicitur, in qua sunt Mediolanenses.

Bombitatio est sonus apum. ab ipso sonitu dictus, sicut *mugitus* boum, *hinnitus* equorum.

Bona, id est substantia rerum. dicta sunt quod digna sint bonis.

Botulus genus farciminis propter connexionem à bolis sic appellatur.

Bouem bidentem à dentium numero dicunt appella[illegible]

Bouinatur [illegible]iciatur.

Brachium nos, Græci βραχίονα dicunt, quod deducitur à βραχὺ, id est breue: eo quod ab humeris ad manus breuiores sint, quam à coxis plantæ.

Brassica à præsecando est dicta.

Breue à Gręco descendit, quod est βραχὺ.

Bruma à breuitate dierum dicta.

Brundisium quidam poetæ breuitatis causa Brendam dixerunt.

Brutiana parma dicebantur scuta, quibus Brutiani sunt vsi.

Brutiani dicebantur, qui officia seruilia magistratibus præstabant: eo quod hi primum se Hannibali tradiderant, & cũ eo perseuerauerunt, vsque dum recederet de Italia.

Brutum antiqui grauem dicebant.

Bubinare est menstruo mulierum sanguine in-

ne inquinati. Lucilius: Hæc, inquit, te imbubinat, & contra te iubulbitat. *Imbulbitare* est puerili stercore inquinari, dictum ex fimo, quod Græci appellant βόλβιτον.

Bubleum est genus quoddam vini.

Buccina quam nos appellamus, Græci buchianon à similitudine soni dicunt.

Bucephalus vocatus est equus Alexandri regis, propter quandam bubuli capitis similitudinem.

Bucerum pecus de bubus dicimus.

Bulgas Galli sacculos scorteos appellant.

Bulimam Græci magnam famem dicunt, adsueti magnis & amplis rebus præponere BV, à magnitudine scilicet bouis. hinc est, quod grandes pueros *bupædas* appellant, & mariscam ficum, *busycon*.

Bulla aurea insigne erat puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis à pectore, vt significaretur eam ætatem alterius regendam consilio. dicta autem est à Græco sermone βουλή, quod consilium dicitur Latine. vel quia eam partem corporis bulla contingat, id est pectus, in quo naturale manet consilium.

Burranica potio appellatur lacte commixtum sapa. à rufo colore, quem *burrum* vocant.

Burranicum, genus vasis.

Burrum dicebant antiqui, quod nunc dicimus rufum. vnde rustici burram appellant *buculam*, quare rostrum habet rufum. pari modo rubens cibo ac potione ex prandio burrus appellatur.

Bustum propriè dicitur locus, in quo mortuus est combustus & sepultus. diciturque bustum quasi bene vstum. vbi vero combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus, is locus ab vrendo *vstrina* vocatur. sed modo bustum, eo, quod sepelitur, *sepulchra* vocamus.

Buteo genus auis, quæ ex eo se alit, quod accipitri eripuit: vastitatísque est causa his locis, quæ intrauerit, vt bubo: à quo etiam appellatur buteo.

Buttubata, Næuius pro nugatoriis posuit, hoc est nullius dignationis.

C

CAcula seruus militis. Plautus. Video caculam militarem. dicitur autem à Græco κᾶλον, quod fustibus clauisque ligneis ad tutelam dominorum armari soliti sint.

Caculatum, seruitium.

Cadmea terra, quæ in æs conijcitur, vt fiat orichalcum.

Caduca auspicia dicunt, cum aliquid in templo excidit, veluti virga è manu.

Caduceatores legati pacem petentes. Cato Caduceatori, inquit, nemo homo nocet.

Cæcultant. cæcis proximi sunt oculorum acie obtusa. Plautus: Num nam mihi oculi cæcultant, estne hic noster Hermio?

Cæcultare est cæcos imitari.

Cæculus condidit Præneste. Vnde putant Cæcilios ortos, quorum erat nobilis familia apud Romanos. Alij appellatos eos dicunt à Cæcade Troiano Æneæ comite.

Cæcū vallum dicitur, in quo præacuti pali terræ adfixi, herbis vel frondib. occuluntur.

Cædem putant ex Græco dici, quod apud illos κταίνειν significat interficere.

Cædere à cędendo dictum.

Cæditiæ tabernæ in via Appia à domini nomine sunt vocatæ.

Calassis, cælaueris.

Cælestia auguria vocant, cum fulminat, aut tonat.

Cælibem dictum existimant, quod dignam cælo vitam agat.

Cælla, quod ea cælentur, quę volumus esse occulta.

Cæna apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium. *Vesperna*, quam nunc cęnam appellamus.

Cænacula dicitur, ad quæ scalis ascenditur.

Cærimoniarum causam alij ab oppido Cære dictā existimāt: alij à caritate dictam iudicant.

Cæsar, quod est cognomen Iuliorum, à cæsarie dictus est, quia scilicet cum cæsarie natus est.

Cæsariati, comati.

Cæsones appellantur ex vtero matris exsecti.

Cæstus vocantur & ij, quibus pugiles dimicant. & genus quoddam muliebris ornatus.

Calasis tunicæ genus quod Græcei καλάσιρις dicunt. Alij dicunt nodum esse tunicæ muliebris, quo connexę circa ceruicem tunica submittitur.

Calathos Græci, nos dicimus quasillos.

Calatores dicebant serui ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare: quia semper vocari possent ob necessitatem seruitutis.

Calbeos armillas dicebant, quibus triumphantes vtebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur.

Calces ampullæ plumbeæ.

Calicata ædificia calce polita. Calicatis calce politis.

Calim antiqui dicebant pro clam: vt *nis* pro nobis: *sam* pro suam, *em* pro eum.

Caliptra genus vestimenti, quo capita operiebant.

Calix, quod in eo calidum bibitur: vel à Græco κύλιξ.

Calones calcei ex ligno facti. Calones militum serui, dicti, quia ligneas clauas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant. Is quoque qui huiusmodi telo vtitur, *clauator* appellatur.

Calpar vinum nouum: quod ex dolio demitur.

sacrificij causa ante, quam gustetur. Ioui.n. prius sua vina libabant, quæ appellabant *festa vinalia.* ¶Calpar genus vasis fictilis.

Calpurnij à Calpo Numæ regis filio sunt oriundi.

Camara, & *camuri boues* à curuatione, ex Græco χαμαὶ dicuntur.

Camelis virginibus supplicare nupturæ solitæ erant.

Camena musæ à carminibus sunt dictæ: vel quod canunt antiquorum laudes: vel quod sint castæ mentis præsides.

Camillus, proprie appellatur puer ingenuus.

Cana dicunt Græci, nos canistra, & per deminutionem canistellam.

Canalicola forenses, homines pauperes dicti, quod circa canales fori consisterent.

Cancri dicebantur ab antiquis, qui nunc per deminutionem *cancelli*, ex quo genere sunt *calces*, qui per deminutionem appellantur calculi.

Candelabrum dictum, quod in eo candelæ figantur.

Canentas capitis ornamenta.

Canephora mulier appellatur, quæ fert canum, id est qualum; quod est cistæ genus.

Canica furfures de farre, à cibo canum vocatæ.

Canitudinem pro canitie. Plautus: Stultus est aduersus ætatem, & capitis canitudinem.

Cannensem cursorem Titinius pro pistore dixit.

Canta pro cantata ponebant.

Cantherius hoc distat ab equo, quod maialis à verre, capus à gallo, veruex ab ariete. est.n. cantherius equus, cui testiculi amputantur.

Canturnus nomen loci.

Caperatum rugosum, à cornuum caprinorum similitudine dicitur.

Capidulum genus vestimenti, quo caput tegebatur.

Capillatam vel capillarem arborem dicebant, in qua capillum tonsum suspendebant.

Capis poculi genus dictum à capiendo.

Capita deorum appellabantur fasciculi facti de verbenis.

Capital facinus, quod capitis pœna luitur. Capital linteum quoddam, quo in sacrificiis vtebantur.

Capitalis lucus, vbi si quid violatum est, caput violatoris expiatur.

Capitarium æs, quod capi potest.

Cappas marinos equos Græci à flexione posteriorum partium appellant.

Capræ dictæ, quod omne virgultum carpant, siue à crepitu crurum. Vnde & *crepas* eas prisci dixerunt.

Capreoli vitium cincinni intorti, quia ad locum capiendum tendunt appellati.

Caprilia appellatur ager, qui vulgo ad Capræ paludes dici solet.

Caprona equorum iubæ in frontem deuexæ dictæ quasi à capite pronæ.

Capruncułam vas fictile.

Capsa à Græco appellantur. Has illi κάμπτρας dicunt.

Capsit, prehenderit.

Captus locus dicitur ad sacrificandum legitime constitutus.

Capuam in Campania quidam à Capy appellatam ferunt, quem à pede introrsus curuato nominatum antiqui, nostri *Falconem* vocant: alij à planicie regionis.

Capulum & manubrium gladij vocatur: & id quo mortui efferuntur. vtrunque à capiendo dictum, sane à capulo fit capularis.

Caput ex Græco, dictum quod illi interdum κάρα dicunt.

Carinantes, probra obiectantes, à carina dicti, quæ est infima pars nauis: sic illi sortis infimæ.

Carissam apud Lucilium vafram significat.

Carnificis loco habebatur is, qui se vulnerasset, vt moreretur.

Casa à cauatione dicta.

Casaria, quæ custodit casam.

Cascum, antiquum.

Caseus à coeundo dictus.

Casinam fabulam Plautus inscripsit ab ancillæ nomine Casina, quam amari à sene introduxit.

Casnar, senex Oscorum lingua.

Cassabundus crebro cadens.

Cassia via à Cassio strata.

Cassiculum, reticulum, à cassibus per deminutionem dictum.

Cassilam antiqui pro casside ponebant.

Casta mola genus sacrificij, quod Vestales virgines faciebant.

Castrensi corona donabatur, qui primus hostium castra pugnando introisset. cui insigne erat ex auro vallum.

Casus dicimus non modo ea, quæ fortuito hominibus accidunt, sed etiam vocabulorum formas, quia in aliam, atque aliam cadunt effigiem.

Catachresin tropum nos abusionem dicimus, cum alienis abutimur perinde, ac propriis cum propria deficiunt.

Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus.

Catampo genus est lusus.

Catax, claudus.

Catifons, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit; dictus, quod in agro cuiusdam fuerit Cati.

Catillatio graue opprobrium hominibus generosis obiiciebatur, siqui prouincias amicas populi Romani expoliassent.

Catillones appellabant antiqui gulosos.

Catones appellantur portus in mari interiores

res arte & manu facti.

Catularia porta Romæ dicta eſt, quia non longe ab ea ad placandum caniculæ ſidus frugibus inimicum rufæ canes immolabantur, vt fruges flaueſcentes ad maturitatem perducerentur.

Catulinam carnem eſitauiſſe, hoc eſt comediſſe Romanos Plautus in Saturione refert.

Catulus genus quoddam vinculi, qui interdum *canis* appellatur.

Caudeca ciſtellæ ex iunco, à ſimilitudine equinæ caudæ factæ.

Caudicaria naues ex tabulis craſſioribus factæ.

Caulares hoſtia dicebantur, quod cauiæ, id eſt pars hoſtiæ cauda tenus diceretur, & ponebatur in ſacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno.

Cauillatio eſt iocoſa calumniatio.

Cauillum, cauillatio, id eſt irriſio.

Cauitionem dicebant, quam modo dicimus cautionem.

Caula à cauo dictæ. antiquitus enim ante vſum tectorum oues in ancris claudebantur.

Cauum à chao dictum, & eius inanitate.

Celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi qui initio à Romulo iis præpoſitus fuit qui primitus electi fuerunt ex ſingulis curiis deni, ideoque omnino trecenti fuere.

Cælibari haſta caput nubentis comebatur, quæ in corpore gladiatoris ſtetiſſet abiecti, occiſique, vt quemadmodum illa coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris, ſic ipſa cum viro ſit. vel quia matronæ Iunonis Curitis in tutela ſint, quæ ita appellabatur à ferenda haſta. quæ lingua Sabinorum *curis* dicitur. vel quod fortes viros genituras ominetur. vel quod nuptiali iure imperio viri ſubiicitur nubens: quia haſta ſumma armorum, & imperij eſt. quam ob cauſam viri fortes ea donantur, captiui ſub eadem veneunt, quos Græci δορυαλώτους ϗ δορυκτήτους vocant.

Celſus, ex Græco κέλης eques dictus.

Cenina vrbs, quæ fuit vicina Romæ, à Cenite conditore appellata.

Cenſere nunc ſignificat putare, nunc ſuadere, nunc decernere.

Cenſio æſtimatio. vnde *cenſores*. *Cenſio haſtaria* dicebatur, cum militi multæ nomine ob delictum militare indicebatur, quod haſtas daret. *Cenſionem facere* dicebatur cenſor, cum multam equiti inrogabat.

Cenſores dicti, quod rem ſuam quiſque tanti æſtimare ſolitus ſit, quantum illi cenſuerint.

Cenſui cenſendo agri proprie appellantur, qui & emi, & venire iure ciuili poſſunt.

Centaurion medicamentum à Chirone centauro inuentum.

Centenaria cænæ dicebantur, in quas lege Licinia non plus centuſſibus, præter terra nata impendebatur: id eſt, centum aſſibus (qui erant breues nummi ex ære.)

Centenas pondo dicebant antiqui referentes ad libras.

Centumuiralia iudicia à centum viris ſunt dicta. Nam, cum eſſent Romæ triginta & quinque tribus, (quæ & curiæ dictæ ſunt) terni ex ſingulis tribubus ſunt electi ad iudicandum, qui centumuiri appellati ſunt, & licet quinque amplius, quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, centumuiri ſunt dicti. Centumuiralia iudicia, quæ centumuiri iudicabant.

Centuria in agris ſignificat ducenta iugera: in re militari centum homines.

Centuriata comitia, (item curiata) dicebantur, quia populus Romanus (per centenas turmas diuiſus erat.)

Centuriatus ager in ducenta iugera definitus. quia Romulus centenis ciuibus ducenta iugera tribuit.

Centurionus antea, qui nunc Centurio, & *curionus* & *decurionus* dicebantur.

Cercolopis genus ſimiæ, quæ vltimam partem caudæ villoſam habet.

Cercopa Græci appellant lucrari vndique cupientem. quaſi κέρδωνα, quem nos quoque *lucrionem* vocamus.

Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus: quia candelis pauperes, locupletes cereis vtebantur.

Cermalus locus in vrbe ſic nominatus.

Cernuus calciamenti genus.

Cerritus furioſus.

Cerrones leues & inepti à cratibus dicti: quod Siculi aduerſus Athenienſes cratibus pro ſcutis ſunt vſi, quas Græci γέῤῥας appellant.

Ceruaria ouis, quæ pro cerua immolabatur.

Ceruus, quod κέρατα, id eſt cornua gerat, dictus.

Ceſpes eſt terra in modum lateris cæſa, cum herba, ſiue frutex reciſus & truncatus eſt.

Ceſticillus appellatur circulus, quem ſuperponit capiti, qui aliquid eſt laturus in capite.

Chalcidonicum genus ædificij, ab vrbe Chalcida dictum.

Chaos appellat Heſiodus confuſam quandam ab initio vnitatem hiantem, patentemq. in profundum, ex eo & χαίνειν Græci, & nos *hiare* dicimus. Vnde *Ianus* detracta aſpiratione nominatur ideo, quod fuerit omnium primus, cui primo ſupplicabant velut parenti, & à quo rerum omnium factum putabant initium.

Chilo dicitur cognomento à magnitudine labrorum. *Cilo* sine aspiratione, cui frons est eminentior, ac dextra, sinistraque velut recisa videtur.

Chœnica, mensuræ genus.

Choragium, instrumentum scenarum.

Cibus appellatur ex Græco, quòd illi *peram*, in qua cibum recondunt, κιβώπον appellant.

Cicatricare, cicatricem inducere.

Ciccum membrana tenuis malorum punicorum.

Cicindela genus muscarum, quod noctu lucet, videlicet à candore. Vnde etiam *candelabra* putantur appellata.

Circuma auis noctua.

Ciere nominare.

Cilium est folliculus, quo oculus tegitur. vnde fit *supercilium*.

Cilliba, mensæ rotundæ.

Cimbri lingua Gallica latrones dicuntur.

Cimmerij dicuntur homines qui frigoribus occupatas terras incolunt. qualesfuerunt inter Baias & Cumas in ea regione, in qua conuallis satis eminenti iugo circundata est, quæ neque matutino, neque vespertino tempore sole contegitur.

Cincia locus Romæ, vbi Cinciorum monumentum fuit.

Cincta flaminica veste velata.

Cingula noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum ex lana ouis: vt sicut illa in glomos sublata coniuncta inter se sit; sic vir suus secum cinctus, vinctúsq; esset. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir soluit ominis gratia: vt sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, vt fuit Hercules, qui LXX. liberos reliquit.

Cingulos appellabant homines, qui in his locis, vbi cingi solet, satis sunt tenues.

Cinxia Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.

Circanea dicitur auis, quæ volans circuitum facit.

Circites, circuli ex ære facti.

Circumlucum ius prædiorum.

Cispius mons in vrbe Esquilinæ regionis de nomine cuiusdam hominis dictus.

Cisterna dicta est, quod cis in est infra terram.

Citeria appellabatur effigies quædam arguta, & loquax, ridiculi gratia, quæ in pompa vehi solita sit. Cato in M. Cæcilium. Quid ego cum illo disertem amplius, quem ego deniq; credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria, atque cum spectatoribus sermocinaturum?

Citimus, extremus. Vls enim facit vltra, vltimus cis, citra, citimus.

Citior comparatiuum à cito. Plautus. Nullam ego rem citiorem apud homines esse, quam famam reor.

Citrosa vestis appellata est à similitudine citri.

Ciuicam coronam ciuis salutis suæ causa seruatus in prælio dabat, quæ erat ilignea frondem habens perennem.

Clacendix, genus conchæ.

Clam à clauibus dictum, quod his, quæ celare volumus, claudimus.

Claritudinem claritatem.

Classes clypeatas antiqui dixerunt, quos nunc exercitus vocamus.

Classici testes dicebantur, qui signandis testamentis adhibebantur.

Classis procincta, exercitus instructus.

Claua teli genus, qua Hercules vtebatur.

Clauata dicuntur aut vestimenta clauis intertexta, aut calciamenta clauis confixa.

Claudere & clauis ex Græco descendit. cuius rei tutelam penes Portumnum esse putabant, qui clauim manu tenere fingebatur, & deus putabatur esse portarum.

Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcher instituit, vt ludis post scenam collectus lapidum ita fieret, vt veri tonitrus similitudinem imitaretur. nam antea leues admodum, & parui sonitus fiebant, cum claui & lapides in labrum æneum coniicerentur.

Clauim consuetudo erat mulieribus donare ob significandam partus facilitatem.

Clausula, quam Græci κολοφῶνα vocant, à breui conclusione est appellata.

Clauus annalis appellabatur qui figebatur in parietibus sacrarum ædium per annos singulos, vt per eos numerus colligeretur annorum.

Clientam pro cliente Plautus dixit.

Clingere cingere à Græco κλείειν dici manifestum est.

Clitellæ dicuntur non tantum eæ, quibus sarcinæ conligatæ mulis portantur, sed etiam locus Romæ propter similitudinem. & in via Flaminia loca quædam deuexa subinde & accliua. est etiam tormenti genus eodem nomine appellatum.

Cliuia auspicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant. omnia enim difficilia cliuia vocabant. vnde & *cliui* loca ardua.

Cloaca à conluendo dictæ.

Cloacale flumen dixit Cato pro cloacarum omnium conluuie.

Cloacare, inquinare, vnde & cloacæ dictæ.

Clœlia familia à Clœlio Æneæ comite est appellata.

Clœliæ fossæ à Clœlio duce Albanorum dictæ.

Clucidatum dulce, & suaue dicebatur.

Cluma follicula ordei.

Cluna-

Clunaclum cultrum sanguinarium dictum vel quia clunes hostiarum diuidit: vel quia ad clunes dependet.

Clunas simias à clunibus tritis dictas existimant.

Clunes masculini. Plautus: Quasi lupus ab armis valeo, clunes infractos fero.

Clutum Græci κλυτὸν dicunt. Vnde accepta præpositione fit *inclutus*. In enim sæpe augendi causa adiicimus, vt inuocauit, inclamauit.

Clypeum antiqui ob rotunditatem etiam corium bouis appellarunt, in quo fœdus Gabiorum cum Romanis fuerat adscriptum.

Cnasonas, acus, quibus mulieres scalpunt caput.

Cnephosum antiqui dicebant tenebricosum. Græci enim κνέφας appellant obscurum.

Cocetum genus edulij ex melle & papauere factum.

Coclacæ dicuntur lapides ex flumine rotundi ad coclearum similitudinem.

Coctiones dicti videntur à cunctatione, quod in emendis, vendendísque mercibus tardè perueniant ad iusti pretij finem. Itaque apud antiquos prima syllaba per V literam scribebatur.

Coctum à cogendo dicitur, quia coquendo coartetur, vt ad vtilitatem vescendi perducat.

Cocula vasa ænea coctionibus apta. alij cocula dicunt ligna minuta, quibus facilè decoquantur obsonia.

Codeta ager, in quo frutices existunt in modum codarum equinarum. Codeta appellatur ager trans Tiberim, quod in eo virgulta nascuntur ad caudarum equinarum similitudinem.

Cœlius mons dictus est à Cœle quodam ex Etruria, qui Romulo auxilium aduersus Sabinos præbuit: eo quod in eo domicilium habuit.

Cœpiam futurum tempus ab eo, quod est cœpi. Cato: Cœpiam seditiosa verba loqui. Inuenitur quoque apud maiores & infinitiui modi *cœpere*.

Cogitatim aduerbialiter, pro cogitare.

Cogitatio dicta velut coagitatio, id est longa eiusdem rei agitatio in eadem mora consilij explicandi.

Cognitor est qui litem alterius suscipit coram eo, cui datus est. *procurator* autem absentis nomine auctor fit.

Cognitu facilia eadem ratione dicitur, qua dictu facilia & perfectu, & factu facilia.

Cognomines dicuntur, qui eiusdē sunt nominis.

Cohum lorum, quo temo buris cum iugo colligatur, à cohibendo dictum. Cohum poetæ cælum dixerunt à chaos: ex quo putabant cælum esse formatum.

Coinquere, deputare.

Collus quoque masculine dixerunt: est enim genus tormenti è corio.

Colluuiaris porcus dicitur, qui cibo permixto & colluuione nutritur.

Colophon dixerunt, cum aliquid finitum significaretur.

Colossus à Caleto artifice, à quo formatus est, dictus. Fuit enim apud Rhodum insulam statua solis alta pedes centum & quinque.

Columnæ dictæ, quod culmina sustineant.

Colurna hastilia ex corno arbore facta.

Comedum bona sua consumentem antiqui dixerunt. Comedo comedonis, qui, vt supra, bona sua consumit.

Comissatio à vicis, quos Græci κώμας dicunt, appellatur. in his enim habitabant prius, quam oppida conderentur. quibus in locis alij alios conuictus causa inuitabant.

Comitiales dies appellabant, cum in comitio conueniebant. qui locus à coeundo, id est simul veniendo dictus est.

Commentacula virgæ, quas flamines portant pergentes ad sacrificium, vt à se homines amoueant.

Commentaculum genus virgulæ, quæ in sacrificiis vtebantur.

Committere proprie est insimul mittere. Nunc eo vtimur & pro facere, aut pro relinquere, aut pro incipere.

Commugento, conuocanto.

Comœdias constat appellari ex eo, quod initio in vicis iuuenes cantare soliti essent conuenientes.

Comœdice figuratum à comœdo. Plautus: Euge heus adstitisti & dulce, & comœdice.

Comparsit Terentius pro compescuit posuit.

Compascuus ager, relictus ad pascendum communiter vicinis.

Comperce pro compesce dixerunt antiqui.

Compernes nominantur homines genibus plus iusto coniunctis.

Compescere est velut in eodem pascuo continere.

Compescere lucum, est lucum suis finibus cohibere.

Compilare est cogere, & in vnum condere.

Compitalia festa, quæ in compitis peragebant.

Compluriens à compluribus significat sæpe. Cato: Contumelias mihi dixisti compluriens.

Comparedes eiusdem rei populo sponsores.

Comptus, id est ornatus, à Græco descendit, apud quos κοσμεῖν dicitur comere. & κόσμος, quod apud nos comis. & comæ dicuntur capilli cum aliqua cura compositi.

Conauditum, coauditum: sicut coangustatum dicitur.

Conceptiuæ feriæ festa dicebantur, quæ in

certis diebus seruabantur, quotannis, vt *sementina, compitalicia*.

Conciliabulum dicitur locus, vbi in concilium conuenitur.

Conciliatrix, dicitur, quæ viris conciliat vxores, & vxoribus viros.

Concilium dicitur à populi consensu: siue concilium dicitur à *concalando*, id est vocando.

Concinnare est ante componere. *Concinere* enim conuenire est.

Concio conuentus dicta, quasi conuocatio. Concio significat conuentum, non tamen alium, quam eum, qui à magistratu, vel à sacerdote publico per præconem conuocatur. Concionem antiqui masculino genere posuere.

Concipilauisti dictum à Næuio pro corripuisti, & inuolasti.

Conclauata dicebantur, quæ sub eadem erant claue.

Conclauia dicuntur loca quæ vna claue clauduntur.

Condere, componere. Condere proprie est in vnum, & interiorem locum dare ad custodiam faciliorem. quod verbum nunc significat conscribere: nunc facere: nunc componere, & instruere.

Condicere est dicendo denuntiare.

Condictio in diem certum eius rei, quæ agitur, denuntiatio.

Condictum est, quod in communi est dictum.

Condulus anulus. *Condalium* similiter anuli genus.

Confecerunt, vna fecerunt.

Confeta sus dicebatur, quæ cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium.

Conflages loca dicuntur, in quæ vndique confluunt venti.

Confœdusti fœdere coniuncti.

Confugelam antiqui, confugium dicebant.

Congruere dictum est à gruibus, quæ non se segregant, siue cum volant, siue cum pascunt.

Coniector, interpres somniorum.

Conitum genus libaminis, quod farina conspersa faciebant. Comitum Afranius pro ornatu & excultu posuit.

Coniuola occulta.

Conlatia oppidum fuit prope Romã, eo quod ibi opes aliarum ciuitatum fuerint conlatæ: à qua *porta* Romæ *Conlatina* dicta est.

Conlatiuum sacrificium dicitur, quod ex conlatione offertur.

Conlatiuum ventrem magnum, & turgidum dixit Plautus, quia in eum omnia edulia congeruntur.

Conlucare dicebant, cum profanæ siluæ rami deciderentur officientes lumini.

Conquirere, coercere.

Conregione, è regione.

Conruspari, conquirere. Plautus: Conruspare tua consilia in pectore.

Conscripti dicebantur, qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, vt numerus Senatorum expleretur.

Consentia sacra, quæ ex multorum consensu sunt statuta.

Considerare à contemplatione siderum videtur appellari.

Consilium vel à consulendo dicitur, vel quod in vnam sententiam plurium mentes consiliant & conueniant. sed à silentio credibilius factum putatur quo maxime inuenitur.

Considere Ennius pro conticuere posuit.

Consiluere apud Ennium pro conseptum reperitur. Consiptum clauis præfixum.

Consponsor, coniurator.

Consponsos antiqui dicebant fide mutua conligatos.

Consternatio, quæ est concitatio quæ iam subita ex aliquo metu: à sternutamento deducta est: quod eo toto concutimur corpore.

Constitutus hominum à consistentium multitudine appellatur.

Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant: quem deum consilij putabant.

Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit.

Consulas antiqui ponebant, non tantum pro consilium petas, & perconteris: sed etiam pro iudices, & statuas.

Contagionem esse dicendum, non contagium.

Contemplari dictum est à *templo*: id est loco, qui ab omni parte aspici, vel ex quo omnis pars videri potest, quem antiqui templum nominabant.

Contestari est, cum vterque reus dicit, Testes estote. Cõtestari litem dicuntur duo, aut plures aduersarij, quod ordinato iudicio vtraque pars dicere solet Testes estote.

Contignum frustum carnis cum septem costis demptum.

Contrarium æs, graue æs.

Contubernales dicuntur à tabernis, quæ fiebant ex tabulis. vnde & *tabernacula* dicta sunt, licet ex tentoriis, & ex pellibus fiant.

Contubernium dicitur contubernalium habitatio.

Contuoli oculi sunt in angustum coacti conniuentibus palpebris.

Conuallis est planities ex omni parte comprehensa montibus, collibúsve. *Vallis* duobus lateribus inclusa planities. Vallis deminutiuum vallicula facit.

Conuenta conditio dicebatur, cum primus sermo de nuptiis, & earum conditione habebatur.

Conuentus quattuor modis intelligitur. Vno cum

cum quemlibet hominem ab aliquo conuentum esse dicimus: Altero, cum significatur multitudo ex compluribus generibus hominum contracta in vnum locum: Tertio, cum à magistratibus iudicij causa populus congregatur: Quarto, cum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis, aut gratulationis causa colligitur.

Conuexum est ex omni parte declinatum, qualis est natura cæli, quod ex omni parte ad terram versus declinatum est.

Conuicium à vicis in quibus prius habitatum est, videtur dictum: vel immutata littera quasi conuocium.

Conuoti iisdem votis obligati.

Copona taberna copiis dicta.

Coquitare pro coctitare, id est frequenter coquere, Plautus posuit.

Coquum & pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus. Næuius, Coquus inquit, edit Neptunum, Venerem, Cererem; significat per Cererem panem, per Neptunum pisces, per Venerem holera.

Corbitæ dicuntur naues onerariæ: quod in malo earum summo pro signo corbes solerent suspendi.

Corculum à corde dicebant antiqui solertem, & acutum. Plautus in Casina: Ego sum liber Meum corculum melliculum, verculum.

Corda frumenta, quæ sero maturescunt, vt *fenum cordum*.

Corgo apud antiquos pro aduerbio, quod est profecto ponebatur.

Corinthienses ex eo dici cœperunt, ex quo coloni Corinthum sunt deducti, qui antea Corinthij sunt dicti. quam consuetudinem seruamus etiam cum Romanenses, & Hispanienses, & Sicilienses negotiatores dicimus, qui in alienis ciuitatibus negotiantur.

Corius apud antiquos masculino genere dicebatur. Plautus: Iam tibi tuis meritis crassus corius redditus est. Pari modo diuerso genere dicebant, hæc ludus, hæc metus, hæc amnis, hic frons.

Corniscarum diuarum locus erat trans Tiberim cornicibus dicatus, quod in Iunonis tutela esse putabantur.

Cornua Liberis patris simulachro adijciuntur, quem inuentorem vini dicunt: eo quod homines nimio vino truces fiunt.

Corolla deminutiuum est à corona. corollam noua nupta de florib. verbenis, herbísque à se lectis sub amiculo ferebat.

Corona, cum videatur à choro dici, caret tamen aspiratione: siue coronæ dicuntur, quod cohonorent eos, quibus imponuntur.

Corpulentis Ennius pro magnis dixit. nos corpulentum dicimus, corporis obesi hominem.

Cossi ab antiquis dicebantur natura rugosi corporis homines, à similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur.

Colitia lacus appellatur, quod in eo est insula Cotila nominata à Græcis.

Coturnium vas, quo in sacrificijs vinum fundebatur.

Coturnix appellatur à sono vocis.

Cracentes graciles. Ennius: Succincti gladijs media regione cracentes.

Craticulum à Græco κρατευτὰ deducitur.

Crebrisuro apud Ennium significat vallum crebris suris, id est palis, munitum.

Creduas, credas?, Plautus: Ipsus nec amat, nec tu creduas.

Creperum, dubium. vnde *increpitare* dicimus, quia male dicta fere incerta, & dubia sunt.

Crepidines, saxa prominentia.

Crepitulum ornamentum capitis. id enim in capitis motu crepitum facit.

Crepus Romani lupercos dicebant à crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim erat Romanis in lupercalibus nudos discurrere, & pellibus obuias quasque feminas ferire.

Creterre vocabulum trahitur à cratere, quod vas est vini.

Creui modo significat hereditatem adij: modo maior ætate, vel censu sum: modo iudicaui: modo diuisi. quæ omnia à duobus verbis cresco, & cerno veniunt: cuius vnius origo ex Græco trahitur, quod illi κραίνειν dicunt perficere.

Crines à discretione dicti, quam Græci κρίσιν appellant. nam iidem eos κεραίδας vocant.

Crocatio, coruorum vocis appellatio.

Crocotilum valde exile. Plautus: Extortis talis cum crocotilis crusculis.

Crocotinum genus operis pistorij.

Crucium, quod cruciat. Vnde Lucilius vinum insuaue crucium dixit.

Crumina sacculi genus. Plautus: Dij bene vortant, tene, tene, crumina minuerint triginta minæ.

Crusculum deminutiuum à crure.

Crustoriæ tabernæ à vasis potorijs crustatis dictæ.

Crustumina tribus à Tuscorum vrbe Crustumena dicta.

Cubam Sabini vocant eam, quam militares lecticam. vnde videtur deriuatum esse *cubiculum*.

Cubans auspicatur, qui in lecto quærit augurium.

Culcita, quod tomento inculcatur, appellata.

Culigna vos potorium. Cato, Culignā inquit, in fœno Græco ponito, vt bene oleat. Culigna vas vinarium à Græco dicta, quam illi dicunt κύλικα.

Culina vocatur locus, in quo epulæ in fune-

re comburuntur.

Culiola cortices nucum viridium, dicta à similitudine culeorum, quibus vinum siue oleum continetur.

Culticula fusticulus quidem ligneus in sacris dicebatur.

Cumalter significat cum altero, dictum ab antiquis ita breuitatis causa, *vt sodes* pro si audes, *scilicet* pro scias licet, *sis* pro si vis.

Cumeram vocabant antiqui vas quoddã, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis vtensilia, quod & camillum dicebant, eo quod sacrorum ministrum κάμιλλον appellabant.

Cumerum vas nuptiale à similitudine cumerarum, quæ fiunt palmeæ vel sparteæ ad vsum popularem, sic appellatum.

Cum imperio esse dicebatur apud antiquos, cui nominatim à populo dabatur imperium.

Cum populo agere, hoc est populum ad concilium, aut comitia vocare.

Cum potestate esse dicebatur de eo, qui à populo alicui negotio præficiebatur.

Cuncti significat quidem omnes, sed coniuncti & congregati: at vero *omnes* etiam si diuersis locis sint.

Cuniculum, id est foramen sub terra occultum, aut ab animali, quod simile est lepori, appellatur, quod subterfossa terra est latere solitum, aut à cuneorum similitudine, qui omnem materiam intrant findentes.

Cunire est stercus facere. vnde & inquinare.

Cupes, & cupedia antiqui lautiores cibos nominabant. inde macellum forum cupedinis appellabant. Cupedia autem à cupiditate sunt dicta. vel, sicut Varro vult, quod ibi fuerit Cupedinis equitis domus, qui fuerat ob latrocinium damnatus.

Cupressi mortuorum domibus ponebantur ideo, quia huius generis arbor excisa non renascitur: sicut ex mortuo nihil iam est sperandum, quam ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur.

Cura dicta est, quasi cor edat: vel quia cor vrat.

Curatores dicuntur, qui pupillis loco tutorum dantur. siue illi qui rei frumentariæ, agrisve diuidundis præpositi sunt.

Curia, locus est, vbi publicas curas gerebant. *Calabra* curia dicebatur, vbi tantum ratio sacrorũ gerebatur. Curiæ etiã nominantur in quibus vniuscuiusque partis populi Romani quid geritur. quales sunt eæ, in quas Romulus populum distribuit numero triginta. (quibus postea additæ sunt quinque) vt in sua quisque curia sacra publica faceret, feriasque obseruaret. hisque curiis singulis nomina Curiarum virginum imposita esse dicuntur, quas virgines quondam Romani de Sabinis rapuerunt.

Curiales eiusdem curiæ, vt tribules, & municipes. *Curiales flamines* curiarum sacerdotes. *Curiales mensæ*, in quibus immolabatur Iunoni, quæ Curis est appellata.

Curiata comitia à curiis appellata.

Curij fana à Curio dicta. quia eo loco domum habuerat.

Curionem agnum Plautus pro macro dixit, quasi cura macruisset.

Curionia sacra, quæ in curiis fiebant.

Curionium æs dicebatur, quod dabatur curioni ob sacerdotium curionatus.

Curis est Sabine hasta. Vnde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, est dictus: & Romani à Quirino *Quirites* dicuntur. Quidam eum dictum putant à Curibus, quæ fuit vrbs opulentissima Sabinorum.

Curitim Iunonem appellabant, quia eandem ferre hastam putabant.

Curriculo pro cursim ponebant. Plautus, Licet, inquit, vos abire curriculo.

Curriculus deminutiuum est à curru.

Curtij locus appellatur à Curtio, qui eo loco in profundissimum se ob salutem populi Romani proiecit hiatum.

Curules equi quadrigales. Curules magistratus appellati sunt, quia curru vehebantur.

Cussi irem pro ignauo dicebant antiqui.

Custodelam dicebant antiqui, quam nunc dicimus custodiam.

Custoditio est opera ad custodiendũ quid sũpta.

Cutis Græcam habet originem. hanc enim illi κύτος dicunt.

Cybels mater, quam dicebant magnam, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod Græci κυβηβον dicunt. Cybele vero eadem dicta à loco, qui est in Phrygia.

Cybium dictum, quia eius medium æque paret in omnes partes, quod genus à geometris κύβον dicitur. Vnde etiam tessellæ quadratæ κύβοι. Hinc & κυβίον genus piscis, quia piscãtes id genus piscium velut aleã ludant.

Cyllenius Mercurius dictus, quod omnem rem sermone sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent, κυλλοὶ vocantur: ideoque quadratum eum fingunt. Alij volunt sic appellatum, quod in Cyllenia via sit nutritus. Alij quod in monte Arcadiæ Cyllene. Alii quod à Cyllene sit nympha educatus.

Cymbam Græci appellabant κύμβην.

Cymbium poculi genus à similitudine nauis quæ dicitur cymba, appellatum,

Cynthius Apollo à Cyntho Deli mõte vocatus.

Cyparissæ appellantur acies quædam igneæ, quæ noctu apparere solent ad similitudinem cupressi.

Cyparissia dicuntur ignes prodigiosi à similitudine cypressorum.

Cypria Venus, quod ei primum in Cypro insula templum sit constitutum, vel quia parientibus

tibus præsideat, quod Græco *κώειν* patere sit.

Cyprio boui merendam, Ennius sotadico versu cum dixit, significat id, quod solet fieri in insula Cypro, in qua boues humano stercore pascuntur. Idem cum dicit. Propter stagna, vbi lanigerum genus piscibus pascitur: esse paludem demonstrat, in qua nascuntur pisces similes ranunculis, quas oues consectatæ edunt.

Cytherea, Venus ab vrbe Cithera, in quam primum deuecta esse dicitur concha, cum in mari esset concepta.

D

D*Acrimas* pro lacrimas Liuius sæpe posuit nimirum, quod Græci appellant *δάκρυα*. Item *dautia*, quæ lautia dicimus, & dantur legatis hospitii gratia.

Dædalam à varietate rerum, artificiorumq. dictam esse apud Lucretium terram, apud Ennium Mineruam, apud Virgilium Circem facile est intelligere: cum Græce *δαιδάλλειν*, significet variare.

Dagnades sunt auium genus, quas Ægyptii inter potandum cum coronis deuincere soliti sunt, quæ vellicando, morsicandoque & canturiendo assidue non patiuntur dormire potantes.

Dalivum supinum ait esse Aurelius, Ælius stultum. Oscorum quoque lingua significat insanum. Santra vero dici putat ipsum quem Græci *δείλαιον*, id est propter cuius fatuitatem quis misereri debeat.

Damium sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonæ deæ, dictum à contrarietate, quod minime esset *δημόσιον*, id est publica. dea quoque ipsa *δαμία*, & sacerdos eius *δαμίας*, appellabatur.

Danistæ, feneratores.

Danunt, dant.

Daps apud antiquos dicebatur res diuina, quæ fiebat aut hiberna semente, aut verna. quod vocabulum ex Græco deducitur, apud quos id genus epularum *δάψ* dicitur. Itaque & *daptice* se acceptos antiqui dicebant, significantes magnifice, & *dapticum negotium* amplum, ac magnificum.

Dasi, dari.

Daunia Appulia appellatur à Dauno Illyricę gentis claro viro, qui eam propter domestica seditionem excedens patria occupauit.

Deactio, peractio.

Deblacterare est stulte loqui. Nam Græci *βλάκας* stultos appellant.

Decalicatum calce litum.

Decermina dicuntur: quæ decerpuntur purgandi causa.

Decima quæque veteres diis suis offerebant.

Decotes togæ detritæ.

Decrepitus est desperatus crepera iam vita vt *crepusculum* extremum diei tempus. Siue decrepitus dictus, quia propter senectutem nec mouere se, nec vllum facere potest crepitum.

Decultarunt, valde occultarunt.

Decumana oua dicuntur, & *decumani fluctus*, quia sunt magna. nam & ouum decimum maius nascitur, & fluctus decimus fieri maximus dicitur.

Decumanus appellatur *limes*, qui fit ab ortu solis ad occasum. Alter ex transuerso currens appellatur *cardo*.

Decures, decuriones.

Decuriones appellantur, qui denis equitibus præsunt.

Dedita intelligitur valde data.

Defomitatum à fomitibus succisum, quibus confoueri erat solitum.

Defrensam detritam atque detonsam.

Defrui dicebant antiqui, vt deamare, deperire: significantes omnem fructum percipere.

Degere antiqui posuerunt pro expectare.

Degunere degustare.

Deinceps qui deinde cepit: vt *princeps*, qui primum cepit.

Deincipem antiqui dicebant proxime quenque captum, vt principem primum captum.

Deinde compositum est ex præpositione, & loci significatione: vt exinde, perinde, proinde, subinde: quæ item tempus significant.

Delapidata, lapide strata.

Deliberare à libella, qua quid perpenditur, dictum.

Delibrare aquam sulco deriuare.

Delicare ponebant pro dedicare.

Delicata dicebant diis consecrata, quas nunc delicata. Vnde adhuc manet *delicatus*, quasi lusui dicatus. *Dedicare* autem proprie est dicendo deferre.

Delicia est tignum quod à culmine ad regulas angulares infimas versus fastigatum collocatur, vnde *tectum deliciatum*, & *regulæ deliciares*.

Delinquere est prætermittere, quod non oportet præteriri. Hinc deliquia & delicta.

Delicuum solis à delinquendo dictum, quod delinquat in cursu suo.

Deliquum apud Plautum significat minus.

Delubrum dicebant fustem delibratum, hoc est decorticatum, quem venerabantur pro deo.

Deluit, soluit. à Græco *διαλύειν*

Demagis pro minus antiqui dicebant.

Deminutus capite appellatur, qui ciuitate mutatus est: & ex alia familia in aliam adoptatus: & qui liber alteri mancipio datus est: & qui in hostium potestate ve-

nit: & cui aqua, ignique interdictum est.

Demæ apud Atticos sunt, vt apud nos pagi.

Demum quod significat post, apud Liuium *demus* legitur. Alij demum pro duntaxat posuerunt.

Denaria cæremoniæ dicebantur, & *tricenaria*, quibus sacra adituris decem continuis diebus vel triginta certis quibusdam rebus carendum erat.

Denicales feriæ colebantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur. Græci enim νέκυν mortuum dicunt.

Deorata, perorata.

Depeculatus à pecore dicitur, qui enim populum fraudat, peculatus pœna tenetur.

Deperire significat valde perire.

Depolitum perfectum, quia omnes profectiones antiqui politiones appellabant.

Depontani senes appellabantur, qui sexagenarij de ponte deiiciebantur.

Deprehensa dicitur genus militaris animaduersionis castigatione maior, ignominia minor.

Depubem porcum lactantem, qui prohibitus sit pubes fieri.

Depuuere, cædere, Lucilius: palmisque misellam Depuuit me, id est, verberauit me. quod ipsum ex Græco est παίειν.

Δέρρεις Græci appellant pelles nauticas, quas nos vocamus *segestria*.

Derogare proprie est, cum quod ex lege vetere, quo minus fiat, sancitur lege noua. derogare ergo detrahere est.

Desiderare & considerare à sideribus dici certum est.

Desinare desinere.

Desspretus valde spretus.

Deteria porcæ, id est macilentæ.

Detractare est male tractare.

Detudes esse detunsos deminutos.

Deuersus dicebant deorsum versus.

Deuitare valde vitare.

Deus dictus est, quod ei nihil desit vel quia omnia commoda hominibus dat: siue à Græco δέος quod significat metum; eo quòd hominibus metus sit. sed magis constat id vocabulum ex Græco θεὸς esse dictum aspiratione dempta, qui mos antiquis nostris frequens erat.

Dextans dicitur, quia assi deest sextans, quemadmodum duodeuiginti & deunx.

Dextimum & sinistimum antiqui dixerunt.

Dextra auspicia, prospera.

Dextrarum tibiarum genus est, quæ dextra tenentur.

Diabathra genus solearum Græcanicarum.

Dianium locus Dianæ sacratus.

Dicassit, dixerit.

Dice pro dic antiqui posuere.

Dicæarchia vocabatur, quæ nunc Puteoli: quod ea ciuitas quondam iustissime regebatur.

Dici mos erat Romanis in omnibus sacrificijs, precibusque, POPVLO ROMANO, QVIRITIBVSQ. quod est Curensibus quæ ciuitas Sabinorum potentissima fuit.

Dictynna Diana, quam esse lunam putabant, dicta quod fulgore suo noctu omnia ostendit.

Dierectum dicebant per antiphrasin, volentes significare malum diem.

Dies dictus, quod diuini sit operis, siue ab Ioue eius, vt putabant, rectore, qui Græce Δία appellatur: siue quod aër diurnus dehiscat in candorem.

Diffarreatio genus erat sacrificij, quod inter virum & mulierem fiebat dissolutio. dicta diffarreatio, quia fiebat farreo libo adhibito.

Dignorant signa imponunt, vt fieri solet in pecoribus.

Dilaniare est discindere, & quasi lanam trahere, vnde *lacinia* & *lanius* dicitur, qui pecus discindit.

Dilectus militum, & is, qui significatur amatus, à legendo dicti sunt.

Diobolares meretrices dicuntur, quæ duobus obolis ducuntur.

Diomedea insula in qua Diomedes sepultus est excedens Italia.

Diomedis campi in Appulia appellantur, qui ei in diuisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt.

Diox genus piscis frequens in ponto.

Dirigere apud Plautum inuenitur pro discedere.

Dirunciunt, depurgant.

Dirus, dei ira natus.

Diruitum ære militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiæ causa non erat datum, quod æs diruebant in fiscum, non in militis sacculum.

Disertim pro diserte dixerunt antiqui.

Disertiones, diuisiones patrimoniorum intre consortes.

Disertus à disserendo dictus.

Dispensatores dicti, qui æs pensantes expendebant, non adnumerabant. hinc deducuntur expensa, siue dispensata, vel compensata: item compendium, dispendium, assipondium, dupondium.

Dispescere est proprie pecus à pastione deducere, vt compescere vna pascere, & in vno loco continere.

Dissulcus porcus dicitur, cum in ceruice setas diuidit.

Distisum, & pertisum dicebat, quod nunc distesum, & pertesum.

Diuidiam, discordiam.

Diuiduula antiqui dicebant, quæ nunc sunt ca..lla.

castella, ex quibus à riuo communi aquam quisque in suum fundum ducit.

Dium antiqui ex Græco appellabant, vt à deo ortum, diurnum sub cælo lumen ἀπὸ τοῦ Διός. Vnde adhuc *sub dio* fieri dicimus, quod non fit sub tecto: & *interdiu*, cui contrarium est noctu. *Dium*, quod sub cælo est extra tectum, ab Ioue dicebatur, & *Dialis flamen*, & *Dius* heroum aliquis ab Ioue genus ducens. *Dium fulgur* appellabant diurnum, quod putabant Iouis, vt nocturnum Summani.

Doli vocabulo nunc tantum in malis vtimur: apud antiquos autem etiam in bonis rebus vtebantur. vnde adhuc dicimus *Sine dolo malo*: nimirum, quia solebat dici & bonus.

Doliola, locus in vrbe sic vocatus, quia inuadentibus Gallis Senonibus vrbem, sacra in eodem loco doliolis reposita fuerunt. qua de causa eodem loco ne despuere quidem alicui licebat.

Domus à Græco venit δόμος.

Donatica coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ postea magnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt cum lares ornantur.

Donum ex Græco quod illi vocant δῶρον.

Dorsum dictum, quòd pars ea corporis deuexa sit deorsum.

Dotem manifestum est ex Græco esse. nam δίδωσι dicitur apud eos dare.

Dracones dicti ἀπὸ τοῦ δέρκειν, quod est videre. clarissimam enim dicuntur habere oculorum aciem. qua ex causa incubantes eos thesauris custodiæ causa finxerunt antiqui. Ideoque Æsculapio adtribuuntur: quod vigilantissimi generis putantur. quæ res medicinæ maxime necessaria est.

Dubenus apud antiquos dicebatur, qui nunc dominus.

Dubiat, Dubitat.

Duco, cum pro puto ponimus, ex Græco deducitur, quod illi dicunt δοκῶ.

Duellum, bellum videlicet quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur. Inde & *perduellis*, qui pertinaciter retinet bellum.

Duicensus dicebatur cum altero, id est cum filio, census.

Duidens hostia bibens.

Duis duas habet significationes. nam & pro dis ponebantur, & pro dederis.

Dumecta antiqui, quasi dumiceta appellabant, quæ nos dumeta.

Dumosa. frondosa.

Duodeuiginti dicendi cõsuetudiné à Græcis traxisse videmus, qui sic enunciant δυοδεείκοσι.

Duonum bonum.

Duplabis, duplicabis.

Duplionem antiqui dicebant, quod nos duplum venit autem à Græco διπλοῦν.

Dusmoso in loco apud Liuium significat dumosum locum. antiqui enim inscribebant S litteram, & dicebant cosmittere pro committere, & casmenæ pro camenæ.

E

Eamus ex Græco ἴωμεν.

Eapse, eaipsa.

Eccere iusiurandum est, ac si dicatur per Cererem, vt aceastor, ædepol. alij eccere pro ecce positum accipiunt.

Edeatræ, qui præsunt regijs epulis, dicti ἀπὸ τῶν ἐδεσμάτων.

Edecimata, electa.

Ederam flamini Diali neque tangere, neque nominare fas erat: pro eo quod edera vincit ad quodcunque se applicat. Sed ne anulum quidem gerere ei licebat solidum, aut aliquem in se habere nodum.

Effafilatum exertum, quod scilicet omnes exerto brachio sint exfilati, id est extra vestimentum filo contextum.

Effari, & effata à fando, quod ipsum ex Græco φάναι.

Effata, elocuta.

Egens velut exgens, cui ne gens quidem sit reliqua.

Egeriæ nymphæ sacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile conceptam aluum egerere.

Egretus & adgretus ex Græco sunt ducta, à surgendo, & proficiscendo. Vnde & Nyctegresia, quasi noctisurgium.

Eiuratio significat id, quod desideretur, non posse præstari. Plautus: eiurauit militiam.

Elacatena genus salsamenti, quod appellatur vulgo malandrea.

Elaudare plus quam nominare.

Elecebræ argentariæ meretrices, ab eliciendo argento dictæ.

Electabo, eliciam.

Elices sulci aquarij, per quos aqua collecta educitur e liris.

Elinguem sine lingua.

Elixa à liquore dicta.

Elucum significat languidum, & semisomnum: vel, vt alij volunt, allucinatorem, & nugarum amatorem siue halonem, id est hesterno vino languentem, quem ἕωλον vocitant Græci.

Elumbem, euulso lumbo.

Em pro eum ab eo, quod est is.

Emancipati duobus modis intelliguntur, aut ij qui ex patris iure exierunt, aut ij, qui aliorum fiunt dominij. quorum vtrunque fit mancipatione.

Emem eundem.

Emere quod nunc est mercari, antiqui accipiebant pro sumere.

Empanda, paganorum dea.

Emptiuum militem mercenarium.

Emussitata, ad amussim facta.

Endoitium, initium.

Endoplorato implorato, quod est cum questione inclamare. *Implorare* nanque est cũ fletu rogare, quod est proprie vapulantis.

Endoprocinctu, in procinctu. significat autem cum ex castris in prælium exitum est. *procinctos* quasi præcinctos, atque expeditos. nam apud antiquos togis incinctu pugnasse dicuntur.

Ennam etiam ne.

Enubro, inhibenti.

Enunquam, ecquando.

Epeus nomen cuiusdam fabri, qui equum Dureum fecit.

Epicrocum genus amiculi croco tinctum, tenue & perlucidum.

Epilimma genus vilissimi vnguenti.

Epistylium trabs, quæ super columnas ponitur.

Epolones dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. Datum autem est his nomen, quod epulas indicendi Ioui, ceterisque dijs potestatem haberent.

Epulam antiqui etiam singulariter posuere.

Equlares appellabantur, qui in quibusdam ludis nocte epulabantur.

Equestre æs, quod equiti dabatur.

Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur.

Equirine, iusiurandum per Quirinum.

Equo vehi flamini diali non licebat, ne si longius digrederetur, sacra neglegerentur.

Equitare antiqui dicebant equum publicum merere.

Equus Marti immolabatur, quod per eius effigiem Troiani capti sint: vel quod eo genere animalis Mars delectari putaretur.

Erctum citúmque fit inter consortes, vt in libris legum Romanorum legitur. *Erctum* à coërcendo dictum, vnde & ercisćundæ & ercisci. *Citum* autem est vocatum à ciendo.

Erebum Vergilius interdum obscuritatē quandam esse describit apud inferos, cum ait. Imas Erebi descendit ad vmbras. Interdum flumen eiusdem loci, dicens. Et magnos Erebi transnauimus amnes. Varro vero Erebo natam noctem ait. Vnde est & illud: Erebo creata fuscis crinibus nox te inuoco.

Ergo correptum, significat idem, quod apud Græcos οὖν; producte, idem quod χάριν, hoc est gratia: cum scilicet gratia intelligitur pro causa. Sed illud superius etiam sine exemplis notum est: hoc inferius, sic formatur: cum dicimus de aliquo, statua donatus est honoris, virtutisque ergo, id est honoris, virtutisque causa.

Eritudo, seruitudo.

Erugere semel factum significat, quod *eructare* sæpius. illud enim perfectæ formæ est, hoc frequentatiuæ.

Eruum & eruilia à Græco sunt dicta, quia illi eruum ὄροβος, eruilia ὀρόβιον appellant.

Escaria mensæ quadratæ vocantur, in quibus homines epulantur. *Anclabris* ea quæ in sacrificando dijs *anclatur*, quod est hauritur, ministraturque.

Escit erit.

Euboicum talentum nummo Græco septem millium, & quingentorum cistophorum est, nostro quattuor milium denariorum.

Eudiacon lineum filum, quod medici extremo in clysterio relinquunt, per quod climos emittitur.

Euelatum, euentilatum. Vnde *velabra*, quibus frumenta ventilantur.

Euerriator vocatur, qui accepta iure hereditate iusta facere defuncto debet. quæ si non fecerit, seu quid in ea re turbauerit, suo capite luat. id nomen ductum à verrendo. Nam *exuerræ* sunt purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per euerriatorem certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum.

Eum antiqui dicebant pro eorum.

Europam tertiam orbis partem ab Europa Agenoris filia certum est appellari. Sed alij de amore Iouis in taurum versi narrant. Alij eam à prædonibus raptam. & nauem, quæ Iouis tutelam effigiem tauri habuerit, in eam regionem esse delatam. Quidam ob pulchritudinem regionis per simulationem raptæ filiæ occupatam eam terram ab Agenore, & Phœnicibus ferunt.

Exagogen, euectionem.

Examen est & æquamentum & iudicij inuestigatio, & apum congregatio, vel locustarum.

Examussim, regulariter. *amussis* enim regula fabrorum est. vel, vt alij volunt ferramentum, quo in poliendo vtuntur.

Exanclare, exhaurire.

Exbuetes exinteratas; siue exbuæ, quæ ebiberunt, quasi epotæ.

Excedere, egredi.

Excidionem vrbis à cædendo dictam manifestum est.

Exbiet, excutiet.

Excipuum, quod excipitur, vt *præcipuum*, quod ante capitur.

Excudere, pro cudere, & incus ipsa à cudendo dicta sunt.

Exdorsua, dorsum confringe: alij exime.

Exduta, exuuiæ.

Exemplum eſt, quod ſequamur, aut vitemus: *exemplar*, ex quo ſimile faciamus. Illud animo ęſtimatur, iſtud oculis conſpicitur.

Exercirent, ſarcirent.

Exercitionem exerciti dicebant antiqui: exercitationem exercitati. Item exercitiorem, exercitiſſimum: ſicut ab exercitato, exercitatiorem, exercitatiſſimum.

Exercitus & militum copia dicitur: & homo multis negotijs exercitus. ſed ſuperius quarti ordinis, hoc ſecundi eſt.

Exeſto extra eſto: ſic enim lictor in quibuſdam ſacris clamitabat: *hoſtis, vinctus, mulier, virgo exeſto*, ſcilicet intereſſe prohibebatur.

Exfit purgamétum, vnde adhuc manet ſuffitio.

Exfuti, exfuſi: vt mertat pro merſat.

Exgregiæ, egregiæ: id eſt egregie lectæ.

Exhauſtant, efferunt.

Exiles & ilia à tenuitate viarum, quas Græci in chartis ita appellant, videntur eſſe dicta.

Exilica cauſa, quæ aduerſus exulem agitur.

Eximium inde dici cœptum, quod in ſacrificijs optimum pecus è grege eximebatur: vel quod primum erat natum.

Exin metri cauſa dicitur pro exinde.

Exinfulabat exerebat. infulas enim ſacerdotum, filamenta vocabant.

Exiſtimare dictum eſt ab æſtimatione.

Exitium antiqui ponebant pro exitu. nunc exitium peſſimum exitum dicimus.

Exodium exitum.

Exomides ſunt comici veſtitus exertis humeris.

Exoletus qui adoleſcere, id eſt creſcere deſiit.

Exoriri ſurgere.

Expapillato brachio exerto: quod cum fit, papilla nudatur.

Expatare, in locum patentem ſe dare, ſiue in ſpatium ſe conferre.

Expectorat, ex pectore eiicit.

Expergitus, ab alio excitatus: quem ſolemus dicere expergefactum.

Experitos, imperitos.

Experrectus, à corrigendo ſe vocatus; quod fere facimus recentes à ſomno. Experrectus eſt, qui per ſe vigilare cœpit.

Explenunt, explent.

Explorare antiquos pro exclamare vſos: ſed poſtea proſpicere, & certum cognoſcere cœpit ſignificare. itaque ſpeculator ab explorare hoc diſtat, quod *ſpeculator* hoſtilia ſilentio perſpicit, *explorator* pacata clamore cognoſcit.

Exporgere porro agere, exporrigere.

Expreta antiqui dicebant, quaſi expertia habita.

Exrogare eſt, ex lege vetere aliquid eximere per nouam legem.

Exta dicta, quod ea dijs proſecentur, quæ maxime extant, eminéntque.

Externus eſt alienæ terræ.

Exterraneus ex alia terra. Exterraneus quoque dicitur, & qui ante tempus natus, vel potius eiectus eſt. dictus autem exterraneus quod eum mater exterita aluo eiecit.

Extimum extremum ſignificat, vt ita intimo ſit contrarium.

Extrarium ab extraneo ſic diſtinguitur. *extrárius* eſt, qui extra focum, ſacramentum, iuſque ſit. *extraneus* ex altera terra, quaſi exterraneus.

Exugentes, exprimentes.

Exuuiæ ab exuendo dictæ.

F

Fabam nec tangere nec nominare Diali flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam & lemuralibus iacitur laruis, & parentalibus adhibetur ſacrificijs. & in flore eius luctus litteræ apparere videntur.

Fabiani, & Quintiliani appellabantur luperci à Fabio & Quintilio præpoſitis ſuis.

Facem in nuptijs in honorem Cereris præferebant, aquáque ſpargebatur noua nupta: ſiue vt caſta, puraque ad virum veniret: ſiue vt ignem atque aquam cum viro communicaret.

Faces antiqui dicebant, vt fides.

Faceſſere ſignificat interdum facere, vt eſt, Iuſſa faceſſunt. interdum verò pro abire ponitur. Pacuuius: Faceſſite omnes hinc, id eſt abite.

Factio & factioſus, initio honeſta vocabula erant. vnde adhuc factiones hiſtrionum, & quadrigariorum dicuntur. Modo autem nomine factionis ſeditio, & arma vocantur.

Facul antiqui dicebant. & faculter pro facile. vnde facultas & difficultas videntur dicta. ſed poſtea facilitas morum, facta eſt, facultas rerum.

Fagutal ſacellum Iouis, in quo fuit fagus arbor quæ Ioui ſacra habebatur.

Falæ dictæ ab altitudine à falando, quod apud Etruſcos ſignificat cælum.

Falarica, genus teli miſſile, quo vtuntur ex falis, id eſt ex locis extructis dimicantes.

Falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro ſunt curuati, à ſimilitudine falcis.

Faleri oppidum à ſale dictum.

Falſius & *falſior* cum rationabiliter dici poſſint, non tamen ſunt in conſuetudine.

Fama à fando dicta. ſic apud Græcos φήμη ἀπὸ τ φάσεως.

Famelicoſam terrã, terram paluſtrem vocabãt.

Famella deminutiuum à fama.

Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur pater, & mater familiæ. Vnde familiæ nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum. & *familiares* ex eadem

familia. postea hoc nomine etiam *famuli* appellari cœperunt permutata I cum V littera.

Familiaris Romanus, priuatus Romanus.

Famino, dicito.

Famuletium dicebatur, quod nunc seruitium.

Famuli Origo ab Oscis dependet, apud quos seruus famel nominabatur. vnde & familia vocata.

Fama, quod fando consecrantur.

Fanatica dicitur arbor fulmine icta.

Fanum à fano dictum; siue à fando; quod dum pontifex dedicat, certa verba fatur.

Farfenum virgulti genus.

Farrago appellatur id, quod ex pluribus satis pabuli causa datur iumentis.

Farreum, genus libi ex farre factum.

Fartores, nomenclatores qui clam velut infarcirent nomina salutatorum in aurem candidati.

Fascinum, & fas, à fando nominantur.

Fastigium ædificij summum.

Fastis diebus iucunda fari licebat; nefastis quædam non fari licebat.

Fastorum libri appellantur, in quibus totius anni fit descriptio. Fasti enim dies fasti sunt.

Fatantur, multa fantur.

Fauentia bonam ominationem significat. Nam præcones clamantes, populum sacrificijs *fauere* iubebant. *Fauere* enim est bona fari. at veteres poetæ pro silere vsi sunt fauere.

Faui, à fauendo.

Fauissæ locum sic appellabant, in quo erat à qua inclusa circa templa. Sunt autem, qui putant fauissas esse in Capitolio cællis cisternisque similes: vbi reponi erant solita ea, quæ in templo vetustate erant facta inutilia.

Faustulum porcellum, feturam porcorum.

Februarius mensis dictus, quod tum, id est extremo mense anni, populus *februaretur*, id est lustraretur, ac purgaretur: vel à *Ianone Februata*, quam alij *febralem*, Romani *februlim* vocant: quod ipsi eo mense sacra fiebant, eiusque feriæ erant lupercalia, quo die mulieres februabantur à lupercis amiculo Iunonis, id est pelle caprina: quam ob causam is quoque *dies februatus* appellabatur. Quæcunque denique purgamenti causa in quibusque sacrificijs adhibentur, *februa* appellantur. Id vero, quod purgatur, dicitur *februatum*.

Fedum antiqui dicebant pro hedo, folus pro holere, fostim pro hoste, fostiam pro hostia.

Felices, arbores Cato dixit, quæ fructum ferunt, infelices quæ non ferunt.

Femur, femoris, & femen feminis, fenero, & feneror dici potest.

Fenus appellatur naturalis terræ fetus; ob quam causam & nummorum fetus fenus est vocatum, & de ea re leges fenebres. Fenus, & feneratores, & lex de credita pecunia *Fenebris*, à fetu dicta, quod crediti nummi alios pariant, vt apud Græcos eadem res τόκος dicitur. *fenum* quoque pratorum ab hac causa est appellatum, quando id ipsum manens quotannis nouum parit. Vnde etiam *festuca* vocata est.

Feralia, dijs manibus sacrata festa, à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus appellata.

Ferctum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi. quæ qui adferebant, *struferctarij* appellabantur.

Ferentarij, auxiliares, in bello, à ferendo auxilio dicti. vel quia fundis, & lapidibus pugnabant: quæ tela feruntur, non tenentur ita appellati. Ferentarij leuis armaturæ pugnatores.

Feretrius Iuppiter dictus à ferêdo, quod pacem ferre putaretur, ex cuius templo sumebant sceptrum, per quod iuraret, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent.

Feria à feriendis victimis appellata.

Feriæ statæ appellabantur, quod certo statutóque die obseruarentur.

Ferias antiqui festas vocabant. & aliæ erant sine die festo, vt nundinæ: aliæ cum festo, vt Saturnalia, quibus adiungebantur epulationes ex prouentu fetus pecorum frugumque.

Ferire dictum, quod ferientes feruntur.

Ferocit, apud Catonem, Ferociter agit. *Fiuere* idem pro figere.

Ferus ager incultus.

Fescenini versus, qui canebantur in nuptijs, ex vrbe Fescenina dicuntur allati: siue ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere.

Fesnæ vocabantur, qui depellere fascinum credebantur.

Festram antiqui dicebant, quam nos fenestram.

Fetiales à feriendo dicti. apud hos enim belli, pacisque faciendæ ius est.

Fiber genus bestiæ quadrupes. Plautus: Sic me subes cotidie, qua fiber salicem. quo nomine extremæ fluminis oræ appellantur. Vnde & *fibras* iocinorum, & *fimbrias* vestimentorum dicimus.

Ficolea palus ficulneus.

Fides genus citharæ dicta: quod tantum inter se chordæ eius, quantum inter homines fides, concordent. cuius deminutiuum *fidicula* est.

Fidusta à fide denominata, ea, quæ maxime fidei erant.

Filicata patera dicta, quod ad filicis herbæ speciem sit cælata.

Filecones mali & nullius vſus ,à filice dicti.

Firmum ἀπὸ τοῦ ἕρματος, dictum videtur.

Fiſcellus caſei mollis appetitor , vt *catillones* catillorum liguritores.

Fixulas, fibulas.

Flagratores dicebantur genus hominum , quod mercede flagris cædebantur.

Flamearij infectores flamei coloris : *violarij* violatii coloris dicuntur.

Flamen Dialis dictus, quod filo aſſidue veletur. indeque appellatur flamen , quaſi filamen. Dialis autem appellatur à Dio , à quo vita dari putabatur hominibus.

Flameo amicitur nubens ominis boni cauſa , quod eo aſſidue vtebatur *Flaminica* , id eſt Flaminis vxor , cui non licebat facere diuortium. Flameo veſtimento Flaminica vtebatur, id eſt Dialis vxor , & Iouis ſacerdos , cui telum fulminis eodem erat colore.

Flaminia dicebatur ſacerdotula , quæ *Flaminica* Diali præminiſtrabat , eaque *patrimes* & *matrimes* erat , id eſt patrem matremque adhuc viuos habebat.

Flaminia ædes domus flaminis Dialis.

Flaminius camillus puer dicebatur ingenuus patrimes , & matrimes , qui Flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat , antiqui enim miniſtros *camillos* dicebant. Alii dicunt omnes pueros ab antiquis camillos appellatos, ſicut habetur in antiquo carmine, cum pater filio de agricultura præciperet: Hiberno puluere , verno luto, grandia Farra Camille metes.

Flaminius circus, & via Flaminia à Flaminio conſule dicta ſunt, qui ab Annibale interfectus eſt ad lacum Traſimenum.

Flaminius lictor eſt , qui Flamini Diali ſacrorum cauſa præſto eſt.

Flator, tibicen.

Flemina dicuntur , cum ex labore viæ ſanguis defluit circa talos.

Florifertum dictum, quod eo die ſpicæ feruntur ad ſacrarium.

Flumentana porta Romæ appellata , quod Tiberis partem ea fluxiſſe affirmant.

Fluoniam Iunonem mulieres colebant , quod eam ſanguinis florem in conceptu retinere putant.

Fluſtra dicuntur, cum in mari fluctus non mouentur, quam Græci μαλακίαν vocant.

Focus, fomenta, focillationes, foculi, à fouendo, id eſt calefaciendo, dicta ſunt.

Fodare, fodere.

Fœdus appellatum ab eo , quod in paciſcendo (fœdere hoſtia necaretur. Vergilius : & cæſa iungebant fœdera porca. vel quia in fœdere interponatur fides.

Folium à Græco venit , quod illi dicunt φύλλον, ſed ideo per vnum L ; quia antiqui non geminabant conſonantes.

*Follicular*e appellatur pars remi , quæ folliculo eſt lecta, à quo vita follicularis.

Fomites ſunt aſſulæ ex arboribus, dum cæduntur excuſſæ, dictæ , quod in eo opere occupati , cibis , potuque confouentur. At Opilius aduſtas iam vires vocari exiſtimat fomites. alii vocari putant ſcintillas, quæ ex ferro candenti malcis excutiuntur. dictæ autem ita , quia igni ſunt confotæ. pari modo *aſſulæ* , quæ ſunt ſecuribus excuſſæ.

Fons à fundendo dicitur.

Fontinalia fontium ſacra. vnde & Romæ fontinalis porta.

Forago filum , quo textrices diurnum opus diſtingunt, à furando dictum.

Forbeam antiqui omne genus cibi appellabant, quam Græci φορβὴν vocant.

Forcipes dicuntur , quod his forma , id eſt calida capiuntur.

Fordicidijs boues fordæ , id eſt grauidæ , immolabantur, dictæ à fetu.

Forma ſignificat modo faciem cuiuſque rei; modo calidam , vt cum exta , quæ dantur, *deforma* appellantur. Ex Cato ait de quodam ædificio æſtate frigido , hieme formido. Item forma appellatur puls miliacia ex melle.

Formia oppidum appellatur ex Græco , vel vt hormiæ , quod circa in crebræ ſtationes , tutæque erant , vnde proficiſcebantur nauigaturi.

Formucales forcipes dictæ, quod forma capiant, id eſt ſeruentia.

Fornacalia feriæ inſtitutæ ſunt faris torrendi gratia , quod ad fornacem , quæ in piſtrinis erat , ſacrificium fieri ſolebat. Fornacalia ſacra erant , cum far in fornaculis torrebant.

Fortis frugi & bonus, ſiue validus.

Forum ſex modis intelligitur. ¶Primo negotiationis locus, vt forum *Flaminium*, forum Iulium , ab eorum nominibus qui ea fora conſtituenda curarunt , quod etiam locis priuatis , & in viis , & in agris fieri ſolet. ¶Alio, in quo iudicia fieri , cum populo agi, conciones haberi ſolent. ¶Tertio, cum is , qui prouinciæ præeſt , forum agere dicitur , cum ciuitates vocat , & de controuerſiis eorum cognoſcit. ¶Quarto, cum id forum antiqui appellabant quod nunc veſtibulum ſepulchri dici ſolet. ¶Quinto locus in naui , ſed tum maſculini generis eſt, & plurale. ¶Sexto, fori ſignificant Circenſia ſpectacula , ex quibus etiam minores forulos dicimus. Inde & *forare* , & *foras dare*, & *fores*, & *foras*, & *forecula*, id eſt oſtiola dicuntur.

Fouij , qui nunc Fabii dicuntur , dicti , quod

princeps gentis eius ex ea natus sit, cum qua Hercules in fouea concubuit. Alii putant eum primum ostendisse quemadmodum vrsi & lupi foueis caperentur.

Fragebunt, displicebunt.

Frater à Græco dictus est φράτωρ, vel quod sit fere alter.

Fratilli villi sordidi in tapetis.

Fratrare puerorum mammæ dicuntur, cum primum tumescunt, quod velut fratres pares oriuntur. quod etiam in frumento spica facere dicitur.

Fratria, vxor fratris,

Frausus erit, fraudem comiserit.

Fraxare, virgiliam circumire.

Fregellæ locus in vrbe, in quo ciuitatis selii hospites habitauere.

Fremitum dictum velut ferimentum.

Frendere est frangere. vnde est *faba fressa*: vnde & dentibus dicimus frendere.

Frequentarium, frequentem.

Frigire & frictum à Græco venit φρύγειν.

Fringilla auis dicta, quod frigore cantet, & vigeat. vnde & *frigutire*.

Friuola sunt proprie vasa fictidia quassa. Vnde dicta *verba friuola*, quæ minus sunt fide subnixa.

Frontem antiqui masculino genere dixere.

Frugamenta à frugibus appellata.

Funiscor & frunitum dixit Cato, nosque, cum adhuc dicimus *infrunitum*, certum est antiquos dixisse frunitum.

Frutinal templum Veneris fruti.

Frux frugis dixerunt antiqui fructã & fructum.

Fucilis falsa, dicta autem quasi fucata.

Fulgere prisci pro ferire dicebant. Vnde *fulgur* dictum est.

Fulguritum id, quod est fulmine ictum. qui locus statim fieri putabatur religiosus, quod eum Deus sibi dicasse videretur.

Fulmen dictum à fluore flammæ.

Fundus dicitur ager, quod planus sit ad similitudinem fundi vasorum. ¶Fundus quoque dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est auctor.

Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur, quas Flamini audire putabant illicitum.

Furcilles, sunt furcilla, quibus homines suspendebant.

Furnalia sacra Furinæ, quam deam dicebant.

Furum genitiuus pluralis à fure.

Furuum nigrum, vel atrum. hinc dicta *furnus furia, funus, fuligo, fulgus, fumus. Furuum bouem* id est nigrum, immolabant Auerno.

Futare, augere est. vnde & *confutare*. Sed Cato hoc pro sæpius fuisse posuit.

Futiles dicuntur, qui silere tacenda nequeunt, sed ea effundunt. sic & *vasa futilia* à fundendo vocata.

G

GAia Cæcilia appellata est, vt Romam venit, quæ antea Tanaquil vocitata erat vxor Tarquinii Prisci regis Romanorum. quæ tantæ probitatis fuit, vt id nomen ominis boni causa frequentent nubentes, quam summam asseuerant lanificam fuisse.

Galbeum, ornamenti genus.

Gallam bibere, ac rugas conducere ventri, cum ait Lucilius; præmonet parsimonia esse vtendum, neque gulæ indulgendum, ventremque coartandum.

Galli qui vocantur Matris Magnæ comites dicti sunt à flumine, cui nomen est Gallo. quia qui ex eo biberint, in hoc furere incipiant, vt se priuent virilitatis parte. Alii putant ideo eos sibi genitalia incidere, quia violauerint nomen patris, matrisve, ne possint ipsi fieri parentes.

Ganeum antiqui locum abditum, ac velut subterra dixerunt. Terentius: Vbi illum quæram? credo abductum in ganeum.

Gannitio, canum querula murmuratio.

Galearia à galearum similitudine dicta.

Gaudium ἀπὸ τῦ γαυριᾶν dictum.

Gaulus genus nauigii pæne rotundum.

Gemursa sub minimo digito pedis tuberculum, quod gemere faciat eum qui id gerat.

Genas Ennius palpebras putat, cum dicit hoc versu: Pandite fulti genas, & corde relinquite somnum. Alii eas partes putant genas dici, quæ sunt sub oculis. Pacuuius genas putat esse, qua barba primum oritur, hoc versu: Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Geniales deos dixerunt aquam, terram, ignem, aërem. ea enim sunt semina rerum, quæ Græcorum alii στοιχεῖα, alii σπέρματα vocant. Duodecim quoque signa, lunam, & solem inter deos computabant. Geniales autem dicti à gerendo. quia plurimum posse putabantur, quos postea gerulos appellarunt.

Genialis lectus, qui nuptiis sternitur in honorem genii, vnde & appellatur.

Genium appellabant deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. Aufustius, genitus, inquit, est deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur. & propterea *genius* meus nominatur, quia me genuit. Alii genium esse putarunt vniuscuiusque loci deum.

Gens Ælia appellatur, quæ ex multis familiis conficitur.

Gentilis dicitur & ex eodem genere ortus, & is qui simili nomine appellatur. vt ait Cincius: *gentiles* mihi sunt, qui meo nomine appellantur.

Genuini

Genuini dentes, quod à genis dependent.

Genus dictum putatur à terræ Græco vocabulo, quam γῆν dicunt.

Germen est, quod ex arborum surculis nascitur, vnde & germani, quasi eadem stirpe geniti.

Gerra, crates vimineæ. Athenienses cum Syracusas obsiderent, & crebo gerras poscerent, irridentes Siculi, gerras clamitabant. Vnde factum est, vt gerræ pro nugis, & contemptu dicantur.

Gerusia curia ab ætatis vocabulo dicta.

Gestit, qui subita felicitate exhilaratus, nimio corporis motu præter consuetudinem exultat.

Gestus, quo indicatur, quid geratur, præter participium quod à gerendo deducitur.

Gesum graue iactum.

Gigeria ex multis obsoniis decerpta.

Gingeriator tibicen.

Gingrire anserum vocis proprium est. Vnde genus quoddam tibiarum exiguarum *gingrina*.

Gliscere crescere est, & *gliscera mensa* gliscentes, id est, crescentes per instructionem epularum scilicet.

Glittis subactis, leuibus, teneris.

Glocire & *glocidare* gallinarum proprium est, cum ouis incubituræ sunt.

Glomus in sacris crustulum cybii figura & oleo coctum appellatur.

Gloria à Græca voce dicta. hanc enim illi κλέος vocant.

Glos, viri soror, à Græco γάλως.

Glucidatum, suaue, & iucundum. Græci enim γλυκὺν dulcem dicunt.

Gluma hordei tunicula: dictum, quod glubatur, id granum. vnde & *pecus glubi* dicitur, cuius pellis detrahitur.

Gnaeus & corporis insigne, & prænomen, à generando dicta esse, & ea ipsa ex Græco γίγνεσθαι apparet.

Gnarigauit significat, apud Liuium, narrauit.

Gnaruisse, narrasse.

Gnarus cum significet id, quod scius, peritus, tamen inueniemus *prognare* significare aperte.

Gnephosum, obscurum: videlicet ex Græco, quod est κνέφας,

Gnitus, & *gnixus* à generibus prisci dixerunt.

Gnotu, cognitu.

Gracchuris vrbs Iberæ regionis, dicta à Graccho Sempronio, quæ antea Illurcis nominabatur.

Gracchuli à sono oris vocati. siue à gerendo dicti quod iactæ segetum semina plurimum gerant. vel quod ex oliuetis cubitum se recipientes duas pedibus baccas, tertiam ore ferant.

Gradiuus Mars appellatus est à gradiendo in bella vltro citroque: siue à vibratione hastæ, quod Græci dicunt κραδαίνειν: vel vt alii dicunt, quia gramine sit ortus. quod interpretantur, quia corona graminea in re militari maximæ est honorationis.

Græca sacra, festa Cereris ex Græcia translata, quæ ob inuentionem Proserpinæ matronæ colebant. quæ sacra dum non essent matronæ, quæ facerent propter cladem Cannensem, & frequentium lugentium, institutum est, ne amplius centum diebus lugeretur.

Grallatores appellabantur pantomini, qui vt in saltatione imitarentur ægipanas, adiectis perticis furculas habentibus atque in his superstantes ad similitudinem crurum eius generis gradiebantur, vtique propter difficultatem consistendis. Plautus: Vinceretis cursu ceruas, & grallatorem gradu.

Gramiæ oculorum sunt vitia, quas alii *glamas* vocant.

Grando guttæ aquæ concretæ solito grandiores.

Grassari antiqui ponebant pro adulari. *grassarij* autem dicuntur latrones vias obsidentes. *gradi* siquidem ambulare est. vnde tractum grassari, videlicet ab impetu gradiendi.

Grauastellus, senior. Plautus: qui est grauastellus, qui aduenit? vt puto grauastellus à grauitate dictus.

Graue æs dictum à pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum. Sed bello Punico populus Romanus pressus ære alieno, ex singulis assibus librariis senos fecit, qui tantumdem valerent. Item *nummi quadrigati*, & *bigati* à figura cælaturæ dicti.

Grauida est, quæ iam grauatur conceptu: *prægnans* velut occupata in generando, quod conceperit *incipiens* propinqua partui, quod incitatus sit fetus eius.

Greges ex Græco dici, quos illi ἀγέλας solent appellare.

Gricenea funis crassus.

Groma appellatur genus machinulæ cuiusdam, quo regiones agri cuiusque cognosci possunt, quod genus Græci dicunt γνώμονα.

Gruere dicuntur grues, vt sues *grunnire*. vnde tractum est *congruere*, hoc est conuenire, quia id genus volucrum minime soliuagum est.

Grumus, terræ collectio minor tumulo.

Gulliocæ nucum iuglandium summa, & viridia putamina.

Gurgustium genus habitationis angustum à gurgulione dictum.

Gutturnium vas, ex quo aqua in manus da-

tur: ab eo quod propter oris augustiam guttatim fluat.

H

HAbitior, pinguior.

Habitudo, habitus corporum.

Halapanta significat omnia mentientem. ab eo quod *halet* omnia. ἄλω enim Græci τὸν πάντα, id est fallentem appellant.

Hallus, pollex pedis scandens, super proximũ, dictus à saliendo nam ἅλλομαι Græce, Latine significat salio.

Hamo cognominatus, quia in arena putatur inuẽtus. quæ Græce hoc nomine ἄμμος appellatur. cui cornua adfiguntur arietis, à genere pecoris inter quod inuentus est.

Hamotrahones alii piscatores, alii qui vnco cadauera trahunt.

Hanula parua delubra quasi fanula.

Harviga dicebatur hostia, cuius adhærentia inspiciebantur exta.

Hastæ subiiciebantur, ea quæ publice venundabant: quia signum præcipuum est hasta. Nam & Carthaginenses cum bellum vellent, Romam hastam miserunt: & Romani fortes viros sæpe hasta donarunt.

Hebes, retusi acuminis.

Hecate, Diana eadem putabatur & luna, & Proserpina.

Hedera dicta, quod hæreat: siue quod edita petat, vel quia, id cui adhæserit, edat. quæ in tutela Liberi putabatur esse, quia vt ille, iuuenis semper, ita hæc viret, vel quia ita omnia sicut ille mentes dominum illigat.

Heliconides musæ à monte Helicone vocatæ.

Heluacea genus ornamenti Lydii, dictum à colore boum, qui est inter rufum & album, appellaturque *heluus*.

Heluus ab hiatu & oscitatione dictus.

Heluela, holera minuta.

Heluo dictus est immoderate bona sua consumens, ab eluendo. Cui aspiratur, vt auiditas magis exprobretur. fit enim vox incitatior.

Helus & *helusa* antiqui dicebant, quod nunc holus, & holera.

Hemina ex Græco ἥμισυ, quod est dimidia pars sextarii.

Hemona humana, & *hemonem hominem* dicebant.

Herbam do, cum ait Plautus, significat victum me fateor: quod est antiquæ, & pastoralis vitæ indicium. nam qui in prato cursu, aut viribus contendebant, cùm superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam aduersario tradebant.

Herbilis anser, herba pastus, qui gracilior est, quam frumento altus.

Herceus Iuppiter intra conseptum domus cuiusque colebatur, quem etiam deum penetralem appellabant.

Hercules astrologus dictus, quod eo die se flammis iniecit, quo futura erat obscuratio solis.

Here, id est aduerbium temporis heri, dictum à Græco, ἐχθές.

Heredium prædium paruulum.

Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant. quæ à nomine appellabatur *heredum*, & esse vna ex Martis comitibus putabatur.

Heres apud antiquos pro domino ponebatur.

Herma à Græcis ponitur pro firmamento. Vnde etiam Mercurii nomen inuentoris, vt putabant, firmæ orationis dictum. Interdum etiam saburram significat.

Hernici dicti à saxis, quæ Marsi *herna* dicunt.

Hetta res minimi pretii, quasi *hieta*, id est hiatus hominis, atque oscitatio. Alii pusulam dixerunt esse, quæ in coquendo pane solet adsurgere. à qua accipimus rem nullius pretii cum dicimus, *non hette te facio*.

Heus aduerbium vocandi à Græco αἶ venit.

Hilarodos, lasciui & delicati carminis cantor.

Hilum putant esse, quod grano fabæ adhæret. ex quo *nihil*, & *nihilum*.

Hippacare est celeriter animam ducere. ab equi halitu, qui est supra modum acutus.

Hippagines naues, quibus equi vehuntur, quas Græci ἱππαγωγοὺς dicunt.

Hippius, id est equester, Neptunus dictus est, vel quod Pegasus ex eo, & Pegaside natus sit: vel quod equuleus, vt putant, loco eius suppositus Saturno fuerit, quem pro Neptuno deuoraret: vel quod tridentis ictu terra equum excierit. cui ob hoc in Illyrico quaternos equos iaciebant nono quoque anno in mare.

Hippocoum vinum insula Coo, dictum ab agro generoso, cui nomen est Hippo.

Hira, quæ diminutiue dicitur *hilla*, quam Græci dicunt νῆστιν, intestinum est, quod ieiunum vocant.

Hircipili duorum pilorum homines.

Hirquitalli pueri primum ad virilitatem accedentes. à libidine scilicet hircorum dicti.

Hirrire, garrire, quod genus vocis est canis rabiosæ.

Histriones dicti, quod primum ex Histria venerint.

Hodidocos latro, atque obsessor viarum.

Homelium pilei genus.

Honorarios ludos, quos & liberalia dicebant.

Horctum & *forctum*, pro bono dicebant.

Horda pregnans. vnde dies, quo grauidæ hostiæ

hostiæ immolabantur, *hordicidia.*

Hordiarium æs, quod pro hordeo equiti Romano dabatur.

Horreum antiqui dicebant *farreum*, à farre.

Hortus apud antiquos omnis villa dicebatur, quod ibi, qui arma capere possent, orirentur.

Hostia dicta est ab eo, quod est *hostire*, ferire.

Hosticapax, hostium captor.

Hostiliis laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.

Hostimentum, beneficij pensatio.

Hostis apud antiquos peregrinus dicebatur, & qui nunc hostis perduellis.

Humanum sacrificium dicebant, quod mortui causa fiebat.

Hyperborei supra aquilonis flatum habitantes dicti, quod humanæ vitæ modum excedant viuendo vltra centesimum annum, id est ὑπερβαίνοντες ὅρον sæculi humani.

Hyperionem alij patrem solis, alij ipsum, quod erat super terras, ita appellatum putabant.

I

IAmbi vocabantur, qui singuli ex proscenio loquebantur: *triambi*, qui terni.

Ianeus, ianitor.

Ianiculum dictum, quod per eum populus Romanus primitus transierit in agrũ Etruscum.

Ianual, libi genus, quod Iano tantum modo libatur.

Ibi dicitur, cum locus semel demonstratur, ibidem cum sæpius.

Icadion, nomen sæuissimi piratæ.

Icit, percussit.

Idulis ouis dicebatur, quæ omnibus idibus Ioui mactabatur.

Ietunanum victimarium.

Igitur nunc quidem pro completionis significatione valet, quæ est ergo: sed apud antiquos ponebatur pro inde, & postea, & tum.

Ignem ex domo Flaminia efferri non licebat, nisi diuinæ rei gratia.

Ignia [illegible] vasorum fictilium.

Ignis Vestæ siquando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur à Pontifice. quibus mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quousq; exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret.

Ignitabulum, ignis receptaculum.

Ilia dicta ab ima, quæ pars chartæ est tenuissima.

Ilicet, sine dubio.

Im ponebant pro eum, à nominatiuo is.

Imago ab imitatione dicta.

Imbarbescere, barbarum fieri.

Imbelliam, belli inscientiam.

Imbrex, nomen cuiusdam comici.

Imbrica tempestate pluuiam videtur significare.

Imbutum est, quod cuiuspiam rei succum bibit: vnde infantibus, an velint bibere, dicentes *bu* contenti sumus.

Immanis, ferus, siue magnus.

Immolare est mola, id est farre molito, & sale hostiam perspersam sacrare.

Immunis, vacans munere. aliquotiens pro improbo ponitur, vt apud Plautum: Immune est facinus.

Immasculus auis genus, quam alij regulum, alij ossifragam dicunt.

Immusitalus ales ex genere aquilarum est, sed minorum virium, quam aquilæ. quæ volucris raro, & non fere, præterquam vere apparet, quia æstum, algoremque metuit, appellatur autem ita, quod subito & inexpectata se immittat.

Impages dicuntur, quæ à fabris in tabulis figuntur, quo firmius cohæreant. à *pangendo*, id est figere. vnde poetæ *pangere versus* dicuntur, & agricolæ *pangere plantas*, id est infigere.

Imparem numerum antiqui prosperiorem hominibus esse crediderunt.

Impares tibiæ numero foraminum discretæ.

Imparentem, non parentem, hoc est obedientem.

Impelimenta, impedimenta dicebant.

Impenetrale, cuius vltimum penetrale intrare non licet.

Impensam, stipem, æs sacrum, quod nondum erat pensum.

Impercito, parcito, futurum ab imperatiuo.

Impescere, in lætam segetem pascendi gratia inmittere.

Impetix, impetigo.

Impetritum, impetratum.

Impetum, industrium, indulgentem perinde composita ait Verrius, atque *impunis* & *immunis*, mihi non satis persuadet.

Impiatus, sceleratus.

Impite, impetum facite.

Implexum, implicatum, quod Græci ἐμπεπλεγμένον dicunt.

Implorare, inclamare, ad auxilium inuocare.

Impluuium, quo aqua impluit collecta de tecto. *Compluuium*, quo de diuersis tectis aqua pluuialis confluit in eundem locum.

Impolitias Censores facere dicebantur, cum equiti æs abnegabant ob equum male curatum.

Impomenta, quasi imponimenta, quæ post cænam mensis imponebant.

Imporcitor, qui porcas in agro facit arando. *Porca* autem est inter duos sulcos terra eminens.

Importunum, in quo nullum est auxilium, velut esse solet portus nauigantibus.

Impos est, qui animi sui potens non est, qui

animum suum in potestate non habet.

Improlus, vel improlis, qui nondum est adscriptus in ciuitate.

Impudicatus, stupratus, impudicus factus.

Imputatum, nondum purgatum. *putum* enim est purum. vnde *putare* vites dicimus, hoc est detrahere, quæ impedimento sunt ad fructum.

In non semper abnuitionem significat, sed interdum etiam pro adnuendo ponitur, vt inuolando, inclamando, inuocando. *In* præpositio significat modo, quod non, vt Inimicus: modo auctionem, vt inclamauit: modo vbi, quo tendatur, vt Incurrit: modo vbi qui sit: vt inambulat.

Inarculum virgulta erat ex malo punico incuruata, quam regina sacrificans in capite gestabat.

Incalanto, inuocanto.

Incalationes, inuocationes.

Incalatiue, vocatiue.

Incauillatio, per despectum irrisio.

Incensit, incenderit: sicut *incepsit*, inceperit.

Inceps, deinceps.

Incessere, immittere, ac iactu, vel verbis petere.

Incestus à Græco trahitur. nam illi facinus dicunt ἀνήκιστον.

Inchoare videtur ex Græco originem trahere, quod Hesiodus omnium rerum initium esse dixerit chaos.

Incicorem, immansuetum, & ferum. Pacuuius: Reprime incicorem iracundiam. Interdum *cicur* pro sapiente ponitur, vt idem Pacuuius: *consilium cicur*.

Incilia fossæ, quæ in viis fiunt ad deducendam aquam, siue deriuationes de riuo communi factæ.

Incita, incitata.

Incitega machinula, in qua constituebatur in conuiuio vini amphora, de qua subinde deferrentur vina.

Inclamare, conuiciis, & maledictis insectari,

Inclutus, nobilis, clarus.

Incoctæ dicebantur mulieres plus æquo calamistris vlæ.

Incomitem, sine comite.

Incomitiare significat tale conuicium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est in conuentum venire. Plautus: Quæso, ne me incomites.

Inconciliasti, comparasti, commendasti, vel, vt antiqui, per dolum decepisti.

Inconditum, non ordinate compositum.

Inconspretum, non improbatum.

In conuentione, in concione.

Increpitare, arguere, conuiciari. Increpitare, clamare, maledicere.

Increpitato, ferito.

Increta, indiuisa.

Incuria, negligentia.

Indepisci, adsequi, adipisci.

Indeptare, consequi.

Inductiuum funus, ad quod per præconem euocabatur.

Indiges, indigetis facit. hoc nomine Æneas ab Ascanio appellatus est, cum pugnans cum Mezentio nusquam apparuisset: in cuius nomine etiam templum construxit.

Indigitamenta, incantamenta, vel indicia.

Indigitanto, imprecanto.

Indigetes dij, quorum nomina vulgari non licet.

Indoles, incrementum, industria.

Industrium, antiqui dicebant *indostruum*, quasi qui quicquid ageret, intro strueret, & studeret domi.

Inebræ aues, quæ in auguriis aliquid fieri prohibent. & prorsus omnia *inebra* appellantur, quæ tardant, vel morantur agentem.

Ineopte, eo ipso.

Inermat, armis spoliat.

Iners, ignauus, vel sine arte.

Infectores, qui alienum colorem in lanam coniiciunt. *offectores*, qui proprio colori nouum efficiunt.

Inferiæ sacrificia, quæ diis manibus inferebant.

Inferium vinum, id quod in sacrificando infra pateræ labrum ponebatur.

Infibulati sacrificabant flamines propter vsum æris antiquissimum æreis fibulis.

Infindere, intercipere, interponere.

Infit, incipit. sed diuersæ significationis est ab eo quod est fit, nam infit, agentis: fit autem patientis est.

Infiteri, non fateri.

Infitiari, creditum fraudare.

Infra classem significatur, qui minore summa, quam centum & viginti millium æris censi sunt.

Infrequens appellabatur miles, qui abest, abfuitve à signis.

Infulæ sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes, & hostiæ, templaque velabantur.

Ingens dicitur augendi consuetudine, vt inclamare, inuocare. quia enim *gens* populi est magnitudo, ingentem per compositionem dicimus, quod significat valde magnum.

Inglunies à gula dicta. hinc & *ingluuiosus*, & *gluto*, *gulo*, *gumia*, *guttur*, *guttus*, *gutturiosus*, & *curculio*.

Inhibere iungere, sed melius cohibere.

Inigere pecus, agere, id est minare.

Iniit ponitur interdum pro concubuit. Interdum pro inuenit, vt Iniit rationem. Interdum pro introit, vt Plautus: Init te vnquam febris.

In insula Æsculapio facta ædes fuit, quod ægroti

ægroti à medicis aqua maxime ſuſtententur. eiuſdem eſſe tutelæ draconem, quod vigilantiſſimum ſit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta eſt. canes adhibentur eius templo quod is vberibus canis ſit nutritus. bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum. huic gallinæ immolabantur.

Initium eſt principium: ſed alias quo quid incipiat, vt viæ Appiæ porta Capena: alias ex quo quid conſtet, vt aqua, terra, aer.

Iniuges boues, qui ſub iugo non fuerint.

Iniurium, periurium.

Inlaqueatum alij pro vincto vtuntur, alij pro ſoluto.

Inlex producta ſequenti ſyllaba ſignificat, qui legi non paret. *Inlex* correpta ſequenti ſyllaba ſignificat inductorem ab inliciendo. Plautus: Eſca eſt meretrix. lectus inlex.

Inlices canales, in quos aqua confluit in viis lapide ſtratis, ab eliciendo dicti.

Inlicitator emptor.

Inlicium dicitur, cum populus ad concionem elicitur, id eſt vocatur. vnde *collicia* tegulæ, per quas aqua in vas defluere poteſt.

Inlicium vocare antiqui dicebant ad concionem vocare.

Inlitterata pax eſt quæ litteris comprehenſa non eſt.

In mundo dicebant antiqui, cum aliquid in promptu eſſe volebant intelligi.

Inori minores.

In pelle lanata noua nupta conſidere ſolet, vel propter morem vetuſtum, quia antiquitus homines pellibus erant induti, vel quod teſtetur lanificij officium ſe præſtaturam viro.

In procinctu factum teſtamentum dicitur, quod miles pugnaturus nuncupat præſentibus commilitonibus.

Inquilinus, qui eundem colit focum, vel eiuſdem loci cultor.

Inſanum, pro valde magnum vſus eſt Plautus.

Inſcitia, ſtultitia.

Inſecta, non ſecta, ſed & aliquotiens ſignificat ſecta.

Inſeptum non ſeptum. ponitur tamen & pro non ædificatum.

Inſeque apud Ennium, dic, *Inſexit*, vixit.

Inceſſores latrones, qui circa vias inſidientur ſedentes.

Inſignes appellantur boues, qui in femine, & in pede album habent, quaſi inſigniti.

Inſignis tam ad laudem, quam ad vituperationem inflecti poteſt.

Inſimulare, crimen in aliquem confingere.

Inſipare iniicere. vnde fit *diſſipare*.

Inſipere farinulam iacere pultis. vnde *diſſipare*, *obſipare*. vt cum ruſtici dicunt, obſipa pullis eſcam.

Inſitum ab inſerendo tractum. ſed aliquotiens ſignificat impoſitum.

Inſons, extra culpam. à qua dici *morbus* quoque exiſtimatur *ſonticus*, quia perpetuo noceat.

Inſtaurari ab inſtar dictum eſt, cum aliquid ad priſtinam ſimilitudinem, & comparationem reficitur.

Inſtigare, incitare.

Inſuaſum, appellabant colorem ſimilem luteo qui fiebat ex fumoſo ſtillicidio.

Inſulæ dictæ proprie, quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico, aut priuato cinguntur, à ſimilitudine videlicet earum terrarum quæ fluminibus, ac mari eminent, ſuntque in ſalo poſitæ.

Intempeſtam noctẽ dicimus pro incertiore tempore, quia non tam facile noctis horæ, quam diei poſſunt intelligi. ¶ *Tempeſtatem* enim antiqui pro tempore poſuere.

Intercapedo, tempus interceptum, cum ſcilicet mora eſt ad capiendum.

Inter cutem flagitatos dicebant antiqui mares qui ſtuprum paſſi aliquando eſſent.

Intercutitus, vehementer *cutitus*, id eſt valde ſtupratus.

Interduatim, & *interatim* dicebant antiqui, quod nunc interdum, & interim.

Intergerini parietes dicuntur qui inter confines ſtruuntur, & quaſi intergeruntur.

Internecíuum teſtamentum eſt, propter quod dominus eius necatus eſt.

Internectio, vitę priuatio appellatur interfectio, à nece denominato vocabulo.

Interregnum appellatur ſpatium temporis, quouſque in loco mortui alius ordinetur.

Intrahere eſt contumeliam intorquere.

Inuolutus vermiculi genus, qui ſe inuoluit pampino.

Iouiſtæ compoſitum à Ioue, & iuſtæ.

Ipſipe, ipſi neque alij.

Ipſulłces bracteæ in virilem, muliebremque ſpeciem expreſſæ.

Iracundia dicta, quod iram incendat.

Irciet, genus farciminis in ſacrificiis.

Ircens, genus farciminis.

Irnella, vaſis genus in ſacris.

Irpices genus raſtrorum ferreorum, quod plures habent dentes ad extirpandas herbas in agris.

Irpini appellati nomine lupi, quem *irpum* dicunt Samnites. eum enim ducem ſecuti agros occupauere.

Irquitallus puer, qui primo virilitatem ſuam experitur.

Ita castor, ita mehercules, vt subaudiatur iuuet.

Italia dicta, quod magnos Italos, hoc est boues habeat. vituli etenim *Itali* sunt dicti. Italia ab Italo rege, eadem ab Attelido . . . appellata.

Itonida, Minerua à loco sic appellata.

Iubar stella, quam Græci appellant φωσφόρον, ἑωσφόρον, hoc est lucifer, quod splendor eius diffunditur in modum iubæ leonis.

Iubere ponebatur pro dicere, quod valet interdum pro decernere: vt, Populus iussit.

Iubilare est rustica voce inclamare.

Iugarius vicus dicitur Romæ, quia ibi fuerat ara Iunonis Iugę, quam putabant matrimonia iungere.

Iuge auspicium est, cum iunctum iumentum stercus fecit.

Iugere milui dicuntur, cum vocem emittunt.

Iuges, eiusdem iugi, pares. vnde & *coniuges*, & *seiuges*.

Iugula stella orion, quod amplior sit ceteris, quasi non iuglandis.

Iugum, sub quo victi transibant, hoc modo fiebat: fixis duobus hastis super eas ligabatur tertia. sub iis victos descinctos transire cogebant.

Iunium mensem dictum putant à Iunone. iidem ipsum dicebant *Iunonium* & *Iunonialem*. *Iulium* quod eo mense dicitur Iulius natus.

Iurare Flamini Diali fas non erat.

Iurgatio, iuris actio.

Iussa iura.

Iusti dies dicebantur triginta, cum exercitus esset imperatus, & vexillum in arce positum.

Iustum vadem, idoneum sponsorem.

Iuuenalia fingebantur Dianæ simulachra, quia ea ætas fortis est ad tolerandam viam. Diana enim viarum putabatur dea.

Iuuentutis sacra pro iuuenibus sunt instituta.

L

L*Abes* macula in vestimento dicitur, & deinde μεταφορικῶς transfertur in homines vituperatione dignos.

Laberare, diuidere, comminuere est. ex quo dictus est *lanius*, qui discindendo lacerat pecora. *Lacinia*, quod pars vestimenti est. *Lacerna*, quod minus capitio est. *Lacer*, quod auribus curtatis est. *Lacerum*, quodcumque est in corpore imminutum.

Lacit, decipiendo inducit. *Lax* etenim fraus est. *Lacit*, in fraudem inducit. inde est *allicere*, & *lacessere*. inde *lactat*, *illactat*, *delectat*, *oblectat*.

Lacobriga nomen compositum (à lacu & briga Hispaniæ oppido.

Lactaria columna in foro olitorio dicta, quod ibi infantes lacte alendos deferebant.

Lacuna, aquæ collectio, à lacu deriuatur, quam alij *lamam*, alij *lustrum* dicunt.

Lacus Lucrinus inuectigalibus publicis primus locatur eruendus, ominis boni gratia, vt in dilectu, censuve primi nominantur Valerius, Saluius, Statorius.

Lana vestimenti genus habitus duplicis. quidam appellatam existimant Tusce, quidam Græce, quam χλαῖναν dicunt.

Laua, sinistra, quam Græci σκαιὰν. vnde tractum cognomen *Scæuola* à læua *lauum*, sinistrum: & *lauorsum*, sinistrorsum.

Lamberat, scindit, ac laniat.

Lance & *licio* dicebatur apud antiquos: quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat: lancemque ante oculos tenebat propter matrum familiæ, aut virginum præsentiam.

Lancea à Græco dicta, quam illi λόγχην vocant.

Laneæ effigies compitalibus noctu dabantur in compita: quòd lares, quorum is erat dies festus, animæ putabantur esse hominum, redactæ in numerum deorum.

Lanerum vestimenti genus ex lana succida confectum.

Lanoculus, qui lana tegit oculi vitium.

Lapidem silicem tenebant iuraturi per Iouem hęc verba dicentes, *Si sciens fallo, tum me Diespiter salua vrbe, arceq; bonis eijciat, vti ego hunc lapidem.*

Lapidicina, vbi excinduntur lapides.

Lapit, dolore afficit.

Larentalia coniugis Faustuli nutricis Remi, & Romuli Laurentiæ festa.

Laruati, furiosi, & mente moti, quasi laruis exterriti.

Latex à lapsu, profluens aqua dicitur. vtimur tamen vocabulo & in vino.

Latine loqui à Latio dictum est, quæ locutio adeo est versa, vt vix vlla pars eius maneat in notitia.

Latitauerunt Cato posuit pro sæpe tulerunt.

Latrare Ennius pro poscere posuit.

Latrones eos antiqui dicebant, qui conducti militabant, ἀπὸ τῆς λατρείας. at nunc viarum obsessores dicuntur, quod à latere adoriuntur, vel quod latenter insidiantur.

Latumias ex Græco, & maxime à Syracusanis, qui latomias & appellant, & habent ad instar carceris, ex quibus locis excisi sunt lapides ad extruendam vrbem.

Laudare ponebatur apud antiquos pro nominare.

Lauerniones fures antiqui dicebant, quod sub tutela *deæ Lauernæ* essent, in cuius luco obscuro, abditoque soliti furta, prædamque inter se luere. hinc & *lauernalis porta* vocata est.

Laureati milites sequebantur currum triumphantis, vt quasi purgati à cæde humana intrarent vrbem. Itaque eandem laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat: vel quod medicamento siccissima fit: vel quod omni tempore viret, vt similiter resp. vireat.

Lautia epularum magnificentia, alii à lauatione dicta putant quia apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nunc sunt, non erant, & raro aliquis lauabat.

Lautitia farina appellabatur ex tritico aqua conspersо.

Lautula locus extra vrbem, quo loco quia aqua fluebat, lauandi vsum exercebant.

Lectosia insula dicta à consobrina Æneæ ibidem sepulta.

Lectus dictus, vel à collectis foliis ad cubitandum: vel quod fatigatos ad se alliciat: à Græco λέκτρον.

Legimus aut scriptum, aut oleam, glandemve, & alia quædam, & addita præpositione dicimus, colligimus, deligimus.

Legio Samnitum linteata appellata est, quod Samnites intrantes singuli ad aram, velis linteis circumdatam, non cessuros se Romano militi iurauerunt.

Lemnisci, id est, fasciolæ colorisæ dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquissimarum genus coronarum lanearum.

Lemonia tribus à pago Lemonio appellata est. qui est à porta Capena via Latina.

Lenones ab alliciendo adolescentulos appellati.

Leparenses, Liparitani ciues, id est, Liparenses.

Lepista, genus vasis aquarii.

Leria ornamenta tunicarum aurea.

Lesbium, genus vasis cælati à Lesbis inuentum.

Letum ab obliuione, quam Græci λήθω vocant, dictum.

Leuir est vxoris meæ frater.

Libella diminutiuum est à libra.

Liber repertor vini; ideo sic appellatur, quod vino nimio vsi omnia libere loquantur.

Liberales dicuntur non solum benigni, sed etiam ingenuæ formæ homines.

Liberalia Liberi festa, quæ apud Græcos dicuntur διονύσια. Næuius: libera lingua loquemur ludis Liberalibus.

Liberata ponebant pro *effata*, id est, locuta.

Libertatis téplũ in Auentino fuerat cõstructum.

Librile, scapus libræ.

Librilla appellantur instrumenta bellica, saxa scilicet ad brachii crassitudinem in modum flagellorum loris reuincta.

Libycus campus in agro Argeo appellatus, quod in eo primum fruges ex Libya allatæ sunt. quam ob causam etiam Ceres ab Argeis Libyssa vocata est.

Licitati in mercando, siue pugnãdo cõtẽdẽtes.

Lictores dicuntur, quod fasces virgarum ligatos ferunt. hi parentes magistratibus, delinquentibus plagas ingerunt.

Limaces cochleæ à limo appellatæ.

Limitatus ager est in centurias dimensus.

Limites in agris, nunc termini, nunc viæ transuersæ.

Limus, obliquus, id est, transuersus, vnde & limina.

Lingua non solum pars corporis dicitur, sed etiam differentia sermonum promontorii quoque genus non excellentis, sed molliter in planum deuexi.

Lingula per deminutionem linguæ dicta. alias à similitudine linguæ exertæ, vt in calceis: alias insertæ, id est infra dentes coërcitæ, vt in tibiis.

Lingulaca, genus piscis, vel mulier auguratrix.

Liquitur, labitur, fluit.

Litatum alii solitum, deditum deo, quasi luitatum: alii ex Græco à precibus, quas illi λιτὰς dicunt.

Liti cecidisse dicitur, qui eius rei, de qua agebat, causam amisit.

Lituus appellatus est, quod litis sit testis. est enim genus buccinæ incuruæ, quo qui cecinerit, dicitur liticen. Ennius. Inde loci lituus sonitus effundit acutos.

Lixabundus, iter libere, ac prolixe faciens.

Lixa, qui exercitum sequuntur quæstus gratia. dicti, quod extra ordinem sint militiæ eisque liceat, quod libuerit. alii eos à Licha appellatos dicunt. quod & ille Herculem sit secutus. quidam à liguriendo quæstum.

Locatum, positum.

Locupletes, locorum multorum domini.

Lœbesum & lœbertatem antiqui dicebant liberum & libertatem. ita Græci λοιβὴ, & λείβω.

Longitrorsus sic dicitur, sicut dextrorsus, sinistrorsus.

Lotos, arboris genus, ex cuius materia frequenter tibiæ fiebant, cuius baccis pasti quondam Lotophagi dicti.

Lucani appellati dicuntur, quod eorum regio sita est ad partem stellæ luciferæ, vel quod loca cretosa sunt, id est multæ lucis. vel à Lucilio duce. vel quod primitus in luco consederunt.

Lucar appellatur æs, quod ex Lucis captatur.

Lucaria festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam, & Tiberim sunt: pro eo, quod victi à Gallis fugientes e prælio ibi se occultauerunt.

Lucaris pecunia, quæ in luco erat data.

Lucem facere dicuntur Saturno significantes, id est capita detegere.

Lucerenses, & Lucertes, quæ pars tertia populi Romani est distributa à Tatio, & Romulo, appellati sunt à Lucero Ardeæ rege, qui

auxilio fuit Romulo aduersus Tatium bellanti.

Lucetium Iouem appellabant, quod eum lucis esse causam credebant.

Lucius, prænomen est eius, qui primum fuit, quia oriente luce natus est.

Lucomedi à duce suo Lucomo dicti, qui postea *Lucerenses* appellati sunt.

Lucomones quidam homines ob insaniam dicti, quod loca ad quæ venissent, infesta facerent.

Lucretilis mons in Sabinis.

Luctus, & lugere à Græco trahuntur λυπεῖν, vel λύσσειν.

Luculentus à luce appellatus.

Lucuntere genus operis pistorii.

Lues est diluens vsque ad nihil, tractum à Græco λύειν. hinc, dictum *lutum* terra humore soluta, & *lustratio*, qua quid soluitur, ac liberatur. hinc & λύτρα ἀπὸ τ' λύσεως id est, solutione auri: λύτρα enim libra est.

Luma genus herbæ, vel potius spinæ.

Lumbago vitium, & debilitas lumborum.

Lura os culei, vel etiam vtris. vnde *lurcones* capacis gulæ homines, & bonorum suorum consumptores.

Luridi, supra modum pallidi.

Luscitio, vitium oculorum, quod clarius vesperi quam meridie cernit.

Lustra significat lacunas lutosas, quæ sunt in siluis, aprorum cubilia. à qua similitudine ii, qui in locis abditis, & sordidis ventri, & desidiæ operam dant, dicuntur in lustris vitam agere. & cum eiusdem vocabuli prima syllaba producitur, significat nunc tempus quinquénale, nunc populi lustratíonem.

Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octauus, puerorum nonus. quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.

Luxa membra è suis locis mota, & soluta: à quo *luxuriosus* in re familiari solutus.

Luxantur à luxu dictum, id est luxuriantur.

Lycij Apollinis oraculum in Lycia maximæ claritatis fuit ob luporum interfectionem. λύκος enim lupus est.

Lycophos Græci dicunt, quod nos primum tempus lucis. dictum autem lycophos, quasi λευκὸν φῶς, id est lumen candidum.

Lymphæ dictæ sunt à nymphis. vulgo autem memoriæ proditum est, quicunque speciem quandam è fonte, id est effigiem nymphæ viderint, furendi non fecisse finem, quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini *lypmhatos* appellant.

Lyrnissiades, ab oppido Phrygiæ Lyrnesso dicti.

M

M*Acellum* dictum à Macello quodam, qui exercebat in vrbe latrocinia. quo damnato Censores Æmilius, & Fuluius statuerunt, vt in domo eius obsonia venderentur.

Macilenti macie tenuati. (PAVL.

Mactus magis auctus.

Madusa ebrius, à Græco μαδᾶν deductum, vel quia madidus sit vino.

Mæandrum, genus picturæ, dictum est à similitudine flexus amnis, qui appellatur Mæandrus.

Macia tribus à quodam castro sic appellatur.

Mæniana ædificia à Mænio sunt appellata: is enim primus vltra columnas extendit tigna, quo ampliarentur superiora.

Mæsius lingua Osca, mensis Maius. *Osci* enim à regione Campaniæ, quæ est Oscos, vocati sunt.

Magis à Græco μᾶλλον venit.

.... temperare di.. erare quida... FEST.

Magisterare regere, & temperare est. *Magisterare* moderari. vnde *magistri* non solum doctores artium: sed etiã pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur: quia omnes hi magis ceteris possunt. vnde & *magistratus*, qui per imperia potentiores sunt, quam priuati. Quæ vox duabus significationibus notatur. nam aut personã ipsam demonstrat, vt cum dicimus, magistratus iussit: aut honorem: vt cum dicimus Titio magistratus datus est. PAVL.

Magisteria dicuntur in omnib. rebus, quæ magis ceteris possunt, vt magisterium equitum. .. rebus, qui ma.... quitum. et... llinis dixe.. untur velit.. contra ora.. FEST.

Magmentum, magis augmentatum. PAVL.

Magnificissima, dicebant antiqui pro magnificentissima. re enim vera magnificens dici non potest. vnde magnificentissima videtur deduci.

Magnificius idem Cato pro magnificentius dixit, & non frustra: nam positiuus eius magnifice est.

Magni . . . .
....auit Cato in ea, quam. . .
....gna quis homo . . . .
....pulchrius purgat . . . .
....Ateius, dicimus, cum mag. . .
....at nepos eius in ea . . .
....men ait, cum Ædilis . .
....istria ludos magni . FEST.
Magnificior quoque . . . .

Magnum annum dicunt mathematici, quo septem sidera errantia expletis propriis cursibus sibimet concordant. PAVL.

Magnum socerũ appellat vir vxoris suæ auum.

Magnam socrum vir vxoris suæ auiam appellat.

Magnos ludos, Romanos ludos appellabant, quos in honorem Iouis, quem principem deorum putabant, faciebant.

Maiestas à magnitudine dicta.

Maiis Idibus mercatorũ dies festus erat. quod eo die Mercurij ædes esset dedicata.

Maius mensis in compluribus ciuitatibus Latinis ante vrbem conditam fuisse videtur. qua ex causa vtrum à maioribus, vt *Iunius* à iunioribus dictus sit: an à Maia, quòd Mercurio filio eius res diuinæ . . . fiant solemnes; an quod ipsi deæ in multis Latinis ciuitatibus sacrificia fiebant (ipso mense.) . . . . .

Maior patruus, aui & auiæ patruus.

Maior amita, aui & auiæ amita.

Maior auunculus, aui & auiæ auunculus.

Maior Gracia dicta est Italia, quod eam Siculi quondam obtinuerunt. vel quod in ea multæ, magnæque ciuitates fuerunt ex Græcia profectæ.

Maior magistratus consul dicitur.

Maior socer vxoris meæ proauus.

Maior socrus vxoris meæ prouia.

. . . iora auspicia quæ d. .
. . . maiora Consulum, Pr. . .
. . . liquorum minora cum ill . .
. . . res magistratus dicti . .

Maiorem Consulem L. Cæsar putat dici, vel eum, penes quem fasces sint: vel eum, qui prior factus sit: *Pratorem* autem *maiorem* Vrbanum, minores ceteros. FEST.

Maior Consul dicitur vel is, penes quem fasces sunt: vel is, qui prior factus est: Prætor autẽ maior vrbanus, minores ceteri. PAVL.

Maiores Flamines appellabantur patricij generis, minores plebei.

Maledictores dicebantur ab antiquis qui nunc maledici.

Maledic . . . . . .
. . nos appellamus : . .
. . Hispania re . . . FEST.

Maleuoli Mercurij signum erat proxime Ianum, qui item erat in Turdellis Me . .
. . . . . .
. . . appella . . . .
maleuoli autem, quod in nullius tabernam spectabat.

Maleuoli Mercurij signum, id est statuam, appellabant, ideo quod in nullius tabernam spectabat. PAVL.

Malleoli vocantur non solum parui mallei, sed etiam ij, qui ad incendium faciendum aptantur: videlicet ad similitudinem priorem dicti.

Malluuium dicitur, quo manus lauantur. *Malluuia*, quibus manus sunt lautæ: *pelluuia*, quibus pedes.

Malluuium latum in commentarium sacrorum significat, manus qui lauet. à quo malluuiæ dicuntur, quibus manus sunt lautæ, perinde vt quibus pedes pelluuiæ. FEST.

Maltha dicitur à Græcis pix cum cera mixta.

Mamercus prænomen est Oscum, eo quod hi Martem Mamertem appellant. PAVL.

Mamers Mamertis facit, id est lingua Osca Mars Martis. vnde & *Mamertini* in Sicilia dicti, qui Messanæ habitant.

Mamertini appel . . . . .
. . . c de causa cum de toto Samnio grauius incidisset pestilentia, Sthenius Mettius eius gentis princeps conuocata ciuium suorum concione, exposuit se vidisse in quiete præcipientem Appollinem, vt si vellent eo malo liberari, vel sacrum vouerent, id est quæcunq. vere proximo nata essent, immolaturos sibi. Quo facto leuatis post annum vicesimum, deinde eiusdem generis incessit pestilentia. rursum itaque cõsultus Apollo, respondit non esse persolutum ab iis votum, quod homines immolati non essent: quos si expulissent, certe fore, vt ea clade liberarentur. Itaque ii iussi patria decedere, cum in parte ea . . . consedissent. quæ Tauricana dicitur, forte parantibus bello . . . Messanensibus auxilio venerunt vltro, eosque . . liber
. . . prouincial . . .
quod ob . . citum eorum, vt gratiam referrent, & in suum corpus, communionemque agrorum inuitarunt eos, & nomen acceperunt vnum, vt dicerentur *Mamertini*, quod coniectis in sortem duodecim deorum nominibus *Mamers* forte exierat, qui lingua Oscorum Mars significatur. cuius historiæ auctor est Alfius libro primo belli Carthaginensis. FEST.

Mamilia turris intra Saburæ regionem, à Mamilio nomen accepit.

Mamiliorum familia (progenita fuit à) Mamilia Telegoni filia, quam Tusculi procreuerat, (quando id oppidum ipse condidisset.)

Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, vt ait Verrius, in clibano ante, quam percoquatur, decidit in carbones, cineremque. cuius meminit Lucilius: Pistricem valida si nummi suppeditabunt, Addas empleuron, mamphulas quæ sciat omnes.

Mamphur appellatur loro circumuolutum mediocris longitudinis lignum rotundum, quod circumagunt fabri in operibus tornandis.

Mamurij Veturij nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant, hac de causa Numa Pompilio regnante cælo cecidisse fertur ancile, id est scutum breue: quod ideo sic est appellatum, quia ex vtroque latere erat recisum: vt summum, infimumque eius latius medio pateret. vnaque edita vox, omnium potentissimam fore ciuitatem, quamdiu id in ea mansisset.

Itaque facta sunt eiusdem generis plura, quibus id misceretur, ne internosci cæleste posset. probatum opus est maxime Mamurii: qui præmii loco petiit, vt suum nomen inter carmina Salii canerent.

Manalem fontem dici pro eo, quod aqua ex eo semper manet.

Manalis fons appellatur ab auguribus puteus perennis. neque tamen spiciendius videtur, quia flumen: id spiciatur, quod sua sponte in amnem influat.

Manalem lapidem putabant esse ostium Orci, per quod animæ inferorum ad superos manarent, qui dicunt manes. ¶Manalem etiam lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam iuxta ædem Martis: quam, cum propter nimiam siccitatem in vrbem protraherent, insequebatur pluuia statim. eumque quod aquas manaret, manalem lapidem dixere.

Manare dicitur, cum humor ex integro, sed non solido nimis per minimas suas partes erumpit. quod ex Græco trahitur: quia illi non satis solidum μανὸν dicunt.

Manare solem antiqui dicebant, cum solis orientis radii splendorem iacere cœpissent, à quo & dictum putabant *mane*. alii dictum *mane* putant ab eo, quod *manum* bonum dicebant.

. . olitos esse antiquos, ...
. . cum solis orientis radii . . .
. . flent atque ideo primum . . .
. . uis magis addicitur . . . .
. . ne id est à mature. quod id . .
. . unde Matuta di . . . . . .

Mane à diis manibus dixerunt. nam *mana* bona dicitur. vnde & *Mater Matuta*, & *poma matura*.

Manceps dicitur, quod manu capiatur. Manceps dicitur, qui quid à populo emit, conducitve, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse. qui idem præs dicitur: quia tam debet præstare populo quod promisit: quam is, qui pro eo præs factus est.

Mancini fana appellantur, quod Mancinus habuit insignem domum, quæ publicata est eo interfecto.

Manducus effigies in pompa antiquorum inter ceteras ridiculas, formidolosasque ire solebat magnis malis, ac late dehiscens, & ingentem dentibus sonitum faciens, de qua Plautus ait in Rudente: Quid si aliquo ad ludos me pro manduco locem? Qua propter clare crepito dentibus.

Manes dii ab auguribus inuocantur: quod hi per omnia ætherea, terræque ma . .
. . . .
. . peri, atque inferi . . .
. . augures quod L.I. . . .
. . minis .

Manes dii ab auguribus vocabantur, quod eos per omnia manere credebant: eosque deos superos, atque inferos dicebant.

Manuos in carminibus saliaribus Ælius Stilo significare ait bonos. (& inferi *dij manes* pro bonis dicuntur à suppliciter eos venerantibus propter metum mortis: vt immanes quoque pro vade non bonis dicuntur.

Maniæ turpes, deformesque personæ. Manias (Ælius Stilo dici ait ficta quædam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii *maniolas* appellant.) Manias autem, quas nutrices minitantur pueris paruulis esse, laruas, id est manes, quos deos, deasque putabant, quosque ab inferis ad superos emanare credebant. (vt Mania est eorum auia materve.) Sunt enim vtriusque opinionis auctores.

Manius, agrum Nemorensem Dianæ consecrauit, à quo multi, & clari viri orti sunt, & per multos annos fuerunt. vnde prouerbium: Multi manii Ariciæ. Asinius Capito longe aliter sentit. ait enim turpes, & deformes significari: quia maniæ dicuntur deformes personæ; & Ariciæ genus panis fieri, quod manici . . . appellentur. *Manius* prænomen dictum est ab eo, quod mane quis initio natus sit: vt *Lucilius*, qui luce.

Manliæ gentis patriciæ decreto nemo ex ea Marcus appellatur: quod M. Manlius, qui Capitolium à Gallis defenderat, cum regnum affectasset, damnatus, necatusque est.

Mansucium edacem à mandendo scilicet.

Mansues pro mansuetus.
. . M. Cato in epistula . . .
. . mansues ad . . . .

Mansuetum ad manum venire suetum. alii aiunt mansus tum dictum, neque ex misericordia mæstum, neque ex crudelitate sæuum, sed modestia temperatum.

Mantare sæpe manere. Cæcilius in epistula: Iam ore adeo manta. Iam hoc vide cæcus . . . animum aduentus angit.

Manticularia dicuntur ea, quæ frequenter in vsu habentur & quasi manu tractantur. frequens enim antiquis ad manus tergendas vsus fuit mantiliorum: vnde hæc trahitur similitudo.

Manticularum vsus pauperibus in nummis recondendis, etiam nostro sæculo fuit. vnde *manticulari* dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant. Vnde poetæ pro dolose quid agendo vsi sunt eo verbo. Pacuuius: Ad manticulandum astu aggreditur. scit enim quid promeruerit. . . medici menticulatur . . . ita me facti op-

facti oppressi iugo. Item deinde: Aggreditur astu regem. manticulandum est hic mihi. Et: Machinam ordiris nouam manticula tactu, an sanctiora dicis iureiuranda. Plautus hoc significare videtur, quibus cotidie paruæ noxæ extergeantur.

Mantisa additamentum dicitur lingua Tusca, quod ponderi adiicitur: sed deterius, & quod sine vllo vsu est. Lucilius: Mantisa obsonia vincit.

Manubiæ Iouis tres dicuntur esse, quarum vnæ sunt minimæ, quæ moneant, placidæque sint. ¶Alteræ quæ maiores sunt, ac veniant cum fragore, discutiantq. aut diuellant, quæ à Ioue sint, & consilio deorum mitti existimentur. ¶Tertiæ his ampliores, quæ cum igne veniant: & quanquam nullum sine igne fulgur est, hæ propriam differentiam habeant, quod aut adurant, aut fuligine deforment, aut accendant, quæ statum mutent deorum consilio superiorum.

Manum, & *mentum*, prouerbium est ex Græco ductum, quod est πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου. Chalcantem vites serentem quidam augur vicinus præteriens, dixit errare: non enim ei fas esse nouum vinum

. . . .

Manumitti seruus dicebatur, cum dominus eius, aut caput eiusdem serui, aut aliud membrum tenens dicebat; *Hunc hominem liberum esse volo*: & emittebat eum e manu

. . . odo caput . . . . .
. . . edicito, hunc . . . .
. . . pro eo aurix . . . .
. . . usquam digre . . . .
. . . sui dum his . . . .
. . . nem liberum mit . . .

Mapalia casæ Pœnicæ appellantur: in quibus quia nihil est secreti: solet id vocabulum solute viuentibus obiici. Cato libro quarto Originum: Mapalia vocantur vbi habitant. ea quasi cohortes rotundæ sunt.

PAVL. *Marculus* deminutiuum à Marco.

Marspedis, siue sine R littera Maspedis imprecaticie, sesita vallium, quid significet ne Messala quidem augur in explanatione augurιorum reperire se potuisse ait.

FEST. *Martialis* campus in Cœlio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, siquando aquæ Tiberis campum Martium occupassent.

PAVL. *Martias* kalendas matronæ celebrabant: quòd eo die Iunonis Luciniæ ædes coli cæpta sit.

Martius mensis initium anni fuit & in Latio & post Romam conditam, eo quod gens erat bellicosissima. cuius rei testimoniũ est, quod posteriores menses, qui annum finiunt à numero appellati vltimum habent Decembrẽ.

Mas deminutiue facit masculus.

Masculina: & feminina vocabula dici melius est | secundum Græcorum quoque consuetudinem, qui non ἀνδρικὰ & γυναικεῖα ea, sed ᾠ. FEST.

Masculino genere *parentem* appellabant antiqui qui etiam matrem. *Malo cruce* masculino genere cum dixit Gracchus in oratione quæ est in F. Popullium posteriorem, tam repræsentauit antiquam consuetudinem, quam *hunc frontem*, atque *hunc stirpem* iidem antiqui dixerunt: & rursus *hanc lupum*, & *hanc metum*. Item cum idem in Popillium & matronas ait, eo exemplo instituto. Dignus fuit qui *malo cruce* periret. PAVL.

Matellio, diminutiuum à matula.

Materfamilia non ante dicebatur, quam vir eius paterfamiliæ dictus esset. nec possunt hoc nomine plures in vna familia præter vnam appellari. sed nec vidua hoc nomine: nec quæ sine filiis est, appellari potest.

Mater Matuta, manes, mane, matrimonium, materfamilia, matertera, matrices, materia dictæ videntur, vt ait Verrius, quia sint bona: qualia scilicet sint, quę sunt matura. vel potius à matre, quæ est originis Græcæ. FEST.

. . . manis . . . . .
. . . matertera, ...
. . . vt ait Ve . . . .
. . . sint, quæ
. . . quæ est ori . . . .

Matrem Matutam antiqui ob bonitatem appellabant: & *maturum* idoneum vsui: & mane principium diei, & inferi dij manes, vt suppliciter appellati boni essent: & in carmine Saliari *Cerusmanus*, intelligitur creator bonus. PAVL.

Matertera, matris soror, quasi mater altera. Matertera patris & matris, mihi magna mater est.

Matralia, Matris Matutæ festa.

Matrici cognominantur homines malarum magnarum, atque oribus late patentibus.

Matrimes, ac *patrimes* dicuntur, quibus matres & patres adhuc viuunt.

Matronæ à magistratibus non submouebantur, ne pulsari, contrectarive viderentur: neue grauidæ concuterentur. Sed nec viri earum sedentes cum vxoribus in vehiculo descendere cogebantur.

. . atibus non summoue . . .
. . tat. . ntrectari. . . .
. . ntur: neue . . tur. quam . .
. . usam ait Verrius . . . .
. . eteri . . . . . .
. . uxoribus deesse quo descen . . .
. . ros à magistratibus. quod commu . .
. . uehic. . itur vir, & uxor . . . . .

Matronas appellabant eas fere, quibus stolas habendi ius erat. PAVL.

Matronis aurum redditum cum legitur, hoc significare videtur: quia matronæ contule-

runt ornatus sui aurum ad Capitolium à Gallis Senonibus liberandum: quibus postea est redditum à populo Romano.

FEST. *Matroni*, . . to ait, quod. . . .
. . . fuisse re . . . . . .
. . . & eam a . . . . .
. . . monio in . . . . .
. . . tronæ orna . . . .
. . . Apollini, quod . . . .
. . . quod contuler . . .
. . . a Gallis Senon . . . .
. . . tum . . . .
. . . est a pop . . . . .

PAVL. *Matula*, vas vrinæ.

Mauortem poetæ dicunt Martem.

FEST. *Maximæ* dignationis Flamen Dialis est inter quindecim Flamines, & cum ceteri discrimina maiestatis suæ habeant, minimi habeatur *Pomonalis*, quod Pomona leuissimo fructui agrorum præsidet pomis.

PAVL. *Maximam* hostiam ouilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis: sed ab animo placidiore.

Maximi annales appellabantur, non magnitudine: sed quod eos Pontifex maximus consecrasset.

FEST. *Maximum* Prætorem dici putant alij eum, qui maximi imperij sit: alij, quia ætatis maximæ pro collegio quidem augurum decretum est: quod in salutis augurio Prætores maiores, & minores appellentur; non ad ætatem, sed ad vim imperij pertinere.

PAVL. *Maximus* Curio, cuius auctoritate curiæ omnesque curiones reguntur.

Maximus Pontifex dicitur, quod maximus rerum, quæ ad sacra, & religiones pertinent, iudex sit, vindexque contumaciæ priuatorum, magistratuumque.

FEST. *Me* pro mihi dicebant antiqui.

Me pro mihi dicebant antiqui, vt Ennius cum ait libro secundo: Si quid me fuerit humanitus, vt teneatis. & Lucilius: Nunc ad te redeo, vt quæ res me impendet agatur.

PAVL. *Meatus* à meando dictus.

Mecastor, & *mehercules* iusiurandum erat: quasi diceretur, *ita me Castor, ita me Hercules*, vt subaudiatur iuuet.

Meddix apud Oscos nomen magistratus est. Ennius: Summus ibi capitur meddix, occiditur alter.

Medialem appellabant hostiam atram, quam meridie immolabant.

Medibile, medicabile.

FEST. *Mediocriculo* vsus est in ea, quam dixit, Cato in Consulatu: Ridibundum magistratum genere pauculos homines, mediocriculum exercitum obuiam duci.

PAVL. *Mediocriculus* idem Cato ponit, cum ait Ridibundum magistratum paucos homines mecriculum exercitum obuiam duci.

Medioxumum, mediocre.

Mediterreum melius, quam mediterraneum, Sisenna dici putat.

Meditrinalia dicta hac de causa. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, diceret ominis gratia: *Vetus nouum vinum bibo, veteri nouo morbo medeor.* A quibus verbis, etiam Meditrinæ deæ nomen ceptum, eiusque sacra Medritrinalia dicta sunt.

Meditullium dicitur, non medium terrę, sed procul à mari, quasi meditellium: ab eo quod est tellus.

Mediusfidius compositum videtur, & significare Iouis filium, id est, Herculem: quod Iouem Græci Δία, & nos Iouem: ac *fidium* pro filio, quod sæpe antea pro L litera D vtebantur. quidam existimant iusiurandum esse per diui fidem: quidam, per diurni temporis, id est, diei, fidem.

Medullitus, ex intimis medullis.

Mefanculum teli missilis genus.

Megalesia ludos Matris Magnæ appellabant.

Melancoryphi, genus auium, quæ Latine vocantur atricapillæ, eo quod summa eorum capita nigra sint.

Meliboea purpura à nomine insulæ, in qua tingitur, est dicta.

Melicæ gallinæ, quod in Media id genus auium corporis amplissimi fiat: L littera pro D substituta.

Melis hasta à ligno mali dicta.

Melo nomine alio Nilus vocatur.

Melos insula dicta est à Melo, qui ex Phœnice ad eandem fuerat profectus.

Meltom meliorem dicebant.

Membrum abscindi mortuo dicebatur, cum digitus eius decidebatur, ad quod seruatum iusta fierent reliquo corpore combusto.

Memorare significat, nunc dicere nunc memoriæ mandare.

Memoriosus, *memoriosior*, *& memoriosius*, (et) *memoriosissime* facit.

Mendicũ dici putãt velũ, quod in prora ponitur.

Mendicũ dici Verrius putat à mẽte eius, quem fefellerit fortuna. vel quod precetur quemque vt vitæ suæ medeatur cibo. FEST.

Mend . . . . .
eius, quam se . . . .
vt vitæ su . . . .

Mensa, frugibusque iurato, significat per mensam & fruges. PAVL.

Mẽsæ in ædib. sacris ararum vicem obtinebant, FEST.
. . sæ in ædibus sacris ara . . .
. . legibus earum omnium s . . .
. . vt velut in aram, vel in . .
. . uati quoque in primis i . . .
. . vbi sacras habituri . .
. . parentatio, non sacrific . . . PAVL.

Mensarij, nummularij.

Menteca-

Mentecaptus dicitur, cum mens ex hominis potestate abiit, & idem *demens*, qui de sua mente decesserit; & *amens*, qui à mente abierit.

FEST. . . hominis potestate . . .
. . mens, qui de sua . . .
. . a mente abierit . . . .

PAVL. *Mentum* dicebant, quod nos commentum.

Mercedicius mercenarius, quod mercede se tueatur.

FEST.

PAVL. *Mercedonias* dixerunt à mercede soluenda.

Mercurius à mercibus est dictus. Hunc etenim negotiorum omnium existimabant esse deum.

Merendam antiqui dicebant pro prandio; quod scilicet medio die caperetur.

Merga furculæ, quibus acerui frugum fiunt, dictæ à volucribus mergis, quia vt illi se in aquam mergunt, dum pisces persequuntur, sic messores eas in fruges demergunt, vel eleuare possint manipulos.

Meritauere (idem) Cato ait, pro meruere.

FEST. . . . ere, sæpe merue . . .
. . . enorum IIII. . Suf
. . . uis cohortes omnis . . .
. . . tauerunt

PAVL. *Mertat* pro mersat dicebant.

Metum antiqui dicebant solum vnde & auis *merula* nomen accepit; quod soliuaga est, & solitaria pascitur. at nunc *merum*, purum appellamus.

FEST. *Meson* persona comica appellatur, aut coci, aut nautæ, aut eius generis. dici ab inuentore eius Mesone comœdo ait Aristophanes Grammaticus.

PAVL. *Messapia Appulia* à Messapo rege appellata.

Metaphoram quam Græci vocant, nos tralationem, id est, domo mutuatum verbum, quo vtimur, inquit Verrius ali . . nec sæpius quidem honesti, ac q. . . .
. . enas vt speciosiora at . .
. . ere significante . . .
. . no, quam proprio uo . .
. . em indicemus . . .
. . leret, redit ad sua . . .
. . tralatum manebit . . .
. . quo peruenit . . .
. . as . alieno perinde ac suo ab . .

Meta. . stices dicitur aput p . . .
. . quod propter necessitatem metri
. . t. quod idem barbaris . .
. . ta oration. , scrib . .

Meta . ,ca . a . cariore . .
. . . peruentura. . . .
. . . dicare ait Ennius . . .
. . id est.
. . abus vt . . .
. . accip.

PAVL. *Metari* castra dicuntur, quod metis dirigun-

Metelli dicuntur in re militari quasi mercenarij. Attius annalium vigesimoseptimo, calones, famulique, metellique, caculæque à quo genere hominum Cæciliæ familiæ cognomen putatur dictum.

Metonymia est tropos, cum ab eo, quod continet, significatur id quod continetur: aut superior inferiore, & inferior superiore. quæ continet, quod continetur: vt Ennius cum ait: Africa terribili tremit horrida terra tumultu. ab eo, quod continetur, id quod continet: vt cum dicitur epota amphora vini. a superiore inferior. vt Ennius: cum magno strepitu Volcanum ventus vegetat. ab inferiore superior: vt Persuasit animo vinum deus, qui multo est maximus. FEST.

Metus feminino genere dicebant. Ennius. Viuam, an moriar, nulla in me est metus. PAVL.

Migrare mens a' . . . . FEST.
. . sq. templi posita . . .
. . tur, cum sequitur sua . . .
. . uidam fuisse in tri . . .
. . uales appellatæ.

Mihipte pro mihi . . decuit talem . .
. . . uersia, atque . . PAVL.
. . . entia item a . .

Mihipte Cato pro mihi ipsi posuit.

Militem Ælius mollitia κατ' ἀντίφρασιν dictum putat. eo quod nihil molle, sed potius asperum quid gerat. sic *ludum* dicimus, in quo minime luditur.

Milium quidam putant cepisse nomen maxime à nummorum summa, quæ est mille. quod alii Græcæ stirpis iudicant esse, cum ad illi κέγχρον vocant, tam Hercules quam panicum μελίνην. FEST.

Millus collare canum venaticorum, factum ex corio, confixúmque clauis ferreis eminentibus aduersus impetum luporum. Scipio Æmilianus ad populum: Vobis inquit, reique publicæ præsidio eritis quasi millus cani. PAVL.

Miluina genus tibiæ acutissimi soni.

Mina singulariter d.
pluraliter dicimus cu . . .
item M. Cato in s . . . FEST.
mina cog. . . . .

Minam Æliam vocitatam ait mammam alteram lacte deficientem, quasi minorem factam. PAVL.

Minerrimus pro minimo dixerunt.

Minerua dicta, quod bene moneat. hanc enim pagani pro sapientia ponebant. Cornificius vero, quod fingatur, pingatúrque minitans armis, eandem dictam putat.

Minime gentium dicebant, pro eo quod est omnium gentium iudicio minime esse faciendum.

Miniscitur pro reminiscitur antiquitus dicebatur.

FEST. *Minora* templa fiunt ab auguribus cum loca aliqua tabulis, aut linteis ſepiuntur, ne vno amplius oſtio pateant. Itaque *templum* eſt locus ita affatus, aut ita ſeptus, vt ea vna parte pateat, anguluſque adfixus habeat ad terram.

PAVL. *Minorem* Delum Puteolos eſſe dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum, cui ſucceſſit poſtea Puteolanum, quod municipium Græcum. antea *Dicearchia* vocatum eſt. vnde Lucilius. Inde Dicearchum populos, Delúmque minorem.

Minores & maiores inter cognomia feminorum poni ſolebant.

FEST. *Minorum Pontificum* maximus dicitur, qui primus in id collegium venit. Item minimus, qui nouiſſimus.

PAVL. *Minotauri* effigies inter ſigna militaria eſt: quod non minus occulta eſſe debent conſilia ducum, quam fuit domicilium eius Labyrinthus. Minotaurus putatur eſſe genitus, cum Paſiphae Minois regis vxor dicitur concubuiſſe cum tauro. ſed affirmant alij Taurum fuiſſe nomen adulteri.

Minucia porca appellata eſt, eo quod proxima eſt ſacello Minuci. Minucia porta Romæ eſt dicta ab ara Minuti, quem deum putabant.

Minuebatur populo luctus ædis dedicatione: cùm à Cenſoribus luſtrum condebatur; cum votum publicè ſuſceptum ſoluebatur. ¶Priuatis autem, cum liberi naſcerentur, cum honos in familiam veniret: cum pater aut liberi, aut vir, aut frater ab hoſte captus domum rediret: cum puella deſponſaretur: cum propiore quis cognatione, quam is qui lugeretur natus eſſet: cum in Caſto Cereris conſtitiſſent.

FEST. *Minuitur* populo luctus ædis dedicatione: cum Cenſores luſtrum condiderunt: cum votum publice ſuſceptum ſoluitur. priuatis autem, cum liberi nati ſunt: cum honos in familia venit: cum parens, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoſte captus domum redit: cum deſponſa eſt, cum propiore quis cognatione, quam is, qui lugetur, natus eſt, cum in Caſto Cereris eſt, omnique gratulationi.

PAVL. *Minutritiones* appellantur auium minorum cantus.

FEST. *Minuſcula Quinquatrus* appellabantur Idus Iuniæ, quod is dies Feſtus erat tibicinum qui Mineruam colebant. *Quinquatrus* proprie dies feſtus erat Mineruæ, Martio menſe.

PAVL. *Minutum* & minuere ex Græco μειοῦ dictum videri poteſt.

Minyæ dicti Argonautæ, quod plerique eorum ex filiis Minyae fuerant orti.

Mirachidion primæ adoleſcentiæ.

Miracula, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus vtebantur.

Mirior dicebant comparatiuum à miro. Titinius. Mirior inquam tibi videor.

Miſcelliones appellantur, qui non certæ ſunt ſententiæ, ſed variorum, mixtorumque iudiciorum ſunt.

Miſcenum promontorium à Miſeno tubicine Æneæ ibi ſepulto eſt appellatum.

Miſeratur, qui conqueritur aliena incommoda: *miſeretur is*, qui miſerum ſubleuat.

Miſeret me eadem forma dicitur, qua piget, pœnitet, tædet.

Modo cum per correptum O dicitur, ſignificat tempus, vt modò veni. & ponitur pro tantum, vt Tace modo. quod ſi producta poſteriore ſyllaba enuntietur, datiuus vel ablatiuus eſt caſus, ab eo, quod eſt modus.

Modo quodam, id eſt ratione. dicuntur omnia
iſta à modo: commoditas, commodus, com-
modat, accommodat, modice, modeſtia, mo- FEST.
deratio, modificatio. . . . .
. . . . quondam id . . .
. . . . fit commodi . . .
. . . . dat, modi . . . .
. . . . ficatio.

PAVL. *Mœne* ſingulariter dixit Ennius. Apud Emporium in campo hoſtium per mœne.

Mœnia muri, & alia muniendæ vrbis gratia facta, vt Attius in Helenibus: Signo ex templo canere, ac tela ob mœnias offerri imperat. Significat etiam officia. Plautus in Neruolaria: prohibentq. mœnia alia, vnde ego fungar mea.

Mola vocatur eam far toſtum, & ſale ſparſum, quod eo molito hoſtiæ aſpergantur.

FEST. *Moles* pro magnitudine fere poni ſolet. moliti & molitiones à molendo certum eſt dici.

Molleſtras dicebant pelles ouiles, quibus galeas extergebant.

PAVL. *Molucrum*, non ſolum quo molæ vertuntur dicitur, id quod Græci μύλικρόν appellant, ſed etiam tumor ventris, qui etiam virginibus ſolet euenire. cuius meminit Afranius in Virgine: Ferme virgini, tanquam grauidæ mulieri creſcit vterus, molucrum vocatur, tranſit ſine doloribus. Cloatius etiam in libris ſacrorum. Molucrum aiunt eſſe lignum quoddam quadratum, vbi immolatur. Idem Ælius in explanatione carminum Saliarum eodem nomine appellari ait, quod ſub mola ſupponatur. Aurelius Opilius appellat, vbi molatur.

Momar, Siculi ſtultum vocant.

Momen, momentum. Lucretius: Momine si paruo possunt impulsa moueri.

Monile dictum est ornatus muliebris, qualem habuisse Eriphylem fabulæ ferunt. ex eo etiam equis præpendens à collo ornamentum monile appellatur.

Monimentum est, quod mortui causa ædificatum est: & quidquid ob memoriam alicuius factum est, vt fana, porticus, scripta, & carmina. Sed monimentum quamuis mortui causa sit factum, non tamen significat ibi sepultum.

Monitores dicuntur & qui in scena monent histriones, & libri commentarij.

Monodos appellatus est Prusiæ filius, qui vnum os habuit dentium loco. similiter habuit & Pyrrhus rex Epirotarum.

Monstrum, vt Ælius Stilo interpretatur, à monendo dictum est, velut monestrum. Item Sinnius Capito, quod monstret futurum, & moneat voluntatem deorum. quod etiam *prodigium*, velut prædictum & quasi prædictum, quod prædicat eadem, & *portentum*, quod portendat, & significet. inde dici apparet id quartum, quod mihi visum est adiiciendum. præsertim cum ex eadem significatione pendeat, & in promptu sit omnibus, id est *ostentum*, quod item ab ostendendo dictum est. *Monstra* dicuntur naturæ modum egredientia, vt serpens cum pedibus, auis cum quattuor alis, homo duobus capitibus, iecur cum distabuit in coquendo.

FEST. . . turæ modum e. . . . . .
. . auis eum quatt . . . .
. . iecur cum dist . . . .

PAVL. *Moracias nuces*, Titinius duras esse ait. vnde fit deminutiuum moracillum.

Morbosum hominem, morbo aliquo affectum.

Mortem obiisse, ea consuetudine dicitur, qua dixerunt antiqui *ob* Romam legiones ductas, & *ob* Troiam duxit exercitum, pro ad: similiterque, *vadimonium obiisse*, id est ad vadimonium iisse, & *obuiam*, ad viam.

FEST. *Mortis causa* stipulatio existimatur fieri, vt ait Antistius Labeo, quæ ita fit, vt morte promissoris confirmetur, aut vt quidam dixerunt, cuius stipulationis non fuit causa.

Mortuæ pecudis corio calceos, aut soleas fieri Flaminicis nefas habetur: sed aut occisæ alioqui, aut immolatæ: quoniam sua morte extincta omnia funesta sunt.

PAVL *Mortuæ pecudis* corio calceos fieri Flaminicis nefas habebatur, quoniam sua morte extincta omnia funesta æstimabantur.

Mortuus ab emerita vita dictus.

Mos est institutum patrium pertinens maxime ad religiones, cæremoniasque deorum antiquorum.

Mos est . . trium defunctorum veterum pertinens maxime ad religiones c . . . oniasque antiquorum. FEST.

Mosculis Cato pro paruis moribus dixit . . FEST.
. . uis qui moribus dixit . . . . .

Mox, paulo post.

Mucia prata trans Tiberim dicta à Mucio, cui à populo data fuerant, pro eo quod Porsenam Etruscorum regem sua constantia ab vrbe dimouit. PAVL. FEST. PAVL.

Muger, muccosus.

Muger dici solet à castrensium hominibus quasi muccosus is, qui talis male ludit.

Muginari est nugari, & quasi tarde conari.

Mugionia porta Romæ dicta est à Mugio quodam, qui eidem tuendæ præfuit.

Mulciber Vulcanus à molliendo scilicet ferro dictus est. *mulcere* enim mollire, siue lenire est. Pacuuius: Quid me obtutu terres? mulces laudibus? FEST. PAVL.

Muli Mariani dici solebant à C. Mario instituti, cuius milites in furca interposita tabella varicosius onera sua portare adsueuerant.

Mulis celebrantur ludi in circo maximo Consualibus. quia id genus quadrupedum primum putatur cœptum currui, vehiculoque adiungi.

Mulus vehiculo lunæ adhibetur: quod tam sterilis ea sit, quam mulus. vel quod vt mulus non suo genere, sed equi creetur: sic ea soli, non suo fulgore luceat.

Mulleos genus calceorum aiunt esse. quibus reges Albanorum primi, deinde patricij vsi sunt. M. Cato Originum libro septimo: Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos allucinatos. ceteri perones. Item Titinius in Satina: Iam cum muleis te ostendisti, quos tibiatis in calceos. quos putant à mullando, id est suendo dictos. FEST.

Multam Osce dici putant pœnam quandam. M Varro ait pœnam esse, sed pecuniariam, de qua subtiliter in libro primo quæstionum epistolarum refert. *Maximam multam* dixerunt trium millium & viginti assiũ. quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duobus ouibus quenquam multari. æstimabaturque bos centussibus, ouis decussibus.

Multifacere dicitur, sicut *magnifacere*, & *paruifacere*. Cato. Neque fidem, neque iusiurandum, neque pudicitiam multifacit. Quod merito ab vsu recessit; quia quantitas numero non æstimatur, nec desiderat multitudinem, PAVL.

Multifa . . *magnifacere*, & *par* . . .
. . tiam de pudicitia.
M . . . . . .
. . . ntitas . . . .
. . netur nu. . . . . FEST.

PAVL. *Multifariam* dixerunt antiqui, quod videlicet in multis locis fari poterat, id est dici.

Mummiana ædificia à Mummio dicta.

Mundus appellatur cælum, terra, mare, & aer. mundus etiam dicitur ornatus muliebris. quia non alius est, quam quod moueri potest. mundus quoque appellatur lautus, & purus. Ateius: Cum virginali mundo clam pater . . . Ennius: idem loco nauibus celsis, munda facie, atque etiam aere.

FEST. *Mundus*, vt ait Capito Ateius in libro sexto pontificali, ter in anno patere solet, diebus his: postridie Volcanalia, & ante diem sextum Id. Nouemb. Qui quid ita dicatur, sic refert Cato in Commentariis iuris ciuilis: *Mundo* nomen impositum est ab eo mundo, qui supra nos est. Forma enim eius est ex iis, qui intrauere, cognoscere potuit, adsimilis ille eius inferiorem partem, veluti consecratam diis manibus clausam omni tempore, nisi iis diebus, qui supra scripti sunt, maiores c . . quos dies etiam religiosos iudicauerunt, ea de causa, quod quo tempore ea, quæ occulte, & abdita ea religionis deorum manium essent, veluti in lucem quandam adducerentur, & patefierent: nihil eo tempore in republica geri voluerunt. Itaque per eos dies non cum hoste manus conserebant: non exercitus scribebatur: non comitia habeba . . . aliud quicquam in re . . . nisi quod vltima nece . . . admonebat administrabatur.

PAVL. *Mundum* gentiles ter in anno patere putabant diebus his: postridie Volcanalia, & ante diem tertium Nonas Octobris, & ante diem sextum Idus Nouembris. inferiorem enim eius partem consecratam diis manibus arbitrantes clausam omni tempore, præter hos dies, qui supra scripti sunt. quos dies etiam religiosos iudicauerunt ea de causa, quod his diebus ea, quæ occulta, & abdita religionis deorum manium essent, in lucem adducerentur, nihil eo tempore in rep. geri voluerunt. Itaque per hos dies non cum hoste manus conserebatur, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quidquam in rep. nisi quod vltima necessitas exegisset, administrabatur.

Munem significare certum est officiosum, vnde è contrario *immunis* dicitur, qui nullo fungitur officio.

Muneralis lex vocata est, qua Cincius cauit, necui liceret munus accipere. Plautus: Neque muneralem legem, neque lenoniam roga: fuerit, necne flocci æstimo.

Municas pro communicas dicebant.

FEST. . . . communicas dicit . . .
. . . . aut vt potius co . . .

Municeps est, vt ait Ælius Gallus, qui in municipio liber natus est. Item qui ex alio genere hominum munus functus est. Item qui in municipio à seruitute se liberauit à municipe. Item municipes erant, qui ex aliis ciuitatibus Romani venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem. At Ser. filius aiebat initio fuisse, qui ea conditione ciues Ro. fuissent, vt semper remp. separatim à populo Ro. haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui æque ciues Ro. erant, & in legione merebant, sed dignitates non capiebant.

Mancipalia sacra vocabantur, quæ ante vrbem conditam colebantur.

FEST. *Municipalia sacra* vocabantur, quæ ab initio habuerunt ante ciuitatem Romanam acceptam; quæ obseruare eos voluerunt Pontifices, & ex eo more facere, quod adfuissent . . antiquitus.

PAVL. *Municipium* id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent, neque ciues Ro. essent; participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum vna cum Romanis ciuibus, præterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo; sicut fuerũt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuuini, Tusculani, qui post aliquot annos ciues Ro. effecti sunt. Alio modo, cum id genus hominum definitur, quorum ciuitas vniuersa in ciuitatem Romanam venit; vt Aricini, Cærites, Anagnini. Tertio, cum id genus hominum definitur, qui ad ciuitatem Romanam ita venerunt, vti municipia essent sua cuiusque ciuitatis, & coloniæ, vt Tiburtes, Prænestini, Pisani, Arpinates, Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses.

Munificior à munifico identidem Cato dixit. cum nunc *munificentior* dicamus, quamuis munificens non sit in vsu.

FEST. . . . munifico cum dicamus . . .
. . . . vis munificens non sit . . .
. . . . esim scripsit . . munifi . .

Munitio morsicatio ciborum.

PAVL. *Munus* significat officium, cum dicitur quis munere fungi. Item donum, quod officii causa datur.

Murcia deæ sacellum erat sub monte Auentino, qui antea Murcus vocabatur.

Murgisonem dixerunt à mora, & decisione.

Muries dicebatur sal in pila tunsum, & in ollam fictilem coniectum, & in furno percoctum, quo dehinc in aquam misso Vestales virgines vtebantur in sacrificiis.

FEST. *Muries* est, quemadmodum Veranius docet, ea quæ fit ex sale sordido in pila pinsato, & in

& in ollam fritilem coniecto, ibique operto, gypsatoque, & in furno percocto, cui virgines Vestales serra ferrea secto, & in seriam coniecto, quæ est intus in æde Vestæ in penu exteriore, aquam iugem, vel quamlibet, præterquam quæ per fistulas venit, addent, atque ea demum in sacrificiis vtuntur.

Murrata potione vsos antiquos indicio est quod etiam nunc Ædiles per supplicationes diis addunt ad puluinaria, & quod XII. tabulis cauetur, ne mortuo indatur, vt ait Varro in antiquitatum libro primo.

PAVL. *Murrata potione* vsi sunt antiqui: sed postea adsuerunt murram diis suis libare. ideoq; duodecim tabulis est cautum, ne mortuo inderetur.

Murricidium ignauum, stultum. Plautus. Murricide homo, gnaue, iners.

Murrina genus potionis, quæ græce dicitur *nectar*. hanc mulieres vocabant *murriolam*, quidam *murratum vinum*. quidam id dici putant ex *vua* genere *murrinæ* nomine.

Muscerdas prima syllaba producta stercus murum appellant.

Mussare, murmurare. Ennius. In occulto mussabant. vulgo vero pro tacere dicitur, vt idem Ennius: Non decet mussare bonos.

Mustricola est machinula ex regulis, in qua calceus nouus suitur. Afranius, Mustricolam in dentes impingam tibi.

FEST. Muta. . . . . . .
. . .isi vocem . . .
. . .multo. . . . .
. . .intelle . . . . .
cem . . as dici . . . .
vt cui potius con . . . .

PAVL. *Muta* exta appellabant, ex quibus nihil diuinationis animaduertebant.

FEST. . . dicuntur, quibus ni . . .
. . respon . . . . .
. . iutoria quæ . . . . .
. . cant, aut ab in . . .
. . a veneno taliq. . . .
– . mistare periculum . . .
. . finium deminution . . .

PAVL. *Mutæ* dicuntur literæ, quod positæ in vltimis partibus orationis obmutescere cogant loquentes, vel quod paruæ, exiguæque sint vocis. vt cum mutum oratorem, aut tragedum dicimus.

FEST. . . . . mutum dicimus: aut quod nullius fiant vocis, cum in eas litteras incidant.
. . iuocales . . . .
. . ubendo, aut , . .
. . sisse, in eo . . . .
. . uplicata sit. . . – .
. . ser. sacrorum . .

Mutini. Titini sacellum fuit in Velis aduersum Murum Mustellinum in angi . . .
de quo aris sublatis balnearia sunt . .
acta dom. . . . caluini, cum mansisset ab vrbe condita . . ncipatum Augusti . . . . . . & sancte cultum
. manifestum est . . . . extum &
vicensimum dextra u . . . iculum .
. . colitur et . . ine . .
. . . ula . . . .

PAVL. *Mutini* Titini sacellum fuit Romæ, cui mulieres velatæ togis prætextatis solebant sacrificare.

Mutire, loqui. Ennius in Telepho: Palam mutire plebeo piaculum est.

Myoparo genus nauigii ex duobus dissimilibus formatum. Nam & midion, & paron per se sunt.

Mymilonica scuta dicebant, cum quibus de muro pugnabant. erant siquidem ad hoc ipsum apta.

Myrtea corona Papirius vsus est. quod Sardos in campis myrteis superasset,

FEST. . . vt patri sui heres e . . .
. .tet tam heres est, quam . .
. in potestate alie . . . .
. & suus heres vt p . . .
. Sulpitius in ea oratio . . .
. pro Aufidia . . . .
rep. publi . . . . .
ræ imperi . . . . .
sæ consensu . . . . .
populi comit . . .
vt capere eam . . . . .
certoue ex . . . .
ad tempus admi . . . .
. lebatarum . . . . .
. s stetit pro regno . . .
. Veranius in libro . . .
. cum quod ei summæ . . .
. causam Græ . . .
. eo autem non . . .

N

FEST. NAccæ appellantur vulgo fullones, vt ait Curiatius, quod *nauci* non sint, id est nullius pretii Idem sentit & Cincius. quidam aiunt, quod omnia fere opera ex lana *nacæ* dicantur à Græcis.

PAVL. *Naccæ* appellantur fullones, quod nauci non sint, id est nullius pretii omnia fere opera ex lana nacæ dicuntur à Græcis.

Nænia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. Sunt qui eo verbo finem significari putant. Quidam volunt næniam ideo dici, quod voci similior querimonia fluentium sit. Quidam aiunt næniæ ductum nomen ab extremi intestini vocabulo; Græci enim νέατον extremum dicunt. Siue quod chordarum vltima νήτη dicitur, extremam cautionis vocem næniam appellarunt.

Nænia est , . . .

FEST. . . .gratia cau. . . .
. . .nius in ma .p. . . .
. . .quia se anti . . . .
. . .nificari credi . . . .
. . .abi ergo . . . .
. . .idem huic nom . . . .
. . .dixit domi, & ap . . .
. . .niam esto quosda . . .
. . .quod & voci sim . . .
. . .fit. quidam aiunt ne . . .
. . .mi intestini voca . . . .
. . .nio vtitur Plautus . .
. . .chædem ad vol . . .
. . te reddamu . . .
. . .rem son . . . .
. . .do efferim . . . ,
. . .Græci νηνίας dicunt . . .
. . . .

PAVL. *Næniæ deæ sacellum* extra portam Viminalem fuerat dedicatum.

FEST. . .sacellum vltra portam . . . . .
. .ædiculam.

PAVL. *Nævia* silua dicta iuxta vrbem, quod Næuij cuiusdam fuerit.

. . vocitatam extra . . .
FEST. . . .rum quod natui cu . . .
. . .nemora Næuia ap . .
. . .ait quam ob probri loc. .
. . .quod in ea morari ads . .
. . .mines. testis est M . .
. . .in Cœlium si se appella . .
. . .a porta Næuia atque ea. . .
. . .unt prouerbi , , .
. . .refertur a Ver . . .

Nancitor in XII. nactus erit, prædatus erit. Item in fœdere Latino, *Pecuniam Quis nancitor, habeto. & siquid Pignoris nancitur, sibi habeto.*

PAVL. *Nancitor*, nactus erit.

Nanum Græci vas aquarium dicunt humile, & concauum, quod vulgo vocant *situlum barbatum*: vnde *nani* pomiliones appellantur.

FEST. . . tionem eius . . . .
. . humilem er. . , .
. . barbatum - . . .

Napuras nectito cum dixit Pontifex, funiculi ex stramentis fiunt.

PAVL. *Napuræ*, feniculi.

Nare à naue dictum quod aqua feratur natans, vt nauis. *Natare* est sæpius nare, vt dictitare, factitare.

FEST. *Nare* à naue ductum Cornificius ait, quòd aqua feratur natans vt nauis. Ennius libro septimo; Alter nare cupit, alter pugnare paratust. Plautus in Aulularia: Quasi pueri, qui nare discunt, scirpea induitur ratis. *Natare* igitur est sæpius nare, vt dictitare, factitare.

Nares appellari putant, quòd per ea nasi foramina odoris cuiusque nari flamus.

Narica est genus piscis minuti. Plautus. Muriaticam autem video in vasis stagneis naricam bonam & canutam, & taguma quinas fartas conchas piscinarias.

Narica, genus piscis minuti. PAVL.

Nassa est piscatorij vasis genus, quo cum intrauit piscis exire non potest. Plautus: Nunquam hercule ex ista nassa hodie ego escam petam. FEST.

Nassiterna est genus vasis aquarij ansati, & patentis. quale est quo equi perfundi solent. Plautus in Bacchidibus. Ecquis euocat cum nassiterna, & cum aqua istum impurissimum? & in Neruolaria: Ecquis huc effert nassiternam cum aqua sine suffragio? & Cato in ea oratione, quam composuit in Q. Sulpicium. Quotiens vidi trullos nassiternas, perfusos aqualis matellas sine ansis.

Nassiterna genus vasis aquarij ansati, & patentis. PAVL.

Natinatio dicebatur negotiatio, & *Natinatores* ex eo seditiosi.

Nati . . .iatio, & natinatores . . . FEST.
. . . .gerente M. Cato in . . .
. . . .ultu Macedoniæ, Etruriam Samnites, Lucanos inter se *natinari*, atque factiones esse.

Natio genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt, in pecoribus quoque bonus prouentus feturæ, *bona natio* dicitur. PAVL.

FEST. . . .natum, Cin . . . .
. . . nt, sed ibi . . .
. . . ationem ait . . .
. . .nibus se te . . .
. . . us seiuncti . . . .
. . . to omnia se . . . .
. . . cius Sabinos . . . .
. . . bus quoque bonus. . . .

Nauali corona solet donari, qui primus in hostium nauem armatus transilierit. PAVL.

. . us in hostium . . .
. .opera ma . . . . FEST.
. .est eam M . . . .
. .CN. Pomp. . . . .
. .tillus bel. . . . .
. . .um est in car . . .
. . .nsueti. . . .
. . .minabantur . . .
. . .pro nulla. . . . .
. . .vt nec . . . , .

Naualis porta à vicinia naualium dicta. FEST.
. .a regio vide . . . . . PAVL.
. .a appella . . . .

Naualis scriba, qui in naue apparebat, inter aliud genus scribarum minimæ dignitatis habebatur, quod pericula quoque eius ministe-

ministerium esset obiectum. Plautus: Non ego te noui naualis scriba columbari impudens. siue quod columbaria in naue appellantur ea, quibus remigent, siue quod columbariorum quæstus temerarius, incertúsque.

Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis. Cincius quod in oleæ nucis, quod intus sit. Ælius Stilo omnium rerum putamen. Glossematorum autem scriptores fabæ grani quod hæreat in fabulo. Quidam ex Græco, ναὶ καὶ οὐχί, leuem hominem significari. Quidam nucis iuglandis, quam Verrius iuglandam vocat, medium velut dissepimentum. Plautus in Parasito pigro: Ambo magna laude lauti, postremo ambo sumus non nauci. Item in Mostellaria: Quod id esse dicam verbum nauci nescio. & in Truculento: Amas hominem non nauci. & Næuius (&) Tunicularia: eius noctem nauco ducere. Sed Ennius. Illic est nugator nihili, non nauci homo.

PAVL. *Naucus* pro nugis ponitur. alias pro oleæ, aut nucis nucleo. alij omnium rerum putamen ita appellari volunt. quidam ex Græco, quòd sic ναὶ καὶ οὐχί, leuem hominem significari volentes. quidam volunt sic appellari membranulam, quæ in nucis iuglandis est medio.

Nauia lignum cauatum vt nauis, quo in vindemiis vti solent.

FEST. *Nauia* est vno ligno exculpto, vt nauis, quo vtuntur alueo in vindemia. ficus quoque in comitio appellatur Nauia, ab Attio Nauio augure. Nam cum Tarquinius Priscus institutas tribus à Romulo mutare vellet, deterreretúrque ab Attio per Augurium, vt eluderet eius prudentiam, interrogauit eum, an fieri posset, id quod animo proposuisset suo; cui ille permittente augurio cum respondisset effici posse, iussit rex cotem, ac nouaculam pro . . . .

. . an cos illa . . . .
. . culam subito . . . .
. . ex eo Tarq. . . . .
. . cere noua . . . .
. . cratum de . . . .
. . esse intra . . . .
. . sacro sit e . . . .
. . subserisiu . . . .
. . to tanto s . . . .
. . loco complu . . . .
. . euulsæ de . . . .
. . moueren . . . .
. . erant ficu. . . . .
. . isse.adm. . . . .
. . cum & diuin. . . . .
. . uiueret lib . . .
. . suram ideo quod . . .
. . tas secundum in cor . . .

tos quos nunc n . . .
Cato in ea, quam sci . .
retur, cum ait naturæ . . .
vinum atque oleum u . . .

Nauscit cum gran. . . .
. . . gratia quod sit non diss . .

PAVL. Nauscit cum granum fabæ se nascendi gratia aperit, quod fit non dissimile nauis formæ.

Naustibulum, alueum ad nauis similitudinem, factum.

FEST. *Naustibulum* vocabant antiqui vas aluei simile, videtur à nauis similitudine.

PAVL. *Nautea* herba granis nigris, qua coriarij vtuntur, à naue ductum nomen, quia nauseam facit permutatione T in S.

FEST.
. . lius Aurelius herb. . .
. . quo coriarij vtuntur . .
. . tum nomen, quia nauseam fa. .
. . s literarum inter me . .
. . Plautus in Artemone . .
. . lionum nauteam fecisset . .
. . . .
. . lem atq.aro . . .
. . nguentum o . . .
. . o scorto sup . . .
. . in Commen . . .
. . dum quidam . . .
. . colorant . . . .

PAVL. *Nautiorum* familia à Troianis dicitur oriunda.

FEST. *Nautiorum* fa . . .
. . eorum princeps . . .
. . æneum Mi . . .
. . ucare soliti . . .
. . abatur de cau . . .
. . conductiq.ab . . .
. . anam appugna . . .
. . missus L. Cæcilius . .
. . fectus esset. missi . . .
. . um de fœdere viola . .
. us P. Veturius, qui . . .
. refectionem corpo . . .
. nsedissent Bruti . . .
. Romanis erat bello . . .
. aut inde à principe . . .
. appellata est. . . .

Nauus, celer, ac strenuus: à nauium velocitate videtur dictus. Ennius libro sexto: Nauus repertus homo Graio patre Graius homo rex. & libro sextodecimo: Nauorum imperium seruare est insuperantum. Plautus in friuolaria: *Naue agere* oportet, quod agas, non ductarier.

PAVL. *Nauus*, celer, ac strenuus: à nauium velocitate dictus.

FEST. *Nebulo* dictus est, vt ait Ælius Stilo, qui non pluris est, quam nebula, aut qui non facile perspici possit, qualis sit, nequam, nugator.

Nec coniunctionem grammatici fere dicunt

esse disiunctiuam, vt Nec legit, nec scribit: cum si diligentius inspiciatur, vt fecit Sinnius Capito, intelligi possit eam positam esse ab antiquis pro non. vt in XII. est, *Ast ei custos necesit.* Item: *Si adorat furto, quod nec manifestum erit.* & apud Plautum in Phasmete: Nec recte si illi dixeris. & Turpilium in Demetrio: nec recte dici mihi quod iamdudum audio.

PAVL. *Nec* coniunctio disiunctiua est, vt Nec legit, nec scribit. ponitur etiam pro non. Turpilius: Nec recte dici mihi iamdudum audio.

FEST. *Nec mulieri*, nec gremio credi oportere. prouerbium est, quod & illa incerti, & leuis animi est: & plerunque in gremio posita, cum in obliuionem venerunt exsurgentium procidunt.

Necem suspic . . . .
. . νέκυν mor . . .

PAVL. . . . da . . .

Necem à Græco dici certum est. νέκυν enim mortuum dicunt Græci.

FEST. *Neci datus* proprie dicitur, qui sine vulnere interfectus est, vt veneno, aut fame.

PAVL. *Necerim*, nec eum.

FEST. . . erim, nec eum.

Necessarium ait esse Opilius Aurelius, in quo non sit cessandum, aut sine quo viui non possit. aut sine quo non bene viuatur; aut quod non possit prohiberi, quin fiat.

PAVL. *Necessarium*, in quo non sit cessandum.

FEST. *Necessarij* dicuntur cognati, aut affines, in quos necessaria officia conferuntur.

Necessarij sunt, vt Gallus Ælius ait, qui aut cognati, aut adfines sunt, in quos necessaria officia conferuntur prҽter ceteros.

Nectar Grҽce significat deorum potionem. vnde Vergilius ait; Stipant, & dulci distendunt nectare cællas. Item Lucretius libro 2. Et nardi florem, nectar qui floribus habet.

PAVL. *Nectar* Græce significat deorum potionem.

Nectere, ligare.

FEST. *Nectere*, ligare significat, & est apud plurimos auctores frequens: quin etiam in commentario sacrorum vsurpatur hoc modo. *Pontifex minor ex stramentis napturas nectito.* id est funiculos facito, quibus sues adnectantur.

PAVL. *Necunquam*, nec vnquam, quenquam.

FEST. *Nefasti dies* N littera notantur.
. . . ti dies nom . . . .
. . apud quem . . . .
. . addico nep . . .
. . riores sunt q. . . .
. . liberati sunt . . .
. . unt. & in prouin . . .
. . inst tuta fiunt, & ædes sacrari
. . . so.

PAVL. *Nefrendes* arietes dixerunt, quod dentibus frendere non possint. Alij dicunt nefrendes infantes esse nondum frendentes, id est frangentes. Liuius: Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem. Sunt qui nefrendes testiculos dici putent, quos Lanuuini appellant *nebrundines*, Græci νεφροὺς, Prænestini *nefrones*.

FEST. . . us Scæuola . . .
. . sint. Ateius . . . .
. . ndentes, id est . . .
. . vt quem ego non . . .
. . us opem. et . . .
. . pro nefrendibus . . .
. . vsus recens . . .
. . s, quos Lanu . . .
. . Græci νεφρ . . .
Negibundum a . . . .
. . ea, quam scrip . .
. . negibundus . . .

PAVL. *Negibundum* pro negante dixerunt.

FEST. *Neglegens* non legens, neque electum habens, quid debeat facere.

Neclegens dictus est non legens, neque dilectum habens, quid facere debeat omissa ratione officii sui.

Negotium quod . . . .
. . . tate quæ . . .

PAVL. *Negotium*, quod non sit otium.

FEST. *Negritu* in auguriis significat ægritudo.

Negumate in carmine CN. Marci vatis significat negate, cum ait Quamuis mouentium duonum negumate.

PAVL. *Negumate*, negate.

Neminis genitiuo casu Cato vsus est, cum dixit, Sunt multi corde, quos non non miseret neminis.

FEST. *Neminis* . . & quis dicere cum sit . .
. . . vitio creatis, neminisque . .
. . . in Erectheo: lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis.

Nemo compositum videtur ex ne, & homo; quod confirmatur magis, quia in persona semper ponitur, nec pluraliter formari solet, quia intelligitur pro nullo.

PAVL. *Nemo*, nec homo.

FEST. *Nemora* significant siluas amœnas.
. . as amœnas ua . . . .
. . buli auctor bo . . .
. . ἐν νεμεῖ σκι . . .
. . δὼν dubium non . . .
. . qui campos & pascua . . .
. . ὁμοῦ ἐν . . .

PAVL. *Nemut*, nisi etiam, vel nempe.

FEST. . mut, nisi etiam, vel . .
. . ibunici cum ait. nemut . . .
. . rumnas.

PAVL. *Nepa* Afrorum lingua sidus, quod cancer appellatur. vel, quidam volunt scorpius. Plautus: Dabo me ad parietem; imitabor nepam.

FEST. . . sidus,quod dicitur nostra si . . .
. . scorpios.Plautus in . . .
. . ad parietem imita . . .

PAVL. *Nepotes* luxuriosæ vitę homines appellati,quod non magis his rei suæ familiaris cura est, quam iis,quibus pater,auusque viuunt. *Nepos* compositum ab eo, quod natus post sit patri,quam filius.

FEST. . . Tuscis dicitur . . .
. . homines . . .
. . sua famil . . .
. . uiuunt.qui . . .
. . sit,quam fil . . .
. . chus inter . . . .
. . πόθοι . . .

PAVL. *Nepus*,non purus.

FEST. *Nequalia*,detrimenta.

Nequam aurum est, auris quod vis vehementius ambit hoc versu Lucilij significare ait Sinnius Capito nequam esse aurum, quod auris lædat: vel pondere inaurium cùm mollissima pars auris inciditur; vel ex auro intelligi pecuniam; cuius respectu & nimia cupiditate homines ad peccandum adduci.

PAVL. *Nequam aurum* est,auris quoduis vehementius ambit. Hoc versu Lucilius significare videtur,nequam esse aurum, quod aures lædat, pondere inaurium cum auris inciditur, vel etiam cupiditatem pecuniæ voluit significare.

Nequam, qui ne tanti quidem est, quam quod habetur minimi.

Nequeunt,non eunt.

PAVL. *Nequinates*,Narnienses.

FEST. . . Narniensis . . .
. . nis veteri . . .
. . versus x . . .

Nequinont pro nequeunt, vt *solinunt*, *ferinunt* pro solent, & feriunt dicebant antiqui. Liuius in Odyssia: Partim errant, neque nunc Græciam redire(nequinont)

PAVL. *Nequinont*, nequeunt.

Nequiquam,frustra.

FEST. *Nequiquam* significari idem, quod frustra, plurimis auctorum exemplis manifestum est.

PAVL. *Nequitum*, & *nequitur* pro non posse dixerunt.

FEST. *Nequitum*, & *nequitur*, pro non posse dicebant, vt Pacuuius cum ait: Sed cum contendi nequitum,vt clam tendenda est plaga. Plautus in Satyrione: Retrahi nequitur, quoquo progressa est semel. & Cato Originum libro primo:Fana in eo loco compluria fuere, ea exaugurauit, præterquam quod termino fanum fuit, id nequitum exaugurari.

Neruum appellamus etiam ferreum vinculum quo pedes impediuntur, quanquam Plautus eo etiam ceruices vinciri ait: Perfidiose captus, eo aedepol neruo ceruices probat.

PAVL. *Neruum* appellamus etiam ferreum vinculum quo pedes, vel etiam ceruices impediuntur.

Nisi pro sine positum.

. . .Dianae Auentinen . . .

FEST. *Neutiquam* . . . .
. .cum ait sec. . . .
. .lorum aspect. . . .
. .neutiquam . . .

Neutiquam pro nullo modo.

PAVL. FEST. *Nexum est*, vt ait Gallus Ælius, quodcunque per æs & libram geritur, idque necti dicitur.quo in genere sunt hæc: testamenti factio, nexi danto, nexi liberanto. *Nexum æs* apud antiquos dicebatur pecunia, quæ per nexum obligatur.

Nictare & oculorum, & aliorum membrorum nisu sæpe aliquid conari, dictum est ab antiquis, vt Lucretius in libro quarto; Hic vbi *nexari* nequeunt, insistereque alis. Cæcilius in Hymnide: garrulis medentes iactent sine *nictentur* perticis. Nouius in Macchoco, pone actutum scribit, cum in neruo nictabere:vnde quidam *nictationem*, quidam nictum, vt Cæcilius in pugilem: tum inter laudandum hunc timidum tremulis palpebris Percutere nictu.hic gaudere,&mirarier. *Nictit* canis in odorandis ferarum vestigiis leuiter ganniens, vt Ennius in libro x. veluti siquando vinculis venatica venenox apta solet si forte ex nare sagaci sensit voce sua nictit.vlulatque ibi, acuta est vnde ipsa *gannitio*.

PAVL. *Nictare* est oculorum, & aliorum membrorum nisi sæpe aliquid conari. dicimus enim *Nictationem* & *nictum*, Cæcilius. Hunc tremulis palpebris Percutere nictu, Nictit canis in odorandis ferarum vestigiis leniter ganniens. Ennius: Nare sagaci sensit, voce sua nictit, vlulatque. vnde & gannitio.

FEST. *Niger lapis* in comitio locum funestum significat, vt alij, Romuli morti destinatum, sed non vsu obu . . . .
stultum nutr . . .
. . tilium auum Ti . . .

FEST. cuius famili . . . .

Nihili,qui nec hili quidem est.

Ningulus,nullus. Marcius vates: Ne ningulus mederi queat.

PAVL. *Ningulus* nullus,vt Ennius libro secundo: Qui ferro minitere. atque in te ningulus mederi queat.

FEST. *Niquis sciuit* centuria est, quæ dicitur à Seruio Tullio rege constituta, in qua liceret

ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua. nequis ciuis suffragij iure priuaretur. nam *sciscito* significat sententiam dicito, ac suffragium ferto: vnde *scita plebis*. Sed in ea centuria, neque censetur quicquam. neque centurio præficitur, neque centurialis potest esse, nemo quia certus est eius centuriæ. est autem Niqui sciuit, nisi quis sciuit.

Niuem . . Græco qui id . . . . .
. . . nificat da . . . .

PAVL. *Niuem* interpretatur nouum ex Græco, quod illi dicunt νέον.

FEST. *Nixi dij* appellabantur, quos putabant præsidere parientium nixibus.

Nixi dij appellantur tria signa in Capitolio ante cællam Mineruæ genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus. quæ signa sunt qui memoriæ prodiderint. Antiocho rege Syriæ superato M. Acilium subtracta à populo Rom. adportasse, atque vbi sunt, posuisse. etiam quæ capta Corintho aduecta huc, quæ ibi subiecta fuerint mensæ.

Nobilem antiqui pro notho ponebant, & quidem per G. literam, vt Plautus in Pseudolo: Peregrina facies videtur hominis atq; gnobilis. & oculis meis obuiam gnobilis obiicitur. Attius in Diomede: Ergo me Argos referam, nam hic sum. i. gnobilis. Liuius in Virgo ornamenta incendunt gnobili ignobiles.

Nobilem antiqui pro noto ponebant. Plautus Peregrina facies, atque ignobilis.

Noctilucam Lucilius cum dixit: obscænum significat.

. . . . . . lib. ij. obscæ . . . . . .

FEST. . . . . medica . . . . .

PAVL. *Noctua* à tempore noctis dicta, quo canit, vel volat.

. . ore, eo quo . . . .
. . appellatur . . . . .

FEST. ..*ægeum* quidam amiculi genus prætextum purpura, quidam candidumve perlucidum, quasi à *nauca*, quod putamen quorundam pomorum est tenuissimum non sine candore, vt Liuius ait in Odyssia: Simulac lacrymas de ore nœgeo Detersit. i candido.

Nœgeum amiculi genus. Nœgeum candidum. Liuius: Lacrimas de ore nœgeo Detersit. id est candido.

FEST. *Nomen* dictum quasi nouimen, quod notitiam facit.

Nomen siue ex Græc . . . .
. ne familiæ est . . . .
. actum dicimus . . . .
. ecunia sit . . . .

Nonarum, Iduum, Kalendarum posteri dies nuptiis alieni habentur, quoniam hi dies decreto Pontificum atri iudicati sunt: quod quotiescunque Romani duces belli gerendi gratia hisdiebus supplicauerunt, male rempublicam gessere.

. .III. kalen. . . .
. .væ nuptæ. . . . FEST.
. .trum inlucisce . . .
. .es esse iudica . . .
. .uces belli ge . . . .
. .e remp. ges . . .

Nonas quidem à noua luna, quod in eas concurreret principium lunæ. alii quod semper ante diem Iduum nonum esset, scribique ideo debere primam appellationis eius syllabam adiecta V littera.

Noneolæ vocantur papillæ, quæ ex faucibus caprarum dependent.

. .as est cæsis . . .
. .parum sup . . . .

Non omnibus dormio prouerbium videtur natum à cipio quodam qui Pararhenchon dictus est, quod simularet dormientem, quo impunitius vxor eius mœcharetur. eius meminit Lucilius.

Non pridem, æque, & recte, & frequenter dicitur, ac iampridem, quam pridem.

Nonuncium . . . .
. .ludi appellant signi . . .
. .runcium, quod singuli sex . .
. .um sit . . . .

Nonuncium, & *teruncium* dicitur, quod nouem vnciarum sit, siue trium. PAVL.

Nota nunc significat signum, vt in pecoribus nunc litteras singulas, aut binas; nunc ignominiam. FEST.

Nota nunc significat signum, vt in pecoribus tabulis, libro, litteræ singulæ, aut binæ: alias ignominiam.

Nothum Græci natum ex vxore non legitima vocant, qui apud nos spurio patre natus dicitur, PAVL. quod Ser. Tullius, qui Romæ regnauit, natus est ex concubina Spurius Tulli tributis nisi forte maluimus credere Oclisia Corniculana captiua, eum susceptum matre seruiente.

Nothus Græci natum ex vxore non legitima dicunt, qui apud nos spurio patre natus est.

Nouæ curiæ, proximæ compitum Fabricium ædificatæ sunt. FEST. quod parum amplæ erant veteres à Romulo factæ, vbi is populum & sacra in parte is triginta distribuerat, vt in iis ea sacra curarent, quæ, cum ex veteribus in nouas euocarentur: septem curiarum per religiones euocari non potuerunt. itaque Foriensis, Raptæ, Vellensis. Velitiæ res diuinæ fiunt in veteribus curiis.

Noualis ager nouæ relictus sementi. PAVL.

. ucius eum esse vbi . . . FEST.
. sementem fit relic . . .
. .T. Sicini Volsci . . .
. inissent aduersus . . .
. combusti feruntur . . .

neque

. . neque est proxime cir . . .
, . pide albo constratus . .
. . Opiter Verginius . . .
. . Læuinus Postumus Co . . .
. . llius Tolerinus, P. Ve . . .
. . onius Atratinus, Ver. . . .
. . ius Scæuola. Sex. Fusi . . .

Nouendiales feriæ . . .
. . Hostilio rege extin . .
. . is nono die inferi . . .
. . more Albano lapi . . .
. . exaudita, vt Alban . . .
. . rant sacra. nam ab his . . .
. . quæ missa crate à poet. . .
. . tibus cœpissent ., . .
. . lo Cos. operæ . . .
. . pugnari pos . . .

PAVL. *Nouendiales* feriæ à numero dierum sunt dictæ.

Nouerca dicitur; quam quis sublatis liberis nouam vxorem ducit, augendæ familiæ gratia

FEST. . .tis nouam . . .
. .gratia, id est coer . . .
. 'ercterrannia . . . . .
. .Ser. Tullio . . . .
. .scenderetur . . .
. .tinus in Auen . . .
. .rum Ælius . . .
. .aiunt esse . . . .
. .mero quoque . . .
. ἀπὸ βαθείας τῆ . . .

PAVL. *Noxa* ponitur pro peccato, aut pro peccati pœna, cum lex iubet noxæ dedere pro peccato.

Noxia apud antiquos damnum significat, sed à poetis ponitur pro culpa.
. . vt Ser. Sulpicius.
. .apud poetas autem, & oratores ponitur pro culpa. at noxa peccatum, aut pro peccato poenam, vt Attius in Melanippo. te te esse huic noxæ obnoxium. Item cum lex iubet *noxa dedere*, pro peccato dedi iubet. Cæcilius in Hypobolymæo cherestato. Nam ista quidem noxa mulieris est magis quam viri.

Nuces . . . .
. . untur pueris, vt nonæ. . .
. . noui mariti auspicium . .
. . listimum : . . . .

PAVL. *Nuces* flagitantur nuptiis, & iaciuntur pueris, vt nouæ nuptæ intranti domum noui mariti secundum fiat auspicium.

Nuculas Prænestinos appellabant: quod inclusi à Pœnis Casilini famem nucibus sustentarunt: vel quod in eorum regione plurima nux minuta nascitur. FEST.

Nucu . . . .
. . quod inclusi. . . .
. . uerunt: vel quod in . .
. . ta pascitur.

Nudius tertius cõpositum ex nunc, & die tertio. PAVL.
. .situm ex nunc . . . FEST.
. .in agro . . . . . .
. .anta pa . . . .
. .ati sint . . . .
. .dicantur pa . . .
. .tur cælum cau . . .
. .icatur dam . . . .

Numam Pompilium Ianicul.
. .ferunt, in quo arcam eius in
. .nominis à Terentio
. .te agrum . . .

Numæ Pompilii in ianiculo est sepulchrum. PAVLVS.

Numella genus vinculi, quo quadrupedes deligantur. FEST.
. .quod quadruped . .
. .ri neruo, aut co . .

Numen, quasi nutus dei, ac potestas dicitur.
. .nutus dei ac pote. FEST.

Numera senatum ait quiuis senator consuli, cum impedimento vult esse, quo minus faciat senatusconsultum, postulatque, vt aut res, quæ adferuntur, diuidantur: aut singuli cõsulantur: aut si tot nõ sint senatores quo numero liceat præscribi senatusconsultum.

Numerius prænomen nunquam ante fuisse in patricia familia dicitur, quamuis Fabius, qui vnus post sex & trecentos ab Etruscis interfectos superfuit, inductus magnitudine diuitiarum vxorem dixit Otacilii Maleuentani, vt tum dicebantur, filiam, ea conditione, vt qui primus natus esset, prænomine aui materni Numerius appellaretur.

Numerius prænomen est tractũ ab auo. PAVL.

Numero dicebant pro nimium.

Nu . nt videtur esse : . FEST.
. . num numero fu . .
. . co ordine vsur . .
. . etudine loquen . .
. . eiusmodi, siue . .
. . ium quemadmodum . .
. . vsus Pompeius Sex . .
. . ma syllaba voca . .
. . u casus eadem cor . .
. . e temporis præsentis . .
. . antiquos nimium . .
. , Sinnius Capito esse enim .
. . um vos estis minime . .
. . ero perbiterint, nisi cito . .
. . mium si isto, qui exeam, numero estis mortui, hoc exemplo, vt pingeretis, id est, cur cito mortui estis? Item in Neleis. Nunquam numero matri faciemus. volui. Idem est. Nunquam nimium faciemus. Apud Næuium: Neminem vidi, qui numero sciret, quique scit, id est opus. id est nimium sciret. An panurgus Antonius. hæc ait numero nimium cito? celeriter nimium. vt Plautus, in Casina: Ere mi quid

vis mea ancilla? nimium sæpius numero dicis nimium cito. Attius in Oenomao: Ego vt essem adfinis tibi, non vt te extinguerem, Tuam peti gnatam, numero te expurgat timor. Afranius in suspecta: Per falsum, & abs te creditum numero nimis Celeriter. Cæcilius in Æthrio: Ei perii. quid ita? numero. venit fuce, domum. Afranius in Simulante: Ei misera numero, ac nequiquam egi gratias.

PAVL. *Numidas* dicimus, quos Græci Nomadas: siue quod id genus hominum pecoribus negotiatur: siue quod herbis vt pecora aluntur.

FEST. . .das dicimus, quos Gr . .
. .hominum pecoribus . . ,
. .cora aluntur . . .

PAVL. *Nummus* ex Græco numismate nascitur.

FEST. . .istimantur d . . .
. .ualere, quia . . .
. .hoc proprium est . . .

Nuncupata pecunia est, vt ait Cincius in libro secundo de officio iurisconsulti, nomina certa nominibus propriis pronuntiata. *Cum nexum faciet, mancipiumque vti lingua nuncupasset ita ius esto*: ita, vti nominarit, locutusue erit, ita ius esto. Vota nuncupata dicuntur, quæ consules, Prætores, cum in prouinciam proficiscuntur, faciunt: ea in tabulas præsentibus multis referuntur. At Santra libro secundo de verborum antiquitate satis multis nuncupata contigit non derecto nominata significare, sed promissa, & quasi testificata, circumscripta, receptaque etiam in votis nuncupandis esse conuenientius.

Nundinalem cocum Pla- . . .
. .dinale est in . . .
. .nouendial . . . .
. .nificat qu . . . .
. .ret.

Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, vt rustici conuenirent mercandi, vendendique causa, eumque nefastum, ne si liceret cum populo agi, interpellarētur nundinatores.

PAVL. *Nundinas* feriarum diem esse voluerunt antiqui: quo mercandi gratia vrbē rustici conuenirent.

FEST. *Nuncius* & res ipsa, & persona dicitur.
. .in persona dicitur . . .
, .allatus est, quod . . .
. .mentaris fec . . .

PAVL. *Nuper* quasi nouiter, tanquam dicamus nouissime.

FEST. . . .tanquam dici e . . :
. . .ris id autem . . .
. . .sa erant, qui nu . . .

Nupta verba dicebantur ab antiquis, quæ virginem dicere non licebat, vt Plautus in Discolo. Virgo sum, nondum didici nupta verba dicere.

Nuptam à Græco dictum, illi enim nuptam appellant νύμφην. FEST.
. .lieres quibus . . .
. .eadem causa . . .
. .qui appellatam . . .
. .tamen qui dice . . .
. .νύμφην . . . .
. .appellat vxo . . . .
. .consuetudi . . .
. .ait 'ἐξαπ . . . .
. στίων . . . . .

Nuptias dictas esse ait Santra ab eo, quod nymphea dixerunt Græci, antiqui γάμον, inde nouam nuptam νέαν νύμφην. Cornificius, quod noua petantur coniugia. Curiatius, quod noua ratio fiat. Ælius, & Cincius, quia flameo caput nubentis obuoluatur, quod antiqui *obnubere* vocarunt. ob quam causam legem quoque Parenstam iubere caput eius obnubere, qui parentem necauisset, quod est obuoluere.

Nuscitiosum Ætius Philologus ait appellari solitum, qui propter oculorum vitium parum videret. at Popilius Aurelius, nuscitiones esse cæcitudines nocturnas. Ælius Stilo, qui plus videret vesperi, quam meridie, nec cognosceret, nisi quod vsque ad oculos admonuisset.

Nuscitiosus qui parū videt propter vitiū oculorum, quiq; plus videt vesperi, quā meridie. PAVL.
. . . cuntur noma . . FEST.
. . . vnde Cato in . . .
. . . multam viuunt . . .
. . . cerialibus Capito Si . .
. . . ait cum velimus sig . . .
. . . libus in Circo mitti . . .
. . . set plane volumus . . :
. . . quia adeo diligantur s . .
. . . præ flamma cum sunt u . .

O

OB præpositio alias ponitur pro circum, vt cum dicimus vrbem *obsideri*, *obsignari*, *obuallari*. alias in vicem præpositionis, quæ est propter, vt *Ob* merita, vt superatos hostes: vnde *obsides*, pro obsides, qui ob fidem patriæ præstandam dantur. alias pro ad. vt Ennius: *Ob* Romam noctu legiones ducere cœpit. PAVL.

. onitur. . . . . FEST.
. obsideri ob . . .
. in vicem præpo . . .
. superatos , . , .
. riæ præstandam . . .
. ob Romam noc . . .
. ob Troiam duxit . . , .

Ob præpositione antiquos vsos esse pro ad, testis est Ennius, cum ait libro quartodecimo; Omnes occisi, *obcensique* in nocte serena, d est

id est, accensi. * & in Iphigenia: Acherontem obibo, vbi mortis thesauri *obiacent*. eiusdem autem generis esse ait, *obferre, obcullit, obcurrit, oblatus, obiectus*, mihi non satis persuadet.

PAVL. *Ob os* significat ad os.

FEST. *Ob os* ad os significat . . item vt superioribus quoque exemplis testatus est.

PAVL. *Obacerare*, obloqui, atque alterius sermonem moleste impedire. quod sumptum videtur à paleis, quas Græci ἄχυρα vocant. Itaque & frumentum, & panis non sine paleis *acerosus* dicitur. item *lutum aceratum* paleis mixtum.

Obacerbat, exacerbat.

Obambulare, aduersum alios ambulare, & quasi ambulanti sese opponere.

Obdere, opponere, vel opperire.

Obedire, obaudire.

Obescet, oberit vel aderit.

Obesus, pinguis, quasi ob edendum factus.

Obherbescere, herbam increscere.

Obiacuisse, antea iacuisse.

Obices, pessuli, seræ.

FEST. *Obigitat*, anteagitat, vt obambulat.

Obigitat antiqui dicebant, pro ante agitat, vt obambulare.

PAVL. *Obinunt*, obeunt.

Obitu dicebant pro aditu.

FEST. *Obiurare*, iureiurando obstringere.

Obiurare, iureiurãdo obstringere, vt est in Pantasilea, formidabant obiurare.

PAVL. *Obiurgatio* post turpe factum castigatio. *Monitio* vero est ante commissum.

Oblitteratum, alii ab obliuione, alii à littore, quod ibi notata fluctibus æquari, & tolli solent.

Oblucinasse dicebant antiqui mente errasse, quasi in luco deorum alicui occurrisse.

FEST. *Obmanens* pro diu manens, vt permanens.

Obmoueto pro admoueto dicebatur apud antiquos, vt alia quæ supra relata sunt.

PAVL. *Obnectere*, obligare, maxime in nuptiis frequens est.

Obnectere, oblegare.

Obnoxius, pœnæ obligatus ob delictum.

Obnubit, caput operit. vnde & *nuptiæ* dictæ à capitis operitione.

FEST. *Oboritur*, adnascitur.

Oboritur, adnascitur. nam præpositionem ob pro ad solitam poni, testis hic versus: Tantum gaudium oboriri ex tumultu maximo. & Ennius: ob Romam noctu legiones ducere cepit.

PAVL. *Opprobare* probrum obiicere.

Obpuniat, verberat, à *pauiendo*. id est feriendo, vnde pueri quod puniendo coercentur, id est, plagis vnde & *pauimenta*.

Obrogare est legis prioris infirmandæ causa legem aliam ferre.

Obrutuit, obstupuit à bruto, quod antiqui pro graui interdum pro stupido dixerunt. Afranius: Non possum verbum facere, obrutui.

Obsalutare, salutandi gratia offerre.

Obsalutare, offerre salutandi gratia dicebant antiqui, vt consalutare, persalutare. FEST.

Obsecrare est opem à sacris petere. PAVL.

Obsequela, obsequium.

Obseruasse dicitur qui obseruat, quid, cuiusq. causa facere debeat. itaque is qui obseruat, coluisse aliquem dicitur. FEST.

Obsidionalis corona est, quæ datur imperatori ei, qui obsidione liberauit ab hostibus obsessos: ea fit ex gramine viridi fere ex eo loco decerpto, in quo erant inclusi. herbam autem victoriæ signum fuisse apud antiquos, aliisque exemplis docuimus. quæ corona magnæ auctoritatis fuit. Nam & P. Decio datæ duæ sunt: vna ab exercitu vniuerso: altera ab iis, qui fuerunt in præsidio obsessi. & L. Sicinio Dentato, qui Achilles Romæ existimatus est, ac fertur centies, & vicies pro Rep. depugnasse. Coronis donatus viginti sex. In iis aureis octo, ciuicis quatuordecim, *muralibus* tribus, obsidionali vna. Inter *obsidionalem*, & *ciuicam* hoc interest, quod altera singularis signum salutis est, altera diuersorum ciuium seruatorum.

Obsidionalis corona dicebatur, quæ ei, qui obsessos liberasset ab hostibus, dabatur. ea fiebat ex gramine viridi ex eo loco decerpto, in quo erant inclusi. quæ corona magnæ auctoritatis erat. Ciuica corona singularis salutis signum erat; obsidionalis vniuersorum ciuium seruatorum. PAVL.

Obsidionem potius dicendum esse, quam obsidium, adiuuat nos testimonio suo Ennius in Telamone, cum ait: Scibas natum ingenuum Aiacem, cui tu obsidionem paras. Item alio loco: Hector quid haud cessat obsidionem obducere? FEST.

Obsidium, tamquam præsidium, subsidium, recte dicitur. Cuius etiam auctor C. Lælius pro se apud populum, vt in nobis terra, marique simul obsidium facerent. & Sallustius historiarum primo: Magnis opibus profectis obsidium cepit per L. Catilinam legatum.

Obsonitauere sæpe obsonauere. Cato in suasione (de lege Orchia derogaretur) qui antea obsonitauere, postea centenis obsonitauere. significat autem conuiuari.

Obsonitauere, sæpe obsonauere. significat autem conuiuari. PAVL.

Obstinat, obfirmat.

Obstinato, obfirmato, perseueranti, vt tenere possit. Pacuuius obstinati exorsus. vt Attius FEST.

in Amphitryone: aut tam obſtinato animo confiſus tuo. Cato in Q. Thermum de decem hominib. rumorem, famam flocciſecit captus ſtupris. obſtinatus inſignibus flagitiis. Næuius in Lycurgo: vos qui aſtatis obſtinati.

Obſtinet dicebant antiqui, quod nunc oſtendit, vt in veteribus carminibus: Sed iam ſe cælo candens aurora obſtinet ſuum patrem.

Obſtinet, pro oſtendit.

PAVL. *Obſtitum*, violatum.

FEST. *Obſtitum* Cloatius, & Aelius Stilo eſſe aiunt violatum attactumque de cælo. Cincius eum, qui deo, deæque obſtiterit; id eſt qui viderit, quod videri nefas eſſet.

PAVL. *Obſtitum*, obliquum.

FEST. *Obſtitum*, obliquum. Ennius lib. XVIII. Montibus obſtitis, obſtantibus, vnde oritur nox. & libro octauo: amplius ex augure obſtito polumve ſolis. C. Licinius Imbrex: reſupina obſtito capitulo ſibi ventum facere cunicula. Lucretius: Omnia mendoſe fieri atque obſtita neceſſe eſt.

Obſtrudant, obſatulient, ab auide trudendo gulam: non ſumendo cibum. vnde & *obſtrudulentum* dixit Titinius. obſtrudulenti aliquid, quod pectam ſedens. Aut hic lætaſter, aut formaſter frigidus.

PAVL. *Obſtrundant*, auide trudant.

Obteſtatio eſt, cum deus teſtis in meliorem partem vocatur; *deteſtatio* cum in deteriorem.

Obtrectat, contra ſententiam tractat.

Obtrectator eſt, qui facit quid contra tractantem.

Obturare ex Græco trahitur: ab eo quod illi oſtia dicunt θύρας.

Obtutu, quaſi obtuitu, à verbo tueor, quod ſignificat video.

Obuaricator dicebatur, qui cuipiam occurrebat, quo minus id rectum iter conficeret.

Ob vos ſacro, pro vobis obſecro: vt *ſub vos placo*, pro ſupplico.

Ob vos ſacro, in quibuſdam precationibus eſt, ob vos obſecro, vt & ſub vos placo pro ſupplico.

Occare, & occatorem Verrius putat dictum ab occædendo, quod cædat grandis globos terræ; cum Cicero venuſtiſſime dicat ab occædendo fruges ſatas.

PAVL. *Occare*, & occator ab occidendo dictum, quod grandis terræ cædat globos.

FEST. *Occaſio* opportunitas temporis caſu quondam prouenientis eſt.

PAVL. *Occaſio*, opportunitas temporis caſu proueniens.

FEST. *Occaſus*, interitus, vel Solis, cum decidit à ſuperis infra terras. quo vocabulo Ennius pro occaſione eſt vſus in libro ſecundo; hic occaſus datus eſt, at Horatius inclutus ſaltu. Item in libro quinto: iniicit intitatus, tenet, occaſus iuuat res. Item in libro octauo: aut occaſus vbi, tempuſve audere repreſſit.

Occaſus, interitus, vel Solis in Oceano merſio.

Occentare dicebant pro conuicium facere, cum id clare, & cum quodã canore fieret, vt procul exaudiri potuiſſet: quod turpe habebatur; quia non ſine caſu fieri putatur. inde cantilenam dici, qui illam non cantus iucunditatem puto.

Occentaſſint antiqui dicebant, quod nunc conuicium fecerint, dicimus: quod id clare, & cum quodam canore fit, vt procul exaudiri poſſit. quod turpe habetur, quia non ſine cauſa fieri putatur. inde cantilenam dici, quia illam non cantus iucunditatem puto. FEST.

Occidamus Plautus ponit pro contra cedamus. cum plurimæ aliæ præpoſitiones familiariores huic verbo ſint.

Occidamus Plautus poſuit pro contra cedamus. PAVL.

Occiſitantur, ſæpe occiduntur. FEST.

Occiſitantur, ſæpe occiduntur. ſic C. Gracchus pro roſtris in P. Pompilium: Homines liberi nunc in oppido occiſitantur.

Occiſus à necato diſtinguitur. nam *occiſus* ab cædendo dictus, *necatus* ſine ictu. FEST.

Occiſum à necato diſtinguit quidam, quod alterum à cædendo, atque ictu fieri dicunt, alterum ſine ictu. Itaque in Numæ Pompilii Regis legibus ſcriptum eſſe, *Si hominem fulminibus occiſit, ne ſupra ianua tollito.* & alibi, *Homo ſi fulmine occiſus eſt ei iuſta nulla fieri oportet.* PAVL.

Occultum offerre, ſignificat ſub terram fere ponere. PAVL.

Occupaticius ager dicitur, quod deſertur à cultoribus propriis, ac aliis occupatur.

Occupaticius . . . .
. . à cultoribus fr . . . .
. . ri cœptus, quo in . . .
. . nam cum Hann . . .
. . bene meri . . . .
. . atque eorum a . . .
. . tanquam ex l . . . .
. . nandos pu . . .
. . diret commu . . .
. . eſt à priuatis . . .
. . accepiſſent.

Ocimum Græcum.

Ocimum Græcum, (& à celeritate naſcendi eſt dictum.) PAVL.

Ocius & ociſſime poſitiuum Latinum non habent, ſed ab eo veniunt, quod eſt in Græco ὠκύς.

Ocius ſecundæ collationis, & deinde tertiæ ociſſime frequentata ſunt: alii dicta à noſtris, &

nostri, & tracta ex Græco id est ὠκέως, cuius prima significatio, ex qua procedere in comparationem debet, apud nos non est. tertiæ vero collationis, cuius maiora exempla sunt, auctor est Plautus in Neruolaria: Ocissime nos liberi possimus fiet.

. . quicquam occisa . . .
. . lius hostiarum . . .
. . tantur ocissim . . .
. . lamia apud . . .
. . laniam opor . . .

Ocrem antiqui, vt Ateius Philologus in libro Glossematorum refert, montem confragosum vocabant, vt apud Liuium: Sed qui sunt hi, qui ascendunt altum ocrim? Et, celsosque ocris, aruaque patria, & mare magnum. Namque Tænari celsos ocris. Et, haud vt quem Chiro in Pelio docuit ocr. vnde fortasse etiam *ocreæ* sint dictæ inæqualiter tuberatæ.

PAVL. *Ocrem* montem confragosum dicebant antiqui. hinc *ocreæ* dictæ. inæqualiter tuberatæ.

FEST. *Octauiæ* porticus duæ appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octauia soror Augusti fecit: alterã theatro Pompei proximam CN. Octauius CN. filius, qui fuit Ædilis Curilis, Prætor, Consul, Decemuit sacris faciendis, triumphauitque de rege Perse nauali triumpho. quam combustam reficiendam curauit Cæsar Augustus.

October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricum dexterior: de cuius capite non leuis contentio solebat esse inter Suburanenses, & Sacrauienses, vt hi in regiæ pariete, illi ad Turrim Mamiliam id figerent: eiusdemque cauda tanta celeritate perfertur in regiam; vt ex ea sanguis destillet in focum, participandæ rei diuinæ gratia. quem hostiæ loco quidam Marti bellico deo sacrari dicunt, non vt vulgus putat, quia velut supplicium de eo sumatur, quod Romani Ilio sunt oriendi, & Troiani ita effigie in equi sint capti. Multis autem gentibus equum hostiarum numero haberi, testimonio sunt Lacedæmonii, qui in monte Taygeto equum ventis immolant, ibidémque adolét, vt eorum flatu cinis eius per finis quam latissime deferatur, & Sallentini, apud quos Menzanæ Ioui dicatus viuus coniicitur in ignem, & Rhodii, qui quotannis quadrigas soli consecratas in mare iaciunt, quod is tali curriculo fertur circumuehi mundum.

PAVL. *October* equus appellabatur, qui in campo Martio mense Octobri Marti immolabatur. de cuius capite maxima erat contentio inter Suburanos, & Sacrauienses, vt hi in regiæ pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent. Cuius cauda, vt ex ea sanguis in focum distillaret, magna celeritate perferebatur in regiam.

FEST. *Oculatum* pro præsenti posuit Plautus cum dixit: oculata die. Item ipse: pluris est oculatus testis vnus, quam auriti Decem, id est qui se vidisse dicat.

. . dolo osculatum pro præ . .
. . odiæ cæca hercule . .
. . tem alibi oculatum ar. . .
. . idem pluris est ocul . .
. . id est qui se vidisse di . . .
. . formam ab oculi ap . . . . .

PAVL. *Oculissimum*, carissimum. Plautus Oculissimum ostium amicæ.

FEST. . . . imum ostium amicæ . .
. . . me dixit signifi. . . .

PAVL. *Oculitus* quoque dicitur, vt funditus, penitus. quo significatur tam carum esse, quam oculum.

FEST. . . . unditus, penitus signifi . .
. . . alum vel instare . r . . . .

PAVL. *Odefacit* dicebant, pro olfacit: quæ vox à Græco ὀσμὴ tracta est.

FEST. . . . antiqui ab odore . . . .
. . . consuetudine in . . .
vt sæpe alias, tum in hoc quoque libro contentæ. quæ vox, vt quibusdam videtur, ex Græca ὀσμὴ tracta est.

PAVL. *Oenigenas*, vino genitos.
Oestrum, furor Græco vocabulo.
Offectores, colorum infectores.

FEST. *Offendices* dicebantur ligaturæ nodos, quibus apex retinebatur. id cũ peruenisset ad mentum, dicebant *offendimentum*.

Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur, & remittatur. at Veranius Choriola existimat, quæ sint in loris apicis, quibus apex retineatur, & remittatur, quæ ab offendendo dicuntur. nam cum ad mentum peruentum est, offendit mentum.

Offerumenta dicebant, quæ offerebant.
Officiosus ab efficiendo dictus.
Offringi terra dicitur, cum iterum transuerso sulco aratur.

PAVL. *Offucare*, aquam in fauces ad sorbendum dare.
Offudas fallacias.
Ogygia mœnia Thebana ab Ogygo conditore dicta.

FEST. *Ogygia* mœnia Artius in Diomede appellans, significat Thebas, quia eam vrbem Ogygus condidisse traditur.

PAVL. *Oleagineis* coronis ministri triumphantium vtebantur, quod Minerua dea belli esse putabatur.
Olentica mali odoris loca.
Oletum, stercus humanum. Veranius: Sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum.

Oliuetum dicebãt ab oleis, vt à vino vindemiã.

FEST. *Oliuetam* antiqui dicebant, cum olea colligebatur: vt messem, cum frumenta: vindemiam, cum vuas. quod vocabulum potius frequentari debebat quam nullam eius significationis causam haberemus, quamuis quidam oliuitatem eam dicant.

PAVL. *Ollic*, illic: vt olli, illi:

FEST. *Oluatium* Antistius Labeo ait esse mensuræ genus.

PAVL. *Omen* velut oremen quod fit ore. augurium, quod auibus alioue modo fit.

FEST. *Ommentans*. . . in Odysse cum ait: in Pylum aduenies, aut ibi ommentans. significat obmanens. Sed ea significatione qua sæpe fieri dicitur. id enim est mantare.

Opaca vocantur vmbrosa.

Opaca, vmbrosa.

Opalia dicebantur dies festi, quibus Opi supplicabant.

Opalia dies festi, quibus supplicatur Opi appellantur, quorum alter . . .

Opertat, sæpe operit.

PAVL. *Opigenam* Iunonem matronæ colebant, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant.

Opilio, genus auis.

FEST. *Opima* spolia dicuntur originem quidam trahentia ab Ope Saturni vxore. quod ipse agrorum cultor habetur, nominatus à satu tenensque falcem effingitur. quæ est insigne agricolæ. Itaque illa quoq. cognominatur *Consiua*, & esse existimatur terra. Ideoque in regia colitur à populo Romano, quia omnes opes humano generi terra tribuat. Ergo & *opulenti* dicuntur, terrestribus rebus copiosi: *& hostiæ opimæ* præcipuæ pingues: & opima magnifica, & ampla. vnde spolia quoque, quæ dux populi Romani duci hostium detraxit, opima dicuntur. quorum tanta raritas est, vt intra annos paulo . . . trina contigerint nomini Romano. vna, quę Romulus de Acrone: altera, quæ Cossus Cornelius de Tolumnio: tertia, quæ M. Marcellus Ioui Feretrio de Viridomaro fixerunt. M. Varro ait opima spolia etiam esse, si manipularis miles detraxerit dummodo duci hostium . . . non sit. Ad ædem Iouis Fererii poni, testimonio esse libros pontificum, in quibus sit pro primis spoliis bouem, pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno publice sacra fieri debere. esse etiam compelli reges legem opimorum spoliorum talem: *Cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Ioui Feretrio darier oporteat. & bouem cadito, qui cepit æris ducenta secunda spolia. in matris aram in campo, solitaurilia vtra voluerit cadito. tertia spolia Iano Quirino agnum marem cadito centum qui ceperit ex ære dato huic ædis.* ex nulla extat, neque templum habeat, neque scitur. Vt qui opima lege fuerint, adiici solet, cum quidam magistratus, creatur.

PAVL. *Opiparum* magnarum opum apparatum.

Opis dicta est coniux Saturni, per quam voluerunt terram significare: quia omnes opes humano generi terra tribuit. Vnde & opulenti terrestribus rebus copiosi, & hostiæ opimæ præcipue pingues: & opima, magnifica & ampla spolia.

Opiter est, cuius pater auo viuo murtuus est, ducto vocabulo, aut quod obitu patris genitus sit, aut quod auum ob patrem habeat, id est pro patre.

Opitulus Iuppiter, & *opitulator* dictus est, quasi opis lator.

Oportune dicitur ab eo, quod nauigantibus maxime vtiles, optatique sunt portus.

Opperiri, expectare.

Oppido, valde multum. ortum est autem hoc verbum ex sermone inter se confabulãtium, quantum quisque frugum faceret. vtque multitudo significaretur, sæpe respondebatur, quantum vel oppido satis esset hinc in consuetudinem venit, vt diceretur oppido, pro valde multum. Itaque si qui in aliis rebus eo vtuntur, vt puta si qui dicant oppido didici, spectaui, ambulaui, errant: quia nulli eorum subiici potest, vel quod satis est.

Oppidorum originem optime refert Cicero libro primo de gloria, eamque appellationem vsurpatione appellatum esse existimat, quod opem darent, adiiciens, vt imitetur ineptias Stoicorum.

FEST. *Oppidum* dictum est, quod opem præbeat. Oppidum dictum. quod ibi homines opes suas conferunt oppidum. dicitur & locus in circo, vnde quadrigæ emittuntur.

Ops antiqui dicebant opulentum. vnde è contrario *inops*.

Ops antiqui dicebant qui nunc opulentum dicimus, vt testimonio est, non solum ei contrarius inops , ... concedit, ego egens exortus sum.

Optatam hostiam, alii optimam appellant eam, quam Ædilis trib. constitutis hostiis optat. quam immolari velit.

Optima lex . . in Magistro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quam plenissimum posset ius esse, significabatur. vt fuit Manii Valerii, M Fabii, Volusianæ gentis, qui primus Magister à populo creatus est propter quam vero prouocatio ab eo magistratu ad populum data est, quæ antea non erat. desitum est dici, vt optima lege, vtpote imminuto iure priorum magistratuum.

Optio, qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adiutor dabatur centurioni à Tribuno militum, qui ex eo tempore, quem velint, centurioribus permissum est optare, & nomen ex facto soritus est. Plautus in Asinaria: qua me, qua vxorem, qua tu Sauream seruum potes, circumduce, aufer, promitto tibi, non obfuturum, si id effeceris, tibi optionem sumito Laonidam.

PAVL. *Optio* est optatio, sed in re militari optio appellatur is, quem decurio, aut centurio, opcat sibi rerum priuatarum ministrum, quo facilius obeat publica officia.

Optionatus vt Decurionatus, siue Pontificatus dicitur.

FEST. *Optionatus*, vt Pontificatus, Decurionatus dicit, vt Cato in ea, quã habuit apud equites. maiores seorsum, atque diuersum paruere bonis, atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticas; aliosque honores.

PAVL. *Opunculo*, quod opilionis genus cantus imitatur.

FEST. *Oræ* extremæ partes terrarum, id est maritimæ dicuntur. vnde & vestimentorum extremæ partes; quæ quidem & dici possunt. Cæcilius in Aschrione vsus est pro initio rei, cum ait: Oram reperire nullam, quam expediam, queo.

PAVL. *Orare* antiqui dixerunt pro agere. vnde & *oratores* causarum actores, & oratores, qui nunc legati. quod reip. mandata peragerent.

FEST. *Orare* antiquos dixisse pro agere. testimonio sunt, quod & oratores, & ii, qui nunc quidem legati tunc vero oratores, quod reip. mandatas partes agebant. Ennius, quoque cum dixit libro primo annalium. face vero, quod te cum precibus pater orat.

Orata genus piscis appellatur à colore auri, quod rustici orum dicebant, vt auriculas, *oriculas*. itaque Sergium quoque quendam prædiuitem, quod & duobus anulis aureis, & grandibus vteretur. *Oratam* dicunt esse appellatum.

PAVL. *Orata* genus piscis à colore auri dicta, quod rustici orum dicebant, vt auriculas, oriculas.

Oratores ex Græco ἀρατῆρες dicti, quod missi ad reges, nationesque deos solent ἀρᾶσθαι, id est testari. hi modo appellantur legati.

FEST. . . es dictos ex . . .
. . gentes qui missi . . .
. . strum populo Ro . . .
. . ἀρᾶσθαι . . .
. . acte. eos nostri alii pro legatis appellant, vt Cato in ea, quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: M. Fuluio Consuli legatus sum in Ætoliam, propterea quod ex Ætolia complures venerant Ætolos pacem velle: de ea re oratores Romam profectos, & in Originum libro primo: Propter id bellum cœpit Cœlius PR. Albanus, oratores misit Romam eum . . . pro decretoribus, vt Terentius: orator venio, facite oxorator sim. Item & Afranius in Emancipato. si . .
. tum si quid oritur . . as . . .
sertis & loci veteribus. ab eo quod antiqui orare dicebant pro agere. ob quam causam . . . quoq. eorum vocantur.

Orba significat apud poetas priuatam aliqua persona cara.

Orba est, quæ patrem, aut matrem, aut filios, quasi lumen amisit. PAVL.

. . rba apud poe . . . FEST.
. . persona chara. apud . . .
. . mat. vt sca . , . .
. . ncos. orba est , . .
. , tris est ante . . . .
. . vlus Ælius . . .
. . in eo libro . . .
. . pontificatu . . .
. . ella sine . . . .
. . sacræ . . . .
. . nupta . . . .
. . fuisse . . .
. . nificius in . . . .
. . onigiarum . . .
. . inter se . . . .
. . runt . . . .
. , ros . . . .
. . isse . . . . .

Orca genus marinæ belluæ maximum ad cuius similitudinem vasa ficaria *orcæ* dicuntur. sunt enim tetetes, atq. vniuersi specie. PAVL. FEST.
. . nomen duceret . . .
. . maximum . . . .
. . vasa quoque in f. . . .
. . retes atque u . . ,
. . malæ & antæ. . . .

Orchestra locus in scæna. PAVL.
. . . antea, qui nunc pla . . FEST.
. . non admittebantur . . ,
. . rim fabulæ dum ex . ,
. . explicari non potera. . ,
. . tabant quo equiori . . .

Orchitis genus oleæ ex Græco dictum, quod magnitudine sit instar testiculorum. PAVL.
. . Philologus in . . . FEST.
. . ductum ex Græco . . .
. . tudinis, itaque u . .
. . to grandior ore

Orcus ab vrgendo mortem dictus. C enim pro G frequenter ponebant antiqui.

Orcum, quem dicimus ait Verrius ab antiquis dictum Vragum, quod & V litteræ sonum pro O efferebant, & per c litteræ formam, nihilominus g vsurpabant. sed PAVL. FEST.

nihil affert exemplorum, vt ita esse credamus, nisi quod is deus nos maxime vrgueat.

Ordinarium hominem Oppius ait dici solitum scurram, & improbum, qui assidue in litibus moraretur, ob eamque causam in ordine staret adeuntium prætorem. at Ælius Stilo qui minime ordine viueret. . . . in ea oratione, quam scribit de suis virtutibus contra Thermum. Quid mihi fieret, si non ego stipendia in ordine, omnia ordinarius meruissem semper? Sunt quidam etiam, qui manipularem eum, qui infimi ordinis sit, appellatum credant ordinarium.

PAVL. *Ordinarius* homo scurra, & improbus, qui assidue in litibus moratur, ob eamque causam in ordine stat Prætorem adeuntium, siue dictus per contrarietatem, quia minime ordine viuit.

Ordiri est rei principium facere.

FEST. *Ordiri* est rei principium facere. vnde togæ vocantur exorditæ.

Ordo sacerdotum æstimatur deorum. . . . . . maximus quisque. Maximus videtur Rex, deinde Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto Pontifex maximus. itaque in conuiuiis solus Rex supra omnes accubat: sed Dialis supra Martialem & Quirinalem; Martialis supra proximum, omnes dein supra Pontificem. Rex, quia potentissimus. Dialis, quia vniuersi mundi sacerdos, qui appellatur Dium. Martialis, quod Mars conditoris vrbis parens. Quirinalis socio imperii Romani Curibus ascito Quirino. Pontifex Maximus, quod iudex, atque arbiter habetur rerum diuinarum, humanarumque.

FEST. *Oreæ freni*, quod ori inseruntur. Titinius in Setina. & si tacebit, tamen gaudebit sibi permitti oreæ. & Næuius in Hariolo: Deprandi autem leonis obdas oreas. Cato Originum, libro tertio. equos respondit: oreas mihi inde, tibi cape flagellum. Coelius pro se apud populum: equusque mihi sub feminibus occisus erat, oreas detraho inspectante Stertiuio.

PAVL. *Oreæ freni*, quod orii inserantur, dicti.

Oreus Liber pater, & Oreades nymphæ à montibus appellantur.

FEST. *Oreos* liber pater, & Oreades nymphæ appellantur, quod in montibus frequenter apparent.

PAVL. *Oriri*, nasci, vel surgere.

FEST. *Originum* libros quod inscripsit Cato: non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus: quando prægrauant ea, quæ sunt rerum gestarum populi Romani.

O . . quantæ . . . .
. . . .
. .

Ornatus dicitur, & bonis artibus instructus, & honores adeptus à populo, & bene aptus, vt miles aut gladiator, & acturus fabulas. atque etiam ornatus dicitur cultus ipse, quo quis ornatur, vt cum dicimus aliquem tragico, vel comico ornatu prodire.

PAVL. *Ornatus* dicitur, & bonis artibus instructus, & honores adeptus. Appellaturque ornatus, cultus ipse, quo quis ornatur.

FEST. *Ortygia* Delos insula.

Orty . . . ita non Delos . .
. . . . tus esse ab ordibus . .
. . . . filia. Ser . . . .
. , . . nius Superbus ge . .
. . . . orarat tende . . .
. . . . flessionem coe . .
. . . . s quod pro . . .
. . . . ducere vnde . .
. . . . tus est . . .

PAVL. *Oscilla* festa in honorem Bacchi; in quibus homines se per funes iactant. alii putant Erigones, & Icari festa.

FEST. *Oscillum* Santra dici ait, quod oscillent, id est, inclinent, præcipitesque in os ferantur. *Oscillantes* ait Cornificius ab eo quod (os cælare sint soliti personis propter verecundiam, qui eo genere lusus vtebantur. Causa autem eius iactationis proditur. Latinus rex, quod prælio, quod ei fuit aduersus Mezentium Cæritum regem, nusquam apparuerit, iudicatusque sit Iupiter factus Latiaris. Itaque per sex eos dies, feriatos liberos, seruosque requirere eum, non solum in terris, sed etiam qua videretur cælum posse adiri per oscillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altissima ad infimum, interdum infima ad summam efferuntur. atque ideo memoriam quoq. redintegrari initio acceptæ vitæ per motus cunarum, lactisque alimentum, quia per eos dies feriarum, & oscillis moueantur, & lactata potione vtantur. Nec desunt, qui exemplum Græcorum secutos putent Italicos, quod illi quoque iniuria interfecto Icaro, Erigone filia eius dolore impulsa suspendio perisset, per simulationem . . .
. . . .

Oscines aues Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, vt coruus, cornix, noctua; aut quæ alis, ac volatu, vt buteo, sanqualis, aquila, immissulus, vulturius, pica aut Martius, Feroniusque, & parra, & in oscinibus, & in alitibus habentur.

PAVL. *Oscines* aues auspicium ore facientes.

Oscinum augurium à cantu auium.

FEST. *Oscinum* tripudium est, quod oris cantu significat quid portendi, cum cecinit coruus, cornix, noctua, parra, picus.

Oscum

PAVL. *Oscum* dicitur significare sacrum. vnde leges *oscitæ*, id est, sacratæ. *Opicum* quoque inuenimus pro osco. Oscis enim frequētissimus fuit vsus libidinum spurcarum. vnde & verba impudentia appellantur *obscena*. Titinius: Osce, & Volsce fabulantur, nam Latinè nesciunt.

FEST. *Oscum* duas diuersas, & contrarias significationes habet. Nam Cloatius putat eo vocabulo significari sacrum, quo etiam leges sacratæ *oscæ* dicuntur. & in omnibus ferè antiquis commentariis scribitur *opicum*, pro osco, vt in Titinij fabula Quinta: Qui Osce, & Volsce fabulantur: nam Latinè nesciunt, à quo etiam verba impudentia & elata appellantur *obscena*, quia frequentissimus fuit vsus Oscis libidinum spurcarum. Sed eodem etiam nomine appellatur locus in agro Veienti, quo frui soliti produntur augures Romani. Oscos, quos dicimus, ait Vertius, *Opscos* antea dictos, teste Ennio, cùm dicat: De muris res gerit Opscus. Adiicit etiam, quod stupra inconcessæ libidinis *obscæna* dicantur ab eius gentis consuetudine inducta. Quod verum esse non satis adducor, cùm apud antiquos omnes ferè *obscæna* dicta sint, quæ mali ominis habebantur: vt illa Vergilij testimonio sint, vt superiorum auctorum exempla referre non sit necesse, cum ait Harpias, obscenas volucres: &, obscenámque famem.

Osculana pugna in prouerbio, quo significabatur, victos vincere. quia in eadem & Valerius Læuinus Imperator Romanus à Pyrrho erat victus, & breui eundem regem deuicerat. Sulpicius. . . . Item Imperator noster. eius meminit Titinius hoc modo: hæc quidem quasi osculana pugna est . . . secus, quia hinc fugere impulsi spolia colligunt. significat etiam *osculum*, suauium. vt Plautus in Neruolaria: osculum sat est osculi mihi. qui, ambo mi pater? quod inter cognatos propinquósque institutum ab antiquis est, maximéque fœminas.

Osi sunt, ab odio declinasse antiquos testis est C. Gracchus in ea, quæ est de lege Minucia, cum ait: Mirum siquid iis iniuriæ fit? semper eos osi sunt, quod nunc quoque cum præpositione elatum frequens est, cum dicimus, perosi.

PAVL. *Osi sunt*, vt perosi sunt, dicebatur.

Osorem dixerunt, qui aliquem odisset.

Ostentas, sæpe ostendis gloriandi causa.

FEST. *Ostentas*, sæpe ostendis gloriandi causa. sed & participialiter id etiam dici debet, & dictum est fœminino genere.

PAVL. *Ostentum*, ostentatum.

FEST. *Ostentum*, non solùm pro portento poni solere, sed etiam participialiter . . . testimonio est Pacuuius in Medo . . . atque eccum in ipso tempore ostentum senem. & Attius in Bacchis: præsens præsto irridetis nobis. . . . stipe vltro ostentum obtulit. Ostentum quo nunc vtimur interdum prodigij vice, quin participialiter quoque dici solitum sit, non dubium facit etiam C. Gracchus de legibus à se promulgatis, cum ait: quod vnum nobis in ostentum, ipsis in vsum asportatur.

Ostiam vrbem ad exitū Tiberis in mare fluentis Ancus Marcius rex condidisse, & fœminino appellasse vocabulo fertur. quod siue ad vrbem, siue ad coloniam, quæ postea condita est, refertur.

Ostia, vrbs ab exitu Tiberis appellata.

PAVL. *Oualis*, corona est myrtea, quam habebant, qui ouantes introibant, cum bella non erant indicta, aut sine sanguine confecta.

Ouantes, lætantes, ab eo clamore, quem faciūt redeuntes ex pugna victores milites geminata O litera.

Ouem masculino genere dixerunt, vt ouibus duobus, non duabus.

Oufentina, tribus ab Oufente fluuio dicta.

FEST. *Oufentina*, tribus initio causa fuit nomen fluminis Oufens, quod est in agro Priuernate inter mare, & Terracinam. Lucretius: Priuerno Oufentina venit, fluuióque oufente. postea deinde à Censoribus alij quoque diuersarum ciuitatum eidem tribui sunt adscripti.

Ouibus duabus multabantur apud antiquos in minoribus criminibus, in maioribus autem bubus. nec vltra hunc numerum excedebat multatio, quæ posteaquam ære signato vti ciuitas cœpit, pecoráque multaticia incuria corrumpebantur. vnde etiam *peculatus* crimen vsurpari cœptum est, facta est æstimatio pecoralis multæ, & boues centenis assibus, oues denis æstimatæ. Inde *suprema multa*, id est, maxima appellatur tria millia æris. Item vicesis minoribus delictis.

PAVL. *Oxime*, ocissime.

P

FEST. P*A*, pro parte, & po, pro populo positum est in saliari carmine.

Pacem à pactione conditionum putat dictam Sinnius Capito, quæ vtrique inter se populo sit obseruanda.

PAVL. *Pax* dicta est à pactione.

FEST. *Pacionem* antiqui dicebant, quam nunc pactionem dicimus. vnde & *pacisci* adhuc, & paceo in vsu remanet.

PAVL. *Paana* Apollinem vocauerunt, quod sagittarum ictu eum nocere putabant est enim παίειν ferire. Alij quod remedium morbis

finem faceret talis grauitatis.

Padidos, sordidos significat, atque obsoletos, tractum vocabulum à Græco: quia παῖδες, id est, pueri, talis sint ætatis, vt à sordibus nesciant abstinere.

Pagani, à pagis dicti.

Pagi, dicti à fontibus: quod eadem aqua vterentur. aquæ enim lingua Dorica παγαὶ appellantur.

Pagina dictæ quòd in libris suam quæque obtineat regionem, vt pagi: vel à pangendo, quòd in illis versus pangantur, id est, figuntur.

Palatium, mons Romæ appellatus est, quod ibi pascens pecus balare cõsueuerit: vel palare, id est, errare, ibi pecudes solerent. alij quòd ibi Hyperborei filia Palanto habitauerit, quæ ex Hercule Latinum peperit. alij eundem, quod Pallas ibi sepultus sit, existimant appellari.

Palatualis, Flamen ad sacrificandum ei deæ constitutus erat, in cuius tutela Palatium esse putabant.

FEST. *Palatualis*, Flamen constitutus est, quod in tutela eius deæ Palatium est

PAVL. *Pales* dicebatur dea pastorum, cuius festa *palilia* dicebantur. vel, vt alij volunt, dicta *parilia*, quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant.

Pallas, Minerua dicta est quòd Pallantem gigantem interfecerit: vel, sicut putabãt, quod in Pallante palude nata est.

Palmites, vitium sarmenta appellantur, quod in modum palmarum humanarum virgulas, quasi digitos edunt.

Palmulæ, appellantur remi à similitudine manus humanæ.

Palpari, blandiri.

Paludati, armati, ornati. omnia enim militaria ornamenta *paludamenta* dicebant.

FEST. *Paludati* in libris auguralibus significat, vt ait Veranius, armati, ornati. omnia enim militaria ornamenta *paludamenta* dici.

Pancarpiæ dicuntur coronæ ex vario genere florum factæ.

PAVL. *Pandana* porta dicta est Romæ, quod semper pateret.

Pandiculari dicuntur, qui toto corpore oscitantes extenduntur: eo quod pandi fiunt.

Pandicularis dicebatur dies, idem & communicarius, in quo omnibus diis communiter significabatur.

FEST. *Pangere*, figere. vnde *plantæ pangi* dicuntur, cum in terram demittũtur. inde etiam *versus pangi*, vel figi in cera dicuntur.

Pangere significat figere. vnde *plantæ pangi* dicuntur, cum in terram demittuntur . .

. . . .

PAVL. *Panibus* redimebant caput equi immolati Idibus Octobribus in campo Martio, quia sacrificium fiebat ob frugum euentum: & equus potius, quàm bos immolabatur, quod hic bos frugibus pariendis est aptus.

Pantices frus ventris.

. . . frus ventris . . .

. . . mi ag . . . .

Panus facit deminutiuum panicula. PAVL.

Papillæ capitula mammarum dictæ, quod papularum sunt similes. PAVL.

Papiria tribus à Papirio vocata. FEST.

. . diria . . . . .

. . . coniu . . . .

. . . quod ind . . .

. . . tur bellum . . .

. . . tos ex et . . .

. . . discessera . . .

. . . signum con . . .

. . . rem in ipsorum ar . . .

. . . testate, ac pote . . .

. . . exercitus suffrag . . .

Pappi, carduorum flores. Lucretius: Vestem, nec plumas auium, pappósque volantis. PAVL.

. . . o quoque . . . FEST.

. . . rum ex . . .

. . . sulibus ae . . .

. . . tq. ex ea . . .

. . . s magistra . . .

. . . intra dies . . .

. . . ncias inter se pa . . .

. . . uit ciuis aliter inter . .

. . . lege primum factus . .

. . . circo sunt creati . . .

Pararium, æs appellabatur id, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur. PAVL.

Parasangæ, apud Persas viarum mensuræ.

Parens, vulgo pater, aut mater appellatur. sed iuris prudẽtes auos, & proauos, auias, & proauias parentum nomine appellari dicunt.

Parere, obedire.

Paribus equis, id est, duobus, Romani vtebantur in prælio, vt sudante altero transirent in siccum.

Parici quæstores appellabantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quærendarum. Nam paricida non vtique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcumque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilij Regis his composita verbis: *Si quis hominem liberum dolo sciens morte duit paricida esto.*

Parilibus Romulus vrbem condidit, quem diem festum præcipuè habebant iuniores. FEST.

. . . vrbem condidit Rom. .

. . . habebant iunio.

Parmulis pugnare milites soliti sunt, quarum vsum sustulit C. Marius datis in vicem earum Brutianis.

PAVL. *Parones*, nauium genus, ad cuius similitudinem myoparo vocatur.

Parret, significat apparebit.

FEST. *Parret*, quod est in formulis, debuit, & producta priori syllaba pronuntiari, & non gemino r scribi, vt fieret paret, quod est inueniatur. vt comparet, apparet.

Parsi, non *peperci*, ait Cato in eadem oratione. Scio fortunas secundas negligentiam prendere solere: quod vti prohibitū irem, quod in me esset, meo labori non parsi.

Parsi (idem) Cato dixit pro peperci.

PAVL. FEST. *Partus*, & pro nascendo ponitur, & pro parato. Næuius: Malè parta, malè dilabuntur.

PAVL. *Parum cauisse* videri pronuntiat magistratus, cum de consilij sententia capitis quem condemnaturus est.

Parumper, significat paulisper, quasi perparum, hoc est valde parum. refertur, aiunt, ad tempus.

FEST. *Pascales oues*, Cato posuit pro pascuales.
. . . cienter Cato dixit in ea . .
. . . calis ouis vetuit . . .
. . . appellat in ora . . . .
. . . cio Tarenti plus.c. . .
. . . nam ignaro Terentino . .

PAVL. *Pascito linguam* in sacrificiis dicebatur, id est, coërceto, contineto, taceto.

Passales & oues, & gallinæ appellantur, quod passim pascuntur.

FESTVS. *Passer marinus*, quem vocat vulgus strutomellum.

PAVL. *Pastillum* est in sacris libi genus rotundi.

Pastillus, forma panis parui, vtique: diminutiuum est à pane.

Patagium est, quod ad summam tunicam assui solet quę & *patagiata* dicitur, & *patagiarij*, qui eiusmodi opera faciunt.

Patagus, morbi genus.

Patacem bouem Plautus appellat cuius cornua diuersa sunt, ac latè pateant.

FESTVS. *Patellæ*, vasa picata parua sacrificiis faciendis apta.
. . . item sacris fa . . .
. . . velut capidul . . . . .

Pateram perplouere in sacris cum dicitur, significat pertusam esse.

PAVLVS. *Pateram perplouere* cum dicerent, significabāt pertusam esse.

FEST. *Pater patrimus* dicebatur apud antiquos, qui cum iam ipse pater esset, habebat etiā tum patrem.

Patr. . . . . .
. . sit manifestum, quia, . .
. . numerari inter do . .

PAVL. *Patres*, senatores ideo appellati sunt, quia agrorum partes attribuebant tenuioribus, ac liberis propriis.

. . lantur ex quibus Senatus . . FEST.
. . . condita Romulus C. . .
. . . quorum consilio, atq. . .
. . . ministraretur, atq. . .
. . . agrorum partes at . .
. . . perinde ac liberis . .
. . . solebant iam inde à Ro . .
. . . argenti signati vl . .
. . . publicæ, & priuatæ. . .
. . . nt. . . .
Patrum comu . . . .
. . . .

Patricios, Cincius ait in libro de Comitiis, eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur. PAVL.

Patricius vicus Romæ dictus, eo quod ibi patricij habitauerunt iubente Seruio Tullio, vt si quid molirentur aduersus ipsum, ex locis superioribus opprimerentur.

Patrimi & matrimi pueri tres adhibebātur in nuptiis: vnus, qui facem præferret ex spina alba, quia noctu nubebant duo, qui nubentem tenebant. FEST.

Patrimi & matrimi pueri prætextati tres nubentem deducunt: vnus qui facem pręfert ex spina alba, quia noctu nubebant: duo, qui tenent nubentem.

Patrocinia appellari cœpta sunt, cum plebs distributa est inter patres, vt eorum opibus tuta esset.

Pauciens dicebant pro raro. Titinius: Vxorem pauciens videbo.

Paueri, frumenta dicebant antiqui, quæ de vagina non bene exibant. PAVL.

Pauimenta Pœnica, marmore Numidico constrata significat Cato, cum ait in ea, quam habuit, *ne quis consul bis fieret*: Dicere possum quibus villæ, atque ædes ædificatæ, atque expolitæ maximo opere, citro, atque ebore, atque pauimentis Pœnicis stent. FEST.

Pauimenta Pœnica, hoc est, marmore Numidico strata. PAVL.

Pauperies, damnum dicitur, quod quadrupes facit.

Pectenatum, tectum dicitur à similitudine pectinis in duas partes deuexum, vt *testudinatum* in quatuor.

Pectuscum, palati dicta est ea regio vrbis, quā Romulus obuersam posuit, ea parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare versus, & quia mollissime adibatur vrbs cum Etruscorum agrum à Romano Tiberis discluderet, cęteræ vicinæ ciuitates colles aliquos haberent oppositos. FEST.

Peculatus est nunc quidem, qualecunque publicum furtum, sed inductum est à pecore, vt pecunia quoque ipsa. Iametiam noxij

pecore multabantur, quod neque æris adhuc, neque argenti erat copia. itaque *suprema multa* etiam nunc appellatur.

PAVLVS. *Peculatus*, furtum publicum à pecore dictum sicut & *pecunia*. eo quod antiqui Romani nihil præter pecora habebant.

Peculatus, id est furtum publicum, dici cœpit à pecore tunc, cum Romani præter pecudes nihil haberent.

FESTVS. *Peculatus*, furtum publicum dici cœptus est à pecore, quia ab eo initium eius fraudis esse cœpit, siquidem ante æs, aut argentum signatum ob delicta pœna grauissima erat duarum ouium, & triginta boum. ea lege sanxerunt T Menenius Lanatus, & Sestius Capitolinus Consules. quæ pecudes, postquam ære signato vti cœpit populus Rom. Tarpeia lege cautum est, vt bos centussibus ouis decussibus, æstimaretur.

Peculium seruorum à pecore item dictum est, vt pecunia patrum familiæ.

PAVLVS. *Peculium* seruorum à pecore dictum, sicut & pecunia nobilium.

Pecunia, sacrificium fieri dicebatur, cum fruges, fructúsque offerebantur: quia ex his rebus constat, quam nunc pecuniam dicimus.

FESTVS. *Pecunia*, sacrificium. . . .
. . tumque causa mola pu . . .
. . cio. quia omnis res fam . . .
. . dicimus, ex his rebus con . .
. . appellantu: quæ fulg . .
. . iecta depellendorum n . . .
. . bonorum causa fiunt.

PAVLVS. *Pecuum*, cum dixit M. Cato per casum genitiuum, à singulari casus recti formauit, quo vtebantur antiqui, id est, pecu, ac testu, tonitru, genu, veru. quorum omnium genitiuus pluraliter geminat V litteram. nunc quia dicimus vt pectus, eam, quæ in vsu est, formam in declinationibus sequimur.

PAVL. *Pecuum*, Cato dixit genitiuum pluralem ab eo quod est pecu.

Pedam, vestigium humanum appellabant.

FESTVS. *Pedam*, vestigium humani pręcipuè pedis appellasse antiquos in commentariis quibusdam inueniri solet.

Pedarium, senatorem significat Lucilius, cum ait: agipes vocem mittere cœpit. qui ita appellatur, quia tacitus transeundo ad eum cuius sententiam probat, quid sentiat, indicat.

Pedem struit, in XII. significat, fugit, vt ait Ser. Sulpicius.

PAVLVS. *Pedem struit*, dicebant pro eo, quod est, fugit.

Pedestria, auspicia nominabantur, quæ dabantur à vulpe, lupo, serpente, equo, ceterisque animalibus quadrupedibus. . . .
. . picia . . . . .
. . terisque . . . . .

FESTVS. *Pedibus obsitum*, id est pediculis. Titinius *pedicosum* appellat hoc modo: Rus detrudetur pedicosus, squalidus. Pedes autem pro pediculis sic Plautus refert in Curculione: Item genus inter homines meo quidem animo, vt muscæ, culices, cimices, pedesque, pulicésque. & Liuius in gladiolo: pulicesne, an, cimices, an pedes: responde mihi. & Lucilius: vbi me videt, caput scabit, pedes legit.

PAVLVS. *Pedes*, dicuntur, quos deminutiuè dicimus pediculos. ab his *pedicosi* appellantur. vt est illud. pedicosus, squalidus, vbi me videt, caput scabit, pedes legit.

FESTVS. *Pedulla*, quæ dicimus, ΠΕΔ . . Græcos appellare manifestum est.

Pedum, est quidem baculum incuruum, quo pastores vtuntur ad comprehendendas oues, aut capras, à pedibus. cuius meminit etiam Vergilius in Bucolicis, cum ait: At tu sume pedum. Sed in eo versu, qui est in Iphigenia Ennij: Procede, gradum proferre pedum, nitere, cessas? id ipsum iaculum significari cum ait Verrius, mirari satis non possum cum sit ordo talis, & per eum significatio aperta, gradum proferre pedum cessas? initere.

Pedum, baculi genus incuruum. Vergilius: At tu sume pedum. Pedum pastorale baculum incuruum dictum, quia illo oues à pedibus comprehenduntur.

Pegasides, musæ dictæ sunt à fonte, quem Pegasus ictu vngulæ fingitur aperuisse. ob quam causam & Græcè appellatæ sunt hyppocrenæ.

Pelamys, genus piscis dictum, quod in luto moretur, quod Græcè dicitur πηλός.

Peligni ex Illirico orti. inde enim profecti ductu Volsini regis, cui cognomen fuit Lucullo partem Italiæ occuparunt. Huius fuerunt nepotes Pacinus, à quo *Pacinates*, & Pelicus, à quo Peligni.

Pellem habere, Hercules fingitur, vt homines cultus antiqui admoneantur. lugentes quoque diebus luctus in pellibus sunt.

Pellexit, in fraudem induxit.

Pellicator, qui pellicit ad fraudem.

Pellices, nunc quidem appellantur alienis succumbentes, non solum feminæ, sed etiam mares. antiqui eam propriè pellicem nominabant, quæ vxorem habens nubebat. cui generi mulierem etiam pœna constituta est à Numa Pompilio hac lege: *Pellex aram Iunonis ne tangito. Si tanget, Iunoni crinibus demissis agnum feminam cadito.*

Pelliculationem Cato à pelliciendo dixit.

Pelliculatio . . . . .

FEST. . . . ndo, quod inducen. . .

. . . quam scripsit de . . .

PAVL. *Pellicum* galerum, quia fiebat ex pelle.

Pelluuiae, quibus pedes lauãtur, vt malluuiae, quibus, manus.

Pelta, genus scuti.

Penates alij volunt, vt habeat nominatiuum singularem penas. alij penatis.

FEST. *Penatis* singulariter Labeo Antistius posse dici putat, quia pluraliter penates dicantur, cum patiatur proportio etiam *penas* dici, vt *optimas, primas, Antias.*

Penatores qui penus gestant. Cato aduersus M. Acilium quarta: Postquam nautas ex nauibus eduxi, non ex militibus, atque nautis piscatores penatores fici sedarum dedi.

PAVL. *Pendere poenas*, soluere significat, ab eo quod aere graui cum vterentur Romani, penso eo, non numerato, debitum soluebant. vnde etiam *pensiones* dictae. *Poenas pendere* proprie dicitur, qui ob delictum pecuniam soluit, quia penso aere vtebantur.

FEST. . . . oe . . . .

. . . ob . . . .

. . . ntur . . . .

Penem antiqui codam vocabant. a qua antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in cenis puris *offa penita* vocatur. & *peniculi*, queis calciamenta tergentur, quod e codis extremis faciebant antiqui, qui tergerent ea. dictum est forsitan a pendendo. Naeuius in Tunicularia. Theodotum compellas, qui aras compitalibus Sedens in caella circumtectuas tegetibus Lares ludentes *peni* pinxit *bubulo*. significat peniculo grandi, id est, coda.

PAVL. *Penem* caudam vocabant. vnde & offam porcinam cum cauda. *offam penitam* dicebant. hinc & *peniculos* dicimus, quibus calciamenta terguntur, qui de caudarum extremitate fiunt. *Penis* denique a pendendo vocata est.

FEST. *Penetrale* sacrificium dicitur, quod interiore parte sacrarij conficitur. vnde & *penetralia* cuiusque dicuntur, & *penes nos*, quod in potestate nostra est.

PAVL. *Penetralia* sunt penatium deorum sacraria.

Penetrare, penitus intrare.

Peniculi spongiae longae propter similitudinem caudarum appellatae. Penes enim vocabantur caudae.

FEST. *Penitam offam* Naeuius appellat absegmen carnis cum coda. antiqui autem *offam* vocabant abscissum globi forma, vt manu glomeratam pultem.

Pennas antiquos ferunt ex Graeco, quod illi πτηνὰ ea, quae sunt volucria dicant. Item easdem pesnas, & coesnas.

Pennas, impennatasque agnas, in saliari carmine; spicas significat cum aristis; & alias sine aristis agnas nouas volunt intelligi. PAVL.

Penora dicuntur res necessariae ad victum cotidianum. & locus eorum *penarius*.

Pentathlum antiqui quinquartium dixerunt. id autẽ genus exercitationis ex his quinq. artibus constat, iactu, disci, cursu, saltu, iaculatione, luctatione.

Penuria est id, quod paene minus sit, quam necesse est.

Penus vocabatur locus in aede Vastae intimus. FEST.

. . ocatur locus intimus in aede Vestae segetibus . Saepius qui certis diebus circa Vestalia aperitur. ij dies religiosi habentur.

Perbitere Plautus pro perire posuit. PAVL.

Percunctatio pro interrogatione dicta videtur ex nautico vsu, quia conto pertentant, cognoscuntque nauigantes aquae altitudinem. ob quam causam ait Verrius etiam secundam syllabam per O solere scribi. mihi id falsum videtur. nam est illa percunctatio, quod is, qui curiose quid interrogat, per cuncta visit, vt recte per V litteram scribatur. FEST.

Percõtatio videtur dicta ex vsu nautico, quia aquae altitudinem conto portentant. Alij volunt percunctationem dici, quod scilicet is, qui curiosus est, per cuncta interrogat. PAVL.

Percunctatum patris familiae nomen nequis seruum mitteret, lege sanctum fuisse ait Cato in ea, qua legem Orchiam dissuadet. FEST.

Perditum est, quod interit, ac recuperari non potest. PAVL.

Perediam, & *bibesiam* Plautus cum dixit, intelligi voluit cupiditatẽ edendi, & bibendi.

Perediam, & *bibesiam* Plautus finxit sua consuetudine, cum intellegi voluit cupiditatem edendi, & bibendi. FESTVS.

Peregere dicebant expergefacere. PAVL.

Peregrina sacra sunt dicta, quae ab alijs vrbibus religionis gratia sunt aduecta.

Peregrina sacra appellantur, quae aut euocatis diis in oppugnandis vrbibus Romam sunt conlata, aut quae ob quasdam religiones per pacem sunt petita, vt ex Phrygia Matris Magnae, ex Graecia Cereris, Epidauro Aesculapij, quae colũtur eorum more, a quibus sunt accepta. FESTVS.

Peregrinus ager est, qui neque Romanus, neque hostilis habetur.

Peremere alij posuere pro prohibere, alij pro vitiare. PAVLVS.

Peremere Cincius in libro de verbis priscis ait significare idem, quod prohibere. at Cato in libro qui est de re militari, pro vitia- FEST.

re vsus est, cum ait: cum magistratus nihil audet imperare, nequid Consul auspicij peremat.

. . , est, cum ait: Cum magistratus nihil audet imperare, nequid Consul auspicij peremat.

Peremne dicitur auspicari, qui amnem, aut aquam, quae ex sacro oritur, auspicato transit.

Perempta, & interempta pro imperfectis poni solet a poetis. Lucretius: Cum corpus simul, atque animi natura perempta.

Peremptalia fulgura Gracchus ait vocari, quae superiora fulgura, vt portenta, vi sua perimant duobus modis, prioribus tollendis, aut maiore manubia, vt tertia secundae, secunda primae cedat. Nam vt omnia superantur fulgore, sic ictum fulgur manubiis vinci.

PAVL. *Perfacul*, & per se facul antiqui dicebant, quod nunc facile, & perfacile dicimus. inde permansit in consuetudine facultas.

FEST. *Perfines*, perstringas.

Perfugam, Gallus Aelius ait, qui liber, aut seruus, aut hostis sui voluntate ad hostes transierit, qui idem dicitur transfuga. quãquam sint, qui credant perfugam esse, non tam qui alios fugiat, quàm qui ob spem commodorum ad quempiam perfugiat.

PAVL. *Perfuga*, & *transfuga* dicitur. quod ad hostes perfugiat, & transfugiat.

Pergite, agite. Vergilius: Pergite Pierides.

Pergraecari est epulis, & potationibus inseruire. Titinius: Hominem improbum, Nunc ruri pergraecatur.

Periculatus sum Cato est vsus in dicendo.

FEST. . . . ulatus sum Cato ait in ea oratione, quam scripsit ad litis Censorias.

Peribodos dicitur & in carmine lyrico pars quaedam, & in soluta oratione verbis circum scripta sententia, & in gymnicis certaminibus *peribodon* vicisse dicitur, qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicit: a circumitu eorum spectaculorum.

PAVL. *Perimit*, adimit, tollit. vnde & peremptus, interfectus.

FEST. P. . pellat. a quo etiam . . . sus.

PAVL. *Permissus* appellatur aries: qui annis compluribus tonsus non est.

FEST. *Permitatur*, id proprie dici videtur, quod ex alio loquo in alium transfertur. at *commutatur*, cum aliud pro alio substituitur. sed ea iam confuse in vsu sunt.

Perpetem pro perpetuo dixerunt poetae. Pacuuius in Iliona: fac, vt cœpisti hanc operam mihi des perpetem. Oculis traxerim.

Perpetem pro perpetuo dixerunt poetae.

PAVL. *Perpetrat*, peragit, perficit.

FEST. *Perpetrat* peragit, perficit. Pacuuius in Teucro: neque perpetrare precibus imperia qui dicimus patris spartam deponere. instat, id si perpetrat. quomodo etiam sine praepositione vsi sunt, quod conuersum iam . . . . . .

PAVL. *Perpulit*, persuasit, impulit.

FEST. . . . impulit. . . .

Persicum portum Plautus cum ait, mare Euboycum videtur significare, quod in eo classis Persarum dicitur stetisse non procul a Thebis.

PAVL. *Persicum portum*, mare Euboicum: quod in eo steterit classis Persarum.

Persicum Plautus dixit peracutum.

FEST. *Persicus* peracutum significare videtur, vt Plautus: nihil de consiliare sibi, nisi qui persicus sapis. Naeuius: & qui fuerit persicus carpenti est ratio.

Persillum vocant sacerdotes rudiculum picatum, quo vnguine flamen Portunalis arma Quirini vnguet.

PAVL. *Persillum* dicebant vas quoddam picatum, in quo erat vnguentum, vnde arma Quirini vngebantur.

FEST. *Personata* fabula quaedam Naeuij inscribitur, quam putant quidam primum a personatis histrionibus. sed cum post multos annos comoedi, & tragoedi personis vti coeperunt, verisimilius est eam fabulam propter inopiam comoedorum actam nouam per *atellanos*, qui proprie vocãtur personati, quia ius est iis non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est.

PAVL. *Pertisum* pro pertesum dixerunt antiqui.

FESTVS. . . . do me . . . .
. . . licet . . . .
. . . sum di . . . .
. . . qui paul . . . .

PAVL. *Pertusum* dolium) dicitur cum ventrem significat.

FESTVS. *Pertu* . . . t dicitur . . .
. . . deruit . . .
. . . L. I. An . . .

Pescia in Saliari carmine, Aelius Stilo dici ait, capitia ex pellibus agninis facta, quod Graeci vocent pelles πέσκη neutro genere pluraliter.

Pesestas inter alia, quae interpretatores dicũt, cum fundus lustrantur, significare pestilentiam, vt intelligi ex ceteris possint, cum dicitur: Auertas morbum mortem, labem, nebulam, impetiginem.

PAVLVS. *Pesestas* dicebatur pestilentia,

Pestifera auspicia esse dicebant, cum cor in extis, aut caput in iecinore non fuisset.

FEST. . . . sunt, cum cor in . . . .
. . . in iocinore.

Pestiferum fulgur dicitur, quo mors, exiliumve significari solent.

Petauristas, Licilius a Petauro appellatos existimare videtur, cum ait: Sicuti mechanici, cum alto exiluere petauro. ait Aelius Stilo, quod in aere volent, cum ait: petaurista proprie Graece, quod ij περὶ ἀέρα πετῶνται.

Petilamsuram, significat vngulam equi albã.

PAVL. *Petilamsuram*, siccam, & substrictam vulgo interpretatur. Scaeuola ait vngulam equi albam ita dici.

FEST. *Petimina*, in humeris iumentorum vlcera, & vulgus appellat, & Lucilius meminit, cum ait: Vt petimen naso, aut lumbos ceruicibus tangat. eo nomine autem & inter duos armos suis quod est, aut pectus, appellari solitum testatur. Naeuius in descriptione suillae, cum ait: petimine piscino qui meruerat.

PAVL. *Petimina*, in humeris iumentorum vlcera.

Petissere, petere.

FEST. *Petissere*, antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt *lacessere*, & *incessere*. sed, vt mihi videtur, tum significabant saepius petere, vt *Petissant*, saepius petant.

Petoritum, & Gallicum vehiculum esse, & nomen eius dictũ existimant a numero quatuor rotarum. alij Osce, quod ij quoque petora quatuor vocent. alij Graece, sed αἰολικῶς dictum.

PAVL. *Petoritum*, vehiculum Gallicum. alij Osce putant dictum, quod hi petora quatuor appellant: quatuor enim habet rotas.

FEST. *Petrarum*, genera sunt duo, quorum alterum naturale saxum prominens in mare, cuius Ennius meminit li. XI. alte delata, ceterisque ingentibus tecta. & Liuius in Centauris: vbi ego saepe petris. alterum manufactum, vt docet Aelius Gallus. petra est, quae Iouis dextra, ac sinistra fornicem expletura est ad libramentum summi fornicis.

PAVL. *Petreia*, vocabatur, quae pompam praecedens in coloniis, aut municipiis imitabatur anum ebriam ab agri vitio, scilicet petris, appellata.

FEST. *Petre* . . . . s, aut
. . agri vitio . .
. . ue praecilli c . .
uertar illam . . . .
impudentior . nter legationes
. . . test . .

Petronia, amnis est in Tiberim profluens quã magistratus auspicato transeunt, cum in campo quid agere volunt, quod genus auspicij peremne vocatur, amnem autem feminine antiqui enuntiabant.

PAVL. *Petronia*, nomen amnis in Tiberim defluẽtis.

Petrones, rustici a petrarum asperitate, & duritia dicti.

FEST. *Petrones*, rustici fere dicuntur propter vetustatem, & quod deterrima quaeque ac praerupta . . iam agri petrae vocantur, vt *rupices* iidem.

Petulantes & *petulci*, etiam appellantur, qui proteruo impetu, & crebro petunt laedendi alterius gratia. Virgilius quarto Georgicorum: neque oues, hediq; petulci Floribus insultent. & Cornigeras norunt matres . . . agnique petulci. & Afranius in Ida: nostrum in conuentum, aut consessum ludum, lapsumque petulcum, interdũ pro veloci visi videntur antiqui, vt hoc versu intelligi potest: exiliuit, quasi petulcus quidam pedicus conuibrauit.

Phascola, appellant Graeci, quas vulgus pernas vocat. PAVLVS.

Piacularia, auspicia appellabant, quae sacrificantibus tristia portendebant; cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitũ dedisset, aut in aliam partem corporis, quã oporteret, decidisset,
. . ria app . . .
quendi c . fugit aut .
. . . oportuit pa .

Piacularis, Romae porta appellatur propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant: vel, vt ait Cloatius cum ex sacro per aliquem piaculo soluitur, vt aliqua piandi, propitiandique causa immolatur. FESTVS.

Piacularis porta, Romae dicta propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant. PAVL.

Piari eos, veluti proprio verbo, ait Verrius, qui parum sint animati, cum mentis suae non sint, & per quaedam verba liberantur incommodo. FEST.

Piatrix, dicebatur sacerdos, quae expiare erat solita, quam quidam *simulatricem*, alij *sagam*, alij *expiatricem* vocant. & *piamenta* etiam dicebantur, quibus in expiando vtitur.

Piatrix, dicebatur sacerdos, quae expiare erat solita, quam alij sagam vocabant. Piamenta quoque dicebantur, quibus vtebantur in expiando. PAVL.

Picati, appellantur quidam, quorum pedes formati sunt in speciem sphingum, quod eas Dorij phicas vocant.

Picena regio, in qua est Asculum, dicta, quod Sabini, cum Asculum proficiscerentur, in vexillo eorum picus consederit. FEST.

Picta, quae nunc toga dicitur, antea vocabatur purpurea, eaque erat sine pictura. PAVL.

Picta, quae nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura. eius rei argumentum est . pictura in aede Vertumini, & Consi, quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera C. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt. *Tunica* autem *palmata* a latitudine clauorũ dicebatur, quæ nunc a genere pictura appellatur. FESTVS.

Pictor, Zeusis risu mortuus, dum ridet effuse pictam a se anum γραῦν. cur hoc loco relatum sit à Verrio, cum de significatu verborum scribere propositum habuerit, equidem non video, cum versiculos quoque addere . . tulerit, & ineptos pati, sed nullius Prætoris prætexto nomine, qui tamen sint ij. Nam quid modi factutus risu denique? Nisi pictor fieri volt, qui risu mortuus est.

Picum, auem quidam dictum putant a Pico rege Aboriginum, quo dissolutus sit.

PAVLVS. *Pierides musae*, propter amoenitatem, ac solitudinem Pierij montis dictæ videntur, quo eæ secretis locis propter studia liberalia delectentur.

FESTVS. *Pierides musæ*, a Pierio monte dictæ sunt.

Pietatem, vt deos ceteros colebant Romani.

Pietati, ædem ab Acilio consecratam aiunt, eo loco, quo quondam mulier habitauerit, quę patrem suum inclusum carcere mammis suis clam aluerit, ob hoc factum impunitas ei concessa sit.

PAVLVS. *Pigere*, interdum pro tardari, interdum pro poenitere poni solet.

Pignosa, pignora eo modo, quo *Valesij*, & *Auselij Pinosi, pilesi* dicebantur.

FESTVS. *Pila*, quæ parietem sustentat, ab opponendo dicta est.

PAVL. *Pilae*, & effigies viriles, & muliebres ex lana compitalibus suspendebatur in compitis, quod (hunc diem festum) esse deorum inferorum, quos vocant lares, putarent, quibus tot pilae, quot capita seruorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, vt viuus parcerent, & essent his pilis, & simulachris contenti.

FEST. . . compitis. . . .
. . deorum . la . .
. . quot . . vt li . .
. . ocantur . . enti . .
. . ipio . . fortu . .
. . eris . . nit . .
. . emu . urbem . .
. . annis . quum pu . .
. . n debebat. . . .

PAVLVS. *Pilani*, pilis pugnantes.

Pilare, & *compilare*, a Græco trahitur. Græci enim plures pileras dicunt.

FEST. *Pilare* & *compilare*, sunt, qui Græce originis . . Græci enim plures piletas. . .

PAVL. *Pilat*, pilos habere incipit. alias pro detrahit pilos, a quo depilati.

Pilates, genus lapidis. Cato. Lapis candidior, quam pilates.

FEST. *Pilates*, lapidis genus, cuius meminit Cato originum libro quinto, Lapis candidior, quam pilates.

PAVL. *Pilea*, Castori, & Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos est.

Pilentum, vehiculi genus, quo matronæ ferebantur.

FESTVS. *Pilentu*, & carpentis per vrbem vehi matronis concessum est, quod cum aurum non reperiretur, ex voto, quod Camillus vouerat Apollini Delphico, contulerunt.

Pilumnœ poplœ, in carmine Saliari, Romani, velut pilis vti assueti: vel quia pręcipue pellant hostes.

PAVLVS. *Pimpleides musa*, a fonte Macedoniæ dictæ, propter liquoris eius vnicam subtilitatem.

Pipatio, clamor plorantis lingua Oscorum.

Pilpit, Osce quidquid.

Pisatilem, Næuius dixit e Pisis oriundum.

FEST. *Pisatilem*, appellat Næuius Pantaleontem e Pisis oriundum tyrannum : cuius alioqui inde profecti nunc *Pisani* dicantur.

PAVL. *Piscatorij ludi*, vocantur, qui mēse Iunio fieri solent pro quæstu piscantiū trans Tiberim.

FEST. *Piscatorij ludi*, vocantur, qui quotannis mense Iunio trans Tiberim fieri solent à Prætore Vrbano pro piscatoribus Tiberinis, quorū quæstus non in macellum peruenit, sed fere in aream Volcani, quod id genus pisciculorum viuorum datur ei deo pro animis humanis.

PAVL. *Piscatorij ludi*, dicebantur, qui fiebant pro quæstu piscantium.

FEST. *Piscatorium æs*, vetusto more appellatur, quod in monte Albano datur pro piscibus.

Piscina, publicae hodieque nomen manet, ipsa non extat. ad quam & natatum, & exercitationis alioqui causa veniebat populus, vnde Lucilius ait: pro obtuso ore pugil, piscinensis res est.

Pistum, a pinsendo pro politū antiqui frequētius vsurpabant, quam nunc nos dicimus.

PAVL. *Plancæ*, tabulæ planæ, ob quam causam *Planci* appellantur, qui supra modum pedibus plani sunt.

FEST. . . quam . cebant . .
. . . dibus . colebant . .
. . euer . . .
. . id quod . pidicus .
. . um perculi . . .

Planta, oliaginea est virga foliata ex olea deplantata.

PAVL. *Plantae*, semina olerum, quod plana sunt. & appellantur etiam ex simili plantæ nostrorum pedum.

FESTVS. . . . vni . .
. ur . . cis — .
. efunt . . . causa

PAVLVS. *Plaudi*, appellantur canes, quorum aures languidæ sunt, ac flaccidae, & latius videntur parere.

FESTVS. . . ant . . . .
. rta . . in . . .
. ntur

. . ntur . . uæ .
. . c . . . .

Plebeiae, Pudicitiæ sacellum in vico Longo est, quod cum Verginia patricij generis femina conuiuio facto inter patres, & plebē. . sul . . . qu . bit. . sere . eo iu .

PAVL. *Plebeiae*, Pudicitiæ sacellum Romæ, vt sacra cetera, colebatur.

Plebeij, Ædiles dissidente plebe a patribus sunt creati.

FEST. . . q. plebei scito . . . suffragium tu . . . sunt constitu . . . unt, qui vna cum . . . ente plebe a pa . . . uas vocant, nos . . . as esse, & septem ferunt . . mus a genere magistratus. eas enim faciendas curauerunt. M. Iunius Brutus, Q. Oppius Ædiles Plebis.

PAVL. *Plebeium*, magistratum neminem capere licet, nisi qui ex plebe est.

FEST. . nem licet ca . . . eneris est . . . sto nomine . . .

Plena, sine tellu . . . . id genus cum secretu . . . in fodiendo corrum . . .

Plentur, antiqui etiam sine præpositionibus dicebant.

Plera, dixisse antiquos, testis est Pacuuius, cum ait: plera pars pessumdatur.

Plexa, colligata significat, ex Graeco, cui nos etiam praepositionem adiicimus, cum dicimus perplexa.

PAVL. *Plexa*, colligata. inde & perplexa.

Plisima, plurima.

FEST. *Plorare*, flere, inclamare, nūc significat, & cum praepositione implorare, id est inuocare. at apud antiquos plane inclamare. in Regis Romuli, & Latij legibus: *Si murus sacra Diuus parentum esto*, & in Seruij Tullij haec est: *Si parentem puer verberit, ast olle plorassit parentes, puer diuus parentum sacer esto*, id est clamarit, dixit.

PAVL. *Ploti*, appellantur, qui sunt planis pedibus. vnde & poëta Attius, quia Vmber Sarcinas erat, a pedum planicie initio Plotus, postea Plautus est dictus soleas quoque dimidiatas, quibus vtebantur in venando, quo planius pedē ponerent, semiplotia appellabāt.

FEST. . Vmbri pedibus planis . . bus vtuntur in venando . . . bant semiplotia, et . . us poëta, quia Vmber Sarcinas erat, à pedum planitia initio Plotus, postea Plautus coeptus est dici.

Ploxinum, appellari ait Catullus, capsum incisio, capsavé cum ait. gingiuas vero ploxini habet veteris.

PAVL. *Ploxinum*, capsam dixerunt.

Plutei, crates corio crudo intentae, quae solebant opponi militibus opus facientibus, & appellabantur militares. nunc etiam tabulae, quibus quid praesepitur, eodem nomine dicuntur.

. . do intentae . . . . opus facientibus . . nunc etiam tabu . . . nomine dicun . . .

Poesmis, Poenis, vt *casmenas*, dicebant pro camenis & *caesnas* pro caenis.

Polet, pollet. quia nondum geminabant antiqui consonanteis.

PAVL. *Polimenta*, testiculi porcorum dicuntur, cum castrantur. a politione vestimētorum: quod similiter, vt illa curantur.

FEST. . . dicebant testiculos porcorum, cum eos castrabant a politione segetum, aut vestimentorum: quod similiter, atque illa, curentur.

PAVL. *Pollit*, pila ludit.

FEST. . . . in V. . . . . . . dixit . .

PAVL. *Pollubrū*, *polluuiū*. vas, q; nos peluim vocam⁹.

FEST. *Pollucere*, merces . . liceat sunt far, polenta, vinum, panis fermentatus, ficus, passa, suilla, babula, agnina, casei, ouilla, alica, sesama, & oleum, pisces, quibus est squama, praeter squatum. Herculi autem omnia esculenta, poculenta.

Polteio, pro vlteriore.

Pomonal, est in agro Solonio via Ostensi ad duodecimum lapidem diuerticulo a miliario octauo.

PAVL. *Pone*, graui sono antiqui vtebantur pro loci significatione. sed praeicientes vocabu . . . .

Pone, graui sono ponitur pro loci significatione.

Pontina, tribus a Pontia vrbe est dicta.

FEST. . . tia vr . . . . . tina . . .

Popillia, tr . . buum. tot enim fue . . . lici nomine a . . . Pinaria a sorori . . . mine . . .

PAVL. *Popillia*, trib. a progenetrice traxit vocabulū.

FEST. *Popularia*, sacra sunt, vt ait Labeo. quae omnes ciues faciunt, nec certis familiis attributa sunt. *fornacalia*, *parilia*, *laralia*, *porca praecidania*.

Populi com . . cum plebe suffragium . . ex patribus & plebe . . cum plebes sine patri . . quod plebes sciuit, pleb . . appellatur.

Porcae, appellantur rari sulci, qui dicuntur a-

quae deriuandae gratia dicti, quod *porcant*, id est prohibent aquam frumentis nocere. nam crebriores sulci, limi vocantur.

PAVLVS. *Porcae*, in agris sunt dictae, quod *porcant*, id est prohibeant aquam frumentis nocere. nam crebriores sulci lumi solent vocari.

FESTVS. *Porcam*, auream, & argenteam dici ait Capito Ateius, quae & si numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Ceriali.

Porcas, quae inter duos sulcos fiunt, ait Varro, dici, quod porrigant frumentum.

PAVLVS. *Porcas*, quae in agris fiunt, ait Varro dici, quod porrigant frumentum.

Porci, effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat. quia confecto bello, inter quos pax fieret, caesa porca foedus firmari solebat.

FESTVS. . . . a signa quintum locum
. . lo inter quos populos .
. . . ere firmari solet.

Porigam, dixisse antiqui videntur, pro porrigam, propter morem non geminandarum litterarum. ducto verbo a porro regam. aut si id friuolum videtur. cum aperte e riuo regam tractum sit. sed antiqui etiam porgam dixerunt pro porrigam.

PAVL. *Porriciam*, porro iaciam.

FEST. . . iaciam, maxime . .

Portenta, existimarunt quidam grauia esse, *ostenta* bona. alij *portenta*, quaedam bona, *ostenta* quaedam tristia appellari. *portenta*, quae quid porro tendatur, incident, *ostenta* quae tantummodo ostẽdant monstra, praecipiant quoque remedia.

PAVLVS. *Portenta*, rerum fieri dicuntur, cum solita corpora raro se ostendunt, vt cometae, turbines, barathra, sereno caelo facta tonitrua.

Portisculus est, qui in portu modum dat classi. est autem malleus.

FEST. *Portisculus*, est, vt scribit Aelius Stilo, qui in portu modum dat classi. id autem est malleus. cuius meminit Cato in dissuasione de rege Attalo & vectigalibus Asiae. C. Licinio Prætore, remiges scripti ciues Romani sub portisculum sub flagrum conscripti veniere passim.

Portum, in duodecim pro domo positũ omnes fere consentiunt: *Cui testimoniũ defuerit, ijs tertiis diebus ob portum obuagulatum ito.*

PAVL. *Portũ*, frequẽter maiores ꝑ domo posuerunt.

Portumnus, qui & Palaemon, a Romanis inter deos colebatur.

FEST. Por . . te . .

Possessio, est, vt definit Gallus Aelius, vsus quidam agri, aut aedificij, non ipse fundus, aut ager. non enim possessio est . . de rebus, quae tangi possunt . . qui dicit, se possidere, is vere potest dicere. Itaque in legitimis actionibus nemo ex his qui possessionem suam vocare audet, sed ad interdictum venit, vt praetor his verbis vtatur. *Vti nunc possidetis, cum fundum Q.D.A. quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, ita possideatis, aduersus ea vim fieri veto.*

PAVL. *Possessio*, est vsus quidam agri, aut aedificij, non ipse fundus, aut ager.

FEST. *Possessiones*, appellantur agri late patentes publici, priuatique, quia non mancipatione, sed vsu tenebantur, & vt quisque occupauerat, collibebat.

Posticam, lineam in agris diuidendis Seruius Sulpicius appellauit ab exori . .
. . qua . . . .
. tur . . riq . .
. abd . . tab . .
. frum . . danti . .

PAVL. *Postica*, linea in agris diuidendis ab oriente ad occasum spectat.

Posticum, ostiũ dicitur in posteriore parte aedium. ceterum antiqui etiam vicinũ habitantem ad posteriorẽ partem aediũ sic appellarunt. denique, & quae ante nos sunt, antica: & quae post nos sunt, postica dicuntur. & dextram anticam, sinistram posticam dicimus. sic etiam ea caeli pars, quae sole illustratur ad meridiem, antica vtique nominatur: quae ad septentrionem est, postica. rursumque diuiduntur in duas partes, orientem, atque occidentem.

Postliminium, receptus dicitur is, qui extra limina, hoc est terminos prouinciae captus fuerat, rursus ad propria reuertitur.

FEST. *Postliminium*, receptũ, Gallus Aelius in libro primo significatum, quae ad ius pertinent, ait esse eum qui liber, ex qua ciuitate in aliam ciuitatem abierat, in eandem ciuitatẽ redit eo iure, quod constitutũ est de postliminiis. Itẽ qui seruus a nobis in hostiũ potestatẽ peruenit, postea ad nos, redit in eius potestatẽ, cuius antea fuit iure postliminij. equi, & muli, & nauis eadẽ ratio est postliminiũ receptum is quae serui. quae genera rerum ab hostibus ad nos postliminio redeunt, eadẽ genera rerum a nobis ad hostes redire possũt. cũ populis liberis; & cũ foederatis, & cum regibus postliminium nobis est ita, vti cum hostibus, quae nationes in opinione nostra sunt, cum his.

Postularia fulgura, quae votorum, aut sacrificiorum spretam religionem designant, *pestifera*, quae mortem, aut exilium ostendũt. *peremptalia*, quae superiora fulgura, aut portenta peremunt, id est tollunt.

Postumus, cognominatur post patris mortẽ natus. Plautus in Aulul. Post mediã aetatẽ qui mediã dicit vxorẽ domum: Si eam senex anũ praegnãtẽ fortuito fecerit: Quid dubitat quin

quin sit paratũ his nomen pueris Postumi?

Potestur. Scipio Africanus in ea, quae est de imperio D. Bruti: & poteratur. C. Gracchus, in ea, quæ vsus est, cum circum conciliabula iret.

Potitium, & Pinarium Hercules, cum ad aram, quae hodieque maxima appellatur, decimam boum, quos à Geryone abductos abigebat Argos in patriam profanasset, genus sacrificij edocuit. quae familia, & posteri eius non defuerunt decumantibus vsque ad Appium Claudium Censorem, qui quadraginta millia aeris grauis hic dedit, vt seruos publicos edocerent ritum sacrificandi; quo facto Potitij, cum essent (ex familia numero duodecim omnes interierũt intra diem trigesimum. Pinarius quòd non adfuit sacrificio, postea cautum est, nequis Pinariorum ex eo sacrificio vesceretur.

Potitus, seruitu . . . qui, vt ait Labeo, seruitu . . . . nes proxime Graecino . . . dicebatur ab antiquis . . .

PAVL. *Praebia*, remedia.

FEST. . . cau . . . .
. . iuis . . .
. . bus P.R. . . .
. . . cere . . .
. . ebus le . . .

PAVL. *Praeceptat*, saepe praecipit.

FEST. *Praeceptat*, in Saliari carmine est, saepe praecipit.

Praeciamitatores, dicuntur qui Flaminibus Diali, Quirinali, Martiali antecedent. exclamant feriis publicis, *vt homines abstineant se opere*: quia his opus facientem videre religiosum est.

PAVL. *Praeclamitatores*, dicebantur, qui Flamini Diali, id est sacerdoti Iouis, antecedebant clamantes; vt homines se ab opere abstinerent; quia hunc opus facientem videre in religiosum erat.

Praecias, dicebant qui a Flaminibus praemittebantur, vt denunciarent opificibus manus abstinere ab opere; ne, si vidisset sacerdos facientem opus sacra polluerentur.

Praecidania agna, vocabatur, quae ante alias caedebatur. item *porca*, quae Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est glebam non obiecisset: quod mos erat eis facere prius, quàm nouas fruges gustarent.

Praecidaneum porcam dicebant, quam immolare erant soliti ante, quam nouam frugem praeciderent.

FEST. *Praecidanea* dicitur . . .
. . genus hostiae, quod .
. . arium appellabat . .
aut ex tribus pu . . .
. . is cum tribus liba .

Praecidere, antecedere, id est, ante immolare. PAVL.

Praedia, rursus Verrius vocari ait ea remedia FEST. quae data Caecilia vxor Tarquinij Prisci inuenisse existimatur, & immiscuisse onus suae, qua praecincta statua eius est in aede sanctus, qui deus Dius Fidius vocatur: ex qua zona periclitantes ramenta sumunt. ea vocari ait prædia, quod mala prohibeant.

Paedonulos, Cato ὑποκοριστικῶς dixit in Epistularum. Quia saepe vtiles videntur praedonuli.

Praedonulus, ὑποκοριστικῶς, id est deminutiue idem Cato posuit pro praedonibus. PAVL.

Praedotiunt, praeoptant. FEST.

Praefecturae, eae appellabantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinae agebantur, & erat quaedam earum resp. neque tamen magistratus suos habebant. in quas legibus praefecti mittebantur quotãnis, qui ius dicerent. quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire praefecti quatuor (sex virum pro populi suffragio creati erant in hæc oppida Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acertas, Suessulam, Atellum, Calatiam, alterum in quas ibant quos Praetor vrbanus quotannis in quaeque loca miserat legibus, vt Fundos, Formias, Caere, Venafrum, Allifas, Priuernum, Auagniam, Frusionem, Reate, Saturnia, Nursiam, Arpinum, aliaque complura.

Praefericulum, vas aeneum sine ansa patens summum, velut peluis, quo ad sacrificia vtebantur. PAVL.

. . aeneum si . . FEST.
. . lut peluis . rio Opis PAVL.
Co . . . . .

Praeficae, dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quae dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum praefectae. Næuius: Haec quidem mehercle opinor, praefica est, quae sic mortuum collaudat.

Praeiurationes, facere dicuntur ij, qui ante alios conceptis verbis iurant, post quos in eadem verba iurantes tantummodo dicunt. Idem in me.

Praeliares, dies appellantur, quibus fas est hostem bello lacessere. erant enim quaedam feriae publicae, quibus nefas fuit id facere.

Praemetium, quod praelibationis causa ante praemetitur . . .
ante metitur, qua . .
. . . . FEST.

Praemiosa, pecuniosa.

. . . . Cato saepe dicit, vt PAVL.
. . boses locor. dicebant . FEST.
. . properi e mari opus est .
. . in orationem, quam scrib .

. . impudentiam praemio . ? :

FEST. *Praeneste*, dicta est, quia is locus, quo condita est montibus præstet.

Prænominibus, feminas esse appellatas testimonio sunt Cæcilia, & Tarratia, quæ ambę Caiæ solitæ sint appellari. pati modo Lucia, & Titia.

Præpetes, aues dicuntur, quæ se ante auspicantem, ferunt. nam præpetere dicebant pro anteire.

PAVL. *Præp.* . . . quidam pu-
tant, quia vo . . re est
auem auspica . . aues
dicuntur, quae s . . .
nan antiqui præpetere . .

Præpetes, aues quidam dici aiunt, quia secundum aspicium faciant præteruolantes, alij quod antea, quam petamus, indicent. aut quod præteruolent. aut ex Græco tractum putant, quod ante conspectum volent nostrum. inepte scilicet ex præpositione Latina componentes, & Græco vocabulo. caeterum poetae promiscue omnes ita appellant.

FEST. *Praerogatiuae*, centuriæ dicuntur, vt docet Varro rerum humanarum libro sexto, quae rus . . Romani qui ignorarent petitores, facilius eos, animaduertere possent. Verrius probabilius iudicat esse, vt cum essent designati prærogatiuis, in sermonem res veniret populi de dignis, indignisve, & fierent ceteri diligentiores ad suffragia de his ferenda.

PAVL. *Praes*, est is, qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu, si praes sit, ille respondet, Praes.

Præsagire, est prædiuinare, præsipere, *sagax* enim est acutus & solers.

Præsagitio, dicta, quod *præsagire* est acutè sentire. vnde *sagæ* dictæ anus, quæ multa sciunt. & sagaces canes, qui ferarum cubilia præsentiunt.

FEST. . tio . . quod
. . dictae . .
prae . . . .

PAVL. *Praesiderare*, dicitur, cum maturius hiberna tempestas mouetur, quasi ante sideris tempus.

Præsidium, est, quod pro vtilitate & salute alicuius auxilij gratia præponitur. *subsidium*, quod postpositum est ad subueniendum laborantibus.

Praestinare, apud Plautum emere est, id est emendo tenere.

Praestitem, in eadem significatione dicebant antiqui, qua nunc dicimus *antistitem*.

Praestolari, dicitur is, qui ante stando ibi, quo venturum excipere vult, moratur.

FEST. *Praeteriti*, senatores quondam in opprobrio non erant, quod vt reges sibi legebant, sublegebantque quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos, Consules quoque & Tribunos Militum Consulari potestate coniunctissimos sibi quosque patriciorum, & deinde plebeiorum legebant; donec Omnia Tribunicia interuenit, qua sanctum est, vt Censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in senatu legerent, quo factum est, vt qui praeteriti essent, & loco moti, haberentur ignominiosi.

PAVL. *Praetexta*, pulla nulli alij licebat vti, quam ei qui funus faciebat.

FEST. . . alij licebat vti, qu
. . ius magistratus h
. . loco publico lud.
. . uritur, & scribam hab
quos facit ludos .
libus, & Praetoribus vota
rantiam sacra nouorum
tum est vti emit votum
quod item Valerius vica
ra ex sanatu improba . .

PAVL. *Praetextæ*, appellantur, quæ res gestas Romanorum continent scriptas.

Praetextatis, nefas erat obsceno verbo vti. ideoque prætextatum appellabant sermonem, qui nihil obsce itatis haberet.

FEST. *Prætextum*, sermonem quidam putant dici, quod praetextatis nefas sit obsceno verbo vti. alij quod nubentibus depositis prætextis a multitudine puerorum obscenu clamentur.

Prætor, ad portam nunc salutatur is, qui in prouinciam Proprætore aut Proconsule exit. cuius rei mortem ait fuisse Cincius in libro de Consulum potestate talem. Albanos iterum potitos vsque ad Tullum regem. Alba deinde diruta vsque ad P. Decium Murem Cos. populos Latinos ad caput Oetentinae, quod est sub monte Albano consulere solitos, & imperium communi consilio administrare. Itaque quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere oporteret, iussu nominis Latini complures nostros in Capitolio à sole oriente auspiciis operam dare solitos. Vbi aues addixissent, militem illum, quia communi Latio missus esset, illum, quem aues addixerant, Prætorem salutare solitum, qui eam prouinciam optineret Prætoris nomine.

PAVL. *Prætoria*, cohors est dicta, quæ a Prætore non discedebant. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero munere militiae vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent.

Prætoria, porta in castris appellatus, qua exercitus in praelium educitur, quae initio

Præto-

Prætores erant, qui nunc Consules, & ij bella administrabant: quorum tabernaculum quoque dicebatur *prætorium*.

Præuaricatores, à prætergrediẽdo sunt vocati.

Prandicula, ientacula.

FESTVS. *Prandicula*, antiqui dicebant, quæ nunc ientacula.

PAVLVS. *Prandium*, ex Græco i . . . est dictum, nam meridianum cibum cœnam vocabant.

Precem, singulariter Cato dixit.

FESTVS. *Precem*, singulariter idem (Cato) in ea, quæ est de coniuratione.

Presan. . . porca dicitur, vt ait Veranius, quæ familiæ purgandæ causa Cereri immolatur. quod pars quædam eius sacrificij fit in conspectu mortui eius, cuius funus instituitur.

Prima, aut secunda hora ducant sponsalibus: ominis causa, vt optima, ac secundissima eueniant.

PAVL. *Prima*, aut secunda à diei hora causa ominis sponsis tribuebatur.

FEST. *Primanus*, Tribunus erat, qui primæ legioni tributum scribebat.

Primanus, Tribunus apud Catonẽ, in ea quæ est contra Thermum de suis virtutibus . .

Prim . . condenda . .
. . iumenti, velut exe .
. . vtrimq. media . .
. . lari iudicio, qui & ip. .

PAVL. *Primigenius*, sulcus dicitur, qui in condenda noua vrbe, tauro, & vacca designationis causa imprimitur.

Primnesius, palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alij tonsillam dicunt.

Primordia, principia.

Principalis, castrorum porta nominatur, quod in eo loco est, in quo principes ordines tendunt.

FEST. *Prisca*, Latinæ coloniæ appellatæ sunt, vt distinguerent à nouis, quæ postea à populo dabantur.

PAVL. *Prisci*, Latini proprie appellati sunt ij, qui prius quam conderetur Roma fuerunt.

Priscus, Tarquinius est dictus, quia prius fuit, quam Superbus Tarquinius.

Pristina, velut priustina, dictum est.

FEST. *Pristina*, velut pris . . .
. . eiusdem dictita . .

PAVL. *Pristinum*, ab eo venit, quod est prius. pari modo & prior.

Priuata, vocabantur feriæ sacrorum propriorum, velut dies natales.

FEST. *Priuatæ*, feriæ vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, operationis, denecales.

PAVL. *Priuato*, sumptu se alebant milites Romani pene ad id tempus, quo Roma est capta à Gallis.

FEST. . . . se alebant mili . .
. . . mererentur. quod in . . .
. . . tempus, quod fuit pau . . .
. . . capta est à Gallis . . .
. . ilites non fiebant . . .

Piueras, mulieres priuatas. PAVL.

. . . priu . . . . FEST.
. . . tur de . . .

PAVL. *Priuignus*, dictus, quod ante, quam mater secundo nuberet, est progenitus. pri enim antiqui pro præ dixerunt.

FEST. *Priuiuio*, es prius singulis.

PAVL. *Priuos*, priuasque antiqui dicebant pro singulis. ob quam causam & *priuata* dicuntur, quæ vniuscuiusque sint. hinc & *priuilegiũ*, & *priuatus*, dicimus tamen & priuatum, cui quid est ademptum.

Pro, significat in, vt pro rostris, pro æde, pro tribunali. ¶ Pro ponitur etiam pro amplificando, ac palam faciendo, vt prodi, prouoca, protrahe, propelle. ¶ Alias pro priuãdi facultate, vt in propudio, prohibendo: quia vtrunque abnuit in his esse pudorem, potestatemque. ¶ Alias aliud alio, vt pro pecunia, pro prædio, Proconsule. ¶ Alias pro admiratione, vt pro Iuppiter. ¶ Alias pro ante, vt pro ostio. ¶ Alias pro in, vt promittere barbam, & capillum.

FEST. . . . tione. . . .
plisi. . . . ca, pro . . .
. . . tate. . . nuit. .
. . . ud alio . alias pro
. . . in Melan . . .
. . . mani ouiu . . .
Piautus in cond. . . pro
ostio, alia . . . . bam, &
capillum.

Pro censu classis Iuniorum Ser. Tullius cum dixit in descriptione centuriarum, accipi debet in censu, vt ait M. Varro in libro sexto rerum humanarum. sicuti pro æde Castoris, pro tribunali, pro testimonio.

Pro scapulis cum dicit Cato, significat pro iniuria verborum. nam complures leges erant in ciues rogatæ quibus sanciebatur pœna verberum. his significat prohibuisse multos suos ciuis in ea oratione, quæ est contra M. Cœlium: Siem percussi, sæpe incolumis abij. præterea pro republica, pro scapulis, atque ærario multum Reip. profuit.

PAVL. *Pro* scapulis cum dixit Cato, significauit pro iniuria verberum.

Pro sententia, ac si dicatur in sententia, vt pro rostris, id est, in rostris.

FEST. *Proædificatum* dicitur, quod ex priuato loco processit in publicum solum.

Probi, velut prohibi, qui se à delinquendo prohibent.

Probrum, stuprum, flagitium, vt Attius in Helenibus: qui, nisi probrum, omnia alia indelicta æstimant. Cæcilius in Dauo: Ea

tum compressa parit huic puerum, sibi probrum.

PAVLVS. *Probrum*, stuprum, flagitium.

FESTVS. *Probrum* virginis Vestalis, vt capite puniretur vir, qui eam incestauisset, verberib. necaretur: lex fixa in atrio Libertatis cũ multis aliis legibus incendio consumpta est, vt ait M. Cato in ea oratione, quæ de auguribus inscribitur. Adiicit quoque virgines Vestales sacerdotio exauctorat. . cra. .
. . .ex. . .
. . .tar. . .

PAVLVS. *Procalare*, prouocare, ex Græco καλεῖν, id est, vocare. vnde *Kalendæ, calumnia, calones, calculæ, & calatores*.

Procalato, prouocato.

. . .uoca. . . .

FESTVS. tiat . . . . procita . .

PAVLVS. *Procapis*, progenies, quæ ab vno capite procedit.

Procari, poscere. vnde *procaces*, meretrices, ab assiduè poscendo: & *proci* vxorem poscentes in matrimonium. *procari*, poscere est. vnde & proci, & meretrices procaces, & verbum *procas*, id est, poscis.

Procat dicebant, pro poscit.

Procedere dicebant interdum pro succedere, interdum pro porro cedere.

FESTVS. . . . . ce . . .

PAVL. *Procellunt*, procumbunt.

Procera, prolixa, & in longum producta, quasi ex cera ob eius facilitatem.

Procestria dicuntur, quo proceditur in muro, Aelius procestria ædificia dixit esse extra portam. Artorius procestria, quæ sunt ante castra, etiam qui non habent castra, propugnacula, quibus pro castris vtuntur, ædificant.

Procincta classis dicebatur, cum exercitus cinctus erat Gabino cinctu confestim pugnaturus. Vetustius enim fuit multitudinem hominum, quam nauium, classem appellari.

Procinctam classem, id est, paratam ad bellum militum multitudinem. Diali Flamini videre non licuit.

FESTVS. *Procinctam* class . . . . .
. . . prælium instructus, & par . .
. . dere non licet. anti . . .
dixerunt, vt nunc quoque . . . .
tus est, procincta aut . . . .
ad pugnam ire solit . . . .
ta in procinctu fieri . . . .

PAVLVS. *Procitant*, pro vocitant. *citare* enim vocitare est. vnde *procet*, & *prociet*.

Procitare, sæpe prolicere, id est, producere.

Procium, testamentum dicebatur, veluti procatum, prouocatum, id est, irritum, ac ruptum. ¶ Procitum, cum prima syllaba corripitur significat petitum. Liuius: Matrem procitum plurimi venerunt.

FESTVS. *Procubitores* dicũtur, qui noctu custodiæ causa ante castra excubant: cum castra hostiũ in propinquo sunt.

Procubitores dicuntur fere velites, qui noctu custodiæ causa ante castra excubant, cum castra hostium in propinquo sunt. vt M. Cato in eo, quem de re militari scripsit.

Proculinant, promittunt ait significare Antistius de iure pontificali libro nono.

Proculiunt, promittunt.

PAVLVS. *Proculum* inter cognomina eum dicunt, qui natus est patre peregrinãte à patria procul.

Proculos sunt, qui credant ideo dictos, quia patribus senibus, quasi procul progressis ætate, nati sunt.

FEST. *Procum*, patricium in descriptione, ceas si vnquam fecit Ser. Tullius, significat procerũ. ij enim sunt principes. nam *proci* dicuntur, qui poscunt aliquam in matrimoniũ, Græcè μνηστῆρες. est enim procare, poscere, vt cum dicitur, in iucice conlocando, *si alium procas, nive eum procas*, hoc est poscis. vnde meretrices *procaces*.

Prodegeris, consumpseris, prodideris, vt Cæcilius in Hymni. prodigere est, cum nihil habeas, te inridier. & Plautus in Neruolaria: productæ prodigium esse in amatorem addecet.

PAVL. *Prodigere*, est consumere, vnde & prodigus fit.

Prodidisse, tempus longius fecisse.

FEST. *Prodidisse* non solùm in illis dicitur, qui patriã hostibus prodiderunt, sed etiã tempus longum fecisse. vt Cato: Te C. Cæcili diem pro didisse militibus legionis tertiæ; cùm proditionem non haberent.

Prodigia, quod prædicunt futura: permutatione G literæ: nam quæ nunc C appellatur, ab antiquis G vocabatur.

Prodigiatores, haruspices prodigiorum interpretes.

PAVL. *Prodigiatores*, prodigiorum interpretes.

Prodiguæ, hostiæ vocabantur, quæ consumuntur. vnde homines quoq; luxuriosi, prodigi.

FEST. *Prodiguæ* hostiæ vocantur, vt ait Veranius, quæ consumuntur: vnde homines quoque luxuriosi, prodigi.

Prodinunt, prodeunt, vt Ennius annalium lib. tertio: Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent.

PAVL. *Prodit*, non solùm in apertum exit, significat, sed etiam porro it.

Prodit, memoriæ porro dat, & fallit. item ex interiore loco procedit. item perdit, vt Ennius: Non in sperando cupidi rem prodere summam.

FEST. *Prodita*, memoriæ porro dat, & fallit. item ex interiore loco procedit. item perdit, vt Ennius libr. 16. Non in sperando cupidine rem prodere summam.

Pro ducit

Producit, porro dederit, vt est in lege censoria *porticum sartam, tectámque habeto, prodito*, alias prodiderit.

PAVL. *Profanum* est, quod fani religione nō tenetur.

Profanum, quod non est fanum. Plautus: Sacrum, an profanum habeas, paruipenditur.

FEST. . . seudolo: Atque in . .
. . interea laci . .
. . isque quod consecran . .
. . ntia it consumi . .
vt Verrius eo . . rum sint
dicta libe . . arbitratur ob
eau cau . . culo, quia prophaca ea quoque, id est deo dicta; consume est necesse. Cuius opinionem neque in hoc, neque in aliis compluribus refutare minimè necesse est, cum propositum habeam ex tanto librorum eius numero intermortua iam, & sepulta verba, atque ipso sæpe confitente nullius vsus, aut auctoritatis præterire, & reliqua quàm breuissimè redigere in libros admodum paucos. ea autem, de quibus dissentio & aperte, & breuiter: vt sciero, scripta in his libris meis inuenientur, inscribuntur: *Priscorum verborum cum exemplis.*

Profesti dies di . . . .
diuini Cæcilius . . .
sti tantumdem . . .
in Priuigno æd. . . .

PAVL. *Profesti* dies procul à religione numinis diuini.

Profestum diem dicebant, qui festus non erat.

FEST. *Profestum* est facere, tanquam profanum facere, id est, quod eo die, qui dies feriarum nō est facere. vel, vt quidam dixerunt, pro eo facere, velut feriæ non sint: aut id fecere, quod feriis non liceat. Itaque diem profestum, diem sine feriis esse.

PAVL. *Profundum*, quod longè habet fundum.

FEST. . . altum est, ac fund. . .
. . in Medo. neq. . .
Profusus, superni . . .
Terentius in Ade . . .
at nihil ad me . . .
et Pacuuius in Teu . . .
ro oceistians rua . . .

PAVL. *Profusus*, supra modum sumptuosus. Terent. profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet, alias abiectus, iacens. Pacuuius: Profusus gemitu, murmuro.

FEST. *Progenerum*, appellat auus neptis suæ virum.
. . ap. . . .
. . pell . . .
. . Liui . . .
. . bea . . .

Prohibere comitia dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem maior, ceterum ob id ipsum comitialis appellatur, Cato in oratione, quam scripsit de sacrilegio commisso: Domi cum auspicamus, honorem medium immortaliū velim habuisse, serui, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Sicut ibidem seruo, aut ancillæ dormienti euenit, quod comitia prohibere solet, ne is quidem mihi vitium facit.

Prolato aëre astitit. Enn. in Achille Aristarchi, cum ait, significat clypeo ante se protento. PAVL.

Prolato aëre apud Ennium, significat scuto ante se protento.

Proletarium, capite censum dictum, quod ex his ciuitas constet, quasi proles progenie. Idem & *proletanei.*

Prologium, principium, *proloquium*. Pacuuius: Quid est? nā me examinasti prologio tuo.

Prolugere dicuntur, qui solito diutius lugent.

Promellere, litem promouere.

Prome . . . . . FEST.
ri lituum promere . . .

Promeneruat item pro monet (in Saliari carmine.)

Promerion, præcipuum, præter ceteros meritum. aut pro medium hoc est participat, vt pro indiuiso dicimus.

Promiscam, dicebant promiscue.

Promissus, capillus dicitur longus, item *barba promissa*, velut porro missa. PAVL.

Promonstra, prodigia.

Promulco agi dicitur nauis, cum scaphæ ducitur fune.

Promulgari leges dicuntur, cum primum in vulgus eduntur, quasi prouulgari.

Pronubæ adhibebantur nuptiis, quæ semel nupserunt, causa auspicij, vt singulare perseueret matrimonium. FEST.

Pronubæ adh bentur nuptis, quæ semel nupserunt, vt matrimonia paupertatem auspicantes.

Pronurus, nepotis vxor.

Prop. . . Ita dolia ait dici Labeo, quod PAVL.
. . . . FEST.

Propages, propagines à propagando, vt faciunt rustici cum vitem vetulam supprimunt, vt ex ea vna plures faciant. PAVL.

Propatulum, latè patens, atque apertum. & *patuli boues*, quorum cornua in diuersum supra modum patent. FEST.

Properam pro celeri, ac strenua dixisse antiquos testimonio est Cato, cum ait in libro de re militari: Tertia è castris eductio celeris, properaque est.

Properam, celerem strenuámque significat.

Properare aliud est, aliud festinare. qui vnum quodque maturè transigit, is properat, qui multa simul incipit neq. perficit, is *festinat*. PAVL. FEST.

Properus antiquos dixisse pro celer, testimonio est qualitatis aduerbium, quod est propere.

Properus, celer: vnde aduerbium properè. PAVL.

Propetrare, mandare, quod perficiatur. nam impetrare eſt exorare, & perpetrare, perficere.

Prophetas, dicebant veteres antiſtites fanorum oraculorumque interpretes.

Prophetas, in Adraſto Iulius nominat antiſtites fanorum, oraculorumque interpretes. cum capita viridi lauro velare imperant prophetæ ſancta ita caſte qui putant ſacra.

Propius, ſobrino mihi eſt conſobrini mihi filius, & conſobrinæ meæ filia, & patris mei conſobrinus, & matris meæ conſobrinus.

PAVL. *Propius*, ſobrino mihi eſt conſobrini mei filius, & patris mei conſobrinus.

FEST. *Propriaſſit*, proprium fecerit.

Propter viam fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia, Herculi aut Sanco, qui ſcilicet idem eſt deus.

PAVL. *Profecturi*, viam Herculi aut Sanco ſacrificabant.

FEST. *Propudianus*, porcus dictus eſt, vt ait Capito Ateius qui in ſacrificio gentis Claudiæ velut piamentum, & exſolutio omnis contractæ religionis eſt.

PAVL. *Propudium* dicebant, cum maledicto nudare turpitudinem volebant, quaſi porro pudendum. quidam propudium putant dici à quo pudor, & pudicitia procul ſint . .

FEST. . . procul ſint . .

PAVL. *Prorſi* limites appellantur in agrorum menſuris, qui ad orientem directi ſunt.

FEST. *Prorſi* . . . . .
. . rec . detur .

PAVL. *Prorſum*, ponebant pro recto.

Prorſus, porro verſus.

FEST. *Prorſus*, porro vorſus, niſi forte ex Græco πρό. Cato de feneratione legis Iuniæ: Camerini ciues noſtri oppidum pulchrum habuere, agrum optimum atque pulcherrimum, rem fortuniſſimã. cum Romam veniebant, prorſus deuertebantur pro hoſpitibus ad amicos ſuos.

PAVL. *Proſapia*, progenies, id eſt, pro ſparſis, & quaſi iactis liberis: quia *ſipare* ſignificat iacere, & diſiicere.

Proſedas, meretrices Plautus appellat: quod ante ſtabula ſedeant. eædem & *proſtibulæ*.

Proſedium, à proſequendo: obſequium ab obſequendo dicuntur.

Proſicium, quod proſecatum proiicitur.

Proſimurium, pontificale, pomerium, vbi põtifices auſpicabantur. dictum autem *pomerium*, quaſi promurum, id eſt proximum muro.

FEST. . . rium ait eſſe Antiſtiu . .
. . ficalis pomerium, id eſt . .
. . Cato . olim quidem omn . .
. . tinum, nunc etiam intra æd .

. . quaſi promocrium ſolet . .
. . rus pomerij proferendi . .
. . . . e . .
. . ui . .
. . ſed . .
. . ciat . .
. . ad . .
. . ne . .
. . moe . .
. . omus . .
. . in ſe . .
. . ſi tac . .
. . ntiſi . .
. . agrumque . .
. . aconui . .
. . retur tum . .
. . e ſolitos . .
. . inus, maiuſve . .
. . ibus effereatis .
. . veluti poſt moe .
. . tro muris vrbis

Proſita, propoſita. PAVL.

Proſpera. . . . FEST.
. . ne declina . .
. . cta ſyllaba . .
. . vt ait L. Cinc . .
. . familiæ pur . .

Proſpices, proſpice.

Proſumia, genus nauigij ſpeculatorium paruum. PAVL.

Protelare, longe propellere: ex Græco videlicet τῆλε, quod ſignificat longe.

. . lare dicitur longe pro . . FEST.
. . eſt τῆλε & ſigni .

Protinam, protinus. Terentius: Protinam coniiciam me in pedes. PAVL.

Prouinciæ appellantur, quod populus Romanus eas prouicit, id eſt ante vicit.

Prouorſum, fulgur appellatur, quod ignoratur noctu, an interdiu ſit factum, itaque Ioui Fulguri, & Summano fit, quod diurna Iouis, Nocturna Summani fulgura habentur. FEST.

Prox, bona vox, velut quidam putant, ſignificare videtur, vt ait Labeo de iure pontificio libro vndecimo. PAVL.

Prox, bona vox, vt exiſtimo, quaſi proba vox.

Prugnum, pro priuignum.

Pruina, dicta, quod fruges, ac virgulta perurat.

Pube præſente eſt populo præſente συνεκδοχικῶς ab iis, qui puberes ſunt, omnem populum ſignificans.

. ſe . . . . . FEST.
. ab . . . .
. can . . .

Pubes, adoleſcens, quinetiam plurium numerus eiuſdem ætatis. PAVL.

Pubes, adoleſcens . . .
. . catur

. . catur. cui contrarium . . .
. . . . dici solet. . . . .

Pubes &,qui pubem generare potest. is incipit esse a quattuordecim annis,femina a duodecim *viripotens*,siue pariens, vt quidam putant.

PAVL. *Pubes puer*,qui iam generare potest. is incipit esse ab annis quatuordecim,femina viripotens a duodecim.

FEST. *Publica pondera* . . . .
. . . ex ea causa.Iunius in . .
. . t,quod duo Silli P. & M. Tribuni PL. rogarint his verbis: *Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus oetier. qui solet, vti coaequatur sedulum,vt hi quadrantal vini octoginta pondo siet. congius vini decem P.IS. Sex Sextarij congius siet vini. duodequinquaginta sextarij quadràtal siet vini. Sextarius aequus aequo cũ librario siet. sex de quinque librae in modio sient. siquis magistratus aduersus hac D.M. põdera, modiósque, vasaq; publica, modica, minora maiora ve faxit, iustive re fieri, dolũ ve adduit, quod ea fiant, eum quis volet magistratus multatetur, dum minore patris familias taxat, liceto, siue quis in sacrum indicare voluerit, liceto.*

PAVL. *Publica sacra*,quae publico sumptu pro populo fiunt,quaeque pro montibus, pagis, curiis,sacellis. at priuata,quae pro singulis hominibus,familiis,gentibus fiunt.

FEST. *Publica sacra*,quae pro populo fiebant:priuata quae pro singulis hominibus, & familis appellabant.

Publicius cliuus apellatur,quem duo fratres L.M. Publicij Malleoli Aediles Curules pecuariis condemnatis ex pecunia,quam ceperant munierunt,vt in Auentinum vehiculi Velia venire possit.

Pudicitiae signum in foro boario est,vbi familia naedisset Herculis.eam quidam Fortunae esse existimant.Item via Latina ad milliarium illi fortunae muliebris, nefas est attingi nisi ab ea quae semel nupsit.

PAVL. *Pudicitiae* signum Romae colebatur,quod nefas erat attingi,nisi ab ea,quae semel nupsisset.

Puelli,pueri per deminutionem.Ennius:Poeni soliti suos sacrificare puellos.

FEST. *Puelli* per deminutionem a pueris dicti sunt. itaque & Ennius ait:Poeni soliti suos sacrificare puellos. & Lucilius:cumque hic tã formosus homo, ac te dignus puellus.& Plautus: Olim huic puello sese venum ducier.

Pueri im . . . itur Atta
. . . uersibus docet .
. . . signum ad Salinas . .
. . signum allatum . .
quod sunt cona . . .

nemo vnquam . . praeter
ipsum signum . . sub signo
ubierunt . . dunt si-
mul ut . . cie rexerunt
ad qui . . . . .

Pugio dictus est,quod eo punctim pugnatur.
. . no . . . PAVL.
. . sue . . . FEST.
. . oque . . .
. ma . . .

Pugnus a pũctione,id est percussione dicitur. PAVL.
. . . tione . . FEST.
. . . .

Puilia saxa esse ad portum,qui sit secundum Tiberim,ait Fabius picto ;quem locum putat Labeo dici,vbi fuerit Ficana via Ostiensi ad lapidem vndecimum.

Pulcher bos appellatur ad eximiam pinguitudinem perductus.

Pulchralibus atque cupidiis idem in ea, quae est de fundo oleario.

PAVL. *Pulchralibus* pro pulchris.

Pullariam Plautus dixit manum dextram.

FEST. *Pullus* Iouis dicebatur Q.Fabius,cui Eburno cognomen erat propter candorem,quod eius natis fulmine icta erat. Antiqui autem puerum, quem quis amabat, pullum eius dicebant.

PAVL. *Puer*,qui obscene ab aliquo amabatur,eius,a quo amatus esset,*pullus* vocabatur. vnde Q. Fabius,cui Eburno cognomen erat candorẽ,quod eius natis fulmine icta esset,pullus Iouis appellatus est.

Puls potissimum dabatur pullis in auspiciis, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod *tripudium* faceret,idest terripauium. *pauire* enim ferire est. bonum enim augurium esse putabant,si pulli,per quos auspicabantur, comedissent, praesertim,si eis edentibus aliquid ab ore decidisset. sin autem omnino non edissent, arbitrabantur periculum imminere.

FESTVS. *Puls* potissimum datur pullis in auspiciis, quia ex e . . . .
. . cesse . . . .
id est t . . nem . .
. . non . . .
qui pa . . . tum ex . .
. . . . . .

Punctariolas leuis pugnas apellat Cato in ea quam dixit de re Histriae militari.

PAVLVS. *Punctariolas* leues pugnas identinem ipse dixit.

Punici dicuntur non Poeni,quamuis a Phoenice sint oriundi.

FEST. . . . tur,non Poeni.quamuis .
. . antur, & Punicum bell . .
lantur. nam quae soleb . .
. . logam Ennius in Prae . .
bariorum,qui eaq; fe . .

lino etiam ipsi Gr
gos philargyros
rius appellari mu
vox explanata non
nomina etiam in vi
dicimus tam hic lapis,qu
cipia appellantur,quae
nem rerum significant
tempora personas recipi

Punicum quod appellatur genus
. . latum .
quia i . no
. . sto

PAVLVS. *Punicum* genus libi translatũ a Poenis. id etiam appellabant probum,quia erat ceteris suauissimum.

Pupinia tribus ab agro Pupinio.
FEST. . . abagri nomin
. . Tusculum vrbem
. . minitinuictum
. . est.

PAVL. *Pura vestimēta* sacerdotes ad sacrificium habebant,id est non obsita, non fulgurita, non funesta,non maculam habentia.
FEST. . . fici
PAVL. . . sit a
FESTVS. . . ex h

Pure lautum,aqua pura lauatum.
. . lau
. . ite
. . in

Puri,probi,profani,sui auri dicitur in manuissione sacrorum causa.ex quibus *puri* significat,quod in vsu spurco non fuerit.*probi*, quod recte excoctum,purgatumq; sit.*profani*,quod sacrum nõ sit,& quod omni religione solutũ sit.*sui*,quod alienum nõ sit.

PAVL. *Purime* tetinero,purissime tenuero.
FEST. . . tissime tenuer
. . publicus est.vt
. . et iure augurum
. . prodictio namq; prod
. . sens valet.

Puri menstrio esse dicuntur,qui sacrorũ causa toto mense in caerimoniis sunt,id est puri sint certis rebus carendo.

PAVL. *Puteolos* dictos putant ab aquae calidae putore quidam a multitudine putearum earundem aquarum gratia factorum.
FEST. . . aldae pu
. . ndem
. . uer
cum autem
uio . . is
. . illus
Puteum
inde

PAVL. *Puticuli* sunt appellati, quod vetustissimum genus sepulturae in puteis fuerit, & dicti puticuli,quia ibi cadauera putescerent.
FEST. . . pellatos
. . is fuerit
. . extra p
. . inde p
. . los Aelici
. . familias
. . vilia proiici
. . ea putesc.

Putitum Plautus dixit pro stulto.
. . tior est barbaro
PAVL. . . at Hercule rit
FEST. . . millibus aeris gr
. . seruos publicus PR
. . xxx.cum eius famil.

PAVL. *Putus* antiqui dicebãt pro puto. vnde *putatae vites*, & *arbores*,quod decisis impedimentis remanerent putae.*aurum* quoque *putatũ* dici solet id est expurgatũ.& *ratio putata*, id est pura facta.
FESTVS. . . antiquos
. . decisum est
. . nifici ait ne
. . in Alexandr
. . amidio purus p
. . sycophanta est
. . quo certior sc
. . putarum dici sc
. . ta,id est pura fact
. . dibus retulit.
. . aatum
. . ulam sa
. . ditur sed
. . ersus alia
. . cina Iuno
. . formon
. . ta re
. . se oste
. . tonit
. . picia
. . terisque
. . uanda iudicant pri
. . perae administratis v
. . stabiliantur Parilia se
. . pa
. . um in
. . t suo videri ait po
. . de cuius aere tute
. . um triticum in commen
. . quidam prolatum signifi
. . optum,sed proprium ait
. . tutum factum sit, cui
. . re,cum praesertim aliud
. . pantolcium appelletur
. . no.
. . stimant,quam
. . formulaque est
Pu . . istra vt eius significa
. . curibus
. . plu
. . goue

. go ue . . .
. rtis . . .
. tium in . . .
. atae . . .
. rinalis . . .
. ra ur . . .
. es faci . . .
. ecisti . . .
. ait ob . . . .
. uum Faunum . .
. uit, & ex . . .
. adfecit ut . .
. giuos Aeneam . . .
. ciuitatem iunxit.

P qu . . .
fusc . . . .
dem . . . .
deci . . . .
con. . . . .
ager. . . . .
eadem. . . . .
tera loc . . .
fulgura. . . .
quae erogatur . . .
cari edictaque . . .
in eodem libro . .
dixi existimat . . .
falla in explana . .
ploratus, . . .
simp. . . . .
scri . . . .
uiri . . . .
con. . . . .
in eo . . . .
licto . . . .
istim . . . .
consu . . . .
os au . . . .
nemo . . . .
dicant . . . .
tribus xxx . . .
de capite ci . . .
uetant XII . . .
neficos quinq. . . .
nant, quia ipsi ind . . .

Q

PAVL. QVadrantal vocabant antiqui, quam ex Graeco ἀμφορέα dicunt, quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit sextarios. Plautus in Curculione: Anus haec sitit. quantillum sitit? modica est, capit Quadrantal. & Cato contra Oppium: Vinum redemisti, praedia pro vini quadrantalibus sexaginta in publicum dedisti, vinum non dedisti.

Quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur, vbi posita sunt, quae solent boni ominis gratia in vrbe condenda adhiberi: quia saxo munitus est initio in speciem quadratam. eius loci Ennius meminit, cum ait: Et quis extiterat Romae regnare quadratae.

Quadruplatores dicebantur, qui eo quaestu se tuebantur, vt eas res persequerentur, quarum ex legibus quadrupli erat actio. PAVL.

. . . populo . . FEST.
. . ia ca. . . .
in legum . . . populi
do . . . . .

Quadrurbem Athenas Attius appellauit, quod scilicet ex quattuor vrbibus in vnam domicilia contulerunt, Braurone, Eleusine, Pireaeo, Sunio.

Quaeso, vt significat idē quod rogo, ita quaesere ponitur ab antiquis pro quaerere, vt est apud Ennium libro secundo: Ostia munita est, idem loca nauibus pulchris Munda facit, nautisque mari quaesentibus vitam. & in Cresphonte: ducit me vxorem liberorum sibi quaesendum gratia. & in Andromeda: liberum quaesendum causa familiae matrem tuae.

Quaeso significat id, quod rogo, *Quaesere* tamen Ennius pro quaerere posuit. PAVL.

Quaestores . . . . . PAVL.
. . capitalibus vnde . .
. . cidi appellantur. . .

Quamde pro quam vsos esse antiquos, cum multi veteres testimonio sunt, tum est Liuius in primo: Iuppiter, vt muro fretus magis quam de manus impe . secundo. Quam de tuas omnis legiones, ac popularis. & Lucretius: Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes Quamde grauis tergaios qui vera requirunt. FEST.

Quamde pro quam dicebant antiqui. PAVL.

Quam mox significat, quam cito, sed si per se ponas mox, significabit paullo post, vel postea. FEST.

Quando cum graui voce prónuntiatur, significat quod quoniam, & est coniunctio. quando acuto accentu, est temporis aduerbium. PAVL.

. . . nunt iatur, significat FEST.
. . . vt Plautus in Maec-
. . mensam, quando edo, detergeo. & in Pseudolo: Dabo quando erit. Ducito, quando habebis. & Ennius libro sextodecimo: Nox quando mediis signis praecincta volabit. In duodecimo quidem cum C littera vltima scribitur, idemque significat.

Quādo rex comitiauit fas, infastis notari solet, & hoc videtur significare, quādo rex sacrificulus diuinis reb. perfectis in comitiū venit. PAVL.

. . itia sic . . FEST.
. . i honorem . .
. . enstrui scrip . .
. . Rege dicuntur . .
. . traditae sunt . .
. . pars ante . .

posterior . . .
si quis alius pro Rege . .
tifex cum his dies . .

PAVL. *Quando stercus delatum fas*, eodem modo in fastis notatur dies, quo stercus purgatur ab aede Vestae.

FEST. . . rcus delatum fas, eo . .
. . es, qui talis est, vt . .
. . stercusque in aluum ca .
. . cum id factum sit .
. . a.

Quartarios, appellabant antiqui muliones mercenarios, quod quartam partem quaestus capiebant. Lucilius: porro homines nequam malus vt quartarius cippos colligere omnes.

PAVL. *Quartarios*, appellabant muliones mercenarios, quod quartam partem capiebat quaestus.

Quatenus, significat qua fine: vt hactenus, hac fine. quatinus vero, quoniam, sed antiqui *quatenos* dicebant.

FEST. *Quatenus* significat quia fine, vt hactenus, hac fine. At quatinus, quoniam. Sed antiqui *quatenos* dicebant, vt Scipio Africanus in ea oratione, quam scripsit, postquam ex Africa rediit. Vti negotium natum erat; quatenos castra nostra ita munita erant, vt posses partem exercitus abducere.

Quatere, suspensum, & vicinum rei alicuius motum significat, non vt Verrius putat, ferire: cum id ipsum verbum *concutere* ex praepositione, quae est con, & quatere, sit compositum. *quassare* autem est saepe quatere.

PAVL. *Quatere*, suspensum, & vicinum rei alicuius motum significat, & interdum concutere. quin & id ipsum verbum *concutere* ex quatere sit compositum. *quassare* autem est saepe quatere.

FEST. *Quaxare*, ranae dicuntur cum vocẽ mittunt.

PAVLVS. *Quercus* dicitur, quod id genus arboris graue sit, ac durum, tum etiam in ingentem euadat amplitudinem, *querqueram* etiam grauem, & magnam quidam putant dici.

FEST. *Querq.* . . .
nam quidam querc . .
arboris cum gra . .
ingentem euadat . .
Opilius frigidam a . .
tem. Sabtra eam ex G . .
rem eiusmodi κα . .
etiam carcerem Plau . .
erat bilis querque . .
iactans me vt feb . .
ret alibi querque . .

PAVL. *Querqueram*, frigidam cum tremore à Graeco κάρκαρα certum est dici vnde & carcer. Lucilius: Iactans me, vt febris querquera. & alibi. Querquera consequitur (febris) capitisque dolore. Item Plautus: Is mihi erat *bilis querqueratus*.

Querquetulanae, dicebantur nymphae querqueto virescenti præsidentes.

FEST. *Querquetulanae*, vtrae putantur significari nymphae praesidentes querqueto virescenti, quod genus siluae indicant fuisse intra portam, quae ab eo dicta sit. *Querquetularia*. Sed feminas antiqui quas sciens dicimus, *viras* appellabant. vnde adhuc permanent *virgines & viragines*.

PAVL. *Querquetularia porta* Romae dicta, quod querquetum intra muros vrbis iuxta se habuerit.

FEST. *Ques* antiqui dixerunt: inde declinatum remanet datiuo casu, *quibus*; nã Qui adhuc. item Queis facit, vt isti istis, illi illis.

Quianam pro quare, & cur positum, & apud antiquos, vt Naeuium in carmine Punici belli: Summe deum regnator quianam genus isti. & in satyra: Quianam Saturnium populum pepulisti. & Ennius in libro septimo: Quianam dictis nostris sententia flexa est.

PAVL. *Quianam* pro quare, & cur ponitur. Ennius: Quinam dictis nostris sententia flexa est.

FEST. *Quidnisi* vsurpauisse antiquos testis est Afranius in Epistula: me auctore mater abstinebit: quid nisi?

Quietalus, ab antiquis dicebatur Orcus.

Qui hoc censetis, illuc transite, qui alia omnia in hanc partem his verbis praeit ominis videlicet causa, ne dicat, qui non censetis.

Quincentum & producta prima syllaba, & per C litterem vsurpant antiqui, quod postea leuius visum est, ita vt nunc dicimus pronunciari.

Quinquatrus, appellari quidam putant a numero dierum, qui fere his celebrantur: qui scilicet errant, tam Hercule, quam qui triduo Saturnalia, totidem diebus Compitalia. nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. forma autem vocabuli eius, exemplo multorum populorum Italicorum, enuntiata est, quod post diem quintum Iduum est is dies festus, vt apud Tusculanos *Triatrus*, & *Sexatrus*, & *Septenatrus*, & Faliscos *Decimatrus*. Mineruæ autem dicatum eum diem existimant, quod eo die aedis eius in Auentino consecrata est.

PAVL. *Quinquatrus*, festiuus dies dictus, quod post diẽ quintã Iduum celebraretur, vt *triatrus*, & *sexatrus*, & *septimatrus*, & *decimatrus*.

Quinque genera signorum obseruant augures, ex caelo, ex auibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex diris.

FEST. *Quinq.* . . . .
augure pui, e. . . . .

ex qua-

ex quadrupedibus, ex d . . . . . .

Quinquertium vocabant antiqui, quem Graeci πένταθλον, vt indicat versus hic: Omnis aequalis vincebat quinquertio. Liuius quoque ipsos athletas sic nominat. Quinquertiones praeco in medium vocat.

FEST. *Quinq.* . . . . . bantur, qui lustrum con . . . . ari caeptos.

PAVLVS. *Quinquertium* Graeci vocant πένταθλον, quo die quinque genera artium ludo exercebantur. ipsos quoque athletas Liuius quinquertiones appellat.

Quintana appellabatur porta in castris post praetorium, vbi rerum vtensilium forum fuit.

FEST. . . tanam classem . . .
. Rex distributa . . .
. fecit, cum eas or . .
. sam de capite . .
. nihil praeter se h . .
. cilius sic meminit. quod .
. adeptus.

PAVL. *Quintia* prata trans Tiberim a Quintio Cincinnato, cuius fuerant, dicta sunt.

FEST. *Qui* . . fil
. ag . sen . .
. cin . . riu .
. pec . . sis .
. uos . quod eo .
. appel . est li .
. luperci . .
Romuli . .
& Quincti . . . .
quorum nu . . . .
uoris gratia . . .

Quintipor seruile nomen frequens apud antiquos erat, a praenomine domini ductum, vt *Marcipor, Gripor.* quamuis sint, qui a numero natorum ex ancilla quinto loco dictum putent.

PAVLVS. *Quintipor* seruile nomen frequens apud antiquos, a praenomine domini dictum, vt *Marcipor,* scilicet a Quinto, & Marco.

FEST. *Qui patres, qui conscripti* vocati sunt in curiã. quo tempore Regibus vrbe expulsis, P. Valerius Consul propter inopiam patriciorum ex plebe adlegit in numerum senatorum centum & sexaginta & quattuor, vt expleret numerum senatorum trecentorum. & duo genera appellaret esse.

Quippe significare quidni, testimonio est Ennius libro XL. Quippe solent reges omnes in rebus secundis. Idem libro XVI. Quippe vetusta virum non est satis bella moueri. Item alij complures.

PAVL. *Quippe* significat quidni.

FEST. *Quirina* tribus à Curensibus Sabinis appellationem videtur traxisse.

Quirinalia mense Februario dies, quo *Quirini* fiunt sacra. idem stultorum feriae appellantur. (ante quam in eum commigrat en fere Sabini Curibus venientes post fœdus inter Romulum, & Tatium) quod quidem suorum fornacalium sacrorum cognominant, eo potissimum rem diuinam faciunt.

PAVL. *Quirinalia dies,* quo Quirino fiebant sacra. eadem & stultorum feriae sunt appellata.

Quirinalis collis dictus est, quia in eum commigrauerunt Sabini Curibus venientes. quamuis alij a templo Quirini dictum putent.

FEST. *Quirinalis collis,* qui nunc dicitur, olim Agonus appellabatur ante, quam in eum commigrarent (fere) Sabini Curibus venientes post fœdus inter Romulum, & Tatium ictum, a quo hanc appellationem sortitus est: quamuis existiment quidam, quod in eo factum sit templum Quirino ita dictum.

PAVL. *Quirinalis* porta dicta, siue quod ea in collem Quirinalem itur, siue quod proxime eam est Quirini sacellum.

FEST. . . . . illa
. . . . ua eo
. . . . . Quiri
. . . . aut le
. . . . itum autem
. . . tio ita con
. . . ia, si id suffra
. . . . in Santra pro
. . . . llis est, porta
. . . ellant, siue quod
. . . quod proxime eam sacel
. . . vsurpatio facta
. . . . positum est, qui
. . . dere fertur.

Qui . . . . . .
. aqua & vino . . .
. tamen quid in curiis . .
. his ei sacra fiant . .
. atur. ab eiusdem autem . .
. n Curres Sabinae . . .
. armis erat potens . . .
. uli singulare vsur. . . .
. o est praeco, qui in funeris . .
illius *Quiris leto datus.* Quirites autem dicti post foedus a Romulo & Tatio percussum, communionem, & societatem populi factam indicant.

Quiritium fossae dicuntur, quibus ancus Marcius circumdedit vrbem, quam secundum ostium Tiberis posuit, ex quo etiam *Ostiam* & quia populi opera eas fecerat, appellauit Quiritium.

PAVLVS. *Quiritium* fossae dictae, quod eas Ancus Marcius, cum vrbem circumdedit, Quiritium opera fecit.

Quispiam significat aliquem. sed vnde sequens pars eius vsurpari coeperit, inue-

niri non potest.

FESTVS. *Quispiam* quin significet aliquis, & quaepiã, aliquae, simul. terque alia eiusdem generis, vt dubium non est, ita vnde sequens pars eius coeperit, inueniri non potest.

Quisquiliae dici putantur, quidquid ex arboribus minutis surculorum, foliorum ve cadit, velut quidquid cadit. Caecilius: Quisquilias volantis venti spolia memoranti modo. & Nouius in Togularia: abi deturbate saxo, homo non quisquiliae, quid est?

PAVL. *Quisquiliae* putantur dici quidquid ex arboribus minutis surculorum, foliorumque cadit, velut quidquid cadit.

Quod significat etiam aliquid, praeterquam quod in vsu fere est, & Graeci dicunt τί.

FEST. etiam aliquid, praeter
dicunt τί.

Quoniam significat
apud antiquos
cet de causaq
gui significationem

PAVL. *Quoniam* significat non solum id, quod quia, sed etiam id; quod postquam. hac de causa; quod Graecum ἐπεὶ vtriusque significationem obtinet.

FEST. *Quot serui, tot hostes*, in prouerbio est. de quo Sinnius Capito existimant errorem hominibus interuenisse praepostere plurimis enuntiãtibus. vero enim similius esse dictum initio, Quot hostes, tot serui. tot captiui fere ad seruitutem adducebantur. vnde etiam mancipia, nec san
ser
epti
ruti
gia
turbat
rent
uncia
Sinni
vt peri
nifica
omnibus
cillae
omnis vn
me part
gula sed u
saltius fixa
ferendum qui

R

PAVL. R *Pro S* littera saepe antiqui posuerunt, vt *maiosibus, meliosibus, lasibus, fesiis*, pro maioribus, melioribus, laribus, feriis.

FEST. *R* duobus in compluribus orationibus, cum de actis disseritur etiam perscribi solet, id est rationum relatarum, quod iis tabulis docentur iudices, quae publicae data, atque accepta sint.

PAVL. *Rabidus* a rabie, qui morbus caninus est.
R

FEST. Catullu
li rabidu

PAVL. *Rabula* dicitur in multis intentus negotiis, paratusque ad radendum quid, auferendumque. vel quia est in negotiis agendis acrior, quasi rabiosus,

FEST. dicitur in multis intus ne
dendum quid, auferund
quia acrior sit in nego

Radere g
lege XII. id est. vnguib.

Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.

Rapi solet fax, qua praelucente noua nupta deducta est: ab vtrisque amicis, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro comburendam curet, quo vtroque mors propinqua alterius vtrius captari putatur.

PAVL. FESTVS. *Rasores* fidicines dicti, quia videntur chordas ictu tradere.
abant
dentur, quia
artifi

PAVL. *Rates* vocant tigna colligata, quae per aquam aguntur, quo vocabulo interdum etiam naues significantur.

FEST. *Rate*
quae per aquam agan
interdum etiam na
Afran us in Epistula
culsam ratem. ite
ficarint etiam re
lemo. atque ego reper
& alio loco. Sed iam pro
tes salum.

PAVL. *Ratissima* quoque ab iis, quae rata dicimus. vnde etiam rationes dictae. Cato in Q. Thermum. erga rempublicam multa beneficia rarissima, atque gratissima.

Ratissima quoque ab iis, quae dicimus rata. vnde etiam rationes dictae.

Ratitum quadrantem dictum putant, quod in eo, & triente ratis fuerit effigies, vt nauis in asse.

FEST. Tarqui
et Oppius
in eo & tri
t nauis in as
quoq re ratitum
ratiti Antonius
trientes putat
is asfsis sit, quin
nulla sit, sed se
tans, nec hac re ra
na.

. na.ac legionum vnam :
. gnificat, quod hi pe . .
, ratio cum his putaretur .
. ssent.

Ratumena porta a nomine eius appellata est, qui ludicro certamine quadrigis victor Etrusci generis. iuuenis Veiis consternatis quis excussus Romae periit: qui equi feruntur non ante constitisse, quam peruenirent in Capitolium, conspectamque fictilium quadrigarum, quae erant in fastigio Iouis templi, quas faciendas locauerant Romani Veienti cuidam artis figulinae prudenti, quae bello sunt reciperatae: quia in formae adeo creuerant, vt eximi nequirent. idque prodigium portendere videbatur, in qua ciuitate eae fuissent, omnium ea futuram potentissimam.

PAVL. *Ratumena porta* a nomine cuiusdam aurigae sic appellata.

FEST. *Ratus sum*; significat putaui, item ratus, certus, & firmus.

Ratus sum, significat putaui, sed alioqui pro firmo, certo ponitur ratus, & ratū Ennius: Occiduntur, vbi potitur ratus Romulus praedam. & Attius in Menalippo: neque ratum est, quod dicas, neque quae agitas, dicendi est locus.

PAVL. *Raua* vox rauca, & parum liquida, proxime canum latratum sonans. vnde etiam causidicus pugnaciter loquens *rabula*.

FEST. . uocem . . .
. parum . . . .
. autem . . .
. loquen . . .
. Lucilium . . .
. traui . . .
. elli, nisi . . .
. la. tum, qui . . .
. poscamus quod .
. bi ex pu ga . . .
. rauium . . .

PAVL. *Raui coloris* appellantur, qui sunt inter flauos & caesios, quos Plautus appellat *rauistellos*, Quis inquit, haec mulier, & ille rauistellus, qui venit?

FEST. . appellant . . .
. rauo sub con . .
. quod genus homin . .
. sed quis haec est . .
. uenit . . .

Rauillae à rauis oculis. quemadmodum a caesiis *caesulae*.

Rauim anti . . .
. Plautus. Vbi si quid pos : .
. am item experiuraui her . .
. em & in Artemone, & . .
. in Hypobolimeao. Prius , .
. n tam feceris.

PAVL. *Rauim* dicebant pro raucitate. vnde & verbum rauio, rauis.

FEST. *Raucos* appella : : .
ab ariditate . : : .
earum aristae in sp . . : .
menta raua appell : . .
docet.

Reapse est re ipsa. Pacuuius in Armorum iudicio: Si non est ingratum reapse, quid feci bene.

Recellere, reclinare, & excellere, in altum extollere.

Recepticium seruum, Cato in suasione legis Voconiae cum ait, significat, qui ob vitium redhibitus sit. Vbi irata facta est, seruum receptitium sectari, atque flagitare virum iubet.

PAVL. *Receptitius seruus* est, qui ob vitium redhibitus est.

FEST. *Receptus mos* est, quem sua sponte ciuitas alienum adciuit.

Recinium, omne vestimentum quadratum. ij, qui XII. interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam qua mulieres vtebantur, praetextā clauo purpureo. vnde *reciniati* mimi planipedes quam rem diligentes exsequitur Santra libro secundo de antiquitate verborum.

PAVLVS. *Recinium*, omne vestimentum quadratum vnde *reciniati* mimi.

Reciperatio est, cum inter ciuitates peregrinas lex conuenit, vt res priuatae reddantur singulis, recuperenturque.

FEST. *Reciperatio* est, vt ait Gallus Aelius, cum inter populum, & reges, nationesque, & ciuitates peregrinas lex conuenit: quomodo per reciperatores reddantur res, reciperenturque, resque priuatas inter se persequantur.

Recipie apud Catonem pro recipiam, vt alia eiusmodi complura.

PAVL. *Recipie*, recipiam.

Reciprocare pro vltro, citroque poscere. vnde eque gremiis sublectare, ac figere.

FEST. *Reciprocare* pro vltro, citroque poscere vsi sunt aut qui, quia *procare* est poscere. Pacuuius in Teucro: Rapido, reciproco, percito, angusto, citare, rectem, reciprocare. vnde eque gremiis subiectare, adfigere. Plautus in Astraba. quasi tollenono, aut pilum graecum reciproces plana via.

Reconductae fecerit, & condere vrbem, facere, aedificare, vt Cincius testatur in libro de verbis priscis.

PAVL. *Rectae* appellantur vestimenta virilia, quae patres liberis suis conficienda curant ominis causa ita vsurpata, quod astantibus & in altitudine texuntur.

Rectae appellantur vestimenta virilia, quae astantibus, & in altitudinem texuntur.

FEST. *Recto fronte* ceteros sequi si norit. Cato

in dissertatione consulatus. antiquae id cõsuetudinc fuit, vt cum ait Ennius quoque, *a stirpe supremo.* & *ilia dia nepos.* & *lupus feta* &, *nulla metus.* & iam in commentariis sacrorum pontificalium frequenter est *hic ouis*, & *hac agnus*, ac *porcus*. quae non vt vitia, sed vt antiquam cõsuetudinem testantia debemus accipere.

Redantruare dicitur in Saliorum exultationibus, cum praesul *amptruauit*, quod est motus edidit. ei referuntur inuicem iidem motus. Lucilius: praesul vt amptruet, inde volgus redamptrauit. At Pacuuius, promerenda gratia Simul, cum videam Graios nihil mediocriter Redantruare opibusque summis persequi.

Redarguisse per E litteram Scipio Africanus Paul. filius dicitur enũtiasse, vt idem etiam *pertisum*, cuius meminit Lucilius, cum ait: quo facetior videare, & scire plusquam ceteri, pertisum hominem, non pertaesum dicere ferunt, nam genus.

Redemptitauere item, vt clamitauere, Cato (sidem) in ea, qua egit de signis, & tabulis honorem temptauere ait, malefacta benefactis non redemptitauere.

PAVL. *Redemptitauere*, vt domitauere.

FESTVS. *Redemptores* proprie, atque antiqua consuetudine dicebantur, qui cum quid publice faciendum, aut praebendum conduxerant effecerantque: tum demum pecunias accipiebant. nam antiquitus *emere* pro accipere ponebatur. At ij nunc dicuntur redemptores, qui quid conduxerunt praebendum vtendumque.

Redhostire, referre gratiam. Naeuius in Lupo: vel Veiens regem salutat iube Albanum milium comitem senem sapientem contra redhostis Menalus & Attius in Amphitryone: Cedo ecquid te redhost. tum, cum meassem obiectet facilius. Nam & *hostire* pro aequare posuerunt. Ennius in Cresphonte: audis, atque auditis *hostimentum* adiungito. & in Hectoris lytris. Quae mea cominus machaera, atque hasta hospius manu. & Pacuuius in Teucro: nisi coerceo proteruitates, atque hostio ferociam.

PAVL. *Redhostire* est gratiam referre. nam & *hostire* pro aequare posuerunt.

FEST. *Redibitur* tum id proprie dicitur quod redditum est, improbatumque, & qui dedit, idemque rursus coactus est habere id, quod ante habuit.

PAVL. *Rediculi* fanum extra portam Capenam fuit, quia accedens ad vrbem Hannibal ex eo loco redierit quibusdam perterritus visis.

FEST. . . Capenam Cornifi . . .
. . propterea apel . . .
. vrbem Hannibal . . .
. dam visis perterritus.

Redimiculum vocant mulieres catellam, qua maximè vtuntur ornatus causa.

Redinunt, redeunt.

PAVLVS. FESTVS. . . Ennius . . .
. . inunt in . . .
. cunt feri . . .

Rediuiam quidam, alij *reluuium* appellant, cum circa vnguis cutis se resoluit, quia *luere* est soluere. Titinius in Setina: lassitudo conseruum rediuiae, flagri: & Liuius: scabra in regendo, rediuiosaue offendens.

PAVL. *Rediuia* siue *reluuium* dicitur, cum circa vngues cutis se soluit, quia luere est soluere.

Rediuiuum est ex vetusto renouatum.

FEST. *Rediuiuum* est ex vetusto renouatum. Cicero libro primo in Verrem: vtrum existimatis minus operis esse vnam columnam efficere ab integra nouam nullo lapide rediuiuo.

Referri diem prodictam, id est anteferri religiosum est, vt ait Veranius in eo, qui est auspiciorum de comitiis, idque exemplo comprobat L. Iulij, & P. Licinij Censorum qui id fecerunt sine vllo decreto augurum, & ob id lustrum parum felix fuerit.

Refert cum dicimus, errare nos ait Verrius. esse enim rectum rei fert: datiuo scilicet, non ablatiuo casu. sed esse iam vsu possessum.

Refriua faba dicitur, vt ait Cincius quoque quae ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicij causa, quasi reuocent fruges, vt domum datantes reuirtico ad rem diuinam faciendam. Aelius dubitat, an ea sit, quae prolata in segetem, domum referatur, an quae refrigatur, quod est torrentur: sed opinionem Cincij adiuuat, quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata diis datur, nominatur refriua.

PAVL. *Refriua* dicebant, quae ex segete causa auspicij domum ad sacrificium referebant.

Refutare, redarguere, compositum a fando, versa A littera in V.

FEST. *R.* . re Pacuuius in Hemi . . .
. . quas gloria et . .
. . rietas humanu . .
. . littera in V tam . .
. . recludere . . .

PAVL. *Regale* est dignum rege.

FESTVS. . . gnum Rege. . .

Regalia extra appellantur, quae potentibus insperatum honorem pollicentur, priuatis & humilioribus hereditates, filiofamiliae dominationem.

PAVL. *Regia*, domus, vbi Rex habitat.

FESTVS. . alioqui regiae fe . . .

Regiescit

Regiescit cum dixit . . . .
. uersu vix super . . .
. e misero mihi, ac . . .
. de etiam glires dicti videntur, quibus corpus pinguitudine adcrescit.

PAVL. *Regiescit* apud Plautum significat crescit.

Regifugium sacrum dicebant, quo die Rex Tarquinius fugerit e Roma.

FEST. . . VI kal . .
. . us, quia . .
. . quod fal. . .
. . et Tul . .
. . t Salios . .
. . ficium in . .
. . ouerit . .
. . ales no. . .
. . ando Rex. . .
. . at. his . . .
. . nec in . . .
. . truria . . .
. . kal. Iuniis . .
. . legi debet cum . .
. . ne fasto fastus . .
. . quod in fanum a Pon . .
. . ant, quod in ea sa. .
. . ita vsurpari . .
. . uae fiunt fori co . .
. . ciuitate aliquem . .
. . iestate, sed non . .
. . um, qui homini tales .
. . pt. s fulguris fit.

Regillis, tunicis albis, & reticulis luteis vtrisque . ctis textis sursum versum a stantibus pridie nuptiarum diem virginis indutae cubitum ibant omnis causa, vt etiam in togis virilibus dandis obseruari solet.

Regimen pro regimento vsurpant poetae. Ennius libro sextodecimo: Primus senex Bradyn (in) regimen, bellique peritus.

Regium est . . .
. ut seruus . . .
. Numae Pompilij . . .
. gnum Rege . . .
. appellat Enni . . .
. os Graij inemo . . .
. ngua longos per . . .
. Hispani, non Ro . . .
. cum Romulus ur . . .
. inae locutus sit . .
. gentis fuerit . . .
. nonc mutata. .
. icat origo eius . . .
. surpatio.

PAVL. *Regium* est, quod aut est, aut fuit regis.

FEST. *Relegati* dicuntur proprie, quibus ignominiae; aut poenae causa necesse est ab vrbe Roma, aliove quo loco abesse lege, Senatusque consulto, aut edicto magistratus, vt etiam Aelius Gallus indicat.

Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi, & in aede Iani, quae est extra eam, senatum habere: quod ea egressi sex & treceti Fabij apud Cremeram omnes interfecti sunt, cum in aede Iani Senatus consultum factum esset, vti proficiscerentur.

Religionis praecipue habetur Censo.
. Varro exc. . . .
. or cum M . . .
. admodum . . .
. dicia cum . . .
. quae in pr . . .
. re homin . . .
. iudicium fu . . .
. mius Q.F. . . .
. a miserat . . .
. bum ocul . . .
. libri Sibyll . . .
. blicae supp . . .
. TI. Sempron . . .
. fideles labefa . . .
. cum esset Aed . .
. condempnat . . .
. coerant coode . . .
. L. Aemili Paulli c . .
. fuit, laborauit . . .
. amissione capi . . .
. et P. Corneli Sc . . .
. opilius post cons . . .
. fuit, vadatus . . .
. constat M. Val . .
. ginus Censores . . .
. tia fuerat famosi . . .
. in capitolio in ara . . .
. fico nata fuerat . . .
. tam ficum, infamesq; . .
. ullo pudicitiae resp. . . .
. L. Corneli Lentuli, C . . .
. Lentulus iudicio pu . . .
. fuerat. plurimi itaq; . . .
. . Mammi . . .
. . ac in agen . .
. . soluta poe . .
. . ueritate . .
. . & Q. Fului No .
. . ci fuit no . .
. . tributis notis .
. . cili Metelli . .
. . natus ad sum .
. . tres, & co lu . .
. . claritatem . .

Religiosi dicuntur, qui faciendarum, praetermittendarumque rerum diuinarum secundum morem ciuitatis dilectum habent, nec se superstitionibus implicant.

Religiosum, ac sacrum est, vt templa omnia, atque aedes, quae etiam sacratae dicuntur, ad quod per se religiosum est; non vti . . quod ea non . .

Religiosus est non modo deorũ sanctitatẽ ma

gni aestimans, sed etiam officiosus aduersus homines. *Dies* autem *religiosi*, quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere. quales sunt sex & triginta atri, qui appellantur, & Alliensis atque ij quibus mundus patet. Esse, Gallus Alius, quod homini ita facere non liceat, vt si id faciat, contra deorum voluntatem videatur facere. quo in genere sunt haec: in aedem Bonae deae virum introire: aduersus mystica legem ad populum ferre: die nefasto apud Praetorem lege agere. Inter sacrum autem, & sanctum, & religiosum differentias bellissime refert. *Sacrum aedificium*, consecratum deo. *Sanctum murum*, qui sit circum oppidum. *Religiosum sepulcrum*, vbi mortuus sepultus, aut humatus sit, satis constare ait. Sed ita portione quadam, & temporibus eadem videri posse. Siquidem quod *sacrum est*, idem lege, aut, instituto maiorum sanctum esse putant, violari id sine poena non possit. Idem *religiosum* quoque esse, (qui non iam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat; quod si faciat aduersus deorum voluntatem videatur facere. Similiter de muro, & sepulchro debere obseruari, vt eadem, & sacra. & sancta, & religiosa fiant, sed quo modo. quod supra expositum est, cum de sacro diximus.

Reluere, resoluere, repignerare. Caecilius in Carine: vt aurum, & vestẽ, quod matris fuit, Reluat, quod viua ipsi opposuit pignori.

PAVL. *Reluere*, soluere, repignerare.

FESTVS. *Remancipatã* Gallus Aelius esse ait, quae mãcipata sit ab eo, cui in manum conuenerit.

Remant, repetant. Ennius libro primo: desunt riuos, camposque remant.

PAVL. *Remant*, repetant. Ennius, Riuos, camposque remant.

Remeare, redire: vt comeare, vltro, citroque, ire vnde *commeatus dari* dicitur, id est tempus, quo ire, & redire commode possit.

FEST. *Remeare* redire: vt commeare, vltro, citro ire. vnde commeatus dari dicitur, id est, tempus, quo ire, redireque possit. Afranius (vt in emancipato vetuit me sine mercede prorsum paucius remeare in ludum.

Remiligines. & remora ea morando dictae sunt a Plauto in patina. Nam quid illae nunc tam diu initus remorantur remeligines? Ab Afranio in Prodito. Remeligo a latibus missa sum, hanc, quae cursum cohi. .

. . non ma . .
. . in no . . . .
. . aeq; su . .
. . publi . .
. . in eo, quod . .

PAVL. *Remeligenes*, & *remorae* a morando dictae Plautus: Quid illae nunc tam diuinitus remorantur remeligenes? & Lucilius: Quaenam vox ex te resonans meo gradu remoram facit?

Remillum dicitur, quasi repandum. FESTVS.

Re . . . .
Lucilius suda . . .
remelium & Afra . . .
xendice pergam . . . .

Remissio . . vsus est in
. . . iubetur, quod
. . . tum est exer-
. . . ut cum opus sit
. . . in perpetuum
. . . untur, vt ait
. . . cio, quas po
. . . cures habitae
. . . esse ait Antis-
. . . oque lege signi-
. . . ando dicitur, vt
. . . offic o augu-
. . . in consilio ta-
. . . let loco pullis
. . . um facit auspi-
. . . elit intra prome-
. . . plo consistit.

Remorbescat, in morbum recidat. PAVL.

morbe cat. En . . . FESTVS.
bum recidat.

Remores aues in auspicio dicuntur, quae actu- PAVL.
rum aliquid remorari compellunt.

. . item inu . . FESTVS.
. . remor . .

Remulco est, cum scaphae remis nauis magna PAVL.
trahitur.

. . a tra . . FEST.
. . ficat . .

Remurinus ager dictus, quia possessus est a PAVL.
Remo. & habitatio Remi *Remona*. sed & locus in summo Auentino *Remoria* dicitur, vbi Remus de vrbe condenda fuerat auspicatus.

. dictus . . FEST.
. remu . . .
. num ei . .
. tatam a . . .
. de vrb . .
. rum quu . .
. testis e . .

Renanciscitur significat reprehendit. vnde ad- PAVLVS.
huc nos dicimus *nanciscitur*, & *nactus*, id est, adeptus.

Rena . . . . FEST.
nificare ait rep . .
dicimus nanciscitur .

Renouatiuum fulgur vocatur, cum ex aliquo fulgure functio fieri coepit, si factum est simile fulgur, quod idem significet.

. . existimo, & quaecu .
. . quorum passiua aucto .

Reor,

PAVLVS. *Reor*, existimo, & quaecunque ab eo declinantur.

Repagula sunt, vt Verrius ait, quae patefaciundi gratia ita figuntur, vt ex contrario quae oppanguntur. Cicero in Verrem libro quarto: postea conuulsis repagulis, effractisque valuis demoliri signum, ac vectibus labefactari conantur. quae poetae interdum repages appellant.

Repagula sunt, quae patefaciendi gratia ita figuntur, vt e contrario oppanguntur. haec & *repages* dicuntur.

FEST. *Repanda* locantur Pompina flumin . . .
. . . ap . . .
. . . . . .

Repastinari ager is dicitur, vt Verrius existimat, cuius natura mutatur fodiendo cum aut siluester excodicatur, aut lapis mollitur frangendo, vt fiat pascui, vel pecoribus herba, vel hominibus satione. Cato in ea, quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: ego iam à principio in parsimonia, atque in duritia, atq; industria omnem adulescentiam meam abstinui, agro colendo, saxis Saxinis, silicibus repastinandis atque conserendis. Afranius in repudiato: Repastina serati senex fugis.

PAVL. *Repastinari* ager is dicitur, cuius natura fodiendo mutatur.

Repedare, recedere.

FEST. *Repedare*, recedere. Pacuuius; Paulum repedagnare a vestibulo gradum.

PAVLVS. *Repertum* dicitur, quasi repartum, & reparatum.

FEST. *Re* . . . . . .
. quod amissum recipe . . .
. reparatum . .

Repotia postridie nuptias apud nouum maritum cenatur, quia quasi reficitur potatio. Pacuuius in Iliona: abeo depulsum mamma pedagogandum accipit appotalis liber.

PAVL. *Repotia* postridie nuptias apud nouum maritum cenatur, quia quasi reficitur potatio.

Repudium, quod fit ob rem pudendam, appellatum.

FEST. *Repudium* Verrius ait dictum, quod fit ob rem pudendam. Attius; Repudio eiecta ab Argis iamdudum exsulo.

Repursior secunda conlatione dixit Cato in ea quæ est contra Cornelium apud populum: Nec quis incultior, religiosior, desertior, publicis negotiis repulsior.

PAVL. *Repulsior* Cato dixit comparatiue a repulso.

Reque eapse, re ipsa.

FEST. *Reque eapse*. Scipio Africanus Pauli filius, cum pro aede Castoris dixit, hac compositione vsus est. quibus de hominibus ego saepe, atque in multis locis opera, factis, consiliis, teque eapse (saepe) bene meritus spem, id est re ipsa.

Res comperendinata significat iudicium in diem tertium constitutum. PAVL.

. . ut . . . FEST.
. . iure . . .
. . ut . . .
. . ica . . .
. . um ob . . .
. . ror . . .
. . is con . . .
. . dicium . . .

Resecrare, res c . . .
rans populum co . . .
ut eo periculo . . .
stratus cum resecr . . .
se liberarent insi . . .
innocensque esset cau . . .
est, ne eidem iterum . . .
animaduertisti . . .
cumque comitia esse . . .

Resecrare, soluere religione. vtique cum reus populum comitiis orauerat per deos, vt eo periculo liberaretur, iubebat magistratus eum resecrare. Plautus: Resecroque mater, quod dudum obsecraueram. PAVL.

Reserari a sera dictum est. FEST.
. dici ab eo, quae de . . .
. ine patefiant . .
. & declusa sunt re . .
. neque dicantur fustes . .
. foribus. Pacuuius in . .
. pandite valuas . .
. complectar.

Reses, ignauus, quia residet. PAVLVS.

. residet. Atti . . FEST.
. residuos summ . .
. in rosa. praeterea . .
. pacuius in arm . .
. tuque te desider . .
. nos hic esse in . .

Residiare, saepe resilire. PAVL.

. . sulta. FEST.

Resignare antiqui pro rescribere ponebant. vt adhuc *subsignare* dicimus pro subscribere. Cato de spoliis, ne figerentur, nisi quae de
ho . . . .
. . re . . .
. . nar . . .
. . requi . . .
. . alia a . . .
. . quod m . . .
. . reb . . .
. . in di . . .
. . tertium . . .
. . raborum . . .
. . positi . . .
. . uisi a . . .
. . uocaba . . .
. . cretum . . .

Resignare antiqui dicebant pro rescribere, vt PAVL.

adhuc *subsignare* dicimus pro subscribere.

FEST. *Resignatum* aes dicitur militi, cum ob delictum aliquod tribuni militum, (ne stipendium ei detur,) in tabulas refertur. *resignare* enim antiqui pro scribere interdum ponebant.

PAVL. *Respersum* vinum dixerunt, quia vino sepulcrum spargebatur.

FEST. . . . gnificat .
. . . ouendia .
. . . spargebatur .
. . . . .

Respicere autem & in auspicando, vnde quis auem, prospexit, cum eodem reuertitur.

Respici auis . .
ficio quasi finis impe . .
comitia perfecta sumi . .
dotes suo more, alisq. . . .
adm luci, in quo sacra fa . .
latoribus ingeniculato . .
vinum in caput infu . .
catione.

Respublicas multarum ciuitatum pluraliter dixit C. Gracchus in ea, quam conscripsit de lege P. Ennij, & peregrinis, cum ait: eae nationes, cum aliis rebus, per auaritiam atque stultitiam. respublicas suas amiserunt.

Restat pro distat ait Ennius: ponere, cum is dicat, impetus, aut longe mediis regionibus restat.

PAVL. *Restat* Ennius posuit pro distat.

Restibilis ager fit, qui biennio continuo seritur farreo spico, id est aristato. quod ne fiat, solent, qui praedia locant, excipere.

FESTVS. . . . dicitur qui bie. .
. . co, id est arist . .
. . cant excipe . .

Retiario pugnanti aduersus mirmillonem cantatur: *Non te peto, piscem peto. quid me fugis Galle?* quia mirmillonicum genus armaturae Gallicum est, ipsique mirmillones ante *Galli* appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat. Hoc autem genus pugnae institutum videtur à Pittaco vno ex septem sapientibus, qui aduersus Pirynonen dimicaturus propter controuersias finium, quae erant inter Atticos. & Mytilenaeos rete occulto lato impediuit Phrynonen.

PAVL. *Retractare* est, rursus tractare.

FEST. . . . . .

Retricibus cum ait Cato in ea, quam scripsit, cum edissertauit Fluuij Nobilioris Censuram, significat aquam eo nomine, quae est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum, & tertium. qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam. & Asinariam, vsque ad Latinam.

PAVL. *Retricibus* cum ait Cato, aquam eo nomine significat qua horti irrigantur.

Reus dictus est a re, quam promisit, ac debet.

Reus stipulando est, qui stipulatur. *Reus promittendo* est, qui suo nomine alteri quid pro altero promisit.

FEST. *Reus* nunc dicitur, qui causam dicit: & item qui quid promisit, spoponditve, ac debet. at Gallus Aelius libro secundo significationem verborum, quae ad ius pertinent, ait: *Reus* est, qui cum altero litem contestatam habet, siue is egit, siue cum eo actũ est. *Reus stipulando* est idem qui astipulator dicitur. quippe suo nomine ab altero (qui stipulatus est. non is qui alteri adstipulatus est. *Reus promittendo* est, qui suo nomine alteri quid promisit, quive pro altero quid promisit. at Capito Ateius in eadem quidem opinione est; sed exemplo adiuuat interpretationem. Numa in secunda tabula secunda lege, in qua scriptum est: *Quid horum fuit vnum iudici arbitrove, reove, eo die deffensus esto.* nunc vterque actor, reusque in iudicio rei vocatur. itemque accusator de vi accitur more vetere, & consuetudine antiqua.

Reus cum pro u . . .
nius in eo q . . . .
cit pro se a . . .
to tuo vti . . . .

PAVLVS. *Rhegium* appellatur id municipium, quod in freto Siciliae est, quoniam id a rumpendo dictum est.

FEST. . are oportere, ait Vertius, id municipium, quod in freto e regione Siciliae est, quoniam id dictum est a rumpendo, quod est Graece ῥαγῆναι eo quidem magis, quia in Gallia Cisalpina, vbi forum Lepidi fuerat, Regium vocatur.

Rhinocerotem quidam esse aiunt bouem Aegyptium.

Rhonde. Sicadionque, cum dixit Lucilius. quo nomina riparum posuit, tam infestum sibi corpus, & valetudinem referens, quam leuis, sed saluti nauigantium.

Rica est u . . . .
fimbriatum, purp . . .
palliolo, mitrave . . .
existimat. Titi . . .
sucida alba vestit . . .
triplex, quod con . . .
nuae patrimae m . . .
tum lauetur aqua pe . .
leum.

PAVL. *Rica* est vestimentum quadratum fimbriatum purpureum, quo Flaminicae pro palliolo vtebantur. Alij dicunt, quo G ex lana fiat succida alba, quod conficiunt virgines ingenuae patrimae, matrimae ciues, & inficiatur ceruleo colore.

Ricae, & riculae vocantur parua ricinia, vt pallio-

palliola ad vſum capitis facta.

FESTVS. *Ricae*, & riculae vocantur parua ticinia, vt palliola ad vſum capitis facta. Granius quidem ait eſſe muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur.

Rictus . . . .
dici videntur, quia . . .
contrariaque ſint . . .
regendo, vt commo . . .
dictum videri po . . .

PAVLVS. *Rictus, rixae, rixioſae, ringitur*, dici videntur, quia in diuerſum rumpantur, contrariaque ſint recto. quod vocabulum dictum videtur a regendo.

FESTVS. *Rideo*, inquit Galba Canterio, prouerbiũ eſt, quod Sinnius Capito ita interpretatur, niſi qui principio rei alicuius inchoatae deficiunt animo. Sulpicius Galba, cum in prouinciam exiens, ad porta ipſam canterium ſuum animaduertiſſet cecidiſſe, rideo, inquit, canteri re iam laſſum eſſe, cum tam longum iter iturus, vix id ſis ingreſſus.

Ridiculus, proprie dicitur, qui in rebus turpibus ridetur.

PAVLVS. *Ridiculus*, qui in rebus turpibus ridetur.

Rienes, antiqui vocabant *nefrundines*, quia Graeci eos νεφρὰς dicunt. Plautus: Glaber erat, tanquam rien.

FEST. *Rienes*, quos nunc vocamus, antiqui nefrundines appellabant. quia Graeci νεφρὰς eos vocant. Plautus in Satyrione: male tibi euenisse video, glaber erat tanquam rien.

Rigido . . . .
Ennius locatus videtur . . .
. u eſt enim amanis no . .
. re vſus eſt. & lib. ij. . .
. I caerula prata. Ce . .
. & alibi inde parum . .
ulabant Parum inſulam refert. item vnum vſurũ ſurus ferre tamen defendere poſſunt ſuri autẽ ſunt ruſtes, & ὑποκοριστικῶς ſurculi.

PAVL. *Rigidum*, & praeter modum frigidum ſignificat, & durum.

FEST. . . . ugido u
. . . rigido .
. . . o ferro .

PAVL. *Rimari*, eſt valde quaerere, vt in rimis quoq;

FEST. . . ri, quaer . .
. qui te rima . .
. . Ennius lib. xi. .
. . utrique.

Rituales, nominantur Etruſcorũ libri. in quibus perſcriptum eſt, quo ritu condãtur vrbes, arae, aedes ſacrẽtur, qua ſanctitate muri, quo iure portae, quo modo tribus, curiae, centuriae diſtribuantur, exercitus cõſtituantur, ordinentur, ceteraque eiuſmodi ad bellum, ac pacem pertinentia.

Ritus; eſt mos comprobatus in adminiſtrandis ſacrificiis,

PAVLVS. *Ritus*, eſt mos, vel conſuetudo. rite autem ſignificat bene, ac recte.

FESTVS. *Rit* . . . .
. . ne . .
. . iſtic . .
. . teri . .
. . hon . .
. . iua . .
. . telo . .
. . alio . .
. . tionem . .
. . lorum . .
. . litum eſt . .
. . remo . .

Riuus, vulgo appellatur tenuis fluor aquae, non ſpe, conſiliove factus, verum naturali ſuo impetu. Sed ij ritui dicũtur, q manu facti sũt, ſiue ſuper terrã foſſa, ſiue ſuper ſpecu cuius vocabuli origo ex Graeco pẽdet.

PAVL. *Robigalia*, dies feſtus ſeptimo Kalẽdas Maias; quo Robigo deo ſuo, quem putabant rubiginem auertere, ſacrificabant.

Robum, rubro colore, & quaſi rufo ſignificari, vt bouẽ quoque ruſtici appellant, manifeſtum eſt vnde materia; quae plurimas venas eius coloris habet, dicta eſt *robur*. hinc & homines valentes, & boni coloris, *robuſti*, *robus* quoque in carcere dicitur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robuſteis includebatur.

Rodus, vel raudus cum dicitur, res rudis, & imperfecta ſignificatur. Hominem quoque imperitum rudem vocamus. *Rudentes* reſtes nauticae, & aſini, eum vocem mittunt.

FEST. *Rodus*, vel *raudus* ſignificat rem rudem, & imperfectam. nam ſaxum quoque *raudus* appellant poëtae, vt Attius in Menalippo, Conſtituit, cognouit, ſenſit, conlocat ſeſe in locum Celſum, hinc manibus rapera raudus ſaxeum grandem, & grauem. & in Chryſippo. Neque quiſquam a telis vacuus. Sed vti cuique obuiam fuerat, ferrum, alius ſaxum rodum. vulgus quidem in vſu habuit, non modo pro aere imperfecto, vt Lucilius, cum ait: plumbi paxillum rodus linique matexam, ſed etiam pro ſignato, quia in mancipando cum dicitur, *ruduſculo libram ferito*: aſſe tangitur libra. Cincius de verbis priſcis ſic ait: Quemadmodum omnis fere *materia* non deformata *rudis* appellatur, ſicut *veſtimentum rude*, non perpolitum: ſic aes infectum *ruduſculum* apud eadem Apollinis aes conflatum iacuit, id *adrudus* appellabant. in aeſtimatione cenſoria aes infectum *rudus* appellatur. *Rudiarij* ab eodem dicuntur, qui ſaga noua poliunt Hominem imperitum rudem dicimus. *Rudentes* reſtes nauticae, & aſini, cum voce mitunt.

PAVL. *Roduſculana* porta appellata, ꝙ rudis & impo-

lita sit relicta, vel raudo, id est aere vincta.

FEST. . . . quod . . .
. . . aere . .
. . . tatum . .
. . . ncipa . . .
. . . eli . .
. . . genus . .
. . . enim. . .
. . . uatq . .
. . . uene . .
. . . us.M. . .
. . . erio . . .

PAVL. *Rogat*, est consulit populum, vel petit ab eo, vt id sciscat, quod ferat. vnde nos quoque in cõsuetudine habemus pro petere, & orare. Cato in dissuasione, ne lex Baebia derogaretur, ait: hoc potius agã, quod hic rogat.

Rogat, est consulit populum, vel petit ab eo, vt id sciscat, quod ferat.

Rogatio est, cũ populus consulitur de vno, pluribusve hominib. quòd nõ ad omnes pertineat; & de vna pluribusve rebus de quibus, nõ de omnib. sanciatur, nã ꝙ in om . es homines, resve populus sciuit, lex appellatur.

FEST. *Rogatio* est, cum populus consulitur de vno, pluribusve hominibus quod non ad omnis pertineat; & de vna pluribusve rebus, de quibus, non omnib. sanciatur. nam quod in omnes homines, resve populus sciuit, *lex* appellatur. Itaque Gallus Aelius ait, inter legem, & rogationem hoc interest, *rogatio* est genus legis, quae *lex* non continuo ea rogatio est (rogatio) non potest non esse lex, si modo iustis comitiis rogata est.

Romam appellatam esse Cephalon Gergithius, qui de aduentu Aeneae in Italiam videtur conscripsisse, ait ab homine quodam comitae Aeneae, eum enim occupato monte, qui nunc Palatinus dicitur, vrbem condidisse, atque eam Romam nominasse. ¶ Apollodorus in Euxenide ait Aenae, & Lauinia natos Mayllem. Mulum, Romumque atque ab Romo vrbi tractum nomen. ¶Alcimus ait Tyrrhenia Aeneae natum filium Romulum fuisse, atque eo ortam Albam Aeneae neptem, cuius filius nomine Romus condiderit vrbem Romam. ¶Antigonus Italicae historiae scriptor ait, Romum quendam nomine, Ioue conceptum vrbem condidisse in Palatio Romae, eique dedisse nõmen. ¶ Historiae Cumanae compositor Athenis quosdam profectos Sicyonem, Thespiasque ex quibus porro ciuitatibus, ob inopiam domiciliorum, compluris profectos in exteras regiones, delatos in Italiam, eosque multo errore nominatos Aborigenes, quorum subiecti q u fuerint. Caeximparum viri, vnicarumque virium imperio montem Palatium, in quo frequentissimi consederint, appellauisse a viribus regentis *Valentiam*, quod nomen aduentu Euandri, Aeneaeque in Italiam cum magna Graece loquentium copia interpretatum, dici coeptum *Romam*. ¶ Agathocles Cyzicenarum rerum conscriptor ait, vaticinio Heleni impulsum Aeneam Italiam petiuisse portantem suam secum neptem, Ascanij filiam nomine Rhomam, eamque vt Italia sint Phryges potiti, & iis regionibus maximae, quae nunc sunt vicinae vrbi, primùm omnium consecrasse in Palatio fidei templum. in quo monte postea cum conderetur vrbs, visam esse iustam vocabuli Romae nominis causam, eamque priore, vnde ea locum dedicauisset fidei. ¶ Ait quidem Agathocles complures esse auctores, qui dicant Aeneam sepultum in vrbe Berecyntia proxime flumen Nolon, atque ex eius progenie quendam nomine Romum venisse in Italiam, & vrbem Romam nominatim condidisse. ¶ Callias Agathoclis Siculi qui res gestas conscripsit, arbitratur è manu Troianorum fugientium Ilio capto cuidam fuisse nomen Latino, eumque habuisse coniugem Romam, a quo vt Italia sit potitus, vrbem condiderit, quam Romam appellauisse. ¶ Lembus, qui appellatur, Heraclides, existimat reuertentibus ab Ilio Achiuis quosdam tempestate deiectos in Italiae regiones securos Tiberis decursum peruenisse, vbi nunc sit Roma. vbique propter taedium nauigationis impulsas captiuas auctoritate virginis cuiusdam tempestiuae nomine Romes, incendisse classem, atque ab ea necessitate ibi manendi vrbem conditam ab his, & potissimum eius nomine eam appellatam, a cuius consilio eas sedes sibi firmauissent.

¶ Galatas scribit, cum post obitum Aenae imperium Italiae peruenisset ad Latinum Telemachi, Circesque filium ex Romae suscepisset filios, Remum, Romulumque, vrbisque conditae in Palatio caussam fuisse appellandae potissimum.

Rom . . . . .
. is . . . .
. ini . . . .
. ex . . . .
. Rom . . .
. lac . . .
. tos . . .
. pler . . .
. mito . . .
. pepe . . .
. . deni.

. deni . . .
. atque . . .
. mam . . .
. omnes p . . .
. nomin . . .
. compressu. . . .
. positos in . . .
. mam mont . .
. sunt educ . .
. minari pot . . .
. essent procreati . .
. rest fuisse reg . .
. per auguria decre . .
. naretque ac deorum ; .
. mulum vrbem cond. . .
. potius quam Romu . .
. re vocabuli signi . .
. suae ominaretur . .

PAVLVS. *Romam* Romulus de suo nomine appellauit; sed ideo Romam, non Romulam, vt ampliore vocabuli significatu prosperiora patriae suae ominaretur.

FEST. *Romanam* portam vulgus appellat, vbi ex epistylio defluit aqua. qui locus ab antiquis appellari solitus est *statuae Cinciae*, quod in eo fuit sepulcrum eius familiae. sed porta Romana instituta est a Romulo . . infimo cliuo Victoriae qui locus gradibus in quadram formatus est. appellata autem Romana a Sabinis praecipue, quod ea proximus aditus erat Romam.

PAVL. *Romana* porta apud Romam à Sabinis appellata est, quod per eam proximus eis aditus esset.

FEST. *Romanam* portam ante . .
tatam ferunt, quae fuerit . .
. . . .
Romani. . . .
artificium . . .
coeperunt . . .
is ciuitatibus . . .
omnes. qui nunc . . .
sunt institu . . .
manos, alij aiunt . . .
magnae ac po . . .
in conferendis . . .
ros Romanos alij . . .
os equitando iactu . . .
parilibus, paribusque etiam . .
ludentibus fierent.

PAVLVS. *Romulia* tribus dicta, quod ex eo agro censebatur, quem Romulus ceperat ex Veientibus.

FEST. . latam Terentius quidem .
. deinde detortam voc . .
. credibile, ceterum caus .
. nisse ait, Verrius . .

Romulum quidam a ficu ruminali, alij quod lupae ruma nutritus est, appellatum esse ineptissime dixerunt. quem credibile est a virium magnitudine, item fratrem eius appellatos.

PAVLVS. *Romulus*, & Remus a virtute, hoc est a robore appellati sunt.

Rorarios milites vocabant, qui leui armatura primi praelium committebant; quod, vt ante imbrem fere *rorare* solet, sic illi, ante grauem armaturam quod prodibant, rorarij dicti.

Rorarium vinum, quod rorariis dabatur.

FESTVS. . . vbi incubare posset auspicij repetendi causa.

PAVL. *Roscij* appellabantur in omnibus profecti artibus, quod Roscius quidam perfectus vnus in arte sua, id est, comedia iudicatus sit.

FEST. . ri solent in . . .
. comoedus in . .
. nihil deesset . .
. de oratore . .
. mense Aug . , .
. quod eodem ill . .
. est. iumenta . .
. omnes horti in . .

PAVL. *Rosea* in campo Reatino campus appellatur, quod in eo arua rore humida semper feruntur.

FESTVS. . . us appellatur . .
. . ida semper serent. . .

Rotundam aedem Vestae Numa Pompilius Rex Romanorum consecrasse videtur, quod eandem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eamque pileae forma esse: vt sui simili templo dea coleretur.

PAVL. *Rotundam* faciebant aedem Vestae ad pilae similitudinem, quod eandem credebant terram esse.

Rubidus apud Plautum panis vocabatur parum coctus. item scortae ampullae rugosae rubidae dici solent.

FESTVS. . tur parum coctus cum . .
. Plautus in Catina . .
. o atque ibi torreto . .
. em scortae ampullae vetustate rugosae, & coloris eiusdem rubidae dici solent.

PAVL. *Ructare*, non ructari dicendum est. Flaccus: Videres alios ructare, ac respuere pulcherrima superbia. Cicero tamen ructaretur dixit.

FEST. . ctare . . .
. ut pro . . .
. os igi . . .
. scrib . .
. ceus . . .
. re, ac . . .
. M. Cice . . .
. ructa . . .

Rufuli, Tribuni mili . . .
Consul faciebat . . .
Rutilius Rufus leg. . . .
modic sic enim eleua . .
bant, qui populo suffr . .
cognomine Rutili a . . .

PAVL. *Rufuli*, appellabantur Tribuni militū a Consule facti, non a populo, de quorum iure, quod Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli, ac post Rutuli sunt appellati.

Rumen, est pars colli, qua esca deuoratur. vnde *rumare* dicebatur, quod nunc *ruminare*.

FEST. . . qua esca deuoratur .
. . quod nunc ruminare .

PAVL. *Rumentum*, abruptio.

FEST. . . alibus significare vi .
. . oue, dum Anci. . .
. . erimen vis canerit .
. . o augurio rumentum .

PAVL. *Rumex*, genus teli simile spari Gallici.

FEST. *Rumex* . . . .
meminit Lucili . . .
tragula . . . .

Ruminalis, dicta est ficus, quod sub ea arbore luppa mammam dedit Ramo, & Romulo. mamma autem rumis dicitur. vnde & rustici appellant hedos subrumos, qui adhuc sub mammis habentur.

FEST. . . latum ait Varro . .
. . bus, quod sub ea ar .
. . Remo, & Romulo .
. . ma autem rumis di .
. . es sub rimios uo . .
. . alibi autem sunt . .
. . ruminari solitum .

PAVL. *Rumitant*, rumigerantur. Naeuius: Simus alius aliunde rumitant inter se.

FEST. . ntur. vt Nae . .
. i.ant inter . .

PAVL. *Runa*, genus teli significat. Ennius: runata recidit, id est, pilata.

FEST. . nas . . .
. ne . . .
. Naeui . . .
. uit . . .
. ad . . .
. escen . . .

Rupitias, in XII. significat, damnum dederis.

PAVL. *Rupitia*, damnum dederit significat.

FEST. *Ruri* esse, non aure dicendum. Testis est Terentius in Phormione, cum ait: ruri se continebat, ibi agrum de nostro patre.

Ruscum est, vt ait Verrius, amplius paullo herba, & exilius virgultis, fructibusque nō dissimile iunco, cuius coloris rebus vti mulieres solitae, commemorat Cato Originum libro septimo: Mulieres opertae auro, purpuraque, ars inhaeret diadema coronas aureas russea facie, galbeas lineas, pelles, redimicula.

Ruspari, est quaerere crebro, vt hoc versu indicatur; & ego ibo, vt latebras ruspans timer amaptimas. PAVL.

Ruspari est cerebro quaerere.

Rustica, vinalia quatuordecimo kalendas Septembris celebrabantur, quo die primùm vinum in vrbem deferebant.

Rustica, vinalia appellantur, mensae Augusto quartodecimo kalendas Septembris Iouis dies festus, quia Latini bellum gerentes aduersus Mezentium, omnis vini libationem ei deo dedicauerunt. eodem autem die Veneri templa sunt consecrata, alterum ad Circum maximum alterum in luco Libitinensi, quia in ipsius deae tute sunt horti. FEST.

Rustum, ex rubus . . .
. . . . . .

Ruta, caesa dicuntur, quae venditor possessionis, sui vsus gratia, concidit, tuendoque contraxit.

Rutabulum est, quod rustici in proruendo igne pa.is coquendi gratia (vtuntur.) Nonius in Pico: quid ego facerem, otiosi rodebam rutabulum. Naeuius obscenam viri partem describens: vel quae sperat se nuptu.am iri adulescentulo, ea licet senile tractet retritum rutabulum.

Rutabulum, a pro uendo igne vocatum, quo panes coquuntur. inuenitur tamen positum & pro virili membro. PAVL.

Rutilae, canes, id est, non procul a rubro colore immolantur, vt ait Ate.us Capito canario sacrificio pro frugibus deprecandae saeuitiae causa sideris caniculae. FEST.

Rutilium, rufum significat, cuius coloris studiosae etiam antiquae mulieres fuerunt, vnde traxerunt cognomine Rutilias, vt indicat frequenter Afranius.

Rutilium, rufum significat, cuius coloris studiosae etiam antiquae mulieres fuerunt. vnde & rutilae dictae sunt. PAVL.

Rutrum, dictum, quod eo harena eruitur. FESTVS.

Rutrum, tenentis iuuenis est effigies in Capitolio Ephebi more Graecorum harenam ruentis exercitationis gratia. quod signum Pompeius Bithynicus ex Bithynia supellectilis regiae Romam deportauit.

S

Sabatina, a lacu Sabate dicta. PAVLVS.

Sabatina . . . . FEST.

Sabini dicti, vt ait Var .
quod ea gens PP. praecipue colat de .
σ'έβεσθαι.

Sabini, a cultura deorum dicti, id est ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. PAVL.

FESTVS. *Sabini*, quod . . . .
. prouerbium e . .
. Sinnius Capito . .
. ficium propte . . .
. Sabinum at . .
. nam

. nam bis pr . . .
rumidem .
. facientibus . . .
. in quiete vi . .
. fici religione . .
. in prouerbium . .
. uellent somn . .
. tatem bibendi q . .
. id somnium cap . .
. illud quoque anus . .
. niat, ferè enim quo . .
. animo voluimus . .
. parere solet.

Saccor . . . . .
. m Pomponius . .
. or, quod ficus ea . .
. nomen per M . .
. ductum est Io . .
. leuem modo So . .
. tu est Apollo . .

Sacella di . . . .
. . a dij sacrata sine tecto.

PAVL. *Sacella* dicuntur loca diis sacrata sine tecto.

Sacer mons trans Anienem fluuium vltra tertium miliarium appellatur, qui Ioui fuerat consecratus.

FEST. *Sacer mons* appellatur trans Anienem paullo vltra tertium miliarium, quod eum plebes, cum successisset a patribus creatis Tribunis plebis, qui sibi essent auxilio, discedentes Ioui consecrauerunt. ¶ At *homo sacer* is est, quem populus iudicauit ob maleficium, neque fas est eum immolari: sed qui occidit, parricidi non damnatur: nā lege tribunicia prima cauetur: *Si quis eum qui eo plebeiscito sacer sit, occiderit: parricida ne sit*. ex quo quiuis homo malus, atque improbus sacer appellari solet. ¶ Gallus Aelius ait *sacrum* esse quocunque modo, atque instituto ciuitatis consecratum sit, siue aedis, siue ara, siue signum, siue locus, siue pecunia, siue quid aliud, quod diis dedicatum, atque consecratum sit. Quod autem priuati suae religionis causa aliquid earum rerum dedicent: id Pontifices Romanos non existimare sacrum. at si qua sacra priuata suscepta sunt, quae ex instituto Pontificum stato die, aut certo loco facienda sint: ea sacra appellari, tanquam sacrificium. Ille locus, vbi ea sacra priuata facienda sunt, vix videtur sacer esse.

PAVL. *Sacram viam* quidam appellatam esse existimant, quod in ea fœdus ictum sit inter

FEST. Romulum, ac Tatium, quidam, quod eo itinere vtantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum causa. Itaque ne eatenus quidem, vt volgus opinatur, sacra appellanda est a regia ad domū regis sacrificuli, sed etiam a regis domo ad sacellum Streniae & rursus a regia vsque in arcem. nec appellari debere ait Verrius, sed disiuncte, vt ceteras vias Flaminiā, Appiam, Latinam, vt ne Nouamuiam quidem, sed Nouam viam.

Sacra via in vrbe appellatur, quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum & Tatium. PAVL.

Sacramenta dicitur, quod . . FESTVS.
. ae interposita, ac tum . .
. to dicitur interrogari quia .
. in Q Thermum de x . .
. aerant, ne mala . . .
. scelera nefaria fie . .
. nto traderetur. lege est . .

Sacramentum dicitur, quod iusiurandi sacratione interposita geritur. PAVL.

Sacramentum aes significat, quod poenae nomen penditur.

Sacramentum aes significat, quod poenae nomine penditur, siue eo quis interrogatur, siue contenditur. id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum inter eos, qui iudicio inter se contenderent. qua de re lege L. Papinij Tribuni plebis sanctum est his verbis: *Quicunque Praetor post hoc factus erit, qui inter ciues ius dicet, tres viros (capitales) populum rogato, iique tres viri . . quicumque . facti erunt sacramenta ex . iudicantoque eodemque iure sunto, vti ex legibus, plebeique scitis exigere, iudicare esseque oportet*. ¶ *Sacramēti* autem nomine id aes dici coeptum est, quod propter aerarij inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem consumebatur id in rebus diuinis. FESTVS. PAVLVS. FESTVS.

Sacrani appellati sunt Reate orti, qui ex Septimontio Ligures, Siculósque exegerunt. nam vere sacro nati erant.

Sacratae leges sunt, quibus sanctum est, qui quid aduersus eas fecerit, sacer alicui deorum sicut familia, pecuniaque. Sunt qui esse dicant sacratas, quas plebes iurata in monte sacro sciuerit.

Sacratae leges dicebantur, quibus sancitum erat, vt si quis aduersus eas fecisset, sacer alicui deorum esset cum familia, pecuniaque. PAVL.

Sacrem . . . . FEST.
. us vbi iam .
. ire appel . . .
. ita id adi . . .
. um sit voca . . .
. lescens qui . .
. eneunt sa . .
. nummum . .
. plari de mea . .
. e. sunt domi . .
. tó aduer . .
. mum post . .
. rem in sin . .
. uando pro . .
. me sacrem . . .

[library stamp]

Sacrificulus

. . qui ea sacra, quae
. . s sueuerant, facit
. . ur post Reges ex
. . urus.

PAVL. *Sacrificulus* Rex appellatus est, qui ea sacra quae Reges facere assueuerant, fecisset.

Sacrima appellabant mustum, quod Libero sacrificabant pro vineis, & vasis, & ipso vino conseruandis. sicut *praemissum* de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Ceteri.

FEST.
. . primis fiet
. . crima est
. . atus dicun
. . tum in amphoram
. . ifici causa pro
. . quae quasi sacra
. . ero fit, vt prae

Sacrosanctum dicitur, quod iureiurando interposito est institutum, siquis id violasset, vt morte pœnas penderet. cuius generis sunt Tribuni plebis, Aedilesque eiusdem ordinis quod affirmat M. Cato in ea, quam scripsit, Aedilis plebis sacrosanctos esse.

PAVL. *Sacrosanctum* dicebatur, quod iureiurando interposito erat institutum, vt qui violasset, morte pœnas penderet.

Saeculares ludi apud Romanos post centum annos fiebant, *quia saeculum* in centum annos extendi existimant.

FEST.
. . Tarquinij Superbi Regis
. . Marti consecraui
. . . Cos. quod populus
Romanus in
aram quoque Diti a
extremo Mart
pellatur demissa
viginti, in qua
R facere sac
& nonagensi
Popillio Laenate
stis furulis est
quod noctibus, ac de
rum post annos u
culares appell
saeculi habetur.

Sagaces appellantur multi, ac sollertis acuminis. Afranius in Brundisina: Quis tam sagaci corde, atque ingenio vnico. Lucretius lib. II. Nec minus hæc animum.

cognoscere
etiam canem
inuictus ca
ribus fretus
mulier per
sapiens pro
forsitan prop
euitandam

Sagaces appellantur sollertis acuminis, vnde etiam canes indagatores sagaces sunt appellati. *Saga* quoque dicitur mulier perita sacrorum, & vir sapiens, producta prima syllaba propter ambiguitatem euitandam. PAVL.

Sagmina dicebant herbas verbenas, quia ex loco sancto arcebantur legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumque indicendum, vel a sanciendo, id est confirmando. Naeuius: Scabos, atque verbenas sagmina sumpserunt.

Sagmina vocatur verbenae, id est herbae purae, quia ex loco sancto arcebantur a Consule, Praetoreve legatis proficiscentibus ad foedus faciendum, bellúmque indicendum. vel a sanciendo, id est confirmando. Naeuius: Ius sacrarum Iouis iurandum sanguine. FEST.

Salaciam dicebant deam aquae, quam putabant *salum* ciere, hoc est mare mouere (vnde Ouidius: Nymphaeque salaces.) quo vocabulo poetae pro aqua vsi sunt. Pacuuius: Hinc saeuitiam Salaciae Fugimus. PAVL.

. . . salum ciet, an . . . FEST.
. . . uocabulo poe
. . . Pacuuius
. . . am Salaciae
. . . uescimur
. . . . mo vt me
. . . . um saeptam

Salaria via Romae est appellata, quia per eam Sabini sal a mari deferebant. PAVL.

. . . iam viam . FESTVS.
. . . a, quae nunc Col
. . . li dicitur
. . . appellabatur
. . . ut ea liceret
. . . lem portari

Salentinos a salo dictos, Cretas, & Illyrios, qui cum Locrensibus nauigantes societatem fecerint eius regionis Italiae quam o

Salentini a salo sunt appellati. PAVLVS.

Salias virgines Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibebantur cum apicibus paludatae, quas Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in Regia Pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum. FEST.

Salicem idem virgulti genus, non arboris dicit, & ridicule interpretatur dictam, quod ea celeritate crescat, vt salire videatur.

Salinum in mensa pro aquali salitum esse poni ait cum patella: quia nihil aliud sit sal, quam aqua. Salinum cum sale in mensa ponere figulis religioni habetur, quod quondam in Esquilina regione figulo, cum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proxime eam conuiuatus, supermodum potus somno esset oppressus cum

cum conuiuis suis, praeteriẽs quidam petulans ostio patente ex mensa salinum cõiecit in fornacem, atque ita incendio excitato figulus cum suis concrematus est.

Salios saltando, & saltando dictos esse, quanuis dubitari non debeat, tamen Polemon ait Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui iuuenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace cum Aenea deos penates, qui Lauinium transtulerit. Saliare genus saltandi instituisse: a quo appellatos Salios, quibus per omnis dies, vbicunque manent, quia amplae ponuntur caenae, si quae aliae magnae sunt, Saliares appellantur.

Salmacis nomine nympha Caeli, & Terrae filia fertur causa fontis Halicarnassi aquae pellandae fuisse Salmacidis, quam qui bibisset, vitio impudicitiae mollesceret, ob eam rem, quod eius aditus angustatus parietibus occasionem largitur iuuenibus petulantibus antecedentium puerorum, puellarumque violandarum, quia non patet refugium. Ennius: Salmaci da spolia sine sanguine, & sudore.

Saltum Gallus Aelius libro secundo significationum, quae ad ius pertinent, ita definit: Saltus est, vbi siluae, & pastiones sunt, quarum causa casae quoque. Si qua particula in eo saltu pastorum, aut custodum causa aratur, ea res non peremit nomen saltui, non magis, quam fundi, qui est in agro culto, & eius causa habet aedificium si qua particula in eo habet siluam.

Salua res . . . . . .

. . enex, quare parasiti Apollinis in scaena dictitent; causam Verrius in libro quinto, quorum prima est P littera reddidit. quod C. Sulpicio, C. Fuluio consulibus M. Calpurno Pisone Prætore Vrbis faciente ludos subito ad arma exierint, nuntiato aduentu hostium, victoresque in theatrum redierint, soliciti, ne intermissi religionem adferrent; instaurati qui essent, inuentum esse ibi C. Pompinium libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem saltaret. Itaque gaudio non interruptae religionis editam vocem nunc quoque celebrari. At in hoc libro refert Sinnij Capitonis verba, quibus eos ludos Apollinares Claudio, & Fuluio Consulibus factos dicit ex libris Sybyllinis, & vaticinio Marcij vatis institutos, nec nominatur vllus Pomponius, ridiculeque de appellatione parasitorum Apollinis hic causam reddit, cum in eo praeterijsset. Ait enim ita appellari quod C. Volumnius, qui ad tibicinem saltarit, secundarum partium fuerit, qui fere omnibus mimis parasitus inducatur. Quam inconstantiam Verrij nostri non sine rubore retuli.

PAVL.

Salutaris porta appellata est ab aede Salutis, quae ei proxima fuit.

FESTVS.

. . S porta ap . . . .
. , lutis, quod ei . . .
. . utationes uo . . . .
. . unc ludi scenicos . . .
. . s primum fecisse C . . .
. . lium M. Popillium. . . .
. . Aediles memoriae . . .
. . historici solebant . . .
. . ino. hestra dum . . .
. . bulae componeren . . .
. . scaenis.

PAVL.

Sambuca organi genus, a quo *sambucistriae* dicuntur. machina quoque, qua vrbs expugnatur, similiter vocatur. Nam, vt in organo chordae, sic in machina intenduntur funes.

FESTVS.

Sam . . . . .
genus. a quo Sambi. . . .
dicuntur. per similitu . . . .
eam machinam appella . . .
. . . nt. nam vt in . .
. . . machina funes.

PAVLVS.

Samnites ab hastis appellati sunt, quas Graeci σαύνια appellant, has enim ferre assueti erant. siue a colle Samnio, vbi ex Sabinis aduentantes consederunt.

. mnitibus nomen . . .
. . s propter genus . . .
. . appellent . . .
. . t Sabinis vere . . .
. . hominum . . .
. . comio castronio . . .
. . collem, cui nomen . . .
. . . . . .

anates dicti sunt qui supra, infraque Romam habitauerunt, quod nomen his fuit, quia, cum defecissent a Romanis, breui post redierunt in amicitiam, quasi sanata mente. Itaque in XII cautum est. *Vt idem iuris esset Sanatibus, quod fortibus,* id est bonis, & qui nunquam defecerant a populo Romano.

FEST.

. ti appella . . . .
. Sulpicius . . . .
. et Opiliu . . .
. dici inferio . . .
. vt Tibuites . . .
. populo Tibur . . .
. Tiburti ide . . .
. riorisque loc . . .
. in XII. nex . . .
. forti sanati . . .
. id est bonor . . .
. qui & inf . . .
. que sunt . . .

. eos latinos . . .
. egerit secundum . .
. fra Romam in c . .
. eos quae sanati . .
. praeter opinio . .
. set sanauissetq. . .
. cisci potuisset no . .
. Cincius libro II.d . .
. sulti.ne Valerius . .
. in XII.explanati . .
. men in eo libro, quem .
. volute inscribi forc . .
. duas gentis finitima . .
. gem hanc inscrip . .
. n vti dius man . .
. P.R.haberent . .
. ctos, & sana . .
. nificare exis . .
. tumulti sunt . .
. cuit displi . . .
. sanct forcti . . .
. anati insani . . .

Sanctum . . .
lius quod . . .
at Aelius . . . .
videatur e. . . . .
plerique autem q. . . .
poena.sit multa . . .
se ponetur pro . . .
et sanctio dict . . .
et rogatio qui con . . .

Sanderacam . . . .
quod Graeci sa . . .
Naeuius Meru . . . .

PAVL. *Sandaraca*, genus coloris. Naeuius: Merula sandaracino ore.

Sanqualis auis, quae ossifraga dicitur.

FEST. *Sanqualis auis* a . . . .
mentariis augura . . .
ga dicitur, quia in . . .
tutela est. .

Sanqualis porta . . . .
. eoque eodem est nomine .
. . . .

PAVL. *Sanqualis porta* appellatur proxima aedibus Anci.

FEST. *Saperda*, genus pessimi piscis.
. genus pessimi pi . .
. significat C . . .
. saperdae cu . . .

Sarcito in XII. Seruius Sulpicius ait significare damnum soluito, praestato.

PAVL. *Sarcito*, damnum soluito.

FEST. *Sardanapalus* rex Assyriorum fuit vnicae luxuriae; inter mulieres, epulasque versatus semper, atque omni tempore.

PAVL. *Sardare* intelligere. Naeuius. Quod bruti nec satis sardare queunt.

FESTVS. . . intelligere . . .
. uius belli Pu . .
. d bruti nec satis . .
. . . . . .

Sardi venales . . .
. ior ex hoc natum . .
. detur, quod ludis . .
. fiunt a vicinis . .
. ctio valentium . .
. in qua nouissimus . .
. rimus producitur . .
. senex cum toga praetexta, bullaque aurea, quo cultu Reges soliti sunt esse E
. corum, qui Sardi appellantur. quia Etrusca genus orta est Sardibus ex Lydia. Tyrrenus enim inde profectus cum magna manu eorum occupauit eam partem Italiae, quae nunc vocatur Etruria. At Sinnius Capito ait Ti. Gracchum Consulem collegam P. Valerij Faltonis Sardiniam, Corsicamque subegisse, nec praedae quidquam aliud, quam mancipia captum, quorum vilissima multitudo fuerit.

Sargus piscis genus, qui in Aegyptio mari fere nascitur. Lucilius: quem præclarus helops, quem Aegypto sargus mouebit.

Sargus piscis genus in mari Aegyptio. PAVL.

Sarissa, hasta Macedonica. FESTVS.

Sarissa est hastae Macedonicae genus. PAVLVS.

Sarpta vineta putata, id est pura iacta. vnde & virgulae abscissae *sarmenta*. *sarpere* enim antiqui pro purgare dicebant.
. dest pura . . FEST.
. dictae in pe . . .
. ent esse, quae . .
. inde etiam . .
. res dici pu . . .
. ntiqui pro pur . .

Sarpuntur vineae, id est putantur, vt in XII. *quandoque sarpta, donec dempta erunt.*

Sarra, Tyros insula. PAVL.
. . . uae nunc Epiros. . FEST.
. . . .

Sarte ponebant pro integre, ob quam causam opera publica, quae locantur, vt integra praestentur, *sarta tecta* vocantur. etenim *sarcire* est integrum facere. PAVL.
. rte in augu . . FEST.
. gro ponitur . .
. audire ui . . . .
. opera pu . . .
. ntegra praes . .
. cantur, et. . .
. facere . . .

Sas Verrius putat significare eas teste Ennio, qui dicat in libro primo: Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas. cum suas magis videatur significare. sicuti eiusdem libro septimo, fatendum est eam significari, cum ait: nec quisquam philosophia (quam doctrinam Latina lingua non habet sapientia

sapientia, quæ peribetur) In somniis vidit prius, quam sam discere coepit. Idem cum ait *sapsam* pro ipsa, nec alia ponit in libro 16. Quo res sapsa loco sese ostentatque iubetque & Pacuuius in Teucro: Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet.

PAVL. *Sas*, suas. Ennius: Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas. Sam, eam. Idem Ennius: Neque quisquam philosophiam In somnis vidit prius, quam sam discere coepit Sapsa, ipsa. Idem Ennius: Quo res sapsa loco sese ostentat.

FEST. *Sati* . . . .

um in Samnio captum est, quo . . .
eam deduxerunt Triumuiri M. Valerius Coruus, Iunius Scaeua; P. Fuluius Longus ex S.C kal. Ianuariis P. Papirio Cursore, C. Iunio II. Cos.

Satis verbum Verrio melius fuit praeterire, vt mihi videtur, quam tam absurdas opiniones suas de eo recitare; quas sciens praeterij, tam Hercules, quam de Scabro, quod proximum sequebatur.

Satur, & vir, & caro non habent.

PAVL. *Satura*, & cibi genus ex variis rebus conditum est, & lex multis aliis legibus conferta. Itaque in sectione legum adscribitur: *neue per saturam abrogato, aut derogato*. T. Annius Luscus in ea, quam dixit aduersus Ti. Gracchum: Imperium quod plebes *per*

FEST. *saturam* dederat, id abrogatum est. & C. Laelius in ea, quam pro se dixit: dein postero die, quasi *per saturam* sententiis exquisitis, in deditionem accipitur.

Satura, & cibi genus dicitur ex variis rebus conditum: & lex multis aliis conferta legibus: & genus carminis, vbi de multis rebus disputatur.

Saturnia Italia, & mons, qui nunc est Capitolinus, *Saturnius* appellabatur, quod in tutela Saturni esse existimantur. Saturnij quoque dicebantur, qui castrum in imo cliuo Capitolino incolebant, vbi ara dicata ei deo ante bellum Troianum videtur, quia apud eam supplicant apertis capitibus. Nam Italici auctore Aenea velant capita; quod is, cum rem diuinam faceret in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Vlysse cognitus interrumperet sacrificium, caput adoperuit, atque ita conspectum hostis euitauit.

Saturno dies festus celebratur mense Decembri, quod eo aedis est dedicata & is culturae agrorum praesidere videtur, quod etiam falx est ei insigne. versus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnij appellantur, quibus & a Naeuio bellum Punicum scriptum est, & a multis aliis plura composita sunt. qui deus in Saliaribus Saturnus nominatur, videlicet a Sationibus.

. . . sacrificium fit cap . .
. . . Metellus Pont. . .
. . . set adesset, vt eum . .
. . . pici Ser. F. inaug . .
. . . ret se sacra sibi fam . .
. . . plicandum esse capite . .
. . . esset futurum, vt cum ap . .
. . . facienda esset, Pont . .
. . . Claudius prouocauit . .
. . . tifici esset, Claudius f . .
. . . Saturno sacra fecit re . .
. . xum Tarpeium appel . .
. . tis, qui ob sepultam Ta . .
. . eum montem Sabinis . .
. . nominatus est. vel . .
. . L. Tarpeius Romulo . .
. . tas virgines aduers . .
. . xum est denoxi poenae . .
. . noluerunt funestum locum . .
. . Capitolij coniungi.

Scaeuam volgus quidem & in bona, & in mala reuocat: cum aiunt, bonam & malam.

. . . in mala pone . .
. . . apud Graecos c . .
. . . pro sinistro sca . .
. . . tius in belli Hi . .
. . . sentit scaeui . .
. . obit penitus . .

Scaeua res dicitur, mala: quasi sinistra. σκαιὸν enim Graece sinistrum dicitur. PAVL.

Scandulaca genus herbae frugibus inimicae, quod eas velut hedera implicando necat.

Scandu . . . . FESTVS.
. . inimicae, quod eas . .
. . necat . . .

Scaptensulae locus vbi argentum effoditur in Macedonia dictus a fodiendo. namq; Graece σκάπτειν effodere dicitur. Lucretius: Quales exspiret scaptensula subter odores. PAVL.

Scapten . . . . FEST.
. . . in Macedoni . .
. . quod est Graece σκάπτ. . .
. . lis expiret Scap.

Scaptia tribus a nomine vrbis Scaptiae appellatur. PAVLVS.

S. . . . .
mine vrbis Scaptiae . .
incolebant. . . FEST.

Scelerata porta, quae & Carmentalis dicitur, vocata, quod per eam sex & trecenti Fabij cum clientium millibus quinque egressi aduersus Etruscos ad amnem Cremeram omnes sunt interfecti.

Scele . . . . FEST.
ellatur a quibusdam . .
orant, quod ei proximum Car . .
rata autem, quod per eam . .

clientium millibus . . . .
truscos ad amnem . .
fecti. qua ex cau . .
trare, egredive . . .
Sceleratus campus app . . .
linam, in quo virgin . . .
fecerunt, defossae sunt . .
. . appellatur antea atria . .
. . bonius, cui negotium da . .
. . conquireret sacella, at . .
. . curauit. quia in eo loco . .
. . sacellum fuit. quod ignora .
. . vt quidam fulgur conditum . .
. . fas est integi. semper forami .
. . to caelum patet.

PAVL. *Sceleratus* campus appellatur proxime portam Collinam, in quo virgines Vestales, quae incestum fecerunt, viuæ defossæ sunt.

Sceleratus vicus Romae appellabatur, quod cum Tarquinius Superbus interficiendum curasset Seruium Regem socerum suum, corpus eius iacens filia carpento superuecta sit properans in possessionem domus paternae.

FEST. *Sceleratus* vi . . . .
quod cum Tarquinius Superbus interficie . . . set Ser. Tullium Regem soce . . . .
. . . nto superuecta est pro . . .
. . . domus paternae.

Scena ab aliis, a quibusdam scena appellatur dolabra pontificialis.

PAVLVS. *Scena*, siue sacena, dolabra Pontificalis.

FEST. *Scenam* genus . . . .
manifestum est, sed futurum securis an dolabra sit ambigitur. quam Cincius in libro, qui est ei de verbis priscis, dolabram ait esse Pontificiam. Liuius in Lydio: corruit, quasi ictus scena. haud multo secus.

Scensas . . . .
nunc cenas, quae autem . .
habebant & pro ceni . . .

PAVLVS. *Scensas* Sabini cenas dicebant. quae autem nunc prandia sunt, cenas habebant, & pro cenis *vespernas* appellabant.

Schedia genus nauigij inconditum, id est, trabibus tantum inter se nexis factum. vnde mala poemata schedia appellantur.

FEST. . . a genus nauigij . . . .
. . se connexis fac . . .
. . ferunt. post amissam . .
. . us quoq; poemata . .
. . is perfectis, qui essent . .
. . um dixit, qui schedium fa . .
Schoeniculas app . . . .
trices Plautus propter vsum vng .
quod est pessimi generis, itaq. . .
. . . iraculae cum extritis .
. . . idem. pro sedas, pistorum .
. . . miseras schoeno dili . .

. . . . . as .

Schoeniculae appellantur meretrices, propter vsum vnguenti schoeni, quod est pessimi generis. PAVL.

Scholae dictae sunt ex Graeco σχολάζω, a vacatione, quod ceteris rebus omissis vacare liberalibus studiis pueri debent. FESTVS.

Scholae dictae sunt non ab otio, ac vacatione omni, sed quod ceteris rebus omissis, vacare liberalibus studiis pueri debent. vt etiam ludi appellantur, in quibus minime luditur, ne tristi aliquo nomine fug . .
nerae . . . . .

Scirpus est id, quod in palustribus locis nascitur leue, & procerum, vnde tegetes fiunt. inde prouerbium est in eas natum res, quæ nullius impedimēti sunt. in scirpo nodum quaerere. Ennius: Quærunt in scirpo, soliti quod dicere, nodum. & Plautus in Aulularia: quasi pueri, qui nare discunt, scirpo induetur ratis Nonius in Phoenissis: sume arma, id est an occidam claua scirpa. PAVL.

Sciscito, sententiam dico. FEST.

Scita plebei appellantur ea, quae plebs suo suffragio sine patribus iussit plebeio magistratu rogante.

Scitum populi . . . .
. . tus patricius . . .
. . fragiis iussit . . .
. . ex patribus, et . . .
. . am leges scrib . . .
. . tum est, quod TR. . .
. . gauit, id est consu . .
. . plebes autem est . . .
. . praeter patricios . . .
. . bona facie. alias bonis . .
. . poetis vsurpantur. Te . .
. . satis, inquit, scita, et . .
. . menon. At scias, quam scite .
. . vt Ennius in libro sexto: Lumen .
. . scitus agaso . . . .

Scorta appel . . . .
etudine rusticorum . . . .
quos solebant di . . .
delicularum omnia . . .
appellantur . . . .
tenorum ab iisdem . . .
esse ait.

Scorta appellantur meretrices quia, vt pelliculae, sub gantur. omnia namque ex pellibus facta *scortea* appellantur. *Scortes*, id est pelles testium arietinorum ab eisdem pellibus dictae. PAVLVS.

Scorteum pelliceum, in quo sagittae reconduntur, appellatum ab eadem causa, qua scortum. σκύτος enim Graece pellis dicitur. vnde *scuticae*, & *scuta*, quia non sine pellibus sunt.

. . . tum vocabatur . . . FEST.
. .

. . . recunduntur ab ea. . .
. . . quia pellibus nomen a. . .
. . . Scyticae, & scuta . . .
. . . .

raptae dicebantur nugatoriae, ac despiciendæ mulieres, vt ait Verrius ab iis, quæ *screa* idem appellabant, id est quae quis excreare solet, quatenus id faciendo se purgaret. Titinius in Prilla: rectius mecastor, Piculetae Postumae Lectum hodie stratum vidi scraptiae muli.

PAVL. *Scraptae* nugatoriae, ac despiciendæ mulieres.

FESTVS. *Scribas* proprio nomine antiqui, & librarios, & poetas vocabant. at nunc dicuntur scribae qui idem librarij, qui rationes publicas scribunt in tabulis itaque, cum Liuius Andronicus bello Punico secundo scripsisset carmen, quod a virginibus est cãtatũ, quia prosperius respublica populi Romani geri coepta est, publ. adtributa est (&) in Auentino aedis Mineruae, in qua liceret scribis, histrionibusque consistere, ac dona ponere in honorem Liuij, quia is, & scribebat fabulas, & agebat.

Scriptum lapidem esse ait, & ita vocari, Antistius Labeo in agro Menullino, vbi diuinam rem facerent.

Scripturarius ager publicus appellatur, in quo vt pecora pascantur, certum aes est. quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore.

PAVL. *Scrupi* dicuntur aspexa saxa, & difficilia attrectatu, vnde *scrupulosam* rem dicimus, quae aliquid in se habet asperi.

FESTVS. . . saxa, & difficil . . .
. . ri insuetae, aut . . .
. . lere: Ennius in Ar . . .
. . tita saxa, atque hos . .
. . vnde scrupulosam . .
. . in se a pera. Corne . .
. . IIII. Hic tum iniectus . .
. . et quaedam dubitatio . .

Scurrae vocabulũ Verrius ineptissime aut ex Graeco tractũ ait, quod est σκυρίζειν; aut a sequendo: cui magis adsentitur, quod & tenuioris fortunae homines, & ceteri alioqui, qui honoris gratia prosequerẽtur quẽpiam, non antecedere, sed sequi sint soliti. quia videlicet dicat Lucilius; Cornelius Publius noster Scipiadas dicto, tempusque intorquet in ipsum. Oti, & deliciis, luci ef. fictae, atque cinaedo. Et sectatori adeo ipsi suo, quo rectius dicas. Ibat forte domum, sequimur multi, atque frequentes. Cum secutos videri velit, ob eorum iurgia, non ob assuetum officium.

PAVL. *Scutilum tenue*, & macrum, & in quo tantum ex lis pellicula cernitur.

FEST. *Scut* . . . . .
Graeco. vt cum dicim . . .

. Iem aliquem dem . . .
pompa aliud d . . .
tilum de scruti . . .
qui virtute p . . . .
scuti locum co . . .

Sed pro fine inueniuntur posuisse antiqui. PAVL.

Secespita cultrum ferreum, oblongum manubrio eburneo, rotũdo, solido, vincto ad capulum auro, argẽtoque, fixo clauis aeneis, aere Cyprio, quo Flamines, Flaminicae virgines, Põtificesque ad sacrificia vtebantur. dicta autem est *secespita* a secando.

Secespitam esse Antisti . . . FESTVS.
. ferreum oblongum mani . .
. o solido vincto ad ca . .
. fixum clauis aeneis ae . .
. nes, Flaminicae virgi . .
. crificia vtuntur, ea . .
. a in sacrario vtuntur . .
. rediculo aeneo olim . .
. nubae relictae sunt . .
. tangere licet est . .
. sed & aliis in locis, et . .
. quaedam ita secespitae di .

Secespitam alij securim, alij dolabram aeneam, alij cultellum putant. PAVLVS.

Secessiones, narrationes.

Secium libum est, quod secespita secabatur. FEST.
. . . est, quod secespita secatur. .
. . . ae sole at necessariis sa . .
. . . . . .

Seclusa sacra dicebantur, quæ Graeci mysteria appellant.

Secordiam quidam pro ignauia posuerũt. Cato pro stultitia posuit compositum autem videtur ex se, quod est sine, & corde. PAVL.

. am quidam . . . FESTVS.
. M. Cato pro . . .
. VII. cum ait . . .
. mensam t . . .
. ne quid neg . . .
. retur compos . . .
. quod est sine . .

Sectarius veruex, qui gregem agnorum praecedens ducit. PAVL.

Sectio, per secutio iuris.

Sectores, & qui secant dicuntur: & qui empta sua persequuntur.

Secundæ res non a numero dicuntur, sed quia vt velimus, sequantur.

Secus, aliter, haud secus, non aliter.

Secus Valgius putat ex Graeco, quod est ἑκάς dictum: absurde scilicet. et. significat enim aperte aliter exemplis omnium fere, qui eam vocem vsurpant. FESTVS.

Sediculum, sedile. PAVL.

Sedum, alij *sadũ*, appellãt herbã, quã Opillius Aurelius se tuniũ vocari ait, eãque in tegulis . . ri, nec quamobrem id fiat, indicat. FEST.

Seges dicitur ea pars agri, quae arata: & con-

sita est a serendo videlicet.

Segestae, quae nunc appellatur oppidum in Sicilia est, quod videtur Aeneas condidisse praeposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominauit. Sed praeposita est ei S. littera, ne obsceno nomine appellaretur, vt factum est in *Maleuento*, quod Beneuentum dictum est. & in *Epidamno*, quod vsurparunt Dyrrachium.

Segnitia . . . . .

. honestum. Terentius . .

. segnitiae, neque socor . .

PAVLVS. *Segnitia* dicitur, quod sine nitendo quid vtile, aut honestum. Terentius: Enimuero Daue nihil loci est segnitiae, neque socordiae.

Seliquastra, genus sedillum.

FEST. *Seliquastra* sedilia antiqui generis appellātur D. littera in L. conuersa, vt etiam in sella factum est, & subsellio, & solio, quae non minus a sedendo dicta sunt.

Sellae curulis locus . . . .

. ictori posteriusque. . .

xime sacellum Mer . . .

ciebant specta . . . .

PAVL. *Sementinae feriae* fuerunt institutae, quasi ex iis fruges grandescere possint.

Semis, semodius, semuncia ex Graeco trahūtur sicut & alia nonnulla, quae S. litteram pro aspiratione eorum habent, vt ἑπτά septem, ὕλη silua, sic ista ab eo, quod illi dicunt ἥμισυ, declinata sunt.

FEST. *Semis*, semodi. . . .

. . . tione ex Grae , . .

. . . litteram pro . . .

. . . habent, vt . . .

. . . siluae. sic . . .

. . . συ dicunt . . .

Sempronia horrea, qui locus dicitur, in eo fuerunt lege Gracchi, ad custodiam frumenti publici.

Senacula tria fuisse Romae, in quibus Senatus haberi solitus sit, memoriae prodidit Nicostratus in libro, qui inscribitur de Senatu habendo. vnum, vbi nunc est aedis Concordiae inter Capitolium & forum, in quo solebant magistratus D. T. cum senioribus deliberare. alterum ad portam Capenam. Tertium citra aedem Bellonae in quo exterarum nationum legatis, quos in vrbem admittere nolebant, senatus dabatur.

PAVL. *Senaculum* locus Senatorum.

FEST. *Senatores* a senectute dici satis constat, quos initio Romulus elegit centum, quorum consilio Rempublicam administraret. Itaque etiam patres appellati sunt, & nunc cum senatores adesse iubentur, quibusque in senatu sententiam dicere licet. quia ij qui post lustrum conditum ex iunioribus magistratum ceperunt, & in senatu sententiam dicunt, & non vocantur senatores ante, quam in senioribus sunt censi.

Senatus decretum a consulto Aelius Gallus sic distinguit, vt id dicat particulam quandam esse senatusconsulti, vt cum prouincia alicui decernitur, quod tamen ipsum senatusconsulti est.

Senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit. quidam quod eo Vestales virgines ornentur, quarum castitatem viris suis sponoe . . . a ceteris.

Senium a senili acerbitate, & vitiis dictum. posuit Caecilius in Hymnide: Sine suam senectutem ducat vtique ad senium sorbitio.

Senonas, Gallos, Verrius ait, existimari appellari, quia noui venerint ex transalpina regione . . . ξένοις postea Seno . . .

Sentes, cum constet esse spinas, & Afranius in Abducta dixerit: quam senticosa verba pertorquet turba, pro spinosis accipi debet.

Sētinare, satagere, dictum a sentina. quia multam aquam nauis cum recipit, periclitatur. Caecilius in Aethrione: cum Mercurio capit consilium, postquam sentinat satis.

Sētinare, satagere, dictum a sentina nauis, quā PAVL.
quis vt aqua liberet, euacuāre contendit. Itaque sentinare, subtiliter periculum vitare. Caecilius Capit consilium, postquam sentinat satis.

Seplasia . . . . FEST.

. . uo plurimi vnguenta . .

. . cuius meminit Cicero. Seplasiam.

. . audiebam te, vt primum alpe . .

. . Consulem repudiauit . .

. . . septem stellae appel . .

. . . bus iunctis, quos trio . .

. . . appellent, quod tunc . .

. . . quasi tertiones. . .

. . . quod id astrum Grae. . .

. . . partem quandam . .

. . . Ennius. supera . .

. . . et physici eum sum. . .

. . . conten . . tem . .

. . . aiunt quod ita sunt . .

. . . ut ternae proxim . .

. . . trigona.

Septimontio, vt ait Antistius Labeo hisce mōtibus feriae. Palatio, cui sacrificium, quod fit, *Palatuar* dicitur. Vellae, cui item sacrificium. Faguali, Suburae, Cermalo, Oppio, Coelio monti, Cispio monti. Oppius autem appellatus est, vt ait Varro Rerum humanarum libro octauo, ab Opita Oppio Tusculano, qui cū praesidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Velos oppugnaret, consederat in carinis, & ibi castra habuerat. similiter Cispius a Laeuo Cispio

Ciſpio Anagnino, qui eiuſdem rei cauſa eã partem Eſquiliarum, quae iacet ad vicum patricium verſus, in qua regione eſt aedis Meſitis, tui us eſt.

PAVL. *Sacrificium*, quod fiebat Romae in monte Palatino, Palatuar dicebatur.

Septimonium appellabant diem feſtum, quod in ſeptem locis faciebant ſacrificium, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Cermalo, Coelio, Oppio, & Ciſpio.

FESTVS. . . . pellatur menſe . . .
. . . aſtis agonalia . . .
. . . ntibus fiunt ſa . . .
. . . Fagutali, Subura . .
. . . Ciſpio . .
. , chrum eſt, vt ait Gallus Ael . .
. . mortuus ſepultus eſt. quod ant. .
. . labant his que cippis aut alip. .
. . tui cauſa deſignatus eſt intra . .
. . pultura eſt facta.

Se quamque, ſeorſum quanque.
. . is dicitur, qui inter aliquos . .
. . inter eos conuenerit . .
. . quid vt ei reddat, qui id . .
. . ſtiterit. Cato in ea ora . .
. . de indigitibus. ſinunt . .
. . vt bona rapiant, aut . .
. . ſequeſtro dent & Pla . .
. . ſic ſequeſtro mihi data. .

Serilla Verrius appellari putat nauigia Iſtrica. ac Liburnica, quae lino, ac ſparto condenſantur. a conſerendo, & contexendo dicta quia dicat Pacuuius in Niptris : nec vlla ſubcus cohibet compagem aluei : Sed ſuta lino, & ſparteis ſerillibus. cum περιφραστικῶς, ficto vocabulo vſus ſit pro funiculis, qui ſparto conferuntur.

PAVL. *Serilla* nauigia Iſtrica, quae lino, ac ſparto condenſantur. a conſerendo, & contexendo dicta.

Serius Attius a ſero comparauit. ait enim: Ne, ſi forte paulo, quam tu, veniam ſerius.

FESTVS. *Serius* a ſero videtur dictum. Attius in Amphitryone: Ne, ſi forte paulo, quam tu, veniam ſerius.

Sero ſapiunt Phryges, prouerbium eſt natum a Troianis, qui decimo denique anno velle coeperant Helenam, quaeque cum ea erant rapta, reddere Achiuis.

PAVL. *Serpſit* antiqui pro ſerpſerit vſi ſunt. vnde *ſerpulae* dictae, quas nunc ſerpentes dicimus, ex Graeco, quod illi ἑρπετά, nos pro aſpiratione eorum S littera poſita; vt ἕξ, ſex, ἑπτά, ſeptem.

FEST. . . . antiqui pro ſerpſerit . .
. . . ulae dictae, quas nunc ſer . .
. . . e co, quia illi ἑρπετά, nos .
. . . S. littera poſita, vt .

Serpula ſerpſerit, ait (idem) Meſſalla, ſerpens inrepſerit.

Serra praeliari dicitur, cum aſſidue acceditur, receditur que, neque vllo conſiſtitur tempore Cato de re militari: ſiue forte opus ſit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut ſerra, vti adoriare.

Serra praeliari dicitur, cum aſſidue acceditur, receditur que, neque vllo tempore conſiſtitur. PAVL.

Sertorem quidam putant dictum a prendendo, quia cum cuipiam afferat manum educendi eius gratia ex ſeruitute in libertatẽ, vocetur *adſertor*, cũ veriſimilius ſit dictũ, qui ſereret quid, ac potius adſertorem a ſerendo cepiſſe nomen, cum aliquem ſerat petendo in libertatem eandem, qua ipſe ſit, id eſt iungat: quia fruges cum ſeruatur, terrae iungit. quod totum Verrius ἀπιθάνως introduxit. FESTVS.

Seruilius lacus appellabatur, eo, qui eũ faciendum curauerat in principio vici iugati cõtinens baſilicae Iuliae, in quo loco fuit effigies hydrae poſita a M. Agrippa. FESTVS.

Seruilius lacus Romae a conditore vocatus.

Seruorum dies feſtus erat Idibus Auguſti: quia eo die Rex Tullius filius ancillae (natus eſt.) PAVLVS.

Seruorum dies feſtus vulgo exiſtimatur Idibus Auguſti, quod eo die Ser. Tullius natus ſerua aedem Dianae dedicauerit in Auentino, cuius tutelae ſint cerui, a quorum celeritate fugitiuos vocent *ſeruos*. FEST.

. . . . in carmine app-
. . . eſopia pro ſedilibus di-
. . . dhuc in conſuetu-
. . .

Seſtertius dicitur quarta pars denarij quo tẽpore is decuſſis valebat, id eſt dupondius.
. . . . .

Seſtertius dicitur quarta pars denarij, quo tempore is decuſſis valebat, id eſt dupondius & ſemis. PAVL.

Seſtertij no . . . . . . FESTVS.
. . dupondij, & ſemiſſis . .
. . tertius, ſed auctos eſſe . .
. . apud antiquos autem . .
. . rant & valebant . .
. . ti, bigati, quinqueſſis . .
. . eſt numerum aeris perduct. .
. . minia minus ſoluendi . .
. . tur P. R. .

Sex millium, & ducentorum hominum primus C Marius conſcripſit legionem, cum antea quattuor milliũ fuiſſet, vnde etiam appellabatur quadrata. PAVL.

Sex ſuffragia appellantur in equitum centuriis quae ſunt adiectae ei numero cẽturiarũ quas Priſcus Tarquinius Rex cõſtituit. FEST.

Sex Veſtae ſacerdotes conſtitutae ſunt, vt populus pro ſua quaque parte haberet miniſtram ſacrorum. quia ciuitas Romana in-

sex est distributa partis. in primos, secundosque Titienses, Rammes, Luceres.

Sexagenarios . . . .
. . cuius causam Mani . .
. . qui incoluerint . . .
. . hominem sexaginta . .
editi patri, quot . . .
. . q facere eos de . . .
. . ulis, sed religio . . .
. . cirpeas hominum es. . .
. . modo mittere . . .
. . t, morante in Italia . . .
. . ius comitum habitaue .
. . am haberi, atque Arga . .
. . auerint arui. quorum pro . .
. . am redintegrari eo ge . .
. . a legatum quendam Arga . .
. . is Romae moratum esse his, vt . .
. . t. institutum a sacerdotibus, vt . .
. . scirpea ex omnibus, cumque publicae
. . ntiauisset, per flumen, ac mare in patriam remitteretur. Sunt, qui dicant, post vrbem a Gallis liberatam ob inopiam cibatus coeptos sexaginta annorum homines iaci in Tiberim; ex quo numero vnus filij pietate occultatus saepe profuerit patriae consilio sub persona filij. id vt sit cognitum, ei iuueni esse ignotum, & sexagenariis vita concessa. latebras autẽ eius quibus arguerit senem, id est cohibuerit, & caelauerit, sanctitate dignas esse visas, ideoque, *Arcae* appellata. Sed exploratissimum illud est causae, quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis suffragium ferre iuniores, conclamauerunt, *vt de ponte deijcerentur sexagenarij*, qui iam nullo publico munere fungerentur, vt ipsi potius sibi, quam illi deligerent imperatorem. Cuius sententiae est etiam Sinnius Capito. Vanam autem opinionem de ponte Tiberino, confirmauit Afranius in Repudiato.

Sextantarij asses in vsu esse coeperunt ex eo tempore, quod propter bellum Punicum secundum, quod cum Hannibale gestum est, decreuerunt patres, vt ex assibus, qui tũ erant *librarij*, fierent sextantarij, per quos cum solui coeptum esset, & populus aere alieno liberaretur, & priuati, quibus debitum publice solui oportebat, non magno detrimento adficerentur: Sepruennio quoque (anno) vlus est, vt priore numero, sed id non permansit in vsu, nec amplius processit in maiorem.

Sexus aliter significat sexu, natura, habituque ex Graeco, quam illi vocant ἕξιν. Afranius in Priuigno sic agit: orbus virili sexu adoptauit sibi. Pacuuius in Atalanta: Triplicẽ virili sexu pa. tum procreat.

PAVLVS. *Sexus* natura, vel habitus, ex Graeco ἕξιν vocatur.

Sibinam appellant Illyrici telum venabuli simile. Ennius: Illyrici restant sicis, sibinisque fodentes.

Sibus, callidus, vel acutus.

Sic versantu . . . . FEST.
fune voluit eodem non . . .
. . . . pellant Dolonem . .
. . . cation maius . . .
. . . Capito velut se . . .
. . . lone iuterioris . . .
. . . orte moroque cum ait .
. . . L. Terentio Tusciui . .
. . . iuum de saxo Tarpeio . .
. . . uenisset commissatum, quod . .
. . . et coactus . . .

Sicilices hastarum spicula lata. Ennius: Incedit veles vulgo sicilibus latis. PAVL.

Sicilicum dictum, quod semunciam secet.

Sicyonia genus calciamenti. Lucilius: Et pedibus laeua sicyonia demit honesta.

Sifus . . . . . FEST.
. . . is ipsis id quod Graece . .
. . . gerïualicia sic est . .
. . . e populum. Ser. Sulpi. . . .
. . . tani, paganiue si . . .
. . . donec eam inter se . .
. . . s iudicatio esto . .

Signa, vt rerum, ita . . .
. . . aut lapides, aut f . . .
. . . adhuc aliqua, et . . .
. . . pantur etiam, sed po . .
. . . simulacra ad effi . . .

Signare significat modo scribere, modo anulo signa imprimere, modo pecora signis notare. PAVL.

. . . ri dicitur signis notare . . . FEST.
. . . sed antiqui eo pro scribe . .
. . . re, & consignare . .
. . . ere, & conscri . . .

Silatum antiqui pro eo, quod nunc ientaculũ dicimus, appellabant, quia ieiuni vinum sili conditum ante meridiem obsorbebant. PAVL.

. . . pro eo quod nunc ientaculum dicimus . . quia ieiuni vinum solicon. FEST.
. . . obsorbebant.

Silere tacere significat ficto verbo ad S. litteram, quae nota silentij est. PAVL.

Silere, tangere. FEST.
. . . a S. littera, que ini . .
. . . dici, vbi qui post mediam . .
. . candi causa ex lectulo s. o si . .
. . et liberatus a lecto in solido . .
. . lerque ne quid eo tempore deiciat.
. . le in lectum reposuit, hoc enim est.
. . entium, omnis vitij in auspiciis vacui
. . tas. Veranius ait, non vtique ex lecto, sed ex cubili, ne rursus se in lectum reponere necesse esse.

PAVLVS. *Silicernium* erat genus farciminis, quo fletu familia purgabatur. dictum autem silicernium, quia, cuius nomine ea res instituebatur, is iam silicem cerneret. Caecilius. credidi silicernium eius me esse esurum.

FEST.
. . nebris quam . .
. . ocant, sed . .
. . errius existi . .
. . uod nos farci . .
. . letum familia , .
. . omine ea res . .
. . s iam silentium . .
. . olostate. Cre . .
. . me esse esurum . .

Siluij sunt appellati Albani Reges, a Lauiniae filio, quem post excessum Aeneae grauida relicta timens periculum, & suae vitae, & eius, quem vtero gerebat, in siluis latens enixa est. qui restitutus in regnum est post mortem Ascanij praelatus Iulo fratris filio, cum inter eos de regno ambigeretur.

Silus appellatur naso sursum versus repando. vnde galeae quoque a similitudine sileae dicebantur.

Simpludiarea funera sunt, quibus adhibentur D.T. ludi, corbitoresque quidam ea dixerunt esse, quibus neutrum genus, interesset ludorũ. dam indictiua sunt, quibus adhibentur non hi sl modo, sed etiam desultores, quae sunt amplissima.

PAVL. *Simpludiarea* funera, quibus ludos adhibebãt.

Simpulum vas paruum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur. vnde & mulieres rebus diuinis deditae *simpulatrices* diccuntur.

Simultas, id est, odium, dicta ex cõtrario, quia minime sint simuul. potest & a simulatione dicta existimari, quia simulare loquuntur ad inuicem.

FEST. *Sinciniam*, cantionem solitariam.
. . . in prouerbio dici solet
. . . sine vlla incommoda
appendice; quod olim sacra non solum publica curiosissime administrabant, sed etiam priuata. relictusque heres sic pecuniae etiam sacrorum erat; vt ea diligentissime administrare esset necessarium.

Sinistrae aues, sinistrumque est sinistrinum auspicium, id est, quod sinat fieri. Varro libro quinto Epistulicarum quaestionum, ait; a deorum sede cum in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes: factum arbitror, vt sinistra meliora auspicia, quam dextra esse existimentur. idem fere sentiunt Sinnius Capito, & Cincius.

Sinistrum in auspicando significare ait Ateius Capito, laetum & prosperum auspicium, at silentium dubij duntaxat vacat vitio: igitur silentio surgere cum dicitur, significat non interpellari, quo minus rem gerat, ad sinistrum hortari, quoque auspicia ad agẽdum quod animo quis proposuerit.

Siparium genus veli mimicum.

Si . . . . PAVL.
utuntur, dictum ait . . . FEST.
mento quod vocetur . . .

Siremps dicitur, quasi similis res ipsa. habetur hoc in libris Catonis. PAVL.

. . ponitur pro eadem, vel proinde . FEST.
. . Cato in dissuadendo le . .
. . licta est, & praeterea rogas .
. . ea si populus condemnaue .
. . siet, quasi aduersus le . .

Sispitem Iunonem, quam vulgo *Sospitem* appellant, antiqui vsurpabant, cum ea vox ex Graeco videatur sumpta, quod est σώζειν.

Sistere fana cum in vrbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorũ fanorum constituere, quod Antistius Labeo ait, in commentario quintodecimo Iuris Pontificij, fana sistere esse lectisternia certis locis & diis habere.

Sistere fana cum dicerent, significabatur lectisternia certis in fano locis componere. PAVL.

Sobrinus est patris mei consobrini filius, & matris consobrinae filius.

Sobrinus est, vt ait Gallus Aelius, patris mei consobrini filius, & matris meae consobrinæ filius, femina iisdem de causis appellat fratrem & fratrẽ patruelem, & consobrinum, & propius consobrino, & sobrina. iidem gradus in sobrina quoque sunt. FEST.

Sobrium vicum . . .
er Aelius quod . . .
locus, neque caut . . .
aliquod in eo n . . .
vino solitum . . .

Sobrium vicum Romae dictum putant, vel quod in eo taberna nulla fuerit; vel quod in eo Mercurio lacte, non vino supplicabatur. PAVL.

Sodales dicti, quod vna sederent, & essent: vel quod ex suo dapibus vesci soliti sint: vel quod inter se inuicem suaderent, quod vtile esset.

Sodalis . . . .
tant, quod vna . . FESTVS.
. . alij, quod ex suo . . .
. . alij quod inter se . . .
rent. quod vtile es . . .
. . crebro congre vocan .
. . vocabulo, quod est .

Sodes, si audes, vti si . .
pro in loco. Terentius . .
sodes, quis heri Chry . .

Sodes, si audes; vti *sis*, pro si vis; & *illico* pro in loco. Terentius in Andria: Dic, sodes, quis heri Chrysidem habuit. PAVL.

FEST. *Solari* sine praepositione dixisse antiquos, testis est Pacuuius, cum ait: solatur, auxiliatur, hortaturque me.

Solatum genus morbi, maxime a rusticantibus dicitur, cuius meminit etiam Afran . . . . arquato Medo . . . . tigine . . .

PAVLVS. *Solatum* genus morbi.

Solea, vel ea dicitur, quae solo pedis subiicitur, vel genus piscis, vel materia robusta, super quam paries craticius extruitur.

Solea, vt ait Verrius, est non solum ea, quae solo pedis subiicitur, sed etiam pro materia robusta, super quam paries craticius extruitur.

FESTVS. *Solicitare* quidam dictum putant vel . . . . ex suo loco, ac sententia . . . . quin significet locum, quis . . . . quoque dicantur loca pa .

PAVL. *Solicitare* est solo citare, id est, ex suo loco mouere. *solum* autem quin significet locum, quis dubitet? cum *exules* quoque dicantur loco patriae suae pulsi.

FEST. *Solida* sella at . . . . iubetur, cum mane sur . . . . lauit quod antiqui expresse . . . riore parte excauat . . . ciebant sedes, quas s . . in his nihil erat con . . . bant, inquit Verrius, quod . . . absurde, vt mihi videtur . . sit totum ait dictum solidum. . .

Solino idem ait esse consulo.

Solino intelligitur consulo.

Solipunga genus bestiolae maleficae, quod acrius, concitatiusque fit feruore solis. vnde etiam nomen traxit.

PAVL. *Soli* . . . . maleficiae qu . . . . fit feruore s . . . traxit.

FEST. *Solitaurilia* hostiarum trium diuersi generis immolationem significant, tauri, arietis. verris, quod omnes eae solidi, integrique sunt corporis. contra Aci . . . veru eces maiales, qui quia *sollum*, Osce totum, & solidum significat. vnde tela quaedam *solliferrea* vocantur tota ferrea, & homo bonarum artium *sollers*, & quae nulla parte laxata, cauaque sunt, *solida* nominantur. atque harum hostiarum omnium inuiolati sunt tauri, quae pars scilicet caeditur in castratione. sunt quidem qui putent, ex tribus hostibus praecipue nomen inclusum cum solido tauri, quod amplissima sit earum. quidam dixerunt omnium trium vocabula confusa suis, ouis, tauri adfecisse id, quod vno modo appellarentur vniuersae. quod sit a sollo, & tauris earum hostiarum ductum (est) nomẽ antiquae consuetudinis. per vnum L. enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo. quam consuetudinem Ennius mutauisse fertur, vtpote Graecus Graeco more vsus, quod illi aeque scribentes, ac legentes duplicabant mutas Sem . . . . .

PAVL. *Solitaurilia* hostiarum trium diuersi generis immolationem significant tauri, arietis, verris, quod omnes hi solidi, integrique sint corporis. *Sollum* enim lingua Oscorum significat totum, & solidum. vnde tela quaedam *solliferrea* vocantur, tota ferrea: & homo bonarum artium *sollers*: & quae nulla parte laxata, cauaque, solida nominantur.

FEST. *Solla* appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possint sedere, ideoque solla sternere dicuntur, qui sollisternium habent, & solaria vocantur Babylonica, quibus eadem sternuntur. quae, vt ait Verrius, omnia ducta sunt solo aluei quoque lauãdi gratia instituti, quo singuli descendunt, sola dicuntur, quae a sedendo potius dicta videntur, quam a sollo.

PAVL. *Solla* sedilia, in quibus singuli tantum possunt sedere. ideoque solia sternere dicuntur, qui *sollisternium* habent. & solaria vocantur Babylonica, quibus eadem sternuntur.

FEST. *Solemnia* sacra dicuntur, quae certis temporibus fiunt.

Solemnia sacra dicuntur, quae certis temporibus, annisque fieri solent.

Sollistimum App. Pulcher in Auguralis disciplinae libro primo ait esse tripudiũ, quod aui excidit ex eo, quod illa fert. saxumve solidum, aut arbos viuiradix ruit, quae nec prae vitio, humani caedanturve, iacianturve, pellanturve.

Sollo Osce dicitur id, quod nos totum vocamus. Lucilius: suasa quoque omnino dirimit non solla dupondi. id est non tota. Item Liuius *Sollicuria*, in omne re curiora. & *soliferreum*, genus teli totum ferreum. *sollers* etiam in omni re prudens; & solemne, quod omnibus annis praestari debet.

PAVL. *Sollo* Osce dicitur id, quod nos totum vocamus. Liuius: *Solliferreum* genus teli, id est, totum ferreum. *Sollers* etiã in omni re prudens: & *solemne*, quod in omnibus annis praestari debet.

Sollox, lana crassa, vel pecus lana contectum. Titinius: Lana soloci ad purpuram data. & Lucilius: Pascali pecore, & montano hirco, atque soloce.

FEST. *Solox*, lana crassa, & pecus, quod passim pascitur non tectum. Titinius in Barathro: ego ab lana soloci ad purpuram data. & Lucilius: Pascali pecore, ac montano, hirto, atque

atque soloce.

Solum, terram. Ennius libro tertio: Tarquinio dedit imperium, simul & sola regni. & aliubi: sed sola terrarum postquam permensa parumper.

PAVL. *Solum*, terram.

Soniuio, sonanti.

FEST. . niuio significat in car . .
. augurali sonanti . .
. uium tripu . .
. Pulcher, quod . .

PAVLVS. . dit plus quadr. . .

FESTVS. *Sons*, nocens: Insons, innocens.
. . nocens, vt ex .
. nocens.

Sonticum morbum in xij. significare ait Aelius Stilo certum cum iusta causa. quem nonnulli putant esse, qui nocent, quod sontes significet nocentes. Naeuius ait: sonticam esse oportet causam, quamobrem perdas mulierem.

PAVL. *Sonticum*, iustum. Naeuius: Sonticam esse oportet causam, quamobrem perdas mulierem.

FEST. . . ausa dicitur a morbo .
. erendum agere .
. lato de re A. Atili . .
. tisse, timidus ne . .
. vbi causam sonticam .
. . . .

PAVL. *Soracũ* est, quo ornamẽta portãtur scenicorũ.

FEST. . . quo orname . .
. corum Pla . .
. rum icillum . .

Sororiare mammae dicuntur puellarum, cum primum tumescunt, vt *fraterculare* puerorum. Plautus in Fribolaria . .
. papillae pr . .
. uolui dicere . .
. opus est verb . .

PAVL. *Sororiare* mammae dicuntur puellarum, cum primum tumescunt.

Sororium tigillum appellabatur locus sacer in honorem Iunonis, quem Horatius quidam statuerat causa sororis a se interfectae ob suam expiationem.

FEST. *Sororium* tigillum appellatur hac de causa ex conuentione Tullij Hostilij Regis & Metij Suffetij ducis Albanorum, Trigemini Horatij, & Curiatij cum dimicassent, vt victores sequeretur imperium, & Horatius noster exsuperasset, victorque domum reuerteretur, obuia soror cognita morte spõsi, sui fratris manu occisi, auersata est eius osculum, quo nomine Horatius interfecit eam. & quanquam a patre absolutus sceleris erat, accusatus tamen parricidij apud Duumuiros, damnatusque, prouocauit ad populum, cuius iudicio victor duo tigilla tertio superiecto, quae pater eius constituerat, velut sub iugum missus subit, consecratisque ibi aris Iunoni Sororiae, & Iano Curiatio, liberatus omni noxia sceleris est auguriis adprobantibus. ex quo sororium id tigillum est appellatum.

Sors & patrimonium significat. vnde *consortes* dicimus: & dei responsum: & quod cuique accidit in sortiendo. PAVL.

Sors et . . . . FEST.
cat, vnde cõ . .
& deis resp . .
accidit in so . .

Sortutillus venter suillus condito farre expletus. PAVL.
. labatur venter suillus co .
. Plautus venter sullus di .
. in illum ego me hodie .
. esa farte biberem . .

Sos, pro eos antiqui dicebant, vt Ennius libro primo: Constitit inde loci propter sos dea dearum. & libro tertio: Circum sosq. sunt magnae gentes opulentae. Libro septimo: Dum censent terrere minis, hortanturve sos. Libro vndecimo: contendunt Graios Graecos memorare solent. sos interdum pro suos ponebant, vt cum per datiuum casum, idem Ennius effert. Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit. FEST.

Sos pro eos antiqui dicebant, vt Ennius: Constitit inde loci propter sos dea dearum. Sos interdum pro suos ponebant. per datiuum casum idem Ennius effert: Postquam lumina sis oculis, pro suis. PAVL.

Sospes saluus. Ennius tamen sospitem pro seruatore posuit.

Sos . . . . FEST.
omnis ferre au . . .
Afranius in Ep . . .
seruent tuis . . .
maxime Teu . . .
nunquam. En . . .
parentem, & p . . .
sospitem. Att . . .
rite ad patr . . .
set. Ennius. vid . . .

Sospitare est bona spe afficere, aut bonam spem non fallere. PAVL.
. . ficare cum dix . . FEST.
. . liber ceterum . .
. . ait esse bona spe .
. . spem non falle .

Spara minimi generis iacula a spargendo dicta. Lucilius. Tum spara, tum murices portantur tragula porro . . PAVL.
. . . ba . paruissimi . FEST.
. . pargantur dicta . .
. . tum spara, tum mu . .
. . orro.
. tiatorem, erratorem. Cato in M. Coelium, si se appellauisset: In coloniam me

hercules scribere nolim, si Triumuirum sim, spatiatorem, atque fesceninum.

PAVLVS. *Spatiatorem* pro erratorem Cato posuit.

FEST. . . . . quam nos dicimus, εἶδος. . . . . ton quidem idean, n. . . . . n.tur.

Spectio in augularibus ponitur pro aspectione, & nuntiato. quia omne ius sacrorum habēt, auguribus spectio dumtaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non vt possent impedire nuntiando, quae cum vidissent satis, spectio sine nuntiatione data est, vt ipsi auspicio rem gererent, non vt alios impedirent nuntiando.

Spectu sine præpositione Pacuuius in Duloreste vsus est, cum ait: amplus, rubicundo colore, & spectu proteruo ferox.

PAVL. *Spectu* sine præpositione Pacuuius posuit.

FEST. *Specus* feminino genere pronuntiabant antiqui, vt metus, & nepos tam Hercules, quā masculino stirps, aut frons. vt Ennius. Tū casu sub monte altae specus intus patebāt. & Pacuuius in Chryse: Est ibi sub eo saxo penitus strata harena ingens specus.

Speres antiqui pluraliter dicebant, vt Ennius libro secūdo: Et semel effugit speres ita funditus nostras. & libro sextodecimo: Spero, si speres quicquam prodesse potis sunt.

Spetile vocatur infra vmbilicum suis quod est carnis, proprij cuiusdam habitus, exos, qua etiam antiqui per se vtebantur. Plautus enumerādis vilibus obsoniis in Carbonaria sic meminit: Ego pernam, sumen, sueres, spetile, callum, glandia.

PAVL. *Spetile* caro quaedam proprij cuiusdam habitus infra vmbilicum suis.

FEST. *Spicit* quoque sine præpositione dixerunt antiqui. Plautus: flagitium est si nihil mittetur, quae supercilio spicit. & spexit. Ennius libro sextodecimo quod vbi rex paulo spexit de contibus celsis.

Spiciunt antiquos di . . . . .tione testis est Cato in ea, quam . . .septem hominibus, vt solent . . .iuios nisi qui sempiterni sunt, quos . .cant, ne spiciunt, neque ratos . .

Spicum masculine antiqui dicebant, vt *hunc stirpem* & *hanc amnem*. versus est antiquus: quasi messim per missim vnumquenque spicum collegit.

Spinther vocabatur . . . tes antiquae ger . . . si nistro, Plautus . . . reconcinnarier . . .

PAVL. *Spinther* armillae genus, quo mulieres vtebātur brachio summmo sinistro.

Spyntyrnix, genus auis turpis figurae ea Graece σπινθυρνιξ dicitur.

FEST. *Spintyrnix* est auis genus turpis figurae. occur. atrix artificum, perdita spinturnix. ca Graece dicitur, vt ait Santra σπινθυρνιξ.

Spira dicitur, & basis colūnæ vnius tori, aut duorum, & genus operis pistorij; & funis nauticus in orbem conuolutus; ab eadem omnes similitudine. Pacuuius: Quid cessatis socij eiicere spiras sparteas? Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat, cum ait: Spiras legionibus nexunt.

Spirillum vocari ait Opillius Aurelius caprae barbam.

PAVL. *Spirillum* barba caprae appellatur.

Spondere putatur dictum, quod sponte sua, id est voluntate promittatur.

FEST. *Spondere* Verrius putat dictum quod sponte sua, id est voluntate, promittatur. deinde oblitus inferiore capite sponsum, & sponsam ex Graeco dictam ait, quod ij σπονδὰς interpositis rebus diuinis faciant. Spondere antea ponebatur pro dicere. vnde & respondere adh . . . vsurpari coeptum est . . . ne alterius.

PAVL. *Spondere* ponebatur pro dicere, vnde & respōdere adhuc manet, sed postea vsurpari coeptum est in promisso.

FEST. *Sponsis* bene, beneque volueris, in precatione augurali Messala augur ait significare sponderis, volueris.

PAVL. *Spurcum* vinum dicebant, cum aqua admixta, aut igne tactum erat, mustum ve antequam deferuescat.

FEST. *Spurcum* vinum est, quod sacris adhiberi non licet, vt ait Labeo Antistius libro decimo commentarij iuris pontificij, cui aqua admixta est, defrutum ve, aut igne tactum est, mustum ve ante, quam deferuescat.

PAVLVS. *Squalidum* incultum & sordidum, quod proxime similitudinem habeat squamę piscium. sic appellatum . . . . cultum, & sord . . . tum quod proxime . . . scium accedit, it . . . diti paludum squ . . . in Telepho. Quam ve . . . stola

FEST. *Squarrosos* . . . similitudine ait dic . . . gat ob assiduam inlu . . . num, ac rupicum squar . . . rostia.

PAVLVS. *Squarrosi* ab eadem squamarum similitudine dicti, quorum cutis exsurgit ob assiduam illuuiem. Lucilius: Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra.

FEST. *Stagnum* quidā dici putant, quod in eo aqua perpetuo est alii, quod is locus a Graecis στεγνὸς dicitur, quia bene contineat aquam.

Stalagmeum genus inaurium videtur significare Caecilius in Karine, cum ait: ium ex aure eius stalagmium Domi habeo.

Stalagmium,

IVL. *Stalagmium* genus inaurium. Caecilius: Ex aure eius stalagmium Domi habeo.

FEST. *Stata* sacrificia sunt, quae certis diebus fieri debent. Cato in ea, quam scribit de L. Veturio, de sacrificio comisso. cum ei equum ademit. quod tu, quod in te fuit, sacra stata sollemnia, capite sancta deseruisti.

PAVLVS. *Stata* dicebantur sacrificia, quae certis diebus fiebant. Cato: Sacra, stata, sollemnia, sancta deseruisti.

Statae Matris simulacrum in foro colebatur.

FESTVS. *Statae* Matris simulacrum in foro colebatur. postquam id collustrauit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimis ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in suos quisque vicos retulerunt eius deae cultum.

Statua est ludij eius, qui quondam fulmine ictus in circo sepultus est in Ianiculo. cuius ossa postea ea prodigiis, oraculumque responsis senatus decreto intra vrbem relata in Volcanali, quod est supra comitium, obruta sunt, superque ea columna cum ipsius effigie posita est.

Statuliber est, qui testamento certa conditione proposita iubetur esse liber, & si per heredem est, quo minus statuliber præstare possit, quod præstare debet: nihilominus liber esse videtur.

PAVL. *Status* dies vocatur, qui iudicij causa est con-

FEST. stitutus cum *peregrino*. eius enim generis ab antiquis *hostes* appellabantur, quod erant pari iure cum populo Romano, atque *hostire* ponebatur pro aequare. Plautus in Curculione. Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum, quo imperant ingratis.

PAVL. *Status* dies vocatur, iudicij causa constitutus

FEST. *Stellam* significare ait Ateius Capito laetum, & prosperum, auctoritatem secutus P. Seruilij auguris, quae ex lamella aerea adsimilis stellae locis inauguratis infigatur.

Stellati
. . . eo, qui in Campania est, sed eo, qui
. . . pena. ex Tusci profecti su . .
. . . campum appellauerunt.

Stellionem g
Verrius dic . . . .
stillet cibo p . . .
bi a stellarum . . . .
uarium est . . . .

Stercus ex aede Vestae XVII. kalendas Iulias defertur in angiportum medium fere cliui Capitolini, qui locus clauditur *porta stercoraria*, tantae sanctitatis maiores nostri esse iudicauerunt.

PAVL. *Sterilam*, sterilem.

FEST. *Ste*
bant quam g . . .
que non cip . . .

lasi, aut s . . . .
memorab . . . .
in Adelph . . . .
feri Anti . . . .
tum sit . . . .
vnde vng . . . .
est. . . . .

Stipatores ait dictos à stipe. quam mercedis nomine accipiant custodes cuiusque corporis. vnde & *stipam* qua amphorae cum extruuntur, firmari solent, etiam *stipites*, qui ob eandem causam destituantur.

Stipatores, id est custodes cuiusque corporis, dicti sunt a stipe, quam accipiebant mercedis nomine. PAVL.

Stipatores corporis custodes, quos antiqui latrones vocabant: stipati enim ferro circunstant corpora regum.

. . atores appel . . FEST.
. . ustodes, quos . .
. . bant, id est mer . .
. . m ferroue . . .
. . t regum cor . .

Stipem esse nummum signatum, testimonio est (& id quod datur stipendium militi, & cum spondetur pecunia, quod stipulari dicitur.

. . cuniam signat . .
. . ideo stipular . .
. . terrogat . . .
. . aes . . . PAVL.

Stipes fustis terrae defixus. FEST.
. . defixus. Afra . .
. . otro honeste . .
. . ite hostium . .
. . pro fidem qui . .
. . am siluam & . .
. . stili in mela . .
. . tus vt reuolso . .
. . qui iactu vali . .
. . parmam, nisi si . .
. . uoluit pro . .
. . in Bacchi sec . .
. . egum aut al . .
. . us Ennius . .
. . ites abiegno . .
. . e stipitem . .
. . mit dum, qua . .
. . rripit.

Sti . . .
re antiqu . . .
mina met . . .
quae nunc in . . .
re Liuius tr . . .
rundam Rom. . . .
conditam Romam . . .
uius Ostrymon . . .
Graio stirpe ex . . .
Nomine Pyrrh . . .
a stirpe supremo . . .

est reuoca fratre . . .
plaudite, quam Gallu . .
finit stirp est geni . . .
quia quoque est progr . .
. dicuntur . . .
. abimis arbori . .
. .

PAVL. *Stiricidium*, quasi *stillicidium*, cum stillae concretae frigore cadunt. *Striria* enim principale est, stilla deminutiuum.

. asi stillicidium. cum stel .
. . adunt. Cato pro C . .
FEST. . . nihilominus volui semper .
. . re praesenti cognosce .
. . . . . .

PAVL. *Stlata*, genus, nauigij latum magis, quam altum, & latitudine sic appellatum, sed ea consuetudine, qua *stlocum* pro locum, & *stlitem* pro lite dicebant.

FEST. *Stla* . . . .
latum mag . . .
appellatum . . .
consuetudin . . .
tem antiq . . .

PAVL. *Stlembus*, grauis, tardus, sicut Lucilius pedibus stlembum dixit, equum pigrum, & tardum.

FEST. . grauis, tar . .
. Apulidae pe . . .
. cum refert . .

Stolidus, stultus. Ennius libro primo: Nam vidi pugnare sues, stolidi soliti sunt. & in Alexandro; Hominem appellat, qui a lasciui stolide non intelligit. & Caecilius in Hypobolimaeo: Abi hinc tu stolide, illi vt tibi sit pater? & in Andronico? Sed ego stolidus, gratulatum me oportuit prius.

PAVLVS. *Stolidus*, stultus.

Strebula lingua Vmbrorum appellabant partes carnium sacrificatarum.

FEST. *Strebula*. Vmbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas G .
. . in altaria in . .
. . tus ait in Fri . .
. . agnina tene . .
. . bulis.

Strenam vocamus, quae datur de religioso, ominis boni gratia a numero, quae significatur, alterum, tertiumque ventorum similis commodi, veluti *trenam*, praeposita. S. littera, vt in loco, & lite solebant antiqui.

PAVLVS. *Striges* appellabantur ordines rerum inter se coniuncte collocatarum, a stringendo dictae.

FEST. *Stri* . . . .
. . ordines rerum . .
. . utae conlocata . .
. . ndo dictae . .

Stri . . . .
ius Graeci σάρνια ap . .

maleficis mulieribus nomen inditum est. quas volaticas etiam vocant. Itaque solent his verbis ea; veluti auertere Graeci σύριντα πόμπειν νυκτικόμαν στρίγχα τὸ λαον ὄρνιν ἀνωνύμιον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.

Strigores in ne . . . .
. . rigosis positum . .
. . rum virium ha . .
ores exerciti.

Strigores densarum virium homines. PAVL.

Stritauum antiqui dicebant pro tritauo.

Strit . . . FEST.
. . ant pro trita . .
aui, & atauiae . . .

Stroppus est, vt Ateius Philologus existimat. quod Graece στρόφιον vocatur, & quod sacerdotes pro insigni habent in capite. quidam coronam esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale sit strophium. Itaque apud Faliscos diem festum esse, qui vocatur *Struppearia*, quia coronati ambulent, & a Tusculanis, quod in puluinari imponatur Castoris, struppum vocari.

Stroppus quod Graece dicitur στρόφιον, pro insigni ponebatur in capitibus sacerdotum, alij id coronam esse dixerunt. PAVL.

Struere antiqui dicebant pro augere, vnde instruere.

Struere antiqui dicebant pro adiicere, augere vnde industrios quoque M. Cato, iure, lege, libertate, Republica communiter vti oportet: gloria, atque honore quomodo sibi quisque struxit. aut in XII. quod est. *caluitur, pedem vestruit: manum endoiacito.* alij putat significare retrorsus ire, alij in aliam partem, alij furere, alij gradum augere; alij minuere: ac vix quidem pedi praefert, otiose it, remoratur. FEST.

Strues genera liborum sunt, digitorum coniunctorum non dissimilia, qui superiecta panicula in transuersum continentur.

Strufertarios dicebant, qui quaedam sacrificia ad arbores fulguritas faciebant, a ferro scilicet quodam sacrificij genere. PAVL.

. . antiqui . . FEST.
. . minent con . .
. . arbores ful . .
. . missarum . .
. . struae, & . .
. . aciunt . . .
. . et vti mihi . .
. . ullo etiam . .
. . fertario . .
. . ex qua cortex . .
. . Lucilius . .
. . ti hibernacul . .
. . . . . .

Struices antiqui dicebant extructiones omnium rerum. Plautus Cerialis cenas dat. ita men-

ita mensas extruit, Tantas struices concinnat patinarias. & Liuius quo Castalia, per struices saxeas lapsu accidit.

PAVL. *Struices* dicebãt omnium rerũ instructiones.

Struppi vocabantur in puluinaribus fascicu li de verbenis facti, qui pro deorum capitibus ponebantur.

FESTVS. *Struppi* vocantur in puluinaribus . .
. rum capitibus ponuntur, .
. bem calo Antistius . .
. gistratum publicum . .

Strutheum in mimis praecipue vocant obscenam partem virilem, a salacitate videlicet passeris, qui Graece στρουθὸς dicitur.

PAVL. *Stultorum* feriae appellabantur Quirinalia, quod eo die sacrificabant ij, qui solenni die, aut non potuerunt rem diuinam facere, aut ignorauerũt.

FEST. *Stult* . . . .
tur Quirina . . .
Qui priniqu . . .
sacrificant ij . . .
non potuer . . .
re, aut ign . . .
fornacalia . . .
commissum . . .
more, at . . .
quibus p . . .

Stuppam linum impolitum appellant Graeci Dorij.

Stuprum pro turpitudine antiquos dixisse apparet in Nelei carmine: foede, stupreque castigor cotidie. & in Appi sententiis: qui animi . . compotem esse, nequid fraudis, stuprique ferocia pariat. Naeuius: Seseque ij perire mauolunt ibidem, quam cum stupro redire ad suos popularis: item, sin illos deserant fortissimos viros, magnũ stuprum populo fieri pergetis.

PAVL. *Stuprum* pro turpitudine antiqui dixerunt. vnde est in carmine: Foede, stupreque castigor cotidie.

FEST. *Stura* flumen in agro Laurenti est.

Stura flumen in agro Laurenti est, quod quidam Asturam vo . .
. ac suberiesque .
. Thermi.

Suadted, idem ait esse, sic te.

Suasum, colos appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus: quia tibi suaso infecisti propudiosa pallulam. Quidam autem legunt insuaso, nec desunt, qui dicant omnem colorem, qui fiat inficiendo, suasum vocari, quod quasi persuadetur in alium ex albo transire.

Sub corona venire dicuntur, quia captiui coronati solebant venire, vt ait Cato in eo, qui est de re militari: vt populus suus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat. Id autem signum est nihil praestari a populo. quod etiam Plautus significat in Hortulo: praeco ibi adsit cum corona, cuique liceat, veneat.

Sub iugum mitti dicuntur hostes victi, ereptis omnibus armis, telisque, cum hastis defixis duabus in terra, tertiaque ad summum earum deligata, ipsi eam iubentur subeuntes transire.

Sub iugum mitti dicuntur hostes, cum duabus hastis in terra defixis, tertiaque superligata, inermes sub eas coguntur transire. PAVL.

Sub vineam iacere dicuntur milites, cum astantib. centurionib. iacere coguntur sudes,
. . tur milites . . . FEST.
. ionibus ia . . .
. . .

Sub vitem hastas iacere dicitur veles, cum eas sub manu sursum mittit. Lucilius: vt veles bonus sub vitem, qui submisit hastas. Veles autem velitis facit. PAVLVS.

Sub vitem ha . . . FEST.
. . manu . . .
. . t Lucilius. vt . .
. m qui subit has . .

Sub vitem praeliari dicuntur milites, cum sub vinea militari pugnant. Lucilius: Neque prodire in altum, praeliari procul sub vitæ.
. . ri dicuntur . . PAVL.
. . militari pug . .
. . q prodire . .
. . ul sub vite.

Sub vos placo, in precibus fere cum dicitur, significat id, quod supplicio vt in legibus: *Transque dato, edendoque plorato.*

Sub vos placo, supplico. FEST.

Subactus modo significat mollitus; modo victus, modo cõpulsus. vt cum dicimus, pecus sub arbore subactum. modo coactus.
. . molliti . . PAVL.
. vt cum dicim .
. subactum .

Subditus dicitur iudex, qui loco mortui datur iis, qui eum habuerant iudicem in aliqua re, vel lite. FEST.

Subdit . . .
tui in demortuis iu . .
datur his, qui cum hab . .
xat in eandem rem.

Subices Ennius in Achille pro subiectis posuit, cum dixit. Nubes per ego deum subices humidas, Vnde oritur imber sonitus aerio spiritu.

Subices Ennius pro subiectis posuit. PAVL.

Subici ar . . . FEST.
quod fit, ait Cincius .
consulti exemplo, at .
coplandi gratia aries int .
lus admisit poenæ p. .

Subigere arietem in eodem libro Antistius esse ait dare arietem, qu.. pro se agatur, caedatur.

in dicebant infir

. . Plautus in Persa: Ad paupertatem si immigrant infamiae, Grauior paupertas fit, *fides sublestior.* id est infirmior. Idem, in Neruolaria, *vinum* ait *sublectissimum*, quia infirmos faciat, vel corpore, vel animo.

PAVL. *Sublesta*, infirma, & tenuia. Plautus: Grauior paupertas fit, fides sublestior. id est, infirmior. Idem ait vinum sublestissimum, quia infirmos faciat, vel corpore vel animo.

FEST. *Sublicium* po
appellatum a
cabulo Volsc
in latitudinem
licet Formian
librorum qu
sublimes vocan
aqua liquens
in qua opinio
& meminit
qui ait in belli
quam liquidum
amnem, & alij tab
men retinet
Sallustius libro qu
ne intumiendi p
sublicibus cauata
sent

Sublimauit dixit, id est, in altum extulit, Origium libro secundo: In maximum decus, atque in excelsissimam claritudinem sublimauit. id autem dicitur a limine superiore, quia supra nos est.

Sublimen est in altitudinem elatum. vt Ennius in Thyeste: Aspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Iouem. Vergilius in Georgicis libro primo: Hic vertex nobis semper sublimis.

PAVL. *Sublimen* est in altitudinē elatum. id autē dicitur a limine superiore, quia supra nos est.

FEST. *Subducare* arbores est ramos earum supputare, & veluti sputus lucem mittere; *conlucare* autem succisis arboribus locum implere luce.

Suboles ab olescendo, id est, crescendo, vt *adolescentes* quoque & *adultae, & indoles* dicitur. Lucretius libro quinto: Siue virum suboles, siue est muliebris origo. Vergilius: Cara duum suboles, magnum Iouis incrementum.

Subrumari dicuntur haedi, cum ad mamma& admouentur: quia ea (his vocabantur; vel quia rumine trahūt lacte sugentes.

PAVL. *Subrumari* dicuntur haedi, cum ad mammam admouentur: quia ea rumis vocatur; vel quia rumine trahunt lac sugentes.

Subscudes appellantur tabellae, quibus tabulae inter se configuntur, quia quo immittuntur succiditur. Pacuuius: Nec vlla subscus cohibet compagem.

FEST. ellantur cunctae ta
tabulae inter se con
a quo eae immittantur
uius in Niptris: Nec vlla subscus cohibet compagem aluei. Plautus in Astraba: Terebratus multum sit, & subscudes addite.

bsidium dice
lites subside
l entiq; aciei
genus militum
emeruerant
amen retine
quae erat ter
m, vt Plautus
gite nunc subs
t triario si
sidiari ante eos
rant aut in alio
nti

PAVL. *Subsilles* dicebantur quaedam lamellae sacrificiis necessariae.

FEST. li ipsij les uo
s, quae ad rem
ur maxime
rum

Subsolanae
s appellantur
rei solum conferunt
ui infimum
in terram super
lum imum
sinnititur.

Substillum
it tempus ante
paene vuidum dum
m non persiccum, quod
aut non dum desistet.

PAVL. *Substillum* tempus ante pluuiam iam paene vuidum, & post pluuiam non persiccum, quod iam stillaret, aut non dum desi stet.

Subucula genus libi dicitur, ex halica, & olao, & melle, & genus vestimenti.

FEST. *Subuculam* Aelius Stilo, & Cloatius iisdem fere verbis demonstrant vocari, quod diis detur ex halica, & oleo, & melle. Nam de tunicae genere notum est omnibus.

Subuerbustam, veribus vstam significat Plautus cum ait: Vlcerosam, compeditam, subuerbustam, sordidam.

PAVL. *Subuerbustam*, veribus vstam significat.

Subulo Tusce tibicen dicitur.

FEST. *Subulo* Tusce tibicen dicitur. Itaque Ennius: Subulo quondam marinas propter adstabat plagas.

Suburam Verrius alio libro a pago Succusano di-

no dictam ait: hoc vero maxime probat eorum auctoritate, qui aiunt ita appellatam & regionem vrbis, & tribum a statiuo praesidio, quod solitum sit succurrere Esquiliis infestantibus eam partem vrbis Gabinis. indicioque esse, quod adhuc ea tribus per C litteram non B scribatur.

PAVLVS. *Subura* regio Romae a pago Succusano vocabulum traxit, quod ei vicinum fuit.

FEST. *Suburanam*
Succisanam
nt ex nomine
uram illam quoque
cusanam dictam
iratum esse
pagi succusa
xercentur.

Succenturire est explendae centuriae gratia supplere, subiicere. Plautus in Saturione: Succenturia centum, require, qui te delectet domi. & Caecilius in Triumpho: nunc meae militiae astutia opus est succenturia.

PAVLVS. *Succenturire* est explendae centuriae gratiae supplere. Caecilius: Nunc meae malitiae astutia opus est succenturia.

Succerda stercus suillum. Titinius: Quid habes nisi vnam aream sine claue: eo condis succerdas.

FEST.
est stercus su.
us Simus
uid habes, nisi
ui, eo condis
e succerda
homo opicer
nem, quem sol
it.

PAVL. *Succidanea hostia* dicebatur, quae secundo loco caedebatur. sic appellata est a succedendo.

FEST.
ppellatur, quae
ur, quod quasi
quidam a suc
dendo dictam.

PAVLVS. *Succingulum*, balteum

FEST.
ingulum ap
lteu Plautus
un Herculis
t, quam abstu

PAVL. *Succrotilla*, vox tenu s, & alta Titinius: Feminea fabula succrotilla vocula.

FEST.
tenuis diceba
Titinius in
fabulare succr
nius in Epistul
tilla voce serio
scribendis muli
gracilibus in Syr
talis cum sodellis cr
de quae non pedibus

cula est machinae
materiae & foratae
quam vt uber scrofe
stant.
stellas ruitque
a hyadas Grae
stimantes a subus
uenti dixerint.

Sudiculum genus flagelli dictum, quod vapulantes, sudantes facit. PAVLVS

Sudum, siccum, quasi seudum, id est sine vdo.

Securus, sine cura.
significare sub FEST.
um omnium fere
us siccum significet
est sine vdo, vt se

Sufes dic
gistratus, vt oscor
Calidius in Oration
lium. Nonne vobis l
et fumus prosequi
videtur. Senatus cens
Sufetis.

Sufes Consul lingua Poenorum, Calidius: Senatus inquit, censuit referentibus sufetis. PAVL.

Suffibulum vestimentum album praetextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales virgines sacrificantes habebant, idque fibula comprehendebatur.

Suffibulum est vestimentum al. FEST.
drangulum oblongum, quod in ca
est ales cum sacrificant, semper
quae fibula comprehenditur.

Suffimenta sunt, quae
molito mulso spar
re, quae vuae calcatae

Suffimenta dicebant, quae faciebant ex faba, milioque mellito, mulso sparso. ea diis eo tempore dabantur: quo vuae calcatae praelo premebantur. PAVL.

Suffiscus folliculus testium arietinorum, quo vtebantur pro marsupio, afisci similitudine dictus. FEST.

Suffiscus dicebantur folliculus testium arietinorum. qui celebris u.
pio forsitan d
fisci similitu

Suffragat maiores hi,
qui vulgo in vsu us apparerent
iuncta suffrag quem qui q.
fieri vellet notabat to scriptis
candidatorum hominu Varro in lib. VII.
Rerum humanarum

Suffuerat, sub eodem tecto fuerat: PAVL.

Sugillatum dicitur ex Graeco, quod ea pars, quae est sub collo, κοιλον ab eis dicitur. FESTVS.
dici existimant
quod ea pars, quae
λον ab iis dicitur.

Suillum gens inuisum Veneri prodiderunt poetae, ob interfectum ab apro Adonium, quem diligebat dea. quidam autem, quod immundissimi sint sues ex omni mansueto pecore, & ardentissimae libidinis. ita, vt opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare, & subire dicuntur.

Sulci appellantur, qua aratrum ducitur, vel sationis faciendae causa, vel vrbis condendae, vel fossura rectis lateribus, vbi arbores ferantur. fulmen quoque, qua eius vestigium, similiter appellatur. quod vocabulum quidam ex Graeco fictum, quia illi dicant ὁλκόν.

PAVLVS. *Sulcus* dictus a Graeco, qui ab illis ὁλκὸς appellatur.

Sultis, pro si vultis. Plautus: Sequimini me hac sultis. & Cato: Audite, sultis, milites.

FEST. *Sultis*, si voltis. Plautus in Friuolaria: Sequimini me hac, sultis, legiones omnes lauernae. & in Rudente. Curatae haec, sultis, magna diligentia. M. Cato pro L. Caesetio. audite, sultis, milites, si quis vestrum in bello superfuerit, si quis non inuenerit pecuniam, egebit.

Sultis, si voltis significat compositio vocabulo, ita vt alia sunt, sodes, sis si vis, vlicet in loco, scis licet scias licet, equidem ego quidem. Ennius: pandite sulti genas, & corde relinquite somnum.

PAVLVS. *Sultis*, si vultis. Ennius: Pandite sulti genas: & corde relinquite somnum.

Sum pro eum vsus est Ennius.

FEST. *Sum* pro cum vsus est Ennius libro primo: At tu non vt sum summam seruare decet rem. & libro secundo: At sese sum quae dederat in luminis oras.

Summanalia liba farinacea in modum rotae ficta.

Summissiorem aliis aedem Honoris, & Virtutis C. Marius fecit, ne si forte officeret auspiciis publicis, augures eam demoliri cogerent.

FEST. *Summussi*, murmuratores. Naeuius: Odi, inquit, summussos, proinde aperte dice, quid sit. Terentius mussare pro tacere posuit, cum ait: Sile, caela, occulta, tege, tace mussa.

PAVL. . ssi dicebantur . .
. Naeuius: Odi, inquit . .
. inde aperte dice, . .
. times Ennius in sexto . .
. ntus in occulto. mussa .
. in Andromacha di . .
. m est. nam mussare si . .
. s in Agnorizomene: Quod potes sile, caela, occulta, tege, tace, mussa, mane.

Suopte (suo) ipsius: vt meopte, meo ipsius: tuopte, tuo ipsius.

Supa . . . . .

dissicit . . . . .
in . insipit . .
iniicit farinolam.

Súpat, iacit, vnde dissipat, disiicit: & obsipat, obiicit: & insipat, hoc est iniicit. PAVL.

Supellectilis recto casu, & senis ratione dicebantur, quae nunc contraria videntur esse finitioni proportionis, quia omnia vocabula x littera, finita, per declinationes obliquorum casuum syllabam accipiunt. Haec autem duo desciuerunt ab ea, vt alia complura, quae non ideo infirmare debent praeceptum. FEST.

Supercila in Iunonis tutela esse putabãt, quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuere putabant Iunonem. vnde & *Lucina* dicta est. PAVL.

. Iunonis tu . . FEST.
. tur muliere . .
. tur oculi, per q . .
. quam tribuat . . .
. Lucina quoque . . .

Supercilium dicitur, quod supra cilium sit, id est integimentum oculi superius.

Superescit significat supererit. Ennius: dũ quidem vnus homo Romae toga superescit. & Attius in Chrysippo: Quin hinc superescit, Spartam, atque Amyclas trado. Sed per se super significat quidem supra, vt cum dicimus super illum sedit, verum ponitur etiam pro De, Graeca consuetudine vt illi dicunt, ὑπὲρ. Plautus in Milite glorioso: Mea opera super hac vicina, quam ego nũc concilio tibi. in Phasmate: Ehe . . tandem percipio, super rebus nostris loqui te. Pacuuius in Medo: Qua super re interfectum esse Hippotem dixisti? Cato contra Annium: Nemo antea fecit super tali re cum hoc magistratu vtrique rem. Afranius in Virgine: Aliis de rebus in qua coepisti super re.

Superescit, supererit. Ennius: Dum quidem vnus homo Romae superescit. PAVL.

Superstites antiquitus appellati sunt testes.

Superstites testes praesentes significat. cuius rei testimoniũ est, quod superstitibus praesentibus, ij, inter quos cõtrouersia est, vindicias sumere iubentur. Plautus in Artemone: Nunc mihi licet quiduis loqui, nemo hic adest superstes. Volgari quidem consuetudine poni. FEST.

. superque sint . . .
. liberi parentib . .
. quamobrem . .
. do quanquam o . .
. velim . . .

Supervacnaeum . . . .
cludit Verrius ab u . . /.
. antum modo . . .
. sit fami . . . .

uacaneum

. uacaneum . . . .

PAVL. *Superuacaneum*, superuacuum.

Superuacanea dicebatur ab auguribus auis, quae ex summo cacumine vocem emisisset. dicta ita, quia super omnia vagatur, aut canit.

FEST. *Su* . . . .
catur ab au . . . .
mo cacumin . . .
quasi in altis . . .
uagatur a . . .

Supparus . . . .
. uestimen . . .
. ubucula ap . .
. n Fullonia . .
. omne quod . . .
. parum Puni . . .
. cat Neui de . .
. o. & in Nautis . .
. estem consec . .
. nunc supparos . .
. na iam crucem . .
. detur puella . .
. ius ait. Puella . .
. duta sum . .

PAVL. *Supparus* vestimentum puellarum lineum, quod & subucula (id est camisia) dicitur. Afranius: Puella non sum, supparo si induta sum.

Suppernati dicuntur, quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius: His pernas succidit iniqua superbia Poeni.

FEST. pernati dicu . . .
. na sunt succisa . .
. rum pernatu . .
. is pernas suc . .
. Poeni. & Catu . .
. fossa ligari ia . .
. curi . . .

PAVL. *Supplicia* veteres quaedam sacrificia a supplicando vocabant.

FEST. *Supplic* . . .
. res portent . .
. uerbena falic . .
. alia supplicia . .
. bonis sumi. fin . .
. is necaretur . .
. Sermoniae re . .
. ce bidente . .
. na salutis . .
. nati patrim . .
. id fieret sa . .
. solitum vt . .
. candi causa . .
. rum vt id vo . .
. ro semper ela . .
. plo docet supol . .
. nunc fere suppl . .

. tur . . .
. cium a supp . .
. guit, quod . .
. hæc deorum . .
. matur supp . .
. id est dep . .
. caedi . .

Suppremum modo significat summum, modo extremum, modo maximum. PAVL.

Supp . . . . FEST.
summum vt . . .
supreme bel . . .
potens. Plautus . . .
mum habuisti se . . .
tuis. alias extre . . .
in legibus XII. Solis . .
ma tempestas esto . .
crimine necte tuo . .
ab illo sepeliri die . .
& quasi supremo l . .
tempora voltu. Cato d . .
lentis nunquam cuiq. . .
. . premam aduoca . .
. . maximo cum duas . .
. . s supremam mul . .

Suppum antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus ex Graeco, videlicet pro adspiratione ponentes litteram, vt cum iidem ὕλας dicunt, & nos siluas. item ἕξ, sex & ἑπτά, septem. eius vocabuli meminit etiam Lucilius. Si vero das, quod rogat, & si suggeri suppus.

Suppum antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus. PAVL.

Surregit, & *sortus* pro surrexit, & quasi possit fieri surrectus frequenter posuit Liuius
. & sortus an. . . . FEST.
. & eius part . . .
. bus L: Liuil . . .
. est . . .

Surremit, sumpsit. inque manu surremit hastam . . . PAVL.
. manum su . .

Surremsit, sustulerit. FEST. PAVL.
. . Suremsit . . . FEST.
. pue . sustule . .
. cum dixit . .
. est, quod cum . .
. nio nobilissi . .
. atque ob eam . .
. issimus semper . .
. nstituit, cum . .
. imus sumere . .
. ipso dignior . .
. καὶ οὐκέτι σύ . .
. t, quod si mon . .
. tem nonum . .
. Socratem quae . .
. rat in librum . .
. inscripserat Scy . .

gratia id appel . . .
Surum dicebant, ex qu . . .
. est Plau . . .
. on est tibi . . .
. um item nam qui . .
. cus surculis . .
. m.tum poli . .
. aut asulae . . .
. rus surum . . .
. repossent.

PAVL. *Surum* dicebant, ex quo per deminutionem fit *surculus*. Ennius: Vnus surus surum ferret, tamen defendere possent.

FESTVS. *Sus Mineruam*, in prouerbio est, vbi quis id docet alterum, cuius ipse inscius est. quam rem in medio, quod aiunt, positam, Varro & Euhemerus ineptis mythis inuoluere maluerunt, quam simpliciter referre.

PAVL. *Suspectus* a suspicor venit & a suspicio.

FEST. *Sus* . . . .
. significationis . .
. et suspicio parti . .
. e.non mirum si . .
. o dari potest.

PAVL. *Susque, deque*, significat plus minusve.

FEST. . . ens est pro plus minusve.
. . uod antiquis vsque dice .
. . . . . .

PAVL. *Sutelae* dolosae astutiae, a similitudine suentium dictae.

FEST. . . stutiae a simili . .
. dictae . . .
Su . . . . .
. tiq; in prouerbium . .
causa Gallico tu . . .
. . dam edictum est legiones Sutrij, vt praesto essent cum cibo suo. quod vsurpari coeptum est in iis, qui suis rebus, opibusque officij id praestarent, quibus deberent. Plautus: Sed facito dum, merula per versus, quod cantat colas eum suo cuique facito veniant, quasi eant Sutrium.

PAVL. *Sycophantas* appellatos hac de causa dicunt. Atticos quosdam iuuenes solitos aiunt in hortos irrumpere, ficosque deligere: quam ob causam lege est constitutum, vt qui id fecisset, capite truncaretur: quam pœnam qui persequerentur ob paruula detrimenta, sycophantas appellatos.

FEST. . idem ex hac causa . .
. Atticos quondam . .
. s aiunt in hortos . .
. irrumpere, ficosque.
. b causam lege factam, qui id fecisset, capite esset ei. quam poenam qui persequerentur ob paruola detrimenta, sycophantas appellatos.

T

T*Abellis* pro chartis vtebantur antiqui, quibus vltro, citrove, siue priuatim siue publice opus erat, certiores absentes faciebant. vnde adhuc *tabellarij* dicuntur. & tabellae missae ab imperatoribus.

Tabem eam, quae faceret tabescere apud antiquos vsurpatum. Sallustius quoque frequenter, vt in Catilina, cum ait: vbi tabes plerosque ciuium animos inuaserat. & in libro quarto historiarum: qui quidem mos, vt tabes in vrbem coniectus. & Coruinus pro Liburnia: propter hanc tabem, atque perniciem domus totius.

Tabernacula dicuntur a similitudine tabernarum, quae ipsae, quod ex tabulis olim fiebant, dictae sunt, non, vt quidam putant, quod tabulis claudantur.

Tablinum proxime atriũ locus dicitur; quod antiqui magistratus in suo imperio tabulis. . . . .
. . . . . .

Tablinum proxime atrium locus dicitur, quod antiqui magistratus, in suo imperio tabulas rationum ibi habebant publicarum rationum causa factum locum.

PAVL. *Tablinum*, locus proximus atrio, a tabulis appellatus.

Taciturnus, qui facile tacet. tacitus, argutus etiam, qui potest aliquando tacere.

Taedulum, fastidiosum, siue quod est omnibus taedio.

Taedulum antiqui interdum pro fastidioso; interdum, quod omnibus taedio esset, ponere soliti sunt.

FESTVS. *Taenias* Graecam vocẽ sic interpretatur Verrius, vt dicat ornamentum esse laneum capitis honorati, vt sic apud Caeciliũ in Androgyno: sepulchrum plenum taeniarum, ita vt soler. & alias: Dum taeniam, qui vulnus vinciret, petit. Ennius in Alexandro: volans de caelo cum corona, & taeniis. Attius in Neoptolemo: Decorare est satius, quam vrbem taeniis.

PAVL. *Taepocen* appellarunt Graeci genus scribendi deorsum versus, vt nunc dextrorsum scribimus.

FEST. *Taepocon* soliti sunt appellare Graeci genus scribendi deorsum versus, vt nunc dextrorsum scribimus.

PAVL. *Tagax* furunculus a tangendo dictus. cuius vocabuli Lucilius meminit: Et mutonis manum perscribere posse tagacem.

FEST. *Tages* nomine Genij filius, nepos Iouis, puer dicitur disciplinam aruspicij dedisse duodecim populis Etruriae.

Tagit Pacuuius in Teucro: Vt ego, si quisquam me tagit & tagam. Idem in Hermiona: Aut non cernam, nisi tagam. sine dubio antiqua consuetudine vsurpauit. nam nunc ea sine praepositionibus non dicuntur, vt contigit, attigit.

PAVLVS. *Tagit* simpliciter dicitur. quod attigit, contigit fa-

git facit compositum.

Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificij. *Talassionem* enim vocabant quasillum, qui alio modo appellatur calathus, vas vtique lanificiis aptum.

FEST. . sionem in nuptiis Varro ait .
. fici ταλαρίσκον, id est quasillum .
. litum appellari talassionem. at .
. historiarum scriptor Talassium .
. uirum rapta virgine vnicae pu .
. . dinis, quod ei id coniugium fuerit se .
. omnis gratia nunc redintegrari .

Talentorum non vnum genus. *Atticum* est sex millium denarium. *Rhodium*, &, *cistophorum* quatuor millium quingentorum denarium. *Alexandrinum*, duodecim milliũ denariũ. *Neapolitanum*, sex denariũ *Syracusanum* trium denariũ. *Rheginum* victoriati.

. . . .

Taliam Cornificius posuit, vnde & Talassus.

Taliam alij folliculum cepe.

PAVL. *Talia*, folliculum cepe.

FEST. *Talionis* mentionem fieri in XII. ait Verrius, hoc modo, *si membrum rapserit, ni cum eo pacit, talio esto.* neque id, quid significet, indicat. puto quia notum est. permittit enim lex parem vindictam.

PAVL. *Talipedare* antiqui dicebant pro vacillare pedibus lassitudine, quasi trahat pedes, vt talis videatur insistere, aut identidẽ tollere pedes.

Talepedare est vacillare pedibus, & quasi talis insistere.

Talus praenomen erat Sabinorum.

FEST. *Talus* in Sabinorum nominibus praenominis loco videt, u fuisse.

Tam significationem habet, cũ ponimus praepositiuam quandã, cui subiungimus quam: vt cum dicimus, tam egregium opus tam paruo pretio venisse, id est, sic. ita vt apud Graecos quoque οὕτως ἀγαθόν, item ex contrario ei dicimus, quam bonus Homerus, tam malus Cherylus poeta est. At antiqui tam etiam pro tamen vsi sunt. vt Nonius. Qui, si taceat, dum videat, tam etiam sciat, quid scriptum sit. Ennius: illae meae tam potis pacis potiri. Titinnius: Bene cum facimus, tam male subimus, vt quidam perhibent viri. Item: Quanquam estis nihili, tam escator simul vocis consului.

Tam significationem habet praepositiuam, cui subiungimus quam. vt tam malus Cherylus, quam bonus Homerus. tam etiam pro tamen vsi sunt.

PAVL. *Tam modo* antiqui dicebant pro modo.

Tam modo antiqui ponebant pro modo. vt Attius: Tam modo, inquit, Praenestinus.

FEST. *Tam perit, quam extrema faba*, in prouerbio est, quod ea plerunque aut proteritur, aut decerpitur a praetereuntibus.

Tama dicitur, cum labore viae sanguis in crura descendit, & tumorem facit. Lucilius: Inguenne existat, papulae, tama, neboa noxit.

Tama in carmine positum est pro tam. PAVL.

Taminia vua siluestris dicta, quod tam mira sit, quam minium. FESTVS.

Taminia vua siluestris generis videtur Verrio dicta, quae tam mira sit, quam minium. PAVL.

Tamne, eousque vt Aelius Stilo, & Opilius Aurelius interpretantur. itaque Afranius: Tamne arcula tua plena est aranearum? FESTVS.

Tamne, eousque. Afranius: Tamne arcula tua plena est aranearum? PAVL.

Tandem cum significet aliquando, interdum tamen ex superuacuo ponitur, vt apud Terentium in Phormione, cum ait: Itane tandem vxorem duxit Antipho iniussu meo? non enim hic tempus vllum significat. at Cicero etiam duplicat temporalem significationem, cum ait, tandem aliquando.

Tappete ex Graeco sum . . FESTVS.
tae. Ennius cum ait. T . . .
lius in Demetrio. Le . . .
veterem dic tappet . . .

Tapulla dicta est lex quaedam de conuiuiis. PAVLVS.

Tapullam legem conuiualem ficto nomine conscripsit ioco so carmine Valerius Valentinus. cuius meminit Lucilius hoc modo: Tapullam rident legem contere opimi. FESTVS.

Tarmes genus vermiculi carnem exedens. PAVLVS.

Tarpeiae etiam effigiem ita appellari putant quidam in aede Iouis Metellina. eius videlicet in memoriam virginis, quae pacta a Sabinis hostibus, quae in sinistris manibus haberent, vt sibi darent, intromiserit eos cum Rege Tatio, qui postea in pace facienda cauerit a Romulo, vt ea Sabinis semper pateret. FEST.

Tarquitias scalas, quas rex Tarquinius Superbus fecerit, abominandi eius nominis gratia ita appellatas esse ait vulgo existimari Verrius.

Tartarino cum dixit Ennius, horrendo, & terribili Verrius vult accipi a Tartaro, qui locus apud inferos.

Tartarino, horrendo & terribili, PAVLVS

Tatium occisum ait Lauinij, ab amicis eorum legatorum quos interfecerant Tatiani latrones, sed sepultum in Auentino laureto. quod ad significationem verborum non magis pertinet, quam multa alia praeterita deinceps, quae referantur. FEST.

Tauras, vaccas steriles dici existimabant hac de causa, quod non magis, quam tauri, pariant. PAVL.

. uras vaccas steriles ap . . FEST.
. quae non magis rapiant . .
. similius sit ex Graeco dic .
ρας appellant.

PAVL. *Tauri*, verbenaeque in commentario sacrorum significat ficta farinacea.

Taurij appellabantur ludi in honorem deorum inferorum facti. Instituti autem videntur hac de causa: Regnante Superbo Tarquinio cum magna incidisset pestilentia in mulieres grauidas, quae fuerat facta ex carne diu vendita populo taurorum, ob hoc diis inferis instituti ludi, & Taurij vocati sunt.

FEST. *Tau* . . .
stituti diis inferis ex l. . .
Tarquinio regnante cum . .
pestilentia in mulieres . .
fetu si facti sunt ex carn. . .
taurorum immolatorum. ob . .
appellati sunt, & fiunt . .
intra muros euocentur di . .
ludos Verro ait vocari, quod. . .
lus pendens a doctore iner . .
solitus sit impelli, atque vsque . .
docere, quoad consisteret . .
te talorum constaret pedu . .

Taurium aes dicunt quod in ludos tauricos consumitur.

Taurorum specie simulacra fluminum, id est, cum cornibus, quod sunt atrocia, vt tauri.

Taxat verbum ponitur in iis, quae finiuntur quoad tangi liceat, in litibus quoque arbitrove cum proscribitur, quoad ei ius sit statuendi. *Taxatio* dicitur, quae fit certae summae. a tangendo autem dici, etiam scaenici testimonio sunt, qui *taxatores* dicuntur, quod alter alterum maledictis tangit.

PAVL. *Taxat* & *taxatio* a verbo tango dicuntur. vnde & taxatores a scaenicis dicuntur, qui ad alterutrum maledictis tangunt.

Tegillum cuculliunculum ex scirpo factum. Plautus: Tegillum mihi aret, id si vis, dabo.

FEST. *Tela* proprie dici videntur ea, quae missilia sunt: ex Graeco videlicet eorum nomine, quia illi τηλόθεν missa dicunt, quae nos eminus sicut arma ea, quae ab humeris dependentia retinentur manibus, quandoquidem non minus in nobis eam partem corporis armum vocari existimandum est.

PAVL. *Temerare*, violare sacra, & contaminare dictum videlicet a temeritate.

Temetum, vinum. vnde *temulentus*, & *temulentia*.

FEST. *Temetum* vinum. Plautus in Aulularia. Quia quia temeti nihil allatum. Pomponius in Decima: Non multi temeti, sed plurimi. Nonius in duobus dossenis: Sequimini praeminate, sequere temeti timor. Idem in Funere: Agite, exite, temulentiamque tollite. & in Surdo: Filias habeo temulentas, sed eas video incedere. Afranius in Cõsobrinis: Pol magis istius temulẽtae futilis.

Tempesta, tempestiua.

PAVL. *Tempestatem* pro tempore frequenter dixerunt antiqui.

Templum significat, & aedificium deo sacratum, & tignum, quod in aedificio transuersum ponitur.

Tenite, credebantur esse sortium deae, dictae quod tenendi haberent potestatem.

Tensa vehiculum argenteum, quo exuuiae deorum ludis Circensibus in circum ad puluinar vehebantur.

FEST. *Tensam* ait vocari Sinnius Capito vehiculum quo exuuiae deorum ludicris Circensibus in circum ad puluinar vehuntur. fuit & ex ebore, vt apud Titinium in Barbato, & ex argento.

PAVL. *Tentipellium*, genus calciamenti ferratum, quo pelles extenduntur.

FEST. *Tentipellium* Artorius putat esse calciamentũ ferratum, quo pelles extendũtur. idem Afranium dixisse in Promo. Pro manibus credo habere ego illos tentipellium. Titinium ait Verrius existimare, id medicamentum esse, quo rugae extenduntur, cum dicat. Tentipellium Inducis, rugae in ore extenduntur cum ille ἐντατικὰς dixerit.

PAVL. *Tenus* significat finem: vt cum dicimus, hactenus.

Terentum locus in campo Martio dictus, quod eo loco ara Ditis patris in terra occultaretur.

FEST. . in campo Martio loc . .
. dicendum fuisse, quod Te .
. saecularis Ditis patris . .
. tur ab equis quadrigari . .
. tilitas aequiperet mo . .
. nae, quod quam aniliter relat .
. uis manifestum est.

Teres, rotundus in longitudine.

PAVL. *Teres* in longitudine rotundatum, quales asseres natura ministrat.

FEST. *Teretinatibus*, qui a flumine Terede dicti existimantur, & syllaba eius tertia mutata, & pro Terede Teram scribi debuisse.

Termentum pro eo, quod nunc dicitur detrimentum, vtitur Plautus in Bacchidibus.

PAVL. *Termentum* apud Plautum detrimentum.

Termes ramus direptus ex arbore, nec foliis repletus, nec nimis glaber.

Termino sacrificabant, quod in eius tutela fines agrorum esse putabant. denique Numa Pompilius statuit *eum, qui terminum exarasset, & ipsum, & boues sacros esse.*

Terminus, quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, quod nefas esse putarent terminum intra tectum consistere.

Termonem Ennius terminum dixit.

Termone Ennius Graeca consuetudine dixit: quem

quem nos nunc terminum, hoc modo. Ingenti vadit cursu, qua redditus termo est. & idem: Hortatore bono prius, quam iam finibus termo est.

Tersum diem pro sereno dictum ab antiquis; nec se habere rei auctorem ait.

PAVLVS. *Tersum* diem, serenum.

FEST. *Tertium*, quartum differre ait a tertio, quarto, quintus: quod, quid factum sit, significat.

PAVLVS. *Tesca*. loca augurio designata. Cicero aspera ait esse, & difficilia.

FEST.
. t loca augurio desig . .
. no finis in terra auguri op .
. us loca consecrata ad . .
. sit, sed sancta loca vndiq .
. nt Pontificis libri, in quibus .
. que sedemque tescumque .
. dedicauerit, vbi eos ac .
. s, propitiosque. Hostius belli .
. pergentis alter aetherias, atque .
. uiolabis templa antiqua .
. uere aspera, difficilia aditu .
. ca aspera saxa tesca tuor .
. octera. Quis tu es mortalis .
. a, & tesqua te adportas loca .

PAVL. *Testiculari* est iumentis maribus feminas, vel mares feminis admouere. licet alij dicant *testilari*.

Tetini pro tenui.

FEST. *Thalae* nomen dictum, alij ab aetatis flore aiunt, alij quod carmina semper floreant.

PAVL. *Themin* deam putabant esse, quae praeciperet hominibus id petere, quod fas esset. eamque id esse existimabant, quod & fas est.

Thiasitas, sodalitas.

Thomices Graeco nomine appellantur canabi impolito, & sparto leuiter tortae restes, ex quibus funes fiunt puluilli quoque quos in collo habent, ne a restibus laedantur, thomices vocantur.

FEST.
. nomine appellantur . .
. et sparto leuiter tortae .
. fiunt. Lucilius. Vidimus . .
. abina, Opillius Aure . .
. puluillum, quem in . .
. aedat tonicem vo . .
. . . .

PAVLVS. *Thraeces* gladiatores a similitudine palmularum Thraciarum.

Throcum genus sellae habetur apud Plautum.

Thymbraeus Apollo a monte Tymbraeo dictus, qui est in agro Troiano.

FEST. *Thymbraeum* Apollinem Vergilius a monte Thymbraeo appellauit, qui est in agro Troiano.

PAVL. *Tiberis* fluuius dictus a Tiberino Rege Albanorum, quod in eo cecidisset vel Tiberis a Tiberi Rege Tuscorum.

Tibicines in aedificiis dici existimantur a similitudine tibiis canentium, qui vt canentes sustineant, ita illi aedificia.

Tifata iliceta, Romae autem Tifata curia. Tifata etiam locus iuxta Capuam.

Tigillum sororium.

FESTVS. *Tignum* non solum in aedificiis, quo vtuntur, appellatur, sed etiam in vineis, vt est in xij. *tignum iunctum aedibus, vineaeque, & concupu, ne soluito.*

Tinia, vasa vinaria.

PAVL. *Tippula* bestiolae genus sex pedes habentis, sed tantae leuitatis, vt super aquam currens non desidat. Plautus: Neque tippulae leuius pondus est, quam fides lenonia.

Titiensis tribus a praenomine Tatij Regis appellata videtur. Titia quoque curia ab eodem Rege est dicta.

FESTVS. *Titinnire*, & titinnabunt Naeuius dixit pro sonitu tintinnabuli.

Titinnire est apud Naeuium hoc modo: Tantum vbi molle crepitum faciebant, titinnabant compedes. & apud Afranium: Ostiarij impedimenta titinnire audio.

PAVL. *Titiuillitium* nullius significationis est, vt apud Graecos βλίτυρι & σκινδαψός. Plautus: non ego istud verbum empsitem titiuillitio.

Tituli milites appellantur, quasi tutuli, quod patriam tuerentur. vnde & Titi praenomen ortum est.

Todi genus auium paruarum. Plautus: Cum extortis talis, cum todillis crusculis.

FESTVS. *Todi sunt* . . . .
quarum meminit Plautus in Sy .
tis talis, cum todillis crus. . .
Togatarum . . . .
minum fastigi, quae . . .
quod togis praetextis rem . .
tabernariarum, quia . . .
cellentibus etiam humiles . .
. lagiari serui denique et . .
. ernis honeste prodeant . .

Tolerare, patienter ferre. Attius in Neoptolemo: Aut quisquam potis est tolerare acritudinem. Ennius libro secundo: Ferro secedere, quam dictis his toleraret.

Toles, tumor in faucibus, quae per deminutionem *tonsillae* dicuntur.

Tollenno est genus machinae, quo trahitur aqua, alteram partem praegrauante pondere, dictus a tollendo.

PAVL. *Tongere* nosse est: nam Praenestini *tongitionem* dicunt notionem. Ennius: Alij rhetorica tongent.

FESTVS.
. . . lo ait noscere esse . .
. . tionem dicant pro no .
. . tius dominari. Ennius .
. . tongent & vincere .
. . videtur significare. .

Tonsam Ennius significat remum, quod qua-

si tondeatur ferro, cum ait libro septimo: Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis. item: Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas. & in Asoto: Alius in mari vult magno tenere tonsam.

PAVL. *Tonsa*, remus: quod quasi tondeatur ferro. Ennius: Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas.

Tonsilla palus delatus in acumen, & cuspide praeferratus, qui nauis religandae causa in littore figitur. Attius: Tacete, & tonsillas littore in laeda edite.

FEST. . . esse Verrius palum dolatum
. cuspide praeferratum, vt existi .
. . m cum figi in littore nauis re
. . causa, Pacuuius in medio: Acces
. eam, & tonsillam pegi laeto in littore
. in Phinidis: Tacete, & tonsillas litto-
. laeda edite.

Topper significat ait Artorius cito, fortasse, celeriter, temere, cito, sic in Nelei carmine: Topper fortunae commutantur hominibus citius, sic C. Naeuius: Capesset flammã Volcani topper. sic in eodem, Namque nullum peius macerat humanũ, quam de mare saeuum viret cui sunt magnae topper confringent importunae vnde. fortasse, sic Coelius libro septimo: ita vti sese quisque vobis studeat aemulari in statu fortunae reipublicae, eadem re gesta, topper nihilo minore negotio acto, gratia minor esset. fortasse, sic Attius in Io. Topper, vt fit, patris tunc eicit iras. (Ennius vero sic.) topper fortasse valet in Ennij & Pacuuij scriptis apud Ennium est; Topper, quam nemo melius scit. Pacuuius: Topper tecum sit potestas faxit si mecum velit. At in antiquissimis scriptis celeriter, ac mature. in Odyssia vetere: Topper facit homines vtrius fuerint. Topper citi ad aedis venimus Circae, simul duona eorum portant, ad nauis millia. alia in iisdem inueniuntur.

PAVL. *Topper*, cito: vt illud Nelei: Topper fortunae commutantur hominibus.

Torrens est participium, & nomen est.

FEST. *Torrens* participialiter pro exurens ponitur, vt est apud Pacuuium in Antiopa. flammeo vapore torrens terrae fetum exusserit. significat etiam fluuium subitis imbribus concitatum, qui alioqui siccitatibus exarescit. quamuis aquam ipsam, quae fluit, flumen recte dici ait Aelius Gallus libro secundo, quae ad ius pertinent. Ceterum volgi consuetudine vtrunque iam dici flumen, & perennem fluuium, & torrentem.

Torrere a torreo deductum, proprie significat siccare, atque arefacere, sed vsurpatum est iam pro eo, quod sit igne vrere. Plautus: (in) vna eadem opera in furnum calidum condito, Atque ibi torreto.

PAVL. *Torrere* a torreo deductum proprie significat siccare, atque arefacere. sed vsurpatum est etiam pro eo quod sit ignescere.

Toruitas a ferocia taurorum, quasi tauri acerbitas est vocata.

FEST. *Toruitas* a ferocia taurorum dicta est. Pacuuius in Armorum iudicio: feroci, ingenio toruus, praegrandi gradu. &: cum recordor eius ferocem & toruam confidentiam.

Torum vt significet torridum, aridum, per vnum quidem R antiqua consuetudine scribitur. Sed quasi per duo R scribatur, pronuntiari oportet. nam antiqui nec mutas, nec semiuocales literas geminabant, vt fit in Ennio, Arrio, Annio.

PAVL. *Torum*, torridum, aridum.

FEST. *Toxicum* dicitur ceruar.
. quidam perunguere sagitta .
. Caecilius in Gamo vt hom .
. toxico transegerit. Afra . .
. vxorium istud toxicum mitt .

PAVL. *Trabica* nauis, quod sit trabibus confixa. Pacuuius: labitur trabica in alueos.

Trabs proprie dicitur duo ligna compacta.

Trachali appellantur muricum ac purpurae superiores partes. vnde Ariminenses maritimi homines cognomen traxerunt Trachali.

Tragula genus teli, dicta, quod scuto infixa trahatur.

Tragus, genus conchae mali saporis.

Transtra, & tabulae nauium dicuntur, & tigna, quae pro pariete in parietem porriguntur.

FEST. *Trepit*, vertit. vnde trepido, & trepidatio: quia turbatione mens vertitur.

Tributorum conlationem cum sit alia in capite, alia ex censu, dicitur etiam quoddam temerarium, vt post vrbem a Gallis captam conlatum est, quia proximis quindecim annis census alius non erat. Item bello Punico secundo M. Valerio Laeuino, M. Claudio Marcello coss. cum & senatus, & populus in aerarium, quod habuit, detulit.

PAVL. *Tributum* dictum, quia ex priuato in publicum tribuitur.

FEST. *Trientem* tertium pondo coronam aureã dedisse Ioui donum scripsit T. Quinctius Dictator, cum per nouem dies totidem vrbes, & decimam Praeneste cepisset. id significare ait Cincius Mystagogicon libro secundo, duas libras pondo & trientem. qua consuetudine hodieque vtimur, cum lignum bes alterum dicimus, id est pedem, & bessem latitudinis habens. & sestertium, id est duos asses, & semissem tertium. item si tres asses sunt, & quartus quadrans.

PAVL. *Trifax* telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur. Ennius: aut permaceret paries percussus trifaci.

Trisulcum

FEST. *Trisculum* fulgur fu . .
. . a,id aut incendit.a .
. . rebrat,

PAVL. *Tritonia* Minerua a ripa Tritonis fluminis dicta,quod ibi primitus sit visa.

Triumphales coronae sunt, quae imperatori victori aureae praeferuntur, quae temporibus antiquis propter paupertatem laureae fuerunt.

Troia,& Regio Priami, & lusus puerorum equestris dicitur, & locus in agro Laurente, quo primum in Italia Aeneas cum suis constitit.

Tromentina tribus a campo Tromento dicta.

Trossuli equites dicti, quod oppidum Tuscorum Trossulum sine opera peditum ceperint.

Truo auis onocrotalus. Caecilius irridens magnitudinem nasi: Pro di immortales, vnde prorepsit truo.

Tryga antiqui vinum appellabant. vnde *trygetus* adhuc dicitur.

FEST. *Tubicines* etiam ij appellantur, qui sacerdotes viri speciosi publice sacra faciunt tubarum lustrandarum gratia.

PAVL. *Tubilustria* dies appellabant, in quibus agna tubas lustrabant.

FEST. . quibus diebus adscriptum in .
. rio sutorio agna tubae .
. is tubos appellant,quod genus .
. Arcadia Pallanteo trans .
. . . . . .

Tuditantes, tundentes . .
. entes significare ait Cinnius .
. nius libro secundo. Haec inter se totum
. ntes,& Lucretius item lib.ij.nec
. rem cessam extrinsecus vllam .

PAVL. *Tuditantes* significat negotium tundentes, id est agentes. Lucretius. Nec tuditantia rem cessant extrinsecus vllam.

Tudites mallei a tundendo dicti. inde & cuidam cognomen Tuditano fuit, quod caput malleo simile habuerit.

FEST. . alleos appellant antiqui a tunden-
. is,alij cruribus tudites. inde Ateius
. is, existimat Tuditano cognomen
. caput malleoli simile habuerit.

Tuor, video: tueor, defendo.

PAVLVS. : video, tueor, defendo.
FESTVS. . . sed iam promiscue vtuntur
. . or prouideo, & contueo.
. . ria tecto appellantur .
. sordida. Afranius in V .
. tugurium est turpe .
. bolimaeo Habitab .
. perculo, quo nomin .
. tione XII. ait etia .
. cari.

Tullianum quod dicitur, pars quaedam carceris, Ser. Tullium Regem aedificasse aiunt.
. . lij dixerunt esse silanos, alij riuos, alij vehementes proiectiones sanguinis arcuatim fluentis, quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Aiace. Aiax, misso sanguine tepido tullij efflantes volant.

Tumu . . . .
milites dicuntur lecti ob subitum ti .
de etiam tumultum dici ait Verrius, qui
is ornatur, quam ab Italicis, & Gallicis h .
. r Italiae, itaque nullum .
. quam. Gallicum, aut domesti .
. . . . . .
. Aelius sic definit tumultus es.
. nae editus secundum mare fluctibus u
. uatas. vnde similiter & manu fac .
. turalis proprie dici potest.

Turbellas dixisse antiquos, quas nunc turbas appellamus, testis est Plautus in Pseudolo: quales, quantas soleam turbellas dare. PAVL. FEST.

Turbellas apud Plautum turbas significat.

Turmam equitum dictam esse ait Curiatius, quasi terimam: quod terdeni equites ex tribus tribubus Titiensium, Ramnium, Lucerum, fiebant. itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ex eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni.

Turrhenos Etruscos appellari solitos ait Verrius, a Turrheno duce Lydorum, a cuius gentis praecipua crudelitate etiam tyrannos dictos.

Tusci a Tusco rege filio Herculis sunt dicti, vel a sacrificando studiose ex Graeco θυσκόοι: velut Tusculum dictum, quod aditum difficilem habet, id est δύσκολον. PAVL.

. quidam dictos aiunt a Tusco . FEST.
. lis filio. alij quod vnici studiosi ita .
. ex Graeco velut θυσκόοι. Tu .
. ab eadem causa sacrificiorum, u .
. ficilem habeat, id est δύσκολον.

Tuscum vicum co . .
tores dictum aiunt a .
descendente ab obs . .
Romae locoque his dato .
entes fratres Coeles, & Vibenn .
Tarquinium Romam secum ma .
rint. M. Varro quod ex Coe .
sint.

Tuscus vicus Romae est dictus, quod ibi habitauerunt Tusci, qui recedente ab obsidione Porsena remanserunt. PAVL.

Tutulum dicebant Flaminicarum capitis ornamentum vitta purpurea innexa crinibus, & in altitudinem extractum. Ennius: Fictores, Argeos, & tutulatos.

Tutulum vocari aiunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinib. & extructum in altitudinem quidam pileum lanarum forma e tali fi- FEST.

guratum, quo Flamines, ac Pontifices vtantur, eodem nomine vocari. Ennius: Libaque, fictores, Argaeos.

Tiaum frequenter dicitur maxime. Varro in Europa: Tutum sub sede fuissent.

Tyria maria in prouerbium deductum est: quod Tyro oriundi Poeni adeo potentes maris fuerunt, vt omnibus mortalibus nauigatio esset periculosa. Afranius in Epistula: Hunc serrium autem maria Tyria conciet.

. . . . . .
. . . x curiata fertur, quo Hanni . .
. . . Romae cum esset, nec ex praesidi
. . . Q. Fabius maximus Verru .
. . . arcellus Cos. facere in . .
. . . uit Aelius in XII. sig . .

V

PAVLI. VAcerram dicũt stipitem, ad quem equos soleant religare. alij dicunt maledictum hoc nomine significare magnae acerbitatis, vt sit vecors, & vesanus.

FEST. *Vacerram* Verrius, & alij complures vocari dicunt stipitem, ad quem equos solebant religare. Ateius vero Philologus maledictum hoc nomine significari magnae acerbitatis, vt sit vecors, & vesanus teste Liuio, qui dicat: vecorde, & malefica vecordia.

PAVL. *Vadem*, sponsorem significat datum in re capitali.

Vagorem pro vagitu Ennius posuit.

FEST. *Vagorem* pro vagitu Ennius libro sextodecimo: Qui clamor oppugnantis vagore volanti. Lucretius libro secundo. Et superantur, item miscetur funere vagor.

Vagulatio in lege XII. tabularum significat quaestionem cum conuicio. *Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito.*

Valges Opilius Aurelius, aliique complures aiunt dici, qui diuersas suras habeant. Plautus in Milite glorioso, qui talos vitiosos habeat. Maiorem partem videas valgis talis, & in (Sitelitergo.) Sic ea mihi insignitos pueros pariat postea, Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetũ, aut brocchum (filium.) e contrario vari dicuntur incurua crura habentes.

PAVL. *Valges* Aurelius intelligi voluit, qui diuersas suras habent: sicut e contrario vari dicuntur incurua crura habentes.

Vallescit, perierit, a vallo militari, quod fit circa castra, quod qui eo eiiciuntur, pro perditis habentur.

FESTVS. *Valuoli*, folliculi fabae.

Valuoli folliculi fabae appellati sunt, quasi valliuoli, quia vallo facti excutiantur.

Vapula Papiria, in prouerbio antiquis fuit, de quo Sinnius Capito sic refert, tum dici solitum esse, cum vellent minantibus significare se eos negligere, & non curare, fretos iure libertatis. Plautus in Feneratrice: Heus tu in barbaria quod dixisse dicitur liberta suae patronae, ideo dico, liberta salue, vapula Papiria. *In barbaria* est in Italia. Aelius hoc loco *vapula* positum esse ait pro dole. Varro pro peri, teste Terentio in Phormione. Non tu . . . & Plauto in Curculione: Reddin, an non mulierem prius, quam te huic meae machaerae obiicio magistia? vapula ergo te vehementer iubeo ne me territes. PAVLVS.

Vastum pro magnum, ponitur tamen & pro inani, Attius: Iam hanc vrbem ferro vastam faciet Peleus. Pacuuius: Quales, scabres, quod inculta vastitudine: vnde vastitas, & vastitudo. FEST.

Vastum pro magnum. ponitur tamen & pro inani. Attius: Hanc vrbem ferro vastam faciet. vnde vastitas, & vastitudo. PAVL.

Vaticanus collis appellatus est, quod eo potitus sit populus Romanus vatum responso expulsis Etruscis.

Ve victis, in prouerbium venisse existimatur, cum Roma capta a Senonibus Gallis aurum ex conuentione, & pacto adpenderetur, vt recederent, quod iniquis ponderibus exigi a barbaris querente Ap. Claudio, Brennus Rex Gallorum ad pondera adiecit gladium, & dixit, *Ve victis*. quem postea persecutus Furius Camillus cum insidiis circumuentum consideret, & quereretur contra foedus fieri, eadem voce remunerasse dicitur. FEST.

Ve vobis dicebatur ab antiquis, & ve nobis. PAVL.

Vecors est turbati ac mali cordis.

Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratia. Cato: vecticulariam vitam viuere, repente largiter habere, repente nihil.

Vectigal, aes dicitur, quod ob tributum, & stipendium, & equestre, & ordinarium populo debetur. FESTVS.

Vegrande significari alij aiunt male grande, vt *vecors, vesanus, malicordis, maleque sanus*, alij paruum, siue minutum, vt cum dicimus, vegrande frumentum & Plautus in Cistellaria: qui nisi iteres nimium is vegrandi gradu.

Vegrande significat malegrande. vt vecors, vesanus, malicordis, male sanus. alij paruum, siue minutum intelligunt, vt vegrande frumentum. PAVL.

Vegere, portare vel trahere. FEST.

Veia apud Oscos dicebatur plaustrum. vnde veiarij, PAVLVS.

veiarij stipites in plaustro, & vectura veitura.

Vel, coniugatio quidem est disiunctiua, scilicet earum rerum, quae natura disiuncta sunt, in quibus aut coniunctione rectius vtimur, vt, Aut dies, aut nox. sed earum, quae non sunt contrariae, quae eligatur, nihil interest, vt Ennius: vel tu Dictator, vel equorum, equitumque Magister Esto, vel Consul.

Velati appellabantur vestiti, & inermes, qui exercitum sequebantur, quique in mortuorum militum loco substituebantur. ipsi sunt *& ferentarij*, qui fundis ac lapidibus pugnabant quae tela feruntur, non tenentur. Cato eos ferentarios dixit, qui tela, ac potiones militibus pugnantibus ministrabant.

Velitatio dicta est vltro, citroque probrorum obiectio, ab exemplo velitaris pugnae. Plautus: Nescio. qui velitati estis inter vos.

FEST. *Venditiones* olim dicebantur Censorum locationes, quod velut fructus publicorum locorum venibant.

PAVL. *Venerari* verbum compositum ex venia, & orando.

Ventabant dicebant antiqui. vnde praepositione adiecta fit aduentabant.

FEST. *Ventabant* antiqui dicebant sine praepositione, pro aduentabant.

PAVL. *Ver sacrum* vouendi mos fuit Italis. magnis enim periculis adducti vouebant, quaecunque proximo vere nata essent apud se animalia, immolaturos. Sed cum crudele videretur pueros, ac puellas interficere, perductos in adultam aetatem velabant, atque ita extra fines suos exigebant.

Verberitare idem Cato frequentatiue ab eo, quod est verbero, dixit.

FEST. *Veredis* antiqui dixerunt, quod veherent rhedas: id est ducerent.

Vergilae dictae, quia earum ortu ver finitur, & aestas incipit.

PAVL. *Vergilae* dictae, quod earum ortu ver finem facit.

Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi a vermibus scindatur. hic dolor Graece στρεφὸς dicitur.

Vernae appellantur ex ancillis ciuium Romanorum vere nati, quod tempus anni maxime naturale feturae est.

FEST. *Vernae*, qui in villis vere nati, quod tempus, duce natura feturae est: & tunc rem diuinam instituerit Marti Numa Pompilius, pacis, concordiaeve obtinendae gratia inter Sabinos, Romanosque, vt vernae vincerent, Romanos enim vernas appellabant, id est, ibidem natos. quo vincere perniciosum arbitrium Sabinis, qui coniuncti erant cum populo Romano.

Vernisera mensalia auguria. PAVLVS.

Versuram facere, mutuam pecuniam sumere, ex eo dictum est, quod initio, qui mutuabantur ab aliis, non vt domum ferent, sed vt aliis soluerent, velut verterent creditorem.

Versuti dicuntur, quorum mentes crebro ad malitiam vertuntur.

Verticulas cum dixit Lucilius, articulos intelligi voluit.

Veruncent, vertant. Pacuuius: Dij monuerint meliora, atque amentiam auerruncassent tuam, id est auertissent.

Verata pila dicuntur, quod veluti verua habent praefixa.

Vescor, pascor.

Vesculi, male curati, & graciles homines. *vt* enim syllabam rei paruae praeponebant. vnde Veiouem, paruum Iouem, & vegrandem fabam, minutam dicebant.

Vescus, fastidiosus: ve enim pro pusillo vtebãtur. Lucretius vescum dixit edacem, cum ait: Nec mare quae impendent vesco sale saxa peresa.

Vespae, & *vespiliones* dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos offerunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt. hi etiam vespilones vocantur. (Martialis: Qui fuerat medicus, nunc est Vespilo Diaulus.)

Vesperna apud Plautum cena intelligitur.

Vesperugo, vesper stella. Plautus: Nec vesperugo, nec vergiliae occidunt.

Vespices fruteta densa dicta a similitudine vestis.

Vesticeps puer, qui iam vestitus est pubertate econtra *inuestis*, qui necdum pubertate vestitus est.

Vestis generaliter dicitur, vt stragula, forensis, muliebris. *vestimentum* pars aliqua, vt pallium, tunica, penula.

Veteratores callidi dicti a multa rerum gerendarum vetustate. Cannius: mulieri non astute facile veterator persuasit.

Veterinam bestiam iumentum Cato appellauit a vehendo. Opilius veterinam dici putat, quasi venterinam, vel vterinam, quod ad ventrem onus religatum gerat.

Veternosus dicitur, qui graui premitur somno. Cato veternosum hydropicum intelligi voluit, cum ait: Veternosus quam plurimum bibit, tam maxime sitit.

Vexillum deminutiuum est a velo.

Viatores appellabantur, qui magistratibus pa-

tebant, eo quod plerumque ex agris homines euocabantur à magistratibus, & frequens erat eorum ab agris ad vrbem via.

FEST. *Viatores* appellantur, qui magistratibus apparent, eo quia initio omnium tribuum cum agris in propinquo erant vrbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quam vrbe, quod ex agris plerumque homines vocabantur a magistratibus, & frequens eorum erat ab agris ad vrbem via.

PAVL. *Vibices* plagae verberum in corpore humano dictae, quod vi fiunt.

Vibrissae pili in naribus hominum, dicti, quod his euulsis caput vibratur.

Vibrisse est vocem in cantando crispare. Titinius: Si erit tibi cantandum, facito, vsque exuibrisses.

FEST. *Vici* appellari incipiunt ex agris, qui ibi villas non habent vt Marsi, aut Peligni. Sed ex vicis partim habent rempublicam, & ius dicitur, partim nihil eorum, & tamen ibi nundinae aguntur negotij gerendi causa, & magistri vici, item magistri, paucique. . . . annis fuerit. Altero cum id genus aedificij, quae continentia sunt, iis, oppidisque itineribus, regionibusque distributa distant, nominibusq. dissimilibus discriminis causa sunt dispartita. Tertio cum id genus aedificiorum definitur, quae in oppido priue in suo quisque loco proprie ita aedificat, vt in eo aedificio peruium sit, quo itinere habitatores ad suam quisque habitationem habeat accessum, qui non dicuntur *vicarij*, sicut ij, qui aut in oppido vias, aut hi, qui in agris sunt, vicarij appellantur.

Vicinia, vicinorum conuersatio.

FEST. *Victimam* Aelius Stilo ait esse vitulum ob eius vigorem. alij autem quae vincta adducatur ad altare: aut quae ad hostis victos immoletur.

PAVL. *Viduertas* calamitas dicta, quod viduet bonis.

Viere, alligare, vnde *vimina*, & vasa *viminea*.

Vietus languidus, sine vi, & naturalibus priuatus viribus.

Viget dictum a vi agendo, sed in agendis hostilibus rebus: verum iis, qui concitato animo ad bonum tendunt.

FEST. *Viget* dictum videtur a vi agendo, sed non in agendis hostilibus rebus, verum his quae celerrimo, concitatoque animo ad bonam tendunt frugem.

Viginti quinque poenae significat viginti quinque asses.

Viminalis porta, & collis appellabantur, quod ibi viminum silua fuisse videtur, vbi est & ara Ioui Viminio consecrata.

PAVL. *Viminalis* porta & collis appellabantur, quod ibi viminum fuisse silua videtur.

Vinalia diem festum habebant, quo die vinum nouum Ioui libabant.

Vinciam dicebant continentem.

FEST. *Vindex*, ab eo quod vindicat, quo minus is, qui prensus est, ab aliquo teneatur.

Vindiciae appellantur res eae de quibus controuersia est, quod potius dicitur ius, quia fit inter eos, qui contendunt. M. Cato in ea, quam scripsit L. Furio: De aqua . . . Praetores secundum populum vindicias dicunt. & Lucilius: Nemo hic vindicias, neque sacra, neque numen veretur: De quo verbo Cincius sic ait: *Vindiciae* olim dicebantur illae, quae ex fundo sumptae in ius adlatae erant. At Ser. Sulpicius . . am singulariter formato vindiciam esse ait . . qua de re controuersia est, ab eo quod vindicatur. & in XII. *Si vindiciam falsam tulit . . si velit is, arbitror tres dato, eorum arbitrij fructus duplione damnum decidito.*

Vinae, vt Verrius praecipit, quod vini feraces sint. etiam militares quaedam machinationes a similitudine appellantur.

PAVL. *Vinulus* dicitur molliter se gerens, & minime quid viriliter faciens (Plautus: Oratione vinula, ac venustula.)

Viritanus ager dicitur, qui viritim populo distribuitur.

Viritim dicitur dari, quod datur per singulos viros. Cato: praeda, quae capta est, viritim diuisa.

Vitiligo in corpore hominis macula alba, quae Graeci ἀλφὸν vocant, a quo nos album siue a vitio dicta, etiam si non laedit. siue a vitulo, propter eius membranae candorem. qua nascitur inuolutus. Lucilius: Haec odiosa mihi vitiligo est, non dolet inquit.

Vitulans, laetans gaudio, vt prato vitulus. Ennius. Habet is coronam vitulans victoria.

Viuatus, & viuidus a vi magna dicuntur.

FEST. *Viuatus* & viuidus a poetis dicuntur, a vi magna.

PAVL. *Viuissimus* superlatiuus a viuido.

Vls Cato pro vltra posuit.

Vmbrae vocabantur Neptunalibus casae frondeae pro tabernaculis.

FEST. *Vnciaria* lex dici coepta est, quam L. Sulla, & Q. Pompeius tulerunt, qua sanctum est, vt debitores decimam partem.

Vngulatos vngues magnos, atque asperos Cato appellauit.

PAVL. *Vngulum* Oscorum lingua significat anulum.

Vngulus

FEST. *Vngulus* Oscorum lingua anulus, vt : : siquid monimenti nacta est, qui eorum requireret, est vngulus, quem ei detraxit e Lirio, Pacuuius in Iliona: Repugnanti ego porro hunc vi detraxi vngulum, & in Atalanta Suspensum in laeuo brachio ostendo vngulum.

AVLVS. *Vngustus* fustis vncus.

Voisgram auem, quae se velit, augures hanc eandem felicitatem appellant.

Vola, vestigium medij pedis concauum. sed & palma manus vola dicitur.

Volones dicti sunt milites qui post Cannensem cladem vsque ad octo millia, cum essent serui, voluntarie se ad militiam obtulerunt.

Volturnalia Volturno deo sua sacra faciebant, cuius sacerdotem Volturnalem vocabant.

Vopte pro vos ipsi Cato posuit.

Vrbanas tribus appellabant, in quas vrbs erat dispartita à Ser. Tullio rege, id est Suburrana, Palatina, Esquilina, Collina.

Vruat Ennius in Andromeda significat circundat, ab eo sulco, qui fit in vrbe condenda vruo aratri, quae sit forma simillima vinci curuatione buris & dentis, qui praefigitur vomer. ait autem: circum sese vruat ad pedesterra oc . . . caput. FEST.

Vxorium pependisse dicitur, qui, quod vxorem non habuerit, aes populo dedit. PAVL.

F I N I S.

NONIVS MARCELLVS DE PROPRIETATE SERMONVM.

Summma capitum quæ in Nonio.

NONII MARCELLI PERIPATETICI TIBVRIENSIS DE COMPENDIOSA DOCTRINA PER litteras ad filium.

Cap. I.

SENIVM est tædium, & odium, dictum à senectute, quòd senes omnibus odio sint, & tædio. Cęcil. Ephęstione: Tum etiam in senectute hoc deputo miserrimum, Sentire ea ætate, esse odiosum se alteri. ¶ Nam *ætatem malam*, senectutem veteres dixerunt. Plaut. Menæch. Consitus sum senectute, onustum gero corpus, vires reliquere, vt ætas mala est ergo merx. Accius Amphitryone: An mala ætate mauis malè multari exemplis omnibus? Turpilius Philopatro: Miserum puto, si etiam istuc ad malam ætatem accessit mali. Pacuuius Peribæa: Parum est, quod te ætas malè habet, ni etiam hîc ad malam ętatem adiungas cruciatum reticenti. Afranius Vopisco:

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas & corpus tenerum & morigeratio.
Hæc sunt venena formosarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta inuenit.

¶ *Bonam ætatem* quoque dicimus adolescentiam, vel iuuentutem. Marcus Tullius de senectute: Quod si ipsis voluptatibus bona ætas fruitur, lubentius primum paruulis

fruitur rebus. ¶ Nam prudentissimè noster Maro diei partes primas, quasi eius ætatem puberem, *meliorem* dixit nono libro. Nunc adeo melior, quoniam pars acta diei est. ¶ Senium ipsum positum [*pro malo*] Sic Titinnius Veliterna: Quot pestes, senia & iurgia sesemet diebus emigrarunt. Nonius Gallinaria: Opere, quæ actor, cantor, cursor, senium sonticum. Accius, ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ: Mors amici subigit, quod mihi est senium multo acerrimum. Pomponius Præcone posteriore; Calue apportas nuntium nobis disparem, diuisum, huic seni senium, & merum. Lucillius, Satyrarum lib. xv. In numero quorum nunc primus Trebellius multo Obmarcescebat febris, senium, vomitus, pus. Turpilius Demiurgo: Quia enim odio, ac senio mihi hæ sunt nuptiæ. Pacuuius Peribœa: Metus, egestas, mœror, senium, exsiliúmque & senectus.

2 ¶ *Velitatio* dicitur leuis contentio, dicta ex congressione velitum. Plautus Asinar. Verbis velitationem fieri compendio volo. Idem Menæch. Nescio quid vos velitati estis inter vos duo. Turpilius Lindia: Comperce verbis velitari, ad rem redi. Afranius Priuigno: Interea verba iactare, & labris inter se velitari, velificarier. Cæcilius Pausimacho: velitari te res tamen.

3 ¶ *Toga*, dicta est à tegendo, & est toga (sicut in consuetudine habetur) vestimentum, quo in foro amicimur, cuius & Cicero meminit in Catilinam: Velis amictos, non togis. Titinnius Fullonibus: Quæ inter decem annos nequisti vnam togam detexere. ¶ Dicitur & tectum. Titinn. Gemina: Syrus cum scorto constituit ire, claues illicò abstrudi iubeo, rusticæ togæ ne sit copia, id est tecti.

4 ¶ *Tollere, occidi.* Lucil. lib. xxvj. Audiui quem febris vna, atque vna ἀπεψία, vini inquam hiatus vnus potuit tollere. ¶ Tollere *mittere*. Virg. Æneid. lib. ij. Clamores simul horrendos ad sidera tollit. ¶ Tollere, *transferre* Vergilius Æneid. lib. ij. Vnius in miseri exitum conuersa tulere. ¶ Tollere, *inferre*. Virg. Georg. lib. iij. Tollentémque minas, & sibila colla tumentem Deiice. ¶ Tollere est *eleuare*. Idem in xi. Tollit se ad rectum quadrupes. Idem lib. I. Et mulcere dedit fluctus & tollere vento. Marcus Tul. Philippicarum lib. xi. Vel in cælum vos, si fieri potuerit, humeris nostris tollemus. Lucilius lib. xxviij. Et fœdera tollent. Marcus Tul. Hortensio: Nihil tamen esse, in quo se animus excellens tollat. ¶ Tollere, *ostendere, erigere*. Virgil. Æneid. libro primo: Cui mater media sese tulit obuia sylua. Idem libro vij. laborum Prima tulit finem. ¶ Tollere, *occidere*. Var. Sexagesi: Num quis patrem decem annorum natus non modo aufert; sed tollit, nisi veneno? ¶ Tollere est & *differre*. Plautus Pœnulo: Omneis extollo ex hoc die in alium diem. ¶ Tollere, *pati, sustinere*. Virgilius Æneid. lib. iij. Iuuenémque superbum Seruitio enixae tulimus. & idem lib. xij. Non tulit instantem Phegeus, animísque frementem. Terentius Phormione: Ego te complures aduorsum ingenium meum menses tuli. Marcus Tull. in Verrem, Diuinatione: Tuli grauiter, & acerbè iudices. Idem de offic. lib. ij. Nisi enim multorum impunitates scelerum tulissem.

5 ¶ *Tenacia* est *perseuerantia & duritia*. Ennius Hectoris lytris: Decet quadrupedum iugo inuitum doma in frena, & iugo valida, quorum tenacia infrenari nimis. ¶ Tenacia, *parsimonia*. Afranius Priuigno: Vixisti durus, difficilis, tenax.

6 ¶ *Tempestas* est *turbo ventorum*. Virgilius Georg. libr. I. Quid tempestates autumni, & sidera dicam? ¶ Tempestas, *tempus*. Sallustius Iugur. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures noui, atque ignobiles. Lucillius libr. xxvij. Iam qua tempestate viuo certo fine ad me recipio. Pacuuius Teucro: Quam te post multis tueor tempestatibus. Marcus Tul. de senectute: Cursus est certus ætatis, & vna via naturae, eáque simplex, sua cuique parti ætatis *tempestiuitas* est data. Varro Eudæmionibus: Dum sermone cœnulam variamus, Interea tonuit bene tempestate serena.

7 ¶ *Trepidare, metuere*. Virgilius libr. ix. Dum trepidant, it hasta Tago per tempus vtrunque. Idem libr. ix. Trepident immisso lumine manes. Lucillius lib. xxx. Sed quid ego hæc animo trepidanti dicta profundo? ¶ Trepidare, *festinare*. Virgil. libr. ix. Ne trepidate meas Teucri defendere naueis. & Georg. lib. iiij. Tum trepidae inter se coeunt, pennísque coruscant.

8 ¶ *Tangere, ferire, commouere*. Virgilius libro nono: Nec solos tangit Atridas Iste dolor. Idem lib. xij. Miseri te siqua parenis Tangere cura potest, oro. M. Tullius Frumentaria Verrinarum: Nunquam tua me cura, tuarúmve fortunarum cogitatio tangeret. & Lucret. Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira. ¶ Tangere est *contingere*. Lucretius lib. I. Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res. Terent. Adelph. Nunquam dum ego adero, hic te tanget. ¶ Tangere, *inspicere*. Luc. xxvj. Neque prius, quàm venas hominis tetigit, ac præcordia. ¶ Tangere est *circumuenire*. Turpil. Demetrio: At etiam ineptus meus mihi est iratus pater, quia se talento argenti tetigi, veteri exemplo amâti. Item Leucadia: Hoc quæro ignoscere Istic solent necis minoris noxia Serum, si fortè quasi alias

alias

si alias res vini cauo. Lucil. lib.xxx. Et Musconis manu perscribere posset Aiace. Pomponius Aleonibus: At ego rusticatim tangam, vrbanatim nescio. Tangere, *contingere*. M. Tull. in Verrem actione ij. Verres simul ac tetigit prouinciam. Virg. lib. ix. Sat fatis, Venerique datum, tetigere quod arua Fertilis Ausoniæ Troes.

9 ¶ *Triste, crudele, immite*. Virgil. Ænei. lib. ij. Illi mea tristia fata, Degenerémque Neoptolemum narrare memento. Lucillius lib.xxx. Idque tuis sæuis factis & tristibus dictis. ¶ Triste est *mœstum*, aut *infestum*. Virgil. in Bucol. Tristis at ille tamen, cantabitis Arcades, inquit. Idem Georg. lib. Aut vnde nigerrimus auster Nascitur, & pluuio contristat puluere cœlum.

10 ¶ *Phrygia*, vestis picta est. eius artifices *phrygiones* appellantur. hoc Virgil. probat lib. ix. Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis. Item eodem: O verè Phrygiæ, neque enim Phryges. Titin. Barbato: Phrygio fui primo, benéque id opus sciui, reliqui acus, aciâsque hero, atque heræ nostræ. Plaut. Menæch. Pallam ad phrygionem fert confecto prandio. Varro Cosmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου. Phrygio qui puluinar poterat pingere soliardè vigebat.

11 ¶ *Hostimentum*, est æquamentum, vnde & *hostes* dicti sunt, qui ex æqua caussa pugnam ineunt. Plautus Asin. Par pari datum hostimentum est opera pro pecunia. vnde & *hostire* dicitur. Idem in eadem, Quin promitto inquam hostire contra, vt merueris. id est, æqua reddere.

12 ¶ *Tolutim*, dicitur quasi volutim, vel volubiliter. Plaut. Asin. Demam hercle iam de ordeo, tolutim ni badizas. Nouius Gallinaria: O pestifera, Pontica, fera, trux *tolutiloquentia*, id est, volubilis locutio Idem Macco exsule: Edixi iturum hominem in Thuscos tolutim. Item Lucil. Satyr. lib. viij. Si omne iter euadit, stadiúmque accliue tolutim. Idem, Velle tolutim: hic semper incepturus videtur. Var. Triodite triphylio, περὶ ἀρετῆς. Sed vt equus, qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur magistro, vt equiso doceat tolutim. Pomp. Decuma fullonis: Et vbi insilui in cocleatum equuleum, ibi tolutim tortor. Var. Agathone: Hæc postquam dixit, cedit citus Cellus tolutim.

13 ¶ *Capulum*, dicitur quidquam aliquam rem intra se capit. nam *sarcophagum*, id est, sepulchrum capulum veteres dici volunt, quòd corpora capiat. Plaut. Asin. dicens de sene: Perij misera, vt osculatur carnufex, capuli decus. Idem milite: Quid ais tu? Itáne tibi ego videor oppido Acherontius, *capularis*? Idem: Capulo proximus. Nouius Pappo, Præterito, dum istos inuitaueris suffragatores, pater, Prius in capulo, quam in curuli sella suspendit nates. Lucil. Satyr. lib. ij. Quem cùm vidissent Hortensius Posthumúsque, Ceteri item in capulo hunc non esse, aliúmque cubare. Varro Cosmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου. Propter cunam capulum positum nutrix tradit pollinctori.

14 ¶ *Temulenta*, dicta est ebriosa, dicta à *temeto*, quod est vinum, quod attentet mentem. Plautus Aulularia: Quia temeti nihil allatum intelligo. Idem Truculento: Siue adeò caret temeto, tamen ab ingenio est improbus. M. Tull. de Republ. lib. iiij. Ita magnam habet vim disciplina verecundię, carent temeto omnes mulieres. Varro, Eum modus matulæ, περὶ μέθης. Quis in omni vita helio ποιοςπο olfacet temetum? Idem Modio: Tremodiam, amphorámque eandem temeti ac farris modium.

15 ¶ *Cinædi*, dicti sunt apud veteres saltatores, vel pantomimi, ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα. Plaut. Aulularia: Ita fustibus sum mollior magis, quàm vllus cinædus. Idem Milite: Tum ad salandum non cinædus magis vsque saltat, quàm ego. Idem Sticho: Lepidam, & suauem *cantionem* aliquam occipito *cinædicam*, id est, quæ ad saltandum mouere possit. Lucillius Satyr. lib. ij. Stultè saltatum te interuenisse cinædos. Varro, ὄνος λύρας. Meritô vt quietus, ac demissior probandus, ἄξιως ἢ ῥαικὸς, ἰωνικὸς κίναιδος.

16 ¶ *Exercitum*, dicitur fatigatum, dictum ab exercitio. Sallust. Iugurthino bello: Nabdalsa exercito corpore. Plautus Bacch. Quæ sodalem, atque me exercitos habet. Lucretius libro secundo: Conciliis, & dissidiis exercita crebris. Afranius Suspecta: Ita, vt huic, ero adolescenti, cui suspirium tradidit, qui me est animi exercitus. Virg. lib. iij. Nate Iliacis exercite fatis.

17 ¶ *Tenus*, est laqueus dictus à tendicula. Plaut. Ba . Nunc ab transenna his turdus lumbricum petit, Pendebit hodie pulc è, ita intendi tenus.

18 ¶ *Illicire*, est propriè illaqueare. Næuius Lycurgo: Al s subl me alios saltus illicite, vbi Bipedes volucres lino linquant lumina.

19 ¶ *Pellices*, à Graeco vocabulo significantiam sapientes inflexam putant, quasi pellex, hoc est, παλλακή. quod si hoc non est, vana compositio hominis videri potest.

20 ¶ *Caluitur*, dictum est frustratur, tractum à caluis mimis, quod sint omnibus frustratui. Plaut. Casina: Nam vbi domi sola sum, sopor manus caluitur. Pacuuius Medo: Sentio, Pater, te vocis calui similitudine, Sed quid conspicio? num me lactans caluitur

Ætas? Accius Eurysace: Sed memet caluor, vos istum, vt iussi, ocyus Abstrahite. Lucil. Satyr. lib. xvij. Si non it, capito, inquit, eum & si caluitur ergo Fur dominum. Pacuuius Duloreste: Me caluitur suspicio, hoc est illud, quod fore occultè Aiax prędixit. Sallustius historiarum libro iij. Contrà ille caluiratus.

21 ¶ *Frigere*, est & *frigutire*, & *fritinnire*, subsilire cum sono, vel erigi, & excitari: quod quæcunque friguntur, vel frigent nimio calore, vel frigore, cum sono sursum subsiliunt. Plautus Casina: Nam quid friguttis: quid istuc tam cupidè cupis? Var. Virgula diuina: Et pullos peperit fritinnientis. Idem ὄνος λύρας: Sæpe totius theatri tibiis crebrò flectẽdo, commutare mentes, *frigi* animos eorum.

22 ¶ *Defloccare*, est atterere, tractum à vestibus sine flacco. Plautus Casina: Perij, flacco habebit iam illic homo lumbos meos.

23 ¶ *Depexum*, dictum est laceratum. Terent. Heaut. Næ (si viuo) adeò exornatum dabo. Adeò depexum, vsque dum viuat, meminerit semper mei.

24 ¶ *Sartores* dici non solùm à sarciendo, verùm etiam à sarriendo. Plautus Captiuis: Sartor, satórque scelerum, & messor maxume. Et in subsequentibus aperuit: Non occatorem priùs debebas dicere. Nam semper occant priùs, quàm sarriunt rustici. Varro Vinalibus, περὶ ἀφροδισίων: Etenim sic vide vtrum mercedem accipit is, qui meas venit segetes vt sarriat, an ego ab illo. Sic ego centussim sattor, si tu plus laboras, quàm ego do.

25 ¶ *Nautea*, est aqua de coriis, vel, quod est verius, aqua de sentina, dicta à nautis. Plautus Curculione: Nam omnium vnguentûm odor præ tuo nautea est. Idem Asinaria: Nauteam bibere malim, si necesse sit, quàm illam oscularier.

26 ¶ *Tricæ* sunt impedimenta, & implicationes: (& *intricare*, impedire, morari) dictæ quasi tericæ, quòd pullos gallinaceos inuoluant, & impediant capilli pedibus implicati. Plaut. Curculione: Quod argentum tu mihi quas tricas narras? Idem Epidico: Aliqua ope exsoluam, *extricabor* aliquâ, id est, ex impedimentis liberabor. Lucilius Satyr. lib. xi. Nec mihi amatore hoc opus, nec *tricone* vadato. Turpil. Demiurgo: Iudicia, liteis, turbas, tricas, conciones maxumas. Afranius Epist. Ita intricauit huius hanc rem temeritas. Varro γεροντοδιδάσκαλος: Putas eos non citius tricas Atellanas, quàm id extricaturos?

27 ¶ *Caperare*, est rugis frontem contrahere, & asperare, tractum à caprorum frontibus crispis. Plautus Epidico: Quid illud est, quod illi caperat frons seueritudine? Varro Eumenidibus: Quin mihi caperatam tuam frontem Strobile omittis?

28 ¶ *Examussim*, dicitur examinatè ad regulam, vel coagmentum. est enim *amussis* regula fabrorum, quam architecti, cùm opus probant, rubrica illinunt. Plautus Amphit. Si vera hæc loquitur, examussim est optima. Idem Milite: Inest in hoc emussitata sua sibi ingenua indoles, id est, examinata. Idem Menæchmis: Vt hanc rem vobis examussim disputem. Varro, τὸ παιδὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιΐας: Quare si diu gens est, *ad amussim*, per me licet assumas, teneo. Idem, αἰάκων: Idem Quæstionum Plaut. lib. II. *Amussis* est æquamentum leuigatum, & est apud fabros tabula quædam, qua vtuntur ad saxa coæquanda.

29 ¶ *Mutus*, onomatopœa est incertæ vocis, quasi mugitus. Nam mutus sonus est propriè, qui intellectum non habet. Næuius Lycurg. Ducite eò cum argutis linguis mutas quadrupedes. Accius Ἐπὶ ναυσὶ μάχη: Item ad mœstitiam mutam infantium quadrupedum.

30 ¶ *Dispennere*, est expandere, tractum à pennis, & volatu auium. Plautus Milite: Vbi lubet dispennite hominem diuersum, & distendite.

31 ¶ *Focula*, dicta sunt nutrimenta, vnde & *foculare* dicitur, vt fouere. Plautus Persa: At edes. nam iam intus ventris fumant focula.

32 ¶ *Bardum*, est vi præpostera, & ingenio tardum. Nam Græci βραδέας tardos dicebant. Homerus Iliados xxiij. βάρδιστοι μὲν γάρ σφιν ἔσαν καλλίτριχες ἵπποι. ἥκιστός δ' ἦν αὐτὸς ἐλαυνέμεν ἅρμ' ἐν ἀγῶνι. Plautus Persa: Nimis tandem me quidem pro barda, & pro rustica reor habitam esse abs te.

33 ¶ *Illex*, & *exlex* est, qui sine lege viuit. Plautus Persa: Impure, inhoneste, iniurie, illex, labes populi. Lucil. Satyr. ij. Non dico, vincat licet & vagus exulet, erret Exlex. Varro Σκιαμαχία, περὶ τύφου: Postremò quæro, parebis legibus an non? Anne exlex solus viues? Lucillius lib. xxx. Accipiunt leges populus, quibus legibus exlex. Cæcilius Ἀρπαζομένη: Quid narras Barbare cum indomitis moribus illiterate? illex es. Sisenna lib. iiij. Armis, equis, commeatibus nos magis iuuerunt exleges, & minus honore dignos putabitis? Marcus Tull. pro Cluentio, Non quo illi, aut exlegem vllam, aut causam pecuniæ publicæ contemptam, atque obiectam putarunt.

34 ¶ *Lurcones* dicti sunt à lurcando. Lurcare est cum auiditate cibum sumere. Lucillius Satyr. lib. ij. Nam quid Mœtino, subctóque huic opus signo, Vt lurcaretur lardum, & carnaria furtim, Parum conficeret. Pomponius Syris: Lupatium nullum vesceba-

ſcebatur, lardum lurcabat lubens. Plautus Perſa. Perenniſerue,lurco,edax,furax,fugax. Lucilius Satyrar. libr. v. Viuite lurcones,comedones,viuite ventres. Varro Eumenidibus: Contra cum pſaltria & cum Flora lurcare,adſtrepis.

35 ¶ *Toral, & Torialum*, ſtragulum eſt. Var. de vita pop. Rom. libr. I. Quod frontem lecticæ ſtruebant, ex ea herba torta torum appellatum, hoc quod iniicitur, etiamnum toral dicitur: lecticam quæ inuoluebant, ſegeſtria appellabant.

36 ¶ *Concenturiare*, eſt colligere, dictum à centuriis, quæ ad ſuffragia conueniebant. Plautus Pſeudolo: Concenturio in corde ſycophantias. Terent. Phorm. Ego in inſidiis hic ero *ſuccenturiatus*, ſi quid deficies.

37 ¶ *Finitores* dicebantur, quos nunc agrimenſores dicimus, dicti quòd fines diuiderent. Plautus Pœnul. Eius nunc regiones limites: confinia determinabo: eius rei ego ſum factus finitor.

38 ¶ *Paſſum*, eſt propriè rugoſum, vel ſiccum. Plautus Sticho: In portu vento ſecundo, velo paſſo peruenit. id eſt, laxo & rugoſo. vnde & *vua paſſa* dicta eſt, quòd ſit rugis implicata. Plautus Pœnul. Si qui de æſtu mecum futurus pro vua paſſa penſili. Lucil. Sat. libr. 9. Rugoſi *paſſique ſenes* eadem omnia quærunt.

39 ¶ *Exſpes*, dicitur ſine ſpe. Accius Euryſace: Ille orbus, exſpes liberûm. Idem Medea: Exſul, inter hoſteis exſpes, expers, deſertus, vagus.

40 ¶ *Exſules*, dicuntur extra ſolum. Virgil. Georg. libr. iij. Longéque ignotis exulat oris, & in conſequentibus: Et ſtabula adſpectans regis exceſſit auitis.

41 ¶ *Veſtiſpici*, appellabantur veſtium cuſtodes ſerui, quod frequenti diligentia veſtes inſpiciant. Plaut. Trinum. Nox datur, ducitur familia tota, veſtiſpici, vnctor, auri cuſtos. Afran. Vopiſco: Noui non inſcituram ancillulam veſpere, & veſtiſpicam. Varro Pappo, aut indigitamentis: *Naſturtium* nónne vides ab eo dici, quod naſum torqueat: *veſtiſpicam*, quòd veſtem ſpiciat.

42 ¶ *Suppilare*, eſt inuolare, vel rapere, à pilorum raptu. vnde & furtum paſſi *compilati* dicuntur. Plautus Trocul. Hæc cùm video fieri, ſuffuror, ſuppilo. de præda prædam capio. Cæcil. Nauc. Suppilatum eſſe eum, atque ornamenta omnia. Pomp. Sarcularia: Alteram apportat, prodigit, patrem ſuppilat ſemper.

43 ¶ *Hauſtra*, propriè dicuntur rotarum cadi, ab hauriendo, ſicuti Græcè ἄντλια. Lucretius libr. v. Vt fluuios verſare rotas, atque hauſtra videmus.

44 ¶ *Veterina*, animalia dicuntur omnia, quæ vehere quid poſſunt. Lucretius libr. v. Et genus omne quod eſt veterino ſemine partum. Idem: Torto homine veterino ſemine equorum.

45 ¶ *Crepera*, res propriè dicitur dubia. vnde & *crepuſculum* dicitur lex dubia, & ſenes *decrepiti* dicti in dubio vitæ conſtituti. *Creperum bellum*, anceps, & dubium. Lucret. libr. v. Exæquatáque ſunt creperi certamina belli. Accius Phœniſ. Quæ ego cuncta eſſe fluxa, in mea *re crepera* comperi. Idem Telepho: Nunc tu in re crepera tua quid capias conſilij vide. Lucil. Satyrar. libr. v. Sanute ſoli mihi in magno mœrore, triſtitia in ſumma, *crepera iuuentus* ſalutis. Pacuuius Duloreſte: Non vetet animum ægritudine in re crepera confici. Plautus Aſinaria: Qui quidem cum filio potet vnà, atque vnà amicam ductitet *decrepitus* ſenex. Varro Myſteriis: Priſca horrida ſilent *oracla, crepera* in nemoribus.

46 ¶ *Auernus*, lacus iccirco appellatus eſt, quia eſt odor eius auibus infeſtiſſimus. huius rei manifeſtator eſt Lucretius libro vj. Principio quidem *auerna* vocantur: nomen id à re impoſitum eſt: quia ſunt auibus contraria cunctis. Vnde & Virgilius lib. vj. Inde vbi venere ad fauces graue olentis Auerni, Tollunt ſe celeres. Et poſtea in eo libro: Quam ſuper haud vllæ poterant impunè volantes Tendere iter pennis, talis ſeſe halitus atris Faucibus effundens ſupera ad conuexa ferebat.

47 ¶ *Vitulantes*, veteres gaudentes dixerunt, dictum à bonæ vitæ commodo: ſicuti qui nunc eſt in ſumma lætitia, viuere eum dicimus. Næu. Lycurg. Vt in venatu vitulantes ex ſuis locis nos mittant (pœnis) decoratos feris.

48 ¶ *Extorris*, dicitur extra terram, vel extra terminos. Accius Euryſ. Nunc per terras vagus, extorris regno, exturbatus mari. Turp. Lemn. Neque durare poſſunt, ita huius inſcitia, atque dementia extorrem facit. Salluſt. Iugurthino bello: Sicuti videtis extorrem patria, domo inopem, & coopertum miſeriis effecit. Virgilius Æneidos libro iiij. Finibus extorris, complexus auulſus Iüli.

49 ¶ *Enoda*, ſignificat explana, & quæ ſit proprietas, manifeſtum eſt, hoc eſt, nodis exolue. Accius Euryſace: Tu autem quod quæro abs te, enoda, & qui ſis explica. Idem Alpheſ. Quid hi tam obſcurum dicunt eſſe, támve *inenodabile*? Enn. Telepho: Verùm quorum liberi leto dati ſunt in bello, non lubenter hæc enodari audiunt. Turp. Demetr. Ab initio vt res ſit geſta, enoda mihi. Pacuuius Peribœa: Gnato ordinem omnem vt dederit, enodat patri. Marc. Tull.

de finibus bonorum & malorum libr. v. Hæc igitur nobis explicanda ſunt, ſed ſi *enodatius*, vos ignoſcetis eius ætati. Varro de vita populi Romani libr. I. Neque vt ita in ſingulis rebus diu ius moremur, vt dixi, atque enodare ſubtilius velimus.

50 ¶ *Grumus*, dicitur agger, à congerie dictus. Accius Oenomao: Quencunque inſtiteram grumum, aut præciſum iugum.

51 ¶ *Torris*, dicitur fax, vnde & *torridare* dicimus comburere. Acc. Menal. Regina erit tempus, cùm hic torris, quem amburi vides. Idem Meleag. Eum ſuum vitæ finem, ac fati internecionem fore Meleagro, vbi torris eſſet interfectus flammeus.

52 ¶ *Exſpectorare*, eſt extra pectus eiicere. Accius Phœniſſis: Incuſant vltrò, à fortuna opibúſque omnibus Deſertum, abiectum, afflictum ex animo expectorant. Idem Epigr. Eloquere properè, ac pauorem hunc meum expectora. Cicer. de Oratore libr. iij. Tum pauor ſapientiam omnem mihi ex animo expectorat.

53 ¶ *Extiſpices*, propriè haruſpices dicti ſunt, quòd extra ſpiciant. Accius Medea: Principio extiſpicum ex prodigiis congruens ars te arguit. Varro Serr. περὶ ἀρχαιρεσιῶν: Ait conſulem mihi pilum cedere, ſubſilio, & hoſtias extiſpici diſputanti relinquo.

54 ¶ *Lactare*, eſt inducere, vel mulcere, vellere, decipere. Accius Medea: Niſi vt aſtu ingenium, linguæ laudem, & dictis lactem lenibus. Pacu. Iliona: Ne porrò te error, qui nunc lactat, maceret. Cæcilius Hypobolimæo Raſtraria: Quod proluuium, quæ voluptas, quæ te lactat largitas? Acc. Alcmæone: Tanta vt fruſtrando lactans, vanans protrahis. Varro ὄνος λύρας: Quibus ſuam delectet ipſe amaſiam, Et auiditatem ſperibus lactet ſuis. Cicero Tuſcul. libr. iiij. Maleuolentia lactans malo alieno, delectatio, iactatio, & ſimilia.

55 ¶ *Succuſſare*, eſt ſurſum frequenter excutere. Accius Philocteta: Agite, ac vulnus ne ſuccuſſet greſſus, cautè ingredimini. Lucilius Satyrarum libro quarto, *Succuſſatoris* tetri, tardíque caballi. Idem libro quarto, Campanus ſonipes *ſuccuſſor* nullus ſequetur.

56 ¶ *Strena*, dicta eſt à ſtrenuitate. Pompon. Piſtoribus: Aſſide, ſiqua ventura eſt alia ſtrena ſtrenæ.

57 ¶ *Adulatio*, eſt blandimentum propriè canum, quod & ad homines tractum conſuetudine eſt. M. Tullius libr. de natura Deorum ij. Canum verò tam fida cuſtodia, támque amans dominorum adulatio. Idem de offic. lib. I. Cauendum eſt, ne aſſentationibus patefaciamus aureis, néue adulari nos ſinamus. Lucret. Gannitu vocis adulat. Acc. Prometh. Sublime aduolens Pennata cauda, noſtrum adulat ſanguinem.

58 ¶ *Manducones*, qui & *manduci* dicti ſunt, & *mandones*, edaces. Pompon. Piſtoribus: Magnus Camillus manducus, canterius. Lucil. Atque omnes mandonum gulæ. Varro Bimargo: Magna vt tremiſcat Roma, & magnæ mandonum gulæ.

59 ¶ *Senica*, ſignificat ſenes. Pompon. Piſtoribus: Pappus hic medio habitat ſenica, non ſeſcuncia. Idem Præcone poſteriore: Sed me exercet ſenica nequam, neque illo quid faciam ſcio.

60 ¶ *Gradarius*, eſt molli gradu, & ſine ſuccuſſatura nitens. Lucil. Satyrar. libr. xiij. Ipſe equus non formoſus, gradarius, optimus, victor. Varro Modio: An qui gradu toluculi, te melius, quàm tute molliter vectus, cito relinquat?

61 *Exdorſuare*, dorſo nudare. Plaut. Aulularia: Tu Machærio congrum, murenam exdorſua quantum potes.

62 ¶ *Delirare*, eſt de recto recedere. *lira* autem eſt foſſa recta, quæ contra agros tuendos ducitur, & in quam vligo terræ decurrat. Pomponius Proſtibulo: Iámne abierunt? iámne obtundunt? iámne ego ſum in tuto ſatis? num quis hic reſiſtit, qui nondum labeas *lirarit* mihi? id eſt, confoderit. Lucil. libr. xxvj. Quapropter deliro, & cupidè officium fungor ruderum. Plaut. Amphit. Delirat vxor.

63 ¶ *Centuriatim*, dictum eſt abundanter & copioſè à centuriis, quæ ſuffragium in comitiis ferebant. Pomponius Proſtibulo: Continuò ad te centuriatim current, qui panem petent.

64 ¶ *Rumen*, dicitur locus in ventre, quo cibus ſumitur, & vnde redditur: vnde & *ruminare* dicitur. Pomponius Proſtibulo: Ego rumorem paruifacio, dum ſit rumen qui impleam.

65 ¶ *Rudus*, ſtercus, quod raditur. Lucil. Satyr. lib. xj. Viam ſtruendum, & iaciendum huc aggerent, & id genus rudus.

66 ¶ *Rutrum*, dictum eſt à radendo. Pompon. Pannuc. Sarculum hinc illò profectus, illum rediſti rutrum. Lucillius Satyrar. lib. IX. Frumentarius eſt, modium ſic ſecum atque rutullum Vnum affert. Varro Margop. περὶ ἀρχῆς: Cui Celer die nos lemnatos logos Antipatri Stoici filius rutro caput diſplanat.

67 ¶ *Nebulones & tenebriones* dicti ſunt quia mendaciis, & aſtutiis ſuis nebulam quandam, & tenebras obiiciant: aut quibus ad fugam fugitiuis, & furta hæc erant accommodata, & vtilia. Pomponius Pann. Quid

dedi

dedi nebuloni, quem pertesum pauperem? Lucillius Satyrarum libro xiiij. Publius Paulus mihi Turditanus quæstor, Hibera in terra fuit lucifugus nebulo, id genus sanè. Idem lib. xx. Nugator quidam, ac nebulo sit maximus multò. Afranius in Epistola: Huc venit fugiens tenebriorem Tyrium. Varro Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων. Si & accusator, & reus erunt tenebriones, vterque vtrunque vituperato. Quod Homerus confirmat Ἰλιάδος γ. Εὖτ' ὄρεος κορυφῇσι νότος κατέχευεν ὀμίχλην, Ποιμέσιν οὔτι φίλην, κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω. Varro γέροντο διδασκάλῳ. Manius Curius consul in capitolio cùm delectum haberet, nec citatus in tribu ciuis respondisset, vendidit tenebrionem.

68 ¶ *Trudus*, veteres à terendo, quam nos diminutiuo *trullam* dicimus, appellari voluerunt. Pomponius, Pannuceatis: Mulier vbi aspexit tam mirificè trutulatam truam. Titin. Setina: Sapientia gubernator torquet nauem, haud valentia, Cocus magnum ahenum quando feruit, paulla confutat trua.

69 ¶ *Euannetur*, dictum est ventiletur, vel moueatur à vanno, in qua legumina ventilantur. Pomponius Pannuceatis: Dixi ego illud futurum, in prima valua etiam vix hæret misera, euannetur, & mea ocyus opera, vt fiat fecero. Lucillius Satyrarum libro vij. Hunc molere, illam autem vt frumentum *vannere* cunnis. Idem libr. xi. Crissauit, vt frumentum clunibus *vannat*. Varr. de re rustica lib. I. Vt quod leuissimum est in eo, atque appellatur acus ac palea, euannatur foras extra aream.

70 ¶ *Vafrum*, est callidum, & quasi valde afrum, & vrbanum. Pomp. Præcone posteriore: Tergum varium, linguam vafram. Marcus Tullius de Republica libro iij. Non sunt in disputando vafri, non veteratores, non malitiosi. Afranius Diuortio: Qui conet noctu clanculum brusire dotem, ne remittat vafer honestè vt latites, & nos laudas diutius.

71 ¶ *Particulones*, dicti sunt cohæredes, quòd partes patrimonij sumant. Pomponius Præcone posteriore: Age modò stagari, particulones producam tibi.

72 ¶ *Clepere*, est furari, tractum à κλέπτω, verbo Græco. Accius Epigram. Eáque hac causa, vt nequis nostra auribus verba cleperet. Plautus Pseud. Rape, clepe, harpaga. Marc. Tullius de Republica libro iiij. Non modò, vt Spartæ rapere, vbi pueri & clepere discunt. Idem de natura deorum libro iiij. Agnum inter pecudes aurea clarum coma. Quendam Thyesten clepere ausum esse è regia. Pacuuius Hermiona: Sermonem hic nostrum ex occulto clepit, quantum intelligo. Var. Octogesi: Si quæ opificio non probiter clepere.

73 ¶ *Corporare*, est interficere, & quasi corpus solum sine anima relinquere. Enn. Andr. Corpus contemplatur, vnde corporaret vulnere. Accius στασιαστῆς, vel Trophæo libro primo, Corporare abs tergo es ausus.

74 ¶ *Circus*, dicitur omnis ambitus, vel gyrus, cuius diminutiuum est *circulus*. Acc. Andromeda: Quot luna circulos annuos institit.

75 ¶ *Medicinam*, dicimus & venenum, tractum à Græcis, qui venenum φάρμακον appellant. Accius Phœnissis: Sterilem esse illius opera medicinam autumans.

76 ¶ *Cernuus*, dicitur propriè inclinatus, quasi quòd terram cernat. Lucil. Satyr. libro tertio, Cernuus extemplò plantas conuestit honestas. Virgilius libro x. Eiectóque incumbit cernuus armo. Lucil. Satyrarum libro xxvij. Modò sursum, modò deorsum, tanquam collus cernui. Varro de vita populi Romani libro primo: Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibíque *cernuabant*. A quo ille versus vetus est in carmine, Sibi pastores ludos faciunt cernui Consualia.

77 ¶ *Stricturæ* dicuntur propriè scintillæ, quæ de ferro feruenti exeunt, quòd aut strictè emittantur, id est, celeriter, aut oculos sui fulgore præstringant. Virgilius libro viij. Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat. Lucillius Satyrarum lib. iij Crebræ vt scintillæ in stricturis, quod genus olim feruenti ferro.

78 ¶ *Quiritare*, est clamare, tractum ab iis, qui Quirites inuocant. Lucill. Satyr. lib. VI. Hic, inquam, rudet è rostris, atque eiulitabit, Concursans veluti arenarius, claréque quiritans. Nigid. Commento grammatices: Clamat quiritatum.

79 ¶ *Caries*, est vetustas, vel putrilago. vnde *cariceum* veteres dixerunt. Lucil. Satyr. libro VII. Ne auriculam obsidat caries, ne vermiculíque. Turp. Leucadia: Ciperi viden' vt osculatur cariem? num illum illæcpudet? Afran. Priuigno: Nemo illa viuit carie cariosior?

80 ¶ *Virosæ*, mulieres dicuntur virorum appetentes, vel luxuriosæ. Lucil. Satyr. lib. VII. Dixi ad principium venio, vetulam, atque virosam Vxorem cædam potius, quàm castrem egomet me. Afranius Diuortio: Vigilans, ac sollers, sicca, sana, sobria: Vinosa non sum: & si sum, non desunt mihi Qui vltro dent: ætas integra est, formæ satis.

81 ¶ *Caprona*, dicuntur comæ, quæ ante frontem sunt, quasi à capite pronæ. Lucillius Satyrar. libr. vij. Aptari caput, atque comas fluitare capronas Altas frontibus immissas, vt mos fuit illis.

82 ¶ *Cerebrosi*, dicuntur ad insaniam faciles, quibus frequenter cerebrum moueatur. Lucilius Satyrarum libro xv. Te primum cum istis insanum hominem & cerebrosum.

83 ¶ *Gliscit*, est congelascit, & colligitur vel crescit, vel ignescit. Turp. Phil. Cùm te salunm video, vt volui, glisc o gaudio. Acc. Æneadis: Dis umma tibi perduellum est quorum, aut quibus se à partibus gliscunt. Pacuuius Peribœa: Sed nescio quidnam est: animus horrescit, gliscit gaudium. Sallustius Historiarum libro iij. Neque iam sustineri poterat immensum aucto mari, & vento gliscente. Virg. lib. x j. Haud secus accenso gliscit violentia Turno. M. Tullius Hortensio: Ad iuuenilem libidinem copia voluptatum gliscit illa, vt ignis oleo. Plautus Asinaria: Tempus est subducere hinc me, pulcrè hoc gliscit prælium.

84 ¶ *Postomis*, dicitur ferrum, quod ad cohibendum equorum tenaciam naribus, vel morsui imponitur, Græcè ἀπὸ τοῦ στόματος. Lucillius Satyr. lib. xv. Trulleus postomis huic ingens de naribus pendet.

85 ¶ *Tricones*, morosi, & ad reddendum duri. Lucillius Satyrarum libro xv. Lucius Cotta senex Crassi pater huius Panæti Magnus trico fuit numarius, soluere nulli. *Lentus*, id est, facilis.

86 ¶ *Saga* mulieres, dicuntur fœminæ, ad libidinem virorum indagatrices. vnde & *sagaces* canes dicuntur ferarum, vel animalium quæsitores. Lucillius Satyrarum libro vij. Ætatem & faciem, vt saga, & bona conciliatrix. Turpil. Boethuntibus: Non ago hoc per sagam pretio conductam, vt vulgo solent.

87 ¶ *Lapit*, significat obdurefacit, & lapidem facit. Pacuuius, Peribœa: Lapit cor cura, ærumna corpus conficit.

88 ¶ *Munes*, apud veteres dicebantur non à largitione, quæ ignota erat, sed consentientes ad ea, quæ amici velint. Pacuu. Duloreste: Animum quæ tum largitio multis ignota erat, munificus nemo putabatur, nisi pariter volens. Lucillius libro XXVI. Munifici, comésque amicis nostris videamur viri.

89 ¶ *Petulantia*, dicta est à petendo. M. Tull. de Repub. lib. iiij. Itaque à petendo petulantia, à procando, id est, poscendo *procacitas* nominata est.

90 ¶ *Calendarum*, vocabulum proprium Varro complexus est de vita populi Romani libro primo: Itaque *calabantur*, id est, vocabantur, & ab eo Calendæ appellatæ, quod est tractum à Græcis, qui καλεῖν vocare dixerunt.

91 ¶ *Consulum*, & prætorum proprietas, quòd consulant, & præeant populis auctoritate. Var. ostenditur de vita populi Rom. lib. ij. Quòd idem dicebantur consules & *prætores*: quòd præirent populo prætores: quòd consulerent senatui consules.

92 ¶ *Procacitas*, à procando, id est poscendo, dicitur: vnde & *proci* dicti sunt matrimoniorum petitores. M. Tull. de Republ. libro iiij. A procando, id est poscendo, procacitas nominata est. Terentius Hecyra: Maligna multo, & magis *procax* facta ilico est. Li. Ægistho: Quin, quod parere vos maiestas mea *procat*, Toleratis, extemplóque illam deducitis.

93 ¶ *Ignominia*, est nominis nota. Marc. Tul. de Repub. lib. iiij. Censoris iudicium nihil ferre damnato [offerrent] nisi ruborem. Itaque vt omnis ea iudicatio versatur tantummodò in nomine, animaduersio illa ignominia dicta est. Lucill. Satyr. lib. xxix. Apollo 'st nomen, qui te antiquis non sinet Deliciis maculam, atque ignominiam imponere.

94 ¶ *Fidei* proprietatem exemplo manifestauit M. Tul. de Repub. lib. iiij. Fides enim nomen ipsum mihi videtur habere, cùm fit, quod dicitur.

65 ¶ *Portitores*, dicuntur telonarij, qui portum obsidentes omnia suscitarentur, vt ex eo vectigal accipiant. M. Tull. de Republ. lib. iiij. Nolo enim eundem populum imperatorem, & portitorem esse terrarum. Optimum autem & in priuatis familiis, & in Republica vectigal duco esse parsimoniam. Plautus Menæchmis: Portitorem domum duxit. Ita mihi necesse est eloqui, quidquid egi, atque ago. M. Tullius de officiis: Primum improbantur ii quæstus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, vt fœneratorum. Terent. Phormione: Sed epistolam ab eo allatam esse audiui modò, & ad portitorem esse delatam. Plaut. Asin. Ego pol istum portitorem priuabo portorio. Virgil. libr. vj. Portitor ille Charon. Var. Mysteriis: Æs defraudasse cauponem, bonam luto obleuisse, tum portitores æra induxere.

96 ¶ *Seditionis*, proprietas à M. Tul. manifesta est lib. de Repub. vj. Eáque dissensione ciuium, quòd seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur.

97 ¶ *Hamiotas*, piscatores, ab hamis Varro Bimargo voluit appellari: Cohortes cocorum, atque hamiatarum, aucupúmque.

98 ¶ Val-

98 ¶ *Valgum*, est propriè intortum. Nou. Militibus Pometinensibus: Valgus, veternosus, genibus magnis, talis turgidis.

99 ¶ *Vatrax & vatricosus*, pedibus vitiosis. Lucil lib. xxviij. Vt si progeniem antiquam, qua est Maximus Quinctus, Qua vatricosus, vatrax.

100 ¶ *Catax* dicitur, quem nunc *coxonem* vocant. Lucil. Satyrarum lib. 2. Hostilibus contra Pestem, perniciémq; catax, quàm & Manlius nobis.

101 ¶ *Silones*, superciliis prominentibus dicti significatione manifesta. Var. γνῶθι σεαυτόν. Nónne non vnum scribunt esse grandibus superciliis silonem quadratum, quòd Silenus hirsutis superciliis fingeretur?

102 ¶ *Bronci*, sunt producto ore, & dentibus prominentibus. Lucil. Satyr. lib. 3. Broncus nouit lanius, dente aduerso eminulo, hic est Rhinoceros.

103 ¶ *Compernes*, dicuntur longis pedib. Lucil. Satyr. lib. 3. Nunc censes καλλίπλοκαμον, καλλίσφυρον illam. Non licitum esse vterum, atque etiam inguina tãgere mammis Compernem, aut varam fuisse Amphitryonis ἄκοιτιν Alcmenam, atque alias, Ledam ipsam denique nolo Dicere, tute vide, atque dissyllabon elige quoduis, Τυρώ, ὑπαλέρειαν aliquam rem insignem habuisse Verucam, næuum pictum, dentem eminulum vnum.

104 ¶ *Vari*, dicuntur obtortis plantis. Lucil. Satyr. lib. 17. Compernem aut Varam fuisse Amphitryonis ἄκοιτιν. Nam & *varices* inde dicuntur venæ in suris inflexæ, vel obtortæ. Var. epist. ad Varron. Nam si tuam rhedam non habuissem, haberem varices.

105 ¶ *Lingulaca*, dicuntur verbosi. Var. Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων. Quare resident lingulacæ, obtrectatores cui iam nunc murmurantes dicunt: μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Plautus Casina: Lingulaca est, nam nunquam tacet.

106 ¶ *Rabula*, litigiosi, à rabie dicti. Var. Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων: Ille ales gallus, qui suscitabat Atticarum musarum scriptores, an hic quia gregem rabularum?

107 ¶ *Ebullire*, est efferuescere, dictum à bullis. Cic. Tusculan. libr. 3. Qui si virtutes ebullire volent, & sapientias, nihil aliud dicent, nisi eam vim, qua fiant vestræ voluptates, quas suprà dixi.

108 ¶ *Rapones*, à rapiendo dicti. Var. Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων. Prætor noster eripuit mihi pecuniam, de ea quæstum ad annum veniam ad nouum magistratum, cùm hic rapo vmbram quoque spei deuorasset.

109 ¶ *Strabones* sunt, quos *strabos* nunc dicimus. Var. Flextabul. περὶ ἐπαρχιῶν: Multi enim, qui limina intrarunt, integris oculis strabones sunt facti. habet quiddã enim ἑλκυστικὸν prouincialis formosula vxor. Lucil. lib. 27. Nulli me inuidere, non strabonem fieri sæpius delitiis me istorum.

110 ¶ *Exterminatum*, est extra terminos missum. Lucil. lib. 29. Non rediret ad se, atq; illam exterminaret miseram. M. Tul. de offic. libr. 3. Atque hoc omne genus pestiferum, atque impium ex hominum communitate exterminandum est.

111 ¶ *Exodium*, est finis, à Græco tractum, quasi ἔξω τῆς ὁδοῦ, id est, extra viam. Varro ἑκατόμβη, περὶ θυσιῶν. Socrates cùm in vinculis publicis esset, & iam bibisset κώνειον in exodio vitæ. Idem ἕως πότε περὶ ὡρῶν. Vitæ cursum vt cognoscere possem, & quæ seruitutis, & libertatis ab origine ad exodium adductæ. Idem ταφῇ Μενίππου, Quod cœperas modò in via narrare, vt ad exodium ducas.

112 ¶ *Putus*, dictus est à putando. Plaut. Pseudolo: Purus putus est ipsus. Varro ἑκατόμβη, περὶ θυσιῶν. Mea igitur hecatombe pura ac puta. Idem Prometheo: Chrysosandalos vocat sibi amiculam de lacte, & cetam tarentinam, quam apes Milesiæ coëgerint ex omnibus floribus libantes sine osse, & neruis, sine pelle, sine pilis, puram, putam, proceram, candidam, teneram, formosam. Nam & *rationes* ea caussa *putari* dictæ sunt, quoties ex his fraudis, aut falsi, aut mendacij, aut iniqui aliud separatur, & ipsum nanque dubitantes cum dicimus, *puto*, significamus nos in rebus incertis, & obscuris falsis opinionibus fieri ambiguos.

113 ¶ *Compedes*, non à pedibus dictæ, sed ab impedimento. Varr. Prometheo libro 1. Ego infelix non queam vim propulsare, atque inimicum Orco immittere? nequicquam sæpe æratas manus compedes conor reuellere. Idem Flextabul. περὶ ἐπαρχιῶν, Domo exeo, intro, & pedes corrigiis compedio. Idem Parmenone: Lepusculi timentes, hoc quadrangulum. Dedit Diana rete nexile, ἄρκυας, Viscum, sagenam, lineámque compedem. Idem Sesquiulysse: Quò cùm ire vellemus, obuius flare vbi corpori crinas compedes impositas video.

114 ¶ *Fulgura*, dicuntur coruscationes, à fulgore. Varro περὶ κεραυνοῦ: Cognitio enim tonitrum fulget, & tonitrum fulguris à flumine orta.

115 ¶ *Coagulum*, à coagendo, quod est colligendo. Varro: est modus matulæ, περὶ μέθης. Cui nihil iucundius quisquam bibit. Hoc ægritudinem ad medendam inuenerunt: Hoc hilaritatis dulce seminarium: Hoc continet coagulum conuiuia.

116 ¶ *Mulierosi*, dicti sunt mulierum appetentes. Afranius Vopisco: Homo mulieroso-

ſus confert me ilico aliò.

117 ¶ *Flagriones*, dicti ſunt ſerui, quod flagris ſubiecti ſunt: vt *verberones* à verberibus. Afranius Vopiſco: Tu flagrionibus priuigno: Iucũditatis plus ineſt in te mihi, quàm commercatis conquiſitè edulibus.

118 ¶ *Merenda*, dicitur cibus, qui poſt meridiem datur. Afranius Fratriis: Interim Merendam, occurro cautè, cum veni iuuat.

119 ¶ *Pedetentim*, & *pedepreſſim*, dictũ eſt cautè, quaſi lenta, & tarda itione. Mar. Tul. de officiis libr. 1. Sin minus ſenſim erit, pedetentímque faciendum. Idem Verrinis actione 2. Quæ tamen à me pedetentim, cautéque dicentur. Lucil. libr. 27. Ille contra omnia inter plures ſenſim, & pedetentim foris, ne quem lędat. Quadrigarius Annalibus: Exercitu inſtructo, pedetentim milites ducere cœpit. Cæcilius Annalibus: Ipſe cum cætera copia pedetentim ſequitur.

120 ¶ *Calces* à calcando, quod eſt, nitendo, dictæ ſunt, non à calcitrando. Nam & de omnibus pedibus, & de hominum, & vniuerſorum animantium dici poteſt. Nam ſunt calces extrema pars pedum terræ proxima. Virgil. libro 5. Ecce volans, calcémque terit iam calce Diores. Idem libro 6. Tollit ſe ad rectum quadrupedes, & calcibus auras Verberat.

121 ¶ *Subligaculum* eſt, quod pudendæ partes corporis teguntur, dictum quod ſubtus ligetur. M. Tull. de offic. libr. 1. Scænicorum quidem mos tantam habet vetere diſciplina verecundiam, vt in ſcænam ſine ſubligaculo prodeat nemo.

122 ¶ *Mediocritas* medium dici voluit Mar. Tul. de offi. libro 1. Eadem ratio eſt habenda veſtibus, in quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt. Lucil. libro 27. Paullò hoc melius, quam mediocre, hoc minus malum, vt quàm peſſimum. Terent. Andr. Et tamen omnia hæc mediocriter. Cicero Tuſc. libro 3. At hæ mihi afferentur mediocritates, quæ ſi naturales ſunt, quid opus eſt conſolatione?

123 ¶ *Modeſtiam*, à modo dictam M. Tullius auctor eſt de offic. lib. 1. Nam hanc, quam interpretamur modeſtiam, quo in verbo modus eſt.

124 ¶ *Antes*, ſunt quadraturæ, vnde & *antæ* dictæ ſunt quadræ columnæ. Virgil. Georg. libr. 2. Iam canit effœtos extremus vinitor antes.

125 ¶ *Immune* dicitur ſine officio, ſine munere. Virgil. Georg. libro 4. Immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus. Marc. Tull. Philippic. libro primo. Nam immunitates datæ?

126 ¶ *Camerum*, obtortum, vnde & *camera* tecta in curuitatem formata. Virg. Geor. libro tertio. Et cameris hirtæ ſub cornibus aures.

127 ¶ *Dirum*, eſt triſte, infeſtum, & quaſi Deorum ira immiſſum. Virgil. Georg. lib. 4. Prius, quàm Dira per incautum ſerpant contagia vulgus. Et Æneid. libro 4. Vltricéſque ſedet in limine diræ. Marc. Tull. de ſenectute: Intelligi poteſt ex his fratribus, qui in Adelphis ſunt, quanta in altero diritas, in altero comitas.

128 ¶ *Exordium*, eſt initium, vnde & veſtes *ordiri* dicitur, cum inſtituitur detexenda. Virgil. Æneid. lib. 4. Quoniam reginam ambire furentem. Audeat affatu, quæ prima exordia ſumat? Marc. Tull. Hortenſio: Perge quæſo: nec enim imperitè exorſus es. Lucillius libr. 29. Vtrum triſtis, contorto aliquo ex Pacuuiano exordio Cicer. Timæo dicit: Facillimum autem eſt in omni inquiſitione rationis exordium. Varr. ὄνος λύρας. Qui fabularum collocant exordia.

129 ¶ *Inops* dicitur ſine ope, & auxilio: Virgil. libro octauo. Res inopes Euandrus habebat. Et Georg. libro primo. Atque inopi metuens formica ſenectæ. Terent. Adelphis: Ferte miſero, atque innocenti auxilium, ſubuenite inopi. Marc. Tull. de offic. libro 2. Nimirum enim inops ille, etſi bonus eſt vir, etiam ſi referre gratiam non poteſt, habere certè poteſt.

130 ¶ *Defrudare* ſignificat fructum minuere, vel per fraudem aliquid exquirere. Terent. Phorm. Suum defrudans Genium comperſit miſer. Plautus Aſinaria: Ten' ego defrudem, cui ipſi nihil eſt in manu, Niſi quid tu porrò vxorem defrudaueris?

131 ¶ *Sudum*, dicitur quaſi ſemiudum, vt eſt aër poſt pluuias ſerenus & liquidus. Virg. 7. Arma inter nubes cœli regione ſerena, Per ſudum rutilare vident. Plautus Milite: Quàm Solis olim cum ſudum eſt ſolent. & Lucil. Nec ventorum flamina flando ſuda ſecundent.

132 ¶ *Irritare*, dictum eſt propriè prouocare tractum à canibus, qui cum prouocantur, irruunt, Lucillius Satyrarum libro primo. Irritata cane, quàm homo, quam planius dicit. Terent. Phor. Irritor. Virgil. lib. 10. Irritáque virum telis, & voce laceſſit. Salluſt. Hiſtoriarum libro 1. Tunc verò & poſci, cum ceteri eiuſdem cauſſa & ducem ſenatus rati, maximo gaudio bellum irritare. Lucillius lib. 28. Lucilli ſi in amore irritarit ſuo. Plaut. Amphitryone. Irritabis crabrones. Varro Seſquiulyſſe: Omnes irritans ventos, omneíſque procellas.

133 ¶ *Ablegare*, eſt propriè aliò mittere, dictum à legatis qui cum legationibus mittuntur, Terent. Hecyra: Aliquò mihi eſt hinc ablegandus, dum parit Philumena.

134 ¶ *Arcanum*, dicitur secretum, vel absconditum, quòd quæ in arcis sunt celata sunt; & abscondita. Virgil. Æneid. lib. 4. Solam nam præfidus ille Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus. Et Æneid. lib. 1. Longius & voluens fatorum arcana mouebo.

135 ¶ *Tormines*, genus morbi dicti quod dolore torqueant. Cicero Tuscul. lib. 2. Quã-uis idem forticulum se in torminibus, & in stranguria sua præbeat. Et 4. Itaque dicimus grauidinosos quosdam, quosdam torminosos.

136 ¶ *Monimenti*, proprietatem à monendo M. Tul. exprimendam putauit, ad Cæsarem epistola 2. Sed ergo quæ monimenti ratio sit, nomine ipso admoneor, ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam. Virgilius libro sexto: Quem candida Dido Esse sui dederat monimentum, & pignus amoris.

137 ¶ *Riuales*, dicti sunt quasi in vnum [*riuum*] amorem deriuantes. Terentius Eunucho: Miles Thraso Phædriæ riualis.

138 ¶ *Gestire*, significat lætum esse, dictum à gesticulis facilioribus. Teren. Eunuc. Chærea quid est quod sic gestis aut quid hic sibi vestitus quærit; Virg. Georg. libro 1. Et studio incassum videas gestire lauandi.

139 ¶ *Inuolare*, est irruere, insilire, aut à volatu, aut à vola, id est media manu dictum. Ter. Eunu. Vt ego vnguibus facile illi in oculos inuolem venefico. Lucil. lib. xxx. Inde canino ritu, oculi'que inuolem.

140 ¶ *Propinare*, à Græco tractum est, προπίνειν post potum tradere. Ter. Eunucho: hunc vobis comedendum, & bibendum, & deridendum propino. Ennius Satyrarum libro tertio. Enni poeta salue, qui mortalibus Versus propinas flammeos medullitus.

141 ¶ *Insulsum*, propriè fatuum; quasi sine sale. M. T. ad Cæsarem iuniorem epistola 2. Sed ita locutus insulse est, vt mirum Senatus conuitium exceperit. & de Oratore lib. 2. Vt nihil aliud eorũ, quàm ipsa *insulsitas* rideatur.

142 ¶ *Ignauum*, & segne, torpidum, effeminatum, & sine igni. Virgil. Georg. libro 4. Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent. Et Georg. lib. 4. En age segneis rumpe moras. M. Tull. ad Cæsarem iuniorem lib. 2. In quo tua me prouocauit oratio, mea consecuta est segnis. Et de senectute: Quæ vitia sunt, non senectutis, sed certè ignauiæ, & somniculosæ senectutis.

143 ¶ *Calamitosum*, dicitur malis, & calamitatibus prægrauatum. M. Tul. Verrinarum diuinatione: Et honoris amplissimi puto esse, & accusare improbos, & miseros, calamitosósque defendere.

144 ¶ *Serium*, triste, & quasi sine risu. M. Afranius Priuigno; Non ego te noui tristem, Afranius Priuigno: Non ego te noui tristem; seruum serium? Plautus Amphitryone: Nunc quidem Præter nos nemo est, dic mihi verum seriò.

145 ¶ *Interpolare*, est immittere, & interponere, & nouam formam è vetere fingere. M. Tul. Verr. actione 2. Aliquid demendo, mutando, interpolando. & est tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligenter vetera quæque quasi in nouam specem mutant. Plautus Amphitryone: Illic homo me interpolabit, meũque os finget denuo.

146 ¶ *Euerriculum*, genus est retis piscatorij, à verrendo dictum, vel quod trahatur, vel quod si quid fuerit piscium nactum euerrat. Ad hoc M. Tull. Verrinarum libr. VI. de signis: Quod vnquam, Iudices, huiuscemodi euerriculum vlla in prouincia fuit?

147 ¶ *Diuaricari*, dictum est distendi, dictum ab his, qui vitio naturæ ita sunt pedib. discretis, vt eos in diuersum habeant separatos. M. T. de signis: Sopatrum hominem summo magistratu præditum, deuaricari ac deligari iubet.

148 ¶ *Vacillare*, est trepidare, vel cum lassitudine niti, à sensibus, qui sint æuo defessi, atque ad sustinendam lassitudinem baculo tarditatem leuent. M. Tul. Philip. lib. 3. In Galliam mutilatum ducit exercitum cum vna legione, & ea vacillante.

149 ¶ *Præstringere*, dictum est valde stringere, & claudere. Plaut. Milite glorioso: Præstringat oculorum aciem in acie hostibus. Lucil. lib. xxx. Præstringátque oculorum aciem splendore micanti. M. Tull. de senectute: Voluptas rationi inimica est, mentis (vt ita dicam) præstringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium. Varro Andabatis: Non mirum si cæcutis, aurum enim Non minus perstringit oculos, quàm τὸ σοῦ κράτος. Cic. de fato, & de finibus bonorum & malorum libr. 2. Aciem animorum nostrorum virtutis splẽdore præstringitis.

150 ¶ *Angina*, genus morbi eo quòd angat, & Græcè συνάγχη appellatur. Lucillius lib. xxx. Insperato abiit, quem vna angina abstulit hora.

151 ¶ *Arquatus*, morbus dictus qui regius dicitur, quod arquus sit concolor de virore, vel quod ita stringat corpora, vt in arcum ducat. Lucillius, Nos esse arquatos, surgamus, eamus, agamus. Varro Eumenidibus: Nam vt arquaris, & veternosis, quæ lutea non sunt, æquè vt lutea videntur, sic insanis sani, & furiosis videntur esse insani.

152 ¶ *Priuum*, est proprium vniuscuiusque vnde & res priuata. Lucil. lib. xxx. Culciculæ accedunt priuę centonibus binis. Idem: Abdomina Tunni priua dabo.

153 ¶ *Nugator*, nugis turbator. Lucill. libr

xxx. Quàm me hoc tempore nugator cognoſcere non vis.

154 ¶ *Foramina*, quaſi diminutiuè à foribus dicta. Cic. Tuſcal. lib. I. Nam nunc quidem, quanquam foramina illa, quæ patent ad animos à corpore, callidiſſimo artificio natura fabricata eſt.

155 ¶ *Diſcerniculum*, acus, quæ capillos mulierum ante frontem diuidit, dictum à diſcernendo. Lucillius libr. xxx. Euphocamo digitis, diſcerniculúmque capillo.

156 ¶ *Fratrum*, proprietatem Nigidius acutiſſimè dixit: Frater eſt, inquit, dictus quaſi ferè alter.

157 ¶ *Supplantare*, dictum eſt quaſi pedem ſupponere. Lucil. lib. xxix. Supplantare aiunt, Græci ὑποσκελίζειν dicunt. M. Tul. de offic. libr. 3. Contendere debet, quàm maximè poteſt, vt vincat, ſupplantare eum, qui cum certet: at manu pellere nullo modo debet.

158 ¶ *Coniungere*, copulare, dictum eſt à iugo. Lucillius libr. xxix. Qui mihi quantum eſt inter humanum genus rerum, quod inter ſe coniungat, communicat.

159 ¶ *Feneſtra*, à Græco vocabulo conuerſum eſt in Latinum, ἀπὸ τοῦ φαίνειν. Cicero Tuſc. libr. I. Non eas parteis, quæ quaſi feneſtræ ſunt animi.

160 ¶ *Emungi*, ex manifeſta ſignificatione manat. Lucil. lib. xxix. In mellis ſpem eſſe omnem quouis poſſem emungi volo. Terent. Phormione: Emunxi argento ſenem.

161 ¶ *Agglomerare*, eſt implicare, coniungere, dictum eſt à glomere. Virg. Æneid. lib. 2. Et lateri agglomerant noſtro.

162 ¶ *Collare*, eſt vinculi genus, quo collum adſtringitur. Lucil. lib. xxix. Cum manicis, catulo, collatíq; vt fugitiuum Deportem.

163 ¶ *Depilati*, dictum rarefacti. Lucil. 29. Nato quid actum eſt, depilati omnes ſumus.

164 ¶ *Excuriari*, curia excludi. Varr. ὑποποσύνῃ. Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat.

165 ¶ *Penſum*, ſignificat exæquatum, quòd ſine inclinatione ſunt, quæ penduntur. Lucil. libr. 28. Nihil parui ac penſi, vti littera doceas lutum.

166 ¶ *Aqua* intercus, hydropum morbus, quaſi aqua inter cutem. Lucillius lib. 28. Aquam te in animo habere intercutem. Mar. Tull. de offic. lib. 3. Si quis medicamentum cuipiam dederit, ad aquam intercutem.

167 ¶ *Maltas*, veteres molles appellari voluerunt à Græco, quaſi μαλακούς. Lucil. lib. 27. Inſanum vocant, quem maltam, ac feminam dici videt.

168 ¶ *Monogrammi*, dicti ſunt homines macie pertenues, ac decolores: tractum à pictura, quæ priùs, quàm coloribus corporatur, vmbra fingitur. Lucillius libr. 2. Vix viuo homini, ac monogrammo. Et 27. Quæ pietas? monogrammi quinque adducti pietatem vocant.

169 ¶ *Portorium*, dicitur merces, quæ portitoribus datur. Lucil. libr. 27. Facit idem quod illi, qui inſcriptum è portu exportant clanculum, ne portorium dent.

170 ¶ *Impertire*, eſt participare, & partem dare. Lucil. libr. 27. Quibus poteſt impertit. Nouius Decuma: Si ignotis impertit, fleuit faciliùs. Mar. Tul. de Repub. lib. v. Quod moleſtis ſenectutis ſuæ veſtris familiis impertire poſſet. Et ad Hircium libr. v. Et quoniam, vt hoc tempus eſt, nihil habeo patriæ quod impertiam.

171 ¶ *Sedulò*, ſignificat ſine dolo. Lucil. libr. 27. Salutem fictis verſibus Lucillius, quibus poteſt, impertit, totúmque hoc ſtudioſè & ſedulò. M. Tul. de finibus bonorum & malorum 3. Sedulò, inquam, faciam, ſed fortuna fortis: quare conare quæſo.

172 ¶ *Scripturarios*, quos nunc tabularios dicimus, dici volunt veteres, quòd ſcripturis, & commentariis omnia, vel vrbium, vel prouinciarum complecterentur. Lucillius lib. 26. Publicarum rerum aſſuefiam, vt ſcripturarius.

173 ¶ *Verſipelles*, dicti ſunt quolibet genere ſe commutantes. Lucil. libr. 26. At Libertinus Tricorius Syrus ipſe ad maſtigias, quicum verſipellis fio, & quicum commuto omnia. Plaut. Amphitr. Verſipellem ſe facit, quando lubet.

174 ¶ *Combibones*, compotores, à combibendo dicti. Lucillius lib. 26. Quandoquidem reperi magnis combibonum ex copiis.

175 ¶ *Capital*, dictum eſt capitis periculum. Plaut. Menęchm. Nunquam hercule effugiet, tametſi capital fecerit. Lucillius lib. 26. Facilè deridemur, ſcimus capital eſſe iraſcier.

176 ¶ *Clandeſtino*, eſt abſconditè. Lucil. libr. 26. At enim dicis clandeſtinò tibi quod commiſſum foret, neu mutires, neu myſteria ecferres foras.

177 ¶ *Idiotas*, à Græco tractum ἰδιώτας, inutiles, quaſi ſibi tantùm non plurimis vtiles. Lucillius libr. 26. Quidni & tu idem illiteratum me, atque idiotam diceres?

178 ¶ *Exſpirare*, dictum eſt, vel ab ſpiritu effuſo, vel à ſpiraminibus. Lucil. libro tertio: Exſpirans animam pulmonibus ęger agebat. Idem libro 26. Vt ſi illuuiem facere per ventrem velis curare omnibus diſtento corpore expiret vis.

179 *Eliminare*, extra limen eiicere. Pacuuius Duloreſte: Vbi illic eſt? me miſeram quónam clam vos eliminat? Pompon. Cantabit. Iſtic manet. eliminabo extra ædis coniugem. Ennius Medea exſule: Antiqua, herilis fida cuſtos corporis.

Quid

Quid sic extra ædgis examinata eliminor? Accius Meleagro: Tum vt eliminor clamore, simulac nota vox ad aures accidit.

180 ¶ *Incoxare*, in coxam sidere. Pomponius Pannuceatis: Neque interim cacandi causa vnquam incoxaui nates.

181 ¶ *Condepsere*, commiscere, à Græco tractum δέψω. Homerus Odysseæ μ. κηρὸν δεψήσας μελιηδέα. Pomponius Nuptiis: Partem insipui, conclusi, condepsui.

182 ¶ *Vituperare*, dictum est vitio dare tanquam culpæ, vel displicentiæ. Terent. Andria: Nunc quam rem vitio dent quæso animaduertite. Et in sequentibus: Id isti vituperant factum. Lectum est autem & vitium dare, hoc est, vnicuique rei culpam ampliare. sed hoc incertæ auctoritatis scriptoribus inuenitur.

183 ¶ *Ordiri*, est ponere, incipere. Accius Amph. Non paruam rem ordibor, ne retice, obsecro. Afranius Suspecta: Tamen animo ordiri me oportet paulla paullulum.

184 ¶ *Pilare*, dictum est, vt *plumare*, pilis vestiri. Afranius Compitalibus: Præterea corpus meum nunc pilare primum cœpit. Nouius Exodio: Pati dum poterunt antè, quàm pugnæ pilant.

185 ¶ *Populare*, significat populi amorem conciliare. vnde *populares* dicti de vno populo amici. Pacuuius Chryse: Atque, vt promeruit pater, mihi patriam populauit meam. Teren. Phorm. Amicus summus meus, & popularis Geta.

186 ¶ *Rabere*, dictum est à rabie. Varro, Idem Attij quod Titij. Quid est? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi? Cæcilius Hypobolimæo, Rastraria: Rabere se ait.

187 ¶ *Supersedere*, manere, perseuerare, quasi in voluntate, & consilio sidere. Turpil. Pedio: Vt ille hac sese abstineret, ego supersederem nuptiis. Plaut. Epidico: Supersede istis rebus: item tu ipse vbi lubet finem face. Sisenna histor. libr. 4. De virtute eorum accusanda proloqui supersederunt.

188 ¶ *Tintinnire*, dicitur sonare, vnde & *tintinnabula* sunt appellata. Afr. Vopisco: Tintinnire ianitoris impedimenta audio. Nigidius lib. 18. Itaque ex ære in saliaribus Altanus tintinnat: id est, sonat.

189 ¶ *Verminari*, positum torqueri à verminibus, quod facilè se torqueant. Pomponius hirnea, Pappi decimus mensis est, cum factum est: ita fit: ita semper solet: decumo mense demum turgens verminatur, parturit.

190 ¶ *Canatim*, *suatim*, *bouatim*, canum, & suum, & boum genere. Nigidius commento grammatico: sunt etiam assimilanter dicta hæc, canatim, suatim, bouatim, quæ ab animalibus sumuntur.

191 ¶ *Cossim*, dictum quasi coxim. Pomp. Porcaria: Sciunt hoc omnes: quantum est, qui cossim cacat.

192 ¶ *Infabrè*, fœdè, vt est *affabrè*, pulcrè. Pacu. Nyptris: Barbaricam pestem nauibus nostris obtulit Noua figura factam, commissam infabrè.

193 ¶ *Sepiunt*, significat tenent, impediūt, dictum à sepibus, quæ obiectæ iter claudunt: vnde & *circumseptum* dicitur. Afranius Materteris: Perij, lacrymæ linguam sepiunt.

194 ¶ *Stigmatias*, veteres punctos in notis dici voluerunt. M. Tull. de offic. lib. 2. O miserum, qui fideliorem, & barbarum, & stigmatiam putaret.

195 ¶ *Reserare*, aperire, à sera dictum, qua remota valuæ patefiunt. Marc. Tull. de offic. libro secundo: Nec ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, vt pateat omnibus. Virgilius libro octauo. Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes.

196 ¶ *Abundare*, supra modum aliquid esse. Virgilius libro quarto: Ergo apibus fœtis idem, atque examine multo Primus abundare. tractum ex amnibus, qui quoties augentur imbribus maioribus, & crebris vndis eriguntur. Virgil. Georgic. libro primo: Præsertim incertis si mensibus amnis abundans Exit.

197 ¶ *Tergiuersari*, fallere, & dicta mutare, & est quasi tergum vertere, vt ait Plaut. Amphit. Versipellem se facit, quando lubet. Marc. Tull. de offic. lib. 3. Tribus generibus, quomodo possunt, non incallidè tergiuersantur. Varro: Itaque illa tergiuersari non desinent, secúmque rapient.

198 ¶ *Prudentiam*, à prouidendo dictam, dilucidè ostendit Marc. Tullius Hortensio: Id enim est sapienis prouidere, ex quo sapientia est appellata prudentia. Idem de senectute: Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cùm tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorúmque prudentia. Et de republic. libro sexto: Totam igitur exspectas prudentiam huius rectoris, quæ ipsum nomen hoc nacta est, ex prouidendo.

199 ¶ *Appendix*, dicitur quod alij est adiunctum, quasi ex alio pendeat. Marc. Tull. Hortensio: Vidit enim quod videndum fuit, appendicem animi esse corpus, nihilque esse in eo magnum.

200 ¶ *Conuiuij* proprietatem M. Tul. de senectute demonstrat: Bene enim maiores accubationem epularem amicorum, quia vitę coniunctionem haberet, conuiuium nominauerunt.

201 ¶ *Occationem*, ab obcæcatis seminibus, qua id efficitur, dici M. Tul. voluit de se-

nectute: Sparsum semen, cohibet primum id obcæcatum: ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est.

202 ¶ *Coagmenta*, dictæ sunt coniunctiones arctæ, & compares, à cogendo, id est, stringendo: vnde & *coagulum* dicitur. Marc. Tullius de senectute: Viuendi est finis optimus, cum integra mente, certísque censibus opus ipsa suum eadem, quæ coagmentauit, natura dissoluit.

203 ¶ *Vernaliter*, pro adulatoriè, à vernis, quibus hæc viuendi ars est. Cæcilius Venatore: Credo, nimis tandem hoc fit vernaliter.

204 ¶ *Pecuniosorum & locupletum* proprietatem aperuit M. Tul. de repub. lib. 2. à pecore *pecuniosos*, & à possessionibus locorum *locupletes* appellatos esse asserens, multáque ditione ouium, & boum. quòd nunc erat res in pecore, & locorum possessionibus, ex quo pecuniosi & locupletes vocabantur.

205 ¶ *Viritim*, dictum est separatim, & per singulos viros. M. Tul. de repub. lib. 2. Ac primus agros, quos bello Romulus ceperat, diuisit viritim ciuibus. Plaut. Aulul. aliter, sub hac tamen significantia, diuidere argenti dixit nummos in viros. Varro de vita populi Rom. lib. 1. Extra vrbem in regiones 26. agros viritim liberis attribuit.

206 ¶ *Vernas*, veteres appellabant, qui vere sacro fuerant nati: & habebatur nomen hoc pro vitabili, & maledicto. Plaut. Amph. Hic, qui verna natus est, quæritur. Lucil. Verna acer cupit hæc. Plaut. Amph. Cum cruciatu tuo istæc hodie verna verba funditas.

207 ¶ *Concinnare*, est facere, vt Plautus Amph. Lacrymantem ex habitu concinnas tu tuam vxorem. Sed proprietas verbi hæc est, quòd apud veteres *cinnius* potionis genus ex multis liquoribus confectum dici solet. ¶ Rectè autem concinnare & consentire intelligi potest, & quasi concinere, vt multis diuersè canentibus vnus efficitur modus. Plaut. Asinar. Auceps, quando concinnauit aream, effundit cibum. M. Tul. de finibus bonorum & malorum. lib. 4. Cum iis, cum quibus re concinnabatur, verbis discrepare. Idem Academicis lib. 2. Quæ cum similitudine verbi concinnare maximè sibi videretur.

208 ¶ *Paupertas*, dicta est à pecunia parua. Varro de vita pop. Rom lib. 1. Pecunia quę erat parua, ab ea paupertas dicta, cuius paupertatis magnum testimonium est.

209 ¶ *Pandere*, Varro existimat ea causa dici, quòd, qui ope indigerent, & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur. Pandere ergo quasi panem dare, quòd nunquam fanum talibus clauderetur. Idem de vita pop. Rom. lib. 1. Hanc deam melius putat esse Cererem, sed quod in asylum, qui confugissent, panis daretur, esse nomen fictum, à pane dando pandere, hoc est aperire.

210 ¶ *Blatis & blateras* confingit, aut inconditè, & inaniter loqueris. Plaut. Amphit. Quî, malum, intelligere, quisquam potis est, ita nugas blatis. Idem Aulul. Vbi tu es, quæ *deblaterasti* iam vicinis omnibus?

211 ¶ *Percontari*, diligenter inquirere. Plaut. Amph. Quî istuc in mente est tibi, ex me, mi vir, percontarier? Et est proprietas verbi ab eo tracta, quòd vada in fluminib. contis exquirunt.

212 ¶ *Prodigia*, dicta sunt porrò adigenda. Plaut. Amph. Sed mulier, Postquam experrecta es, prodigiali Ioui aut mola falsa hodie, aut thure comprecatam oportuit.

213 ¶ *Ceriti & laruati*, malè sani, aut Cereris ira, aut laruarum incursatione animo vexati. Plaut. Amphit. Laruatus ædepol hominem miserum medicum quæritat. Idem qui suprà: Quasi aduueniente morbo medicari iuuenem, tu certè aut laruatus es, aut ceritus.

214 ¶ *Calcitrones*, qui infestant calcibus. Plaut. Asinar. Clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem. Varro Sesquiulyss. Itaque tum equum mordacem calcitronem horridum miles, ac vir non vitabat.

215 ¶ *Votitum*, veteres religione aliqua prohibitum vel interdictum dici voluerunt. Plaut. Asinar. Nolo illam habere caussam, & votitam dicere.

216 ¶ *Verberare*, non solùm à verberibus dictum, sed & à verbis. Plaut Aulul. Nam cur me miseram verberas?

217 ¶ *Cassum*, veteres inane posuerunt, & arbitrandum est eius verbi proprietatem magis ab aranearum cassibus dictam, quòd sint leuis, ac nullius ponderis; non, vt quibusdam videtur, quasi quassum. Plaut. Aul. Virginem habeo grandem, dote cassam, atq; illocabilem.

218 ¶ *Crocitum*, propriam coruorum vocem veteres voluerunt. Plaut. Aul. Simul radebat pedibus terram, & voce crocibat sua.

219 ¶ *Subleuit*, significat illusit, & pro ridiculo habuit, tractum à genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur. Plaut. Aul. Fidei censebam maximam multò fidem Esse, ea subleuit os mihi penissumè.

220 ¶ *Inuestes*, dicuntur impuberes, quibus propter teneram ætatem nulla pars corporis pilat. Hoc & Æneid. li. 5. videtur sensisse Virg. Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis. Sed meliꝰ intelligi potest inuestes appellatos, quasi in *Vesta*, id est, in pudicitia, & in castitate.

221 ¶ *Inferum*, ab imo dictum, vnde *inferi*, quibus inferius nihil. vnde inferum rectè potest dici, quicquid desuper mittatur. Var. Marcipore: Nubes aquali frigido velo leues, Cœli cauernas aureas subduxerant, Aquam vomentes inferam mortalibus.

222 ¶ *Syrus*, à Græco magis tractum est

ἀπὸ τῶ σύρειν. Has nos scopas, rustici eo nomine vros vocant. Var. Marcipore: Ventíque frigido se ab axe eruperant Phrenetici septentrionum filij, Secum ferentes tegulas, ramos, syros.

223 ¶ *Euirare*, dicitur virilitatem amittere, & effeminari. Var. Marcipore: Spatulae euirauit omnes Veneriuaga pueros.

224 ¶ *Ludibria*, proprietatem trahunt à leui ac sine pondere, & contemnendo: aut, quod magis verum est à ludicro. Virgil. lib. VI. Foliis tantum ne nomina manda, Nec turba volent rapidis ludibria ventis.

225 ¶ *Febris*, proprietatem habet à feritate morbi, vel mali, vt à calendo *calorem*, vel *candorem*. Var. Andabatis: Aperiendam putat, ídque alterum appellamus à calendo *calorem*, alterum à feruore *febrim*.

226 ¶ *Vulpinari*, dictum est fraudibus, & mendaciis vera peruertere, vel effingere, dictum ab inrecto, seu intorto vulpium cursu. Var. Mysteriis: Vulpinare modò & concursa quâlibet, erras.

227 ¶ *Sufflatum*, dicitur propriè tumidum & rectum, & quasi vento quodam elatius factum. Var. Agathone: Neque auro, aut genere, aut multiplici scientia, Sufflatus quærit Socratis vestigia.

228 ¶ *Vespertilio*, animal volucre biforme, dictum quòd vespere se ad volatum præparat noctis. Var. Agathone: Quid multa? factus sum vespertilio, neque in muribus planè, neque in volucribus sum.

229 ¶ *Exporrectum*, extentum: *porrectum* est enim tentum, id est porrò iactum. Var. Eudæmion. Quæ res in somnum recideris, & ἀλλ' οὐδέποτε, eris iterum exporrectus.

230 ¶ *Iugatum*, coniunctum, à iugo dictum. Cic. Tusculanarum lib. 3. Hoc quidem est commune virtutum. omnes enim inter se iugatæ sunt.

231 ¶ *Prodius*, dictum est interius longius, à prodeundo, quasi porrò eundo. Var. Virg. diuina: Primum venit in vrbem, atque intra muros, deinde accedit prodius, atque introit domum, id est, intra priuatos muros.

232 ¶ *Granaria*, loca in horreis seruandis seminum granis. Var. γεροντοδιδάσκαλος: Vel decem Mensis, vbi vna sepiant granaria.

233 ¶ *Torculum*, quod vsu torcular dicitur, quod intortum latitem vitis, vel oleae exprimat. Var. γεροντοδιδάσκαλος: Vineis ibi ampla cella torculum reponant.

234 ¶ *Cingulum*, à cingendo, quod *incingulum* plerumque dicitur. Var. γεροντοδιδάσκαλος: Nouus maritus taciturus taximusos is soluebat cingulum.

235 ¶ *Silicernium*, pessimè intelligentes, ita posuisse Terent. putant, quòd incuruitate silices cernat senex. *silicernium* est propriè conuiuium funebre, quod senibus exhibetur. Var. Meleagris: Funus exequiati laude ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus. Idem περὶ μέθης. Non quo pransi discedentes dicimus alius alij, vale.

236 ¶ *Suffundatum*, dictum est subiectum, dictum à fundamentis. Var. ταφῇ Μενίππου: vt antiqui nostri in domibus lateritiis paullulum modò lapidibus suffundatis, vt humorem effugerent, habitabant.

237 ¶ *Edones*, & *phagones* ab edacitate, vnum Latinum, alterum Græcum. Varro, ταφῇ Μενίππου, ἢ ἀπαιτητής: Edones Romam vt turba, intendat annona: sed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum nisi volantem non video.

238 ¶ *Elixum*, quicquid ex aqua mollitur, vel decoquitur. nam *lixam* aquam veteres esse dixerunt. vnde & *lixæ* dicti. qui militibus aquam ad castra, vel ad tentoria solent ferre. Var. ταφῇ Μενίππου: In pauimento non audes facere lacunam: at in humu calceos facis elixos.

239 ¶ *Parochos*, à Græco tractum est nomen, quòd vehiculo præbeat. hoc schemate enim Græcè; Latinè vehicula appellantur: & est officij genus, quod administrantibus paret. Var. Sesquiulysse: Hic enim omnia erat: idem sacerdos, prætor, *parochos*, denique idem senatus, idem populi caput.

240 ¶ *Trossuli*, dicti sunt torosuli. Var. Sesquiulysse: Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgò Attico talento equum.

241 ¶ *Proboscis*, Græcum nomen est, dictum, quòd antè depascat; & est porrecta corporis pars inhærens naribus, quæ excepto homine in aliis animalibus inuenitur. Var. Sexagesi: Inuenisse se, cùm dormire cepisset tam glaber, quàm Socrates, caluum esse factum ericium è pilis albis cum proboscide.

242 ¶ *Tutanus*, deus à tutando. Varro ἡρακλῆς: Tuam fidem, Noctu Annibalis cùm fugaui exercitum, Tutanus, hoc Tutanus Romæ nuncupor. Hac propter omnes, qui laborant, inuocant.

243 ¶ *Tutillina*, dea est à tuendo dicta. Varro ἡρακλῆς: Tuam fieri non Turilinam, quam ego ipse inuoco, quòd meæ aures abs te obsidentur.

244 ¶ *Cetarij*, genus est piscatorum, quòd maiores pisces capit, dictum ab eo, quòd cete in mari maiora sunt piscium genera: quod Virg. Immania cete. Var. γνῶθι σεαυτόν. Non animaduertis cetarios, cùm videre volunt in mari thunnos, adscendere in malum altè, vt penitus per aquam perspiciant pisces?

245 ¶ *Tonimus*, positum sonamus cum modo, à tono. Var. Eumenidibus. Tibi tympana non inani sonitu matris deum tonimus.

246 ¶ *Tibinos*, à tibiis modos. Var. Eu-

menidibus: Apage in directum à domo nostra istam insanitatem.

247 ¶ *Præsepia*, non tantùm, quibus aut cantheria, aut iumenta cætera, aut vetera animalia pabulantur, sed & omnia loca clausa, & tuta, dicta præsepia. Virg. Ænead. lib. 1. aut agmine facto Ignauum fucos pecus à praesepibus arcent. Var. ὄνος λύρας; Si quis Melodinis tonos lyras præsentibus se retineat forensibus.

248 ¶ *Subrigere*, significat sursum erigere, quo verbo rustici vtuntur, cùm tritæ fruges ad ventilandum in areis eriguntur. Virg. Ænea. lib. 3. Tot linguæ, totidem ora sonant, tot surrigit aureis.

249 ¶ *Lingulaca*, locuteleię, à procacitate linguę, & loquendi proprietatē trahunt. Plaut. Casina: Lingulaca est, nam nunquam tacet.

250 ¶ *Fures*, significantiam habent à *furuo*, quod Romani veteres atrum appellauerunt: eò quòd per obscuras atque atras noctes oportuna sit eius mali affectio, eos dictos fures. Var. rerum diuinarum lib. 14. Furem ex eo dictum, quod *furuum*, atrum appellauerint: & fures per obscuras noctes, atque atras faciliùs furentur. Homerus: κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω.

251 ¶ *Ventorum* proprietates & vocabulorum significationes in tractatibus nobilium philosophorum quæsitas, has apertissimas potuimus inuenire. ¶ *Eurum* dictum ἀπὸ τῆς ἕω ῥέοντα, quòd flatus eius ab oriente sit hyemali. ¶ *Austrum*, qui Græcè νότος, dictum ab humore & nebula, quod νοτὶς Græcè, humor Latina interpretatione dicatur, ac sit is ventus sudoris effector, vt est Homer. κατὰ δὲ νότιος ῥέεν ἱδρώς. ¶ *Circium* à turbine, ac vertigine. ¶ *Borream*, hoc est, aquilonem ἀπὸ τῆς βοῆς, quòd sonorus sit & procellosus. Homer. Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων. in alio loco: οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάᾳ ποτὶ χέρσον. Πόντοθεν ὀρνύμενον πνοιῇ βορέω ἀλεγεινῇ.

252 ¶ *Pietatem*, docti veteres hanc esse voluerūt, quòd quae in ea sunt, quasi penitus & in penetralibus recondantur. hoc & in antiquis libris, & philosophorum tractatibus inuenitur.

253 ¶ *Lauum*, significari veteres putant, quasi à leuando. Virg. quoque sub hac ostensione posuisse voluerunt, Georg. lib. 4. si quem Numina læua sinunt, audítque vocatus Apollo. Ennius Annalium lib. 3. Olim de cœlo læuum dedit inclytus signum.

254 ¶ *Rudentes*, ea caussa sapientissimi dictos volunt, quòd funes, cùm vento verberentur, rudere existimentur, atque hunc sonum proprium funium, non asinorum putāt.

255 ¶ *Infesti* proprietatem hanc esse Nig. voluit, quasi nimium festinantis ad scelus, vel ad fraudem.

256 ¶ *Maturare*, non vti consuetudo est, properare dicendum est, sed cum modo studium adhibere festinum: à maturitate dictum, quæ ratione naturæ modificatione quadam, nec præcipitatur, nec præcox quid fiat, neque differtur, ne senio dissoluatur. Virgil. Georg. 4. Frigidus agricolam si quando continet imber, Multa forent, quæ mox cœlo properanda sereno Maturare datur.

257 ¶ *Lictoris* proprietatem à ligando dictam vetustas putat. ita enim carnificis officium antiquitus fungebatur. Marc. Tull. pro Rabirio: Lictor, inquit, colliga manus.

258 ¶ *Sororis* appellationem veteres eleganti interpretatione posuerunt: itaque maximi iuris scriptores exprimendam putauerunt. Antist. Labeo: Soror, inquit, appellata est, quòd quasi seorsum nascitur, separatúrque ab ea domo, in qua nata est.

259 ¶ *Lues*, à rebus soluendis proposita. Licin. Macer. Annalib. lib. 2. Nequaquam sui lauandi reluant arma lue.

260 ¶ *Humanitatem* non solùm, vti nunc consuetudine persuasum est, de beneuolentia dexteritatéque & comitate veteres dicendum putauere, & quam Græci φιλανθρωπίαν vocant: sed honestorum studiorum & artium appetitum, quod nulli animantium generi, præterquam hominibus concessa sit. Var. Rerum humanarum libr. 1. Praxiteles, qui propter artificium egregium, nemini est paullum modò humaniori ignotus.

261 ¶ *Ador*, frumenti genus, quod epulis, & immolationibus sacris pium putatur. vnde & *adorare*, propitiare religiones, potest dictum videri. Var. de re rustica lib. 1. In loco humidiore *far adoreum* potius serunt, quàm triticum. Virg. lib. 7. Et adorea liba per herbam subiiciunt epulis.

262 ¶ *Faciem* totius corporis formam, πρόσωπον, id est, os posuit antiquitas prudens, vt ab aspectu *species*, & à fingendo *figura*: ita à factura corporis *facies*. Plaut. Pœnulo: Sed earum nutrix qua sit facie mihi expedi: Statura non magna, corpore aquilo ipsa est. Pacuuius Nyptris: Ætate integra, Feroci ingenio, facie procera virum. Sallust. Historiar. libr. 2. Sardinia in Africo mari facie vestigii humani [prominet] in occidentem, quàm in orientem latior.

263 ¶ *Vestibula*, quidam putant sub ea proprietate distincta, quod in primis ingressibus, & in spatiis domorum *Veste*, hoc est aræ, ac foci soleant haberi. Sed siue sic intelligi debeant, non abhorret à vocabuli proprio. ¶ Inuenitur etiam apud veteres doctos vestibula ob eam significantiam dicta, quòd in his locis, ad salutandos dominos domorum qui icunque venissent, stare soleant, cùm introeundi daretur copia: atque ob hanc cognitionem,

gnitionem, & quasi stabulationem primos ingressus domorum vestibula nominatos. Cicero Oratore: Vestibula nimirum honesta, aditúsque ad causam faciet illustres.

264 ¶ *Bidentes*, qui æstimant ob eam causam oues à Virgil. dictas, quòd duos dentes habeant, pessimè ac vitiosè intelligunt. Nam nec duos dentes habent, & hoc quidem & genus monstri est, & meliùs intelligi potest, si biennis dixerit auctoritate Pompon. Attellana: Mars tibi voueo facturum, si vnquam redierit, videnti verre. Lab. Paupert. Visus hac nocte bidentes propter viam facere. Et Nig. Figulus dicit *bidental* vocari, quòd bimæ pecudes immolentur.

265 ¶ *Iugeri*, proprietatem Varro designat de re rustica libr. 1. Apud nos in agro Rom. ac Latino metiuntur iugeris, iugũ vocant, quod iuncti boues vno die exarare possunt.

266 ¶ *Fenus*, ab eo dictum est, quòd pecuniam pariat increscenti tempore, quasi fetus, aut fetura. Nam & Græcè τόκος dicitur ἀπὸ τοῦ τίκτειν, quod est parere. Varro libr. iij. de Latino serm. Fenus autem dictum à fetu, & quasi fetura quadam pecuniæ. Nam & Catonem, & cæteros antiquiores sine o litera fenus pronuntiasse contendit, vt fetus, & fecunditas.

267 ¶ *Receptitium*, seruum quidam ab ea proprietate dictum volunt, vt si nequam, & nihili sit, qui venundatus ob aliquod vitium aut malefactum ab aliquo districtiore recipiatur. Sed vera est hæc eius nominis interpretatio, quem in data dote, aut donatione quis exceperit, quod est propriè receperit. Plautus Trinummo: Posticulum hoc recepit, cùm ædes vendidit. Cato: Mulier & magnam dotem dat, & magnam pecuniam retinet. ex ea igitur re familiari, ex qua sibi dote data retinuit pecuniam, à viro forte irata repetere instituit. Apponit ei flagitatorem receptitium hoc est, proprium seruum, quos reliqua pecunia receperat, nec dederat dotis, & exceperat. Cicero de Oratore libr. 2. Sed dicis te cùm ædeis venderes, ne in rutis quidem & cœlis solum tibi paternum recepisse.

268 ¶ *Siticines*, vt *liticines* à lituo: vt *tubicines* à tuba, ita *siticines*, qui apud funeratos [vel vita functos] & sepultos, hoc est, iam sitos canere soliti erant, honoris caussa, cantus lamentabiles. hoc in libris Coniectaneis Attei Capitonis inuenitur, & Cato id vocabulum indubitanter apposuit.

269 ¶ *Iumentum*, à iungendo veteres dictum putant, g litera in eo nomine attrita. Nam & vectabulum dicunt, quod nunc vehiculum dicitur.

270 ¶ *Arcera*, plaustrum est rusticum tectum vndique quasi arca. Hoc vocabulum & apud Varronem, & M. Tullium inuenitur. Hoc autem vehiculi genere senes, & ægroti vectarij solent. Varro γεροντοδιδασκάλῳ: Vehebatur cum ; vxore vehiculo semel aut bis anno cum arcera: si non vellet, non sterneret.

271 ¶ *Tropæi* significantiã propriam Var. Bimargo ostendit: Ideo fuga hostium Græcè vocatur τροπή. hinc spolia capta, fixa in stipitibus appellantur tropœa.

272 ¶ *Luxum*, id est, vulsum, & loco motum, quod nunc *luxari* ignari Latinè dicimus. Inde *luxuria*, quia à recta viuendi via sit exclusa, & eiecta.

273 ¶ *Culinam* veteres coquinam dixerunt, non vt nunc vulgus putat. Varro Modio: At hoc interest inter Epicurum, & ganeones nostros, quibus modulus est vitę colina. Plau. Mustellaria: Exi è colina, sis, foras, mastigia, Qui mihi inter patinas exhibes argutias. Varro de vita populi Romani libro primo: Quâ finis it, antica, & postica. in postica parte erat *culina*, dicta ab eo, quòd ibi colebant ignem: locupletiorum domus quàm fuerint angustiis paupertinis coactæ, ipsa nomina declarant.

274 ¶ *Modestum*, à modico, hoc est, moderato positum. Varro Modio: Non eos optumè vixisse, qui diutissimè vixerint, sed qui modestissimè, id est, modicè.

275 ¶ *Infans*, à non fando dictus est. Cic. de Oratore: Nam & infantes actionis sæpe fructum tulerunt. Et est, quod aut dici non debeat, aut fari non possit. Nam & infantes vsque eò appellandi sunt, donec cœperint fari. Curius libr. xix. Vt pueri infantes faciunt mulierculam honestam. & xv. Vt pueri infantes credunt signa omnia aëna Viuere, & esse homines. Virgil. Æneid. libr. secundo. Infandum regina iubes renouare dolorem. Varro ὄνος λύρας: Voces Amphionem tragœdum, iubeas Amphionis agere partes infantiorem, quàm meus est mulio. Acc. Athemante: Prius quàm infans esses, facinus oculi vescuntur tui. Varr. Eumenid. Postremo nemo ægrotus quicquam somniat Tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus. Cicero de Oratore libr. iij. Modo hoc constet, neque infantiam eius, qui rem nouerit: sed eam explicare dicendo non queat: neque scientiam illius, cui res non suppetit, ac verba non desint, esse laudandam.

276 ¶ *Sarcinatricis*, non (vt quidam volunt) sarcitricis, quasi à sarciendo: sed magis à sarcinis, quod plurimum vestium sumant. Varro ὄνος λύρας: Homines rusticos in vindemia incondita cantare, sarcinatricis in machinis.

277 ¶ *Petauristæ* à veteribus dicebantur, qui saltibus, vel schœnis leuioribus mouerentur: & hæc proprietas à Græca nomina-

tione descendit, ἀπὸ τοῦ πετᾶσθαι. Varro epist. ad Cæsarem: Conuocat Ptolemæum cinædon, Laconikon petauristem, Diona αὐτοπιστήν. Idem de vita populi Romani libro ij. Nec minus alio in genere sunt ludi velitis Galli, Germani petauristæ.

273 ¶ *Curiam*, à cura dictam. Varro designat, de vita populi libro secundo. Itaque propter curam locus quoque, quo suam quisque Senator confert, curiam appellat.

279 ¶ *Legionem*, proprietatem à delectu militum Varro de vita populi Romani libro iij. dictam interpretatur: Tum appellatus est delectus, & ab electione legio, ab hac superuacaneorum consuetudine adscribuntur.

280 ¶ *Assus*, nutrices difficilis multi existimant intellectus. At verò acri intentione potuimus indagare ob eam proprietatem officij eo nomine nuncupari, quòd assint iis, quos nutriant, nec vel exiguo diuellantur. vnde *asseclas* ab eo, quòd assint, & omnibus iussis dominorum præstò sint, esse vocitatos.

281 ¶ *Enixa*, dicuntur feminæ nitendi, hoc est, conandi, & dolendi labore perfunctæ, nixis quæ religionum genera parientibus præsunt: sed elegantior intellectus, vt ex hoc dictę esse credantur enixæ, quod vinculis quibusdam periculi, quibus implicarentur, fuerint exsolutæ. *Nexum* enim dicimus arctum & colligatum. Plaut. Amphit. id probat dicens: Vno vt labore exsolueret ærumnas duas.

282 ¶ *Remulcare*, dictum est quasi molli & leni tractu ad progressum mulcere. Sisenna Histor. lib. iij. Si quæ celeriter solui poterat. in altum remulcare trahit.

283 ¶ *Congenulare*, est genu replicato cadere. Sisenna Historiarum lib. iiij. Multi plagis aduersis [icti] & congenulati, Romanis præcipitatis ipsis supra voluit in caput.

284 ¶ *Agilem*, celerem ab agendo. Sisenna Hist. li. i.j Agilem dari facilémque victoriam, neque fossas, aut bellum remoratum.

285 ¶ *Expediti & impediti*, ex vna proprietate habent vocabuli caussam, aut ex solutis pedibus, aut illigatis. Sisen. Hist. lib. iiij. Inermos amant, impeditos expediti sine vllo suorum vulnere cunctos interficiunt.

286 ¶ *Testudines*, sunt loca in ædificiis camerata ad similitudinem aquatilium testudinum, quæ duris tergoribus sunt, & incuruis. Virgil. Æneid. lib. 1. in foribus Diuæ media testudine templi. Sisen. Histor. lib. iij. C. Titinnius quidam, cui minus proprietas metus ab natura tradita videretur, primò ante testudinem constitit: deinde apud consulem caussam, atque excusationem præferre cœpit.

267 ¶ *Insinuari*, est immitti, quasi sinu accipi. Sisen. Hist. lib. iiij. Agmen perturbatum pedites insinuant, ac loco commouent.

288 ¶ *Adolere*, verbum propriè sacra reddentium, quod significat votis, ac supplicationibus numen auctius facere, vt est in iisdem, macte esto & intelligi debet ab eo, quod est *adoleuit*, id est, creuit, & *adultum*, quod est auctum, & aucta ætate, vt aliqua caussa maius solito factum, ducere proprietatem. Virgil. Æneid. lib. 1. Cura penum struere, & flammis adolere Penates. Idem lib. vij. Adolétque altaria tedis. Et in Bucolicis: Verbenásque adole pingues, & mascula thura. quod est, adde, cumula. Et Georg. lib. iiij. Panchæis adolescunt ignibus aræ.

289 ¶ *Accensi*, genus militiæ est administrantibus proximum. Var. Rhetoricorum lib. xx. Vt consules, ac prætores, qui sequuntur in castra, accensi dicti, quòd ad necessarias res sæpius accianter, veluti accensiti.

290 ¶ *Nefarij*, proprietatem lib. 1. de vita populi Romani Var. patefecit, à farre, quod adoreum est, quo scelerati vti non debeant, non triticum, sed far: hoc quoque idem adsignificat, quòd qui indigni sunt qui viuant, nefarij vocantur.

291 ¶ *Adoreum*, quoque dictum ab eo putat, quòd cibi ora, id est, principium sit far.

292 ¶ *Propitium*, dicitur prorsus pium; aut propriè pium, vt apud Terentium Adelph. Quàm ea quę parentes propitij: aut certè porrò pium, quod est vehementer, & valde. Apud eundem in prologo Andriæ: Dehinc vt quiescant porrò moneo, vt desinant Maledicere, malefacta ne noscant sua.

293 ¶ *Impancrare*, est inuadere, verbũ à Græco tractum, quasi πάγκρεας consumere. Var. Ecclesiam in regiam arcam impancrarunt.

294 ¶ *Mansuetum*, dictum est, quasi manu assuetum, quod omnia quæ sunt natura fera, manuum permulsione mitescant. Vnde Virgilius Georgic. lib iij. Et plausæ sonitum ceruicis amare. Et Æneid. lib. vij. Ille manum patiens. Quoniam supra dixerat: Pectebátque ferum, puróque in fonte lauabat.

295 ¶ *Cinnus*, est commistio plurimorum; vnde & *concinnare* dicitur. Cicero Oratore: Est autem quidam interiectus inter hos medius, & quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec flumine vtens superiorum, vt cinnus amborum neutro excellens, vtriusque particeps, vel vtriusque, si verum quærimus potius expers.

296 ¶ *Enucleate*, dicitur purgatè, exquisitè, & sine asperitate, aut duritia, ab eo quòd nucibus separatis, id est, testis, nucleorum vtilis vsus habeatur. Cicero Oratore: Modò id eleganter, enucleatéque faciat, eum solum Atticè dicere. Idem Tusc. lib. iiij. Habes eam, quæ de perturbationibus enucleatè disputat.

297 ¶ *Rotundum*, à rota dictum, vel rota à rotun-

rotundo. & est rotundum collectum, & per omnem circuitum sine offensione asperi, aut anguli leue: quam significantiam Cic. Oratore, etiam ad humani ingenij transtulit formam: Theodectes autem præfractior, nec satis (vt ita dicam) rotundus, primus instituit dilatare verbis.

298 ¶ *Rabula*, à rabie dictus est, quem nunc aduocatum, vel causarum patronum dicimus. Cic. Oratore: Non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum, & perfectissimum quærimus. Inde & Sallust. canina (vt ait Appius) facundia exercebatur.

299 ¶ *Meridies*, manifestè medius dies. Cic. Oratore: Ipsum meridiem, cur non medidiem?

300 ¶ *Inepti* proprietatem. Cic. de Oratore lib. ij. patefecit: Quem enim nos ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod non sit aptus.

301 ¶ *Diuersoria*, dicta sunt hospitia à diuertendo. Cic. de Oratore lib. ij. Quiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo opportuno diuersorio.

302 ¶ *Sanniones* dicuntur à sanniis, qui sunt in dictis fatui, & in motibus, & in scænis, quos μωροὺς, vocant Græci. Ter. Eunucho: Solus Sannio seruat domi. Cicero de Oratore lib. ij. Quid porrò tam ridiculum, quàm Sannio est? qui ore, vultu imitandis moribus voce, denique corpore ridetur ipso.

303 ¶ *Hæredij* proprietatem indicat Varro de re rustica lib. 1. Bina iugera, quòd à Romulo primùm diuisa dicebantur viritim, quæ quòd hæredem sequerentur, hæredium appellarunt.

304 ¶ *Legumina*, Varro de re rustica lib. j. dicta existimat, non quòd secentur, sed quod vellantur à terra, quæ quòd ita leguntur legumina dicta.

305 ¶ *Porcæ*, in agris quam dicamus significantiam Varro designat de re rustica. lib. j. Quà ararum vomere lacunam istriam fecit, *sulcus* vocatur: quod inter duos sulcos elata terra dicitur *porca*, quòd ea seges frumentum porrigit. Accius Parergorum lib. j. Bene proscissas cossigerare ordine porcas, bidenti ferro, tectas deruere. Porcæ sunt signa sulcorum, quæ vltra se iaci semina prohibeant: *porcere* enim prohibere sæpius legimus.

306 ¶ *Occationis* proprietas his indiciis aperitur. Varro de re rustica lib. 1. Et postea occare, id est comminuere ne sit gleba, quod ita occidunt occare dicunt. Serenus: Occatio occæcatio est.

307 ¶ *Pomorum* à Varrone proprietas explanata est de re rust. lib. 1. Aquam addi quotidie vesperi, à quo quòd indigent potu, poma dicta esse possunt.

308 ¶ *Fraccessere*, tanquam friari, & putrefieri vetustate. Var. de re rust. lib. 1. Hæc, de qua fit oleum, congeri solet aceruatim per dies singulos in tabularia, vti ibi mediocriter fraccescat.

309 ¶ *Lixarum* proprietas hæc est, quod officium sustineant militibus aquæ vehendæ, *lixam* nanque aquam veteres vocauerunt. Vnde *elixum* dicimus aqua coctum. *Lix* etiam cinis dicitur, vel humor cineri mistus. Nam etiam nunc id genus *lixiuium* vocatur. Varro de vita populi Romani, lib. 1. Proinde & elixum panem ex farre, & aqua frigida fingebant.

310 ¶ *Calonum* quoque proprietas hæc habetur, quod ligna militibus subministrent. κᾶλα enim Græci ligna dicunt, vt Homerus, πολλά τε ξύλ' ἐπίθειο.

311 ¶ *Confluges*, loca in quæ riui diuersi confluant. Liuius Andromeda: Confluges vbi conuentum campum totum inhumigant.

312 ¶ *Consedo*, à consedendo, vt *assedo*, vel *assessor*. C. Hemina Annal. lib. iiij. Nemo vicinus consedo.

313 ¶ *Conticinium*, noctis primum tempus, quo omnia quiescendi gratia conticescunt. Auctores multi sunt miti, sed auctoritate deficiunt.

314 ¶ *Delibratum*, decorticatum; vt *deartuatum* per artus discissum. Vir. Georg. lib. ij. Ydóque docent inolescere libro.

315 ¶ *Exterebrare*, est vi aliquid extorquere, & scrutari, aut curiosius quærere. Plautus Astraba: Cum incuriosum locaretur, terebratum quidem pertundis.

316 ¶ *Grumæ*, sunt loca media, in quæ directæ quatuor congregantur, & conueniunt viæ. ¶ Est autem gruma mensura quædam qua flexæ viæ ad lineam diriguntur, vt est agrimensorum, & talium. Ennius lib. xviij. Grumam dirigere dixit, *degrumari ferrum*. Lucillius lib. iij. Viámque Vis degrumari, vt castris mensor facit olim.

317 ¶ *Luculentum*, pulchrum, & bonum, & perspicuum, dictum à luce. Licinius Macer Annal. lib. j. Auspicia pulchra, & luculenta commemorat. Plaut. Cornicu. Pulcrum & luculentum hodie euenit prælium.

318 ¶ *Logi*, à Græco λόγοι sermones, vel dicta ridicula, & contemnenda. Cicero pro Gallio: Ego te certè scio omnes logos, qui ludis dicti sunt, animaduertisse. Turpil. Canephoro: Testamentum ergo celabis, logi.

319 ¶ *Fulguratoris*, vt *extispicis*, & *haruspicis*, ita hi fulgurum inspectores. Cato de moribus Claudij Neronis: Haruspicem fulguratorem si quis adducat.

[library stamp]

320 ¶ *Moletrina* à molendo, quòd pistrinum dicimus: vt *seratrina*, vt *fetutina*. Cato in Thermum. Neruo, carcere, moletrina.

321 ¶ *Panis*, proprietatem à pascendo putant veteres existimandam. Varro de vita populi Romani lib. I. Pastillos, & panes, hæc vocabula pastus, quod esset pascere, dicebant.

322 ¶ *Mustulentum*, & vinolentum, vt feculentum. Plaut. Cistella. Nam ita mustulentus æstus nares attigit, Vt sit odor musti, aut musto oblitus ac madens.

323. ¶ *Conuitium* dictum est, quasi è vitiis locum, qui secundum ignobilitatem loci maledictis, & dictis turpibus cauilletur.

324 ¶ *Prolubium*, est patêre amicitiam & fidem. Accius Andromeda: Muliebre ingeniũ, prolubium, occasio. Nouius Colace: Et volo, & vereor, & facere in prolubio est. Laberius Compitalibus: Quò quid si me à matronali pudore prolubium meretricis progredi coegit? Varro de lingua Latina lib. V. Prolubiem, & prolubidinem dici ab eo quod lubeat. Vnde etiam lucus Veneri Lubentinæ dicatur.

325 ¶ *Pedato*, positum pro repetitu, vel accessu quasi per pedem, sicuti nunc vulgò dicitur tertio pedato. Cato Originum lib. I. Igitur tertio pedato bellum nobis facere. Idem, Dissuasione de fœneratione. Tertio autem pedato, item ex fœnore discordia excrescebat.

326 ¶ *Præclauium*, pars vestis, quæ ante clauum texitur. Afranius Homine: Tertium diem præclauium vnum texere. Idem Fratriis: Mea nutrix surge, si vis, profer purpuram, Præclauium, contextus.

327 ¶ *Propages*, est series, & affixio continua, vel longè ducta. *pages* enim compactio, vnde *compages*, & *propagare*, id est, genus iugelongè mittere. Pacuuius Antiopa: Saluete gemini mea propages sanguinis. Ennius Nonis: Vnde florent fructus, vitæque propaginem.

328 ¶ *Prægradat*, prægreditur, anteuenit, dictum à gradu, Pacu. Atalanta: Extremum intra canterem ipsum prægradat Parthenopæum.

329. ¶ *Promicare*, extendere, & porrò iacere. Vnde *emicare*. Næuius: Siquidem loqui vis, non perdocere, multa longè promicanda oratio est.

330 ¶ *Præuius*, dictus est antecedens. Cicero: Alcion genuit claris delapsus ab astris. Præuius auroræ Solis, noctísque satelles.

331 ¶ *Digladiari*, dictum est dissentire, & dissidere dictum à gladiis. Cicero Academicorum lib. I. Quid autem stomachatur Musarcus? quid Antipater digladietur cum Carneade tot voluminibus? Idem iij. Digladiari autem semper & depugnare cum facinorosis, & audacibus, quis non cùm miserrimum, tum etiam stultissimum dixerit?

332 ¶ *Æquor*, ab æquo, & plano. Cicero Academicorum lib. II. vocabulum accepisse confirmat. Quid tam planum videtur, quàm mare? ex quo etiam æquor illud poëtæ vocant. Lucret. lib. III. Voluitur, & plani raptim petit æquora campi.

333 ¶ *Meniana* ab inuentore eorum Menio dicta sunt. Vnde & *columna Meniana*. Cicero Academicorum lib. IIII. Interim ille cùm æstuaret, veterum vt Menianorum, sic Academicorum viam secutus est.

334. ¶ *Natrices*, dicuntur angues natantes. Cicero Academicorum lib. IIII. Sic enim vultis, tantam vim natricum, viperarúmque fecerit? Lucillius Satyrarum lib. II. Natibus natricem impressit crassam, & capitatam.

335 ¶ *Exsultare*, dictum est exsilire. Cicero Academicorum lib. III. Et vt nos nunc sedemus ad Lucrinum, pisciculósque exsultantes videmus. Virg. Æneid. lib. III. Exsultántque vada, atque æstu miscentur arenæ.

336. ¶ *Excordes*, *concordésque*, ex corde significantiam ducunt. Cic. Tusc. lib. I. Aut vnde magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordésque dicuntur.

337 ¶ *Manum* dicitur clarum: vnde etiam *manè* post tenebras noctis diei pars prima: inde *Matuta*, quę Græcè λευκόθεα. Nam inde volunt etiam *Deos Manes* appellari, id est bonos, ac prosperos, quòd melior mors sapientioribus, quàm vita probetur. Cic. Tusc. li. I. Quid Ino Cadmi filia? nónne λευκόθεα nominata à Græcis, Matuta habetur à nostris? Inde *immanes* non boni, vt sæpe.

338 ¶ *Fodicare*, est fodere, à fodiendo dictum. Cicero Tusc. lib. III. Non est enim in nostra potestate, fodicantibus iis rebus, quas malas opinemur, dissimulatio, vel obliuio.

339 ¶ *Politiones*, agrorum cultus diligentes, vt polita omnia dicimus exculta, & ad nitorem deducta. Ennius Satyrarum libro III. Testes sunt lati campi, quos gerit Africa terra politos. Idem Annalium libro VIII. Rastros dente fabres capsit caussa poliendi Agri. Varro: Quid mirum [si] ex agris depolitionibus eiiciuntur, hîc in cœnaculo polito recipiuntur.

340 ¶ *Præficæ*, dicebantur apud veteres, quæ adhiberi solent funeri mercede conductæ, vt & flérent fortia facta laudarent, Plaut. Friuolá. Superabóque omnes argutando præficas. Idem Trucu. Argutũ ciuem mihi habeam pro præfica. Quæ alios collaudat, ea se verò

re vero non potest. Lucillius xxij. Mercede quæ Conductæ flent alieno in funere præficæ. Multo ; & capillos scindunt, & clamant magis. Varro de vita pop. Rom. Deinde næniam cantari solitam ad tibias & fides, eorúmque ludistricas cursitassent. Hæc mulier vocitata olim præfica vsque ad Punicum bellum.

341 ¶ *Parectati*, hi, qui de pueritia veniunt ad pubertatem, à Græco vocabulum sumptum. Lucilius lib. viij. Inde parectato chlamydes, ac barbula prima. Idem lib. xx. Tum ephebum quendam, quem vocant parectaton. Varro de compositione Satyrarum: Parectatæ adsunt, muliérque mulier Venus caput.

342 ¶ *Proletarij*, dicti sunt plebei, qui nihil reipubl. exhibeant, sed tantum prolem sufficiant. Cato de tribunis militum: Expedito pauperem plebeium, atque proletarium. Cassius Hemina Annalib. lib. ij. Tunc Marcus præco primum proletarios armauit. Varro de vita populi Rom. lib. I. Quibus erant pecuniæ satis locupletes, assiduos, contrarios, proletarios. Idem: Assiduo neminem, vindecim voluerunt locupleti.

343 ¶ *Prosapies*, generis longitudo: dicta à prosupando, aut proferendo. Cato originum lib. j. Veteres prosapias, & multa alia apud multos.

344 ¶ *Optiones*, in cohortibus, qui sunt honesti gradus, vt optatos, quod est electos: & *adoptatos*, quod adscitos. Var. de vita populi Rom. lib. iij. existimat appellatos. Referentibus centurionibus adoptati, in cohortes subibant, vt semper plenæ essent legiones: à quo optiones in turmis decurionum, & in cohortibus centurionum appellati.

NONIVS MARCELLVS DE HONESTIS ET NOVE VETERVM DICTIS PER LITERAS.

CAPVT I.

APVD iuxta. Sisen. Historiarum libro iiij. Dum pristinum vitium apud ignem per sudorem corpore exhauserunt. M. Tul. de offi. Cuius focum mirari solitus Cato, apud quem ille sedens Sannitum quondam hostium, iam clientium suorum munera repudiauerat. Et de Orat. lib. ij. Cùm etiam tum in lecto Crassus esset, & apud eum Sulpitius sederet.

2 ¶ *Apisci*, inuenire. Sisenna Hist. lib. iiij. Itaque postero deligato signium redeuntis apiscitur.

3 ¶ *Abstemius*, qui vino abstinet. Apul. In te fuisti quondam Athenis parcus, atque abstemius. In lib. Ludicrorum. Abstemius est imò scit quo rete leporem tenebat, lupum non tenere. Lucil. Satyr. lib. vj. Thaunomeno inquit, vaiua sororem Lanificam dici siccam, atque abstemiā vbi audit. Varro de vita pop. Rom. lib. j. Quantopere abstemias mulieres voluerint Esse, vel ex vno exemplo potest viderier.

4 ¶ *Adipatum*, veteres honestè pro pingui & succulento & opimo posuerunt. Cicero de Orat. Adsciuerūt suis artibus opimum quoddam, & tanquam adipatæ dictionis genus.

5 ¶ *Adhamare*, obligare, ab hamo tractum. Cicero Academic. libr. ij. Qui enim seriùs honores *adhamauerunt*, vix admittuntur ad eos, nec satis commendati multitudini possunt esse.

6 ¶ *Adstipulari*: positum est pro assentiri. Cic. Academic. lib. iiij. Falsum esse Stoici dicunt & eorum adstipulator Antiochus.

7 ¶ *Addictum*, est quasi deuotum, vel obnoxium. Cicero Tusc. lib. ij. Qui certis quibusdam, destinatísque sententiis quasi addicti, & consecrati sunt.

8 ¶ *Aquilex*, aquam colligens. Varro Quinquatribus: An hoc præstat hero filius Diogenis, quòd ille è ventre aquam mittit? an hoc te iactas? at hoc pacto vtilior te Tuscus aquilex.

9 ¶ *Æquimentum*, positum est non æquamentum, quasi parem vicem; sed *merces pro eo quod dicitur admissum*. Var. Sexage. An si equam emisses quadrupedem, vt meo asino Reatino admitteres, quantum poposcissem, dedisses æquimenti?

10 ¶ *Ærificium*, dictum, quod fit ex ære, Varro γνῶθι σεαυτόν: Nihil sum Musæ positis, quasi ærificiæ dixi.

11 ¶ *Apludas*, frumenti furfures dicunt rustici veteres. hoc in antiquis inuenitur, quorum in dubio est auctoritas: quanquam & Plaut. in Astraba fabula ita dixerit; cuius incertum est, an sit eius comœdia: atque ideo versus eosdem ponere supersedimus.

12 ¶ *Adulterionem*, pro adultero. Laberius in primo, quem si quis legere voluerit, ibi inueniet; & fidem nostram sua diligentia adiuuabit.

13 ¶*Anticipare*, posuerunt veteres præuenire, hoc est antè capere. Varro Bimargopoli: Sensistis dicite labdea : & viuos contemnite viui. Anticipate, atque addite calcar, stultos contemnite docti.

14 ¶*Aurigatur*, honestè positum pro moderatur, ac regit. Varro Modio. Ad se vnum esse pulmentarium secundas, quo natura aurigatur, non necessitudo.

15 ¶*Architectari, componere*. Cicero de Finibus bonorum & malorum libro 2. Cur tandem sapientia tantopere laudatur? An quòd ita callida est, vt optimè possit architectari voluptates.

16 ¶ *Aiat*, quod est dicat. Cic. de finibus bonorum & malorum. Et Marcus: Quasi ego id curem, quòd ille aiat, aut neget.

17 ¶ *Anellus*. M. Tul. de finibus bonorum & malorum lib. 5. Nec tamen Epicurum licet obliuisci, si cupiam : cuius imaginem non solùm in tabulis nostrî familiares, sed etiam in poculis, & in anellis habebant.

18 ¶ *Amatio*, Plautus Rudente: Nimis penè inepta, atque odiosa eius amatio est.

19 ¶ *Adesum*, consumptum. Sisenna Histor. lib. 3. Iisdem temporibus Æsernini duplici fossa, vallóque circundati, frumento adeso, quod ex arcis in oppidum portatum est.

20 ¶*Attendere*, pro intendere, cogitare. Cic. Orat. Nihílne vobis in mentem venit, quod præterea à Crasso requiratis? Idem Hercules ipsum, inquit, attendo.

21 ¶*Accommodat*, adiungit, applicat. Cicero de Orat. lib. 2. Africano illi superiori coronam sibi in conuiuio ad caput accommodanti. Virg. Æneid. lib. 2. Lateríque Argiuum accommodat ensem.

22 ¶*Autumnitas*, pro autumno. Var. Serrano : περὶ ἀρχαιρεσιῶν : Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem : quod autumnitas inani terra ordo mensem prætérierat. Idem Quinquatribus : Cape hanc caducam Liberi molem, dependefrendem Bromij autumnitatis. vbi olim neutro. Varro Ephemeride: Naualia Etesiç diutius, & vberius flauerant, & autumnum ventosum fuerat.

23 ¶*Aritudinem*, pro ariditate. Varro Prometheo lib. j. Humanam quandam gentem stirpis, inquit frigus, calore, atque humore aritudinem miscet.

24 ¶ *Aboriatur*, pro aboriat. Varro pro Callio, vel Fundanio de admirandis rebus: Vinum quod ibi natum sit in quodam loco si prægnans biberit, fieri vt aboriatur.

25 ¶*Adolescentiaris*, pro luxuriaris, Varro, Ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ ἀδιαφόρως : Tum quidem vt faciat censeo, quoniam tu quoque adhuc adolescentiaris.

26 ¶*Ancillantur*, pro seruiunt. Tritinnius Prælia: Verum enim dotibus deliniti, vltrò etiam vxoribus ancillantur. Accius Meleagro: Quam innita ancillans, dicto obediens viri.

27 ¶ *Absonum*, sine sono. Cicero Oratore: Sed sunt quidam, aut ita lingua hæsitantes, aut ita voce absoni.

28 ¶ *Algu*, pro algore. Accius Andromeda : Misera abualla saxo, senio, pædore, algúque, & fame. Varro, ἔχω σέ, ὦ περὶ τύχης : Leges ruina ne iacentem subdealbet algu danti frigore. Lucillius. Nam tam algu, atque nigrore maius. Lucretius lib. iij. Morbis, algóque, faméque.

29 ¶ *Ætatem*, positum pro sæpe, ac diu. Plaut. Asin. Adeo vt ætatem ambo ambobus nobis sint obnoxij. Idem eadem : Ætatem velim seruire, Libanum vt conueniam modo.

30 ¶ *Altile*, non solùm pingue ab alendo, verùm etiam opulentum. Plautus Cistellaria: Prohibet diuitiis maximis, dote altili, atque opima.

31 ¶*Assulatim*, vt minutatim. Plaut. Captiuis: Priusquam pulsando assulatim foribus exitium dabo. Næuius Pullis escam : Hic iure inops paullò da adsimile, simul assulatim vis aias, sumit cibum. Plaut. Menæch. Nisi dedolabo assulatim viscera.

32 ¶*Anxitudo*. Accius Eurysace: Persuasit mœror, anxitudo, error, dolor. Idem Armorum iudicio: Vbi cura est, ibi anxitudo: acerba ibi cuncta consiliorum ratio, & fortunæ. Sic M. Tul. de repub. lib. ij. Quartáque anxitudo prona ad luctum, & mœrens, sempérque ipsa se solicitans. Pacuuius Hermiona: Tristitia, atque animi intoleranda anxitudine.

33 ¶ *Albitudinem*, pro albore. Plaut. Trinummo : Vbi habitet & item alterum ad istanc capitis albitudinem.

34 ¶ *Adhæsum*, à cohærendo dixit Lucret. lib. iij Nam neque pulueris interdum sentimus adhæsum. Item lib. iiij. Tenue locis, quia non potis est affigere adhæsum.

35 ¶ *Amolimini*, est recedite, vel tollite. Terent. Andria : Proinde hinc vos amolimini, Nam mihi impedimēto estis. Pacuuius Hermio. Non tute hinc è conspectu amolire? Idem Antiopa : Nónne hinc vos properè stabulis amolimini? Sisenna Histor. lib. iiij. Impedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur.

36 ¶*Acrimonia*, est animi viuacitas. Neuius Lycurgo : Ne ille mei feri ingenij, atque animi acrem acrimoniam. Accius Neoptolemo: Vim, ferociam, animum, atrocitatem, iram, acrimoniam.

37 ¶ *Abiugat*, separat, alienat. Pacuuius Medo: Quę res te ab stabulis abiugat, certum est loqui.

38 ¶*Angustitatem*. Accius Oenomao: Saxum id facit angustitatem, & sub eo sacro exuberans

berans scatebra fluuia eradit rupem. Augustitatem dictum pro angustia. Accius Alphesibœa. Sed angustitatem inclusam, ac saxis squalidam.

39 ¶ *Adsestrix*, femininum est ab eo, quod est assessor. Afranius Fratriis: Dimtttit adsestricem, me ad sese vocat.

40 ¶ *Atri*, dies dicuntur, quos nunc nefastos, vel posteros vocant. Afranius Fratriis: Septembris heri Kalendæ, hodie atri dies.

41 ¶ *Aiutamini*, pro aiutate. Pacuuius Chryse: Aiutamini, & defendite.

42 ¶ *Æra*, numeri nota. Lucil. lib. xxix. Hæc est ratio peruersa aera summa, & subducta improbè.

43 ¶ *Appetones*, ab appetendo dicti. Laberius Virgine, Alienum appetonibus viæ perditæ diuerticula sequi.

44 ¶ *Aduocasse*, prouocasse. Lucil. lib. xxix. Amicos hodie cum improbo illo audiuimus Lucilio aduocasse.

45 ¶ *Armillum*. Lucil. lib. xxviij. Hinc ad me, hinc licet anus rursum ad armillum.

46 ¶ *Adolescenturire*. Laberius: Incipio adolescenturire, & nescio quid nugarum facere.

47 ¶ *Auxiliatum*, vt *suppetiatum*. Lucret. lib. v. Alituum porrò genus alis omne videmus Fidere, & à pennis tremulum petere auxiliatum.

48 ¶ *Ardum*, pro aridum. Lucil. lib. xxvij. Ardum miserrimum, atque infelix lignum sambucum vocant.

49 ¶ *Aduerruncare*, auertere. Lucil. lib. 26. Dij maluerint meliora, atque amentiã auerruncassint tuam. Pacuuius Modo: Possum ego istam capite cladem *auerruncassare* M. Tull. de finibus bonorum & malorum: Dij maluerint meliora, atque amentiam auerruncassint meam.

50 ¶ *Apisci*, adipisci. Lucil. lib. xxvj. Vt ego effuriam, quod ego te in primis cupere apisci intelligo.

51 ¶ *Accepso*, accipio. Pacuuius Teucro: Haud sinam Quicquam profari, prius quàm accepso, quod peto.

52 ¶ *Adauctauit*, auxit. Accius Æneadis: Quibus rem summam, & patriam nostram quondam adauctauit pater.

53 ¶ *Adaxint*, adigant Plautus Aulularia: Vtinam me diui adaxint ad suspendium.

54 ¶ *Affectare*, afficere. Pl[illegible] Bacch. Tua flagitia, aut damna, aut dispoliabula, quibus patrem, & me, téque, amicósque omneis affectas tuos.

55 ¶ *Adiugare*, adiungere. Pacuuius Chryse: Mater est terra, ea parit corpus, anima mater adiugat. Idem Iliona: Blandam hortatricem adiugat voluntatem.

56 ¶ *Æadituor*, id est, ædem tueor. Pomponius Ædito: Qui postquam tibi appareo, atque æadituor in templo tuo nec mortalibus, nec mortalium vllum in terra miserius est.

57 ¶ *Æternare*. Varro rerum humanarum lib. ij. Litterísque, ac laudibus æternare.

58. ¶ *Albicatur*, candidatur, exalbescit. Varro, Caue canem: Vbi riuus præcipitatur, in nemore, deorsum rapitur, atque offensus aliquo à scopulo lapidoso albicatur.

59 ¶ *Abscondit*, pro abscondidit. Cæcil. Exsule: nam hic in tenebris intus sese abscondidit, Pomponius Maccis geminis: Perij 'non puellula est, nunquid abscondidisti inter nates?

60 ¶ *Attigit*, contigit. Turpil. Leucadia: Ne me attigas, atque aufer manum. eia quàm ferocula est. Accius Erigonis: Age age amolire, amitte, caue vestem attigas. Plaut. Bacchidibus: Ne attigas puerum ista causa, quando fecit strenuè.

61 ¶ *Augificat*, auget. Ennius Andromach. Quid fit seditio, tabesne, an numeros augificat suos.

62 ¶ *Atrox*, crudum. Næuius Belli Pœnic. lib. III. Simul atrocia porricerent exta ministratores.

63 ¶ *Adquo*, pro inquantum. Afranius Promo: Vt scire posis adquo te expediat loqui. Idem Priuigno: Ni tantùm amarem talem tammeritò patrem, Miratus essem adquo licere.

64 ¶ *Alternatim*, per vices. Quadrig. Annal. lib. 3. Item gaudium, atque ægritudinem alternatim sequi.

95 ¶ *Apricari*, in aprico esse. Var. Mysteriis: licet videre multos quotidie hyeme in sole apricari.

66 ¶ *Absente*, nobis, & *præsente nobis* pro præsentibus, & absentibus nobis. Plaut. Amphit. Nec nobis præsente aliquis quisquam nisi seruus. Afran, Auctione. Ades, Si hàc absente nobis venerit puer.

67 ¶ *Antiquari*, obsolefieri, & è memoria tolli. M. Tul. de offic. li. II. Perniciosè enim Philippus in tribunatu, cùm legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facilè passus est, in eo vehementer se moderatum præbuit.

68 ¶ *Allectat*, illicit, delectat. M. Tull. de senect. Ad quem fruendum non modò non retardat, verum etiam inuitat, atque allectat senectus.

69 ¶ *Abusa*, vtendo, vel in vsum consumpta. Plaut. Asin. Vbi illa, quæ dedi ante? abusa sunt. nam si ea durarent mihi mulier mitteretur ad te, nec te quisquam poscerem.

70 ¶ *Assa*, voce sola, linguæ tantummodo, aut vocis humanæ, non admistis aliis vocibus esse voluerunt. Varro de vita pop.

Romani libro ij. In conuiuiis pueri modesti, vt cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, & assa voce, & cum tibicine. Idem Cato, vel de liberis educandis: Melos alterum in cantibus est bipartitum, vnum, quod est in assa voce, alterum quod vocant organicon. ¶ Assum autem existimandum est, vt in obsoniis sine pigmento saporis alieni, quemadmodum merum dicitur solum.

71 ¶ *Arci.* Varro de vita pop. Rom. lib. 4. Eóque pecuniam magnam consumpsisset, quod arci, quos summopere iecerat, fessi, pondere diu facti, celeriter corruissent.

72 ¶ *Adminiculaui*, positum pro adiuui. Varro Cato, vel de liberis educandis: Quod petisti, vt eius educationis fierem tibi socius, quoad potui adminiculaui tuam voluntatem scribendo.

B

73 ¶ *Betere*, est ire. Varr. Assanos multos, quòd parere ea non poterat mulier foras betere iussit. Pacuuius Nyptris: Vos betite defensum patriam in pugnam. Idem Hedo: Bibite si resto, pergitur, iam si ire conor, prohibet betere.

74 ¶ *Cellioris*, est melioris. Varro Testamento, περὶ διαθηκῶν. Venio nunc ad alterum genus testamenti, quod dicitur physicon, in quo Græci belliores, quàm Romani nostri.

75 ¶ *Brutum*, dicitur hebes, & obtusum. Lucr. lib. iij. An contracta suis è partibus obbrutescat. Pac. Hermon: Ea obnoxium esse, aut brutum, aut elinguem putes.

76 ¶ *Bulga*, est folliculis omnis, quam & crumenam veteres appellarũt: & est sacculus ad brachium pendens. Lucil. Satyr. lib. vj. Cui neque iumentum est, nec seruus, nec comes vllus, Bulgam, & quicquid habet nummorum, secum habet ipse. Cum bulga cenat, dormit, lauit: omnis in vna Spes hominis bulga. hac deuincta est cætera vita. Var. Octogesi περὶ νομισμάτων. In quo nobilius est philippeum, quod accipimus, quàm quod bibimus, cùm alterum addamus in bulgam, alterum in vesicam. Luc. lib. xxvj. Ita vt quisque nostrum è bulga matris est in lucem editus.

77 ¶ *Bacillum*, M. Tull. de suppliciis: Denique proximus lictori Sextius, de quo sæpe iam dixi, conuersio baccillo oculos misero tundere vehementissimè cœpit. Afran. Homine. Bacillam deligatum corneolum poscit. Cic. de Finib. bonor. & malor. lib. ij. Vt bacillum aliud est inflexum, & incuruatum, aliud ita natum.

78 ¶ *Bacchari*, veteres non solùm Bacchi numine fuere dici voluerunt, verùm etiam loca, in quibus sit debacchatum, *bacchata* dixerunt. Virg. Georg. libro ij. O vbi campi, Sperchiúsque, & virginibus bacchata Lacænis Taygeta? Nam & quicquid vehementius cõmouetur, bacchari voluerunt. Santra Nuntij Bacchis: ita obsoletum sono furenter, ab omni parte bacchatur nemus.

79 ¶ *Blaterare*, est confingere per mendacia. Afran. Augure: Quid est istuc te blaterare, atque obloqui. Idem Incend. Illud memento, nequid in primis blateres. Cæcilius Hymnide: Sine blaterare, nihil agit in amore inermus.

80 ¶ *Bount*, dictum à boum mugitibus, Pacu. Medea: Clamore & sonitu colles resonantes bount. Virg. Georg. lib. iij. Reboant siluæque, & magnus olympus. Var. Parmen. Exeunt citi, strepunt, bount.

81 ¶ *Baiulare*, ferre. Plaut. Asinaria: Ego baiulabo, tu, vt decet dominum, ante me ito inanis.

82 ¶ *Bipennis*, manifestum est id dici, quod ex vtraque parte sit acutum. Nam nonnulli gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem pinnas vocant eleganter. Var. Marcipore: Delime bipennis, vt leuis passerculus. Idem eodem: Annos caduci naufragij it. Cicero: Nec quarum bipennis plumas vapor Perursit altè mœsti in terram cecidimus. Idem Parmenone: Ferens ferream humero bipennem securim.

83 ¶ *Biuiras*, quas vsus viduas appellat. Var. Lege Menia: Ad biuiram venio, cùm vellem ostendere quid vellem, Metamelosinconstantiæ filius me reprehendit.

84 ¶ *Bouinatores*, quos nunc malitiosos & tergiuersatores dicimus. Lucillius lib. xj. His strigosus, bouinatórque, ore improbus duro.

85 ¶ *Bubulcitare*, Varro Manio: Vinicius meus, quòd apud Plocium rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit.

86 ¶ *Bases.* Varro ὄνος λύρας. Primùm eam esse physicen, quid si item phyton, vt ipsa vox basis eius.

87 ¶ *Badius.* Varr. ὄνος λύρας. Equi colore dispares, ita dati: hic badius, iste giluus, ille murinus.

88 ¶ *Binum*, millium numero, pro binis millibus. Sisen. Histor. lib. iij. Ad binûm millium numero sauciis vtrinque factis.

89 ¶ *Balbe*, obscurè. Varr. Rerum humanarum lib. xx. Præterquam duobus in primis est scriptũ balbè, spectare velit potius, quàm voluntatem debeam non datum dicere magistratum.

90 ¶ *Baiulum.* Cic. de Oratore lib. iij. Remigem aliquem, aut baiulum nobis oratorem descripseris.

91 ¶ *Balbutire*, est cum quadam linguæ hæsitatione, & confusione trepidare. Cic. Academicorum libro iiij. Planè vt suprà

dictus

dictus Stoicus perpauca balbutiens. Et Tusc. lib.5. Me quidem auctore etiam Peripatetici, veterésque Academici balbutire aliquando desinant.

92 ¶*Bura*, dicitur pars aratri posterior decuruata. Virg. Georg. lib.1. Continuò in siluis magna vi inflexa domatur In burim. Varr. de re rust. lib.1. Et sæpe fracta bura relinquunt vomerem in aruo. Hanc Virg. burim vocauit.

93 ¶*Blitea*, inutilis, à blito herba nullius vsus. Plaut. Truc. Blitea & lutea est meretrix. Laber. Tusco: Bipedem, bliteam, belluam.

94 ¶ *Bucerias*, boum greges. Lucret. lib.2. Lanigeræ pecudes, & equorum duellica proles, Buceræque greges.

95 ¶*Baubare*, latrare, à canum voce. Lucr. lib.5. Et cùm diserti baubantur in ædibus.

96 ¶*Bellosum*, bellicosum Cælius: Tantum bellum suscitare conari aduersarios contra bellosum genus.

97 ¶*Buas*, potionem positam paruulorum. Var. Cato, vel de liberis educandis. Cùm cibũ, ac potionem buas, ac papas docẽt, & matrem mammam, patrem tatam. Lucil. lib.8. Cùm vinulentas diceret, vini buas designauit.

C

98 ¶ *Comest*, pro comedit. Varr. Margopoli, περὶ ἀρχῆς. Natura humanis omnia sunt paria: Qui te plus vrget, pisceis vt sæpe minutos Magnus comest, vt aueis enecat accipiter. Titinnius Gemina: Libram aiebant satis Esse ambobus farris nutrire. plus comest Sola vxor. Idem Fullonibus: Ego me mandatam meo viro malè arbitro, Qui rem disperdit, & meam dotem comest. Afranius Æqualibus: Iste, vt tu rem narras, comest hîc quotidie. Plautus Mistellaria: Sine modò venire saluum, quem absentem comest. Idem Trinummo: Quod & bibit, quod comest, quod facit sumpti. Pompon. Pistore: Decipit Vicinos quod molendum conduxit, comest Nonius fullonibus feriatis: Vortit se in omneis bestias, comest quicquid tetigit tãtum. Idem Agric. Æpol. paternam qui comest pecuniam. Lucilius Satyrarum libro 3. Commanducatur, totum complexa coméstque. Ex 30. Conficit ipse, coméstque. Marc. Tullius Hortensio: Se ad extremum pollicetur prolaturum, qui se ipse comest, quod efficit dialecticorum ratio.

99 ¶*Cuia*, pro cuius. Lucil. lib.30. Cuia opera troginus calix per castra cluebat.

100 ¶*Contollere*, contra tollere. Plaut. Aulul. Contollam gradum.

101 ¶*Claritudo*, pro claritas. Sallust. Iugurt. Cum præsertim tam mulæ variæque sunt artes animi, quibus summa claritudo paratur. Sisen. Histor. lib.3. Quod fortasse an ex voluntate sua summa. cum claritudine celeriter confecisset.

102 ¶ *Colluuio*, labes ex immunditia. Ma re. Tull. de senect. Cúmque ex hac turba & colluuione discedam.

103 ¶ *Commalaxare*, est exercere, ac maturè facere. Varr. Flexta, περὶ ἐπαγχιῶν: Nec dolorem adiaphoron esse, quod philosophia commalaxarem ea patrem, neque irato mihi habenas dedi vnquam, neque cupiditas mihi imposuit frenos.

104 ¶*Cetra*, [obstaculum, scutum] Varro: Væ victis, περὶ φιλονεικίας. Quis rotundam facere cetram nequeat?

105 ¶ *Ceracem*, nouè positum pro coruo. Cicer. de Orat. lib.3. Quare coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere?

106 ¶ *Canitudinem*, pro canicie. Varr. Aborig. περὶ ἀνθρώπων φύσεως. Sed neque vetulus cãterius quàm nouellus melior, nec canitudini comes virtus.

107 ¶ *Condocefacere*, Cicer. Tusculanar. libro 5. Nemo est enim, qui eorum bonorum animum putet esse iudicem, eúmque condocefaciat, vt ea, quæ bona, maláve videantur, possit contemnere.

108 ¶ *Conscribillaui*, pro conscripsi. Varr. Columna Herculis, περὶ δόξης. Itaque eas in ceram conscribillauit Herculis ad litem. Idem Marcip. Astrologi non sunt, qui conscribillarunt pingentes cælum.

109 ¶*Commictilis*, [compositi] Pomponius Præcone posteriore: Si sciam quid velis, quasi serui comici commictilis.

110 ¶*Contente*, parcè, & continenter. Plaut. Asina. Quanquam illum mater arctè contentéque habet.

111 ¶*Caries*, est vetustas. Varr. Cosmotoryna, περὶ φθορᾶς κόσμου. Singulos lectos stratos vbi habuimus, amisimus propter cariem, & tineam. Lucil. lib.30. Planta vna est pedibus cariosis mensulibano.

112 ¶*Cortes*, sunt villarum intra maceriam spatia, Var. Papiapap. περὶ ἐγκωμίων. Dum vixi, promiscaris meis in cortibus pauit. Idem de re rustica libro 1. Nec minus &. à pabulo cùm redierint anseres, sues, porci, in corte exteriore. Idem de vita populi Rom. libr.1. Ad focum hyeme, ac frigoribus cænitabant: æstiuo tempore in propatulo; rure in corte; in vrbe, in tabulino, quod Mœnianum possumus intelligere tabulis fabricatum.

113 ¶*Cupas*. Var. Est modus matulæ, περὶ μέθης: Cupas vinarias sirpare noli, adde cyathum vini in vxorculæ opicilium. Idem Sesquiulysse. Alteram viam deformasse Carneadem virtutis se cupis acris aceti.

114 ¶ *Comedim*, pro comedam. Plautus Bacchidibus: Quod dem scortis, quódque in lustris comedim, congreget pater. Cicero ad Varr. epistola petisset: Cura si me amas,

vt valeas, ne ego te iacente bona tua comedim. Statui enim tibi ne ægroto quidem parcere. Pompon. Proſtibulo : Ego quæro quod edim; has quærere quod cacent, contra ius eſt.

115 ¶ *Commemoramentum*. Cæcil. Plocio. Pudebat, credo, commemoramentum ſtupri.

116 ¶ *Conſpicilium* vnde codſpicere poſſis. Plautus. Medio: In conſpicilio adſeruabam, pallium obſeruabam.

117 ¶ *Coluſtra*, lac nouum in mammis. Lucil. libro 8. Hiberam inſulam fomento omni colore coluſtra. Laberius Virgine : Siquidem mea coluſtra fretus terris ſtudere feciſſet ſumere aquam ex fonte.

118 ¶ *Conquiniſcere, & ocquiniſcere* inclinari ſignificat. Plautus Ciſtel. Faciundum eſt puerile officium, conquiniſcam ad ciſtulam. Idem : & doloſi, idem conquiniſce, ſis, iſtic ceueto ſimul.

119 ¶ *Copi*, pro copioſo. Plautus Pſeudolo: Atque ego nunc me vt glorioſum faciam, & copi pectore. Turpil. Epiclero: Te quidem omnium iam pater copem cauſſa rem facit. Pacu. Periboea: O multimodis variè dubium, & proſperum copem diem.

120 ¶ *Collutulet*, ſignificat dedecoret. Plautus Trinummo: Hęc famigeratio te honeſtet, me collutulet, etſi ſine dote duxerit.

121 ¶ *Congenerat*, eſt adiungit, aſſociat. Accus Fidicinis : Quam vehat grato tibi congenerat gentium, aut generum affinitas.

122 ¶ *Cette*, ſignificat dicite, vel date, ab eo quod cedo. Næuius Lycurgo: Pro induſtria ne te regem prognatum patrem Lycurgum cette. Enius Medea : Saluete optima corpora, cette manus veſtras, meáſque accipite Accius Menalippo : Æneum aliquis cette in conſpectum, aut nos vbi eſt ducite ad eum. Pacu. Atalenta: Is veſtrorum vter ſit, cui ſignum datum eſt cette.

123 ¶ *Cuppedia*, cupiditas. Cic. Tuſc. lib. 3. Ambitio, mulieroſitas, peruicacia, legurritio, vinolentia, cuppedia.

124 ¶ *Caſtitudinem*, pro caſtitate. Acc. Phœniſ. Ibi fas, ibi cunctam antiquam caſtitudinem.

125 ¶ *Comitaſſet*, pro cubuiſſet. Acc. Erigona : Tum autem Ægiſthus ſi me eſſe eodem lecto comitaſſet patri.

126 ¶ *Cituma*, ſunt proxima cælo millia. Marc. Tullius de Repub. libro 6. Ex quibus erat ea minima, quæ vltima cælo, cituma terris luce lucebat aliena. Et libro 1. Quare ſi placet, deduc orationem tuam de eo loco ad hæc cituma.

127 ¶ *Claret*, clara eſt, vel clareat. Turp. Pedio : Cuius aduentu inſula hodie claret Cypros Enn. Tela. Nam ita mihi Telamonis patris, atque facies proaui Iouis gratia ea eſt, atque hoc lumen candidum claret mihi.

128 ¶ *Caſteria*, locus, vbi cùm nauigatio cōquieſcit, remi, & gubernacula conquieſcunt: Plaut. Aſinar. Quin pol ſi repoſui remum, ſola ego in caſteria: vbi quieſco, omnis familiæ cauſſa conſiſtit tibi.

129 ¶ *Coquinatum*, ad coquendum. Plautus Aulularia : Neque ego vnquam, niſi hodie, ad Bacchas veni in bacchanal coquinatum.

130 ¶ *Curio*, curioſus. Plaut. Aulul. Volo ſcire ego ex te, qui ſit agnus curio.

131 ¶ *Culcita*, Var. Quinquatrib. Quàm in teſtudineo lecto, culcita plumea, in die dormire. Idem de vita pop. Rom. libr. 1. Qui primus vxorem ducebat duabus culcitis, ac duobus toris plagulis cum ſtraſſet.

132 ¶ *Citrus*, Var. γεροντοδιδασκάλω. In quibus Lybia citrus faſce cingit fores.

133 ¶ *Cæcutiunt*. Var. γεροντοδιδασκάλω. Vtrum oculi mihi cæcutiunt, an ego vidi ſeruos in armis contra dominos?

134 ¶ *Caballus*. Lucil. lib. 2. Succuſſatoris tetri, tardíque caballi. Var. Parmeno: Alius caballum arbori ramo in humili alligatum relinquit. Idem Seſquiulyſſe. In caſtris permanſi, inde caballum reduxi ad cenſorem.

135 ¶ *Coda*. Var. ταφὴ μενίππου. Sed vt canis ſine coda.

136 ¶ *Carnales*, ſedules Varr. Sexageſi : Vix & fatus erat, cum more maiorum vltro carnales arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant.

137 ¶ *Craſſum*, poſitum pro hebeti, & ſtulto. Var. Sexag. Senibus craſſis humili non vidimus quid fiat.

138 ¶ *Canum*, vetus, antiquum. Virg. libr. 1. Cana fides, & Veſta. Var. Eumenidib. Et ecce de improuiſo ad nos accedit cana veritas Atticæ philoſophiæ alumna.

139 ¶ *Ciſium*, vehiculi biroti genus. M. Tull. Philipp. lib. 2. Delituit in quadam caupona, atque ibi ſe occultans perpotauit ad veſperum : inde ciſio celeriter ad vrbem adductus domum venit.

140 ¶ *Celeratim*, celeriter. Siſen. Hiſtor. lib. 5. Quo magis celeratim poterant, in inſidiis ſuos diſponit.

141 ¶ *Copiantur*, à copia honeſtè poſitum, vt lignantur, & pabulantur, & aquantur. Cælius lib. 1. Armis & magno commeatu, prædáque ingenti copiantur. Virgil. Georg. lib. 4. Sub mœnibus vrbis aquantur.

142 ¶ *Confutare*, eſt confundere, vel committere. Var. Manio : Harum ædium ſumma atria confutabant architecti omnes. Titinnius Setina, Cocus magnum alienum quando feruit, paulla confutat trua.

143 ¶ *Compluries*, frequenter. Cato Suaſione in legem populi: Quod compluries vſu venit, omni tēpore anteuētum eſt, rēp. reddidimus. Idem Orig. lib. 4. Compluries eorum milites merce-

mercenarij inter se multi alteri alteros castris occidere. Plaut. Persa: Quid metuis? metuo hercle verò, sensi ego compluries.

144 ¶ *Cognomen*, est eiusdem nominis. Afranius Diuort. Letium genus cognominationis morborum cognominis.

145 ¶ *Clypeat*. Pacu. Hermiona: Currum liquit, chlamide contra astu clypeat brachiū. ita & galeare. Cynna Epigrammatis: Miseras audet galeare puellas.

146 ¶ *Conuasare*, dicitur furto omnia colligere. Terentius Phormione: Aliquid conuasassem, atque hinc me ego coniicerem protinus in pedes.

147 ¶ *Cluet*, nominatur. Lucil. libro xxx. Cuia opera Troginus calix per castra cluebat, Enn. Ambrach. Per gentes esse cluebat omniū miserrimus. Pacu. Iliona: Sed hæc cluentur hospitum infidelissimi. Var. ὄνος λύρας: Pacuuius discipulis dicor porrò is fuit Ennius, Musarum Pompilius clueor.

148 ¶ *Cibicidas*. Lucil. lib. 27. Viginti domi, an triginta: vel centum cibicidas alas.

149 ¶ *Contenturum*. Lucil. lib. 27. Tu Lucillium credis contenturum, cùm me ruperint, summa omnia fecerim? Var. Cato, vel de liberis educandis: Vel maximè illic didici & sitienti videri aquam mulsum, esurienti panem cibarium siligineum, & exercitato somnum suauem.

150 ¶ *Canicas*, veteres furfures esse voluerunt. Luc. lib. 27. Quanti vellet, quàm canicas à pulte, & maconis manu.

151 ¶ *Concorditas*, pro concordia. Pacu. Hermiona: Concorditatem hospitio adiunctam perperem probitatem conseruetis.

152 ¶ *Commentum*, pro communitum. Plau. Amphitryon. Faciam Amphitryonem aduenientem ab ędibus, vt abeat quouis pacto, fac commentus scies.

153 ¶ *Cribrum*. Lucil. libro 36. Cribrum, incerniculum, lucernam in laterem, in telam licium.

154 ¶ *Contemnificium*. Luc. libro 37. Ego enim contemnificus fieri & fastidire Agamemnonis.

155 ¶ *Cordi est*, honestè dictum animo sedet. Lucilius lib. 26. Et quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet. Idem: Si tibi porrò istæc res iccirco est cordi, quòd rere vtilem.

156 ¶ *Congenuclare*, est flecti genibus. Cælius Annal. lib. 6. Ipse regis eminus equo ferit pectus auorsum congenuclat, percussus deiecit dominum.

157 ¶ *Caussari*, caussam dicere, vel defendere. Accius Medea: Qui potis est repelli quisquam, vbi nullus est caussandi locus? Afran. Emancip. Vide vt facundè contra causseris patrem. Pacuu. Armorum iudicio: Qui sese ad finem esse, ad caussandam volunt, de virtute is ego cernundi do potestatem omnibus.

158 ¶ *Celebrescat*, celebris fiat. Acc. Diomede: Et qualis fuerit fama celebrescat tua.

159 ¶ *Cœptre*, incipere. Cæcil. Periboea, rastraria: Ære obscuro, hercle desinam, manè cœpiam. Plat. Mænechmis: neque ego insanio, neque pugnas, nec lites cœpio. Idē Truculento: Dum abeam quòdam, & vbi nihil cœpiam.

160 ¶ *Certissant*, certa fiant. Pacuu. Chryse: Æquæ eccos vnde certissent.

161 ¶ *Celebre*, non solùm frequens, sed etiam velox. Accius Ægistho: Celebri gradu gressum accelerasse decet.

162 *Calliscerunt*, pro occaluerunt. Cato de bello Carthaginensi: Aures nobis calliscerunt ad iniurias.

163 ¶ *Commetare*, commeare. Nonius Bubulco cerdone: Cum ad lupam Nostram tā multi crebrò commetant lupi. Afran. Virgin. Quò tu commeatas? vbi confixus desides?

164 ¶ *Concalluit*. M. Tul. lib. 4. ad Atticum: Locus ille animi nostri, stomachus vbi habitat, olim concalluit. Et de Deorum natura lib. 4. Quorum tanquam manus opere, sic animus vsu concalluit.

165 ¶ *Conciere*, cum perturbatione commouere. Accius Medea: Nisi quas terrestres pontus stragesconciet: Afranius Deposito: Dij sunt irati tibi, Qui conciere cogites tantum mali. Ennius Duloreste: Extemplo egisti fidem nuncupantes conciebant populum.

166 ¶ *Conglomerare*, inuoluere, superaddere Enn. Thyeste. Heu mea fortuna, vt omnia in me conglomeras mala.

167 ¶ *Congermanescere*, coalescere, coniungi vel consociari. Quadrigarius Annal. Facite exempla eorum, vt vos cum illis congermanescere sciatur. Var. Rerum humanarum li. 3. Posteà cum his vna remp. coniuncti, & congerminati tenuere.

168 ¶ *Collabella*, adiunge labra. Laber. Analium Peranna, collabella osculum.

169 *Cymbalissare*, cymbala quatere. Cassius Hemina lib. 3. Mulier cantabat tibiis Phrygiis, & altera cymbalissabat.

170 ¶ *Concinnare*, conficere, vel colligere. Neu. belli Pœnici li. 4. Transit Melitam Rom. exercitus, insulam integram vrit, populatur, vastat, rem hostium concinnat.

171 ¶ *Catullire*, esurire, vel libidinari. Laber. Lacu., Auerno: Scinde vnam exoleto impatienti catullientem lupam.

172 ¶ *Caduciter*, præcipitanter. Var. Et ratione: At frigidos nimbros aqua ista caduciter ruentes. Pertimuerint aquatiles querquedulac natantes.

173 ¶ *Cupienter*, cupidissimè. Acc. Philo,

cteta: Cui potestas detur, tua Cupiente malis membra discrepat suis. Ennius Phœnice: Stultu, est, qui cupida cupiens cupienter cupit.

174 ¶ *Commemorare*, commonefacere, in memoriam reducere M. T. de senectu. Pythagoreúmq. more, exercendæ memoriæ gratia quidquo die dixerim, audiuerim, egerim, cômemoro vesperi. Idem de finibus bonorum, & malorum lib. I. Sed à te opportunè mentio facta est. Sed etenim me vis audire Cicero, quænam sit istius veteris, quam commemoras Academicorum de finibus bonorum, Peripateticorúmque sententia.

175 ¶ *Coniectarium*, efficax, perfectum. M. Tul. de finib. bonorum & malorum lib. 4. Illud verò minimè coniectarium, sed in primis hebes illorum. *Concubia* nocte primi somni. Sisen. Hist. li. 4. Ipsi legati concubia nocte oppido digressi iam supra hostium munitionem succedunt.

176 ¶ *Cista*. Sisen. Histor. lib. 4. Cistæque, quæ erat legum ferendarum gratia paratæ, defecerant.

177 ¶ *Centones*, & cilicia. Sisen. Hist. lib. 4. Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos suprà perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur.

178 ¶ *Crebritudinem*, pro crebritate. Sisenna Historiarum lib. 4. Nam clandestina celeriter transigit apud notos cogitata dici decet, non explanari.

179 ¶ *Cæmenta*, lapides non magni modi, quibus ædificia consurgunt, Sisen. Hist. lib. 4. Formidine oppressus, quòd humilem cæmentis instructum oppidi murum sciebat. Var. Bimargo: Non te pudet, Mani, cum domi tuæ vides commilitonum tuorum cohortes seruis tuis ministrare cæmenta?

180 ¶ *Cis*, positum pro vltra. Sallust. Cis Rhenum, atque inter mare nostrum, & Oceanum, nisi quà fuit paludibus inuia, per domita. Var. Rhetoricorum lib. xx. Eo die cis Tiberim redeundum est, quòd de cœlo auspicari ius nemini sit præter magistratum.

181 ¶ *Quadrifariam*. Varr. Rhetoric. libr. xx. Et ea, quæ ad mortales pertinent, quadrifariam dispertierim in homines, in loca, in tempora, in res.

182 ¶ *Concalfacere*, exercitare, vel incendere, vel hortari. Cic. de natura deorum lib. 3. Et ait idem, cùm brachium concalfecerit, tum se solere pugnare. Idem ad Pausam libr. 3. Nos Ventidianis rumoribus concalfecimus.

183 ¶ *Cauillantur*, vt iocantur. Cic. de Oratore lib. 3. Cauillantur, aut aliquid de oratoris arte paucis præcipiunt libellis.

184 ¶ *Catus*, pro sæpiente. Cic. Tuscul. lib. 1. Sed homo catus nunquam terminat, nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum.

185 ¶ *Contrahi*, dictum est honestè quadam tristitia liberari, & solicitudine, aut mœrore. Cic. Tusculan. lib. 3. Hoc detracto, quod totum est voluntarium, ægritudo erit sublata illa mœrens, morsus, tamen & côtractiunculæ quædam animi relinquentur. Et libro 4. Itaque hæc prima definitio est, vt ægritudo sit animi aduersante ratione contractio.

186 ¶ *Ciceres*, Cic. Tusc. libro 5. Partim soliuagas, partim congregatas, immanes alias, quasdam autem cicures, nonnullas abditas, terráque tectas.

187 ¶ *Cuias*, vnde. Cicero Tusc. libro 5. Socrates quidem, cùm rogaretur cuiatem se esse diceret, mundanum inquit.

188 ¶ *Cibarium*, quod nunc aut de pane sordido, aut de alio indigno dicatur. Varro Modio: In cubiculo dormire mallem, scilicet potius vinum meum cibarium, quàm ego dominus cubarem, Idem ὄνος λύρας. Tuus autem ipse frater cibarius fuit Aristoxenus. Cicero Tusc. lib. 5. Cui cum peregrinanti Ægyptum comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum illo pane iucundius.

189 ¶ *Comedones*, ab edendo Varr. Modio: Putat fore hoc, quod hic comedonibus conuenit vsu, quibus nota voluntate comedunt, duntaxat gula gaudet.

190 ¶ *Caulem*, vitis robur Varro de re rust. lib. 1. Quem dicimus caulem, vt Virg. li. 12. Puberibus caulem foliis. Varro: Ex sarmento caules qui nati sunt de iis plurimum valent primum, ac secundum, nonnunquam etiam tertium relinquere, reliquos decerpere.

191 ¶ *Continuare*, conuenire, concurrere. Sisenna historia lib. 6. Marius ostio Liris euehitur, atque Ænariam suos continuare.

192 ¶ *Cinefactum*, in cinerem dissolutum: figuratio, vt tepefactû & labefactum. Lucr. li. 3. At nos honorifico cinefactum te prope busto.

193 ¶ *Coxendicas*, coxas. Lucil. Caput collo sustentatur, truncus sustinetur à coxendicibus. Varro de re rustica lib. 1. Lata fronte, naribus simis, lato pectore, crassi coxendicibus.

194 ¶ *Conditaneum*, quod condi vel condiri potest, rectè dici. Varro de re rustica libro 1. In agro crasso, & calido oleam conditaneam, radium maiorem, Salentinam orchitem, pausiam Serginam, colmineam albicerem.

195 ¶ *Cenatus*, vt pransus, vt potus, vt lotus, id est confecta cena: Varro de vita populi Roman. lib. 3. Vt eius conuiuium, qui triumpharet in capitolio, videtur esse proprium, vt ipse potius domum reduceretur cenatus à conuiuio.

196 ¶ *Cirros*, capitis crines. Var. Cato, vel de liberis educandis: Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demptum, item cirros ad Apollinem solere solent.

197 ¶ *Catellos*, Var. Cato, vel de liberis educandis: Quare meliusculæ [curæ] consuetudines pueriles illorum, qui suis catellis ministrant, quod edent.

D

198 ¶ *Dextima*, pro dextra. Varro περὶ λέξεων. Porrò inde ab vno quoque compito ternæ viæ oriuntur, è quibus singulæ extumæ exitum ad cęlos habent proprium: A primo compito dextimam viam munit Epicurus.

199 ¶ *Desueui* illum pro desuefeci illum, id est, consuetudinem ei abstuli. Titinnius Gemina: Parasitos amoui, lenonem ædibus absterrui, Desueui, ne quò ad cœnam exiret extra consilium meum.

200 ¶ *Dapalis cœna*, est amplis dapibus plena. Titinnius, Varro: Toto fit in foco de lignis mihi dapalis cœna.

201 ¶ *Diuitant*, pro diuites faciunt. Accius Astyanacte: Nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant Alienas, suas vt auro locupletent domos. Turpilius Thrasyleonte: Dij me diuitant.

202 ¶ *Desquamat*, squamis exspoliat. Plau. Aulul. Dromo desquama pisceis. tu Machærio Gongrum, murænam exdorsua quantum potes. Lucillius Satyrarum lib. 7. Sador, subellor, desquamor, punicor, ornor, Expilor, pingor.

203 ¶ *Deartuare*, est quasi per artus concidere Plautus Captiuis: Tum igitur ego deunctus, deartuatus sum miser. Idem eadem: Dilacerauisti, deartuasti, atque opes confecisti.

204 ¶ *Demoliri*, diruere. Sallustius Historiarum libro quarto: Pluteos rescindit, ac muniriones demolitur, locóque summo potitur.

205 ¶ *Diuidos*, separatos, Accius Andromeda: Nósque vt seorsum diuidos leto offerres.

206 ¶ *Dispuluerare*, est dissoluere. Næu. Gymnastico: Saxa, siluas, lapides, montes disiicis, dispulueras.

207 ¶ *Differitas*, pro differentia. Lucret. lib. 4. Tantáque in his rebus distantia, differitásque est.

208 ¶ *Debilo*, debilis. Ennius lib. 8. debilo homo.

209 ¶ *Domutionem*, Pacuuius Hermiona: Nam solus Danaus hic domutionem dedit. Lucillius lib. 26. Domutionis cupidi, imperium regis penè imminuimus.

210 ¶ *Designare*, cum nota, & ignominia aliquid facere. Terentius Adelph. Illa, quæ ante facta sunt, Omitto. modo quid designauit?

211 ¶ *Deblaterare*, est obloqui, confingere. Lucillius lib. 30. Deblaterat, plenus bonus rusticus concinit vnà.

212 ¶ *Deletile*, non quod deleatur, sed quod deleat. Varro Modio: Si displicebit, tam tibi latum mare Partis, quantum spongiam deletilem.

213 ¶ *Datatim*, id est, inuicem dando. Plau. Curculione: Tum isti, qui ludunt serui scurrarum datatim in via. Afranius Homine: Datatim vxorem vt ludas. Pomponius Adelph. Quod ille dicit cùm datatim in lecto tecum lusi. Nonius Exodio: In molis non ludunt raptim pila datatim morso.

214 ¶ *Diuidia* est tædium. Acci. Armorum iudicio: Huius me diuidia cogit plus, quàm est par, loqui. Turpilius Epiclero: Sperabam consilia mea diuidiæ tibi, cùm ætas accesset, non fore.

215 ¶ *Dulcitas*, dulcitudo, pro dulcedo. Accius Tereo: O suauem linguæ sonitum, ô dulcitas conspirantis animæ. Cæcil. Syracus. Tanta huic inuasit in corda indulcitas. Cicero de deorum natura lib. 3. Quin etiam gustatus qui est sensus ex omnibus maximè voluptarius, quinque dulcedine præter cæteros sensus commouetur.

216 ¶ *Discorditas* pro discordia. Pacu. Hermiona: Quantámque ex discorditate cladem importem familiæ.

217 ¶ *Deletio*. Lucil. lib. 29. Deletionem nostri ad vnum exercitus.

218 ¶ *Depeculassere*, ac deargentassere, & decalanticare. Lucil. lib. 26. Depeculassere aliqua sperans me, ac deargentassere, decalanticare eburneo speculo depeculassere.

219 ¶ *Difflare*, est flatu disturbare. Plautus: Cuius tu legiones difflauisti spiritu. Lucil. lib. 26. Pars difflatur vento, pars autem obrigescit frigore.

220 ¶ *Danunt*, dant. Pacuuius Iliona: Dij me, & si perdunt, tamen esse ad vitam expetunt, Quod priusquàm intereo; spatium vlciscendi danunt. Plautus Pseudolo: Cui seruitutem dij danunt lenoniam. Næuius Belli Pœnici li. 4. Eam carnem victoribus danunt. Cæcilius Plocio: Patiere quod datur, quando optata non danunt.

221 ¶ *Deamare*, vehementiùs amare. Afranius Vopisco: Voluptatem capio maximam, cruciari tua te culpa, qui det, & de illa pessuma, quam deamas, promerere.

222 ¶ *Decollare*, collo deponere. Cæcilius, Notonicasioni habes vide, tibi tradidi, in tuo collo est, decolles caue.

223 ¶ *Degulasse*, est gulæ dedisse. Afranius Brundisinis: Imò iamdudum occubuisse, degulasse oportuit.

224 ¶ *Delectare*, illicere, attrahere. Enn. Thyeste: Et me Apollo ipse delectat, ductat Delphicus. Quadrigarius Annalium libro quarto: Fabius de nocte cœpit hostibus castra simul oppugnare, eum hostem delectare, dum collega id caperet, quod captabat.

225 ¶ *Delica*, explana, indica. Accius Achille: Quare alia, ex crimine inimicorum, effugere possis, delica Cæcil. Obolostate: Immo verò hæc antè solitus sum, res delicat. Titinnius libro quinto: Quid istuc est? aut istic sibi vult sermo? mater delica.

226 ¶ *Deuorare*, absumere, eripere. Accius Æneadis: Patrio exemplo, & me dicabo, atque animam deuorabo hostibus.

227 ¶ *Dignet*, dignos putet. Pacu. Iliona: Quis deos infernos, quibus cœlesteis, dignet decorare hosteis?

228 ¶ *Debiliter*, debilitatè. Pacuuius. Miseret me, lacrymis lingua debiliter stupet.

229 ¶ *Demagu*, valdè magis. Lucilius lib. 16. Rex Corus ille duos hos ventos, Austrum, atque Aquilonem nouissimè alebat, solos demagis istos ex nimbo austellos, nec nos seneces putare.

230 ¶ *Diu*, pro die: vnde & interdiu dicitur. Titinnius Fullonibus: Nec noctu, nec diu licet fullonibus, quiescant. Plaut. Casina. Noctúque, & diu vt viro subdola sies. Idem Aul. Nec noctu, nec diu quietus vnquam eam, nunc dormiam.

231 ¶ *Dubitatim*, dubitanter. Cælius Annalium libro tertio: Imperator conclamat de medio, vt velites è sinistro cornu remoueantur, & Gallis non dubitatim immittantur. Sisenna Hist. lib. 4. Quod hostem non dubitatim cum pluteis, ac scalis iter facere cernebat.

232 ¶ *Discedere*, hiari, diuidi, distendi. Mar. Tull. de officiis lib. 3. Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus. Sisen. Hist. libro 4. Armata dextera ducti, magísque in latitudinem discedunt.

233 ¶ *Delegare*, veteres dispescere posuerunt, vel dispertire. Plaut. Amphit. Si cui fautores delegatos viderint.

234 ¶ *Depsere* à Græco magis significantiam, & originem trahit. Homerus Odysseæ, μ κνηθὶ δὲ ψήσας μελινδέα. Varr. Myst. Sed tibi fortasse alius molit, & depsit.

235 ¶ *Dolitum*, quod dolatum vsu dicitur, quod est percæsum, vel abrasum, vel effossum. Varr. Agathone: Num nam cælatus in manu dextera scyphus cælo dolitus artem ostentat Mentoris? Cicero, dolatum. Academicorum lib. 4. Non enim est ex saxo scalptus, aut è robore dolatus.

236 ¶ *Descobinatis*, sauciis, & abrasis, ac desectis. Varro Meleagris: Sin autem delectationis causa venamini, quanto satius est saluis cruribus in circo expectare, quàm his descobinatis in silua currere?

237 ¶ *Dentarpagas*, quas Græci ὀδοντάγρας vocant, Latinè voluit appellari. Varro Quinquatribus: Hic bipensiles forcipes, dentarpagæ.

238 ¶ *Desubulare*, perfodere: Var. Sesquiulysse: Vnam veniam esse non amouisse duce virtute, hanc esse nobilem, alteram Carneadem desubulasse, bona corporis secutum.

239 ¶ *Dormitio*. Var. Sexagesi, O stulta nostri pectoris dormitio vigilabis. Et alio loco idem: Quid mihi cum somno, si dormitio tollitur?

240 ¶ *Dissentaneum*, discors, & dissentiens, vt consentaneum contra. Nigidius: Eum locum facit dissentaneum.

241 ¶ *Decidua*, quæ cadant, vt occidua quæ occidant. Laberius: In altum finalium, non vbi caput, à foliis decidua folia pandit.

242 ¶ *Duodeuicesimo*, ita vt duodecimo. Varro Humanarum rerum libro 16. Mortuus est anno duodeuicesimo. rex fuit 21. Cato quarto Originum: Deinde duodeuicesimo anno post dimissum bellum, quod IIII. & XX. annos fuit, Carthaginensis sextum de fœdere decernere.

243 ¶ *Diurnare*, honestum verbum pro diu viuere, & apud veterem prudentem auctoritatis incognitæ: Neque optimum quenque inter nos sinunt diurnare.

244 ¶ *Duritudo*, pro duritia. Cato in Veturium: Qui illius, inquit, impudentiam norat, & duritudinem.

245 ¶ *Delicia*, numero singulari, quod aut rarum est, aut singulare. Plautus. Mea voluptas, mea delicia.

246 ¶ *Diritas*. M. Tul. de senectute: Quanta in altero diritas?

247 ¶ *Dirissimum*, seuerum. Varro Bimargo: Scæna quem senem Latina vidit dirissimum.

248 ¶ *Diis*, diutinis, ac iugibus. Varr. ὄνος λύρας. Quem nobilem diuinum lyras sol hermoge quadam gubernans motibus diis viget.

249 ¶ *Dicteria*, quasi dicta non seria. Varro ὄνος λύρας. Quàm mobile, Neque ortó psaltícium attulit psalterium, Quibus sonant in Græcia dicteria.

250 ¶ *Dispalare*, est separare. Sisenna Hist. lib. 3. Dispalati ab signis digressi omnes, ac dissipati. Idem: Tanto plures passim dispalantur.

251 ¶ *Deloricare*, dictum est scindere. Cic. de Orat lib. 2. Qui in causa perorandа non dubitauit excitare reum consularem, & eius deloricare tunicam, & iudicibus cicatricem aduersam senis imperatoris ostendere.

252 ¶ *Diuitior*. Cic. de Oratore lib. 3. Inde ille licentior, & diuitior fluxit dithyrambus.

253 ¶ *Deturbare*, deiicere, demouere. Sallust. lib. 2. Mœnibus deturbat. Virgil. lib. 5. Puppi deturbat ab alta. Et lib. 6. Inde alias animas, quæ per iuga longa sedebant, Deturbat.

254. Diui-

254 ¶ *Diuidia*, vt dissensiones. Accius Phœnissis: ne horum diuidiæ, & discordiæ dissipent, & disturbent tantas etiam optumas ciuium diuitias.

225 ¶ *Deintegrare*, diminuere. Cæcilius: Nomen virginis, nisi mirum est, deintegrauit.

256 ¶ *Deiugare*, deiungere, separare, dissociare. Pacuuius Chryse: Perque nostram egregiam vnanimitatē, quam memoria deiugat.

257 ¶ *Denasci*, decrescere. Cassi. Hemina Annalium libro 2. Quæ nata sunt, ea omnia denasci aiunt.

E

258 ¶ *Euirescat*. Varro Prometheo lib. xv. Atque exsanguibus dolore euirescat colos.

259 ¶ *Euallare*, dictum excludam, & quasi extra vallum mittam. Titinnius Prælia: Qua ego hodie extorrem hanc domo faciam pilatricem pallia euallauit: ó pulcre. Varro, ὀπτάνιοι ἢ βοῆς ἀεὶ τάφων. Donec foras non intus euallauerunt.

260 ¶ *Excantare*, significat excludere. Plau. Bacch. Nam credo cuiuis excantare cor potest. Lucillius Satyra lib. 2. Quæ ego nunc æmilio, præcanto, atque exigo, atque excanto. Varro Eumenid. Vbi vident se cantando ex ara excantare non posse, deripere incipiunt.

261 ¶ *Extundere*, est extorquere, vel inuenire. Afranius Epistola: Atque adeo extundo, ex officio datur mihi custodiendus. Vir. Geor. lib. 1. Vt varias vsus meditando extunderet arteis Paullatim.

262 ¶ *Exculpere*, est extorquere. Plaut. Cistellaria: In quæstione vix expulsi, vt diceret. Lucillius Satyrarum lib. 2. Nunc nomen, iámque ex testibus ipse rogando. Exsculpo, hæc dicam. Idem: Vt esurienti leoni ex ore exsculpere prædam.

263 ¶ *E regione*, positum est ex aduerso. Cic. Academ. libro 4. Nec ego, non ita vos etiam dicitis esse è regione nobis in contraria parte terræ, qui aduersis vestigiis stent nostra contra vestigia?

264 ¶ *Exsorbebo*, pro exsorbeam. Plaut. Epidico: Iam ego me conuortam in hirudines, atque horum exsorbebo sanguinem. Turpilius Leucadia: Iam ego istam tibi tristitiam exsorbebo.

265 ¶ *Egurgitem*, exhauriam significat. Plautus Epidico: Atq. egurgitem domo prorsum.

266 ¶ *Expapillato*, brachio, quasi vsque ad papillam renudato. Plautus Milite glorioso: Id connexum in humero, læuo expapillato brachio.

267 ¶ *Exos*, dicitur sine osse. Lucret. lib. 3. Exos, & exanguis timidos persluctuat artus.

268 ¶ *Extrarium*, quasi alienum. Afranius Suspecta: Vt me esse in hac re ducat abs te extrarium.

269 ¶ *Errabundus*, pro errans. Virgilius: Si qua fortè ferant oculis sese obuia nostris Errabunda bouis vestigia.

270 ¶ *Excandescentia*, iracundia, feruentia. Cicero Tuscul. lib. 4. libidini ira, excandescentia, odium, inimicitiæ, discordia. Idem eodem. Excandescentia autem est ira nascens, & sine modo existens.

271 ¶ *Emungere*, sine labore tollere. Terentius Phorm. Emunxi argento senem.

272 ¶ *Effutire*, cùm mendacio dicere. Terent. Phorm. Ne vos fortè imprudentes foris effutiretis. Cicero Tusc. libro 5. Nec hæc sic agit, vt ex tempore quasi effutire videatur. Lucretius: Mata licèt similis ratione effutiat ore.

273 ¶ *Eleuit*, maculauit. Lucil. li. 6. Si hic vestimenta eleuit luto, ab eo risum magnum ad cachinnum imprudens subiicit.

374 ¶ *Eluuiem*, purgationem. Lucil. libro 26. Vt eluuiem facere per ventum velis.

275 ¶ *Exponere*, pro exempla boni ostendere. Cic. Academ. lib. 2. Frangere auaritiam, scelera ponere, vitam suam exponere ad imitandum iuuentuti.

276 ¶ *Expetunt*, pro volunt. Pacuuius Iliona: Dij me, etsi perdunt, tamen esse adiutam expetunt, Quòd priùs quàm intereo, spatium vlciscendi danunt.

277 ¶ *Expalpare*, elicere. Plaut. Pœnulo: Quid faciam? exora, blandire, expalpa. Pompo. Collegio: Siquid expalpare possim ab illo. Plautus Vidul. Nunc seruus argentum à patre expalpabitur.

278 ¶ *Expergo*, pro expergefacio. Acci. Antigona: Heus vigiles properate, expergite pectora tarda Sopore, exurgite. Santra Nuntiis Bacchis: exemplo exire vadit qua genitrix, & omnis vocis expergit sono.

279 ¶ *Extrabunt*, pro exibunt, Afran. Actione: Simul limen intrabo, illi extrabunt illico.

280 ¶ *Efflictim*, vehementer. Plautus Pœnulo: Earum hic adolescens alteram efflictim perit. Pompon. Dotata: Scio pol te illam amare efflictim. Laberius Belonistria: Domina nostra priuignum suum amat efflictim.

281 ¶ *Expulsim*, dictum à frequenti pulsu. Varro sera parecte: Purgatum scito, quoniam videbis Romæ in foro ante ianienas pueros pila expulsim ludere. Nigidius Commen. lib. 20. Cuiusmodi genus aduerbiorum aduerbij motu, qua euenit in, pulsim, cursim.

282 ¶ *Eluuio*, corruptus, & morbiferis operis tractus. M. Tul. de offic. lib. 2. Qui collecti cæteris caussis eluuionis, pestilentiæ, vastitatis.

283 ¶ *Exhiberi*, inferri. M. Tul. de offi. libr. 3. Quod cum audiuisset adolescens, filius negotium exhiberi patri.

284 ¶ *Equuleos*, diminutiuum ab equis,

M. Tull. Hortensio dici voluit: Vt igitur domitores equorum non verbera solùm adhibent ad domandum, sed cibum etiam sæpe subtrahunt, vt fame debilitetur equuleorum nimis effrenata vis. Varro Eumenidib. Neque furentem equuleum Damacrinum insanus equiso exhibebis morbi fluctibus educat vnquam. Pomponius Decuma fullonis? Vbi insilui in cocleatum equuleum, ibi tolutim tortor.

285 ¶*Emancipatum*, subnixum, deditum. M. Tul. de senectute: Ita senectus nimis honesta est, si seipsa defendit, si ius suum retinet, si nemini emancipata est, si vsque ad vltimum spiritum dominatur.

286 ¶*Exiurare*, & deiurare, id est valde iurare, vt deamare. Plaut. Amphitryone: Exiurasti te mihi dixisse per iocum.

287 ¶ *Exornare*, ornare: vt exstruere, instruere. Plautus Aulul Repudium rebus paratis, exornatis nuptiis. Vir. Æneid. lib. 4. Pulcrámque vxorius vrbem exstruis. Cicero Tuscu. lib. 2. Modo est aliqua patientia, si nulla est, quid exornatur philosophia?

288 ¶ *Equiso*, pro equite. Varro Triodite Triphylio: περὶ ἀρετῆς κινήσεως. Nam vt equus qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur magistro, vt equiso doceat tolut m: Idem Marcipore: Quam nautici equisones, perviam qua ducerent loca. Idem Eumenidibus: Neque ferentem equuleum Damacrinum insanus equiso exhibebis morbi fluctibus educat vnquam.

289 ¶ *Eunuchare*, Varro Lege Mænia: si qui patriam maiorem parentem extinguit, in eo est culpa, quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat, aut aliqua liberos producit.

290 ¶ *Equilam equam*. Varro Lege Mænia: Nemo est tam negligens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suam saliat equilam.

291 ¶ *Esurigo*, fames. Varro, ταφῇ μενίππου: Vbi lubet, ire licet accubitum, accedo strenuè, subsilimus, quòd esurigo findebat costas.

292 ¶ *Ericium*, Varro Sexagesi: Se circunspexisse, atque inuenisse, cùm dormire cœpisset, iam glaber quàm Socrates, gallum esse factum circium pilis albis, cum proboscide.

293 ¶*Elucifacere*, dictum à luce. Laberius: Sic citò fulgentis splendore pecuniæ volo Eluci facere exitum ætatis meæ.

294 ¶ *Exigor*, pro à me exigitur. Cæcilius Æschino: Ego illud minus nihilo exigor portorium.

295 ¶ *Edulcare*, pro dulcius facere. Matius: Quapropter edulcare conuenit vitam, Curasque acerbas sensibus gubernare.

296 ¶ *Equitum*, pro equo. Virg. Georg. lib. 3. Atque equitem docuere sub armis Insultare solo, & gressus glomerare superbos. Ennius Anna. libro 7. At non quadrupes equites.

297 ¶*Equitare*, quoque Lucillius equum dicit, cum sit hominis equũ insidentis: Queis hunc currere equum nos, atque equitare videmus, His equitat, curritque: oculis equitare videmus.

298 ¶*Exsequiantur*, ab exequiis, vt conuiuantur & epulantur. Varro Bimargo: Ipsum propter vix liberti semiatrati exequiantur.

299 ¶ *Exedra*, M. Tul. de offi. & de finibus bonorum & malorum 5. Sunt in ipsis locis indicia summorum virorum, tamen ego illa moueor exedra. Et de oratore lib. 3 Tunc dedita opera quiescentibus aliis in eam tam exedram venisse, in qua Crassus posito lectulo recubuisset.

300 ¶ *Ergo*, positum pro ea causa. Virgilius lib. 6. Illius ergo Venimus, & magnos Erebi transnauimus amnes. Sisenna Hist. lib. 4. M. lites, vt lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo ciuitate donati.

301 ¶ *Enixim*, pro Enixè. Sisenna Hist. lib. 4. Ergo illos malos, & audaces semper enixim contra fortunas, atque honores huius ordinis omnia fecisse, ac dixisse sentio.

302 ¶*Exinanita*, euacuata. Sisenn. Hist. li. 4. Denique exinanitas castris Romani, qui clauso se loco potuerant expedire.

303 ¶ *Exanclare*, est perpeti, vel superare. Cicero Academicorum li. 4. Credóque Clitomacho ita scribenti, vt Herculis quendam laborem exanclatum. Et Tusc. lib. 1. Quòd cum exanclauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum.

304 ¶ *Eugium*, media pars inter naturalia muliebria. Lucil. Epodis Hymnis: Sine eugio ac destina Laberius Centenario, Quare tam arduum ascendis, an concupisti eugium scindere?

305 ¶ *Exoticum*, aduentitium à Græco. Plaut. Must. Non omnes possunt olere vnguenta exotica.

306 ¶*Ebriulare*, ebrium facere, & ebriacus ebrius. Lab. Cithera, Ebriulati mentem hilarem arripiunt. Idem Aulularia, Homo ebriacus somno sanari solet.

307 ¶ *Exfundere*, à fundo auertere. Cælius Antipater lib. 7. Resp. omissa exfundato pulcerrimo oppido.

308 ¶*Externauit*, vt consternauit: id est dem ẽtem fecit. Catul. Ah misera assiduis quàm luctibus externauit Spinosas Erycina ferens in pectore curas.

309 ¶*Excissatum*, laniatum, vulneratum. Plautus Cistellaria: Capillo scisse, atque excissatis auribus.

310 ¶ *Edusam*, & Potinam deas præsides vult haberi puerorum. Varro Cato, vel de liberis educandis: Cùm pro cibo, & potione initia

nitiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Edusæ, & à potione Potinæ nutrici.

311. ¶ *Esculentum*, & escarium ab escis, & ab edendo dictum. Varro Cato: vel de liberis educandis: Fortunasse illos non natura præstare, si quid his datum sit esculentum. Plaut. Menæchmis: Ea enim ferè lenta vincula sunt escaria.

312. ¶ *Ephippium*, tegmen equi ad mollem vecturam paratum. Varro Cato, vel de liberis educandis: Mihi puero modica vna fuit tunica, & toga sine fasceis calceamenti, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alueus rarus.

F

313. ¶ *Famulantur*, pro seruiunt. M. Tullius de Repub. lib. iij. Est enim genus iniustæ seruitutis, cùm hi sint alterius, qui possunt esse, cùm autem hi famulantur. Et de offic. lib. iij. Quàm hi seruitutis famulatus, & seruientis voluntati.

314. ¶ *Firmitudo*, pro firmitas. Plaut. Asinaria: Si istam firmitudinem animi obtines, salui sumus. M. Tullius de Republ. libro j. Habent æqualitatem quandam, quia carere diutius vix possunt liberi, deinde firmitudinem.

315. ¶ *Fortunare*, est prosperare, & omnibus bonis augere. Plaut. Trinummo: Dij fortunabunt nostra consilia. M. Tullius ad Curionem: Tibi patrimonium dij fortunent. Afranius Emancipato: Deos ego omneis, vt fortunassint, precor.

316. ¶ *Fallam*, pro fallaciam. Nonius Decumis: Me non vocauit, ob eam rem hanc feci fallam.

317. ¶ *Ficitatem* dictum, vt oliuitatem, id est, fructus fici. Nouius: Ficitores omnes capiunt ficitatem, iners sine molestia.

318. ¶ *Fimbriæ*, sunt omnis extremitas. Næuius Lycurgo: Vt videam Vulcani opera hæc flaminis fieri flora.

319. ¶ *Famulitas*, est seruitus. Accius Andromeda: Nam postquam paruos vos oppressit famulitas; Vis atque egestas, fama, formido, pudor. Pacuuius Atalanta: Quæ famulitas.

320. ¶ *Fidelitatem*, id est, fidem. Acc. Myrmidonibus: Nolo equidem, sed tu huic quem sis quali in te fiet Fidelitate, ob fidam naturam viri Ignosce. Afran. Vopisco: I intro acturum, petit opera, nimirum meæ Fidelitatis.

321. ¶ *Falsum* habuit, pro fefellit. Sallust. Iugurth. Neque ea res me falsum habuit.

322. ¶ *Famul*, famulus. Ennius lib. viij. Mortalem summum Fortuna repentè Reddidit, vt summo regno, famul optimus esset.

323. ¶ *Flaccet*, languet, deficit. Lucilius lib. viij. Hic est Macedo si agton longius flaccet. Accius Achille: An sceptra iam flaccent, ferat. Afran. Diuort. Disperij perturbata sunt, iam flaccet fortitudo. Ennius Thyeste: Inflaccebunt conditiones, repudiato & reddito.

324. ¶ *Fulguriuit*, fulgorem fecit, vel fulmine afflauit. Nouius: Sanè à suo sonitu claro fulguriuit Iupiter. Lucil. lib. xxvj. Luporum exauctorem maluanum, & fulguritatem arborum.

325. ¶ *Friget*, frigidum est. Virgil. lib. vj. Corpúsque lauant frigentis, & vngunt. Terentius Phorm. Abi, tange, si non totus friget, me eneca.

326. ¶ *Fauitorem*, fautorem: Lucill. libro xxix. Fauitorem me tibi, amicum, amatorem putes.

327. ¶ *Folliculum*, Lucillius posuit pro corpore, libro xxvj. Ego, si quis sum, & quo folliculo sum indutus, non queo.

328. ¶ *Fligi*, affligi. Liuius Ægistho: Ipse se in terram saucius fligit cadens. Accius ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ: Nec perdoluscit fligi socios morte, campos cotegi. Idem Ægistho: Heu ciuitatis stirpem funditus fligi studet.

329. ¶ *Fragescere*, frangi. Acc. Ægistho: Neque fera hominum pectora fragescunt, donec vim persenserint imperij. Idem Eurysace: Nũquam erit immanis, cùm mea opera extinctum sciat, qui fragescat.

330. ¶ *Fuam*, sim vel fiam. Pacuuius Duloreste: Responsa explanat, mandat ne matri fiat Cognoscendi vnquam, aut contuendi copia. Titinnius Fullonia: Perij hercle verò Tiberi, nunc tecum obsecro, Vt mihi subuenias, ego ne maialis fuam. Liuius Herm. Obsecro te Anticile, matri ne quid tuæ aduorsus fuas. Afranius Promo: Caue ne pendeas, si fuas in quæstione. Ennius Hectoris Lytris: At ego omnipotens te exposco, vt hoc consilium Achiuis auxilij fuat.

331. ¶ *Facul*, pro faciliter. Huic contrarium est difficul. Lucil. lib. vj. Peccare impunè rati sunt Posse, & nobilitate facul propellere iniquos. Pacu. Teucro: Nos illum interea perficiendo propitiaturos facul remur. Afranius Auctione: Haud facul (vt ait Pacuuius) femina inuenietur bona. Accius Melagro: Erat vtile, istuc ferre aduorsum fortunam facũl. Varro Bimargo: Quod vtrum sit magnum an paruum facul, an difficul.

332. ¶ *Famulanter*, pro suppliciter. Acc. Tereo: Deuincat mone natum Semela assute, & famulanter pete.

333. ¶ *Fluctuatim*, iactanter & solutè. Afranius Pompa: Tene tu, in medio nemo est, magnificè volo fluctuatim ire ad illum, accipe hoc tegmen tu & sustine.

334. ¶ *Fortunatim*, prosperè. Ennius Annalibus: Mi reliquę fidei, regno vobisque Quirites Se fortunatim feliciter, ac bene vortat.

335 ¶ *Frustratim*, & frustillatim per frusta, vt minutatim. Pompon. Verre: Ægroto, Verùm illi valent, qui luctantur cum leonibus, Vt te obiectes frustatim passerinum prandiũ saturarum, non frustillatim, nec minutatim dari.

336 ¶ *Fastidiliter*, fastidiosè Var. Cras credo, hodie nihil: Quibus instabilis animus ardens mutabiliter non habere fastidiliter inconstanti pectore.

337 ¶ *Fugere*, dictum est deterius fieri M. Tull. Officior. lib. iij. Si quis vinum fugiens vendat sciens.

338 ¶ *Fatigare*, positum pro fatigari. Virgil lib. viij. Olli remigio noctémque diémque fatigant.

339 ¶ *Fraufus*, pro fraudatus, id est, ad fraudis fructum venerit. Plautus Asinaria: Non placet, Metuo in commune ne quam fraudem fraufus fiet.

340 ¶ *Fax*, pro face. Var. γεροντοδιδασκάλῳ: Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia solita, etiam nunc pinea fax indicat. Idem Sexagesi: Adest fax inuoluta incendio. Idem de vita populi Romani lib. ij. Cùm à noua nupta ignis in face afferretur, foco eius sumptus fax ex pinu ablata esset, vt eam puer ingenuus afferret.

341 ¶ *Flauissas*, eas dici Varr. existimat, quos Græci thesauros vocant, in epistola, quam aduersus Seruium Sulpitium dedit: Quintum Valerium Soranum solitum dicere, quos thesauros Græco nomine appellaremus, priscos Latinè flauissas dixisse, quòd in eas non rude æs, argentúmque, sed flata, signatáque pecunia conderetur.

342 ¶ *Formidolosum*, & quod ipsum formidet, & quod sit formidabile. Sallustius in Catilina: Non armatus hostis formidolosus.

343 ¶ *Fruisci*, pro frui. Lucil. libr. xviij. Æquè fruiscor ego, ac tu. Cælius libr. i. Domus suas quenque ire iubet, & sua omnia fruisci. Nonius Partu: Quod magnoperè quæsierunt, id fruisci non queunt.

344 ¶ *Fellare*, exsugere. Var. Manio: Tum eum, ad quem veniunt in hospitium, lac humanum fellasse.

345 ¶ *Falliciloquentia*. M. Tullius de Finibus bonorum & malorum libr. iiij. Quæ diligentissimè contra Aristonem dicuntur à Chrysippo, ex ea difficultate illæ fallaciloquentiæ.

346 ¶ *Fabella*. M. Tullius de finibus bonorum & malorum lib. v. Libentérque se cum his congregant, dántque se ad ludendum, fabularúmque auditione ducuntur.

347 ¶ *Ferabite*, positum pro agresti. Sisen. Hist. lib. iiij. Et partim ferabite, partim lauto & arbusto, ac multa pinu, ac myrtetis abundant.

348 ¶ *Foramen*. Sisenna Hist. lib. iiij. Neque porta, neque vllum foramen erat, quà posset eruptio fieri.

349 ¶ *Flexanima*. Cicero de Oratore lib. ij. Tantam vim habet illa, quæ rectè à bono Poëta dicta est flexanima, atque omnium regina rerum oratio. Pacuuius Hermiona: O flexanima, Atque omnium regina rerum oratio.

350 ¶ *Frons*, pro fronde. Virgilius Georg. lib. ij. Frons tenera imprudénsque laborum. Varro de re rustica lib. j. Quod Cato ait Circum fundum vlmos, & populos, vnde fons ouibus, & bobus sit.

351 ¶ *Falæ*, turres sunt ligneæ. Ennius lib. xv. Malos defindunt, fiunt tabulata, falæque. Hæc sunt & in Circo, quæ apud veteres propter spectatores è lignis erigebantur.

352 ¶ *Foria*, stercora liquidiora. Pomponius Macco: Conforisti me Diomedes. Laberius in Panilicis: Foriolus esse videris, in coleos cacas.

353 ¶ *Foriolus*, qui foria facilè emittat, soluti scilicet ventris.

354 ¶ *Floces*, fex vini. Cæcil. Ad Pol. Ego neque florem, neque floces volo mihi, vinum volo.

355 ¶ *Februare*, positum pro purgare, purefacere. Varro de vita populi Romani libr. j. In eorum enim sacris liba cum sunt facta, incerni solent farris semine, ac dicere se ea februare, id est, pura facere.

G.

356 ¶ *Grunnire*, dicũtur porci, quod eorum proprium vocis est. Varro Aboriginibus: περὶ ἀνθρώπων φύσεως: Grunnit tepido lacte satur, mola mactatus porcus. Cicero Tusculanarum lib. v. Aut grunnitum cùm iugulatur sus. Laberius Sedigito: Grunnientem adspexi sacrosam.

357 ¶ *Grunduleis*, lares dicuntur Romæ constituti ad honorem Porcæ, quæ triginta pepererat.

358 ¶ *Grandire*, est grandem facere. Var. Rerum diuinarum lib. j. Cùm aut humus seminari incipere non possit, aut recepta non reddat, aut edita grandire nequeat. Plautus Aulularia: Testudinem istum tibi ego grandibo gradum. Lucretius lib. iiij. Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore. Idem lib. j. Quæque sua de materia grandescere, alique. Acc. Meleagro: Fruges prohibet pergrandescere. Pacu. Duloreste. Nec granditi frugum fetum posse, nec mitescere.

359 ¶ *Granditatem*, maiorem ætatem. Sisen. Hist. lib. iiij. Neque ætatis granditatem, neque ea merita, neque ordinis honestatem, tua

aut dignitatem sibi esse excusationi.

360 ¶ *Grauedinosi.* Cic. Tuscul.lib.iiij. Itaque dicimus grauedinosos, quosdam terminosos.

361 ¶ *Grallatores,* sunt collobathrarij. Grallæ enim sunt fustes, quîs innituntur. Varro: Mutuum muli scabunt, Græcè περὶ ἀγορασμοῦ. Grallatores, qui gradiuntur grallis, quæ sunt perticæ ligneæ ab homine isto, qui in ista tangitantur, siciliani mi nostri sunt, galeæ crura, ac pedes nostri essiare κινητοὶ, sed ab animo mouentur.

362 ¶ *Grandiloqui.* Cic. Orat. Nam & grandiloqui, vt ita dicam, fuerunt cum ampla & sententiarum grauitate, & maiestate verborum. Et Tuscul. lib.v. Quid tandem isti grandiloqui contra hæc duo, quæ maximè angunt.

363 ¶ *Guttatim.* Plautus Mercatore: Cor guttatim contabescit, quasi in aqua indideris salem. Enn. Hecuba: Vide, hinc meæ, inquam, lacrymæ guttatim cadunt.

364 *Gracilitudo,* & graciIeus pro gracilis: & gracilentum pro gracili: & gracilium pro gracilitas. Acc. Amphitryone: Tamen ista tua gracilitudo propemodum & luctus facit, ne dubitem. Ennius lib.vij. Deducunt habiles gladios filo gracilento. Næuius Protesilao: Demia gracilentis colorem, dum ex hoc gracilis sit. Turp. Canephoro: Nosti, quàm sit gracili corpore?

365 ¶ *Grandæuitas.* Acc. Alcmæone: Quia nec vos, nec illi impunè irriderent meā grandæuitatem. Idem Bacchis: Quia neque vetustas, neque mors, neque grandæuitas. Pacuuius Hermiona: Quod tamen ipsa orbitas grandæuitásque Pelei per penuriam stirpis subaxet.

366 ¶ *Geminitudinem.* Pacuuius Atalanta: Habeo ego istam, qui distinguam inter vos, geminitudinem.

367 ¶ *Gnaritas,* scientia. Sallustius Hist. lib iij. Diuersa, vti solet, rebus perditis capessunt. Namque alij, fiducia gnaritatis locorum, occultam fugam sparsi globis eruptionem tentauere.

368 ¶ *Gallulare,* pubescere. Nou. Exod. Puerum mulieri præstare nemo scit, quantò melior sit, cuius vox gallulascit, cuius iam ramus roborascit.

369 ¶ *Gratulari,* gratias agere. Enn. Hecu. Iupiter tibi summa tandem malè re gesta gratulor. Næu. Belli Pœnici lib.iiij. Is qui sursum ad cœlum sustulit suas res, Ammulus gratulabatur Diuis. Afran. Ciner. Quòd saluus venis, melius est, gratulor Diis.

370 ¶ *Garrire,* quasi ineptè strepere. Cic. de Orat. lib. ij. Nam & seclis multis ante gymnasia inuenta sunt, quàm in his philosophi garrire cœperunt.

371 ¶ *Gargaridiare.* Var. epist. ad Fusium Quintiporis clodiant foriæ ac poëmata eius, gargaridanis dices, ô fortuna, ô fors fortuna.

372 ¶ *Gallinas.* Cic. Acad. lib. iij. Qui gallinas alere permultas quæstus caussa solerem. Idem lib. ij. Cùm ouum inspexerat, quæ gallina peperisset, dicere solebat.

373 ¶ *Gabalum,* crucem dici veteres volunt. Var. ἄμμον μετρεῖς, περὶ φιλαργυρίας. Nos Barbari, quòd innocentes in gabalum suffigimus homines, vos non Barbari noxios absoluitis.

374 ¶ *Genialis,* hospitalis. Santra de Antiquitate verborum lib.iiij. Scis enim Geniales homines ab antiquis appellatos, qui ad inuitandum, & largiùs apparandum cibum promptiores essent.

375 ¶ *Gangræna,* est cancer. Lucil. lib.I. Serpere vti gangræna malo, ad quem herpestica posset. Var. περὶ ἐξαγωγῆς. Non vituperamus, cùm sciamus dictum præcidi oportere, si ob eam rem gangræna non sit ad brachium ventura. Idem de vita populi Rom. libr. iij. Quò faciliùs animaduertatur per omnes articulos populi hanc mali gangrænam sanguinolentam permeasse.

376 ¶ *Genium,* parsimoniam. Terentius Phormione: Suum defraudans Genium comparsit miser. Lucil. lib. xxvj. Curet ægrotum, sumptum homini præbeat, Genium suum defraudet, alij parcat.

377 ¶ *Genuæ,* gulosi. Lucil. lib. xxx. Illo quid fiat lamia, & Pitho ἐξῳδοντες. Quod veniunt genuæ illæ vetulæ, improbæ, ineptæ.

378 ¶ *Glumam.* Varro folliculum grani frumentarij dici putat de re rustica lib.I. Granum dictum, quod est intimum solidum: gluma, qui est folliculus eius: arista, quæ vt acus tenuis longè eminet [è gluma.]

379 ¶ *Gerdius.* Lucil. lib. xxx. Curare domi sint Gerdius, ancillæ, pueri, zonarius, textor.

380 ¶ *Grauidauit,* impleuit. Cæcil Titthe: Per mysteria hic inhonestè grauidauit probro.

381 ¶ *Germanitus,* fideliter, dictum à germanitate. Pomp. Præfecto morum: Vt si quis est amico amicus, gaudet si quid euenit boni, cui amicus est germanitus.

382 ¶ *Generosum,* nobile, vel forte. M. Tul. de offic. lib. iij. Cúmque de imperio certamen esset cum rege generoso, ac potenti.

383 ¶ *Gratiosum,* multæ gratiæ. M. Tul. de offic. lib. iij. Vt argentarius qui esset apud omnes ordines gratiosus.

384 ¶ *Gratificari,* gratū facere. M. Tul. Hort. Quare egredere quæso, & gratificare reipubl.

385 ¶ *Gerra,* nugæ, ineptiæ, & sunt gerræ fascini, qui sic in Naxo insula Veneris ab incolis appellantur. Plaut. Asin. Gerræ. Qui sese parere apparent huius legibus profectò. Idem: Hic aderis credo congerro meus, vt col-

luſor meus, qui eaſdem exercet nugas. Cælius Portitore: Cur depopulator gerræ?

386 ¶ *Gallare*, vt eſt bacchari. Varro: Cùm illo vento, video Gallorum frequentiam in templo, qui dum eſſena hora, nam ad lateta imponerent ædilis ſignoſiæ, & deam gallantes vario retinebant ſtudio eodem. Nam quæ venuſtas hic adeſt gallantibus.

387 ¶ *Ganeones*, à ganeis dicti, vt popinones, & ſunt loca vinolentiæ, ac libidini apta. Varro Modio: Et hoc intereſt inter Epicurum & ganeones noſtros, quibus modulus eſt vitæ culina. M. Tullius in Catilinam: Quis ganeo? qui adulter? quæ mulier infamis? quis corruptor iuuentutis eſt?

388 ¶ *Glubere*, diſtringere. Varro de re ruſtica lib. I. Durities enim ea, quòd non ſolùm ſtringit baccam, ſed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos.

389 ¶ *Gramia*, pituitæ oculorum. Cæcil. Gramoſis oculis ipſa, atratis dentibus.

390 ¶ *Gigeria*, inteſtina gallinarum cum his, & ita cocta. Lucill. lib. VIII. Gigeria ſunt, ſiue adeò hepatia.

391 ¶ *Glis*, Nominatiuus ab eo, quod ſunt glires. Laberius in aquis caldis: Etiam hìc me optimus ſomnus premit, opprimitur glis. Plautus Genitiuo plurali: Glirium examina.

392 ¶ *Genius* generis [deus] Laberius Imagine: Genius generis noſtri parens.

H.

393 ¶ *Habentia*, vt induſtria, ſapientia, concordia. Claud. lib. vij. Animos eorum habentia inflarat, ab eo, quod eſt habere.

394 ¶ *Hora*, iuuentutis Dea. Ennius Annalium lib. I. Te Quirine pater veneror, Horámque Quirini.

395 ¶ *Halec*, genere neutro. Plaut. Aulular. Qui mihi olera cruda ponunt, halec danunt. Horat lib. ij. Sermon. Ego fecem primus & halec Inueni.

396 ¶ *Halophantam*, aut ſycophantam hominum genus nequam, quod ob ſuenda mendacia miſerrima mercede conducitur. Plaut. Halophantam, an ſycophantam magis eſſe dicam néſcio. Et alius nobilitatis obſcuræ. Halophantam mendacem velit.

397 ¶ *Hippocampi*, equi marini à flexu caudarum, quæ piſcoſæ ſunt, & eſt Græcum. Menander: Vehutos hippocampus in æternæ vſus ſcire nocitur Delphino cinctis vehiculis, hippocampíſque aſperis. Lucillius tranſuerſo ordine poſuit, hippocampi elephanto camillos.

398 ¶ *Hara*, eſt porcorum ſtabulum. Var. Prometh. lib I. In tenebris, ac ſuilli viuunt, niſi non forum hara, atque homines, qui nunc plerique ſues ſunt exiſtimandi. Cicero in Piſonem: Ex hara producte, non ſchola.

399 ¶ *Hilaritudinem*, pro hilaritate. Plautus Milite glorioſo: Sine, animo obſequere mecum, atque onera te hilaritudine.

400 ¶ *Hiſcere*, eſt propriè loqui. Acc. Armorum iudicio: Hem vereor plus, quàm fas eſt, captiuum hiſcere.

401 ¶ *Honeſtitudo*, pro honeſtas. Accius Oenom. Horrida honeſtitudo Europæ principium primo ex loco. Idem Myrmidonibus: Tua honeſtitudo Danaos Decipit diu.

402 ¶ *Hilum*, breue quoddam. Lucill. lib. XXX. Quódque tuas laudes culpas, non proficis hilum. Cicero Tuſc. lib. I Num illud quod Siſyphus verſat Saxum, ſudans nitendo, neque proficit hilum?

403 ¶ *Hornum*, ipſius anni. Lucillius lib. XXVIII. Vtrum nano an horno te abſtuleris à viro. Varro Eumen. Cùm in eo eſſem occupatus, atque in ſchola curarem, inſcribit Scantius hornio per Dionyſia.

404 ¶ *Hilareſco*. Varro Epiſtolar. Latin. libro I. In votum amicorum domus fumat, hilareſco.

405 ¶ *Hoſtire*, eſt comprimere, retundere, dictum ab hoſtia. Pacuuius Teuc. Niſi coerceo proteruitatem, atque hoſtio ferociam. Hoſtire, offendere, cedere. Nunc quod meum admiſſum nocens hoſtit voluntatem tuam.

406 ¶ *Hallucinari*, aberrare & non conſiſtere, atque diſſolui, obſtupefieri, atque tardari honeſtè veteres dixerunt, vt eſt: Et aſſiduò oſcitantem vidit, atque illius quidem delicatiſſimas mentis, & corporis hallucinationes.

407 ¶ *Hilaretur*, iucundètur. M. Tull. de finib. bonorum & malorum lib. II. Verum hoc loco ſumo verbis his eandem certè vim voluptatis Epicurum noſſe, quàm cæteros. omnes enim iucundum motum, quo ſenſus hilaretur, Græcè ἡδονὴν, Latinè voluptatem vocant.

408 ¶ *Hebes*, poſitum pro obſcuro, aut obtuſo. Cicero Academicorum lib. II. Quid Lunæ, quę liniamenta ſint, potéſtne dicere, cuius & naſcentis, & ſeneſcentis aliâs hebetiora, aliâs acutiora videntur cornua?

409 ¶ *Hinnos*, vel hinnas, ſub quo ſenſu accipere debeamus, Varro deſignat: ait enim, ex equis & Hinnulis, qui naſcantur, hinnos vocari.

410 ¶ *Hilas*, inteſtina veteres eſſe dixerunt. Vnde Bohilla oppidum in Italia, quòd eò bos inteſtina vulnere trahens aduenerit. Laber. Lambit item hillam cocus, ſi lumbum aduſſit flagris pæditur. Idem Catulario: Néue aliter hunc pædicabis, quomodo video adoleſcenti noſtro cædis hillas.

411 ¶ *Hinnibunde*, pro hinnienter ab eo quod

quod est hinno. Claudius Annalium lib.xvj. Equi hinnibunde inter se spargentes terram calcibus.

I

412 ¶ *Incuruiscere.* Cicero de Oratore lib.ij. Vt bacarum vbertate incuruiscere. Ita Tuscul.lib.I.

413 ¶ *Infinitatem.* Cicero Academic.lib. iiij. At hoc Anaximandro populari & sodali suo non persuasit. Is enim infinitatem rerum atque naturæ dixit esse, è qua omnia gignerentur.

414 ¶ *Insanitas.* Cicero Tuscul.lib.iij. Insipientia autem quasi insanitas quædam, quæ esset insania, eadémque dementia. Var. Eumen. Apage in die rectum à domo nostra istam insanitatem.

415 ¶ *Infractionem*, torporem. Cicero Tusc.lib.iij. In quem cadat ægritudo, cadere in eum timorem, & infractionem quidem animi.

416 ¶ *Iuglandes*, agrestes nuces. Cicero Tusc. libr.v. Instituítque vt candentibus iuglandum putaminibus barbam sibi, & capillum adurerent.

417 ¶ *Ingeneraretur*, vt innasceretur. Cicero Academic.lib.iiij. In tanta animalium varietate homini vt soli cupiditas ingeneraretur cognitionis, & scientiæ.

418 ¶ *Iuuenilitas*, pro iuuentus. Varro Tithono, περὶ γήρως: Quam dereliquit multicupida iuuenilitas.

419 ¶ *Itum*, pro incessu. Titin. Setina: Itum, gestum, amictum, qui videbant eius.

420 ¶ *Implicare*, positum pro orare. Afran. Brundisin. In parte inferiore hic implicabatur caput fateor.

421 ¶ *Inanis*, pro inanitate. Plaut. Aulular. Ita inaniis sunt oppletæ, atque araneis.

422 ¶ *Incitas*, dicitur egestas. Plautus Trinummo: Alij exsulatum abierunt, alij emortui, alij se suspendere. Hem nunc hic cuius est, vt ad incitas redactus est? Idem Pœnulo: Profectò ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit. Lucillius Satyrar. lib.iij. Illud ad incitas cùm redit, atque internecionem. Idem lib.xv. Villicum Aristocratem mediastinum, atque bubulcum Commanducatus corrupit, ad incitas adegit.

423 ¶ *Incertat*, incertum facit. Pacuuius Duloreste: Sed ne incertat dictio, quam rem expedi. Plaut. Epidico: Longa dies meum incertat animum.

424 ¶ *Icit*, significat percutit, ab ictu. Plaut. Truculento: Frendit, icit femur. Idem Aulular. Ibi vt piscabar, fuscina ici vidulum. Pacuuius Armorum iudicio: Nam canis Quando est percussa lapide non tam illum appetit, Qui se icit, quàm illum ipsum lapidem, quo icta est, petit. Afranius Simulante: Offendit, frangit, rumpit, icit poculo. Cæcilius de mandatis: Si vnquam quisquam vidit, quem catapulta, aut balista icerit. Lucius libr. iij. Esse animam cum animo coniunctam, quæ cum animi vi Perculsa est, exinde propellit corpus & icit. Turpilius Demetrio: Nam si iceris me posthac, credas mihi velim, Inquit. tum quid censes? dolebit scilicet. Naeuius Danaë: Quæ quondam fulmine icit Iupiter.

415 ¶ *Inuncare*, quasi vnco inuadere, & arripere. Lucil.lib.xv. Aut qui nummos tristis inuncat.

426 ¶ *Insolum*, insolitum. Afranius Crimine: Orbitatem senectuti tuæ malam metui, Quod insolum non venit cœco ac dementi. Idem Virgine: Ne veniret, quod nunc agitur insolum.

427 ¶ *Inibi*, pro sic, & mox. Afranius Materteris: Postquàm se vidit inibi esse gignatam, paruulam sororibus commendat. Cæcilius Plocio: Libérne es? Non sum, verùm inibi est. Pacuuius Iliona: Profectò aut inibi est, tam iam potiuntur frugum.

428 ¶ *Ignota*, id est, insciæ. Næuius Lycurgo: Ignotæ iteris sumus, tute scis.

429 ¶ *Iniurie*, dictum pro iniuriose. Næuius Lycurgo: Oderunt Dij homines. Iniuriosè egóne, an ille iniuriè facimus?

430 ¶ *Incilare*, est increpare, vel improbare. Accius Meleagro: Quis erit, qui non me spernens, incilans probris, Sermone indecorans, turpi fama differet? Idem Clytemnestra: Matre meo iure factum incilas, genitorem iniustum approbas. Pacuuius Duloreste: Si quis hac me oratione incilet, quid respondeam? Lucil. libr.xxx. Nunc Cai quoniam incilans nos lædis vicissim.

431 ¶ *Innubere*, positum pro transire, quòd hæc, quæ nubunt, ad domos maritorum transeunt. Lucillius Satyrarum libro sexto: Suam enim inuadere, atque innubere censent.

432 ¶ *Infestum* mare haberet, pro, mare latrocinando infestaret. Marcus Tullius de republica libr. iij. Nam cùm quæreretur ex eo, quo scelere compulsus mare haberet infestum vno myoparone, eodem, inquit, quo tu orbem terræ.

433 ¶ *Imbrices*, ac tegulas. Sisenna Histor.lib.iij. Dissiparis imbricum fragminibus ac testis tegularum.

434 ¶ *Impigritas*, pro impigritia. Marc. Tullius de republica libr. iij. Nunquam viri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiæ.

435 ¶ *Intolerabilis*, id est, qui tolerari non possit. Afranius Priuigno: Quod si fecissem paullò sæpiùs: didicisset is ferre, & non esse intolerabilis.

436 ¶ *Inconsulti*, quibus consulentibus religio nihil diceret. Virgilius Æneid. lib. vj. inconsulti abeunt, sedémque odere Sibyllæ.

437 ¶ *Illuuies*, sordes. Virgil. Æneidos libr. iij. Respicimus, dira illuuies. Lucillius lib. xx. Illuuies, scabies oculos huic deinque petigo Conscendere. Varro Manio: Ac periret squale, scabiéque, illuuie, & vastitudine. Lucillius lib. xxxvj. Hic cruciatur famo, frigore, illuuie, inualnicie, improfundie, incuria.

438 ¶ *Inuidiosum*, quod sit vitabile ad videndum. Lucillius libro xxvj Squalitate, summa scabie, summa in ærumna obrutam. Neque inimicis inuidiosam, neque amico exoptabilem.

439 ¶ *Indulgitate*, pro indulgentia. Sisenna Histor. lib. iij. Bassus assiduitate, indulgitate victus.

440 ¶ *Ientare*. Afranius Buccone adoptato: Ientare nulla inuitat. Plautus Curc: Quid antepones Veneri ientaculi? Afranius Crimine: Hæc ieiuna ientauit. Varro Marcipore: Vt eat, ac rempubl. administret, quod pulli ientent.

441 ¶ *Ignauit*, ignauum fecit. Accius Æne. aut Decio: Fateor, sed sæpe ignauit fortem in spe exspectatio.

442 ¶ *Inaudire*, audire. Mar. Tullius ad Paulam. libr. 1. Quorum erupit illa vox, de qua ego ex te primum quiddam inaudieram. Nouius Maleuolo: Vnde hoc tam repentè iucundum inaudiui melum? Pacuuius Armorum iudicio: Quod ego inaudiui, accipite, & quid sit facto opus, decernite. Afranius Diuortio: Nouis dictis, quæso, ne ille inaudiat.

443 ¶ *Infelicitent*, infelicem faciant. Cæcilius Nauclero: Vt te Dij omnes infelicitent cùm malè monita memoria. Plautus Pœnulo: Dij illum infelicitent omnes.

444 ¶ *Iniquat*. Laberius Nuptiis: Æquum animum indignanti iniquat contumelia.

445 ¶ *Integrare*, redintegrare. Virgilius Georg. libr. 4. Ramósque sedens miserabile carmen Integrat. Accius Antenoridis: Nanque huic inuenio, vt mea ope opes togæ integrent. Pacuuius Chryse: Sed cesso inimicitiam integrare. Sisenna Hist. libr. iiij. Vltro citróque integram in oppido cædem.

446 ¶ *Irascere*, pro irasci. Pomponius Arista: Noli quæso irascere. More fit, moriri suam quisque vxorem vt velit. Nigidius Commento grammatico lib. j. Ita irascere, quid nunc irascitur?

447 ¶ *Iandiu*, pro olim. Turpillius Hetæca: Rhodiensis est, sed istuc commigrauit iandiu. Ennius Alcmæone: Factum est iandiu. Cæcilius Ἐπὶ ταυοῖ μάχῃ: Liber essem iandiu, si habuissem ingeniosos coamatores mihi. Liuius Aiace: Mirum videtur quod sit factum iandiu.

448 ¶ *Incursim*, pro celeriter. Cæcilius Fallacia: Nullus sum, nisi meam rem iam omnem propero incursim perdere.

449 ¶ *Indiscriminatim*, indifferenter. Varro de lingua Latina libr. xviij. Quibus nos in hoc libro, proinde vt nihil intersit, vtemur indiscriminatim, & promiscuè.

450 ¶ *Insanum*, pro insanè, vt immanè pro immaniter. Plautus Neruo: Insanum valde vterque deamat. Sallust lib. ij. Immane quantum animi exarsere. Nomen positum pro aduerbio.

451 ¶ *Iuxtim*, pro iuxta. Sisenna ab vrbe condita: Iuxtim Numicium flumen obtruncatur. Liuius Ægistho: In sedes collocat se regias; Clytemnestra iuxtim; tertias natæ occupant.

452 ¶ *Inanima*, sine anima. M. Tull. de offic. libr. ij. Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, vt aurum, argentum. Et Hortensio: Nam cùm omnis solertia admiranda est, tum ea quæ efficit, vt inanima quæ sunt, viuere, & spirare videantur.

453 ¶ *Indolentiam* nouè. M. Tul. Quod sine dolore sit, de offic. libr. ij. Vt qui rem expetendam vel voluptate, vel indolentia metiuntur.

454 ¶ *Indicare*, promittere, addicere. M. Tul. de offic. lib. iij. Scæuola Publij filius cùm postulasset, vt sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur.

455 ¶ *Ineptitudo*, pro ineptia. Cæcilius ἁρπαζομένῃ: Qui homo ineptitudinis cumulatus, cultum oblitus est.

456 ¶ *Igitur*, positum pro postea. Plautus Amphit. Sin aliter essent animati, neque dent, quæ petat: sese igitur summa vi, virísque eorum oppidum expugnassere.

457 ¶ *Inuolare*, irruere, euolare, vel insilire, vel inuadere. Plautus Amphit. Cum clamore inuolant impetu alacri. Cicero de Oratore lib. iij. Ista prudentia, doctrinæque possessio, in quam homines caducam quasi, atque vacuam, abundantes otio nouis occupatis inuolauerunt.

458 ¶ *Iudicatum* atque *indictum*: Plautus Asinar. Malè cubandum est: iudicatum me vxor duxit domum.

459 ¶ *Impendio*, pro magis. Plautus Aulularia: Atque ille verò minus, minúsque impendio Curare, minúsque impertire honoribus.

460 ¶ *Indipiscere*, petere, vsurpare. Plaut. Aulular. Nec partem tibi adeò cui sit indipisces, neque furem excipies.

461 ¶ *Incrustatum*, ornatum, crustis coopertum.

pertum. Varro ταφῇ μενίππου λιθόστρωτα, pauimenta, & parietes crustatos.

462 ¶ *Impotens*, valde potens. Cic. Tusc. libr. v. Qui nihil metuant, nihil agant, nihil concupiscant, nulla impotentia efferantur.

463 ¶ *Inauditum*, quod non audiat, in veteribus prudentibus lectum est: Quædam animalium aliud alio [sensu] carent, & à natura gignuntur, aut inodora, aut inaudita.

464 ¶ *Infestum* aliud, aliud infensum. M. Tull. pro Plancio: Dolebam, iudices, & acerbè ferebam, si huius salus ob eam ipsam caussam esset infestior, quod is meam salutem atque vitam sua beneuolentia, præsidio, custodiâque texisset.

465 ¶ *Ignarum*, quod nesciat, cur aliquid sit incognitum. Virgilius: Ignarum Laurens habet ora mimanta. Sallustius Iugurthino bello: Amore humanæ cupiditatis ignara visendi.

466 ¶ *Illatebrare*, à latebris honestissimè dictum. Cælius Annal. lib. I. Arma plerique abiiciunt, atque inermes in latebras se illatebrant.

467 ¶ *Inimicitia* numero singulari. Ennius: Eo ego ingenio natus sum, amicitiam atque inimicitiam in frontem promptam gero.

468 ¶ *Impune*, quod est impudens. Lucil. libr. II. Homo impuratus, & impunè est rapister.

469 ¶ *Infinitio*, quasi sine fine, & indefinitio. Cicero de finibus bonorum & malorum libr. I. Quorum incursionem non solùm videamus, sed etiam cogitemus. Infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est.

470 ¶ *Inpopulum*, pro ad populum. Sisen. Hist. lib. iij. Seruulum eius præmio libertatis inductum magno cum tumultu conuentum in populum perduxit armatum.

471 ¶ *Immissum*, pro demissum, prominens & longiùs pendens. Sisenna Hist. lib. III. Complures menses barba immissa, & intonso capillo. Virgil. Æneid. libr. III. Respicimus, dira illuuies immissáque barba.

472 ¶ *Iusso*, pro iussu. Sisenna Histor. lib. IIII. Tamen Tudertibus Senatusconsulto & populi iusso dat ciuitatem.

473 ¶ *Iactuosa*, positum pro iactantes. Cicero Oratore: Cùm sint luminosæ, & quasi iactuosæ partes duæ.

474 ¶ *Incisim* [quasi simul] Cicero Oratore: Hæc quidem duo binis pedibus incisim, deinde membratim dicere solebas.

475 ¶ *Importatum*, pro illatum, quomodo exportatum, ablatum. Cic. Oratore: Publicis rebus, quæ adiumenta per homines eloquentissimos importata. Idem lib. II. Modò enim huc ista sunt importata.

476 ¶ *Inficiatores* sunt falsi criminis obiectores. Cicero de Oratore libr. I. Non intelligebat, vt si illi inficiatores probassent iudici, ante petitam esse pecuniam, quam esset cœpta deberi.

477 ¶ *Insignite*, cum iudicio notæ. Cic. de Oratore lib. II. Nec improbum notari, ac vituperari insignitè posse.

478 ¶ *Inuitius*, ab eo quód est inuitus. Cic. de Oratore lib. II. Quem ego paullò sciebam vel impudentiùs, vel inuitiùs. Nolo enim dicere de tam suaui homine fastidiosiùs.

479 ¶ *Inextinguibilis*. Varro Cato, vel de liberis educandis: Malè enim consuetudo diu importata est inextinguibilis.

480 ¶ *Innumera*, pro innumerabili. Lucretius lib. II. Non est vna, sed numero magis innumera.

L

481 ¶ *Later*. Varro ἐκάλι μέν, περὶ θυσιῶν. Ladon fluens sub Sardibus flumen tulit Aureum later, quod conquadrauit religio. Idem Sesquiulysse: Vbi educantur barbati, innumerabiles Lateres aureos habuisse. Idem Manio: Hic vt quadrato latere stipatæ strues.

482 ¶ *Lutaui*, pro lui. Varro ἔχις μέν, περὶ θυσιῶν. Habes quî, & cuius rei caussa fecerim hecatombem, in quo ego (vt puto) quoniam est luere soluere, lutaui.

483 ¶ *Lucuus*. Varro περίπλου, περὶ φιλοσοφίας. libr. II. Ac nulla Ambrosia, ac nectar, & non allium, & sardæ. Panis penia, lucuus cibus qui purissimus multò est. Idem σκιαμαχία περὶ τύφου: Vinum, temna lucuus nihil adiuuat istam. Afranius Fratriis: Pistori nouat cur non scribitario, vt mittat fratris filio luculentulus.

484 ¶ *Longurio*, id est, longus. Varro Triphalo περὶ ἀρρενότητος. Ego nihil narro, adeò hic ita curat qui ante me est nescio qui longurio.

485 ¶ *Lotiolente*, dictum veluti luculentè, à lotio: Titinnius Varro: Lotiolentè flocci fiet & luculator.

486 ¶ *Lenitudine*, pro lenitate. Turpillius Philopatro: Mira lenitudine ac suauitate abundat. Cic. Tusc. lib. iiij. Lenitudo orationis, mollitudo corporis, ea sibi bona ducens, quid erit in philosophi grauitate? Et in Verrem: Quanta me tua, non mea lenitudo.

487 ¶ *Lætitudinem*, pro lætitia. Accius Alcmæone: Vt me repositum immerentem repentino nuntio alacrem reddidisti, ac me excitasti ex luctu in lætitudinem. Idem Bacch. Quanta in venando affectus est lætitudine!

488 ¶ *Largitas*, pro largitione. Turp. Paraterusa: Eho dic mihi, an oblita obsecro es eius crebras mansiones ad amicam, & sumpti largitatem? M. Tul. de Republica lib. III. Pyrrhi videt largitas acos, aut Samnitium copia Curio defuerunt.

489 ¶ *Luminosum*, positum pro claro. Cicero Oratore: Tum sunt maximè luminosæ,& quasi iactuosæ partes duæ.

490 ¶ *Lusus*, vel lusio, qui ab omnibus ludus dicitur. Var. Marcipore: Vtri magis sunt pueri,hi pusilli nigri,qui spectant nundinam, vt magister dimittat lusus. Idem, Cato vel de liberis educandis: Ab huiuscemodi lusionibus radices crudelitas agere solet.

491 ¶ *Laboriosum*,in quo laboretur. Gallus Poëmatis: Durum rus fugite laboriosum.

492 ¶ *Laxitas*,laxitudo. Sallust. Histor. lib.IIII. Simul eos, & cunctos iam inclinatos laxitas,& loci plures cohortes,atque omnes, vt in secunda re,pariter acre inuadunt Marc. Tul. de offic. libr. I. Et admittenda hominum cuiusque modi multitudo,adhibenda cura est laxitatis.

493 *Lamentas*, pro lamentationes. Pacu. Hermiona: Lamentas fletus facere compendi licet.

494 ¶ *Lætare*, & lætiscere, & lætificare. Liuius Ægistho: Iámne oculos specie lætauisti optabili? Accius Pelopidis: Et te vt triplici lætarem bono. Sisen. lib.IIII. Vtrum ne viri cultu erga se mortalium lætiscant: an superna agentes humana negligant?

495 ¶ *Litterosus*,litteratus. Cassius Hemina Annal lib. IIII. Homo merè litterosus.

496 ¶ *Latibulet*,& latibuletur pro lateat. Næuius Erotopægnion: Nocte vt opertus amictu latibuletur. Accius Putatoribus: Progredere, & ne quis latibuletur prospice.

497 ¶ *Lupari*, vt scortari, vel prostitui, Turp. Acta: Atque scalis cum meretrice è nostro ornatu per vias lupantur. Lucil. libr. v. Et Diuos thure precemur Consilium, fas si placent, túne impunè superbis.

498 ¶ *Lutescit*, honestè dictum in poëmatis,tametsi auctoritatis sit ignobilis. Sanguine diluitur tellus,caua terra lutescit.

499 ¶ *Libellionem*,vt tabellionem. Varr. Manio: Tum ad me fuerúnt,qui libellionem esse sciebant.

500 ¶ *Limum*, obtortum. Varro Manio: Alter alieno sciens,sed limus intra limites culinæ.

501 ¶ *Lacessere*, positum pro prouocare. Cicero Oratore: Et Aristoteles Socratem lacessiuit, & Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt. Et Tusc. lib. v. Impulsi sumus ad philosophiæ scriptionem, verùm etiam lacessiti.

502 ¶ *Lentitudine*, pro lenitate. Cicero libr. Tusc.IIII. Eámque quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant.

503 ¶ *Lea*, pro leænæ. Lucret. lib.v. Irritata leæ aciebant corpora saltu.

504 ¶ *Ligellum*, tuguriolum, domicilium breue. Plautus Aulular. De suo ligello fumus si qua exit foras.

505 *Licitari*, congredi, pugnare. Ennius: Pars ludicrè iactant, saxa inter se licitantur. Cæcilius Hymnide: Quæ narrare inepti est scitras feruentis, quin machæra licitari aduersum cùm cœpisti sciens.

506 ¶ *Longiscere*, longum fieri, vel frangere. Ennius lib. XVII. Neque corpora firma Longiscunt quicquam. Idem: Cùm sola est, eadem faciunt longiscere longè.

507 ¶ *Ligurrire*, degustare, vnde abligurrire, multa auidè consumere. Horat. Semesos pisces tepidúmque ligurrierit. Attius Catul. Priapo: De meo ligurrire libido est.

508 ¶ *Latrocinari*, militare mercede. Plautus Cornicularia: Latrocinatus annos decem mercedem. In Tiberio: Qui apud regem in latrocinio fuisti, stipendium acceptitasti. Ennius: Fortunas quas cœpere latrones iterserare.

509 ¶ *Lauerna*, dea, cui supplicant fures. Plautus Cornicularia: Litauam Lauernam in fures scelerassit manus. Luc. l. xvij. Si messes facis musas, si vendis Lauernæ.

510 ¶ *Luculentitatem*, à luculento. Cæcilius Hymnide: Vide luculentitatem eius,& magnificentiam. Laberius Tucca: Dominus noster luculentitate captus.

511 ¶ *Lustratus*, luxuriosus, à lustris abditis lucis. Plaut. Cas. Vnde es, nihil vbi lustretur, ibi bibatur.

512 ¶ *Lusciosi*, qui ad lucernam non vident, & μύωπες vocantur à Græcis. Varro Disciplinar. libr.8. Vesperi non videre, quos appellant lusciosos. Idem Andabatis: Ædepol idem cæcus non lusciosus est.

513 ¶ *Lemures*, laruæ nocturnæ,& terrificationes imaginum, & bestiarum. Varro de vita populi Romani libro primo: Quibus temporibus in sacris fabam iactant noctu, ac dicunt se lemures domo extra ianuam eiicere.

M

514 ¶ *Mollitudinem*, pro mollitie. Varro Papiapapæ περὶ ἐγκωμίων. Sigilla in mento impressa amoris digitulo, vestigio demonstrat mollitudinem. Cicero de Oratore lib. sexto: In ipso factu modum & mollitudinis & lenitatis.

515 ¶ *Mirius*, magis mirum. Varro γνῶθι σεαυτόν. Subsilis ac plaudis,& ab aratro posces stiuam. oro nunquid enim hoc mirius?

516 ¶ *Mandare*, positum pro commendare. Sisenna Histor. lib. IIII. Post principia paullatim recedunt, atque inde cum paucis fugæ se mandant. Vnde & procurationem mandare, commendare, vel caussam sentire poteris.

517 ¶ *Matri-*

517 ¶ *Macritudinem*, pro macie. Plautus Captiuis: Ossa, atque pellis sum miser macritudine.

518 ¶ *Mustum*, non solùm vinum, verùm nouellum quicquid est, rectè dicitur. Næuius Gymnastico: Vtrum est melius, virginémne an viduam vxorem ducere? virginem, si musta est.

519 ¶ *Maximitas*, positum pro magnitudine. Lucret. lib. 2. Ne quædam cogas immani maximitate.

520 ¶ *Multesima*, pars nouè posita quantitas infinita. Lucret. libr. 6. Quàm sit paruula pars, & quàm multesima constet.

521 ¶ *Miseritudine*, pro miseria, vel misericordia. Acc. Astyanacte: Troia est testis, quære ex aliis, qui illius miseritudine Nomen clarum in humili saxo multis memorant vocibus. Idem Alphesibœa: Cùm ipsa sim, & si miseritudo eorum vlla est liberûm.

522 ¶ *Mœstitudo*, pro mœstitia. Accius Telepho: Quem ego vbi adspexi, virum memorabilem intui viderer, ni vestitus teter, mœstitudo, vastitudo prædicarent hominem esse. Plaut. Aulularia: Qui tanta mala, mœstitudóque obtigit?

523 ¶ *Magnitate*, pro magnitudine. Accius Bacchis: Neque sat fingi, neque dici potest pro magnitate.

524 ¶ *Marcellum*, dictum pro macilentum. Lucillius probat libro sexto: Si nosti, non magnus homo est, nasutus, macellus.

525 ¶ *Macore*, pro Macie. Pacuu. Peribœa: Corpúsque meum tabe, mœrore, errore, macore senet. Varro Serrano, περὶ ἀρχαιρεσιῶν. Noster Atticus riualis homo iturus in curiam cùm macescebat.

526 ¶ *Matrescam*, matris similis fiam. Pacuuius Duloreste: Vtinam nunc matrescam ingenio, vt meum patrẽ vlcisci queam.

527 ¶ *Munia*, officia. Sallust. Hist. lib. 3. Actum maximè (vti solet in extremis rebus) sibi quisque carissimum domi recordari, cunctíque omnium ordinum munia sequi. Plaut. Mercatore: Dicens pro meritis gratum me, & munia fore.

528 ¶ *Metari*, parare, vnde & metatores. Virg. Georg. lib. 2. Si pinguis agros metabere campi. Densa fere. Cælius Annalium libr. 3. Omnes simul terram cum classi accedunt nauibus, atque scaphis egrediuntur, castra metati signa statuunt. Vnde hodiéque metatores dicimus.

529 ¶ *Mammeatam*, mammosam. Plautus Pœnulo: Cuius amicam mammeatam.

530 ¶ *Musimones*, asini, muli, aut equi breues. Lucillius libr. 6. Pretium emit, qui vendit equum musimonem. Cato Deletorio: Asinum, aut musimonem, aut arietem.

531 ¶ *Mœstas*, pro mœstificas. Laberius Tusco: Concitatam mobilitatẽ mœstas.

532 ¶ *Mictyris*, paupercula, pulmentaria. Lucil. lib. 20. Pulmentaria vtentibus, aut aliquod genus herbæ, & ius mænarum bene habet se mictyris, hoc est meri.

533 ¶ *Mertaret*, pro merentem faceret. Accius Myrmidonibus: Quod sicut decuit, ista res mecum, aut meus mertaret dolor, iamdiu inflammari, & ardere naues vidisset suas.

534 ¶ *Madore*, infusione. Sallust. Histor. lib. 3. Quasi par in oppido festinatio, & ingens terror erat, ne ex latere noua munimenta madore infirmarentur. Nam mœnia oppidi stagnabant redundantibus cloacis aduerso æstu maris.

535 ¶ *Mercatis*, pro mercantibus. Sallust. Hist. libr. 5. Cæteri negotia sequebantur familiaria legatorum, aut tribunorum, & pars sua commeatibus mercatis.

536 ¶ *Maceries*, est maceratio. Afranius Excepto: Si ille hæc nunc sentit, facere illi satis, Vis quanta illius mors sit, maceries tibi.

537 ¶ *Manubias*, manus exuuiæ. Næuius Danaë: Manubiàs suppetat pro me.

538 ¶ *Mutuum*, pro mutuò. Lucillius libro 27. Et si maximè, quod spero, mutuum hoc mecum facis.

539 ¶ *Mordicus*. Lucillius lib. 27. Mordicus petere aurum, & flamma expediat. è cœno cibum. Plautus Menæchmis: Iamdudum oportuit nasum ademptum mordicus.

540 ¶ *Monstrificabile*, Lucil. lib. 27. Nunc ignobilitas his mirum, ac monstrificabile.

541 ¶ *Mendicarier*, pro mendicare, & mendicabulum pro mendicatione. Plaut. Vidularia: Malim moriri meos, quàm mendicarier. Boni ministrantur, illum nunc irrident mali. Idem Aulularia: Memorare nolo hominum mendicabula.

542 ¶ *Mertaret*, mergeret. Acc. Antenoridis: Fortassè an sit quod hic non mertet metus? Idem Deiphobo: Vel hic qui in ea parte effrenata impudentia Præsentem præsens dictis mertare institit.

543 ¶ *Muginari*, murmurare. Lucillius lib. 7. Muginamur, molimur, subducimur. Atta Aquis caldis: Atque ea muginantur hodie, atque ego occlusero fontem.

544 ¶ *Medullitus*, à medullis. Varro, Cras credo, hodie nihil: Atque vt igni feruido medullitus Aquiloniam intus seruat frigedinem. Plautus Truculento: Ostendisse sciam mihi medullitus infidelem nunquam dum viuam fore. Ennus Satyrar. lib. 3. Enni Poëta salue, qui mortalibus Versus propinas flammeos medullitus.

545 ¶ *Meritissimo*. Turpilius Paraterusa: Meritissimo re, magnifacio. Cæcilius Asoto: Meritissimò hic me eiecit ex hac decuria.

546 ¶ *Minitabiliter*, pro minaciter. Accius Ænea, Calleci voce canora fremitu peragrant minitabiliter. Pacuuius Antiopa: Minitabilitérque increpare dictis sæuis incipit.

547 ¶ *Morsicatim*, à morsu. Varro: Sicut pulli sic incedunt, & in labellis morsicatim lusitant.

548 ¶ *Mutabiliter*, à mutando. Varro, Cras credo, hodie nihil: Quibus instabilis animus ardens mutabiliter habet habere, & non habere.

549 ¶ *Mordicibus*, & mordicus pro morsu, pro morsibus. Plaut. Aulul. Asini me mordicibus scindant, boues incursent cornibus. Cicero Academ. lib. 3. Perspicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abesse dicamus.

550 ¶ *Mæander*, est picturæ genus, à simili opere labyrinthorum ortum clauiculis illigatum. Varro, ταφῆ μβρίπτειν, ἢ περιέχον τὴν γῆν. Mihi facies Mæandrata, & vermiculata, atque etiam adeò ingens orbem terræ. Virgilius lib. 5. Victori chlamydem auratam, quam plurima circum Purpura Mæandro duplici Melibæa cucurrit.

551 ¶ *Mansum*, mandendum, aut mansatum. Varro γνῶθι σεαυτόν. Dein certè alij fluctu, vt ficum pararet mansum, quo venarum sanguine riuos compleret. Lucillius libr. 30. Sperans ætatem eandem hæc proferre posset mansum ex ore daturum.

552 ¶ *Mulierauit*, vt effeminauit. Varro γνῶθι σεαυτόν. Et rex & misellus ille pauper amat, habétque ignem intus acrem, hic ephebetum mulierauit: hic ad me deca adolescentem cubiculum pudoris primus polluit.

553 ¶ *Memordi*, peposci, pepugi, spepondi in veteribus lecta sunt. Acc. Honilia: Atrice vrse se memordisse autumat. Lab. Callis: De integro patrimonio mea centum millia nummûm memordi. Ennius: Meum non est, at si me canis memorderit. Cætera in obscurioribus inuenimus.

554 ¶ *Metus* nouè, & eleganter positum. Sallust. Hist. lib. 1. Ad bellum excitabat metus Pompeij victoris, hoc est, quòd de Pompeio metueretur.

555 ¶ *Mendicimonium, & mechimonium* Laberius in libro, quem Cropium inscripsit, in eo verba hæc inueniet, qui doctrinæ studium putauerit adhibendum. In eo quoque libro *manstus*, quod est, furatus, inueniet.

556 ¶ *Medioximum*, medio actum modo. Var. Modio: Quid aliud est, quod Delphicè canat columna literis suis, ἄγαν μίθεω, viduam nos facere ad mortalem modum medioximè, vt quondam patres nostri loquebantur.

557 ¶ *Masculum*, pro forti, ac vehementi. Varro, ὄνος λύρας. Si non plus testiculorum offenderis, quam in castrato pecore in Apulia, vincor non esse masculum ad rem.

558 ¶ *Mancum*, debilem. Marc. Tullius de finibus bonorum & malorum libro tertio: Sed & iam alteris tribus, qui mancam fore putauerunt sine aliqua accessione virtutum.

559 ¶ *Minutum*, positum pro breui. Varro Epist. Latina: Si venisses Capuam, quòd & pueros minutos vides libenter, & maiores animaduertere non vis. Marcus Tullius Verrinarum libro 3. Reticulúmque ad nares admouebat, tenuissimo lino, minutis maculis plenum rosæ.

560 ¶ *Maceria*, paries. Sisen. Historiar. libr. 3. Post villarum macerias, ac parietinas quinque cohortes in insidiis reliquit.

561 ¶ *Manipulatim*, collecta manu. Sisen. Histor. lib. 3. Requiescendi spatium nacti condensiores manipulatim resistere hostibus instituissent.

562 ¶ *Multifariam*, partibus multis. Sisen. Histor. lib. 3. Quòd loca palustria, quæ erant & altè multifariam confossa.

563 ¶ *Marsupium*, sacculum. Var. Cato, de liberis educandis: Ex quo perspicuum est maiorem curam habere nos marsupij, quàm vitæ nostræ.

564 ¶ *Molimentum*, pro conatu. Sisenna Histor. libro quarto: Contrà magno cum molimento, ac perpetuo sono procedunt.

565 ¶ *Modiperatores*, quasi modum imperantes. Varro Rerum humanarum lib. 20. In conuiuiis qui sunt instituti putandi modiperatores magistri.

566 ¶ *Magniloquentia*. Cicero de Oratore, Quod ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ sit accommodatior.

567 ¶ *Ministratrix*, positum pro ministra. Cic. de Orat. Sed omneis comites, ministratricésque esse oratoris diceres.

568 ¶ *Male audiam*. Cic. de Orat. libr. 2. In quo libenter malè audiam: sed, quia caussam non libenter remitto, nimium patiens, & lentus existimor.

569 ¶ *Multitudo*, positum pro frequentia aut copia. Cicero de Orat. lib. 3. Sed vt Pontifices veteres propter sacrorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt. Eodem: Hunc etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est.

570 ¶ *Mulierositas*, cupiditas femineę voluptatis. Cicero Tusc. lib. 4. Similitérque cæteri morbi, vt gloriæ cupiditas, vt mulierositas, vt ita appellem eam, quæ Grecè φιλογυνία dicitur.

571 ¶ *Memoriam*, positum pro vetustate. Pacu. Chryse: Pérque nostram egregiam vnanimitatem, quam memoria deiugat.

572 ¶ *Murmurillum*, murmuratio. Plaut. Rudente: Nolo ego murmurillum, neque susurrum fieri. Idem: Quid murmurillas tecum, & te discrucias?

573 ¶ *Mediastinos* non solùm balnearum, sed ædium quoque ministros, & curatores legimus. Lucil. 17. Villicum Aristocratem mediastinum atque bubulcum. Cato præceptis ad filium: Ille Imperator, tu illi ac cæteris mediastinus.

N

574 ¶ *Nuperum* pro recenti positum ab eo quod est nuper, id est, ante non multum temporis. Plau: Captiu. Quid tu vna nocte postulauisti, & die Recens captum hominem nuperum, nouitium.

575 ¶ *Neminus* positum pro nullius. Plaut. Captiu. Neminis me miseret, nam mei miseret neminem. Lucillius lib. 30. Neminis ingenium tantum confidere oportet.

576 ¶ *Noxitudo* pro noxia. Acc. Armorum iudicio: Ocule noxitudo obliteretur Pelopidarum, ac per nos sanctescat genus.

577 ¶ *Nubere* veteres non solùm mulieres, sed etiam viros dicebant, ita vt nunc Itali dicunt. Pompon. Pannuceatis: Sed meus frater maior postquam vidit me inde eiectum domo, Nupsit posteriùs dotatæ vetulæ, varicosæ, afræ.

578 ¶ *Nitiditate* pro nitore. Acc. Bacchis: Formæ, figuræ nitiditate hospes regis.

579 ¶ *Numen* pro ornatu. Virg. Æneidos lib. 2. Vadimus immisti Danais haud numine nostro.

580 ¶ *Nenum* pro non. Lucil. libr. 30. Sed tamen hoc dicas, quid est nenu molestum est. Var. Epistola ad Fusium: Si hodie nenu venis, cras quidem si veneris meridiem die natalis fortunæ.

581 ¶ *Neuult* pro non vult. Titin. Setina: Ipsus quidem hercle ducere sanè neuult. Plaut. Trinum. Filiam meam tibi desponsatam esse audio, nisi tu neuis.

582 ¶ *Nigret*, nigra fit. Pacu. Chryse: Solisque exortu capessit candorem, occasu nigret. Acc. Bacchis: Splendet sæpe, ast idem nimbis interdum nigret.

583 ¶ *Nitidant*, abluunt, dictum à nitore. Enn. Cresphon. O pie eam secum aduocant, eunt ad fontem, nitidant corpora. Acc. Thebaide: Quin id Circæo fonte aduenlunt mundulæ, nitidantur vulgo, pripendantur soni.

584 ¶ *Nixurire*, niti velle. Nigidus Commento grammaticæ xxx. Nixurit qui niti vult, & in conatu sæpius aliqua re perpellitur.

585 ¶ *Notificem*, nota faciam. Pompon. Atreo: Nunc te obsecro stirpẽ vt euoluas meorúmque genus notifices mihi.

586 ¶ *Numella*, machinæ genus ligneum ad discruciandos noxios paratum, quo & collum & pedes immittunt. Plaut. Asinaria: Neruos, catenas, carcerem, numellas, pedicas, boias.

587 ¶ *Nugiuendos* Plautus dici voluit omnes eos, qui aliquid mulieribus vendat. Nam omnia; quibus matronæ vtuntur, nugas voluit appellari. Plaut. Aulul. Vbi nugiuendis res soluta est omnibus.

588 ¶ *Nidus* pro oculo. Varro Quinquatribus: Quam lymphã meliùs è lacuna fontium allatam, nidos potili permisceat.

589 ¶ *Nidulatur*. Varro primo Hebdomadon, Dies deinde illos quib. Halcyones hyeme in aqua nidulantur, eos quoque septem esse dixit.

590 ¶ *Nescium* pro incognito. Plaut. Rudente: Quæ in locis nesciis nescia spe sumus.

591 ¶ *Noctescere*, cæcari. Furius Poematis: etsi est auctoritatis incertæ: Omnia noctescunt tenebris calliginis atræ.

592 ¶ *Nepam* quidam cancrum putant ob illud Plauti: Retrouersum cedam, imitabor nepam. Et illud aliud: Aut cum nepa esset dubium in vtroque. Nam verè nepa scorpius dicitur. M. Tull. de finib. bonorum & malorum libr. 5. Serpere anguiculos, natare anaticulas, volare merulas, cornibus vti videamus boues, nepas aculeis, suam denique cuique naturam esse ad viuendum ducem.

593 ¶ *Nex* pro Nece. Sisenna Hist. libro 4. Quoniam neque mea nex, neque intercessio posse videtur illorum dementem reprimere audaciam.

594 ¶ *Nænia*, ineptum & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis quibus propinqui non essent mortuis exhiberet. Var. de vita populi Romani lib. 4. Ibi à muliere, quæ obtutum à voce esset, per quam laudari, deinde næniam cantari solitam ad tibias & fides.

O

595 ¶ *Obscænauit*, quasi scænum, id est malum omen obtulit. Plaut. Asinar. Metuo quod illic obscænauit meæ falsæ fallaciæ.

596 ¶ *Opimitas* ab opimo. Plaut. Asin. Maximas opimitates & gaudio effertissimas. Idẽ Capt. Maximas opimitates opiparásque offers mihi.

597 ¶ *Obba* poculi genus, quod nunc vbba dicitur. Varr. Est modus matulæ; περὶ μέθης: Dolia atque apothecas tricliniares, melicas, calenas, obbas, & cumanos calices.

598 ¶ *Opulentitas* pro opulentia, Plaut. Mil. glor. Quasi quis eius opulentitatem reuerearis. Cæcil. Plorio: Opulentitate nostrâ sibi iniuriam faciam.

599 ¶ *Orbitudinis* pro orbitate. Acc. Amphitr. Miseret lacrymarum, luctuum, orbitudinis. Turpil. Thrasyleone: Hoc te oro, vt il-

lius commiserescas miserę orbitudinis. Pacu. Duloreste: Vel cùm illum videas solicitum orbitudine.

600 ¶ *Ocquiniscere*, est propriè inclinare. Pompon. Prostibulo: Vt nullum ciuem prædicaui per dolum, Nisi ipsus orans vltróque ocquinisceret. Idem Pistore: Nisi nunc aliquis subitò obuiam occurrit mihi. Qui ocquiniscat, quo compingam terminum in tutum locum.

601 ¶ *Obliterare*, est obscura facere, & obliuionem ducere. Acc. Agamemnonis: Inimicitias Pelopidarem extinctas iam, atque obliteratas memoria renouare.

602 ¶ *Offendo*, offensio. Afran. Vopisco: Quóque nunc offendo sæpe procul nostra sit mala.

603 ¶ *Olat*, pro oleat. Afran. Fratriis: Non potest Quin illa tacta, longéque & multis olat. Pomponius Aleonibus: Aleo ludam sanè meæ malè olant manus.

604 ¶ *Obsorduit*, obsoleuit. Cæcil. Hypobolim. Rastraria: Obsorduit iam hæc in me ærumna miseria.

605 *Obstringillare*, obstare. Enn. Satyrar. lib. 3. Restitant, occurrunt, obstant, obstringillant, obagitant. Var. Manio: Lex neque innocenti propter simultatem obstringillat, neque nocenti propter amicitiam ignoscit. Idem de re rustica libr. 1. Tu, inquit, inuides tanto scriptori, & obstringillandi caussa figlinas reprehendis, cùm præclara quædam, ne laudes, prætermittas. Idem de vita populi Romani libr. 4. Quod Curio cùm id fecisset, dicebat amicis, vt illi renunciaretur se obstringillaturum, ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret consul.

606 ¶ *Obuarare*, peruertere, deprauare, dictum à varis. Enn. Achille: Nam consiliis obuarant, quibus tamen concedit hic ordo.

607 ¶ *Obsecundanter*, obsequenter. Nigidius de Diis libr. 1. Cùm autem id quid sit quærimus, obsecundanter naturæ viuerent.

608 ¶ *Oculitus*, vt animitus, medullitus. Plaut. Cornicularia: Qui amant ancillam meam Hedylium oculitus.

609 ¶ *Officulatim*, vt simulatim. Cæcil. Fallacia: Officulatim Parmenonem de via liceat legam.

610 ¶ *Officere*, obesse. Marc. Tull. de offic. libr. 3. Demoliri ea, quorum altitudo efficeret auspiciis.

611 ¶ *Oliuitatem*, fructus olei. Var. Gloriam περὶ φθόνου. Denique omnis cum lucerna combusta est in lucubrando, oliuitásque consumta est. Idem de repub. 1. Non modò integra eximi, sed etiam maior, quàm in arbore vnquam pependerit, de oliuitate oleas esui optimè condi scribit Cato.

612 ¶ *Occepso*, cœpero. Plaut. Amphitr. Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.

613 ¶ *Osasum*, pro odi. Plaut. Amphitr. Inimicos semper osasum obtuerier.

614 ¶ *Orbium*, dictum per orbem. Var. γνῶθι σεαυτόν: Vt sidera cœli Diuûm circum terram, atque axem quæ voluuntur motu orbico.

615 ¶ *Opulescere*, ab opulento dictum decorè. Furius Poëmatis: Quo magis in comptis possint opulescere campis.

616 ¶ *Occultè*, occulta. Cic de Orator. lib. 2. Inter iuncta argumentorum plerunque occulas, ne quis ea numerare possit. Virgil. Georg. lib. 2. Quod superest, quæcunque premes virgulta per agros. Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra.

617 ¶ *Opinabile*. Cic. Academ. lib. 1. Itaque hanc omnem artem rerum opinabilem appellabat.

P

618 ¶ *Penularium*, quasi theca, & vagina penulæ. Nonius Fullonico: Non multò post sonoram accepit, absedet, consequitur penularium, psilotrum petit.

619 ¶ *Pleuitatem*, ignobilitatem. Cato pro Veturio: Propter tenuitatem & pleuitatem. Hemina in Annalibus: Quicunque propter pleuitatem agro publico eiecti sunt.

620 ¶ *Petilum*, tenue, & exile. Lucil. XII. Insignis varis cruribus, & petilis. Plaut. Plotino: Nam coloratam frontem habet, petilis habris. Petilis tenuis dicit, habris mollis dicit.

621 ¶ *Paces*, plurali numero nouè positum. Varro de vita populi Rom. li. 3. Animaduertendum primùm, quibus de caussis, & quemadmodum constituerint paces: secundùm, qua fide, & iustitia eas coluerint.

622 ¶ *Pondo*, mille octingentûm, nouè Varro de vita populi Romani libr. 4. Itaque retuli auri pondo mille octingentûm septuaginta quinque, Græci enim herona mille dixerunt.

623 ¶ *Panus*, tramæ inuolucrum, quem diminutiuè panulam vocamus. Lucil. lib. 12. Foris subtegminis panus est. *Tumor* quoq. inguinum ex similitudine sic vocatur. Afr. Matertera: In quem plenam papulam, panũ tympanum. Nouius Optione: Qui me miserum miseriorem reddidit, quàm panus puerum, quod pueri ægriùs patiatur hoc genus morbi.

624 ¶ *Peniculamentum*, à veteribus pars vestis dicitur. Enn. lib. XI. Annalium: Pendent peniculamenta vnum ad quemque pedum. Lucil. libr. XIX. Peniculamentum verè reprehendere noli. Cæcil. Fœneratore: Volat sanguis, simul auolat peniculamentum, & pallio datur.

625 ¶ *Prognariter*, strenuè, fortiter, & constan-

constanter. Plautus Persa: Ego scio hercle vtrunque velle. Age, indica prognariter. Ennius Annalium libro 6. Diu hoc audite parumper: Vt pro Romano populo prognariter armis Certando, prudens animam de corpore mitto.

626 ¶ *Perperos*, indoctos, stultos, rudeis, & insulsos, mendaces. Acc. Pragmatic. Describere in theatro perperos populareis. Idem eodem: Et eo plectuntur Poëtæ, quàm suo vitio sæpius, Ductabilitate nimia vestra aut perperitudine.

627. ¶ *Præcox* & præcona, quod est, immatura. Ennius Annalium libro 8. Præcox pugna est. Lucil. lib. 8. Anicula aspera, atque præcox est fuga. Non. Huic puellæ præcoquis libido inest.

628 ¶ *Populatim*, per populos. Pompon. Magnus Poëta placuit populatim omnibus.

629 ¶ *Præmiatores*, nocturni prædones. Næuius Amnagrennuntius: Nam in scæna nos nocturnos cœpit præmiatores tollere.

630 ¶ *Populacia*, vt nugalia, vel puerilia. Lab. Latè coquentibus hœdum populacia agimus per ludum.

631 ¶ *Possestrix*, à possidendo. Afran. Aliber totius monilis possestricem. Ita tonstrix, ita impulstrix, ita curatrix, ita plaustrix, ita assestrix.

632 ¶ *Perpetuitassit*, sit perpetua, æterna. Enn. Annalium lib. 9. Libertatémque vt perpetuitassint quàm maximè.

633 ¶ *Præcisum* & omasum, partes carnis & viscerum. Næuius Aulularia: Præcisum, omasum, pernam, callum, glires, glandia. Lucil. lib. 20. Illi præciso, atque epulis capiuntur opimis.

634 ¶ *Pisculentum*, positum piscosum, vt puluerulentum. Cato Originum lib. 5. Origine fluuium Naronem magnum, pulcrum, pisculentum. Et libro 8. Fluuium Hiberum, is oritur ex Catinatis magnus, atque pulcer, pisculentus.

635 ¶ *Pasceolus*, ex aluta sacculus. Plautui Rudent. Præterea centum denaria Philippea In pasceolo seorsum. Lucillius libro 13. Adde Syracusis sola, pasceolum, alutam. Cato in Pansam: Pueri in ludo solent pasceolos furari.

636 ¶ *Piem*, colam, custodiam. Plaut. Asinaria: Vbi piem pietatem, si istoc more morata tibi postulem placere? Mater mihi quo pacto præcipis?

637 ¶ *Portisculus*, propriè est hortator remigum, id est, qui eandem perticam tenet, quę portisculus dicitur, qua ex cursum, & exhortamenta moderatur. Plaut. Asinaria: Et meam partem loquendi, & tuam trado tibi ad loquēdum, atque ad tacendum tute habeas portisculum. Ennius lib. 8. Annal. Thus ante tenentes parerent, obseruarent, portisculus signum cum dare cœpisset. Lab. Cithera: Nec palmarum pulsus, nec portisculi.

638 ¶ *Perplexabile*, figuratum, quòd aliud audiatur, aliud sentiatur. Plaut. Asinaria: Nec vllum verbum faciat perplexabile.

639 ¶ *Præsegmina*, propriè Plautus Aulular. ea dici voluit, quæ vnguibus eminulis præsecantur: Quin ipsi pridem tonsor vngues dempserat, Collegit, omnia abstulit præsegmina.

640 ¶ *Pipulo*, pro conuitio. Plaut. Aularia: Ita me bene amet Lauerna, te iam, nisi reddi, Mihi vasa iubes, pipulo hîc differam ante ædeis.

641 ¶ *Picos*, veteres esse voluerunt, quos Græci γρύπας appellant. Plaut. Aulularia: Pici diuitiis, qui aureos montes colunt, ego solus supero.

642 ¶ *Percellere*, euertere, percutere. Varro Parmenone: Alius teneram abietem solus percellit.

643 ¶ *Pinsere*, tundere; vel molere. Var. ταφῆ μενίππου: Nec pistorem vllum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam. Idem de vita pop. Rom. lib. 1. Nec pistoris nomen erat, nisi eius, qui ruri far pinsebat, nominati ab eo quod pinsunt.

644 ¶ *Porcas*, Var. ταφῆ μενίππου. Non vides in publica nocte te tabernas, qua populus ambulando perinde, vt in aratro porcas reddit?

645 ¶ *Putidum*, putre. Var. ταφῆ μενίππου. Inde putidas vuas acinis electis, & comestis extendit in lectis quondam. Cato Originum lib. 2. Si inde ignauus putidas, atque senticosas commeatu monere volebat. Cæcil. Andria: Conducit nauem putidam. Afran. Auguri bus: Et fallaci aspectu paries pictus, putidus.

646 ¶ *Pœnitudinem*. Pacuu. Teucro: Quę desiderio alumnum pænitudine Squale, scapréque inculta vastitudine.

647 ¶ *Præbitio*, à præbendo, id est, exhibendo. Var. Eumenidibus: Quòd ea die mea erat præbitio, in ianuam caue canem inscribi iubeo.

648 ¶ *Pueros*, pro seruis. Var. Eumenid. Vix vulgus confluit, non Furiarum: sed puerorum, atque ancillarum.

649 ¶ *Paxillus*, diminutiuum à palo. Var. Eumenid. Vbi dicatur primus Zenon nouam hæresin nouo paxillo suspendisse. Idem Bimargo: Vt nouum cribrum nouo paxillo pendeat.

650 ¶ *Proximi*, id est, proximo. Cato contra Furium, die proximi hoc dicit, sed ea declinatione à veteribus & crastini & pristini, prępristini dictum.

651 ¶ *Properatim*, dictum est properanter:

Cæcilius Plocio: Properatim in tenebris istuc confectum est opus.

652 ¶ *Pernicies*, periculum, exitium. Lucil. 29. Nunc tu contra venis, vel qui in nuptiis, vel se seneces, nec sine pernicie. Plaut. Asinar. Pelle crebris perniciis.

653 ¶ *Parcuit*, parcit. Næuius Quadrigeminis: Suo labori nullus parcuit.

654 ¶ *Perbitere*, perire. Pacuuius Periboea: Nam me perbitere, illis opitularier quouis exitio cupio, dum prosim modò. Titinn. Fulconia: Iam pridem egressa vt perbiteris. Liuius Tereo: Ego puerum interea ancillæ subdam lætantem meæ, Ne fame perbiter. Ennius Hecuba: Nunquam scripsistis, qui parentem, aut hospitem nec assat quos quis cruciatur peruiteret.

655 ¶ *Pigrare*, retinere. Acc. Erigonis: Fateor, sed cur propter te pigrem hæc aut huius dubitem parcere capiti? Idem Chrysippo: Melius pigrasse, quàm properasse est nefas.

656 ¶ *Prouidere*, mouere & ferre. Pacu. Teut. Aut me occide, illa hinc sine vsquam prouideam gradum.

657 ¶ *Puellascere*, effeminari, vel reuirescere. Var. Baiis: Quòd non solùm innubæ fiunt communes, sed etiam veteres puellascunt, & multi pueri puellascunt.

658 ¶ *Palæstricos*, quasi ex vsu palæstræ. Afran. Excepto: Etiam depellis mihi manum per palæstricos.

659 ¶ *Populatim*. Cæcil. Obolostate: Ego perdidi te, qui omnes seruos perdo populatim, quæso ne ad malum hoc addas malum.

660 ¶ *Præsente*, coram, vel præsentibus. Pomp. Syris: Quidam apud forum præsente testibus mihi vendidit. Acc. Mænalippo: Est res aliqua, quæ præsente his priùs maturè institit. Fenestella Annal. lib. 2. Et quædam extrà præsente suis, quædam absente proiecissem. Nou. Mænia. Medicatè volumus dono donare pulcro præsente omnibus.

661 ¶ *Primiter*, pro primè, & primitus pro primo. Pomp. Maccis geminis: Quin bono animo es video, eripis primiter dapes. Lucil. li. 5. Sicuti cùm primiter ficos populare sentis, item pretio ingenti ad primitus paucos.

662 ¶ *Prognariter*, audaciter. Plaut. Persa: Age, indica prognariter.

663 ¶ *Properatim*, & properiter, celeriter, properanter. Quadrigar. Annal. lib. 2. Eò consules properè exercitum reducunt. Pomp. Buccone adoptato: Pergis properatim. Cæcil. Plocio: Properatim in tenebris istuc cõfectum est opus. Pacu. Teuc. Mihi classe impetrat Thessalam. Nostrámque in altum vt properiter deducerem. Acc. Telepho: Remísque nixi properiter nauem in fugam tradunt.

664 ¶ *Præfractum*, durum, inflexibile. Marc. Tull. de offic. lib. 3. Ego etiam cum Catone meo sæpè dissensi. nimis mihi præfractum videbatur, ærarium vectigaliáque defendere: omnia publicanis negare. Et Hortensio: His contrarius Aristotius præfractus, ferreus, nihil bonum, nisi quod rectum atque honestum est.

665 ¶ *Pulcritas*, pro pulcritudo. Cæc. Harpazomene: Dij boni, quid illud est pulcritatis?

666 ¶ *Proletarij*, ciues dicebantur qui in plebe tenuissima erant, & non ampliùs quàm mille, & quingentos æris, in censum deferebant. Enn. Annal. Protelarij, vt publicitùs scutáque ferríque ornatus.

667 ¶ *Prospica*, & despica intenta, & contempla. Næu. Assitogiola: Ac sibi prospica, ac despica. Potest ergo prospicus, ac despic' dici.

668 ¶ *Pollentia*, potentia à pollendo dicta. Plaut. Rudente: Ne ineptorum potior sit pollentia. Pollere ergo commune est.

666 ¶ *Propitiabilis*, ad propitiandum. Ennius Capiuncula: Huic est animus propitiabilis, ita & adolabilis, id est sine dolore.

670 *Pauxillisper*, à pauxillo. Plaut. Truculento: Plus decem pondo amoris pauxillisper perdidit, id est, per particulas.

671 ¶ *Ponderitatem*, à pondere, vt grauitatem. Acc. Pragmaticon lib. 2. Et cuncta fieri cætera iubet illa, non quod ponderitatem, grauitatémque hominis.

672 ¶ *Pueritia*, id est, puritas. Varr. Rerum diuin. lib. 1. Quæ pueritia est infrequens polluta.

673 ¶ *Prælumbare*, lumbos perfringere. Nou. Vindemiat. Cœpit vnumquemque prælumbare fustibus.

674 ¶ *Puera*, pro puellæ. Var. Væ victis, περὶ φιλονικίας: Properate viuere pueræ, quas sinit ætatula ludere, esse, amare, & Veneris tenere bigas. Idem de vita populi Romani lib. 2. Sic in priuatis domibus pueri liberi, & pueræ ministrabant.

675 ¶ *Pupa*, & *Pupi*. Var. Aboriginibus: περὶ ἀνθρώπων φύσεως. Itaque breui tempore magna pars in desiderium puparum, & sigillorum veniebat. Idem Tithono, περὶ γήρως. Ac mammam lactis sugentem pascere pupum.

676 ¶ *Pipare*, propriè gallinæ dicuntur. Var. Aboriginibus, περὶ ἀνθρώπων φύσεως. Mugit bos, ouis balat, equi hinniunt, gallina pipat.

677 ¶ *Producere*, dixit prolatare, producere. Varro, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ ἐπιτηδείων. Legendo autem & scribendo vitam producito. Virgil. Georg. lib. 1. Durum procudit arator Vomeris obtusi dentem.

678 ¶ *Præcox*, id est, præcoqua. Varro Synephebo, περὶ ἐμμονῆς. Verere, ne manu non mittat, cùm octo medicarios honestos audissemus dare possis. mittet, quòd si non mittat, fugies, si me audies. cùm tempus reuocat, ea præcox est fuga.

679 Pau-

679 ¶ *Pauperauit*, id est, pauperem fecit. Plautus Milite glorioso: Quæ improba est, Pro mercis vitio dominum precio pauperat. Idem Acari studio: Quam ego tanta pauperaui per dolum pecunia. Titinnius Priuigno: Nam quid ego feci, & aduorsum, aut patrem meum, quem pauperetis ambo vestris sumptibus. Idem Varro: Æquum est me habere eos pauperem sumptu meo.

680 ¶ *Potus*, à bibendo. Lucil. lib. 30. Secus cum eo medio ac ludo benè potus recessit.

681 ¶ *Paucies*, pro rarò dici, veterum auctoritas docet. Titinn. Gemina: Postquam factus maritus, hanc domum abhorres, tuam etiam vxorem paucis video. Idem eadem: Tu autem, inquit, in vrbem paucies venire soles: Cælius Annalium lib. vj. Consultò non paucies arcessitum.

682 ¶ *Pollinctores* sunt, qui mortuos curant. Varro: Mutuum muli scabunt, περὶ ἀγορασμοῦ. Itaque plures dies inter medici discessum, & aduentum pollinctoris interfuerunt, & id æstate videas. Varro Cosmotyrine, περὶ φθορᾶς κόσμου. Propter cunam capulum positum nutrix tradit pollinctori. Plautus Asinar. Ecquis currit pollinctorem accersere?

683 ¶ *Putamina* non solùm arborum sunt, verùm omnium rerum purgamenta. Nam quicquid ex quacunque re proiicitur, putamen appellatur. Plaut. Capti. Nucleum amisi, reliqui pigneri putamina.

684 ¶ *Pestilitas*, pestilentia. Lucillius libro vj. Atque ea vis omnis morborum pestilitásque. Lucr. lib. vj. Hæc igitur clades noua pestilitásque.

685 ¶ *Pœniturum*. Accius: περὶ ναυσὶ μάχη: Quod si procedit, neque te, neque quenquam arbitror tuæ pœniturum laudis: quam vt serues vide.

686 ¶ *Pausa*, est quies alicuius rei. Accius Epigono: Sed iam Amphilocum huc vadere cerno, & nobis datur bona pausa loquendi. Lucil. Satyr. lib. 1. Hæc vbi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.

687 ¶ *Prosferari*, impetrari. Lucillius lib. 26. Nec minimo, & prosferatur pax, quod Cassandram signo deripuit.

688 ¶ *Puellos*, pueros. Varro Testamento, περὶ διαθηκῶν. Sic ille puellus Veneris repentè vado cecidit cruentus olim. Lucil. Satyr. lib. 4. Cúmque hic tam formosus tibi, ac te dignus puellus. Lucret. lib. 4. Et natæ possunt tamen inde puellos Suscipere, & partu possent ditescere dulci. Ennius: Ille suos Diuis meos sacrificare puellos. Varro Marcipore: Peliam me, & permisisse, vt ceu eluuiem degluberet dum madore puellum. Idem Sexagesi: Vltrà intra pectus dormitio vigilabis: quæ mi puellum impuberem cepisti.

689 ¶ *Pecus* non solùm quadrupes animal, verùm omnia animalia pecudes vocantur. Plaut. Rudente: Non vides referre me vuidum rete sine squamoso pecu? Liuius Ægistho. Tum autem lasciuum Nerei simum pecus. Virgil. Georg. lib 4. de apibus: Et pecudum custodia sollers. Lucret. lib. 2. Præterea genus humanum, mutæque natantes Squamigerum pecudes. Lucil. Stat. lib. 5. Lasciuire pecus iussit, rostríque repandum.

690 ¶ *Percitum*, dictum est percussum. Plaut. Amp. Delirat vxor, atra bili percita est.

691 ¶ *Pecua*, & pecuda, ita vt pecora veteres dixerunt. Næuius Gymnastico: Homines pecua, belluásque. Idem Lycurgo: Sine ferro pecuda manibus vt ad mortem meant. Acc. Astya: In celsis montibus pecua, atque inter colles pascunt Danai in Phrygia, & terminis. Idem Medea: Vagant, pauore pecuda in tumulis deserunt, Quis nos pascet postea? M. Tul. de repub. lib. 4. Cùm adhibent in pecuda pastores. Accius Diomede: Passim quæ præda pecua balabant agris. Cæcilius vmbris: Et homini, & pecudibus omnibus. Sisenna Hist. libr. 4 Iumenta & pecuda locis trepidare compluribus.

692 ¶ *Putret*, putridum est. Pacuuius Teucro: Quanquam annísque & ætate hoc corpus putret. Accius Erigona: Quanquam exangue est corpus mihi, atque annis putret.

693 ¶ *Protollere*, est differre. Lucil. Sat. li. 1. Si non ampliùs ad lustrũ hoc ꝓtolleret vnum.

694 ¶ *Priua*, significat singula. Lucil. Satyra libr. 1. Ad cenam adducam, & primum hisce abdomina thymni Aduenientibus priua dabo. Lucret. lib. 3. Quòd si fortè animas extrinsecus insinuari Vermibus, & priuas in corpora posse venire Credis.

695 ¶ *Prodigitas*, dicta profusio. Lucil. Satyra lib. 6 Nequitia occupat os, petulantia, prodigitásque.

696 ¶ *Porcet*, significat prohibet. Pacu. Atalanta: Magna te, vt verear eloqui, porcet pudor. Accius. Erigona: Quibus oculis quisquam nostrum poterit illorum obtui vultus, quòd iam ab armis anni porcẽt? Ennius Telamone: Deum me sentit facere pietas, ciuium porcet pudor. Var. Manio: Hunc Cereris tibi ministra frugibus suis porcet. Lucil. libro 6. Non te porrò procedere porcent.

697 ¶ *Prolixitudinem*, à prolixo. Pacu. Duloreste: Oro mi, ne flectas fandi mi prolixitudinem.

698 ¶ *Perfice*, perfeceris. Luca. lib. 2. Denique ad extremum crescendi perfice finem, Omnia perduxit rerum natura creatrix.

699 ¶ *Pediolus*, à pede diminutiuè. Afran. Excepto: Atq; adeò nolo nudo pediolo es pus.

700 ¶ *Petico*, genus morbi. Lucillius lib. 30. Illuuies, scabies, oculos huic denique petigo Conscendere.

701 ¶ *Porrigo*, morbi genus. Lucillius lib. xxx. Tristem, & corruptum scabie & porriginis plenum.

702 ¶ *Profligare*, Verbum passiuum ad vsum trahi cœptum est. Nam cùm sit profligatum perditum, & ad internecionem adductum, nunc perfectum solùm, tum aut ædificium, aut aliquod vtile inceptum dicendum putant, cùm affectum dici debeat, non profligatum. M. Tull. tamen Tuscul. lib. v. Profligata iam, & penè ad exitum deducta quæstio est. Idem de prouinciis consularibus: Bellum adfectum videmus. & infrà: Nam ipse Cæsar quid est quod in ea prouincia commorari velit, nisi vt ea, quæ per eum adfecta sunt perfecta reipubl. tradat. Et in Oeconomicis: Cum affecta iam prope ætate à sole mitescere tempus est.

703 ¶ *Patritum*, vt auitum. Varro Manio: Funere familiari commoto, auito ac patrito more precabamur. Idem reipub. lib. 20. Secundum leges habitasset patritas. Cicero Tusc. lib. 1. Patritam illam & auitam, vt ait Theophrastus, philosophiam.

704 ¶ *Percedere*, vt decedere. Cicero Orat. Concisum non concessum, & quod quidam percessum eam volunt.

705 ¶ *Popinones*, vel hi, quos nunc dicimus tabernarios à popinis, vel luxuriosos, qui se popinis dedunt. Varro Modio: Quis poculis argenteis in quorum introibit? propino. Lucil. lib. 1. Infamem honestam, turpémque odisse popinam.

706 ¶ *Putidum*, non putrem, sed odoris mali. M. Tul. de finibus bonorum & malorum libr. v. Non inscitè illud dictum videatur in sue, animum illi pecudi datum pro sale, ne putisceret.

707 ¶ *Percursionem*, excursum. Cic. Tusc. lib. 5. Propter animi multarum rerum breui tempore percursiones.

708 ¶ *Præfestinatim*. Sisenna Hist. lib. 4. Idemque perseuerauerunt: vti lex perueniret, ad quæstorem ac iudices, quos vellent instituerent præfestinatim & cupidè.

709 ¶ *Præstolari*, est expectare vel manere. Sisenna Hist. lib. 3. Occultè tacitéque aduenientium cohortium præstolari accipiunt.

710 ¶ *Permittere*, promittere, incitare, vel præcipitare. Sisenna Hist. lib. 3. Et inde equum concitatum princeps ad hostium permittit aciem. Idem lib. 4. Multi præmissis armis ex summo se permitterent.

711 ¶ *Proijcere*, effundere honestè positum. Sisenna Hist. lib. 4. Tum postquam apud Æginos, ac Perusinos eius facti mentionem proiecit.

712 ¶ *Petulantiam*, pro improbitate. Cicero de Orat. lib 2. Illud assequor, vt si quis mihi fortè maledicat, petulans, aut sanè insanus esse videatur.

713 ¶ *Pressu*, quasi compressione. Cicero de Orat. libro 3. Valerium Soranum leuitate vocis, atque ipso vocis pressu, & sono facilè vincat.

714 ¶ *Paupertates*, nouè positum numero plurali. Varro de vita populi Romani lib. xj. Quid inter hos Ioues intersit, & eos, qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, potes animo aduertere, & horum temporum diuitias, & illorum paupertates.

715 ¶ *Paupertinum*, pauperem. Varro de vita populi Romani lib. 1. Vt incitet occultúq; sunt consentanea, quod sunt paupertina sine elegantia, ac cum castimonia.

716 ¶ *Plumarium*, [à plumando] Varro Cato, vel de liberis educandis: Etenim nulla, quæ non didicit pingere, potest bene iudicare, quid sit bene pictum à plumario, aut textore in puluinaribus plagis.

717 ¶ *Purpurascit*. Cicero Academicorum lib. 2. Quid mare, nónne cæruleum? aut eius vnda cùm est pulsa ramis, purpurascit? & quidem aqua tinctum quodammodo & infectum.

718 ¶ *Perpendiculi*, & normæ. Cic. Acad. libr. 2. Atqui si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis.

719 ¶ *Pingue*, positum pro impedito & inepto. Cicero Academicorum libro 4. Quod ipsi Antiochio pingue videtur, & sibi ipsi contrarium.

720 *Probatu* difficile. Cic. Tusc. lib. 5. Quod & difficile est probatu propter tam varia & tam multa tormenta fortunæ.

721 ¶ *Palpo*, quasi à palpando. Plaut. Mercatore: Palpo percutit.

722 ¶ *Peminosum* mali odoris, à pedore dictum. Varro de re rustica lib. 1. Solida terra pauita, maximè si est argilla, ne situ peminosa in rimis eius grana oblitescant.

723 ¶ *Pisare*, frangere vel tundere. Varro de re rustica lib. 1. Promendum hyeme, vt in pistrino pisetur, ac torreatur.

724 ¶ *Præcidaneum*, est præcidendum. Var. de vita populi Romani lib. 1. Quod humatus non sit, hæredi porca præcidanea suscipienda Telluri & Cereri. aliter familia pura non est.

725 ¶ *Palangæ*, dicuntur fustes teretes, qui nauibus subiiciuntur, cùm attrahuntur ad pelagus, vel cùm ad littora subducuntur: vnde etiam, nunc palangarios dicimus, qui aliquid oneris fustibus transuehunt. Varro de vita populi Rom. lib. 4. Cum Pœnus in fretum obuiam venisset nostris, & quosdam cepisset, crudelissimè pro palangis carnis subiecerat, quo metu debilitaret nostros.

726 ¶ *Pondo*, ducentum nouè. Varro sæpe de vita populi Romani lib. 3. Delphos Apollini

lini munera missa, corona aurea pondo ducentum.

R

727 ¶*Rotunde*, positum eleganter, concinnè, vel collectè. Cicero de finibus bonorũ & malorum lib. iiij. Ista ipsa, quæ tu breuiter, regem, dictatorem, diuitem solum esse sapientem, à te quidem aptè, ac rotundè, quippe habes à rhetoribus.

728 ¶*Ruta*, dicuntur diruta. Cicero de Orat. lib. 2. Et dicis te cùm ædeis venderes, ne in rutis quidem & cæsis solum tibi paternum recepisse. Virgilius Georg. lib. ij. Cumulóque ruit malè pinguis arenæ.

726 ¶*Rauum*, fuluum. Cicero Academ. lib. iiij. Quia nobismetipsis tum cœruleum, tum rauum videtur, quódque nunc [quia] à sole collucet.

730 ¶*Rauis*, est raucitas. Plaut. Aulularia: Vbi si quid poscamus, ad rauim poscamus priùs. Idem Cistellaria. Expurgabo hercle omnia ad raucam rauim.

731 ¶*Rurant*, pro rusticantur. Plautus Captiuis: Dum rurant homines, quos ligurriam. Varro Serrano: περὶ ἀρχαιρεσιῶν: Dum in agro studiosiùs ruror, aspicio Triptolemum sculponeatum bigas sequi cornutas.

731 ¶*Rarenter*, pro raré. Cæcilius Plocio: Tu nurum non vis odiosam tibi esse, quam rarenter videas. Pomponius Ergastulo: Longè ab vrbe villicari, quò herus rarenter venit, Non villicarier, sed dominari est mea sententia.

733 ¶*Ructus*, à ructando dictus. Plautus. Pseudolo: Pergin' ructare in os mihi, suauis ructus mihi est, sic sine modo Lucillius Satyrarum lib. iij. Exhalas tum acidos ex pectore ructus.

734 ¶*Resupinas*, honestè, id est, ab incepto reuocas, vel peruertis significat. Accius Antigona: Quid agis? perturbas rem omnem, ac resupinas soror.

735 ¶*Ringitur*, irascitur. Terentius: Dum tibi sit quod placeat, ille ringitur, tu rideas.

736 ¶*Riscus*, loca in parietibus angusta. Terent. Eunucho: In risco odiosa cessas?

737 ¶*Reciproca*. Recipe, Reciproca animum inquam odiose. Ennius Andromeda: Riscus prorsus reciprocat, fructus feram.

738 ¶*Repedare*. Lucillius libro xxvj. Redisse ac repedasse, vt Roma vitet gladiatoribus. Idémq; Sanctum ego à Metello Romam repedabam munere.

739 ¶*Redandruare*, redire. Lucillius lib. ix. Vt vulgus redandruet inde. Pacuuius Chryse: Græcos nihil mediocriter redandruare.

740 ¶*Redhostit*, rediit. Accius Amphitr. Quid hic redhostit viam, cometet obtet facilius: Idem διδασκαλικῶν libro j. Vt dum velint breuitatem consequi verborum, aliter relatum redhostire sponsum.

741 ¶*Repuerascere*, in puerum redire. Nouius Agricola: Quid ita? quia enim repuerascis, fugit has personas pater. M. Tullius de Oratore lib. ij. Eósque incredibiliter repuerascere esse solitos, cùm rus ex vrbe tanquam ex vinculis euolauissent. Et de senectute: Et siquis Deus mihi largiatur, vt ex hac ætate repuerascam, & in cunabulis vagiam. Et de Oratore lib. ij. Cum Scipione solitum rusticari, eósque incredibiliter repuerascere esse solitos.

742 ¶*Rhetorissat*, rhetoricè loquitur. Pomponius Medico: Dolasti vxorem, nunc & propter me cupis concidere, & iam rhetorissas.

743 ¶*Ramices*, dicuntur pulmones, vel hernia. Plautus Mercatore: Tui causa rupi ramices atrum dum sputo sanguinem. Idem Pœnulo: Neque nos quenquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat, Tua causa nemo nostrûm est suos rupturus ramices. Var. Triodite, περὶ ἀρετῆς: Priùs quàm in orchestra Pythaules inflet tibias domi suæ ramices rumpit. Lucillius Satyrarum libro nono: Quod deformis senex appetitus ac podagrosus, Quod mancus, miser, exilis, ramice magno. Varro γεροντοδιδάσκαλος: Rapta an nescio quo mulione, rapturis ramicis rumpit.

744 ¶*Ruspari*, est scrutari. Accius Nyctegresia: Iube nunc attentare, iube nunc animo ruspari Phrygas. Idem Meleagro: Vagent ruspantes syluas sextam tesseras.

745 ¶*Regredere*, reuocare. Ennius Achille: Quò nunc incerta re, atque ignorata, gradum regredere conare?

746 ¶*Ruminare*, dictum in memoriam reuocare. Varro Tanaquile: Non modo absens quicquam de re segnius cogitauit, sed etiam ruminabitur humanitatem. Liuius Ægistho: Nemo hæc vester ruminabitur mulieri.

747 ¶*Rusticatim*, pro rusticé. Pomponius Aleonibus: At ego rusticatim tanquam, vrbanatim nescio.

748 ¶*Rumiferare*, dictum honestè rumoribus ferre. Plautus Amphytrione: Quamque adeò ciues Thebani verò rumiferant probam.

749 ¶*Redurare*, aperire, contra id quod dicitur obturare. Varro Agathone: Pueri obscænis verbis nouæ nuptæ aures redurant.

750 ¶*Retuba*, perturbatio. Varro Sexagesi: Ergo tum Romæ parcè, putéque pudentis Viuere tum in patriam, nunc sumus in retuba.

751 ¶*Reuocare*, positum per vices mutuò

vocare. Varro Sexagesi: Qui nobis ministrarunt pueri diebus festis cicer viride, qui nos prouocare, aduocare cùm audeant, nos illos reuocare timemus.

751 ¶ *Recentari*, honestè positum pro nouari, quod est Græcè ἀνανεῶσθαι. Matius. Iam albicascit Phœbus, & recentatur Commune lumen hominibus voluptásque.

753 ¶ *Rapinatores*, pro raptoribus. Varro Mar. In inuidiam veniant in hoc ipso rapinatores Lucillius li.ij. Homo impudicus impunè est rapinator.

754 ¶ *Rheda*, vehiculum. Varro epist. ad Varronem: Quod si tuam heri rhedam non habuissem, varices haberem.

755 ¶ *Recentiorum*, nouorum M. Tul. de finibus bonorum & malorum lib.ij. Horum recentiorum nunquam dictum ab vllo, quod sciam.

756 ¶ *Rumam*, veteres mammam dixerunt. Varro Cato, vel de liberis educandis: Hisce Manibus lacte fit, non vino: Cuninæ propter cunas, Ruminę propter rumam, id est prisco vocabulo, mammam, à quo subrumi etiam nunc dicuntur agni.

757 ¶ *Reiculas*, oues, aut ætate, aut morbo graues. Varro Cato, vel de liberis educandis: Vt in grege opilio oues minus idoneas remouere solet, quas reiculas appellat. Sæpe enim vnus puer petulans, atque impurus inquinat gregem puerorum.

S

758 ¶ *Saltuatim* [& vellicatim] Sisen. Hist. lib.1. Nos vna æstate in Asia & Græcia gesta litteris iccirco continentia mandauimus, ne vellicatim, aut saltuatim scribendo lectorum animos impediremus.

759 ¶ *Scapum*. Var. Margo: Mihíque diuitum stylo nostro papyrino leuij scapos capitio, nouo partu poetico.

760 ¶ *Sutrinas*, è suendo. Varro Hercule Socrat. Qui sutrinas facere inscius, nihil homo agis.

761 ¶ *Scabere*. Var. Manio: Ager derelinqueretur ac periret squale, scabréque, illuuie & vastitudine.

762 ¶ *Strigosus*, apud veteres morbus dicitur iumentorum, qui corpora stringat, aut fame, aut alia vitij caussa, quasi stringosus. Masurius Sabinus li. vij. Censores, inquit, P. blius Scipio Nasica & M. Pompilius, cùm equitum censum agerent, equum nimis strigosum, & malè habitum, sed equitem eius vberrimum, & habitissimum viderent.

763 ¶ *Suspiciosum*, qui in suspicione sit. Cato de re Floriana: Sed si qui palàm corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locauisset, & si famosus, & suspiciosus esset, vim in corpus liberum non æquum censuere adferri.

764 ¶ *Subijcies*, nouè positum non à subiiciēdo, sed altitudine. Ennius Achille: Per ego Deûm sublimes subiicies humidas. Vnde oritur imber. Virgilius Bucolicis. Quantum vere nouo viridis se subiicit alnus.

765 ¶ *Scraptas*, scrupedas, stritabilas exprobratio vitij, aut deformitatis meretricum. Plaut. Friuolaria: Scraptæ, scrupedæ, stritabilæ: sordidæ.

766 ¶ *Sabulum*. Varro ταφῆς μενίππου: Non vides in magnis peristylis, qui cryptas domi non habent, sabulum iacere à pariete aut cryptis, vbi ambulare possint.

767 ¶ *Suctu*. Varro γνῶθι σεαυτόν: Vt crementa corpora fierent maiora paruo vt suctu candida lactis.

768 ¶ *Super*, valde, vehementer. Virgilius Æneid. lib.j. His accensa super iactatos æquore toto Troas. Et libro tertio: O mihi sola mei super Astyanactis imago: Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat.

769 ¶ *Scapres*, pro scabres. Ennius Andromeda: Scrupeo inuestita saxo, atque ostreis, quam excaperent. Pacuuius Teucro: Quę desiderio alumnûm, pœnitudine, Squale, scapréque inculta vastitudine.

770 ¶ *Secundare*, prosperare. Virgil. lib. vj. Dij nostra incœpta secundent. Propertius Elegiarum lib.iij. Iam liquidum nautis aura secundat iter.

771 ¶ *Sunat*, deprimit. Lucillius libro vij. Sunauit taxim ad nares, delphinus vt olim.

772 ¶ *Scurrile*, quasi vulgare, à scurris. Cicero de Oratore lib.ij. Vitandum est oratori vtrunque, ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus.

773 ¶ *Sordet*, sordidata est. Accius Ægistho: Cùm manus materno sordet sparsa sanguine.

774 ¶ *Sublabrare*, cibum intra labra mittere. Næuius Decuma: Iam ego illi subiens sublibrabo esu: illud sincipùt.

775 ¶ *Sublimare*, extollere. Ennius Medea: Sol qui candentem in cælo sublimat facem.

776 ¶ *Superstitent*, saluent. Ennius Menalippo: Regnúmque nostrum vt sospitent, superstiténtque.

777 ¶ *Septuosè*, obscuré. Liuius Antiopa: Ità septuosè dictio abs te datur, quod consecutam sapiens ægrè contulit.

778 ¶ *Sempiternè*, semper. Pacuuius Medo: Populóque, vt faustum, sempiternè sospitent.

779 ¶ *Septifariam*, vt multifariam. Santra de verborum antiquitate: In quod volumen vnum nos lectitauimus, & postea inuenimus septifariam diuisum.

780 ¶ *Simultre*, pro similiter. Plaut. Pseud. Exossabo ego Illum simulte itidem, vt murænam cocus.

781 ¶ *Scriptat*, constat esse rarum. M. Tullius

lius Hortensio: Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, vt calculum reducas, si te alicuius dari pœnitet.

782 ¶ *Succidiam*, successionem necessariam. M. Tul. de senectute. Iam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram vocant. Dicitur & succidia, quod est laridum.

783 ¶ *Signatam*, integram virginem vetustas voluit dicere. Lucillius lib. xxix. Primam Chrysicum negat signatam reddere.

784 ¶ *Superbos*, veteres mortuos dixerunt. Plaut. Amphitryone: Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis: & post auferre, non abibis.

785 ¶ *Sugillare*, obcludere. Varro Geminis: Contrà lex Mænia est in pietate, ne filij patribus luci claro sugillent oculos.

786 ¶ *Satullem*, pro saturem. Varro περὶ ἐδεσμάτων. Neque in puluere mythico coquam carnes, quibus satullem corpora, ac famem ventris.

787 ¶ *Singulum*, pro singulare. Plautus Cistellaria: Atat, singulum video vestigiũ. Varro, περίπλου libro primo. Tum verò doces historiam necessarium simul vnum singulum esse. Idem Octogesi, περὶ νομισμάτων. Hoc erat incommodi, quod nesciebamus, semel vnum singulum esse. Apud alium auctoritatis incertæ: Nisi dixerat nummo singulo multabatur.

788 ¶ *Sperem*, veteres spem dixerunt; vnde & prosperè dicitur pro spe. Varro Aboriginibus, περὶ ἀνθρώπων φύσεως. Sublimis speribus iactato notio volitantis altos nitens trudito. Idem ἔνδον λύρας. Quibus suam delectet ipse amasiam, Auiditatem speribus lactet suis.

789 ¶ *Scalpurire*, scalpere. Plautus Aulularia, Vbi erat hæc defossa, occepit ibi scalpurire vnguibus.

790 ¶ *Somnorinas*, dixit quæ in somnis videantur. Varr. Prometh. lib. I. Liuius mensum cùm somnorinas imagines Affatur, non vmbrantur somno pupulæ.

791 ¶ *Satias*, pro satietas. Accius Astyanacte: Quorum crudelitatem nunquam vlla explet satias sanguinis. Varro Prometheo libro II. Cùm sumere cœpisset, voluptas retineret. Cùm sat haberet [satias] manum de mensa tollere. Sallustius Hist. libro secundo: Hi saltibus occupatis tum externorum agros inuasere, frumentáque ex inopia graui satias facta est. Lucillius lib. xxix. Quid mihi proderit, quem satias iam omnium rerum tenet? Terentius Eunucho: Nam vbi me fortè satias cœpit, commuto locum. Lucretius libro II. Quam tibi iam nemo fessus satiare videndi.

792 ¶ *Squalam*, pro squalidam: Ennius Telamone: Strata terræ lauére lacrymis vestem squalam & sordidam.

793 ¶ *Socienno*, pro socio. Plautus Aulularia: Ibo intro, atque illi socienno tuo iam interstringam gulam.

794 ¶ *Scaturix*. Varro: Est modus matulæ, περὶ μέθης. Manias hic Theobogenes fluit scaturex.

795 ¶ *Somniculosus*, quòd ad somnos vacet. Laber Sororibus: Æcastor multum somniculosum.

796 ¶ *Sauitudo*, pro sæuitia. Plau. Bacchid. Vincla, virgæ, molle sæuitudo mala fit peior.

797 ¶ *Suauitudo*, suauitas. Plaut. Bacchidib. Cor meum, spes mea, mel meum, suauitudo, cibus, gaudium. Turp. Leucadia: Intercapedine interficior, desiderio differor, Tuaq; mihi cupiditas: suauitudo, & mei animi exspectatio.

798 ¶ *Seueritudine*, pro seueritate. Plau. Ep. Quid illud est, quod illi caperat frons seueritudine?

799 ¶ *Sorditudine*, pro sorde. Plaut. Pœnulo. Vt mihi absterserunt omnem sorditudinem.

800 ¶ *Sententia*, sensibilitas. Lucret. libro IIII. Internoscere verborum sententia quæ sit. Lucil. Sat. lib. III. Vertitur œnophoris fundus sententia nobis. Idem libro V. Si tam corpus loco validum, ac regione maneret, Scriptores quàm vera manet sententia cordi.

801 ¶ *Speciem*, specimen, vel exemplar. Lucil. lib. xxx. Sicuti te, qui ea, quæ speciem vitæ putamus esse.

802 ¶ *Sodales*, socij Cicero de Orat. lib. ij. Quod tamen cum defenderem, qui mihi sodalis esset.

803 ¶ *Solitate*, pro solitudine. Accius Eurysace: Tuam solitatem memoras, formidas tibi.

804 ¶ *Subiti*, dicti pro repentini. Acc. Armorum iudicio: Bene facis: Sed nunc qui subiti mihi febris æstuat mali.

805 ¶ *Sanctitudo*, pro sanctitas. Acc. Tereo: Alia hic sanctitudo est, aliud & nomen, & numen Iouis. Idem Phœnissis: Delubra cælitu maris sanctitudine. Turpilius Leucadia: Miseram terrent me omnia, Maris scopuli, sonitus, solitudo, sanctitudo Apollinis. M. Tul. de republ. lib. IIII. Eosdem terminos hominum curæ, atque vitæ, sic pontificio iure sanctitudo sepulturæ. Afran. Suspecta. Tuam maiestatem, & nominis matronæ sanctitudinem.

806 ¶ *Satu*, positum pro semine. Acc. Pelopidis: Nam me heredem ex tuo esse conceptum satu, vt argumenta redigunt animum & commouent. Idem Telepho: Profecti quanquam est ortus meliori satu.

807 ¶ *Scriptio*, pro scriptum. Var. Ἀνθρωπόπολις, περὶ γενεθλιακῆς. Vulgóque auarus fœnerator spe lucri rem scriptione duplicarat. Cicero Tuscalanar. lib. v. Impulsi sumus ad

philoſophiæ ſcriptiones.

808 ¶ *Segnitas*, pro ſegnitia. Acc. Æneadis aut Dec. Eo nunc quòd eorum ſegnitate ardet focus. Idem Andromeda: Namque vt dicam te metu aut ſegnitate addubitare, haud meum eſt. Cic. de Oratore lib ij. Et quoniam de imprudentia diximus, caſtigemus etiam ſegnitatem.

809 ¶ *Scelerosi*, pro ſcelerati. Lucil. Satyr. lib. 3. Non tamen ætatem, tempeſtatem hanc ſceleroſi Mirentur. Afran. Diuortio: O diem ſceleroſum, & indignum.

810 ¶ *Speratum*, id eſt, ſponſum. Afran. Fratriis: Curre, & nuntia venire, & mecum ſperatum adduce. Videat puellam, curent, conforment iube. Idem eadem, Speratam non odi tuam.

811 ¶ *Screare*, exſpuere: Terent. ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, Gemitus, ſcreatus, tuſſis.

812 ¶ *Serescit*, poſitum pro ſiccatur, quod ſerenitas ſicca ſit. Lucret. lib. j. Denique fluctiuago ſuſpenſæ in littore veſtes. Veſcunt, eædem diſpenſæ in ſole ſereſcunt. Inde Virgil. doctè. Georg. lib. j. Vnde ſerenas Ventus agat nubes, hoc eſt, ſiccas. Idem alio in loco: Atque arida differt Nubila.

813 ¶ *Sucerda*. Lucil. lib. xxx. Hic in ſtercore humi, fabulíſque ſimo atque ſucerdis.

814 ¶ *Simitu*, ſimul. Lucill. lib. xxx. Gratia habetur vtriſque, illis quæ ſibi quæ ſimitu. Plaut. Amphitr. Non ego cum vino ſimitu ebibi imperium tuum. Idem Mercatore: Ita tres ſimitu res agendæ ſunt, quando vnam occœperis.

815 ¶ *Subsiciuum*, ſecundum, ſequens Lucil. lib. xxviij. Præterea hæc ſubſiciua ſi quando voles operam. Subſiciuum poſitum ſuccedens, ſuccidaneum. Cic. de Orat. li. 11. An ſe hęc neſcire, quę ego ſerò ſuccedens onem, vt aiunt.

816 ¶ *Supplosionem*, plauſum, vel percuſſum. Cic. de Orat. libro 111. Et quo vereor, ne nihil ſint tui niſi ſuppoſitionem pedis imitatus.

817 ¶ *Superbiloquentia*. Cicero Tuſculan. lib. 1111. Animíque impotentiam, & ſuperbiloquentiam.

818 ¶ *Sarcinator*, ſutor. Lucil. lib. xxviij. Sarcinatorem eſſe ſummum, ſuere centonem optumé.

819 ¶ *Sospitent*, ſoluent. Ennius Menalippa: Regnúmque noſtrum ſoſpitent, ſuperſtitentque, Pacu. Medo: Populo qui fauſtum ſempiternè ſoſpitent.

820 ¶ *Singulatim*, & ſigillatim à ſingulis. Cæc. Hypo. Raſtraria: Hos ſingulatim, ſapere vos minus arbitror. Cæl. Annal. lib. I. Primùm malo publico gratias ſingulatim nomina: Lucil. lib. xix. Sic ſingillatim noſtrum vnuſquiſque mouetur.

821 ¶ *Solennitas*, pro ſolenniter. Liuius Ægiſtho: Solennitus à declitali laudet lubens.

822 ¶ *Scenatilis*, vel ſcenaticus pro ſcenico. Varro Modio: Sed, ô Petrulle, ne meum taxis librum, Si te pepigat hic modò ſcenatilis. Idem ὄνος λύρας: Vt comici nitidi, ſcenatici.

823 ¶ *Saperdae*, quaſi ſapientes, & elegantes. Varr. Modio: Omnes videmur nobis eſſe belli, feſtiui, ſaperdæ, cùm ſimus κάπροι.

824 ¶ *Surditatem*. Cic. Tuſcu. lib. v. In ſurditate verò quidnam eſt mali; Erat ſurdaſter Marcus Craſſus.

825 ¶ *Simplicitus*, ſimpliciter. Plaut. Mercat. Sed eam ſimplicitus dicam, ſi opera eſt auribus.

826 ¶ *Suscitabulum*, honeſtè poſitum incitamentum. Varr. ὄνος λύρας: Fonicia ſunt vocis ſuſcitabulum. Cantantúmque gallus gallinaceus.

827 ¶ *Similitas*, ſimilitudo. Cæcil. Syracuſis: Vide Demea, hominis quid fert morum ſimilitas.

828 ¶ *Salebra*, à ſaltu dictæ. M. Tul. de finib. bonor. & malor. Hic ſi definire, ſi diu videre potuiſſet, ſi loquendi vim, ſi deníque conſuetudinem verborum teneret, nunquam in tantas ſalebras incidiſſet. Idem lib. v. Venit ad extremum, hæret in ſalebra: cupit enim dicere. Et de Oratore: Alter enim ſiue vllis ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluit.

830 ¶ *Sublestum*, eſt leue, friuolum. Plaut. Nam vbi ad paupertatem acceſſit infamia, Paupertas grauior fit, fides ſubleſtior.

831 ¶ *Supellectilis*. Cicero Oratore: Verecundus erit vſus oratori, & quaſi ſupellectilis ſupellex.

832 ¶ *Scurrile*, à ſcurris ridiculum cum turpitudine. Cic. Orat. Ridiculo ſic vſurum oratorem, vt nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit: nec ſubobſcæno, ne mimicum: nec petulantine improbum.

833 ¶ *Sportas*, aut ab ſparto, quaſi ſparteas, aut ab aſportando. Salluſt. Hiſt. lib. v. E muris canes ſportis demittebant. Var. de vita populi Romani lib. I. Neque enim obſonium in tota cena cœptum ex variis rebus cùm coniectum in vnam ſportam perſpicitur.

834 ¶ *Sodes*, non vt apud comicos, ſed ſi audes. Cicero Orat. Libenter etiam copulando verba iungebant, vt ſodes, pro, ſi audes.

835 ¶ *Scopas*. Cicero Orat. Et ſi humilius dictum eſt, ſcopas (vt ita dicam) mihi videntur diſſipare.

836 ¶ *Sciuntur*, pro cognita ſunt. Cicero de Orat. li. 11. Ars enim eorum eſt, quę ſciuntur. Oratoris autem omnis actio opinionibus non ſcientia continetur.

T

837 ¶ *Tetret*, fœdet, polluat. Pacuu. Periboea: Belluarum, ac ferarum aduentus, ne tetret loca.

838 ¶ *Tetinerit*, pro tenuerit. Pacu. Medo Credo

Credo quorſum iener tetiniſſe aiunt? Accius Clytemneſt. Vt quæ tum abſentem rebus dubiis cõiugem tetinerit, nunc probat vltorem. Pacuuius Hermiona: Sub iudicio quoque omnes gradus tetinerim.

839 ¶ *Tetulit*, tulit. Accius Andromeda: Donec tu auxilium Perſeu tetuliſti mihi. Cæcilius Hypobolim. Ærumnam pariter tetuliſti meam.

840 ¶ *Taxim*, ſenſim, vel occultè. Pomponius Buccone adoptato: Clandeſtino tacitus taxim perſpectaui percautum.

841 ¶ *Temerius.* Accius διδασκαλικῶν lib. ij. Seu Euripidis, qui chóros temerius in fabulis.

842 ¶ *Teſtatim*, minutim. Pomponius Verre ægroto: Iam iſtam colaphis comminuiſſem teſtatim tibi.

843 ¶ *Tractim* vt ſenſim, id eſt, diutinè, longo tractu. Plaut. Amphitr. Quid ſi ego illum tractim tangam, vt dormiat?

844 ¶ *Tudiculare*, commouere. Varr. Marcipo: Hæccine nobis, tibíve tudiculaſſe?

845 ¶ *Trabs*, Varr. Parmen. Alia trabs pronis in humum accedens proxumè Frangit ramos cadens.

846 ¶ *Tegillum* diminutiuum à tecto. Var. Seſquiulyſſe: Vigere volitans mulſus aquam è nubibus tortam indicat fore, vt tegillum paſtor ſibi ſumat.

847 ¶ *Terta* pro terſa. Varr. ἔχω σε, περὶ τύχης: Atrei terta nitet galea. Idem, Cato, vel de liberis educand. Alij ſunt circumtonſi, & terti, atque vnctuli, vt mangonis eſſe videantur ſerui.

848 ¶ *Temperatura* pro temperie. Var. ἄμμον μετρεῖς, περὶ φιλαργυρίας: Quæro ex te vtrum hoc adduxerit cæli temperatura, an terræ bonitas.

847 ¶ *Torto* pro tormento. Pacuuius Duloreſte: Nam te in tenebris ſæpe lacerabo fame, Clauſum & fatigans artus torto diſtraham.

850 ¶ *Tonſus* pro tonſura. Plaut. Amphit. Sura, pes, ſtatura, tonſus, oculi, naſus, vel labra. Accius Amph. Sed quænam hæc eſt mulier, funeſta veſte, tonſu lugubri?

851 ¶ *Tuburcinari* ſignificat raptim manducare. Titin. Prælia: Tuburcinari ſine me vultis reliquias. Plaut. Perſa: Tuburcinari de ſuo, ſi quid domi ſit. Turpil. Boëthontibus: Melixa intus ceſſat, credo hercle, helluo tuburcinatur.

852 ¶ *Tabificabile* vel tabificum. Acc. Medea: Par neci orbificor liberorum leto, & tabificabili. Cic. Tuſcul. lib. iiij. Atque vt hæ tabificæ mentis perturbationes ſunt.

853 ¶ *Tuatim*, tuo more. Plaut. Amph. Ecce rem iam tuatim facis.

854 ¶ *Tetritudo.* Act. Philoct. Quod te obſecro, ne hac aſpernabilem tetritudo mea in occulto faxit.

855 ¶ *Temnere*, contemnere. Lucil. lib. xxx. Quodque adeo fuerint qui temnere ſuperbum. Virgil. lib. vj. Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

856 ¶ *Taxit* pro tetigerit. Varro Modio: Sed, ò Petrulle, ne meum taxis librum.

857 ¶ *Tippula* animal leuiſſimum, quod aquas non nando, ſed gradiendo tranſeat. Varro Vimarco: Leuis tippula linifici frigidos tranſit lacus. Plaut. Leuior es quàm tippula.

858 ¶ *Toneſcit* pro tonat. Varro Vimarco: Tunc repentè cælitum altum tonitribus templum toneſcit.

859 ¶ *Tranſenna.* non (vt quidam putant) tranſitus, ſed eſt feneſtra. Cicero de Orat. lib. j. Nunc pete à Craſſo, vt illam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam vno in loco, quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim aſpeximus. Salluſt. Hiſtoriarum lib. ij. Tranſenna demiſſum Victoriç ſimulacrum cum machinato ſtrepitu coronam capiti imponebat.

860 ¶ *Tironem* poſitum pro ignaro. Cicero de Oratore libro ij. Frater enim callidum quendam hunc, & nulla in re tironem, ac rudem, nec peregrinum, & hoſpitem concedo eſſe debere.

861 ¶ *Trutina* [à trutinando] Cicero de Oratore lib. ij. Ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quæ non artificis ſtatera, ſed populari quadam trutina examinantur. Varro de vita populi Romani libro ij. Aut aliqua ex argentaria trutina, aut lingua penſum præ ſe omnes ferent.

862 ¶ *Turpari* à turpitudine. Cic. Tuſcul. lib. iij. Iouis aram ſanguine turpari.

863 ¶ *Teneraſcere*, tenerum eſſe. Lucretius lib. iij. Scilicet in tenero teneraſcere corpore mentes.

864 ¶ *Trichinum*, tardum, & quaſi impeditum, vel ſiccum, & ſine ſucco; vt ſunt capilli, qui Græcè τρίχες dicuntur. Var. Eumen. Quod tunc quæſtus trichinus erat, nunc eſt vber, vt quæſtus ſit magnus.

865 ¶ *Tetrica* eſt ſeuera. Var. τοῦ πατρὸς παιδίον, περὶ παιδοποιΐας: Etiam ſi audiſſet, reddere potuiſſet mulieri tetricæ, is ducat ad Appiam, moribus bonis. Virg. Æneid. libro ſeptimo: Qui tetricæ horrentis rupes, montémque ſeuerum.

866 ¶ *Tarditudinem* & tarditiem pro tarditate. Plautus Pœnulo: Quòd eſtis pigri, cochleas vincitis tarditudine. Accius Alcmæone: Atque eccos ſegneis ſomno, & tarditudine. Idem Diomede: Multa amittuntur tarditie, & ſecordia.

867 ¶ *Temeritudinem* pro temeritate. Pa-

cuius Duloreste, Egon' tyrannum noui temeritudinem?

868 ¶ *Tenta* dictum pro extensa. Lucretius libro ij. Tympana tanta sonant palmis & cymbala circum. Idem lib. vj. Duráque in ore iacens rictu frons tenta manebat. Lucillius Satyrarum libro sexto. Tres à Deucalione grabati restibus tenti. Idem libro xj. Hic vbi concessum: pelléſque vt in ordine tentæ. Et lib. xxx. Hic vt muscipulæ contenta, vt scorpius cauda Subiata.

869 ¶ *Tristitias* pro tristitia. Pacuuius Atalanta: Quid istuc est, vultum alligat quæ tristitias? Turpilius Leucadia: Ante facta in ignẽ committo tristitias ante diuortium.

870 ¶ *Torporauit* pro torpefecit. Turpilius Heteræ: Herus stupidus adstat, ita eius adspectus repens cor torporauit homini amore.

871 ¶ *Titubare*, trepidare. M Tullius Philippicat. lib. viij. Titubare, hæsitare, quo se verteret nescire. Virgilius Æneid. lib. v. Vestigia presso Haud tenuit titubata solo. Terent. ἑαυτοντιμωρουμένῳ: Verùm illa nequid titubet.

872 ¶ *Tortor* pro torqueor. Pompon. Decuma fullonis: Et vbi insilui in concleatum equuleum, vbi tolutim tortor.

873 ¶ *Tunicare* pro vestire. Varro λογομαχία. Hæc lanigeras detonderi docuit, tunicaréque homolum.

874 ¶ *Titionem*, fustem ardentem. Var de vita populi Romani lib. ij. Contrà nouo marito cum item è foco in titione ex felici arbore, & iam qualis q: a allata esset.

V

875 ¶ *Vulgauit* honestè positum vile habuit, & quasi in vulgus dedit. Plautus Amph. Cuíque me absente corpus vulgauit suũ. Vulgare in vulgus dare, & quasi multis audientibus, ac non ta. it. ris dicere. Virgil. lib. x. Quid me alta silentia cogis Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem? Ennius: Quæ scis, In vulgum vulgas, artémque expromis inertem.

876 ¶ *Veget* pro vegetat, vel erigit, vel vegetum est. Pomponius Maiali: Animos Venus veget voluptatibus: Ennius Ambracia: Æquora salsa veges ingentibus ventis. Varro Man'o: Nec natus est, nec morietur: viget, veget, vt pote plurimum Idem ὄνος λύρας: Quàm mobilis Diuûm lyram sola rege quædam gubernans motibus Diis veget.

878 ¶ *Verecundum* est audax, & confidens. Plautus Amphit. Sic est, vera prædico, nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es. nimis verecunda es.

878 ¶ *Venor*, circumuenior. Enn. Nemæa. Tencor consepta, vndique venor.

879 ¶ *Vicissatim*, per vices. Næuius belli Pœnici lib. iiij. Vicissatim volui victoriam.

880 ¶ *Visceratim*, per viscera. Ennius Androm. Alia fluctus differt, dissipat visceratim membra maria salsa spumant sanguine.

881 ¶ *Vnose*, id est, simul. Pacuuius Iliona: Occidisti, vt multa paucis verba vnosè obnuntiem.

882 ¶ *Vtraque* pro vtrinque, vel vtroque. Hemina Hist. lib. iiij. In Hispania pugnatum bis, vtrâque nostri loco mori, cæde vsti, hæc atque hercle, vtraque & cùm ad nos venis, suffraginatam vidi.

883 ¶ *Vinum* pro vehementi, vel nouo. Virg. Æneid. lib. j. Paullatim abolere Sichæum incipit, & vino tentat præuertere amore.

884 ¶ *Vegrande* valde grande. Lucillius lib. xxvj. Non iccirco extollitur, nec vitæ vegrandi datur.

885 ¶ *Vanans* dictum pro fallens. Accius Alcmena: Tanta vt frustrando lactans, vanans protrahit.

886 ¶ *Vanitudo* pro vanitate. Plaut. Pol ego, vt rem video, tu inuentus verò à vanitudine. Pacuuius Duloreste: Primùm hoc abs te oro, nimis inexorabilem Faxis, ni turpassis vanitudine ætatem tuam.

887 ¶ *Variantia* pro varietas. Lucretius lib. j. Talibus in caussis, necdum variantia rerum.

888 ¶ *Viscus* positum pro viscere. Lucret. lib. i. Visceribus viscus gigni, sanguémque creari. i. Virgil. Georg. lib. j. Tum laqueis captare feras, & fallere visco Inuentum. id est, tractu visceris. Lucil. Satyr. lib. xiiij. Id ne ægri est magis, an quòd pane & viscere priuo. Quod vitus dederas, tu primùm hæc viscera largi.

889 ¶ *Vagor* dictum pro vagitus. Lucret. lib. ij. Et superantur, item miscetur funere vagor.

890 ¶ *Vetustas*, & antiquitas vel felix, vel sapiens, vel mansueta est hab ta. Terent. Hecyra: Quis me est fortunatior, vetustatisque adeò ple. ior.

891 ¶ *Vastities* & vastitudo, & vastitas horror, & desertio, & contagium. Plaut. Pseudolo: Distractio, discidium, vastities venit. Acc. Eurysace: Sed vt ratusta & raueste, & vastitudine tardè forma tuis. Idem Meleagr. Quæ vastitudo hæc, aut vnde inuasit mihi? M. Tull. de offic. lib. ij. Qui collectis cæteris caussis eluuionis, pestilentiæ, vastitatis. Pacu. Teucro. Quæ desider o alumnûm, pœnitudine, quales scat res, qua inculta vastitudine.

892 ¶ *Vastescant* significat inhorrescant, vel deserantur, Acc. Phœnissis: Iussit proficisci exsilium quouis gentium, Ne celere tuo Thebani vastescant agri. M. Tullius de Oratore libro ij. Quid iam de hominum genere dicam, qui quasi cultores terræ constituti non patiuntur eam, nec immanitate belluarum efferari,

efferari, nec stirpium aspetitate vastescere. Sollust. Iugurtha: Aberat mons fere millia passuum xxx. tractu pari vastus, & humano cultu. Var. Manio: Asperum valde scabre atque illuuie, & vastitudine.

893 ¶ *Vicissitatem*, pro vicissitudine. Acc. Phœnissis: Vicissitatémq; imperandi tradidit.

894 ¶ *Vllo*, pro vltus fuero. Acc. Epigone: Qui nisi genitorem vllo, nullum meis dat finem miseriis.

895 ¶ *Verruncent*, id est vertant. Acc. Æneadis, aut Decio: Te sancte venerans precibus, inuicte inuoco, Portenta vt populo, patriæ verruncant bene. Pacu. Periboea: Precor veniam, petens vt quæ, egi, ago, axim, verruncent bene. Afran. Diuor. Et puncto auerruncent cur Syriam simul.

896 ¶ *Vilitant*, vilem faciunt. Turpil. Lindia: Quin moneam, quin clamem, & querar tua vitia, quæ re vilitant.

897 ¶ *Villicari*, est rusticari, vel villæ præesse. Pomp. Ergast. Nam longè ab vrbe villicarier, quò herus rarenter venit, Non villicarier, sed dominari mea est sententia. Afran. Suspecta: In Arpinos iam, quantum pote, explodam hominem vt villicetur. Turp. Parater. Ego nondum etiam hîc villicabar Phædria. Idem Hætera: Hic villicor ante vrbem, nunc rus eo.

898 ¶ *Vinnulum*, sensilocum, id est, illecebrum: Plaut. Asinaria: Compellando blanditer, Osculando, oratione vinnula, venustula.

899 ¶ *Vitabundus* pro vitans. Sallust. Hist. li. III. Duos quàm maximos vtreis leui tabulæ subiecit, quā super omni corpore quietus inuicem tracto pede quasi gubernator existeret, ea inter molem, atque insulam, mari, vitabūdus classem hostium, ad oppidum peruenit.

900 ¶ *Volentia* id est, quæ vellent [à voluntate] Sallust. Hist. lib. IIII. Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.

901 ¶ *Valentia*, fortitudo. Næuius Danae: Omnes formidant hominis eius valentiam. Titinnius Setina: Sapientia gubernator nauem torquet, non valentia.

901. ¶ *Vomica*, concaua loca, vetustate exesa. Lucil. lib. xxix. Tyroneo, & non mortifero adiectus vomica, & vulnere.

903 ¶ *Viriatum*, dictum est magnarum virium Lucil. lib. xxvi. Contrà flagitium nescire bello vinci à barbaro viriato Annibale.

904 ¶ *Vescum*, nimis obscurum. Lucil. lib. xxvi. Quam fastidiosum ac vescum cum fastidio viuere. Virg. Georg. lib. IIII. Nec vescas salicum frondes. Afran. Sororibus: At puer est vescis imbecillus viribus.

905 ¶ *Volup*. pro voluptate. Plau. Asin. Hic senex siquid clam vxorē suā animo fecit volup.

906 ¶ *Virgindemiam*, vti vindemiam, hoc est, virgarum apparatum, vel demptiónem, vel decerptionem ob verbera. Varro Agathone: Quid tristiorem video te esse, quam angit hęc Lampadion, Quid familiaris filius Amat? Hæc spes est auxili argentaria. Ideóque scapulæ metuunt virgindemiam.

907 ¶ *Viratium*, magnarum virium. Var. Meleag. Si non malit vir viratium, vxorem habere Atalantam.

908 ¶ *Vulga* capacitas, vel sinus, cum laxitate. Lucil. lib. ij. In vulgam penetrare pilosam. Var. Sexagesi: Eo vt viaticum ex arcula adderem in vulgam.

909 ¶ *Verrucam* positum pro loco edito. Cato libris originum. Censeo, inquit, si rem seruare vis, faciundum, vt quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire iubeas, eámque vti occupent imperes.

910 ¶ *Vibices*, plagarum vulnera. Cato de falsis pugnis: Vbi societas? vbi fides? maiorum insignitas iniurias, plagas, verbera, vibices, vis dolores, atque carnificinas per dedecus, atque maximam contumeliam inspectantibus.

911 ¶ *Vellicatim*, & saltuatim. Sisen. Hist. lib. I. Nos vna æstate in Græcia, & Asia gesta litteris idcirco continentia mandauimus, ne vellicatim, ac saltuatim scribendo lectorum animos impediremus.

911 ¶ *Victurus*, victoriam potiturus auctoritas prudentium putauit esse. Pyrrhúsne Rex, an Manius Curius prælio victurus esset.

912 ¶ *Virescit*, maiorum virium fit. Purius Poematis: Excrescunt animi, virescit vulnere virtus.

913 ¶ *Viro* etiam pro virtute naturali. Luc. lib. II. Concoctásque suo seruare & perdere viro.

914 ¶ *Venerata* pro veneranda. Virgilius libro 6. Cursúsque dabit venerata sacerdos.

915 ¶ *Vter* pro vtero. Cæcilius Vmbris Nunc vter crescit, non potest cælari.

916 ¶ *Vicatim*, per vicos. Sisen. Hist. lib. iij. Cùm complures menses barba immissa, & tonso capillo, lugubri vestitu populum vicatim flens vnà cùm liberis circumiret.

917 ¶ *Vultuosum*, tristem. Cic. Orat. In quo cùm effeceris, ne quid inceptum sit, aut vultuosum.

918 ¶ *Vermiculatum* pro minuto atque miniato. Cic. de Oratore lib. iij. Quàm lepidè lexeis compostæ, vt tesserulæ omnes Arte, pauimento, atque emblemate vermiculato.

919 ¶ *Venalitij*, venditores. Cic. Oratione Corneliana lib. ij. Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi venalitij, mercatorésque superarunt.

920 ¶ *Vocare*, positum pro trahere, ducere. Cic. Orat. Si de iure ciuili tecum feram, vocauit te hominem prudentissimum his ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicundi arte superauit.

921 ¶ *Verecundari*, verecundia teneri. Cic. de Orat. lib. III. Alterum cunctantem, & quasi verecundantem incitabat.

922 ¶ *Versutiloquas*. Cic. de Orat. lib. III. Num non vis huius me versutiloquas malitias? Videtis enim & versutiloquas, & expectorat, ex coniunctione facta esse verba, non nata.

923 ¶ *Vncinatum* ab vnco Cic. Academ. lib. IIII. Nec vt ille, qui asperis, & leuibus, & hamatis, vncinatísque corpusculis concreta hæc esse dicat.

924 ¶ *Venditationem*, veteres pro ostentatione posuerunt. Cicero Tusculanarum lib. II. Quinetiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quæ sine venditatione, & sine populo rectè fiunt.

925 ¶ *Viere*, vincire, & inflectere. Varr. de re rustica lib. I. Vt habeas vimina, vnde viendo quid facias.

926 ¶ *Vndulatum* nonè positum purum. Var. de vita pop. Rom. lib. I. & à quibusdam dicitur esse virginis Fortunæ simulacrum, ab eo quòd duabus vndulatis togis est opertum, proinde vt olim reges nostri vndulatas, & prætextas togas soliti sint habere.

927 ¶ *Veruecem*. Varro de vita pop. Rom. lib. I Aut bouem, aut ouem, aut veruecem habet signum.

928 ¶ *Zonatim*, per gyrum. Lucillius libro 6. Zonatim circum impluuium cinerarius cludebat.

NONII MARCELLI DE INDISCRETIS GENERIBVS PER ORDINEM LITERARVM.

CAPVT III.

A

Angiportus generis *masculini*, vt apud multos, *Neutri*; Plautus Cistellaria: Quę quasi carnificis angiporta purgitans. M. Tul. de diuinatione angiporta dixit, Terent. Adelph. Id quidem angiportum non est peruium. Idem Eunucho: In angiportum quoddam desertum.

2 ¶ *Arbitrium* generis *neutri*, sicut sæpè *Masculini*, Plaut. Asinar. Ni quatriduo abalienarit quod abs te argentum acceperit, tuus *arbitratus* sit: comburas si velis, ne vlla sit cera vbi facere possit litteras.

3 ¶ *Armenta* genere *neutro*, plerumque *Feminino*. Ennius: Ipsius ad armentas easdem ad armentas viuus, Tu pascere curui frontes armentas soles.

4 ¶ *Absynthium* generis est *neutri* Lucret. lib. quarto: Absynthia tetra medentes Cum dare conantur: *Masculini* Varro Quinquatribus: Quid me dico mihi est opus, nempe tuo, absyuthium vt bibam grauem, & castoreum, leuémque robur.

5 ¶ *Ærarium neutri* est generis, vt sæpe *Masc.* Var. γεροντοδιδασκάλῳ: Hoc est magnum censorem esse, ac non studere multos ærarios facere.

6 ¶ *Admonitio* vsu genere dicitur *feminino*. *Masculino*. M. Tul. de Finibus bonorum & malorum lib. v. Vt acrius aliquanto, & attentius de claris locorum admonitu cogitemus.

7 ¶ *Auditus* est gen: *mascul*. *feminini* auditio. M. Tul. de finibus bonorum & malorum lib. v. Lubentérque se cum his congregant, dántque se ad ludendum, fabellarúmque auditione ducuntur.

8 ¶ *Artus masculino* genere appellamus. Virg. Georg. lib. III. Micat auribus, & tremit artus. ¶ *Artua neutro* genere. Plautus Menęchm. Ita mihi imperas, vt ego cuius membra, atque ossa, atque artua.

9 ¶ *Angues mascul.* genere dici Virg. testis est: Ecce autem gemini à tenedo tranquilla per alta (Horresco referens) immensis orbibus angues. Et lib. v. Adytis cum lubricus anguis ab imis Næuius Lycurgo: Alte iugatos angues in sese gerunt. Lucillius lib. XXVI. Nisi portenta, anguésque volucres ac pinnatos scribitis. Angues *fœminino*; Plautus Amph. Deuolant angues iubatæ in compluuium duo. Varro Acinnius: Cuius vt adspexit torta caput angue reuictum.

10 ¶ *Acherontem masc* genere dicunt veteres. Virg. lib. sexto: Et tenebrosa palus Acheronte refuso. *Fem.* Plaut. Captiuis: Verùm enimuero nulla adæque est Acherons, atque vbi ego fui.

11 ¶ *Amnem masculino* genere appellamus. Virg. Georg. lib. I. Atque alius latum funda iam verberat amnem. *Feminino*, Plaut. Merc. Neq. vlla mihi obstrabit amnis, neque mons, neque adeo mare. Næuius Lycurg. Sed quasi amnis cis rapit, sed tamen inflexa flectitur. Accius epinausimacheu mandria: Mundam falso sanctam obtexi sanguine, atque acerbos alta in amni corpore expleui hostice. Idem Epigono: Apud abũdantem antiquã amnem, & rapidas vndas

vndas Inachi, Varro, περιπλοῦ lib.1. In hac ciuitate agros colũt arenosos. propter hos fluit amnis, quam olim Albulam dicunt vocitatam.

12 ¶ *Aranea* & *fem.* sunt generis. Titin. Gemina: Euertite ædeis. abstergite araneas. Virg. Georg. lib. 4. Laxos in foribus suspendit aranea casses. Ennius: Buxus araneæ. *Mascul.* Plaut. Sticho. Vt operam omnem araneorum tergam, & texturam improbem, deiiciámque eorum omneis telas. Idem Alinar. Iussin columnis deiici operas araneorum?

13 ¶ *Aetas, femin.* est generis. Plaut. Menæchmis: Vt ætas mala est, merx mala est ergo. ætas *mascul.* Plautus Trinũmo: Propter eosdem, quorum causa fui hoc ætate exercitus.

14 ¶ *Accipiter*, generis est *masc.* Virg. lib. 11. Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto. *Feminino*: Lucretius lib. 4. Accipitres somno in leni, sic prælia pugnásque, Edere sunt persectantes, visæque volantes.

15 ¶ *Arua neutri* sunt generis. Virg. Arua aliena iugo premere. *Fem.* Næuius Lycurgo li. 2: Quáque incedunt omneis aruas obterunt. Pacuuius: Postquam calamitas plures annos aruas caluitur.

16 ¶ *Anfractum, masculino* genere dici putant. *Neutro*: Accius Eurysace: Super Oceani stagna alta patris terrarum anfracta reuisam. Varro Parmenone: Cauo fonte, vt cùm irrigauit cauata aurium anfracta in syluam vocans.

17 *Æuum*, generis *neutri*, æuitas *feminini.* Varro Tithono, περὶ γήρως. Qua voluntatem æuitatis extima attigit metam æuitas.

18 ¶ *Æra neutri.* Marc. Tull. Hortensio: Quid tu, inquam, soles, cùm rationem ad dispensatorem accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare?

19 ¶ *Acina* genere *neutro* frequenter Varr. posuit. ¶ Acinus *mascul.* M. Tull. de senectute: Quæ ex fici tantulo grano, aut ex acini vinaceo: Et alij obscuræ auctoritatis: Pressúsque labris vnus acinus arebat.

20 ¶ *Autumnus*, generis *mascul.* Feminini: Varro Serrano, περὶ ἀρχαιρεσιῶν: Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem, quod autumnitas in anni tetrachordo mensium præterierat.

21 ¶ *Aluus* generis *femin.* Virgil. Æneid. lib. 2. In latus, inque feri curuam compagibus aluum Contorsit. *Masc.* Accius Annalibus: Vt quàm frigidissimus aluus, Sed alij auctoritatis obscuræ: Mala nemus retinens grauido concepit in aluo.

22 ¶ *Accubitionem* genere *fœminino.* Marc. Tull. de senectute: Bene enim maiores accubitionem epularem amicorũ, quasi vitæ coniunctionem haberet, cõuiuium nominarunt.

B

23 ¶ *Bubo* generis *Femin.* Æneid. lib. 4. Seráque culminibus ferali carmine bubo. Genere *masculino*: Agellus Hist. lib. 1. Et quod bubo in columna ædis Iouis sedens conspectus est.

24 ¶ *Balnea*, nominis *feminin.* Marc. Tull. pro Sexto Roscio: Occisus est ad balneas palatinas rediens à cena Sex. Roscius. Plaut. Asinaria: Ille in balneas iturus est, inde huc veniet postea. Cæcil. Vmbris: Quid mihi non sunt balneæ? *Neutri*: Marc. Tullius Hortensio: Primus balneola suspendit, inclusit pisces.

25 ¶ *Balteus masc.* generis: Virg. lib. 12. Humero cum apparuit alto Balteus. *Neutro*: Varrerum diuinarum lib. 11. Tragica vincula baltea sunt. Accius διδασκαλικῶν lib. 8. Actoribus manuleos, baltea, machæras. Liuius lib. 9. Auratæ vaginæ, aurata baltea illis erant.

26 ¶ *Buxum*, generis *neutri*: Virgil. Georg. lib. 2. Et torno rasile buxum. *Feminini*: Ennius: Buxus victa taxis tonsa.

27 ¶ *Blandimentum* generis *neutri*: vt sæpe *femin.* Cic. de republ. lib. 4. In ciue excelso, atque homine nobili blanditiam, ostentationem, ambitionem meam esse leuitatis.

C

28 ¶ *Cliuus* generis *mascul.* vt plerunque *Neutri*: apud Memmium inuenimus, cuius auctoritas dubia est: Ille ardua nitens fortunæ scandere cliua: Cato de tribunis militum: Loca ardua, & cliua depressa.

29 ¶ *Cyma neutro*, vt Lucillius Asparagi molles, sed viride cyma. *Fem.* Cornelius Celsus, etsi minoris auctoritatis posuit: Lætam formosámque cymam.

30 ¶ *Consitura* generis *femin.* Marc. Tull. de repub. libro 1. Quæ videlicet illo non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinæ indiciis interpretabatur.

31 ¶ *Crux* generis *feminini* sæpe *Mascul.* Ennius Annal. lib. 11. Malo cruce fatum vti des Iupiter.

32 ¶ *Culter*, & cultellus generis sunt *masc.* Varro γεροντοδιδάσκαλος. Noctu cultro coquinari se traiecit. Nondum enim mihi inuenti erant cultelli empestati è Bithynia.

33 ¶ *Cor* generis est *neutri*, vt dubium non est. *Masculini*: Ennius lib. 13. Annibal audaci dum pectore de me hortatur, Ne bellum faciam: quem credit esse meum cor.

34 ¶ *Cupressus* generis *femin.* vt dubium non est. *Masculini*, Ennius: Capitibus nutanteis pinos, rectósque cupressos.

35 ¶ *Carra neutri* generis esse consuetudine persuasum est. *Masc.* Sisenna Hist. lib. 4. Impedimenta collocant omnia, construunt *carros*, & sarraca crebra disponunt. Varr. Cæli. lib. 2. Gallica porta carros adcurat vsque politos.

36 ¶*Certamen* generis est *neutri. Femin.* Sisenna Hist. lib. 4. Accolis celeriter consumptis, est gladios *certationem* reuocauerunt.

37 ¶*Querela* generis *femin.* vt sæpe. *Masculino*: Virg. Æneid. lib. 4. Tantos illa suo rumpebat pectore questus.

38 ¶*Compita* generis *neutri.* Virg. Georg. li. 2. Præmiáque ingentis pagos, & compita circum. *Mascul.* Varro de scenicis originibus lib. 3. Vbi compitus erat aliquis: Cæcilius Titthe: Vbi adiicientem compitum.

39 ¶*Consortium neutri* generis. ¶Consortio *femin.* Lucil. lib. 19. Deierat enim scripsisse, & post non scripturum redi in consortionem. Mar. Tull. de offic. libro 3. Dissoluatur necesse est omnis humana consortio. Titus Liuius: Quænam ista suauitas? quænam consortio est?

40 ¶*Chartam* generis *femin. Mascul.* Lucillius lib. 27. Nec sic, vbi Græci, vbi nunc Socratici charti, quicquid quæritis petimus.

41 ¶*Clypeus* generis *masc.* Virg. Ardenteis clypeos, atque æra micantia cerno. *Neutro* Virgilius: Et clypeum superintonat ingens. Licinius in Marte: Pars magna leuius clypea portant. Laberius Sororibus: Hoc voluit clypeum contra puluem proiici.

42 ¶*Cæmenta neutri*, vt est vsus Varro Bimargo: Non te pudet, Mani, cùm domi tuæ vides commilitonum tuorum cohortes seruis tuis ministrare cæmenta? *Feminini*, Ennius: Labat, labuntur saxa, cæmenta cadunt.

43 ¶*Clunes femin.* Horat. Quod pulcræ clunes, breue quod caput, ardua ceruix. *mascul.* Plaut. Abroico: Quasi lupus, ab armis valeo, clunes desertos gero.

44 ¶*Cælum neutro. Mascul.* Lucretius: Quis pariter cælos amnis conuerterit omnis Ignibus ætheriis terras sufferre feraceis? Varro Rerum diuinarum: Vt Deum significas non partem mundi, sic pater magnus materna his est cælus. Ennius: Fortis Romani quanquam cælus profundus. Idem Saturno quem cælus genuit.

45 ¶*Castitas*, & castimonia generis *feminini. Masc.* Varro Rerum diuinarum lib. 1. Nostro ritu sunt facienda, quam hos ciuilibus. Græco castu. Idem: Et religiones, & castus id possunt, vt ex periculo eripiant nostro. Næuius, Carmine Punici belli: Res diuas edicit, prædicit castus.

46 ¶*Callis* generis *masc.* Virg. Æneid. lib. 4. Prædámque per herbam Conuectant calle angusto. *femin.* Liuius lib. 12. Nisi pecorum modò fert angusto saltu, per deuias calles. Idem sic frequenter.

47 ¶*Culleus*, *masc.* sæpe. *Neutro*, Varro de re rust. lib. 1. In singula iugera, dena cullea vini fiunt.

48 ¶*Corbes*, corbulas. Varr. de re rust. libro 1. Cogit aliquot corbulas viarum & frondem iucundissimam ministrat ouibus. Cæcilius Philumena. Qui panis soli corbulam.

49 ¶*Quisquis*, & gener *femin.* attribui posse veterum auctoritas voluit. Liuius: Mulier quisquis es, te volumus. Cæcilius. Quæso igitur quisquis es mea mulier. Pacuuius. Quisquis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine. Ennius: Et quis illęc est, quæ lugubri succincta est stola?

50 ¶*Canalis*, *mascul.* Gadullius Gallicanus: Ego vero confiteor certo canali cuncta decurrere. *Feminino*, Lucil. ἀποκοσμικᾶς canaliculam dicit.

51 ¶*Cinis*, *mascul.* Virg. in Bucol. Cinis ipse bonus sit. Et Georg. lib. 1. Neue effetos cinerem immundum iactare per agros *Fem.* apud Cæsarem, & Catulum, & Caluum lectum est, quorum vacillat auctoritas: Cùm iam fulua cinis fueris.

52 ¶*Colus*, gen. *femin.* Cic. Orat. lib. 2. Quid tu, Decilla mea, quando ad me venis cum tua colu & lana?

53 ¶*Capillus*, *mascul.* est generis. Terent. Phor. Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida. *Neutri*, Plautus Mustellaria: Vide capillum satin' compositum sit commodé.

54 ¶*Cursus*, omnium consensu *mascul.* genere dicitur. Virgil. Hic cursus fuit. Cursura *femin.* Plaut. Asin. Non me vides ex cursura anhelitum etiam ducere? Idem Cistellaria: Pol accubituram mater magis sum exercitare, quàm à cursura sum tardiuscula.

55 ¶*Curriculum neutro* genere. Cicero Timæo: Rare igitur & mente diuina ad originem temporis curris curriculum inuentum est Solis, & Lunæ.

56 ¶*Culest*, pro qualis est, *neutro*, positum pro masc. Plaut. Amph. Ædepol. condignum domum culest, qui donum dedit.

57 ¶*Contagio*, *femin.* genere appellatur. Sallust. Post vbi contagio quasi pestilentia inuasit. Contagio *neutro*: Lucretius libro tertio. Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi. Virgil. Nec mala vicini pecoris contagia lædant.

58 *Catella*, diminutiuum est catenarum, & dicuntur genere *Femin.* Cæcilius Plocio. Catellæ. *neutrum* à catellis similiter diminutiuũ. Plau. Curcu. Delicatum te hodie faciam cum catello, vt accubes ferreo ego dico.

59 ¶*Corium*, *neutri* est gen. Corius *mascul.* Plaut. Pœn. Treis facilè corios contriuisti bubulos. Varr. Eumenid. Nunc corius vlmum tuus depuuit, pergis hera.

60 ¶*Calx*, est generis *fem.* Virg. lib. 12. Ferrata calce fatigat. Calx *masc.* Plaut. Pœnulo: Quin prius disperibit faxo, quàm vnum calce ciuerit. Var. Margopoli, περὶ ἀρχῆς. Nemini Fortuna

Fortuna currum à carcere intimo missum leui, Inoffensum per æquor candidum ad calcem fibit.

61 ¶*Cortex* vtriusque est generis. *Mascul.* Varro Prometheo lib. Tum visus supremus cortex, aut cacumina Morientum in quercu, & arborum altitudine. Idem Tithono, περὶ γήρως: Sic inuitata matura anima corporeum corticem facilè relinquit. Vir. lib.7. Raptus de subere cortex. *Fem.* verò Bucolicis: Tū Phaetontiades musco circundat amaræ Corticis. Lucretius lib.4. Quæ quasi membrana, vel cortex nominanda est.

62 ¶ *Calor* generis *masculini.* Virg. Georg. lib.2. Si non tanta quies i et frigúsque, calorémque Inter, & exciperet cæli indulgentia terras. Plaut. Mercatore: Neque frigus, neque calorem metuo.

63 ¶ *Caseus* generis *masc.* Virg. Bucolicis: Pinguis & ingratæ premeretur caseus vrbi, ¶Caseū *neutri*, Nouius Macco: Pecunia quid? bonum breue est, respondi, Sardis veniens caseum. Plaut. Medico: Parasito cum virgis caseum radi potest.

64 ¶ *Collum neutri* esse generis Virgil. docet. Et colla comantia pectunt. ¶ Collus *masc.* Accius Epigono: Quid cesso ire ad eam? hem præstò est, camo collum grauem. Lucillius Satyr. li.7. Caldissima ac bene plena iam solorum, atque anseris collus. Idem libro 27. Modò Sursum modò deorsum tanquam collus cerui. Cæcilius ἁρπαζομένῃ. Hinc collum ludo præcidi iube. Idem Synephebis: ad restim res redit. immò collus, non res nam ille argentum habet. Cato Sercia: Accipite, si vultis, hoc onus in vestros collos. Neuius: Cor vtrū scapulę plus angulus colli habeat nescio. Plautus Amph Malæ, meorum, barba, collus: Var. Sexagesi: Vt nitens Pauonis collus nihil extrinsecus humens.

65 ¶ *Castra* generis sunt *neutri. Femin.* Accius Æneadis aut Decio: Castra hæc vestra est, optimè essis meritus à nobis.

66 ¶ *Copula* generis *fem.* Accius Phœnissis, Abrorque proiam, ac supra tortas copulas.

67 ¶ *Cepe* generis *neutri.* Lucil. Satyr. lib. 5. Flebile cepe simul lacrymosæque ordine talpæ. Idem lib. XVI. Hoc aliud longè est, inquit, qui cepe ferebat. Varro Bimargo, Aui, & atau nostri cum allium, ac cepe eorum verba olerent, tamen optimè animati erant. Idem Manio: Dulcem aquam bibat salubrem, & flebile esitet cepe. Cepe *fem.* Lucil. Satyr. li. 5. Lippus edenda, acria assiduè ceparius cepa lacrysa. Varro Eumenid. In somnis venit, iubet me cepam esse, & fessiminum. Idem Cato, vel de liberis educandis: Vt cibo vtatur modico, & idoneo, vt vitet acria, vt est sinapi, cepa, allium.

68 ¶*Cubitus* masc. generis. *Neutri.* Lucil. Satyr. li.16. Lysippi Iupiter ista Transiuit quadraginta cubita, altus Tarento.

69 ¶*Coluber* generis *masc.* Virg. Æneid. lib. 2. Coluber mala gramina pastus. ¶ Colubra *Feminin.* Lucillius Satyr. lib.20. Iam disrumpetur medius, iā vt Marsus colubras disrumpit cantu, venas cùm extenderit omneis. Turpilius Leucadia: Arripuit colubram mordicus. Varro Eumenidibus: Quid dubitatis vtrum nunc sitis cercopitheci, An colubræ, an beluæ, an de albu cibus labus Athenis?

70 ¶*Contemptus* generis *masc.* ¶Contemptio *fem.* M. Tul. de repub. li. 5. Quę virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animi mortis, dolorísque magna contemptio. Idem de offi. lib.3. Fortitudo quæ est dolorum, laborum contemptio. Et Hortensio: Magnitudo animi, patientia laborum, mortis, dolorúmque contemptio, Ita & Tusc. lib.1.

71 ¶*Compendium*, compendiaria. Var. σκιαμαχία περὶ τύφου: Hoc dico compendiaria sine vlla sollicitudine, ac molestia dicundi ad eandem voluptatem posse perueniri.

72 ¶ *Crocum* generis *neutri.* Sallust. lib.2. Iter vertit ad Corycum vrbem inclytam pastúsque, nemore in quo crocum gignitur. *Masc.* Georg. lib.3. Et glaucas salices, casiámque, crocúmque rubentem.

73 ¶*Conatus mascul. Neutro*, Accius Atreo: Ego incipio, conata exsequar.

74 ¶ *Candelabrum* generis *neutri*, vt sæpe. Masc. Cæcilius Moletrice: Memini ibi candelabrum ligneum ardentem.

75 ¶*Cardo* generis *masc.* Virgil. Æneid. lib. 2. Et emoti procumbunt cardine postes. *feminini*, Graius Peliadibus: Sonat impulsa regia cardo.

76 ¶ *Census* genere *mascul. Neutro*; Cicero Consulato suo: Quorum luxuries fortunata censa peperit.

77 ¶*Crines* genere *masc.* Virg. Æneid. lib.4. Et crines flauos. *Fem.* Plaut. Must. Gerundum morem censeo, & capiundas crines tibi. Atta Epigrammatib. Præterea tu sis dissoluta crine capillus.

78 ¶ *Cummi* generis *neutri*. vt est vsu monoptoton. Tamen fem. Cinna: Alpináque cummi. vt sit genitiuus eius, huius cummis, vt puppis, febris, peluis.

D

79 ¶*Dorsum neutri* est generis. Virg. lib.1. Dorsum immane mari summo. ¶ Dorsus iterum *mascul.* Plautus Milite: Timeo quid rerum gesserim, ita dorsus totus prurit.

80 ¶ *Decorem* generis *mascul.* Decentiam feminini. M. Tul. de deorum natura libro 2. Colorum etiam & figurarum, tum venustatem, atque ordinem, & (vt ita dicam) decentiam oculi iudicant.

81 ¶*Despectum* generis *masc.* ¶ Despicien-

tia *fem.* M. Tul. de offi. libro 2. Ergo hæc despicientia admirabilitatem magnam facit, Et Tuscul. lib. 4. Omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia omni virtute ponamus.

82 ¶ *Dominatio*, gen. *fem.* vt plerumq. *Masc.* M. Tul. de repub. lib. 1. Quid tum, cum es iratus, permittis illi iracundiæ dominatum animi tui? Et de offi. lib. 2. Quorum est leuis fructus, incertus dominatus.

83 ¶ *Debitum* generis est, vt manifestum est, *neutri. Feminin.* M. Tul. pro Plautio: Nam alia est *debitio* pecuniæ, alia gratiæ.

84 ¶ *Diluuium* generis est, vt sæpius habetur, *neutri.* Virg. libro 8. Diluuio ex illo. *Fem.* Lucr. lib. 6. Pars etiam glebarum ad diluuiem reuocatur Imbribus. Horatius carminum lib. 4. Horrendámque cultis Diluuiem minitatur agris.

E

85 ¶ *Euentus* generis est *mascul. Neutri*, Lucretius lib. 1. Nam quaecunque cluent, aut his coniuncta duabus Rebus, ea inuenies, aut horum euenta videbis. Idem lib. 1. Euentum dici poterit, quodcunque erit actum. Mar. Tul. Hortensio: Tu me & aliâs nonnunquam, & paullò ante adhortatus es, aliorum facta, & euenta conquirerem. Idem consulatus fuit libro 2. Atque animo pendens noctu euenta timebat.

86 ¶ *Error masc.* est generis. Virg. Æneid. lib. 10. Gratúsque parentibus error. *Fem.* Accius Neoptolemo. Satis iam dictum est, neq. ego errantia animi prauè morigerabor. Neutri, M. Tul. ad Hirtium lib. 2. Qua in re si mediocriter lapsus sum, defendes mecum tolerabile erratum.

87 ¶ *Epulum* generis *neutri* est. *Fem.* Lucil. Satyr. lib. 14. Idem epulo cibus, atque epulatio Iouis omnipotentis. qui versus vtrunque designat. Virg. lib. 6. Epulæque ante ora paratæ Regifico luxu.

88 ¶ *Eruum* generis *neutri* est, vt plerunque *Fem.* Varro, Longè fugit, qui suos fugit. Sed vt his erat, hæc legumina arte praua pauca cicer, eruillam, ac paregía alia spiria cæteris.

F

89 ¶ *Frontem fem.* gen. Virg. Et frontem obscænam rugis arat. *Masc.* Titin. Setina: Quasi Hermaphroditus fimbriarum frõtem gestas. *Fem.* Pacu. Voce suppressa, innata fronte, vultu turpido. Cato de re militari. Vna repugnatio est, fronte longo: quadrato exercitu. Cæcilius Subdititio: Nam hi sunt inimici pessimi, fronte hilaro, corde tristi: Quos neque vt apprehendas, neque vitare scias. Plaut. Nam coloratum frontem habet petilis.

90 ¶ *Finem masc.* genere dicimus. Virg. Æneid. lib. 10. Hic finis fandi. solio tum Iuppiter aureo Surgit. *Fem.* Lucretius: Et merito. nã si certam finem esse viderent. Acc. Phœnissis: Neque vlla interea finis curis datur. Virg. Æneid. lib. 4. Quam fessis finem rebus ferat. Cæcilius Annal. lib. 5. In aliquã huic bello finem facere. Cassius Hemina Hist. libro 4. Qua fine omnis res, atque omnes artes, humanitásque aguntur. Var. Meleagris: Currere, vigilare, esurire, quando hæc facere oportet quam ad finem. Sisenna Hist. lib. 4. Et propè mediam ad finem ripæ peruenerant. Varro de vita pop. Rom. libro 4. Ita huius belli horribilis finis facta.

91 ¶ *Funus masc.* est generis *Feminini*, Lucr. lib. 9. Aurea de cælo demisit funis.

92 ¶ *Fretum neutri* tantùm generis esse volumus. Virg. lib. 3. Et crebris legitimus freta concita terris. *Masc.* Lucretius lib. 6. Nam fretus ipse anni permiscet frigus ad æstum. Nonius: Dubij fauentem per fretum introcurrimus. Ennius: Crassa puluis oritur, omnem peruolat cæli, fretum Lucillius Serrano: Cæli nomine, & salis fretus. Varro Gallo, aut Fundanio: Inter Italiam & Siciliam, qui est fretus inter Rhegium, & Messanam.

93 ¶ *Fauor* est generis *mascul. Fem.* Accius Oenomao: Augustam adhibeant Fauentiam more ob cæ a dictis segregans.

94 ¶ *Fetus masc.* Virg. Georgic. lib. 3. Aut ouium fetus, aut vrenteis culta capellas. Virg. Bucolic. *fem.* At tu, si *fetura* gregem suppleuerit, aureus esto. Idem Georg. lib. 3. Cætera nec feturæ habilis, nec fortis aratris.

95 ¶ *Frenos mascul.* Virg. libro 3. Et stabulis frenos audire sonanteis. *Neutro* Virgil. lib. 9. Frenáque bina eius, quæ nunc habet aurea Pallas, Accius Paride: Frena thesauri equorum accommodant.

96 ¶ *Forum* generis *neutri. Masc.* Lucil. lib. 3. Romanis ludis forus olim ornatus lucernis Sallust. lib. 1. Illum nautis forum. Pomp. Petitore: Baluea, forus, macellus, fana, portus, porticus.

97 ¶ *Frigus neutri* gen. vt plerunque. *Fem.* Varro, cras credo, hodie nihil: Atque vt igni feruido medullitus aquiloniam intus seruat frigedinem.

98 ¶ *Fulmentum neutro*, vt est in prouerbio veteri, quo Varro vtitur sæpius, fulmentum lectum scaudunt. *Femin.* Lucillius libro 28. Fulmentas eis atque eneis subducere. Et lib. 4. Sufficit huic dum fulmentas quatuor addit. Plau. Trinummo: Fulmentas iubeam supponi foco.

99 ¶ *Famulatio*, vt dominatio plerunque generi *feminino. Mascul.* Cic. de amicitia: Aut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorationem stirpis & generis in famulatu fuerint, cogniti sunt, & aut Deorum, aut regum filij inuenti sunt.

100 ¶ *Fluuius masculini* generis. *Femin.* vt amnis

amnis plerunque. Sisen. Hist. lib. 4. Quod oppidum tumulo in excelso loco, propter mare, paruis mœnibus, inter duas *fluuias*, intra Vesuuium collocatum. Idem eodem: Transgressus *fluuiam*, quæ secundum Herculaneum ad mare pertinebat.

101 ¶ *Flexus*, genere *masculin.* Virg. Georg. lib. 1. Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis. *Femin.* Cic. Orat. Cùm alter alteri obiicit vocis inflexiones. Idem eodem: Ipse se moderans ex virili laterum flexione.

G

102 ¶ *Guttur, neutri* est generis. Virg. lib. 6. Ille fame rabida tria guttura pandens. *Masc.* Plaut. Milite glorioso. Nam nimis calebat, adurebat gutturem. Lucil. Et ventrem, & gutturem eundem. Næuius: Ingurgitauit vsque ad imum gutturem. Var. Lege Mænia: Exercebam ambulando, vt siti capacior ad cenam veniret guttur. Plaut. Aulul. Etiámne obturas inferiorem gutturem?

103 ¶ *Genus, neutri* est generis. Virg. li. 5. Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus. *Masc.* Lucillius Satyrarum libro 4. Hæret verticulis adfixum in posteriore Parte, atque articulis vt nobis talus, genú'que est.

104 ¶ *Gelu, neutro* genere. Titus Liuius: Pisia diacematico foro pręstatur virtuti laus gelu, sed multo ocyus vento tabescit. *Mascul.* Afranius Epist. Quis tu es ventoso in loco Soleatus intempesta nocte, sub diuo, Aperto capite, silices cùm findat gelus? Acc. Prometheo: Tum profusus flamine hyberno gelus. Cato Originum lib. 2. Qui aquatum & ligna tum videntur ire, securim atque solum ferunt, gelum crassum excidunt, eum loro colligatum auferunt.

105 ¶ *Grando*, generis *feminini.* Virg. Georg. libro 1. Quàm multa in tectis crepitans salit horrida grando. *Masc.* Var. Triodite, περὶ ἀρετῆς, ἢ φύσεως. Nec coruscus imber alto nubilo cadens Multus, grandine implicatus albo.

106 ¶ *Gladius, masc. Neutri.* Lucil. Hærebat mucro gladium in pectore totum.

107 ¶ *Ganeum, neutrum.* Varr. Sesquiulysse, Qui se in ganeum accensum coniecit amicæ.

108 ¶ *Grues*, genere *femin.* Virg. Georg. lib. 1. Strimoniæq; grues. Lucil. lib. 4. Longior hic, quàm grus grue tota cùm volat olim. *Masc.* Laber. Fullonicis: Virum tu hunc, gruem Balearicum, an hominem putas esse?

109 ¶ *Greges*, vt sæpe, generis *mascul.* sunt *Femin.* Lucretius lib. 4. Lanigeræ pecudes, & equorum duellica proles, Buceriæque greges.

H

110 ¶ *Horrea*, genere *neutro*, vt sæpe. *Femin.* Claud. Oratione in Quintium Gallum: Quorum iacent murena vlla horrea, curiáque, & tabulariæ publicæ. Eiusdem generis tabularias, quo & horreas dixit.

I

111 ¶ *Intyba*, generis *neutri.* Virg. Georg. li. 4. Quódque modo potis gauderetur intyba riuis. *Mascu.* Lucil. Satyrarum li. 5. Intybus præterea pedibus prætensus equinis. Idem lib. 30. Pulmentaria vt intybus, aut aliqua id genus herba. Pomp. Placenta: Rustici edunt libente pedibus tristeis acres intybos.

112 ¶ *Interitus*, generis dicitur, *mascul.* M. Tul. Philip. lib. 2. Cn. Domitium, non patris interitus clarissimi viri. *Femin.* M. Tul. Verrinarum in frumentaria: Cùm bis in eadem prouincia magnæ fugitiuorum copiæ versatæ sunt, tum aratorum interito facta nulla est.

113 ¶ *Insomnium*, generis *neutr. Fem.* Cæcil. Phoc. Consequitur comes insomnia, ea porrò insaniam affert.

114 ¶ *Intestinum*, generis *neut.* Lucret. lib. 4. Horum intestinum quoduis quale esse putandum est. Masc. Var. Margopoli περὶ ἀρχῆς. Sẽsus poriæ, verro, hydragogiæ, cloaca, intestini.

115 ¶ *Ingressus*, gener. *masc.* vt sæpe. *Fem.* M. Tull. Orat. Perfecta hac video hanc primam ingressionem meam, non ex oratoris disputationibus ductam, sed de media philosophia repetitam.

116 ¶ *Iocus*, genere *masc.* Cic. pro Cęcilio: Ludus, iocus, sermo etiam familiarium deferendus. *Neut.* Nęuius Protesilao: Clàm ineunt, irruunt, cachinnos, ioca, dicta risitant. Sallust. Iugurthæ bello: ioca, atque seria.

L

117 ¶ *Lentem*, consuetudo *feminino* genere dici vult. Virg. Georg. lib. 1. Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis. *Masc.* Titin. Lenti calido duella trapula, romice.

118 ¶ *Lux*, *femin.* est generis. Virg. Bucol. Si mihi non hæc lux toto iam longior anno est. *Masculin.* Plaut. Aulul. Luce claro diripiamus aurum matronis palàm. Varr. Bimargo: Nos ergo nihil egimus, quod legem Lucaniam luce claro latam scutulans. Idem Ephebo, περὶ ἡμονῆς. Hodie si possumus, quod debemus populo in foro medio, luci claro decoquere M. Tul. de officiis lib. 3. Et cùm prior ire luce claro non queo.

119 ¶ *Lucrum*, secundum cõsuetudinem *neutri* generis. *masc.* Plaut. Persa: Nunc ea narrabo, vnde tu pergrandem lucrum facias.

120 ¶ *Labium*, *neutri* generis. Serenus Opusculis. Labiúmq; insigne reuellit. Labia rursum, *femin.* Plautus Sticho: Age tibicen, quãdo bibisti, refer ad labias tibias. Næuius Maccho Exsule: verberatio, populus homini labias pugnis cædere. Idem Præ/o posteriore: Ergo dedita opera te, pater, solùm foras Seduxi, vt ne quis esset testis tertius. Præter nos, tibi cum tunderem labias lubens. Lucil. Satyrarum lib.

22. Sopirion labias cædit vtrinque secus.

121 ¶ *Lacerti*, generis *mascul.* Neut. Acc. Atreo: Concoquit partem vapore flammam tribuit verubus lacerta in focos.

122 ¶ *Loca*, generis sunt *neutri*. Virg. Æneid. 1. Loca feta furentibus austris. *Masc.* Virg. Æneid. 1. Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernis Mœnia. Næuius Belli Pœnici lib. 6. Conuenit, regnum simul atque locos vt haberent. Cicer. Orat. Ducantur duplices loci, vni rebus ipsis, alteri assumptis.

123 ¶ *Lapides* & *feminino* genere dici possunt, vt apud Ennium: Tanto sublatæ sunt agmine tunc lapides. ad Homeri similitudinem, qui genere feminino lapides posuit.

124 ¶ *Luxuria*, generis *femin. Mascul.* Varr. Manio: Nec sumptibus finem lepidus statues, finémque, modúmque.

125 ¶ *Lusus*, vel ludus genere dicuntur *masc. Femin.* lusiones. M. Tul. de finib. bonorum & malorum lib. 5. Cùm hi verò paullulum processerunt, lusionibus, vel laboriosis delectātur. Idem Orat. Qui pila ludunt, non vtuntur ipsa lusione artificio propriæ palestræ. Varro Cato, vel de liberis educandis. Ab huiusmodi lusionibus radices crudelitas agere solet.

126 ¶ *Labrusca*, generis *fem.* Virg. Bucolicis: Syluestris raris sparsit labrusca racemis. *Neutro:* Virg. Culice: Densáque virgultis auidè labrusca petuntur.

127 ¶ *Liba*, generis *neutri*. Virgil. Bucol. Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis. *Masc.* Nigid. de Diis: Deinde surgat, faciat libos quatuor, & intra libos duos à dextra, & duos deuexos.

128 ¶ *Lupinum*, *neut.* Var. de re rustica lib. 1. Ibi lacum esse oportet, vbi maceratur lupinum.

129 ¶ *Lympha*, aqua genere *femin.* vt sæpe *Masc.* Lucil. Impermistum lymphorem.

130 ¶ *Licentia*, *fem. Masc.* Lab. In paupertatem eo licentiatus.

131 ¶ *Latrina*, genere *femin.* & est lauatrina, quod nunc balneum dicitur. Lucil. lib. 11. Qui in latrina lacúque. *Neut.* Laber Compitalibus: Sequere in latrinum, vt aliquid gustes ex Cynica hæresi hic latrinum neutri finem locum dixit. Lucil. lib. 6. Hoc tu aptè, credit quanquam latrina petisse.

132 ¶ *Lutum*, genere *neut.* & apud Ciceronem Epistola ad Hirtium lectum est plurali numero. Luta, & limum aggerebant. *Masc.* Claudius Annalium lib. 4. Pluuia, imbri lutus erat multus.

133 ¶ *Lanitium*, genere *neut.* Vir. Georg. li. 3. Si tibi lanitium curæ. *Fem.* Laber. Paupertate: Nihil refert mollem è lanitia Attica, An pecore ex hircorum vestigium geras.

M

134 ¶ *Mercatus*, generis habetur *masc.* Serenus Ruralib. Ad mercatum eo villice. Varro Sexagesi: Sumptum comitia habebant, ibi nūc fit mercatus. Mercatura *femin.* Plau. Trinummo: Mercaturam eam venalis habuit, vbi rem perdidit. Næuius Militibus Pometinensibus: Instant mercaturam spero, rem faciet, frugi est homo. Lucil. Satyrarum lib. 6. Verùm & mercaturæ omnes, & quæsticuli instituti. Turp. Lindia: Consilium hoc cepi, litteras misi ad senem nostrum, prodesse nobis ex sententia mercaturam. M. Tull. de officiis lib. 3. Ad quos, cùm tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus.

135 ¶ *Mercimonium*, *neut.* Plaut. Amphit. Vt vos in vostris vultis mercimoniis. Turpil. Thrasyleonte Videre cupio nostrum mercimonium.

136 ¶ *Melos*, genere *neutro:* Næu. Lycurgo: Suaue summū melos. *Masc.* Acc. Bacchis: Vacci, acri, crepitantes melos. Pacu. Peribœa: Thesiantem, fremitu concidi melum. Varr. Parmen. Paci huius nascuntur pueri rhythmus, & melos. Idem Cato, vel de liberis educandis: Omnes enim qui loquuntur habere debent quosdam melos.

137 ¶ *Medimnum*, generis *neut. Masc.* Lucil. Satyrarum lib. 15. Præterquam in precio primus semisse, secundus Nummo, tertius iam pluris, quàm totus medimnus.

138 *Margaritarum*, generis *neut.* Var. ἑκατόμβη, περὶ θυσιῶν. Vbi illa phalera, gemmeáque ephippia, Et arma margarito candicantia? *Femin.* Varro Papiapapæ περὶ ἐγκωμίων. Imperito nonnunquam concha videtur margaritam, vt amisi smaragdos. M. Tullius Verrinis de Signis: Vllam gemmam, aut margaritam. Varr. Marcipore: Altera exorat patrem librā ocellatorum, altera virum semodiū margaritarum.

139 ¶ *Messem*, generis *fem. Masc.* Lucil. lib. 27. Potiùs, quàm non magnam messem esse, non probam vindemiam.

140 ¶ *Mendum*, *neutro*. M. Tul. ad Atticum lib. 2. Castricianum mendum non corrigeres. *Fem.* M. Tul. Verrinis: Quæ mendosa denique litora. Lucil. Nam in quibus mendæ Omnibus in rebus fiunt, fiérique potis sunt.

141 ¶ *Metus mascul.* Næuius: Magni metus tumultus pectora possidet. *Feminini*: Ennius, Ni metus vlla tenet rite in virtute quiescunt.

142 ¶ *Murmur*, *neutri* est generis. *Mascul.* Varr. Sexagesi: Iactati sumus, vt deportare, murmur fit verus.

143 ¶ *Mundus*, muliebris, generis *mascul. Neut.* Lucil. libro 17. Legauit quidam vxori mundum omne, penúmque.

144 ¶ *Miseria*, vt sæpe, generis *femin. Neut.* Labirius Carcere: Homo frugi, quod tibi relictum est, miserimonium retines.

N

145 ¶ *Nundinæ*, generis sunt *feminini*. Varr. Mar-

Marcipore: Maiores sunt pueri, hi pusilluli nigri, qui spectant nundinas, vt magister dimittat suis. *Masc.* Lucil. lib 26. Paucorum atq; hoc pacto si nihil gustat inter nundinum. Var. γεροντοδιδάσκαλος. Quoties priscus homo, ac rusticus Romanus inter nundinum barbam radebat. Idem ταφῆ Μενίππου: Romam ipsam in arcofice, non qui in orbe inter nundinum calumniarentur. Idem rerum humanarum libro 20. Decemuiri cùm fuissent arbitrati binos nundinum diuisum habuisse.

146 ¶*Nasus masc. Neut.* Lucil. 7. Quos oculi non sunt, neque nasum, & qualia sunt. Idem lib. 22. Nasum rectius nunc homini est suræ, nec pedes dici.

147 ¶*Nepos* dici & *femina* potest, Ennio auctore quæ nunc neptis dicitur. Iliada Nepos quas ærumnas retulisti?

148 ¶*Nuncius* generis *mascul. Neutro* apud antiquos non receptę auctoritatis lectum est, sed doctos.

149 ¶ *Nerui masculini,* sunt generis, sicut plerumque. ¶ Neruia *femin.* apud doctos lectum est sæpe. Verùm Varr. ὄνος λύρας: Scientia doceat, quemadmodum in psalterio est, tendamus neruias. Neut. Var. ὄνος λύρας: Et id dicunt suam Briseidem producere, quæ eius neruias tractare solebat.

150 ¶*Noualia* genere *neut.* Virg. Bucolicis: Impius hæc tam culta noualia miles habebit? *Femin.* Virg. Georg. lib. 2. Alternis tonsas idem cessare noualeis.

O

151 ¶*Obsequium neutro* genereh abetur. Terent. Andria: Obsequiũ amicos, veritas odium parit. Obsequela *femin.* Plaut. Asinaria, Qui mihi auscultabũt, facient obsequelam. Turp. Epicl. Neq; offerre hunc diutius errari, & conqueri necesse suæ obsequelæ. Idem Trasileone: Cùm interea nihil quicquam à me est premij, neque erat tuæ benignitatis, atque obsequelæ. Sallust. Historiarum lib. 2. Ibi Fimbriana seditione, qui regi per obsequelam orationis, & maximè odium Syllæ graues, carique erant. Afran. Priuigno: Quàm mihi sit grata ipsius obsequela.

152 ¶ *Ostrea* generis *femin.* Lucil. Sat. lib. 3. Ostrea nulla fuit, non purpura, nulla Peloris. Turpil. Demetrio: In acta cooperta age in oras ostreas. Var. ὄνῳ τῇ φακῇ μύρον, περὶ εὐτελείας: Nec multum numus piscis ex salo captus helops, neque ostrea vlla magna capta quiuit palatum suscitare. Afranius Excepto, Conchas: echinos, ostreas marinas. M. Tul. Hortensio: Solertiáque eam, quæ posset vel in tegulis proseminare ostreas. Var. Sexagesi: Tunc nuptiæ videbant ostreas Lucrinas. *Neutri,* Lucil. Satyrarum lib. 9. Quid ergo si cerno ostrea Cognorim fluuium, limum, ac cœnum sapesc ipsum? Idem lib. 13. His itidem in cœpa, dabis ostrea millibus nummûm Empta. Var. ἕως πότε, περὶ ἀρχῶν: Non posse ostrea se Romæ prębere & echinos.

153 ¶*Oues* generis *femin.* vt plerũque. *Masc.* Var. Rerum human. lib. 3. Vt etiam putantibus qui oues duos, non duas dicunt, Homer. securos, qui ait πίμην ὄϊ ἔσσε. Idem Terentio: Quando citatus neque respondit, neque excitatus est, cum ego vnum ouem multam dico.

154 ¶ *Obsidio fem.* genere. Virgil. Æneid. lib. 3. Cingique vrbem obsidione videret: *Neut.* Ennius: Cum suo obsidio magnus Titanum premebat.

P

155 ¶*Putei,* sunt generis *masc.* Virg. Georg. lib. 3. Ad puteos, aut alta greges ad stagna iubeto, Currentem ilignis potare canalibus vndam. *Neut.* Varro Gallo vel Fundanio: De miris, secundò de statuis, aquis, vt sunt lacus, & stagna, & putea & maria.

156 ¶ *Piscatio,* generis, vt sæpe, *feminini.* ¶Piscatus *masc.* Cic. de finib. bonorum & malorum lib. 2. Istius generis asotos iucundè putat viuere mundos, elegantes, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione.

157 ¶*Puluis,* genere *masculino*, vt sæpe. *Femin.* Ennius li. 8. Annalium: Iámque ferè puluis ad cælum vasta videtur. Idem lib. 8. Iámque ferè puluis fulua volat.

158 ¶ *Posticam femin.* genere consuetudine appellamus. Lucil. Satyr. libro 3. Non peperit, verùm postica parte profundit. Var. ταφῇ Μενίππου: Pertexit interiores partes domus posticæ (vt ait Plautus) penitissimè. Titinnius *neutro* in Veliterna dici probat. Atque duo postica, quæ loco mercede. Idem Fullon. Siquis hodie præter has posticum nostrum pepulerit. Lucil. libro 8. Pistrinum appositum, posticum, sella, culina. Var. Prometheo lib. 2. Retrimenta cibi, quæ exierunt per posticum, vallem fecerunt.

159 ¶ *Partus masculi,* est generis Virgil. Quin idem Veneri partus suus & Paris alter. ¶ Partitudo & partio *femin.* Plaut. Aulularia: Probrum, propinqua partitudo cui appetit. Idem eadem: Nam probrum atque partitudo propè adest. Afran. Vopisco: Non dolorum partionis veniet in mentem tibi, Quos misera pertulisti, vt partum proiiceret pater? Plaut. Truculento: Horresco misera, mentio quò fit partionis.

160 ¶ *Præsepia neutri* sunt generis. Virgil. lib. 11 Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis. *Femin.* Plaut. Curculione: Quia reciperet se hinc cessum ad *præsepiam* suam. Idem ad meum herum arbitrum vocat me hic intra praesepias meas. Var. de Republ. lib. 1. Contrà hic laudabatur ab illis. Is habebat culinam rusticam vnã præsepiã latam, cellam vinariam,

161 ¶ *Panis*, consuetudine *masculino* genere appellauit. *Neut.* Plaut. Curculione: Hæc sunt ventris stabilimenta, pane, & assa bubula.

162 ¶ *Pingue est*, pro pinguis est, *neutrum* pro alio genere positum. Nonius Triperdita: Si autem pingue est, malè cubandum est putrem panticas.

163 ¶ *Perdix* & *masculino*, genere dici potest. Varro Admirandis: Perdicas Boetios.

164 ¶ *Palpebrum*, genere *neutro* consuetudo dici vult. *Palpebra femin.* Lucretius lib. 3. Brachia, Palpebręque cadunt, poplitésque cubanti. Var. Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων: Quos calliblepharo naturali palpebræ Tinctæ, Vallato mobili septos tenent. M. Tul. de Orat. lib. 2. Munitæque sunt palpebræ, tanquam vallo pilorum.

165 ¶ *Pannus*, vsu generis *masc. Neut.* Næu. Tabel. qui habet vxorem sine dote, pannum positum in purpura.

166 ¶ *Purpurissum*, genere *neutro*; Afranius Homine: Cedo purpurissum. *Femin.* Næuius Sannionibus; In licio, cretam, cerussam, purpurissum.

167 ¶ *Pernicies*, generis *feminini.* Lucillius Satyr. li. 2. Pestem, perniciémque catax, quam & Manlius Nou. *Neut.* Acc. Menalippo: Paratus sum vbi vis, petere pestem, perniciem.

168 ¶ *Palumbi fœmin.* Virg. Bucolicis: Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes. *Mascul.* Lucil. li. 14. Macrósque palumbos. Plaut. Bacchidibus: Qui enim intelligo. duæ vnum. experitis palumbem. Pompon. de Vite: Quo expalumbem vnum ex ore tollit.

169 ¶ *Pigror*, generis *mascul.* Lucil. Sat. lib. 1. Languor, & oppressit pigror, torpórque quietis.

170 ¶ *Pigne*, Ennius lib. 27. Potestate pigne sufferre laborem. Acc. Clytemnestra: Omnes gaudent facere rectè mali pignem. *Femin.* pigritia.

171 ¶ *Pali*, genere *femin. Neut.* Var. Flextabulis, περὶ ἐπαγχῶν: Quid tu non vides in vineis, quòd tria pala habeant, tripales dici.

172 ¶ *Periculum*, generis *neutri.* Ter. Andr. At istuc periculum fieri in filia graue est. Periclitatio *femin.* M. Tul. de Deorum natura li. 2. Sicut ex quibusdam stirpibus, & herbis quarum vtilitates longinqui temporis vsu & periclitatione percepimus.

173 ¶ *Paratus*, generis *masc.* Paratio femin. Afranius Priuigno: Silentio opus est, nulla inest paratio.

174 ¶ *Penus*, generis *femin.* Lucil. Magna penus paruo spatio consumpta peribit. *Masc.* Pomp. Dogali: Vnum penum, quæ omnem: cæterum aliam præberem penum. Næuius: Do facta meum in penum componam latius est. Neutri etiam lectum est apud plurimos, quorum auctoritas non probatur.

175 ¶ *Polypus*, generis *femin.* Lucil. lib. 29. Paulisper cui medentia medem hæc se vt polypus ipsa.

176 ¶ *Paupertas*, generis *femin. Neut.* Cæcilius Plocio: Ibo ad forum, & pauperi tutelam geram.

177 ¶ *Papauer neut.* Virg. Spargens humida mæla, soporiferúmque papauer. *Masc.* Varro Admirandis: Infria seni papauerem. Plautus Asinaria: Formicis obiicias papauerem.

178 ¶ *Pileus*, generis *masc.* Plaut. Captiuis: Pileum, quem habuit, diripuit, eúmque ad cælum tollit. *Neutri*, Plaut. Cornicul. Te obsecro, Lyde Pileum meum, mi sodalis, mea salubritas.

179 ¶ *Profecta*, exta, quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta, sunt generis *neutri*. Licinius Macer Ornithogonia: Vulgari tosta vapore Cum virgis prosecta ferunt. *Femin.* Lucil. libro 14. Cenam, inquit, nullam, neque Diuo profectam vllam. Varr. Rerum diuin. lib. 11. Proficiem extorum vel in mensam porrigere.

180 ¶ *Pedis*, quem nos pediculum dicimus, generis *masculini* est. Nouius: Est pedis vnus ingens in naso. *Femin.* Plaut. Vidularia: Vbi quamque pedem videbat, suffurabatur omnis.

181 ¶ *Pluuia*, vt saepe generis *femin.* Virg. Georg. lib. 1. Tunc cornix plena pluuiam vocat improba voce. *Mascul.* Laberius: Latè loquente qui pedem ex taberna tulimus, tantus cùm staret pluor.

182 ¶ *Pistillus masc.* Nou. minia medica: Lacrymæ cadent, calet pistillus. Idem Fullonibus: Testes pestinas pistillos mihi cantent. *Neut.* Muntius: Pistillum grande est.

183 ¶ *Propago*, propages, vt sæpe, generis *femin.* Pacuuius Antiopa: Saluete gemini, mea propages sanguinis. *Neut.* Ennius: Boni secundè forent fructus, vt æquè propaginem.

184 ¶ *Patibulum*, genere *neut. Masc.* Lucil. Rerum humanarum lib. 21. Deligata ad patibulos, deligantur & circunferuntur, cruci desiguntur. Plautus Carbonaria: Patibulum ferat per vrbem, deinde affigar cruci.

R

185 ¶ *Rictus*, generis est *masc.* Titinnius: Caue, exporge frontem habeat semper factos rictus. ¶ Ricta *neutri*, Lucr. libro 5. Mollia ricta tremunt duros nudantia dentes. M. Tul. de Signis: Vt rictum mentúmque eius paulò sit attritius.

186 ¶ *Rogus masc.* generis, Virg. Æneid. lib. 4. Hoc rogus iste mihi, hoc ignes aræque parabant. *Neut.* Afran. Epistola: Pulcrè hoc incendi rogum, ardet, tenetur, hoc sepulcro sepeli licet.

187 ¶ *Rudens*, generis est *masculini*, Virg. Æneid. lib. 3. Excussósque iubet laxare rudentes. *Femin.*

Femin. Plautus Rud. Dum hanc rudentem complico.

188 ¶ *Reticulum*, genere *masc.* M. Tullius Verrinarum actione vij. Reticulúmque sibi ad nares admouebat, tenuissimo lino, plenum rosæ Fenestella Annal. Fascem pectoralis reticulus. *Neut.* Claud. lib. I. Prius hisce auctoribus inde reticula galearia.

189 ¶ *Ramenta* generis *neutri*, vt sæpe. *Femin.* Plautus: Ramenta fiam plumbea propensior.

190 ¶ *Rastros*, genere *masc.* dicimus, vt apud Virgilium & Terentium. *Neutro* apud Cornelium Celsum: Omnes rastra attollunt, & adigunt.

191 ¶ *Raptus* generis *masc. Fem.* Terentius Adelph. Disperij Ctesiphontem audiui filium Vnà affuisse in raptione cum Æschino.

192 ¶ *Reditus*, generis *masc.* Virgilius Æneid. libr. iiij. Nostri reditus expectatíque triumphi. *Femin.* M. Tul. Philippicorum lib. I. Exponam vobis breuiter consilium profectionis, & regressionis meæ. Varro Rerum humanarum libro xx. Omneis Tarquinios eiicerent, ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent. Idem eodem: Ad milites facit reuersionem.

S

193 ¶ *Sexus*, *masc.* generis esse manifestum est. *Neutr.* Sallustius dixit Historiarum lib. ij. At Metellus in vlteriorē Hispaniam post annum regressus, magna gloria concurrentium vndique virile, & muliebre sexus per vias, & tecta omnium visebantur. Sisenna Histor. lib. iij. Tum in muro virile, ac muliebre sexus populi multitudine omni collocata.

194 ¶ *Specus*, genere *masc.* Varro Rerum diuinarum lib. iiij. Ibi cùm amissam captam desiderarunt, animaduertisséntque quendam specū tenebricosum. Ennius Lytris: Inferûm vastos specus. *Femin.* Ennius Annalium lib. xvij. Concaua sub montis late specus intus patebat. Accius Niptris: Inde aduenio montem Oetam, scruposam specum.

195 ¶ *Strigilim* manifestum est esse generis *femini. Neutri*; Varro Bimargo: κατάχρησις enim est vera, cùm in candelabro pendet strigilis.

196 ¶ *Sortes*, genere *femin.* Virgilius lib. x. Nescia mens hominū fati, sortísque futuræ. *Masc.* Virgilius libro iiij. Quæ sortitus non pertulit vllos.

197 ¶ *Salis*, genere *masc.* Terentius Eunucho: Labore alieno magnam partam gloriam, Verbis sæpe in se transmouet, qui habet salem, Quod in te est. Plaut. Mercatore: Quasi in aquam indideris salem; *Neutro*; Varro Commentario veteri Fabij pictoris legimus: Tesfit & sale; quo sale sordidum vstum est, & ollam rudem facilè abiectum est, & postea id sal virgines Vestales serra ferrea secant.

198 ¶ *Socrus*, & *mascul.* genere veteres dici posse voluerunt. Næuius Pellico: Desine socri tuo, fratri patri meo.

199 ¶ *Salum*, *neutri* generis est vulgari cōsuetudine. *Mascu.* Ennius Hecuba: Vndantem salum.

200 ¶ *Sibilū*, *neutro* genere, vt apud Serenum: Suaue sibilum. *Masc.* Virgilius Bucolicis: Nam neque me tantum venientis sibilus austri Lucillius: Saxa & stridor: vbi atque erunt dum sibilus institis.

201 ¶ *Sagum* generis *neutri*, vt plerunque, *Mascul.* Ennius: Tergius igitur sagus pinguis opertat. Varro Virgula diuina: Cùm neque aptam mollis humeris fibulam sagus ferret.

202 ¶ *Spari*, quod est genus teli *masc.* genere, vt est apud Virgilium: Agrestísque manus armat sparus. *Neutro*, Lucillius: Tū spara, tum rumices.

203 ¶ *Sanguis masc.* gener. in cōsuetudine habetur. Virgilius Æneid. lib. ij. Vos ô quibus integer æui Sanguis ait. *Neutro*; Ennius Hecuba: Heu me miseram Interij, perdunt lauere sanguen sanguine. Lucretius lib. primo: Visceribus viscus gigni sanguénque creari. Accius Amphitryone. Cum patre paruos patrum hostifice sanguine sanguen viscere suo. Idem Æneadis aut Decio: Vim gallicam obduc contra in acie exercitúve Patrum hostili fusum sanguen sanguine. Varro Cosmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου: Africa terribilis contra concurrere ibis, atque Æneæ misceri sanguine sanguen. Cicero de finibus bonorum & malorum, libro quinto: Quotusquisque est, cui mors cùm appropinquaret, non fugiat timido sanguen, atque exalbescat metu?

204 ¶ *Subcuboneum* positum pro succuba; Titinnius testis est, in Psaltria: Contemplar ancillas quam arbiter illarum subcuboneum esse.

205 ¶ *Simile* est pro similis est. pro *mascul.* positum neutrum. Titinnius Fullonibus: Formicæ pol persimile est rusticus homo. Næuius Gymnastico: Pol haud parasitorum aliorum simile est. Næuius Militibus Pometinesibus: Tu pueri pusilli simile es. quia enim ad os fers, quicquid nactus es.

206 ¶ *Schema femin.* gen. dici veterum vsurpat auctoritas. Plaut. Amph. quod ego huc processi sic, cum seruili schema. Pomponius Prostibulo: Si valebit plus in buccam vetet si dicin' schema? *Neutro*; Næuius Lycurgo: Pergite thyrsigeræ Bacchæ modo bacchico cum schemate. Lucil. lib. xxix.

In gymnasio vt schema antico est, peccatores retinerem.

207 ¶ *Scrobes, femin.* genere. *Masc.* Plautus Amph. Ibi scrobes fodito sexagenos in dies. Idem Aulularia: Ego ecfodiebam in die denos scrobes. Varro Rusticarum rerum libro primo, scrobiculū dicit. Idem Manio: Quod dum administrant in scrobe fodiendo, inueniunt arcam.

208 ¶ *Syngraphas fem.* gen. M. Tul. auctore dicimus: Præ negotiatoribus Achæis syngraphas, quas nostra voluntate conscripsimus. *Mascul.* Plautus Asinaria: Agedum istum ostende: quem conscripsisti, syngraphum.

209 *Silex*, omnium consensu *femin.* appellatur genere. Virgilius Bucolico? Ah silice in nuda. *Masc.* Lucret. lib. I. Vnde queant validi silices, ferrúmque creari. Idem libro quinto: Non tuere auulsos silices à montibus altis.

230 ¶ *Spicæ*, generis sunt *feminini*. Varro Sexagesi: Si canis fit è catelló, sic è tritico spica. M. Tul. de finibus bonorum & malorum lib. quarto: Non enim quod facit in frugibus victum ad spicam perduxerit. *Masc.* Tul. de senectute: Calamóque erecta geniculato, vaginis iam quasi pubescens includitur, ex quibus cum fundit fruges spici ordine structas. Varro lege Mænia: Neque in bona segete nullum est spicum nequam; neq. in mala nō aliquod bonum.

231 ¶ *Squalor, mascul.* est generis. *Femin.* Accius Eurysace: Prò dij immortales speciem humanam, inusitatam egregiam, Indignam clade & squalitudine. Idem Telepho: Nam etsi operta squalitate est, luctúque horrificali. Var. Manio: Ager derelinqueretur, ac periret squale, scabre atque illuuie & vastitudine. Lucil. Squalitate summa, scabie summa, ærumna obrutam.

232 ¶ *Suasiones* gen. *fem.* *Neutri*; Accius Clytemnestra: Sciebam hanc mihi supremam lucem, & seruitutis finem dari.

233 ¶ *Scutum* generis *neutri*. *Mascul.* Turpilius Demiurgo: Quia non minus res hominem, quàm scutus regit.

234 ¶ *Seplasium*, generis *neutri*. Varro ἀνθρωπόπολις, περὶ γενεθλιακῆς Dori dato insulam Chium, agrum Cæcubum, Seplasia Capuæ, macellum Romuli. Seplasia *fem.* Varro Synephebo, περὶ ἐμμονῆς: Hic narium seplasiæ, hic hedycus Neapolis. Pomponius Quinquatribus: Venit, inquit, rogatum nos, quando nostræ essent seplasiæ.

235 ¶ *Stupor*, generis mascul. ¶ Stupidatem *fem.* Accius Epigono: Ita imperitus stupiditate erumpit se, impos consilij.

236 ¶ *Statura* gen. *fem.* Lucillius lib. xxviij. Quare pro facie, pro statura, status. *Masc.* M. Tul. de offic. lib. I. In corporis denique motu & statu cernitur.

237 ¶ *Stirpem* generis *femin.* Virg. Æneid. lib. viij Heu stirpem inuisam, & fatis contraria nostris Fata Phrygum. *Masc.* Ennius Annal. lib. v. Omnes Pyrrhus; vti memorant, à stirpe supremo. Pacuuius Atalanta: Dubito quam insistam viam, aut quod primordium Capissam ad stirpem exquirendum. Virgil. Æneid. lib. xij. Nanque diu luctans, lentóque in stirpe moratus.

238 ¶ *Satio*, gener. *femin.* Virg. Geor. lib. I. Vere fabis satio. *Masc.* tamen M. Tul. de senectute: Quid ergo vitium ortus, satus, incrementa commemorem?

T

239 ¶ *Tactus*, generis *masc.* vt sæpe *Femin.* Cicero Tusc lib. iiij Qualis hæc aurium, tales sunt & oculorum, & tactionum, & odorationum & saporum.

240 ¶ *Tali*, positum pro talis. Titinnius Setina: Accede ad sponsum audaciter, virgo nulla est, tale etiam est.

241 ¶ *Tonitrus* positum pro tonitru. Plautus Amph: Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus.

242 ¶ *Tergum*, *neutro* genere dici, & consuetudo, & veterum confirmat auctoritas. Plautus Pseudolo: Nunquam ædepol vestrum durum tergum erit, quâm hoc terginum meum. *Masc.* Plaut. Asinaria: Habeo opinor familiarem tergum, ne quæram foris.

243 ¶ *Textus, masc.* est generis *Neutri*; Lucret. lib. v. Tres species tam dissimileis, tria talia texta. Idem libro sexto: Propter dissimilem naturam, textáque rerum. Accius Nyctegresia: Scendit hora laterum texta Vulcani vorax.

244 ¶ *Terriculæ*, gener. *femin.* *Neutri*; Acc. ὅπλων κρίσει: Vbi nunc terricula sua sunt. Idem Telepho: Proinde hæc ista tua aufer terricula: atque animum iratum comprime.

245 ¶ *Torquem*, gen. *Masc.* Lucil Satyr. lib. xi. Cōuentus, pulcer, bracæ, saga fulgere torques Magni. M. Tull. de offic. lib. iij: Atque hic Titus Manlius is est, qui ad Anienum Galli, quem ab eo prouocatus occiderat, torque detracto cognomen inuenit. *Fem.* Varro ἔχω σε περὶ τύχης: Tela dextra vibrant, russaria emicant, atque insignibus Martis torques aureæ, & scuta celata Hibero argento graui crebra fulgent. Claudius Quadrigarius describens Manlij Torquati pugnam: Vbi eum euertit, caput præcidit, torquem detraxit, eandémque sanguinolentam sibi in collum ponit. Varro de vita populi Rom. lib. I. Auri pondo duo millia acceperunt ex ædibus sacris, & matronarum ornamentis, à quibus postea id aurum, & torques aureæ multæ relatæ Romam, atque consecratæ.

246 ¶ *Timor*, generis *masc.* [timiditas] *fem.* Pacuuius Peribœa: Et fare quæ cor tuum timiditas territat. M. Tul. de repub. lib. II. Esse autem angores, si miseria afflictas, atque abiectas timiditate, & ignauia. Idem de Orat. lib. II. Pudore à dicendo, & timiditate ingenua quadam refugisti. In eodem: Neque illa mihi cautio, & timiditas incauti, propter præstantem prudentiam Crassi negligenda est.

247 ¶ *Tractus* generis *masc.* Varro, mutuum muli scabunt, περὶ ἀγορασμοῦ vt venalem tuniculam poneret quotidie, vt videret, totum denique etiam suis manibus lanea tracta ministrasset infectori.

249 ¶ *Tribulæ*, *fem*: Virg. Georg. lib. I. Tribulæque, trabeæque, & iniquo pondere rastri. *Neutro.* Varro Rerum rustic. lib. I. Quod fit apud alios iumentis, hic tribulo fit.

250 ¶ *Torpor* generis *masc.* Lucret. Tantus conduxerat omnia torpor Torpor *fem.* Salust. Hist. lib. I. Hæc si placent, si tanta torpedo animos obrepsit.

251 ¶ *Tapete* generis *neutri.* Turpilius, & Cæcilius: Glabrum tapete. *Masc.* Virg. Pulcrósque tapetas.

252 ¶ *Tributum neutro*: sed *masc.* Cato Originum libris: Ne prædia in lubricum dirigerentur, cùm tributus exigeretur.

253 ¶ *Testa* genere *femin.* sæpe inuenitur. *Neutro* apud obscuræ auctoritatis, sed summos scriptores legimus.

254 ¶ *Turdi masc.* sunt generis, vt plerunque lectum est. *Fem.* Varro Quinquatribus: Tu Pledi contra audes dicere, cum in eborato lecto, ac purpurei operis toro cubare videas ægrotum, & eius prius album, quàm tympen subducere malis?

255 ¶ *Tarditas* generis *fem* *Masc.* Varro Bimargo: Ne me prædatus versuum tardor, ne prenet tarre cum prytimon certum.

256 ¶ *Tibia* gen. *fem.* *Masc.* Varro Modio: Quare meas libidines, ac tibias bilingos.

257 ¶ *Tartara* genere *neutro.* Virg. lib. VI. At læua malorum Exercet pœnas. & ad impia tartara mittit. *Masc.* Virg. lib. VI. Tum tartarus ipse Bis patet in præceps tantum.

V

258 ¶ *Vterus*, *masculino* genere dicuntur. *Neutro.* Plautus Aulul. Perij mea nutrix, obsecro, vterum dolet. Turpil. Philopatro: Disperij misera, vterum cruciatur mihi. Afranius Vopisco: Sedit vterum, non vt omnino tamen.

259 ¶ *Venatus masc.* est generis. Virg. lib. 8. Venatu assiduo, & totum cognouimus amnē. Et Georg. Sed rami atque asper victu venatus alebat. ¶ Venatura *fem.* Plautus Milite glorioso. Viden' tu illam oculos venaturam facere, atque aucupium auribus.

260 ¶ *Vultus*, *mascul.* genere appellatur. Virg. lib. V. Méne salis placidi vultum, fluctúsque quietos. *Neutro.* Lucret. lib. quarto: Vt patribus patri, sed quod vtriusque figuræ Esse vides iuxtim miscentes, vulta parentum. Ennius: Auersabantur semper viuos, vostráque vulta.

261 ¶ *Vulgus neutro* genere solum dici putat Lucill. Satyr. li. 14. Dilectum video studiose vulgus habere. *Masc.* Sisenna Hist. li. 3. Imperitum concitat vulgum. Virg. Æneid. lib. 2. Hinc spargere voces in vulgum ambiguas. Accius Eurysace: Diffidam amantem cidere turbet vulgum ambigua. Accius: Eritat mœros disiicit. Idem Epigono: Et nónne Argiuos fremere bellum, & velle vi vulgum videt? Varro Erono, περὶ ταφῆς: Quare Heraclides Ponticus plus sapit. qui præcipit, vt comburerent, quàm Democritus; qui vt in melle seruarent. quem si vulgus secutus esset, peream, si centū denariis calicem mulsi emere possimus. Idem, ὄνος λύρας. Iurgare cœpit dicens, quæ facis, atque in vulgum vulgas.

262 ¶ *Vsus* generis *masc.* Cic. Orat. lib. 2. Adiungetur vsus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superaret. *Fem.* Plautus Amphytr. Vsurámque eius corporis cepit sibi. Accius Oenomao: Atque hanc postremam Solis vsuram cape. Varro ταφῇ μενίππου. Diogenem litteras scisse, dum vsioni quod satis esset.

263 ¶ *Vectis* gen. *masc.* Lucillius Satyr. lib. 4. Ne agitarem, manu tu pessulus, hunc vectem possis cuneo ipso. Virg. Centum ærei claudunt vectes.

264 ¶ *Vepres* gen. *masc.* Virg. Sparsi rorabant sanguine vepres. *Fem.* Pomponius porto-petipocons. Vepra est veprecula. Lucr lib. 4. Nam sæpe videmus Illorum spoliis vepres volitantibus auctas.

265 ¶ *Vaduum* generis *neutri.* Virg. Æneid. lib. I. In vada cæca tulit. Sallustius Histor. lib. primo: Et mox stipidius adueniens cum legionibus, postquam tantas spiras haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti quam suis opportuniora videt.

266 ¶ *Vespera fem.* Optatum germanus meas vespera oriente clanculum ferri ad speciem delino. *Masc.* Plaut. Amph. Hæc illis est pugnata pugna vsque à manè, ad vesperum. Virg. Georg. lib. 3. Cum frigidus aera vesper Temperat. Terent. Heauton. Nunquam tam manè domo egredior, neque tam vesperi reuortor.

267 ¶ *Vtres* vsu generis *masc.* tantummodo deputantur. *Neutri.* Lucillius Andronius: Flacci tege vtria.

268 ¶ *Vigilia* generis *fem.* sunt vt plerunque *Neutri.* Varro Endymionibus: Animum mitto speculatum toto orbe, vt quid facerent homines cùm experrecti sint, me fa-

ceret certiorem, si quis melius operam superet, vt eius consilio potius vigilium adminicularem nostrum, qui videt alium curuantem extremo noctis tempore.

269 ¶ *Victus* pro vita positum genere *masc.* M. Tull. de finib. bonorum & malorum lib. 5. Persecutus Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras.

DE VARIA SIGNIFICATIONE SERMONVM PER A LITTERAM.

CAPVT IIII.

A.

A*Duorsum* significat *contra.* Terentius Adelphis: Neque seruulorum quisquam, qui aduorsum ierant. Plautus Asinaria: Quæ illæc præda est? Ibo aduorsum, atque electabo quicquid est. ¶ Aduorsum rursus, *apud* significat. Titinnius Gemina: Mulier credo aduorsum illum res suas conqueritur. Terent. Andria. Et id gratum fuisse aduorsum te habeo gratiam. Ennius Telepho. Teipsum hoc oportet profiteri, & proloqui Aduorsum illam mihi. Afranius Excepto: De vita, ac morte domini, fabulauere aduorsum fratrem illius, ac dominum suum. Plaut. Aulul. Egóne vt te aduorsum mentiar mater mea? M. Tullius de finibus bonorum & malorum libro iij. Nec verò pietas aduorsum deos, nec quãta iis gratia debeatur, sine explicatione naturæ intelligi potest.

2 ¶ *Anima* est secundum consuetudinem *spiritus, quo viuimus.* Virg. Georg. lib. iiij. Animásque in vulnera ponunt. ¶ Anima rursum *halitus oris & odor.* Virg. Georg. lib. ij. Animas & olentia Medi Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis. Titinnius Fullonibus: Interea fœtida anima nasum oppugnat. Plautus Asinaria: An fœtet anima tuæ vxori? Idem Mercatore: Ieiunitatis plenus animam fœtidet. Cæcilius Quæ mihi vbi Domum adueni, assedi, extemplò suauium Dat ieiuna anima? ¶ Anima, *aqua.* Plaut. Amph. Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero. ¶ Anima, *sonus.* Varro Eumenidibus Phrygios per ossa cantus liquida canit anima. ¶ Anima iterum significat *iracundum,* vel *furiosum:* vnde & *animosi* dicuntur iracundi. Plaut. Amph. Animam comprime. Accius Menalippa: Egóne auxilio motus, temere vt hosti me animato offeram? Idem ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ. Vt nunc cùm animatus iero, satis armatus sum. Nouius Fullonibus feriatis: Nihil est periculi, dabo tibi virum validum, virum animosum. M. Tull. de Repub. lib. j. Ergo non probares consilio pulso libidines, quæ sunt innumerabiles iracundiæ, quæ tenerent omnia? Ego verò nihil isto animo, nihil ita animato homine miserius ducerem. Idem de repub. lib. j. Tum virtute, labore, industria quæreretur summi viri indolem, nisi nimis animosè ferox natura illum nescio quo. Virg. Georg. lib. ij. Quos animosi euri assiduè franguntque, feruntque. Et Æneid. lib. x j. Pone animos & pulsus abi. Lucil. lib. xxx. Atque animosam Thessaliam, indomitam frenis subigántque doméntque Bellando. ¶ Animæ, *venti.* Virg. lib. viij. Quantum ignes animæque valent. Lucretius libro quinto: Aurarúmque leues animæ, calidíque vapores. Varro Margopoli, περὶ ἀρχῆς. Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima reuiuiscit. Idem Cosmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου. Detis habenas animæ leui, dum ventus nos flamine sudo, suauem ad patriam perducit. Accius Myrmidonibus: Lassis trahere in salum, & vela ventorum animæ immittere. Plaut. Aulularia: Neque quid immittat animæ dormiens.

3 ¶ *Aptum, necessarium.* M. Tul. de Repub. lib. iiij. Eadémque obiectum viuo, atque vmbram, noctémque efficiat, cùm ad numerum dierum aptum ad laborum quietem. ¶ Aptum *eleganter, ac necessariè positum.* Tul. de offic. lib. j Vt enim pulchritudo corporis, apta compositione membrorum, mouet oculos, & delectat. Idémque: Sed facilè iudicabimus, quid eorum aptè fiat, quid ab officio, naturáque discrepet. M. Tul. de finib. bon. & malor. libro iiij. Itaque natura sumus apti ad cœtus, consilia ciuitatis. ¶ Aptus significat *adeptus.* Accius Menalippo: Obuia mens, ídque aduorsum aptus alteri in promptu occupat. Pacuu. Hermiona. Quod ego in acie celebro obiectans vitam, bellando aptus sum. Lucil. lib. xxix. Vt si id, quod concupisset, non aptus. ¶ Aptum, *compositum, paratum.* Virg. Æneid. lib. iij. Interea classem velis aptare iubebat Anchises. Idem lib. x. Proiecto dum pede læuo Aptat se pugnæ. Pomponius: Heus aptate pueri mundè, atque ampliter conuiuium. ¶ Aptum rursum, *connexerunt & colligatum* significat. Virg. Georg. lib. iij. Ipsis è torquibus aptos iunge pares. Accius Demetrio: Hinc

colemena

colemena lege minus aptum cornibus. Lucil. Satyr. lib. x. Consellas quoque validis in funibus aptas. Idem lib. xvj. Ibat fortè aries, inquit, quod genus quantis Restibus vix vno filio hæc se hærere putares Pellicula extrema exaptum pendere onus ingens. Varro Mutuum muli scabunt, περὶ ἀγορασμοῦ: Vbi lucus opacus teneris fruticibus aptus. M. Tul. de deorum natura lib. iij. Quis enim hunc hominem dixerit, qui tam certos cæli motus, tam statos astrorum ordines, támque inter se omnia connexa, & apta viderit, neget his vllam inesse rationem? Sallust. Histor. lib. iij. Quod vbi frustra tentatum est, socordius ire miles, obrepere non aptis armis, vt in principio laxiore agmine. Lucillius libr. xxx. Vnus consternit nouis vetus pestibus aptus. M. Tullius Hortensio: Altera est nexa cum superiore, & inde aptéque pendens. Et Tusculan. lib. v. Fulgentem gladium è lacunari seta equina aptum demitti iussit.

4 ¶ *Aequales* sunt *similes*, & *ex æquo*. Afranius Vopisco: Equidem te nunquã mihi Parasitum, verum amicum, æqualem, atque hospitem Quotidianum, lautum etiam conuiuam domi. ¶ Æquales rursum *æquæui*, Virgil. Æneid. lib. x. Necnon Euantem Phrygium, Paridísque Mimanta Æqualem. Lucillius Satyrarum libr. v. Veterum vnum cecidisse tamen senem Tiresiam æqualem constat. Afranius Priuigno: Noui amicum, atque æqualem meum. Virg lib. quinto: Ast illum fidi æquales. Terent. Eunucho: Patris cognatum, atque æqualem Archidemidem Nostin? M. Tullius de offic. lib. tertio: P. Scipionem, Marce fili, eum, qui primò Africanus appellatus sit, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit ferè eius æqualis. Et de Senectute: Ego verò propter sermonis delectationem tempestiuis quoque conuiuiis delector, nec cum æqualibus solùm, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam ætate.

5 ¶ *Apertum*, *purum*, *serenũ*. Virgilius Aeneid. libro primo: Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum. ¶ Apertum dicitur *patefactum*. Virgil. lib. viij Iámque adeo exierat portis equitatus apertis. Terentius Adelph. Abi perstrenuè, ac fores aperi. ¶ Apertum, *nudatum*. Turpil. Demiurgo: Apertæ suræ, brachia autem procera horrorem mihi ex corde exsuscitabant. Sallustius Histor. lib. v. Quibus de causis Syllam in victoria dictatorem, sibi equo descendere, surgere de sella, caput aperire solitum. M. Tullius de offi. lib. ij. Verentur enim ne si quo casu euenerit, vt corporis partes quędam aperiantur, aspiciantur non decoré. Virgilius lib. sexto: Aperit ramum, qui veste latebat. Var. Euminidib. Capite aperto esse iubet, ante lucem suscitat. Sisenna Hist. lib. iiij. Adoriuntur aduersos, vt apertis lateribus. Varro de vita pop. Rom. lib. j. Minores natu capite aperto erant, capillo pexo, vtique innexis crinibus. ¶ Aperit, *mitigat*, *placat*. Virgilius Æneid. libro primo: Et vastas aperit syrteis, & temperat æquor.

6 ¶ *Aperire*, *erigere*, *ostẽdere*. Virg. Æn. lib. iij. Quarto terra die primùm se attollere, tandem Visa aperire procul. Idem Æneid. lib. octauo: Patriúmque aperitur vertice sidus. Varro Meleagris: Non modò suris apertis, sed penè natibus apertis ambulans.

7 *Autumare*, *est dicere*. Pacuuius Periboea: Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet. Idem Hermiona: Quid benefaciam ei, patris cuius opera te esse vltum autumat? Lucilius lib. xxviij. Socraticum quid ante tyranno misisse Aristippum autumant. Plautus Amphitrione: Nisi hoc ita factum est, proinde vt factum esse autumo. Non caussam dico, verùm quî insimules probri. ¶ Autumare est *sperare*. Pacuuius Doloreste: Aut hic est, aut hic adfore actutum autumo.

8 ¶ *Altum* non solùm *aerium*, vel *profundum*, sicuti plerunque. ¶ Altum *ab alendo* dictum. Varro Manio: Habens ante positum alimoniam, sedens altus alieno sumptu. ¶ Altum, *magnũ* vel *gloriosum*. Virgil. Georg. lib. iiij. Te sine nil altum mens inchoat. ¶ Altum, *vetus*, *antiquum*. Virgilius Georgic. lib. iiij. Altius omnem Expediam prima repetens ab origine famã. Et lib. viij. Quid caussas petis ex alto? Accius Armorum iudicio: Cur vetera tam ex alto appetissis dissidia Agamẽnon? ¶ Altum *pressum*, *obscurum*. Virgilius lib. xj. Quid me alta silentia cogis Rumpetere? Idem eodem: Sin altior istis Sub precibus venia vlla latet?

9 *Aditus interpellatio*. Terentius Andria: Aliquot me adierunt, ex te auditum qui aiebant. Virgilius libro decimo: Regem adit, & regi memorat noménque, genúsque. Lucillius lib. xxvij. Cùm pacem peto, cùm placo, cùm adeo, & cùm appello meam. ¶ Aditus, *ingressus*. Virgilius lib. ix. Huc turbidus, atque huc, Lustrat equo muros, aditúmque per auia quærit. Tul. de suppliciis: In ipso aditu, atque opere portus. ¶ Aditus rursum *aduentus*. Accius Medea: Tunc Diomedes & cuius aditum adspectant, peruixi vsque adhuc. M. Tullius ad Cæsarem iuniorem lib. 1. Et aut ad consules, aut ad te, aut ad Brutum adissent, his fraudi ne esset, quod cum Antonio fuissent.

10 ¶ *Attendere* est *intendere*. M. Tullius de officiis, libr. iij. Et si cùm animum attenderis, turpitudinem videas adunatam. Accius Diomede. Simul autem attendo, vt qui rem exaudire amplius. Lucilius lib. xxix. Præterea

vt nostris animos attendere dictis, Atque adhibere velis. Idem lib. xxvij. Rem cognoscas simul, & dictis animum attendas postula. Pacuuius Antiopa: Sed cùm animum attendo ad querendum quid fiet. Pomponius Macco: Quid futurum est, si pol ego hanc discere artem attenderim? ¶ Attendere, *perseuerare*. Accius Diomede: Si vnquam perpediar gnato, puer, ne attenderis Petere à me id, quod nefas sit concedi tibi.

11 ¶ *Appellare*, est familiariter respondere. Lucillius libro xxvij. Cùm mei me adeunt seruuli non dominam ego appellem meam? ¶ Appellare, *nominare*. M. Tul. de Offic. lib. iij. P. Scipionem, Marce fili, qui primus africanus appellatus sit.

12 ¶ *Appellare*, est *applicare*. Afranius Excep. Aditu appellant huc ad molem nostram nauiculam. Lucillius lib. xxvj. Agere in iaciendo si quo est in vineis actis opus, primùm id dant operam, vt quamprimum appellant.

13 ¶ *Aemulus*, est *inuidus*. Virgilius Æneid. libro v. Æmula necdũ Temporibus geminis canebat sparsa senectus. Et lib. vj. Æmulus exceptũ Tricon. ¶ Æmulus est *iectator*, vel *imitator*. M. Tul. pro M. Marcello: Illo æmulo, atque imitatore studiorum meorum: ac laborum. Sallust. Histor. lib. iij. Sed Pompeius à prima adolescentia, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta, consultáque eius quidem æmulatus erat. Virgil. Æneid. lib. x. Spémque meam patriæ quæ nunc subit æmula laudi. Æmulus similitudinem vitæ, institutique sequens. M. Tullius de Repub. lib. j. Qua enim iudicatur iste optimus doctrina, artibus, studiis audio quando.

14 *Argutum* significat *sonans*. Virgilius Bucol. Fortè sub arguta consederat ilice Daphnis. & multa huiusmodi. ¶ Argutum, *audax, malitiosum*. Lucillius lib. xxviij. Agite, agite fures, mendacia, a gutamini. Plaut. Mustell. Exi è culina, sis foras mastigia, Qui mihi inter patinas exhibes argutias. ¶ Argutum, *paruulum*. ac *lætum*. Virgilius Geor. lib. iij. Argutúmque caput, breuis aluus, obesáque terga.

15 ¶ *Accipere, tractare, increpare*. M. Tull. Verrinarum actione ij. Malè accipit verbis Rabonium. Et ad Cæsarem Iuniorem libro j. Roga ipsum, quemadmodum eum: ego armis acceperim. ¶ Accipere, *est datum sumere*. Virg. Æneid. lib. iij. Accipe, & hæc manuum tibi quæ monumenta mearum Sint puer. ¶ Accipere, *sentire*. Terentius ἑαυτοντ. Clinia aliter tuum amorem, atque est, accipis. ¶ Accipere, *videre*. Virgil. lib. viij. Vt te fortissime: Teucrûm, accipio, agnoscóq lubens. Var. de re rust. lib. iij. Cùm diceret se nullam accepisse villam, qua magis delectatus esset. ¶ Accipere *cõcipere*. Virg. lib. viii. Alij ventosis follibus auras Accipiunt, reddúntque. ¶ Accipere, *audire*. M. Tul. Accipit nunc aliud eius facinus nobile. Lucil. li. xxx. Hoc etiam accipe quod dico: nam pertinet ad rem. Virg. Æneid. lib. 2. Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab vno Disce omneis ¶ Accipere, *pascere*. Terent. Eunuch. Accipit hominem nemo meliùs prorsus, neque prolixiùs. ¶ Accipere, *decipere*. Lucil. lib. xxix. Sic inquam veteratorem illum vetulum lupum Annibalem acceptum. ¶ Accipere, *admittere*. Plaut. Aulularia: Optumus tu conditionem hanc accipe.

16 ¶ *Ardere*, est *ignoscere, cõcremari*. Virgil. Æneid. v. Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo. Idem lib. 2. Iam proximus ardet Vcalegon. ¶ Ardere, *festinare*. Virgil Æn. lib. 1. Instant ardentes Tirij pars ducere muros. Molirique arcem, & manibus subuoluere saxa. Idem lib. xij. Ardet in arma magis. ¶ Ardere, *fulgorem & splẽdorem emittere*. Virg. Æneid. lib. iiij. Tyrióque ardebat murice læna. Li. xi. Ardet apex capiti, tristísque à vertice flamma Funditur. ¶ Ardere, *dolere*, vel *irasci*. Virgil. lib. x. Proxima quæque metit gladio, latúmque per agmen Ardens limitem agit ferro, te, Turne, superbum Cæde noua quærens.

17 ¶ *Acre*, significat *celer, velox* Virg Georg. lib. iij Calidúmque animis, & cursibus acrem. Idem Æneid libro 4. At puer Ascanius mediis in vallibus acri Gaudet equo. ¶ Acre *austerũ, acerbum, asperũ*. M. Tullius Hortensio. Quod alterius ingenium, sicut actum Ægyptium, alterius sic acrius mel Hymettium dicimus. Var. Parmenone: Diminuásque acreis pectore curas cantu, castáque poëti. Acre, *seuerũ* M Tullius de offic. lib. 1 Suum quisque igitur noscat ingenium, acrémque se & bonorum & malorum suorum iudicem præbeat. Idem eodem: Vtendum est fortasse vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore. ¶ Acrem, *fortem*. Virg. Æneid. lib. 7. Aut acrem dubites in prælia poscere Turnum? Cic. Tusc. lib. v. In rebusq; gerundis virum, & acrem, & industrium, eundem tamen maleficũ natura. ¶ Acre, *vehemens, sæuum*. M. Tul. Hort. Aut Philippo breuius, aut Theopompo acrius. Virg Georg. lib. 3. Acrémque Molossum Pasce sero pingui. Idem Æneid. lib. v. Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira. M Tul. Verrin. actione de signis. ¶ Acre, *prouidum, diligens*. Virg. Georg. lib. ij. Iam tum acer curas venientem extendit in annum Rusticus.

18 ¶ *Aer*, est medium spatium, quod inter cælum est & terram. Virgil Æneid. lib. v. Aera dissoluit tenebrosum, & dispulit vmbras. ¶ Aer, *altitudo*. Virg. Geor. lib. ij. Vbi aera vincere

vincere summum Arboris haud ille iactu potuere sagittæ. ¶Aer, *sonus*. Var. Andabais: Anima, vt conclusa in vesica quando est arctè ligata, si perculeris, aera reddet.

19 ¶ *Amarum* dicitur *asperum*. Virgilius Georg. lib. 2. Et amara Pausia bacca. Lucret. lib. 4. Interea propter amarum absinthi laticem. ¶Amarum, *acerbum*. Virg. Æneid. lib. 4. Isque autem animi, & rumore accensus amare.

20 ¶*Admonere, commonefacere*. M. Tul. in Verrem de signis: Rectè admones, Polycletum esse dicebant. ¶Admonere *percutere*. Virg. lib. x. Lucagus vt pronus pendens in verbera telo Admonuit biiugos.

21 ¶*Ambire*, significat *circuire*, & *concludere*. Virgil. libro 3. Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis. Idem li. x. Atque oras ambiit auro. ¶Ambire, *ambitionibus*, *appetere*. Vir. lib. 7. Ne connubiis ambire Latinum Æneadæ possint. Terent. Andria: Nisi vides, nisi senis amicos, oras, ambis. ¶ Ambire, *interpellare*. Virg. Æneid. lib. 4. Quonam reginam ambire furentem Audeat affatu?

22 ¶ *Agere*, *gerere*. Varro Bimargo: Non Hercules potes, qui agebas, sed conopron.

23 ¶ *Audacia* consuetudine *temeritas* dicitur. Sallust. Catilinæ bello: Audacia pro muro habetur. ¶ Audacia, *fiducia*. Virg. lib. v. Quíque pedum cursu valet, & qui viribus audax.

24 ¶*Atrum* dicitur *nigrum*. Virg. libro v. Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra. Et Georg. lib. 3. Hic piscibus atram Improbus ingluuiem. Var. Eumenidib. Vix vulgus confluit non Furiarum, sed puerorum, atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantes.

25 ¶*Alumnos* consuetudo quos *alas*, vel *educes*, vel eos qui aluntur dici vult. Virg. lib. 2. Nec Romula quondam Vllo se tantum tellus iactabit alũno. M. Tul. in Verrem de suppliciis: Italia autem alũnum suum seruitutis extremo, summóque supplicio fixum videret. Var. Sesquiulysse: Nisi quòd lupam alumni fefellerunt olim. Idem Eumenidib. Et ecce de improuiso ad nos accedit cana veritas Atticæ philosophiæ alumna. ¶Alumnum *filium*. Virg. lib. 6. Nec non & Tytion terræ omnipotentis alumnum. Pacu. Teucro: Quæ desiderio alumnûm, pœnitudine, Squale, scabréque, & inculta vastitudine? Alumnum, *dominum*. Virg. lib. xi. Caro datus ibat alumno.

26 ¶*Agere, leto dare*. Virg. Æneid. li. 1. Tum vulgus in omne Miscet agens telis. Actum *rotatum*. Virgil. Æneid. lib. ix. Ipse ter adducta circum caput egit habena. ¶ Agere, *loqui*. Teren. Adelp. Sed éstne ipsus de quo agebam? ¶ Agere, *persequi*. Virg. Æneid. lib. 4. Quàm procul incautam nemora inter Cressia fixit Pastor agens telis. Et Æneid. lib. 8. Quos illi bello profugos exegere superbo. ¶ Agere *fugare*. Virg. Georg. lib. 2. Et membris agit atra venena. ¶Agere *porrigere*. M. Tul. de offic. lib. 2. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur. ¶Agere, *intendere, inquirere*. Vir. Bucol. Id quidem ago, & tacitus Lynda mecum ipse voluto. ¶Agere, *vrgere, impellere*. Tul in Verrem actione 2. Agunt eum præcipitem pœnæ ciuium Romanorum.

27 ¶*Actum* dicitur *perfectum*. Virg. lib. 6. His actis properè exequitur præcepta Sibyllæ. ¶Actum, *appulsum*. Virg. lib. 7. Siue errore viæ, seu tempestatibus acti. Varro Lege Mænia: Non hoc Pactolus, aureas vndas agens Eripiet vnquam è miseriis. ¶Actum, *infixum*. Virg. lib. ix. Sed viribus ensis adactus Transadigit costas. Varr. γνῶθι σεαυτόν. Non videtis, vnus vt paruulus Amor ardifera lampade aride agat amantis æstuantis. ¶Actum, *coactum*, *territum*. Virgilius libro sexto. Prodigiis acti cælestibus ossa piabunt. ¶Actum, *admotum*. Virg. lib. 8. Accelerant acta pariter testitudine Volsci. Lucil. lib. 26. Aggere in iaciendo si quo in vineis actis opus.

28 ¶ *Asperum* significat *insuaue*. Terent. ἑαυτον τιμωρούμενος. Asperum pater, hoc est, aliud lenius. sodes vide. Virg. Georg. lib. 2. Asper in ore sapor. ¶Asperum, *nocens*. Virg. Æneid. lib 3. Sæuit agris, aspérque siti, atque exterritus æstu. ¶ Asperum, *exasperatum*, *non leue*. Virg. lib. 9. Bina dabo argento perfecta, atque aspera signis pocula.

29 ¶Æquare est *cum æquitate diuidere*. Vir. Æneid. lib. 1. Operúmque laborem Partibus æquabat iustis. Æquare, *continuare*. Virg. Æneid. lib. 8. Felix si protinus illum Æquasset nocti ludum.

10 ¶ *Accommodatum* dicitur *adiunctum*. Virg. Æneid. lib. 2. Lateríque Argiuum accommodat ensem. M. Tul. in Ver. in frumentaria: Flagitia, libidinísque accommodat. Accius Bacchis: Tunc syluestres exuuias sæuo pictas lateri accommodant. Idem de officiis lib. 1. Qui se ad remp. & ad magnas res gerendas accommodauerunt. Et de Repub. libro 1. Expositámque ad exemplum nostræ reip. accommodabo eam, si potero, omnem illam orationem, quæ est mihi habenda de optimo ciuitatis statu. ¶ Accommodatum, *procliue*, *propensum*. M. Tul. in Verrem action. 3. Tunc præterea maxime sedati, & quieti propè, præter cæteros ad summum Græcorum otium, potius quàm ad vllam vim, aut tumultum accommodari. ¶ Accommodare, *adhibere*. Marcus Tullius de officiis libro 3. Tantum dabit amicitiæ, vt veram amici caussam esse malit, vt orandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Et de senectute

Cæterùm & tempora metendis frugibus, & percipiendis accommodata sunt.

31 ¶ *Aridum* dicitur *siccum*. Virg. Æneid. lib. I. Atque arida circum Nutrimenta dedit. ¶Aridum, *horrificum, acutum*. Virg. Geor. li. I. Et aridus altis Montibus audiri fragor. Lucr. Aridus vnde aures terget sonus. ¶Aridum *purum, lucidum*. Plaut. Rudent. Argento arido.

32 ¶ *Anceps* est *dubium*. Virg. Æneid. lib. x. Anceps pugna diu. ¶Anceps, *duplex*. Luci. lib. xxix. Nemo hos ancipites ferro effringat cardines. Virg. Æneid. lib. III. Agnouit prolem ambiguam, geminósque parentes. Var. de vita populi Romani lib. IIII. Cæsar reuersionem fecit, ne post occipitium in Hispania exercitus qui erant, relinquerent: quò se coniiceret Pompeius, vt ancipiti vrgeretur bello. ¶Anceps, *acutum ex vtraque parte*. Lucil. lib. xxix. Vecte, atque ancipiti ferro effringam cardines.

33 ¶ *Aura* est *ventorum* [vis] virg. Georg. li. IIII. At illi Dulcis compositis spirauit crinibus aura. Idem Æneid. lib. VI. Discolor vnde auri per ramos aura refulsit. ¶Aura *adactus*, Var. Eumenidibus: Simul ac languido corpore solis calidior visa est aura.

34 ¶ *Argutari* dicitur *loquaciter proloqui*. Ennius: Quem incertum tu isti credere, atque exercere lingua, vt argutarier possis. Nouius Exodio: Quando ad ludos venit, alij cum tacent, totum diem argutatur, quasi cicada. ¶ Argutari, *subsilire*. Titinnius Fullonibus: Terra hæc est no: a, qua vbi tu solitus a gutari pedibus, cretam dum compescis, vestimentáque lauas.

35 ¶ *Attollere* significat *erigere, fundere* Virgil. Æneid. lib. III. Attollit se diua Lacinia contra. ¶ Attollere, *afferre*. Pacu. Medo: Custodite istum vos, ne eum quis attollat, néve attigat. Idem Armorum iudicio: Pro imperio agendum est, quis vetat, quísve attollat. Virg. Æneid. lib. IX. Attulit & nobis aliquando optantibus ætas.

36 ¶ *Auscultare* est *obsequi*. Pacu. Quis se magis audiendum, quàm auscultandum censeo. Ennius Menalippa: Mihi, ausculta, nate, Pueros cremari iube. Cæcil. Embono: Audire ignoti quod imperant, soleo, non auscultare. ¶ Auscultare, *audire*. Afran. Simulante: Nego illos vel tantus ausculto lubens. Pomponius Asia: Atque auscultare disce, si nescis loqui. ¶Auscultare, *videre, spectare*. Afranius Priuigno: Videt ludos, hinc auscultaui procul.

37 ¶ *Adducere, ducere*. Terent. ἑαυτοντ. Adducimus ad te tuam Bacchidem. ¶Adduci, *cogi*. M. Tul. de senectute: Nullo imbri, nullo frigore adduci, vt capite operto sit. ¶Adducere, *intorquere, rotare*. Virg. lib. IX. Ipse ter adducta circum caput egit habena. ¶Addúcere *producere*. Vir. lib. IX. Ocyus adducto torquens hastile lacerto.

38 ¶ *Æquor, campus*. Vir. lib. XII. Illi æquore aperto, Ante notos, Zephyrúmque volant. ¶Æquor, *mare*. Virg. Æneid. lib. I. Et vastas aperit syrtes, & temperat æquor. ¶Æquor, *fluuius*. Virg. lib. III. Viridésque secant placidò æquore syluas.

39 ¶ *Aduenire, venire*. Cæcil. Plocio: Ædepol senectus vt si nihil aliud apportes tecum cùm aduenis, vnum id sat est. ¶Aduenire, *incipere*. Plaut. Amph. Quæso aduenienti morbo iure medicabis.

40 ¶ *Æstus, solis & æstiui temporis flagrantia*. Virg. Georg. li. III. Æstibus in mediis vmbrosam exquirere vallem. ¶Æstus, *marini impetus, vel commotiones*. Lucr. lib. IIII. Frigus vt à pluuiis, calor ab sole, æstus ab vndis Æquoris. Plaut. Asin. Quo magis te in altum capessis, æstus te in portum refert. Virg. Fundóque exæstuat imo.

41 ¶ *Acerbum, horrendum, infandum, immite*. Virg. Æneid. lib. IIII. & lib. VI. Et funere mersit acerbo. ¶Acerbum, *incoctum, præcoquũ*, &, de pomis frequentiùs dicitur. Varro Agath. Virgo de conuiuio abdicatur ideo, quòd maiores nostri virginis acerbę aureis Veneris vocabulis imbui noluerunt.

42 ¶ *Album*, significatione manifesta est, vt Virg. Georg. li. IIII. Color deterrimus albis, Et giluo. ¶Album, *mite*, vel *placidum*. Var. Sesquiulysse: Aduersi venti ceciderunt. quòd si pergunt diutiùs mare voluere, vereor, ne me quoque, cùm domum ab Ilio cæsus reuertero, præter canem cognoscat nemo.

43 ¶ *Adolere* est *vrere*. Virg. Bucol. Verbenásque adole pingueis, & mascula thura.

44 ¶ *Adolere, augere, honorare, propitiare*, & est verbum sacratum, vt macte magis aucte. Virg. Æneid. lib. I. Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo Cura penum struere, & flammis adolere penateis. Et lib. VII. Præterea castris adolet cum altaria tedis. ¶Adolescere, *crescere*. vnde adolescentem dicit Lucret. lib. II. Dúmque adolescendi summum tetigere cacumen. Laber. Soror. Laus nomine gloriæ adolescit.

B

45 ¶ *Bellum* est, vt plerunque, *pugna*. ¶Bellum, *elegans, melius, prudens*. Lucil. li. xxix. Ætatem istuc tibi laturam, & bellum, si hoc bellum putat. Varro ταφῇ μενίππου. Diogenem litteras scisse dum visioni quod satis esset, nunc quod etiam acta bellorum hominum. Idem eodem: In carteo stadio ἐπιταφίαν lego, à quo qui certasset animo bellus homo magis delectatus Stoicorum Pancratio, quam athletarum. Idem Sesquiulysse: Quid enim est, quòd homo masculus lubẽtius videre debeat, quã bellã vxorem. Idem Bimargo: Socius ex hosti-

es hostibus, socius bellum ita geris, vt bella omnia domum afferas.

C

46 ¶*Committere, effigiare.* Pacuu. Niptris: Barbaricam pestem Sabinus nostris obtulit, Noua figura factam, cōmissam infabré. ¶Cōmittere, *coniungere, sociare.* Lucil. lib. 28. Quid me fiet, si quidem non vis te improbis committere? Virgil. Æneid. libro 3. Delphinum caudas vtero commissa luporum. ¶Committere, *donare, derelinquere.* M. Tull. in Verrem actione 2. Is calumniatores ex sinu suo opposuit, qui illam hæreditatem Veneri Erycinæ commissam dicerent. ¶ Committere, *facere.* M. Tull. in Verrem actione III. Ego etiam quæ tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum. Virgil. Æneid. lib. 1. Quid meus Æneas in te committere tantum? Lucil. libro 28. Commouet se nusquam, neque committet, vt pereat sibi. Idem libro 26. At enim dicis clandestino tibi quod commissum foret, ne mutires quicquam, nec mysteria, ecferres foras. ¶ Committere dicitur *initiare.* Virg. Æneid. lib 5. Et tuba commissos medio canit aggere ludos, Var. Endymionibus, Discumbimus multitudo, minus maturè cenam committis. ¶Cōmittere, *credere, permittere.* Virg. lib. 9. Portam, quæ ducis imperio commissa recludunt. Terent. Eun. Ouem commisisti lupo. Lucil. lib. 30. Quòd sua committunt mortali claustra Camœnæ. T. Tull. de offic. lib. 2. Quandiu respub. per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat.

47 ¶ *Confutare, commouere.* Titin. Setina: Cocus magnum alienum, quādo feruit, paulla confutat trua. ¶Confutare, *opprimere, conuincere.* Terent. Phorm. Confutauit verbis admodum iratum patrem.

48 ¶*Capere, implicare, impedire.* Virg. Geor. lib. 1. Aut oculos capti fodere cubilia talpæ. M. Tull. In Verrem de suppliciis: Non ceperunt, sed adduxerunt onere suo planè captam, atque depressam.

49 ¶ *Condere,* significat *abscondere.* Virgil. Æneid. lib. 2. Scandunt rursus equum, & nota conduntur in aluo. ¶Condere, *constituere.* Sallust. Catilina bello: Vrbem Romam (sicuti ego accipi) condidere, atque habuere initio Troiani. ¶Condere, *consecrare.* Virg. Æneid. lib. 3. Animámque sepulcro condimus. ¶ Condere, *potiri.* Virgil. libro 7. Optato conduntur Thybridis alueo.

50 ¶*Colere,* est *venerari.* Virg. lib. 9. Summe Deûm sancti custos Soractis Apollo, Quem primi colimus. ¶ Colere, *exercere,* vt rustici. Virg. Georg. lib. 1. Fructúsque feros mollite colendo. ¶ Colere, *inhabitare.* Virg. Æneid. lib. 3. Hic mater cultrix Cybele. Et rursum: Quas dira Celæno, Harpiæque colunt aliæ. Plautus Asin. O catenarum colonc. Et Aulul. Hanc demum iam multos annos est vt possideo, & colo. Varr. Endym. Vt Mercurium Arcadum colonum. Idē Eumeni. Vt Naiades vindicolę. ¶ Colere, *diligere.* Virgil. Bucolicis: Ille colit terras, illi mea carmina curæ. Idem Æneid. lib. 4. Solam nam perfidus ille Te colere. Teren. ἑαυτοντ. Quippe forma impulsi nostra, nos amatores colunt. Lucil. lib. 26. Quare hoc colere est satius, quàm illam studium omne hîc consumere. ¶Colere, *ornare.* Var. ταφῆ μενίππου. At in segetibus post messem colligebant stramenta, qui domicilia colerent. ¶ Colere, *pati.* Terent. ἑαυτοντ. Dum ille vitam illam colet inopem, carens patria.

51 ¶ *Cedere,* significat secundum consuetudinem abire superatum, & *locum victori dare.* Virg. lib. 10. Conuenit Euādri victos discedere ad vrbem. Et li. 5. Cede Deo. Lucil. 30. Quādoque pudor ex pectore cessit. Mars. Tul. de Offic. lib. 2. Cui quidem exercitus nostri, imperatorésque cesserunt. ¶Cedere *succedere.* Virg. li. 12. Cesserit Ausonio si fors victoria Turno. ¶ Cedere, *dare.* Virg. li. 11. Hæc omnis regio, & celsi plaga pinea montis Cedat amicitiæ Teucrorum & lib. 11. Aut abeat victus, cedat Lauinia coniux. ¶Cedere, *recedere.* Luc. lib. 28. Vel si alio opus sit fortè, si hinc aliquò cesseris. ¶Cedere. *obsequi.* Vir. Æn. lib. 3. Cedamus Phœbo, & monitu meliora sequamur. Et lib. 2. Vestrū hoc augurium, vestróque in numine Troia est. Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso. ¶Cedere, *euitare.* Virg. lib. 5. Celeríque elapsus corpore cessit. ¶Cedere, *incedere.* Plaut. Aulul. In hoste absolutus cedis. ¶Cedunt, *petunt.* Var. Parmen. Cedit velocibus iuuenis, membris leuis, nitidus oleo.

52 ¶*Cursus,* est *pedum velocitas.* Virg. lib. 5. Hîc qui fortè velint rapido contendere cursu. ¶Cursus, *volatus.* Virg. li. 5. Este duces ô si qua via est, cursúmque per auras Dirigite in lucos. Et Bucol. Quo cursu deserta petiuit. ¶Cursus, *nauigatio.* Virgil. Æneid. lib. 3. Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere? M. Tul. de Repub. lib. 3. Quæ cursu frumento onustas petentibus Rhodum viderit.

53 ¶ *Castigare, increpare* vel *reprehendere.* Virg. lib. 5. His grauis Entellum dictis castigat Acestes. Terent. ἑαυτοντ. Senatus, castigas, mones. Cicero de Orat. lib. 1. Et quoniam de imprudentia diximus, castigemus etiam segnitatem. Et Tuscul. libro 5. Sed hoc in me ipse castigo, quod ex aliorum, vt ex nostra fortasse mollicia, non ex ipsa virtute de virtutis robore existimo. ¶Castigare, *vindicare, punire.* Virg. lib. 6. Castigátque audítque dolos, subigítque fateri. ¶Castigare, *expedire.* Virg. Æneid lib. 4. Castigátque moras, opere omnis semita feruet.

54 ¶*Carpere, attenuare, aperire.* Virg. Georg. libro 1. Nec nocturna quidem carpentes pen-

ſa puellæ Neſciuere hiemem. Et lib. 4. Eam circum Mileſia vellera nymphæ Carpebant hyali ſaturo fucata colore. ¶ Carpere, *auferre, decerpere*. Virg. Bucol. Inſere Daphni piros, carpent tua poma nepotes. Lucret. lib. 4. Iuuátque nouos decerpere flores. Vir. lib. 3. Carpit enim vires paullatim, vritque videndo Femina. ¶ Carpere, *celeriter prӕterire*. Virgilius Geo g. lib. 3. Et acri Carpere prata fuga. Idem eodem: Carpere mox gyrum incipiat. Lucil. li. 19. Hiemem vnamquanque carpam. ¶ Carpere, *paſcere*. Virg. Georg. lib. 3. Carpamus dum mane nouum, dum gramina canent.

55 ¶ *Contari*, eſt *dubitare, diſsipare*. Virg. Æn. lib. 8. Contantem amplexu molli fouet. Marc. Tull. ad Cæſar. iuniorem lib. 1 Sed citò pœnituit, domúmque rediit, cæteri contabantur. ¶ Contari eſt *manere*. Virg. Georg. lib. 4. Non illis quiſquam contantibus altum Ire iter, aut caſtris audebit vellere ſigna. Et Æneid. lib. 4. Reginam thalamo contantem. ¶ Contari, *curationem differre*. Virg. 6. Qui nobis contando reſtituit rem.

56 ¶ *Capi, propitiari*. Lucr. li. 2. Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

57 ¶ *Capere, facere*. Terent. And. Non, ſi capiundos mihi ſcio eſſe inimicos omneis homines. ¶ Capere, *perpeti*. Terent. ἑαυτοντ. Dum abs te abſum omnes mihi labores fuere, quos cepi leues. ¶ Capere eſt *tollere, tenere*. Virgil. Georgic. lib. 3. Cape ſaxa manu, cape robora paſtor. Et lib. 4. Hic tibi, nate, prius vinclis capiũdus. Var. Meleagris: Quem idcirco terram non cepit, & cælum recepit. Idem Eumenidibus. Stolam, calceóſque muliebreis propter poſitos capio. ¶ Capere, *eligere*. Terent. Hecyra: Cùm illum generũ cepimus. Virg. Geor. lib. 2. Ante locum capies oculis. Marc. Tull. de officiis libro 3. Quòd inſit in his aliquid probi, quod capiat ignaros. ¶ Capere, *delectare*. Virg. Georg. libro 4. Carmine quo captæ. Et lib. 8. Æneas capitúrque locis. Marc. Tul. Philip. lib. 1. Non poſſum adduci, & ſuſcipere pecuniæ captum. Lucil. lib. 26. Nunc itidem populum iſtum ſcriptoribus volumus capere animum illorum. ¶ Capere, *ſuſtinere, habere*. Virgil. libro 8. Hæc illum regia cepit. Terent. Heautont. Dij boni quid turbæ eſt? ædes noſtræ vix capient ſcio. Marc. Tull. de Signis: Tot domos locupletiſſimas domus iſtius vna capiet. ¶ Capere, *decipere, circumuenire*. Virgil. Æneid. lib. 2. Captíque dolis, lacrymíſque coacti. Lucil. lib. 27. At metuis porrò aſpectu, & forma capiare Altera. Marc. Tul. Hort. Captum me fortaſſe, inquit, tu putas, & id, quod nollem, confiteri coactum. ¶ Capere, *occupare, detinere*. Virg. Æneid. lib. 2. Certántque illudere capto. M. Tull. in Ver. de ſuppliciis: Nauem quandam piratarum prẹda refertam non ceperunt, ſed abduxerunt. Varr. Melea. Quid hic venator non cepit? ¶ Capere, *ſatiare*. Virg. Georg. lib. 4. Tanta meæ ſi te ceperũt tædia laudis. Capere, *accipere*. Virg. Æn. lib. 2. Tu genitor cape ſacra manu, patrióſque Penateis. Et li. 3. Cape dona extrema tuorum. Terent. Phor. Nam ex his prædiis talenta argenti bina ſtatim capiebat. Lucil. lib. 26. Malis neceſſe luctu è menſa purè capturus cibum. M. Tul. Hortẽſio: Deinde boni mores, & modeſtiores, & ad capienda præcepta molliores. Plaut. Aulul. Nam tua gnata peperit decimo menſe poſt; numerum cape. Var. Quinquatrib. Cape hanc caducam Liberi mollem dapem. ¶ Capere, *complecti*. Varr. Marcipore: Propontis vnda quem liquenti cœrulo Natantem perfundit, cape. ¶ Capere, *inuenire*. Terent. Heautont. Rationem cepi, vt neque tu egeres, neque vt hæc poſſes perdere. M. Tul. in Ver. actione 2. Reiecti à Chelidone capiunt conſilium neceſſarium. Et de offi. lib. 3. Cùm autem conſilium hoc princeps cepiſſet.

58 ¶ *Corripere, comprehendere*. Virg. Geor. lib. 4. Verùm vbi correptum manib. vinclíſve tenebris. ¶ Corripere, *contorquere*. Virg. Æn. lib. 1. Turbine corripuit. ¶ Corripere, *excutere*. Virg. Æn. lib. 3. Corripio è ſtratis corpus.

59 ¶ *Quaſſum*, eſt conuulſum, & non integrum. Virg. Æn. lib. 4. Quaſſatǽque rates.

60 ¶ *Quaſſare*, eſt moue e. Virg libro 9. Et lampada quaſſans per Graium populos. Plau. Milite: Qui ſuam vndãtem chlamydem quaſſando fecit.

61 ¶ *Certare*, ſignificat *contendere*. Vir. Bucol. Certent & cygnis vlulæ. ¶ Certare, *præuenire*. Virg. Æneid. lib. 1. Officio nec te certaſſe priorem Pæniteat.

62 ¶ *Componere, finire*. Virg. Æneid. li. 1. Ante diem clauſo componet veſper olympo. Et Bucolicis: Non noſtrũ inter vos tãtas componere liteis. ¶ Componere, *reficere, recreare*. Vir. Georg. lib. 4. Vix defeſſa ſenem paſſus componere membra. Idem Æn. lib. 1. Nunc placidè compoſtus pace quieſcit. ¶ Componere, *lenire*. Virg. Æn. lib. 1. Sed motos præſtat componere fluctus. ¶ Componere, *diſponere, conſtituere*. Virgil. Æneid. lib. 3 Quam tuta poſſis vrbem componere terra. M. Tul. de offi. lib. 3. Atque, quod communiter compoſitum fuerat, ſolus duxit. Siſenna. Hiſt. libro 4. Exercitum diſpartiunt, ad confligendum ſe comparant. ¶ Componere rurſus ſignificat *comparare*. Accius Armorum indicio: Quid eſt cur componere auſis mihi te, aut me tibi? Lucilius Satyr. lib. 4. Samnis, ſpurcus homo vita illa dignus, locóque, Cinni Pacidiano componitur, optimus multò Poſt homines natos gladiator qui fuit vnus. Salluſt. Iugur. Vbi Metelli dicta cum factis compoſuit. Virgil. Georg. libro 4. Non aliter ſi parua licet componere magnis. ¶ Componere, *ornare*. Virgil. Georg. libro 4. Dulcis

Dulcis compositis spirauit crinibus aura.
¶ Componere, *colligere*. M. Tull. in Verrinis in diuinatione. Si ab isto libro, quem tibi magister ludi, nescio qui, ex alienis orationibus compositum dedit. ¶ Componere, *simulare*, vel *fingere*. Acc. Agamemnon. Sic vinctus animus quorum atroci iuctus malitia est, Composita dicta è pectore euoluunt suo, Quæ cùm componas, dicta factis discrepant. Sallust. Iugurtha: Non sunt composita mea verba; parui id facio ipsa se virtus satis ostendit. ¶ Componere, *coniungere*. Virg. lib. 8. Componens manibúsque manus, atque oribus ora. Lucil. Satyr. libro 8. Cum Plocio eodem obuio amplector, labra libellis compono, hoc est, cum ipso duco pœnias. Idem eodē: Tuum latus compone lateri: & cum pectore pectus. Sallust. Hist. lib. 4. Suspectúsque fuit, incertum verò, an per negligentiam societatem prædarum cum latronibus composuisse.
¶ Componere pro *redimere*. Sallust. Hist. lib. 1. Quin lenones, & vinarij, laniíque, quorum præterea vulgus [in dies] vsum habet pretio compositi.

63 ¶ *Crepare, sonare*. Plautus Menæchmis Dic mihi, an vnquam intestina crepant, quod sentias? Verùm vbi satur sum, nulla crepitant, quando esurio, tunc crepant. Virgilius Georg. lib. 1. Atque leuem stipulam crepantibus vrere flammis. Terent. Phorm. Sed ostium concrepuit, nihil ad te. M. Tul. in Verrem de suppliciis: Locum illum litoris percrepare totum mulieribus vocibus, cantúsque symphoniæ. Lucillius libro 26. Percrepa pugnam Pompili factam Corneliane. Varro Eumenid. Propter crepas vocibus volitans aures vulgi. Sisenna Hist. lib. 4. Conglobat, & collecti concrepant armis. ¶ Crepare significat rursum *queri*, vel *dolere*, Horatius carminum lib. 1. Quis post vina grauem molliciem, aut pauperiem crepat? Lucretius libro 2. Et crepat antiquum genus vt pietate repletum. ¶ Crepare iterum *incantare*. Turpil. Pedio: Age tu Hymenęum increpa. ¶ Crepare, *frangi*. Virg. lib. 5. Et acuto in murice remi Obnixi crepuere. ¶ Crepare, *ferire*. Enn. Thyeste: Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat: M. Tul. de offic. libro 3. Itémque vir bonus habeat hanc vim, vt si digitis concrepuerit, possit in locupletum testamenta nomen eius irrepere.

64 ¶ *Comparare* est *sociare, coniungere*. Accius Amphitryone: Qui meum senium cum dolore tuo coniungam, & comparem. Plautus Asinaria: Prehende auriculas. ¶ Comparare, *adæquare*. M. Tull. ad Cæsarem iuniorem lib. 1 Neminem tibi profectò hominem ex omnibus, aut anteposuissem, aut etiam comparassem. Teren. Eunucho: Hau ne comparandus hic quidem ad illum est. ¶ Comparare, *componere, machinari*. Sisenna Hist. lib. 4. Eos, qui hoc malum publicum clandestinis consiliis comparauerunt. ¶ Comparare veteres *confirmare*, & *constituere* dixerunt. Terent. Eunucho: An potius ita me comparem, Non perpeti meretricum contumelias? Item Andria: Vt malis gaudeant, atque ex incommodis Alterius sua vt comparent commoda: Titinnius Gemina: Ergo vt sua seruet dona, nobis faciendum est ita, vt cùm ea primū blanditer comparemus colloquia. Accius Eurysace: Nihil est: si autem ad te retardat socium, in portu est, copiáque subsistat modo, tu te ipse effirma & compara. Idem Tereo: Atque id ego semper mecum sic agito, & comparo Quo pacto magnam molem minuam. Turpilius Lemniis: Nunquam vnius me comparaui seruire elegantiæ. M. Tul. de repub. libro 6. Quamobrem se comparet hic ciuis ita nec est, vt sit contra hęc, quæ statum ciuitatis permouent, semper armatus. Afranius Epistola: Nam proba, & pudica quòd sum, consulo, & parco mihi: quoniam comparatum est. vno vt simus contentæ viro. Cicero de finibus bonorum & malorum libro 5. Omnis auctoritas philosophiæ consistit in beata vita comparanda: ¶ Comparare, *emere*. Terent. Heaut. Argentum dabitur illi, vt vestem, atque alia, quæ opus sunt, comparet. ¶ Comparare iterum *æstimare*. Accius ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ: Proin tu id cui fiat, non qui facias, compara. ¶ Comparare, *apparare*. M. Tullius in Verrem actione 2: Vt erat inter suos copiosus, conuiuium comparat. ¶ Comparare, *dare*. M. Tul. in Verrem de suppliciis: Ex omni gemitu, ac dolore certa merces comparabatur.

65 ¶ *Calx* est *finis* Virgilius lib. 5. Calcémque terit iam calce Diores.

66 ¶ *Callet* significat *scit*, hoc est calliditate, quæ est vrbana scientia. Accius Ægistho: Melius quàm viri: callent mulieres. Afranius Abducta: Nescis, nam omnem melius callent rem, quàm volo. Pacuuius Atalanta: Omnes qui tanquam nos sub regno seruiunt, Callent domi cum imperio metuere. Serenus Opusculis: Callet senium arte viuendi. Acc. Æneadis, aut Decio: Quod periti sumus in vita, atque vsu callemus magis. Idem Neoptolemo: Sat in astu, & fallendo callet. Sisenna Hist. libro 4. Lucillium Mammium socerum Gaij Scribonij tribunum plebis, quem Marcellini consiliarium fuisse callebant, & tunc Curionis oratorem. ¶ Callet etiam dictum à *callositate*. Cęcilius Asoto. Tu iam callebis; ille festus desidet. Plautus Persa; Plus calleo, quàm aprugnum callum callet. Idem Pœnulo: Quid opus verbis? callum aprugnum callere æquè non sinam.

67 ¶ *Constituere* est *disponere, definire*. Virgilius Æneidos libr. 1. Hominé ne, feræne Quærere constituit. ¶ Constituere, *retinere fir-*

mare. M. Tul. de offic. lib. I. Ineuntis enim ætatis inscitia senum constituenda, exercendáque est prudentia. ¶ Cõstituere, *instituere*. M. Tullius de senect. Constitutiones nõ modò delectant, sed etiam institutiones. ¶ Constituere, *parare*. M. Tull. in Verrem actione secunda: Quid vbi erat Philodemo nuntiatum: tametsi erat ignarus quantum sibi ac liberis suis iam tum mali constitueretur. ¶ Constituere, *erigere*. Virgil. lib. 6. Et feraleis ante cupressos Constituunt.

68 ¶ *Contendere, festinare*. Virg. Æneid. lib. I. Quæ proxima littora cursu contendunt petere. ¶ Contentio est *perseuerantia*, vel *elatio*. M. Tull. de offi. li. I. Ex contentione vocis, & summissione, & cæteris similibus facilè iudicabimus. Sallustius Hist. libro 4. Rursus iumenta nacti, ad oppidũ ire contendunt. ¶ Contendere, *astringere, intorquere*. Virg. Georg. libro 4. Tanto, nate, magis contende tenacia vincla. Sisenna Hist. libro 4. Simul, & tormenta contenduntur. ¶ Contendere, significat *comparare*. Plautus Vidularia: Signum rectè comparabat huius contendi annulum. Lucillius Satyr. lib. I. Vt contendere possem Thestiados Ledæ, atque Ixionas Archilocho. Idem libro 6. Hunccine vnquam Hyacintho hominem cortinipotentis Delitiis contendi? Cæcilius Titthe: Egon' vitam meam Atticam Contendam cum istac rusticana Syra? Lucinius Macer in epistola ad senatum: Illi suam vitam mecum contendunt, quorum in corpore ita crebra sunt vulnera vitæ nouę, cicatrici vt locus non sit. Næuius Lycurgo: Caue, sis, tuam Contendas iram contrà cum ira Liberi. Accius Tereo: video te mulier more multarum vtier, vt vim contendas tuam ad maiestatem viri. Varro γνῶθι σεαυτόν. Age nunc contende alterum genus philotoreon, nequid ibi viderit melius. ¶ Contendere, *certare*. M. Tul. de offi. lib. I. Miserrima omnino ambitio est, honorúmque contentio. Virgil. Æneid. libro 4. Quis talia demens abnuat, aut tecum malit contendere bello? Sallustius Iugurthino bello: Fretus multitudine militum sperabat armis contendere. Cic. Tusc. lib. 2. Vt onera contentis corporibus faciliùs feruntur, remissis opprimunt. ¶ Contendere, *continuare*. Cic. de Oratote lib. 2. Id quod eius scripta declarant, & contentiones vocis, & remissiones continuarentur. Et lib. 3. Nihil perniciosius, quàm & infusa siue intermissione contentio. ¶ Contendere, iterum significat *extorquere*. Cicero Epistola Cassij hoc ait: Ita contendo, vt in eo fortunas meas positas putem. Accius Eurysace: Iam potero incipiam, & sine quid vi contẽdam, vt hinc comportet texum Salaminem habeam. Turpilius Lemniis: Habet potestatem viri, potestatem senis: Pretio contendas, vt redempto Phædria Liceat redire antiquam in consuetudinem. Varro Serrano περὶ ἀρχαιρεσιῶν: Et petere imperium populi, & contendere honores. M. Tul. de offi. lib. 2. Extremum autem pręceptum in beneficiis, operáque danda, ne quid contra æquitatem contendas. ¶ Contendit, *proripuit*, vel *direxit* significat. Virgil. lib. 5. Qui tamen aerias telum contendit in auras. Licinius Macer: Quo die magistratum obiit, repentè celeri gradu per forum se in capitolium contendit. Tuppilius Philopatro: Gere meas fortunas mater, hem Qua caussa hoc opere maximo contenditur? Pacuuius Duloreste: Nihil coniectura quiui interpretarier Quorsum flexiuice contenderet. M. Tul. de repub. Sed audisse te credo, tum verò Platonem Socrate mortuo, primum in Ægyptum discendi causa, post in Italiam contendisse. Afranius Epistola: Non licet me quo contendisset ita peruenire. Sallustius Iugurthæ bello: Ex prœlio fugit in prouinciam, ac deinde Romam contendere. Varro Quinquatrib. Qui Tarentinum tuum ad Heraclidem Ponticum contenderit. ¶ Contendere, *festinare*. Virgil. Æneid. lib. I. Quæ proxima, litora cursu Contendunt petere. M. Tul. in Verrinis actione 2. Hæc vbi filio nuntiata sunt, statim examinatus ad ædes contendit, vt & vitæ patris, & pudicitiæ sororis succurreret. ¶ Contendere, *intendere*. M. Tul. Hortensio. Magna etiam animi contentio adhibenda est in explicando Aristotele, si leges.

69 ¶ *Cernere* significat *videre*. Virg. Æneid. li. 3. Cernimus adstantes nequicquam lumine toruo. ¶ Cernere rursum *disponere*. Lucil. Sat. libro 5. Postquam præsidium castris educere creuit. Idem lib. 13. Acribus inter se cum armis confligere cernit. ¶ Cernere, *amittere*. Varro γεροντοδιδάσκαλος: Non vides apud Ennium esse scriptum, Ter sub armis malim vitam cernere, quàm semel modò parere. ¶ Cernere, *audire*. Accius Chrysip. Quid agam? Vox illius certè est, idem omnes cernimus. ¶ Cernere *iudicare*. Pacuuius Armorum iudicio: Et æquum est & rectum quod postulas, Iurati cernant. Ennius Thyeste: Impetrem facilè ab animo, vt cernat vitalem Bæbium. ¶ Cernere, rursum *dimicare*, vel *contendere*: Accius ἐπὶ ναυσὶ μάχη: Primores procerum reuocarent nomina, nisi esset Quis, qui armis secum vellet cernere. Ennius Medea exule: Nam ter sub armis malim vitam cernere. Pacuuius Armorum iudicio: Qui sese ad finem esse ad caussandum volunt De virtute, & ego potestatem cernundi do omnibus. ¶ Cernere, rursum *cedere*. vnde & *cernere hæreditatem* sibi patribus, id est cedere dicti sunt. Accius Myrmidonibus: Regnum tibi permitti malunt, cernam, tradam exercitum.

70 ¶ *Circunferre* est propriè *lustrare*. Lucil. Satyr. libro 2. Tum farto omnia sunt circumlata

lata. Plaut. Amphit. Quin tu istanc iubes pro cerita circunferri? Virg. lib. 6. Idem ter socios pura circuntulit vnda.

71 ¶*Confidentia*, est *fiducia*. Virg. Æneid. li. 1. Et afflictis melius confidere rebus. ¶Confidentia, *duritia, patientia*. Plaut. Asinaria: Scapularum confidentia virtute vlmorum freti. Confidentia rursum, *temeritas, audacia*. Pacuuius Atalanta: Grandem, atque atrocem coërce confidentiam. Idem lib. 10. Improbus, cōfidens, nequam, malus videatur. Turpilius Leucadia: Videntur frigus incessum, quàm est confidens diis tunc perdunt. Terent. Heaut. Quid illo homine viuit confidentius? Accius Myrmidonibus: Iram in frenis obstes, animis reprimas confidentiam. Afranius Vopisco: Excludat vxor tam confidenter virum? Non faciet. Virg. Georg. lib. 4. Nam quis te, iuuenum confidentissime, nostras lusit abire domos? Terentius Andria: Nescio quis senex modò venit: ellum confidens. Confidentia, *constantia*. M. Tull. de repub. libro 3. Duas sibi res quò minus in vulgus, & in foro diceret, confidentiam, & vocem defuisse. Næuius Danae: Excidit orationis omnis confidentia. Plaut. Amphit. Quæ non deliquit, decet audacem esse confidenter.

72 ¶ *Consternari*, significat *deiici pro se, & proternè loqui*. Consternari rursum, *erigi*. Pacuuius Peribœa: Consternatæ animæ, ex pectore hac, & voluere Consilium subit omnes, quod de nata est modo. Quo pacto inimicis mortem, & huic vitam efferas. Idem Duloreste: Vnde exoritur? quo præsidio fretus? auxiliis quibus? quo consilio consternatur? qua vi? cuius copiis?

73 ¶*Curriculus*, vt consuetudo fert, *à curru* diminutio est: dicitur, breuissimum vehiculi epiroti genus. ¶ Curriculus, *cursus*. Varro Epistola Iulij Cæsaris: Quem simul ac Romam venissem, mihi attigit aureis nuntius exemplo eas, in curriculum contuli properè pedes.

74 ¶*Calumnia*, est *malitiosa, & mendax infamatio*. Calumnia rursum, *calliditas*. M. Tull. de repub. lib. 2. Vt Carneadi respondeatis, qui sæpe optimas caussas ingenij calumnia ludificari solet.

75 ¶*Conuenire*, placere, *constituere*. Sisenna Hist. lib. 4. Signum nactis à Papo, quod inter eos tolli conuenerat. ¶Conuenire, *aptum esse*. M. Tul. Hortensio: Nam quod veteres, ne non cōueniat nostris ætatibus ista oratio, quę spectat ad hortandum. ¶Conuenire significat *obuium fieri*. Terent. Eunucho: Conueni hodie aduenìens quendam mei loci, atque ordinis Hominem. ¶Conuenire, *videre*. M. Tul de senectute. Neque verò eos solùm conuenire habeo, quos ipse cognoui, sed illos etiam de quibus audiui, & legi, & ipse conscripsi. Plautus Asinaria: Ætatem velim seruire, Libanum vt conueniā modò. ¶Conueniri, *colligi coire*. Virgil. Æneid. lib. 1. Conueniunt, quibus aut odiū crudele tyranni. M. Tul. Philippicis lib. 4. Cui quidem hodierno die P. C. nūc enim primùm ita conuenimus. Conuenire, *constare*. Terent. Phorm. Conuenit numerus quantum debuit. ¶ Conuenire, *similem esse*. Var. Longè fugit, qui suos fugit. Solus rex, solus rhetor, solus formosus, fortis, secus, vel ad ædilicium modius purus, putis, si adhuc charactera Cleophantus conueniet, caue attigeris hominem. ¶Conuenire, *placere, certum fieri*, Virgil. libro 12. Cesserit Ausonio si fors victoria Turno, Conuenit Euandri victos discedere ad vrbem. M. Tul. de finibus bon. & malorum libro 5. Viuendi cupiditate incensi omnes sumus, atque hoc mihi cum fratre tuo conuenit. ¶Conuenire, *interpellare*. M. Tul. in Ver. actione 2. Non dubitat, quin ipse, si Verrem conuenisset, æquitate causæ, auctoritate sua commouere hominem possit. Lucillius libro 29. Hæc tui conuentus, tela insidiísque locaui.

76 ¶ *Calidum* est *feruens*. Virg. Æneid. li. 9. Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen. ¶Calidum, *ferox, & inconsultum*. Mar. Tul. de offi. lib. 1. Sic reperias multos, quibus periculosa, & calida consilia. ¶Calidum, *citatum & velox*. Varro περὶ κεραυνοῦ: Cùm dixisset Vitulus, ecce caldis pedibus quidam nauicularius semiustulatus irrupit se in curiam.

77 ¶*Cælum*, est *deorum domicilium*. Virgil. Æneid. li. 4. Cælum qui vertice fulcit. ¶Cælum rursus *aer*. Tul. de deorum natura lib. 2. Altiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aer sit rariis, ac tenuis, quàm illorum, qui vtantur crasso cælo, atque concreto.

78 ¶ *Contentus*, dicitur *cui res etiam parua abundè est*. Virg. Æneid. li. 7. Patriis, sed non & filius armis Contentus. Terent. Eunuc. Quia neque tu vno eras contenta, neque solus dedit. Lucil. lib. 30. His te versibus interea contētus teneto. M. Tull. ad Brutum: Sic igitur facies, & me aut amabis, aut quod contenti sumus, diliges. Idem de offi. li. 2. Breuitatis caussa familia contenti erimus vna. ¶Contentum dicitur *extensum*. Virg. Æneid. lib. 5. Tum rapidus iamdudum arcu contenta parato Tela tenens. Lucil. lib. 30. Hic vt muscipula contēta, vt scorpius cauda Sublata. ¶Contentum, *colligatum, coniunctum*. Virg. Georg. li. 3. ¶Cōtenta ceruice trahūt stridētia plaustra. ¶Contentum, *continuum, perseuerans*. Cicero Tusc. lib. 5. Socratem ferunt, cùm vsque ad Piræeum contentiùs ambularet, quæsitúmque esset ex eò, cur id faceret.

79 ¶ *Cogere, corradere*. Varro Eumenidibus: Furando tamen, ac morbo stimulatus eodem, Ex sese ipse aliquid quærat, cogárque peculi. ¶ Cogere, *vrgere*. M. Tullius de officiis libro tertio: Diogenes contra nimium

temere coëgit, qui ne hortatus quidem est. Terentius Eunucho: Iubésne? iubeo, immo cogo, atque impero. ¶ Cogere, *mollire, subigere.* Var. Virgula diuina: Sed pauca otio coacto Libamenta legens caduca verus. ¶ Cogere, *in vnum colligere.* Sisenna Hist. libro 4. Summoti & intra mœnia rursum coacti. Cicero Tuscu. lib. 1. Cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventíque coguntur. Terentius Ε'αυτὸν τ. Quasi talenta ad quindecim coëgi. M. Tull. ad M. Catonum: Coactóque in vnum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. Virgil. Bucolicis: Cogere donec oueis stabulis. Lucil. lib. 26. Rauco concionem sonitu, & curuis cogant cornibus. ¶ Cogere, *mulgere.* Virgilius Bucolicis: Cogite oues pueri: si lac præceperit æstus, Vt nuper, frustra pressabimus vbera palmis. ¶ Cogere, *stringere.* Virgilius Georg. lib. 4. Nam frigore mella, Cogit hyems, eadémque calor liquefacta remittit. ¶ Cogere, est *imprimere, coarctare.* Virgilius lib. 8. Quadrifidam quercum cuneis vt fortè coactis Scindebant.

80 ¶ *Claudere*, significat *includere.* Virgilius Georg. lib. 3. Aut intus clausos satura ad præsepia seruant. ¶ Claudere rursus, *obsistere.* Virg. Æneid. lib. 9. Ecce maris magna claudit nos obice pontus. ¶ Claudere, *circumuenire.* Idem Bucolicis: Claudite Nymphæ, Dictææ Nymphæ nemorum iam claudite saltus. Siquâ fortè ferant oculis sese obuia nostris Errabunda bouis vestigia.

81 ¶ *Citum, celere.* Sallust. Catilinæ bello: Modò citus, modò tardus incessus eius. ¶ Citum, *diuisum*, vel *separatum*: vnde & oscitare dictum est. Virgilius libro 8. At procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ Distulerant.

82 ¶ *Citare* est *vocare.* Marc. Tull. in Verrem: Citat reum, non respondit: Citat accusatorem. ¶ Citare, *incitare, prouocare.* Marc. Tul. de diuinatione: Quorum studium legendi, nō scribendi studium vehementius indies citant. ¶ Citare, *laudare.* Marc. Tull. de offi. lib. 1. Citetúrque Salamis clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis.

83 ¶ *Cadere*, est *ruere.* Virgil. Georg. lib. 1. Illa cadens raucum per læuia murmur Saxa ciet. ¶ Cadere, *occidere.* Virgil. Æneid. libro 2. Cadit & Ripheus, iustissimus vnus. Qui fuit in Teucris. ¶ Cadere, *euenire.* Marc. Tull. de offic. lib. 3. Et vt iidem dicunt, omnes numeros habet, nec præter sapientem cadere in quenquam potest.

84 ¶ *Capessere, perficere.* Virgilius Æneidos libro primo: Mihi iussa capessere fas est. Plautus Aulul. In herum matura, in se sera condecet capessere. ¶ Capessere, *immittere.* Plautus Asinaria: Quo magis te in altum capessis, æstus te in portum refert. ¶ Capessere, *recipere.* Plaut. Amph. Nunc tamen heri imperium persequar, & me domum capessam.

85 ¶ *Commodum*, sicuti plerunque, *vtile commodum, aptum, conueniens.* Virgil. libro 12. Accommoda fraudi. ¶ Commodum, *integrum, totum.* Lucillius Busquinoctoginta videbis commoda de Capua quinquaginta atque octo. Plautus Asinaria: Viginti argenti commodas minas, eius quas dem matri.

86 ¶ *Candet, ignitum est.* Marc. Tullius de offic. lib. 2. Candente carbone adurebat capillum. ¶ Candet, *candidum est:* Virgilius Æneid. lib. 4. Candentis vaccæ media inter cornua fundit. Varro γνῶθι σεαυτόν. Candens corpore taurus triuio lumine lunæ.

87 ¶ *Castrum, sine libidinis & turpitudinis nota.* Virgilius Georg. lib. 2. Casta pudicitiam seruat domus. ¶ Castum, *religiosum.* Virgilius lib. 6. Quíque sacerdotes casti dum vita maneret. Varro γεροντοδιδάσκαλος. Ergo tum sacræ, religiosæ, castæque fuerunt res omnes. Idem Eumenidibus: Nam quæ venustas hic adest gallantibus, Quæ casta vestis? ¶ Castum *à furtis & rapinis abstinens.* Varro Andabatis: Nec manus visco tenaci tinxerat viri casta. ¶ Castum, *suaue, iucundum.* Varro Parmenone: Demittis aereis pectore luctus cantu, castáque poesi.

88 ¶ *Censere*, significat *existimare, arbitrari.* Accius Eurysace: Nam eo oblectat spes ærumnosum hospitem, Dum id quòd miser est, clàm esse censet alteros. Næu. Pœnici Belli libro 6. Censent eò venturum obuiam Pœnum. Cassius Hemina Histor. lib. 2. Censuit sese regem Porsennam occidere. Quadrigarius Annal. lib. 7. Ne nos ad certationem censeas hæc incepisse. ¶ Censere *succensere.* Varr. Captino prœlio, περὶ μίθας. Ne vobis censeam, si ad me referretis.

89 ¶ *Coniicere*, est *iacere.* Virgil. Æneidos libro secundo: Telúmque imbelle sine ictu Coniicit. Afran. Simulante: Vellem interuenissem antè, nam vt signa indicant, Hi coniecere verba inter sese acriùs. ¶ Coniicere, *colligere, certare.* Afran: Simulante: Nolim mater me præsente cum patre coniicere, non si me non vis, vel meum. ¶ Coniicere, *agere.* Afranius Materteris: Caussam coniicere hodie ad te volo, ambo adestis, profuturos arbitror. ¶ Coniicere, *furari, auferre.* Afranius Incendio: Seruus est mihi in casio sceleratus, curiosus, is cum filio ei coniicere ad nescio quicquid de latratiuncula. Lucil. libro 2. Quid dicis? cur est factum, quod coniicis istuc?

90 ¶ *Contingere*, est *tangere.* Virgilius Æneidos libro secundo: Funémque manu contingere gaudent. ¶ Contingere, *euenire.* Marc. Tullius libro 5. Quod non modò singulis hominibus, sed potentissimis populis sæpe contin-

contingit. Ennius Thyeste. Quàm mihi maximè hic hodie contigerit malum.

91 ¶ *Conferre* significationem habet manifestam. Marc. Tul. de offic. libro 2. Omnes meas curas, cogitationẽ que in eum conferebam. ¶ Conferre, *contollere*. Virgilius: Et conferre gradum, & procedere longiùs audent. ¶ Conferre, *conserere*. Virgil. libro 9. Ergo & si conferre manum furor, i. àque monstrat. ¶ Conferre *comparare*. M. Tul. de offi. libro 2. Quæ conferri, & comparari cum eorum studiis potest? ¶ Conferre, *transferre*. M. Tul. de offic. lib. 2. Ad hoc potissimum studium nos contulissemus.

92 ¶ *Confectum* dicitur *occisum, exanimatũ*. Virgilius lib. 11. Hactenus Acca soror potui; nũc vulnus acerbum Conficit M. Tul. de Suppliciis: Plagis cõfectum dico à lictoribus tuis, pater, ante oculos tuos occidisse. ¶ Cõfectum, *defessum*. Virg. lib. 11. Ducitur infelix auo confectus aletes Lucil li. 26, Tum doloribus confectum corpus animo obsistere. M. Tull. de officiis lib. 2. Nec me angoribus dedi, quibus essem confectus.

93 ¶ *Conficere, frangere*. Lucil libro 28. Malo hercle vestro cor fectores cardinum. ¶ Conficere, *colligere*. Terent. Phorm. Id vt conficerem, confeci: affero. M. Tull. ad Cæsarem iuniorem libro 1. In singulas tegulas impositis sexcentis sexcenties confici posse. Et in Verr. actione 2. Permagnam eum dicere ex illa re pecuniam confici posse. Lucil. libro 26. Non te multitudinem tuorum, quàm in album inclyta dextra confici sibi. ¶ Conficere, *facere*. Ter. Phor. Bonas me absente hic confecistis nuptias. M. Tullius Hortensio: Ea facultas maioribus nostris erat, qui confectis senatusconsultis. Et Tusculanarum libro 5. Nihil est enim apud istos, quod non eorum turba conficiat. ¶ Conficere, *explicare*. M. Tullius de offic. lib. 2. Honestatis pars confecta est, quam tibi cupio esse notissimam. ¶ Conficere, *consumere, finire*. Terent. Phorm. Cùm hic non videant, me credant conficere, argentum suum. M. Tullius ad Cæsarem iuniorem lib. 2. Bellum, vt opinio mea fert, & consensu ciuitatis confectum iam haberemus. Lucil. lib. 30. Conficit ipse, coméstque. M. Tullius Hortensio: Quæ est enim confectio valetudinis? quæ deformatio corporis?

94 ¶ *Concedere, dare*, vel *permittere*. M. Tul. in Verrem actione 2. Da mihi hoc, concede quod facile est. Virg. libro 27. Concessit in iras Ipse Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ. Terentius Adelphis: Hui meruisti, ne si de tuo iure concessisses paullulum. Lucil. libro 29. Concedat homini, id quod velit deleniat. M. Tul de officiis libro 3. Si negligent omnia turpia per se ipsa, fugienda esse concedant. ¶ Concedere, *credere*, vel *consentire*. Terent. Phorm. Nunquam ne hodie concedes mihi neque intelliges? Lucil. libro 28. Concedere vnum atque in eo dicere, quo separatur manus. ¶ Concedere, *recedere*, vel *cedere*. Terent. Hecyra. Hîc video me inuisam esse meritò. tempus est concedere. Afranius Incendio: Atque etiam incendit hoc, procul concessero. Cæcilius Tithe: Hic dum abit, huc concessero. Cicero Tusculanarum lib. 4. Vt cum magnitudine medicinæ, doloris magnitudo concederet.

95 ¶ *Consequi* significat *sequi*. Virg. libro 5. Quem deinde Cleanthus Consequitur. M. Tul. de offic. libro 3. Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inuestigationéque earum rerum, quas cogitando consequebatur, neque otiosum, nec solùm vnquam fuisse. ¶ Consequi, *adipisci*. M. Tul. Epist. ad Cæsarem li. 1. Tunc cum ea, quæ es ab senatu summo cum honore tuo consecutus. Idem in Verrem actione prima: Quod ego meo labore, & vigiliis consecutus sum. ¶ Consequi, *exprimere, definire*, M. Tullius ad Cæsarem: Extrema verò nec quanta, nec qualia sunt, verbis consequi possum.

96 ¶ *Conserere* dictum est *miscere*. Virgilius Æneid. lib 2. Multáque per cæcam congressi prœlia noctem Conserimus. ¶ Conserere, *inserere*. Virg. Georg. lib. 2. Iuuat Ismara Baccho Conserere.

97 ¶ *Cædere*, est *verberibus dedere*. Terent. And. Verberibus cæsum te in pistrinum Daue Dedam. M. Tul. de suppliciis: Cædebatur virgis medio in foro Messianæ. ¶ Cædere, *excidere*. Virg. Georg. lib. 1. Cæditur & tilia ante iugo leuis. Lucil. lib. 27. Lignum cædat, pensum faciat, ædeis verrat, vapulet. M. Tul. Hortens. Aut ibi id ipsũm peruertendum fuit, quod tu ne attigisti quidem, aut eius partes, quasi membra quædam cædenda. ¶ Cædere, *occidere*, vel *mactare*. Virg. Georg. lib. 2. Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Cæditur. Et Æneid lib. 2. Cæduntur vigiles. Var. Eumenid. Maximum cædit, ferro, sed cædero Vlyssem, Cum bacca syluam cædit, porcósque trucidat. ¶ Cędere, *immolare*. Plaut. Aulul. Cædendum conduxi ego illum. Virg. Æneid. lib. 4. Cædunt quinas de more bidenteis. ¶ Cædere, *frangere*. Virg. Georg. lib. 3. Cæduntque securibus humida vina. M. Tul. in Verrem actione 2. Cædere ianuam saxis instare ferro. Lucil. lib. 29. Cæde ostium, grato vrgere istam perimus. ¶ Cædere, *consumere*. Lucil. lib. 30. Lana opus omne perit, squalor, tineæ omnia cædunt.

98 ¶ *Quatere* significat *percutere*. Virgil. lib. VIII. Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum. ¶ Quatit, *infestat*, Virg. libro VIII. Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello. ¶ Quatit, *excludit*. Terẽt. Eunucho.

Nimirum homo quatietur certè cum dono foras. ¶ Quatit, *mouet*. Virg. lib. 10. At verò ingentem quatiens Mezentius hastam.

99 ¶ *Constat, valet, consistit*. Lucil. li. 28. Trado ergo alias minimo, porrò quod mihi constat carius. Cic. Tusc. lib. 1. Animus, qui si est quatuor horum generum, vnde omnia constare dicuntur. ¶ Constat, *compositum est*. Luci. lib. 26. Principio Physici omnes homines ex anima & corpore constare dicunt. Sisen. Hist. lib. 4. Multitudinem procul hostium constare viderunt. ¶ Constat, *conuenit, manifestum est*. M. Tul. ad Cęsarem Iuniorem lib. 2. Cùm constet Cæsarem Lupercis id vectigal dedisse, qui ante poterat id constare? Et Tusc. lib. 1. Siue quod à grauioribus leuiora natura repellantur, quæ cùm constet.

100 ¶ *Constitit*, dicitur *stetit*. Virg. Æn. lib. 4. Hic primùm paribus nitens Cyllenius alis Constitit. ¶ Constitit, *erectus est*. Plaut. Amph. Fremitu virûm, & spiritu atque anhelitu nebula constat. Virg. lib. 5. Constitit in digitos. Cic. Tusc. lib. 1. Vbi rigida constat crassa caligo inserûm.

101 ¶ *Colligere, in vnum redigere*. Virg. Æn. lib. 6. Colligere arma iubet, validísque incumbere remis. M. Tul. Philippicis lib. 6. Succurrendum est de Bruto, omnes vndique copiæ colligendæ. ¶ Colligere, *reficere*. Cic. in Verrem actione 2. Sed manifesto furto perturbatus, vbi se colligit. ¶ Colligere, *celare, supprimere*. Virg. lib. 12. Subsistit Æneas, & se colligit in arma Poplite subsidens. ¶ Colligere, *auferre*. Lucil. lib. 30. Ruis hæc, & colligis omnia furtim. Plautus Aulularia: Quin ipsi pridem tonsor vngueis dempserat. Collegit, omnia abstulit præsegmina.

102 ¶ *Continens*, est *abstinens, integer*. M. Tul. ad M. Catonem: Vt quæ copiis, & opibus ferre vix possumus, ea mansuetudine, & continentia nostra, sociorum fidelitate tueamur. ¶ Continens, *coniunctum, continuum*. M. Tul. Epist. ad senatum: Itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quę cum Cilicia continens est, iter feci. Idem Hortensio: In continentibus quidem terris vestrum nomen dilatari potest.

103 ¶ *Curatum*, est *natum*. ¶ Curatum, post laborum refectum. Virg. Corpora curamus, fessos sopor irrigat artus. ¶ Curatum, *cum delectu apparatum*. Lucil. lib. 30. Et circum volitant ficedulæ, turdi, curatis coci.

104 ¶ *Conducere, emere*. Plaut. Aulul. Cædendum conduxi ego illum. ¶ Conducere est sicuti *vsu*. Lucilius libro 29. Magno, non magna mercede, magno quidem conduxeris. Tull. de offic. libro 2. Vt sæpe in nostra repub. videmus mercede conducti.

¶ Conducere, *colligere, conuocare*. Varr. Manio: Manius manè suscitat nos, tum in rostra adfert: populum in forum conducit. ¶ Conducere, *conuertere*. Lucil. libro 30. Et virtute tua & claris conducere chartis. ¶ Conducere, *vtile esse*: Solus verò soli quid re, quæstu conducat suo. Marc. Tul. de offic. libro 3. Quomodo stultè? etiámne si reipub. conducebat? Potest autem, quod reipub. inutile sit, id cuiquam vtile esse? Idem de repub. lib. 1. Facillimum autem in ea republ. esse posse concordiam, in qua idem conducat omnibus. Sisen. Hist. lib. 4. Quid in rempub. suam maximè conducere videretur.

105 ¶ *Concelebrare* dicitur *commouere*. Lucr. lib. 1. Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes Concelebras. ¶ Concelebrare, *diu amare*: Dictum à celebritate. Lucil. lib. 50. Multis indoctis sermonibus concelebrarunt.

106 ¶ *Credere*, est *fidem habere dictis vel factis*. Lucil. lib. 27. Hymnis velim te id, quod verum est, credere. Virg. Æneid. libro 2. Ora Dei iussu non vnquam credita Teucris. ¶ Credere, *fidei committere*. lib. 28. Vitam ac fortunas cui crederem meas. ¶ Credere, est *seruandum commendare*. Plaut. Aulul. Vbi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit.

107 ¶ *Commodare*, est *mutuare*. Lucil. li. 27. Certa sunt sine detrimento, quæ inter se commodent. M. Tul. de officiis libro 2. Atque vt dando, & accipiendo, mutandísque facultatibus, & cōmodandis, nulla re egeremus. Commodare, *cum commodo dare*. M. Tul ad filium lib. 2. Cui ego quibuscunque rebus potero, libentissime commodabo.

108 ¶ *Captare, capere*. Lucil. lib. 27. Quod si paullisper captare, atque obseruare hæc volueris.

109 ¶ *Cognoscere*, est *audire, æstimare*. Lucil. libro 26. Rem cognoscas simul & dictis animum attendas, postulo. Pomp. Pansa Papipolæ: Magis curabo vbi cognorit, omnes vnà assentiant. Terent. Andria: Eo pacto & gnati vitam & consilium meū cognosces. Vir. Geor. lib. 1. Ni refugis, tenuísque piget cognoscere curas. ¶ Cognoscere, *nosse*, vel *perspicere*. Virg. lib. 9. Venatu assiduo, & totum cognouimus amnem. Idem Georg. lib. 2. Nunc quo quanque modo possis cognoscere, dicam M. Tull. Hortensio, Vnde autem faciliùs, quàm ex annalium monimentis, aut bellicæ res, aut omnis reipub. disciplina cognoscitur? Idem de senectute: Neque verò eos ipse cognoui, sed illos etiam, de quibus & audiui, & legi, & ipse conscripsi. Cognoscere, *agnoscere*. Virg. Bucolicis: Incipe parue puer risu cognoscere matrem. M. Tull. de repub. lib. 1. Cognoscere me hercle inquit, consuetudinem istam, & studium sermonémque. Varr. Sesquiulysse: Vereor, ne me quoque, cùm domum ab Ilio cessim reuertero, præter canem cognoscat nemo.

110 ¶ *Compe-*

110 ¶ *Cōpetere*, significat *honorē*, vel *coniugiū*, *vel quiduis aliud aduersus alium petere*, vnde, *competitores*, vt sæpe. ¶ Competere, *par esse*, vel *simile*: inde in æstimitione rerum, hoc illi competit, dicimus. ¶ Competere, *rei cuiusque meminisse*, aut *cōstanter valere*. Sallust. Historiarū lib. I. Sic verò quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.

D

111 ¶ *Damnare*, est *damno afficere*, vnde & *condemnare* dictum est. E contrario nullo damno affectum indemnem probamus. ¶ Damnare, est *exhæredare*. Lucillius Satyrarum lib. XI. Cassius Caius hic operarius, quem Cephalonem Dicimus sectorem, furiúmque, hunc Tullius quem Index hæredem facit, & damnati alij omnes. ¶ Damnare, *necessitate constringi*. Terētius Phorm. Tuus est damnatus gnatus, non tu. ¶ Dānare, est *morti dare*. Virgilius Æneid. lib. iiij. Non dum illi flauum Proserpina vertice crinem Abstulerat, Stygióque caput damnauerat Orco. Accius Armorum iudicio: Maior erit luctus, cùm me damnatum audiet. M. Tullius in Verrem actione I. Reus in iudicium adductus est Verres, homo vita, atque factis omnium iam opinione damnatus. ¶ Damnare, & condemnare pro liberare positum est. Titinnius Veliterna: Fortasse notum fuisse, quo die liber foret: Nunc eius voti condemnatus immolauit hostiam. Virgil. lib. xij. Quem damnet labor, aut quo vergat pondere letum. Turpilius Leucadia: Et amplius illam apparere condecet Quando quidem voti condemnata est. Virgilius Bucolicis: Damnabis tu quoque votis. Sisenna Histor. lib. iiij. Quòd voto damnati fetum omnem dicuntur eius anni statim consecrasse. Cicero Tuscul. lib. v. Rerum naturam, quam errorem nostrū damnare maluimus.

112 ¶ *Delicere*, est *illicere*. Titinnius lib. v. Quòd ea parasitus habeat, qui illum sciat Delicere, & noctem facere possit de die.

113 ¶ *Defendere*, *vindicare*, *depellere*. Virgil. Bucol. Solstitium pecori defendite. ¶ Defendere, *tueri*, *depellere*. Ennius Achille: Serua ciues, defende hostes, cùm potes defendere.

114 ¶ *Delica*, est *aperi*, vel *explana*. Titinnius libro quinto: Quid istuc est? aut istic sibi vult sermo, mater delica. Idem Prœlia? Tibine comœdiam, quam sciam, non delicem? Cæcilius Obolostate: Si linguas decem Habeam, vix habeā te satis qui audē ache. Immo verò hîc antè solitus sum, delicat. Accius Achille: Qua te alia ex crimine inimicorum effugere possis, delica. Lucillius lib. xxx. Nemo istum ventrem pertundet, delicet vti, atque videbis.

115 ¶ *Delinitus*, ad nostram consuetudinem *placatus*. Turpil. Demetrio: Vide mirum ingenium, ac delinificum mulierum. Commorat hominem lacrymis. ¶ Delinitus, *delectatus*. M. Tullius ad Cassium lib. I. Iam biennium est, cum virtuti nuntium remisisti, delinitus, illecebris voluptatis. Lucil. lib. xxx. Præseruit, labra delicit, delinit amore. ¶ Delinitus, est *mente alienatus*. Plautus Amphitr. Delinitus sum profectò, ita vt me qui sim, nesciam. Lucil. lib. xxviij. Condat homini id, quod vult: deliniat, corrumpat prorsus, ac neruos omnes.

116 ¶ *Delinit*, *deligat*. Titinnius Prœlia: Verùm enim noctibus deliniti, vltro etiam vxoribus ancillantur.

117 ¶ *Degere*, est *agere*. Lucretius lib. ij. Degimus hoc æui, quodcunque est. ¶ Degere, etiam est *minuere*. Plautus Aulularia: Nunc ego istum soror laborem degam, & diminuam tibi. ¶ Degere, est *detrahere*. Plautus Epidic. Degitur corium de tergo meo.

118 *Dare*, est *exhibere*. M. Tullius de signis: Cn. Pompeius cum filio, qui fuit in Tyndaritano, cenam ipsi isti dabat apud villam. Terentius ἑαυτοντ. Namque ei vnam cenam, atque eius comitibus dedi. ¶ Dare, *facere*. Virgilius & Æneid. lib. j. Tu das epulis accumbere Diuûm. Et lib. iiij. Immotámque coli dedit, & contemnere ventos. ¶ Da, significantiam habet manifestam, id est, dic. Virgilius Æneid. lib iij. Da propriam Tymbræ, domum. ¶ Da, *dic*. Virgilius Bucolicis: Sed tamen iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis Et lib. vj. Túque, ô sanctissima vates Præscia venturi, da, non indebita posco. Terentius ἑαυτοντιμωρούμενος: Nunc quamobrem has partes dedicerim, paucis dabo. Lucil. lib. xxx. Si liceat facere, etiam hoc versibus reddere quod do. Et lib xxviij. Persuade, & transi, vel da quamobrem transeas. ¶ Dare, *adscribere*. M. Tul. in Verrem diuinatione. Ego etiam quæ tu sine Verre commisisti. Verri crimini daturus sum. ¶ Dare, *ostendere*. Lucil. lib. xxvj. Animóque ægrotat, vidimus corpore hunc signum dare. ¶ Dare, *petere*. Lucillius libr. v. Sicuti cùm primos ficos propala recenteis Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

119 ¶ *Deponere* est *ponere*. Virgilius Bucolicis: De grege non ausim quicquam deponere tecum. M. Tullius de offic. lib. ij. Existimaui honestissimè molestias posse deponi, vbi me ad philosophiam retulissem.

¶ Deponere, est *commendare* Accius Erigona. Hospitem deposita interimes. Afranius Epist. Amare, habere puerum depositum foris. M. Tullius de officiis libro tertio: Ego & promissa nonnunquam facienda, neque semper deposita reddenda. ¶ Deponere, est

alienare. Plautus Aulularia : Vt me deponat vino, eam affectat viam. ¶ Deponere, est *desperare* : vnde C *depositi* desperati dicuntur Lucillius Satyrarum lib. iij. Symmachus præterea iam tum depositus bubulcus Exhalans animam pulmonibus æger agebat. Virgilius lib. xij. Ille vt depositi proferret fata parentis. Accius Tereo : Tereus indomito more, atque animo barbaro Conspexit in eam amore vecors flammeus, & Depositus, facinus pessimum ex dementia Confingit. Idem Alphesib. Etsi est in malis Depositus animus meus, quæ scribi exinde audiret. M. Tullius in Verrem actione 1. Itaque mihi videor, iudices, magnam, & maximè ægram, & propè depositam Reipub. partem suscepisse. Cæcilius Obolostate: Depositus modò sum anima, vita sepultus sum.

120 ¶ *Destitui,* est *desolari.* Destitui, rursum *statui.* Næuius Gymnastico : In alto nauem iubet destitui ancoris. Cæcilius Symbolo : Destituit omnes seruos ad mensam ante se.

121 ¶ *Dedicare,* est *dicere.* Accius Alphesib. Aduereor cùm te esse Alcmæonis fratrem factis dedicat. Cæcilius Annal libro 1. Legati quò missi sunt, veniunt, dedicant mandata.

122 ¶ *Dicere, constituere.* Terentius Andria; Placuit, despondit, hic nuptiis dictus est dies. ¶ Dicere, *denũciare.* Lucillius lib. xxviij. Minitari apertè capitis dicturum diem. Terentius Andria : Dico tibi ne temerè facias. ¶ Dicere, est *iudicare.* Virgilius Bucolicis : Dic Mihi Damœta cuium pecus? ¶ Dicere, *dicare.* Virgilius lib. vj. Iunoni infernæ dictus sacer.

¶ Dicere, *destinare.* M. Tullius de offic. libro 3. Et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commẽdandorum suorum caussa postulauisset. ¶ Dicere, est *promittere.* Pompon. Pistoribus: Nummos certos dicas. dico quinquaginta millia. Sallustius Historiarum lib. 2. Eodem anno in Macedonia Caius Curio, principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit pecunias dictas coëgit. Afranius Vopisco : Igitur quiescet, quoniam inter nos nuptiæ sunt dictæ, pareas illis verbis, si placet. Idem Fratr. De rustico nescio cui vicino suo Perpauperi, cui dicat dotis paullulum. Pacuuius Hermiona : Priùs data est, quàm tibi dari dicta, aut quàm reditum est Pergamo. Var. Myster. In id virgo, dos à femina vt auferatur, quæ mihi postea quàm ad concordiã dicta est. ¶ Dicere, *dare.* M. Tullius de offic. lib. ij. Commodè autem quicũque dixit pecuniam.

123 ¶ *Dignatus,* significat dignus habitus. Virgilius Æneid. lib. iij. Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo. Accius Neopt. Sed quem mihi iungent, cuique tu illo fuerint, dignabor dari. Idem Atreo : Egóne Argiuûm imperium attingam, aut Pelopis digner domo ? Quò me ostendam ? quò templum adeam? quo more funesto colloquar ? Cicero Orat. Quanquam enim omnis locutio oratio est, quæ tamen consimili laude dignantur.

124 ¶ *Dignari,* dicitur *dignum aliquem deputare.* Virgil. lib. x. Atque idem fugientem haud est dignatus Orodem Sternere.

125 ¶ *Dominus,* dicitur *cui seruitur.* Virgil. Æneid. libro primo : Romanos rerum dominos, gentémque togatam. ¶ Dominus rursum appellatur *conuiuij exhibitor* : vnde & *dominia,* conuiuia. Lucillius Satyrarum lib. vj. Qui te bonus Iuppiter inquit, Crasso Mutium cùm cenabat dominum fortem. Idem libro xiij. Primùm dominia, atque sodalitia omnia tolluntur. Turpilius Philopatro: Fortè eo die meretricis ad me de leuitate Atticæ, vt cùm venerat, quidam dixerat quæ cenam apud me Thais atque Erotium, Antiphila, Pythias: ego extra cubui domina. Varro Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων : Dominum, conuiuij, vinum, aliúdve quid, mî laudato. Sallustius Historiarum libro tertio : Alteri scribam, & cenas in imo medius inter Tarquinium, & dominum Perpennam. M. Tullius in Verrem Frumentaria: Adria argento dominos vestræ. Var. Endym. Discumbimus mussati, dominus matura ocia ad cenam committit. ¶ Domini, & *mulierum amatores.* ¶ Dominus, *maritus.* Virgilius Æneid. lib. 4. Cónubia nostra Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.

126 ¶ *Deliberare,* est *dubitare.* Terentius Phormione. Ego ampliùs deliberandum censeo.

127 ¶ *Deliberatum, expletum, defunctũ,* vel *definitum.* Turpil. Philop. Certum, atque deliberatum est, me illis obsequi.

128 ¶ *Discrimen, diuisio, separatio.* Cicero de finibus bonorum & malorum lib. 2. Homo & acutus, & diligens Chrysippus non contemnit, totúmque discrimen summi boni in eadem rerum comparatione positum putat.

¶ Discrimen est *periculum.* Virgilius Æneid. libro primo : Per tot discrimina rerum, Tendimus in Latium. ¶ Discrimen rursum, *separatio* à discernendo: vnde & *discerniculum* dicitur acus, quæ capillos à media fronte disseparat. Sallustius Historiarum libro 1. Sertorius fortis turba morantibus, nullo, vt in terrore solet, generis, at imperij Discrimine, per calonum corpora ad medium quasi deinsuper instantium manibus in murum attollitur. Virgil. Æneid. lib. 1. Tros, Tyriúsque mihi nullo discrimine agetur. M. Tullius Philippicis lib. secundo: Hetruriam discriminat Cassius. Lucillius libro xxix. Et amabat omnes

omnes, nam discrimen non facit, neque signat linea alba. ¶Discrimen, *certamen*. Virg. lib. 5. Post hos æquo discrimine pistris, Centaurúsque locum tendunt superare priorem.

129 ¶ *Duci, delectari*, vel *aduocari*. M. Tul. de finibus bonorum & malorum lib. v. Dántque sese ad ludendum, fabellarúmque auditione ducuntur.

130 ¶*Ducere, pati*. Virgil. Æneid. lib. 4. Nate Dea, potes hoc sub casu ducere somnos? ¶Ducere, *nudare, exerere*. Virg. Æneid lib. 12. Ille tamen clypeo obiecto conuersus in hostem Ibat in auxilium, ducto mucrone petebat. ¶ Ducere, *excitare*. M. Tull. in Ver. actione ij. Quòd si quem statuæ magnopere delectant: si quis earum honore, aut gloria ducitur. ¶ Ducere consuetudine, quam significantiam habeat, claret, sicut Vir. Æn. lib. xij. Ducitur infelix quo confectus Aletes. & multa talia. ¶ Ducere, *illicere, inducere*. M. Tull. de offic. lib. 2. Postremò pretio, aut mercede ducuntur. Et de senect. Sic adolescentes senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. ¶ Ducere, *struere, erigere*. Virgil. Æneid. libro 1. Pars ducere muros, Molirique arcem. ¶ Ducere, *existimare, iudicare*. Varr. Sexag. Auidus iudex rerum ducebat esse κοινόν, hoc modo. Virg lib. 10. Tanton' me crimine dignum Duxisti? M. Tull. in Ver. diuinat. Clarissimi viri nostræ ciuitatis temporibus optimis hoc sibi amplissimum, pulcerrimúmque ducebant. Lucil. lib. xxx. Non datur, admittit nemo, nec viuere ducunt, Orco spôdent septimum. M. Tul. de offic. libro 3. A quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus. ¶ Ducere, *voluere pertractare*. Virg. libro sexto: Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum. Lucil. libro xxix. Age nunc summam sumptus, ducátque æri simul, atque alieni. ¶ Ducere, *fabricare*. Varro, γνῶθι σεαυτόν. Nihil sunt Musæ policis vestræ quas ærificè duxti. ¶Ducere, *trahere, differre*. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem. lib. 1. Ne res duceretur, fecimus vt Hercules Antianus in alium locum transferretur. Idem de offic. lib. 3. Apud prætorem criminatus est Balbum illum ducere. ¶ Ducere propriè pro temporibus *seruare*. Virgil. Bucolicis: Astrum, quo segetes gauderent frugibus, & quo Duceret apricis in collibus vua colorem. ¶ Ducere, *demittere, descendere*. Plautus Aulu. Vbi ille abit, ego me duco deorsum de arbore. ¶ Ducere, *gerere*. Virgilius libro septimo: Hi bellum assiduè ducunt cum gente Latina.

131 ¶*Differre, est spatium temporis dare*. Vir. Æneid. lib. vi. Distulit in seram commissa piacula mortem. ¶ Differre, *diffamare, diuulgare*. Lucillius lib. xxx. Gaudes, cùm de me ista foris sermonibus differs. Varro de vita populi Romani libro 4. Si modò ciuili concordia exsequi rationem paret, rumores famam differant licebit, nósque carpant. ¶Differre, *diuidere*, vel *scindere*. Virg. Georg. li. 4. Scythiæque hyemes, atque arida differt Nubila. Terent. Adelphis: Miseram me, differor doloribus. Virg lib. vii. At procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ Distulerant. Lucillius lib. xxx. Et maledicendo multis sermonibus differs. Plaut. Aulularia: Nisi reddi mihi vasa iubes, pipulo te differam Ante ædeis. ¶Differre, *in ordinem ponere*. Virg. Georg. lib. 4. Ille etiam seras in versuum distulit vlmos. ¶ Differre, *distare*. M. Tull. in Verrem diuinatione: Ac vide quid differat inter meam opinionem, ac tuam. Lucil. lib. xxvii. Tamen alii verruca, aut cicatrix medius papillę differunt. M. Tull. Hortensio: Quantum inter se homines studentes moribus omni vitæ ratione differant.

132 ¶ *Durum, solidum*. Virg. Æneid. lib. 4. Sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus. ¶ Durus, *nocens*. Idem Georg. lib. 4. Aut durum tineæ genus. Lucil libro xxx. Et sæuo, & duro in bello multo optimus hostis. ¶Durum, *patiens*, & *perseuerans*. Virg. Georg. lib. 2. Scipiadas duro bello. Et Æneidos lib. 1. Durate, & vosmet rebus seruate secundis. Terent. Adelph. Non hercle hîc quidem durare quisquam, si sic fit, potest. ¶Durum, *immite*. Virg. Georg. lib. 2. Quid iuuenis, magnum cui versat in ossibus ignem Durus amor? Terent. Heaut. Et quod illum insimulat durum, id non est.

133 ¶ *Decernere, est constituere, definire*. M. Tull. de officiis libro 1. Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo. Virg. Æneid. lib. 4. Decreuítque mori. Ter. Andria: Quicquid peperisset, decreuerunt tollere. Plautus Asinaria: Eos me decretum est persequi mores patris. Varro Eumenidib. Forenses decernunt, vt existimatio nomen cum in sanorum numerum referat. ¶Decernere, est *dicere*. Plautus Amphitryone: Qui nequeas, nostrorum vter sit Amphitryo decernere. ¶ Decernere, *certare*. Virg. Æneid. lib. 11. Ipsum armis, ipsúmque iubet decernere ferro. Idem Georg. lib. 3. Cornibus inter se subigit decernere amanteis. M. Tul. Philippicarum lib. 3. Quam ne seruiam animis, armísque decernere.

134 ¶*Demissum, abiectum*. M. Tul. de offic. lib. 3. Perspicuum est enim ea, quæ timido animo, humili, demisso vnus accipit affert. ¶Demissum, *humile, miserandum, abiectum*. Virg. Æneid. lib. 3. Deiecit vultum, & demissa voce locuta est. Lucil. lib. 27. Re in secunda tollere animos, & in mala demittere. Cic. Tusc. lib. 5. Non est ausus elatè, & amplè loqui humiliter, dimisséque sentire.

135 ¶ *Dimittere, permittere, in potestatem dare.* Tul. de Rep. lib. 1. Tum annui consules, tum dimissi populo fasces. ¶ Dimittere, *derelinquere.* M. Tul. ad Cæsarem lib. 3. Quæ si videres non de exercitu retinendo tueri, sed eo traditio, aut dimisso. ¶ Demittere *desuper mittere.* Virgil. Æneid. libro 2. Demissum lapsi per funem. Sallust. Hist. lib. 3. Cum machinis strepitu dimissum Victoriæ simulacrum coronam capiti imponebat. Var. Meleagris: Cùm etiam Thais Menandri tunicam dimissam habeat ad talos. ¶ Dimittere, *dare.* Virg. Georg. lib. 3. Dimissæque ab Ioue gentis Nomina. ¶ Dimittere, *mittere.* Idem Æneid. lib. 2. Equidem per litora certos Dimittam.

138 ¶ *Discere,* est *ignotam rem meditando assequi.* Lucil. lib. 9. Discere labora, ne res te ipsa, ac ratio ipsa refellat. Virg. lib. 12. Disce puer virtutem ex me. Discere, *tentare.* Virgil. libro v. Et fractis discentem currere remis.

137 ¶ *Defunctum* dicimus consuetudine *mortuum.* Virg. lib. v. Defunctáque corpora vita. ¶ Defuncti, *liberati.* Idem lib. vi. O tandem magnis pelagi defuncte periclis.

138 ¶ *Distrahere,* est *vendere.* Lucil. lib. xxix. Diuidant, differant, dissipent, distrahant. ¶ Distrahere *separare.* Terent. Phorm. Quòd si eò meæ fortunæ redierunt, Phannium abs te vt distrahat? M. Tul. Philip. lib. 2. Quod primùm hæc natura cohærentia, opinione distraxissent. Var. de vita populi Romani lib. 1. Distractione ciuium elanguescit bonum proprium ciuitatis, atque ægrotare incipit, & consenescit. ¶ Distrahere, *diuidere, diffundere.* Virg. lib. 7. Turbatis distractus equis. Varro de vita populi Romani lib. 1. Metium Sufetium propter perfidiam interemit penè impetiosiùs, quàm humaniùs. Nam equis ad curriculum ex vtraque parte deligatum distraxit.

139 ¶ *Dicare,* dictum est *constituere, consecrare.* Virg. lib. v. Vrbe velim posita templis sibi ferre dicatis. ¶ Dicare, *tradere.* M. Tull. Epist. ad Cæsarem lib. 1. Balbum quanti faciam, quámque ei me totum dicauerim, ex ipso scies. Lucil. lib. xxx. Iuratum se vni cui sit data adæque dicata. ¶ Dicare, *indicare, nuntiare.* Lucilius libro xxx. Sic vbi ad aureis Fama tuam pugnam claram allatam dicasset.

140 ¶ *Detrahere, derogare.* M. Tull. de signis: Et si quæritis, vt ipse de me detraham, illos ego accusatores puto. ¶ Detrahere, *tollere.* Terent. Heaut. Assiduo, occurrunt serui, soccos detrahunt. Virg. Georg. lib. 3. Obseruans nido implumeis detraxit. Marc. Tul. Frumentaria in Verrem: Postremò sicui ciuitati ociæ tantùm detraxit, quantum commodum fuit. Idem de offic. lib. 3. Nunquam committit, vt alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. Et Hortēsio: Vt ea sibi ratio vera restituat, quæ consuetudo vitiosa detraxerit. ¶ Detrahere, *extrahere.* Lucil. lib. xxix. Cùm ipsi in locum descendant, cùm alios detrahant.

141 ¶ *Despicere,* est *pro nihilo habere.* M. Tul. in Verrem actione 2. Quemadmodum tenuissimum quenque contempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit. Vir. Bucolicis: Despectus tibi sum, nec quis sim quæris, Alexi. M. Tul. de offi. lib. 2. Despiciunt autem eos, & condemnant, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil neruorum putant. ¶ Despicere, *desuper adspicere* Virgil. Georg. lib. 2. Qualem sæpe caua montis conualle solemus Despicere M. Tul. Hortensio Consolabitur eam magnitudo animi, & humanarum opinionum alta quædam despectio.

142 ¶ *Deiicere, elidere.* M. Tul. ad Cæsarem iuniorem libro secundo: Adest alba nescio cuius Clodij, quam cum restitui iussisset Anconæ cum eo deiectum esset ex senatusconsulto. ¶ Deiicere dicitur *mittere.* Virg. lib. 8. Toto genitor quæ plurima cælo Deiicit in terras. Lucillius lib. 27. Has è fenestris in caput Deiiciunt, qui propè ad ostium adspirauerant. ¶ Deiicere, *præcipitare.* M. Tull. in Verrem actione 2. Si me ædilitate deiecissent. Lucil. lib. xxix. Detrusus tota vi deiectúsque Italia. ¶ Deiicere, *auertere.* M. Tull. Philippicis: Nec verò vsquam, nec à Repub. deiiciebam oculos.

143 ¶ *Deducere, vocare.* M. Tull. de repub. libro 1. Quare si placet deducere rationem tuam de cælo ad hæc citeriora. ¶ Deducere, *trahere, mouere.* Sisenna Hist. lib. 4. Ab armis te recedere, præsidia de locis deducere. ¶ Deducere, *deprauare, transuertere à vero & à recto.* M. Tull. Hortensio: Habet enim ipsa incertam definitam viam, & ex ea multis vitiis, & erroribus deprauata deducitur. Virg. Georgic. lib. 1. Riuos deducere nulla Religio vetuit.

144 ¶ *Deductum,* dicitur *molle, suaue,* Virg. Bucol. Pascere oportet oueis, deductum dicere carmen. ¶ Deductum, *delectatione ductum,* Virgilius Bucolicis: Carmina vel cœlo possunt deducere lunam. Lucillius lib. xxvi. Illuc oculi deducunt ipsi, atque animum spes illuc rapit. ¶ Deductum, *diminutum, suppressum.* Lucillius lib. xxx. Deductat hunc voce leo. cur tu ipsa venire Non vis huc?

145 ¶ *Deferre, abducere,* Virgilius Æneidos libro sexto: Deferri Italiam. ¶ Deferre, est *afferre.* Virg. Æneid. lib. 4. Celeres mandata per auras Detulit. ¶ Deferre, *celatum prodere.* Lucil. lib. xxviii. Quapropter certum est facere contrà, ac persequi, Et nomen deferre hominis.

146 ¶ Desi-

146 ¶ *Destinare*, dicitur *parare*. ¶ Destinare, *emere*. Lucilius lib. xxvij. Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus destinet.

147 ¶ *Docere*, significat *disciplinã vel artem quampiã magisterio dare*. Virg. Æneid. lib. v. Docuit post exitus ingens. ¶ Docere, *dicere*. Lucillius lib. xxix. At non sunt similes, neque dant: quid si dare vellent, Acceperis ne, doce.

148 ¶ *Diligere*, manifestam habet significationem, vt plerunque. Diligit, *diuidit*. Plautus Curcul. Clypeatus elephantum ibi machæra diligit. Titinnius Prælia: Pernam totam diligit.

149 ¶ *Dextrum*, dicitur *dexteræ partis*. Virgil. lib. quinto: Quò tantùm mihi dexter abis? ¶ Dextrum dicitur *felix, propitium*. Virg. lib. viij. Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.

150 ¶ *Deprecor*, amolior, depello, propulso. Tul. de Repub. lib. vj. Non modò inuidia pari non erãt, sed etiam Claudij inuidiam Gracchi càritas deprecabatur. Ennius: Eripite ô cui nunc ærumnam, a libertate para quibus seruitutem meam miseram deprecor.

151 ¶ *Diuortium*, est *rerum omniũ separatio*. Cicero de Oratore lib. iij. Sic è communis sapientiæ iugo sunt doctrinarum facta diuortia. Diuortium, *deflexus de via*, à diuertendo. Virgilius lib. ix. Obiiciunt equites sese ad diuortia nota.

E

152 ¶ *Exigere, vi extorquere*. M. Tullius in diuinatione: Et cùm esset tritici modius sestertiis duobus pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse. ¶ Exigere, *inquinare, verum perdiscere*. Virgilius Æneid. lib. primo: Quærere constituit, sociísque exacta referre. ¶ Exigere est *excludere*. Plautus Aulularia: Itaque omneis exigit foras. Terent. Andr. Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius. Afranius Fratriis: Retinebitur vir vt voluntate vna probabili prægnãtem quod non exigat. Næuius Danaë: Indignè exigor patria innocens. M. Tull. Philippicis lib. ij: Claues ademit, foràsque exegit. Lucil. lib. xxvij. Vestimentis frigus, atque horrorem exacturum putet. ¶ Exigere, *debitum repetere*. M. Tull. Epistola ad Cassium: Sed non vrgeo. Longiores enim spectabo, vel potius exigam, quando hercle ego temerè exigam. ¶ Exigere, *facere, cogere*. Virgilius Æneid. lib. ij. Quos improba ventris Exegit cæcos rabies. ¶ Exigere, significat *agere*. Plautus Captiuis: Salue Tyndare, & tu cuius caussa hanc ærumnam exigo. Virgil. Æneid. lib. j. Omneis vt tecum meritis pro talibus annos exigat. Terentius Hecyra: Illíque exopto, vt reliquam vitam exigat. Lucillius li. xxviij. Cùm cognoueris vitã sine cura exigas. ¶ Exigere, *definire, constituere*. Virgil. Æneid. lib. 4. Decreuítque mori, tempus secum ipsa, modúmque Exegit.

153 ¶ *Exactum, transcursum, præteritũ*. Virgilius Geor. lib. tertio: At tribus exactis, vbi quarta accesserit æstas. Et eodẽ: Exactis grauidæ cùm mensibus errant.

154 ¶ *Elidere, excludere* significat. Virgilius libro viij. Elisos oculos, & siccum sanguine guttur. Plautus Rudente: Iubeo oculos elidere, idem vt sæpius faciunt coci. Lucillius Satyr. li. ij. Iniuriarum hunc in fauces inuolasse, animámque elisisse illi. ¶ Elidere, *suffocare*, vel *occidere*. Virgilius lib. octauo: Geminóque premens eliserit angues. ¶ Elidere, *collidere*. Virgilius Æneid. lib. iij. Ter spumam elisam, & rorantia vidimus astra. Cicero Tuscul. lib. v. Qui rebus his fractus ęgritudine eliditur, potest tamen esse non miser. ¶ Elidere, *deiicere*. M. Tul. de Rep. lib. ij. Vt auriga indoctus è curru trahitur, opperitur, eliditur, laniatur.

555 ¶ *Exãclare*, significat *exhaurire*. Plaut. Sticho: Næ iste ædepol vinum poculo pauxillulo Exãclauit. Idem Pœnulo: Sæpe exanclatum merum scitissimè. ¶ Exanclari, *perfici*. Pacuuius Periboea: Nõ potest, Menalippe, hic sine tua opera exanclari clauos. ¶ Exanclari etiam significat *perpeti*. Ennius Andromacha: Malo torquetis cum ærumnis illum exanclari diem. Accius Diomede: Ferè exanclauimus Tyranni sæuum ingenium, atque exsecrabile. Idem Amph. Pertolerarem vitam, cladésque exanclarem impatibileis. Lucillius libro xxx. Quantásque modo ærumnas, quantósque labores Exanclaris. ¶ Exanclare, *effundere*. Ennius Eumenidibus: Nisi patrem materno sanguine exanclando vlciscerer.

156 ¶ *Eliminare*, est *exire*. Ennius Manea exsule: Antiqua ædilis filia custos corporis, Quid sic extra ædeis exanimata eliminat? Accius Phœnissis: Egredere, exi, effer te, elimina vrbe. Idem Meleagro: Timidè eliminor clamore, simul agnita vox ad aureis accinit. Varro Serrano περὶ ἀρχαιρεσιῶν: Occipicium arriuodeo ostendo, ex oraculo elimino me. ¶ Eliminare rursum *excludere*. Pacuuius Doloreste: Vbi ille est? me miseram quoniam clamor eliminat. Pomponius: Conclauos istic manet, eliminabo extra ędeis cõiugem.

157 ¶ *Euadere, exire, tendere*. Terentius Phormione: Quid hic cœptat, aut quo euadet hodie? Lucillius lib. xxxj. Euadat saltem aliquid aliquã, quod conatus sum. Plautus Asinaria: Demiror quid sit, & quò euadat sum in metu. ¶ Euadere, *fieri, produci*.

M. Tullius Philippicarum libro 2. An verebare, ne non putaremus natura te potuisse non improbum euadere? ¶ Euadere, est *liberare*. Sallustius Iugurthæ bello: At ni Marius signa inferre, atque euadere oppido properauisset, profectò cuncti, aut magna pars Siccen. suam fidem mutauissent. Virgilius lib. nono: Nostráśne euadere demens Sperasti te posse manus? Lucillius lib. xxv. Iccirco omnes euasuros censent ægritudinem. Sisenna Historiarum lib. quarto: Cohors vna post concitata, qua murus erat interruptus, euadit. ¶ Euadere, *adscendere*. Virgilius Æneid. libro ij. Euado ad summi fastigia culminis. ¶ Euadere, *apparere*. Virgilius Æneid. lib. ij. vt tandem ante oculos euasit, & ora parentum.

158 ¶ *Excipere*, est *seiungere, separare*. Virgilius libro ix. I, sum illum clypeum, cristasque rubenteis Excipiam sorti. ¶ Excipere, *excusare*, vel *celare*. Plautus Aulularia: Neque partem tibi ab eo, qui qui est, inde posces, neque furem excipias. ¶ Excipere, est *suscipere*. Virgilius Æneid. lib. iij. Heu quis te casus deiectum coniuge tanto Excipit? M. Tul. in Verrem de suppliciis: Filiorum suorum postremum spiritum ore excipere liceret. ¶ Excipit, *opprimit*, vel *circumuenit*. Virgilius Æneid. lib. ij. Et sceletum furiis agitatus Orestes Excipit incautum. M. Tullius ad Pompeium lib. iiij. Quod si est, non modò inter meum interclusum, sed meipsum planè exceptum putabat. Et rursum: Admoniti sumus vt caueremus, ne exciperemur à Cæsare. ¶ Excipere, *rursū extrahere*. M. Tullius de Repub. lib. iiij. Quos insepultos reliquissent eos, quos è mari propter vim tempestatis excipere non potuissent, innocentes necauerint. Virgilius Bucolicis: Non ego te vidi Damonis pessime, captum Excipere insidiis? ¶ Excipere, *manere, habere*. Virg. Geor. lib. iiij. Ergo ipsis quamuis angusti terminus æui Excipiat. ¶ Excipere, *captare*. Cicero Orat. l. b. iij. Quædam dari ex hac vita ad pertractandos animos hominum, & ad excipiendas eorum voluntates.

159 ¶ *Explorare*, est *intērius obseruare*. Virg. Æneid. lib. ix. Necnon & trepidi formidine portas Explorant. M. Tul. de offi. lib. iij. Hac vi non mutatur, nisi exploratum quidem habeat, id omnino neminem vnquam suspicaturum. ¶ Explorare, *verū inquirere*. Virg. Æneid. l. b. 1. Exire, locósque Explorare nouos. ¶ Explorare, *probare*. M. Tul. in Verrē actione ij. Tum in reliquis explorata, atque prouisa. Lucil. lib. xxix. Certum scio esse ita, vt dicis. nam mihi erant de illo explorata omnia. M. Tul. de senectute: Quis est tam stultus, quamuis adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? ¶ Explorare, *siccare*. Virg. Georg. lib. j. Et suspensa focis exploret robora fumus.

160 ¶ *Exercere*, *fatigare*. Terent. Adelph. I. sanè ego exercebo hodie, vt dignus es, silicernium. ¶ Exercere, *Exagitare*. M. Tullius de offic. libr. 1. Exercenda etiam est facilitas, & altitudo animi. Virg. Æneid. lib. v. Nate Iliacis exercite fatis. ¶ Exercere, *insequi*. Virgil. Æneid. lib. iiij. Tum vos, ô Tyrij, stirpem, & genus omne futurum Exercere odiis. ¶ Exercere, *solidare*. Sallust. Iugurthæ bello: Nabdalsa exercito corpore. Cic. Tusc. lib. v. Equidem meos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit. ¶ Exercere, *imponere, imperare*. Virg. Georg. lib. ij. Tunc denique dura Exerce imperia, & ramos compesce fluenteis. Plaut. Amph. Si in me exerciturus, quæso in parietem prius domes. ¶ Exercere, *in meliorem vsum & fructū formare*. Vergilius Georg. lib. 1. Exercétque frequens tellurem, atque imperat aruis.

161 ¶ *Equites*, cùm cōsuetudine aut à magistro equorum, aut sessore appellamus. Virgil. l. b. iiij. Interea præmissi equites ex vrbe Latina. Et lib. x. Effusumque equitum super ipse se utes. ¶ Equites Virg. Georg. li. 3. *equos* dici voluit. Impositi dorso, atque equitē docuere sub armis Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

162 ¶ *Exterritū, expauefactū* significat. Virgilius libro v. Plausúmque exterrita pennis Dat tecto ingentem. Varro Eumenidibus: Videmus populum furiis instinctum tribus, Diuersum ferri, exterritum formidine. ¶ Exterritum, *accensum, inflammatū*. Virg. Georg. lib. 3. Sæuit agris, aspéráque siti, atque exterritus æstu.

163 ¶ *Experiri*, est *pati, sentire*. Virgilius lib. primo: Vos & Cyclopea saxa experti. Terentius Hecyra: Nam fuisse ergo me miro ingenio expertus sum. ¶ Experiri, *tentare*. Virgil. Æneid. lib. quarto: Nequid inexpertum frustra moritura relinquat. Terentius Eunuch. Omnia prius experiri consilio, quam armis sapientem decet. Lucillius libro xxx. Summatim tamen experiar rescribere paucis. Plautus Asinaria: Dignos adire, atque experiri certū est mihi. ¶ Experiri, *scire*. M. Tull. Epistola ad Brutum lib. vij. His contraria, atque parata vt esse soleat, expertus sum. Virg. libro nono: Experto credite quantus In clypeum insurgat.

164 ¶ *Exire*, manifestam habet significationem, vt Terentius Eunucho: Exi foras, scelest. at etiam restitas Fugitiue? ¶ Exire, *euadere, liberari*. Lucillius lib. xxviij. Ne hoc faciat, atque ex hac ærumna exeatis. ¶ Exire, *euitare*. Virgil libro quinto: Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit. ¶ Exire, *erumpere*. Virgilius Æneid. libro tertio: Non

Non sic aggeribus ruptis cùm spumeus amnis Exit. ¶ Exire, *prohibere*. Virg. Æneid. lib. 11. Sustinet à iugulo dextram, & vim viribus exit.

165 ¶ *Expedire, vtile esse*. Terent. Heaut. Expedit bonas esse vobis: nos, quibus cum est res, non sinunt. Lucil. lib. 27. Ego enim à pueritia, vt me amare expediat. Tul. de offic. li. 2. Sæpe enim aut eos lædunt, quos nó debeant; aut eos, quos non expedit. ¶ Expedire est *definire*. Vir Æneid. lib. 4. Et Ausonio possis considere portu Expediam dictis. Terent. Phorm. Atque id, si potes, verbo expedi vno. ¶ Expediri, *liberari*. Virgil. Æneid. lib. 2. Flammam inter & hosteis Expedior. Terent. Hecyr. Teque hoc crimine expedi. Sisenna Hist. lib. 4. Funeis expediunt, claustra foribus imposita periclitantur. ¶ Expedire, *proferre*, Virg. Æneid. li. 1. Cererémque canistris Expediunt. M. Tull. in Verrem de suppliciis: Hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. ¶ Expedire, *colligere*. M. Tull. ad Cæsarem iuniorem lib. 1. Et cæteris autem generibus tunc pecunia expedietur, cum legionibus victricibus erunt, quæ spopondimus, persoluenda.

166 ¶ *Enixa* dicitur *partu leuata*. Virg. Æn. lib. 3. Triginta capitum fœtus enixa iacebit. ¶ Enixa, *subiugata*. Virg Æneid. lib. 3. Seruitio enixæ tulimus.

167 ¶ *Efferre, subdere*. Lucil. li. XXVI. Depugnabunt pro te ipsi, & morientur, ac se vltrò efferent. ¶ Efferre significat *proferre*. Vir li. v. Tunc satus Anchisa cestus pater extulit æquos. Et lib. 2. Méne efferre pedem genitor? Lucil. lib. 26. Ego vbi quem ex præcordiis versu effero. Ennius Medea: Vtinam ne vnquam me de cordis cupido corde pedem extulisse. ¶ Efferre, *ostendere*. Virg. lib. 8. Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce Extulit. ¶ Efferre, *elogere, leuare*. Virgil. Æneid. lib. v. Ostendit dextram insurgens Entellus, & altè Extulit. Lucil. lib. XXX. Continuò simul ac paullò vehementiùs aura Inflauit fluctus, erexerit, extulerítque. ¶ Efferre, *edere, prouehere*. Virg. Geor. li. 2. Extulit hæc Decios, Marios. Lucillius li. XXXI. Non idcirco extollitur, vel iræ, vel gaudij dator. M. Tull Hortensio: Præter cæteros nostra extulit ciuitas. ¶ Efferre, *extollere*. M. Tul. de signis: Nimirum forsitam hæc illi mirentur, atque efferant. Idem de offic. lib. 2. Itaque eos viros suscipiunt, miximísque efferunt laudibus. Lucillius lib. XXX. Omnia alia, in quibus efferimur rebus, ne ego multis loquar.

168 ¶ *Extollere, differre*. Cæcilius Plocio: Abi intro, atque ista hæc aufer, tamen hodie extollat nuptias.

169 ¶ *Explere*, dicitur *implere*. Lucr. lib. 3. Atque explere bonis rebus, satiaréque nunquam. Virgil. Georg. lib. 3. Improbus ingluuiem, ranísque loquacibus explet. Explere, *minuere*. Virg. li. 6. Discedam, explebo numerum, reddárque tenebris.

170 ¶ *Educere, erigere*. Virgil. lib. 6. Aiámque sepulcri Congerere arboribus, cælóque educere certant. ¶ Educere dicitur *exuere*. Virgilius libro 10. Hoc dicens, eduxit corpore telum. ¶ Educere, *educare*. Terentius Adelphis: Eduxi à paruulo, habui, amaui pro meo.

171 ¶ *Excutere*, dicitur *commouere*. Virgil. lib. 12. Gaudétque comanteis Excutiens ceruice toros. M. Tul. de offic. lib. 2. Explica, atque excute intelligentiam tuam. ¶ Excutere, *emittere*. Virg. 9. Excussus Aconteus Fulminis in morem. Excutere, *excludere, deijcere* Virg. Æneid. lib. 4. Excutimur cursu, & cæcis erramus in vndis. Idem lib. 9. Excussi manibus radii, reuolutáque pensa. Lucillius libro 30. Ipso cum domino calce omneis excutiamus. ¶ Excutere, *eligere*. M. Tul. Philip. lib. 11. Iuuentutem omnem ex tota Italia excussimus.

172 ¶ *Exponere, extollere*. M. Tul. de signis: Vocat ad cenam deinde ipse prætorem, exponit suas copias omneis. ¶ *Exponere, deponere*. Virg. li. 11. Socios de puppibus altis Pontibus exponunt. ¶ Exponere, *disserere*. M Tull. Philippic. lib. 1. Exponã vobis breuiter consilium profectionis, & regressionis meæ. ¶ Exponere, *abiicere*. Terent Heautont. Erat hic Corinthia anus haud impura ei dedi Exponendam. ¶ Expositum *subiectum*. M. Tul. in Verrem actione 2. Cùm tibi exposita esset ad prædandum omnis Pamphylia.

173 ¶ *Exornare, fœdare*. Terentius Heaut. Egóne? si viuo adeò exornatum dabo, Adeò depexum; vt dum viuat, meminerit semper mei. ¶ Exornare, *ornare*. M. Tul. in Verrem de signis: Exornat amplè, magnificéq; triclinium. Terent. Eunucho: Ita visus est dudum, quia varia veste exornatus fuit. Cicero de Orat. lib. 1. Qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam, & Reipublicæ dignitatem exornabant.

174 ¶ *Explicare, ostẽdere, explanare*. M. Tul. in Verrem de signis: Vitam alterius totam explicare. Idem de officiis lib. 3. Vt quædam sibi concedantur, quò faciliùs, quæ volunt, explicent. ¶ Explicare, *emittere, extendere*. Virgilius Georg. li. secundo: Sed trudit gemmas, & frondeis explicat omneis. M. Tul. de Repub lib. 2. Quæ virtus præter cæteras, totam se ad alienas vtilitates porrigit, atque explicat. Var. Sesquiulysse: Vias stelligeras ætheris explicans ęre cauo sonitum hic in cothurnis. ¶ Explicare, *exercere*. M. Tul. de offic. lib. 3.

Explica, atque excute intelligentiam tuam, vt videas quæ sit in ea species, forma, & notio viri boni.

175 ¶ *Exui* est *exsolui*. Virg. Æneid. li. 2. Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas. ¶ Exui, *nudari*. Virg. lib. v. Magna ossa, lacertósque Exuit. ¶ Exuere, *deponere*. Virgil. Æneid. libro 4. Et si quis adhuc precibus locus, exue mentem. ¶ Exui, *liberari*. Lucil. lib. xxix. Vnde domum vix redeat, vixque hoc exiat se.

176 ¶ *Excidere, cedere*. M. Tul. Philip. lib. 2. Excident gladij cruenta arma de manibus. ¶ Excidere, *in obliuionem dare*. Virg. Æneid. lib. 1. Nec dum etiam caussæ irarum, sæuíque dolores Exciderant animo.

177 ¶ *Eiectum, exclusum*. Virg. lib. ix. Nec non Tarquinium eiectum Porsena iubebat Accipere. Lucil. lib. xxix. Ibi erat scopios Eiicere istum abs te, quamprimum, & perdere amorem. ¶ Eiectum, *extensum*. Virg. lib. x. Eiectóque incumbit cernuus armo.

178 ¶ *Exsultare, sæuire*. M. Tul. de Repub. lib. 2. Quæ sanguine alitur, quæ in omni crudelitate sic exsultat, vt vix hominum acerbis funeribus satietur. ¶ Exsultare est *gestu vel dictu iniuriam facere*. Lucil. lib. xxx. Quin totum purges, debelles me, atque deauras, exsultes, sollicites. Virg. lib. v. Exsultantiáque haurit Corda pauor pulsans. ¶ Exsultare, *gloriari cum iactantia*. Virg. Æneid. lib. x. Exsultat Amazon. M. Tul. Hort. Imbecillis autem est pudoris magister timor, qui, si quãdo paullulum aberrauit, statim spe impunitatis exsultat. Et de senectute: Et Annibalem iuueniliter exsultantem patientia sua molliebat. ¶ Exsultare, *supra modum exsilire, & efferri*. M. Tul. de Republica: Est igitur quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exsultat voluptate, vel molestia frangitur.

179 ¶ *Eligere*, significationem habet apertam. ¶ Eligere, *defatigare*. Lucil. lib. xxix. Corrumpat prorsus, ac neruos omneis eligat.

180 ¶ *Excludere, liberare*. Lucil. 27. Primùm quâ virtute seruitutem excluserit. ¶ Excludere, dicitur *eijcere*. Terent. Eunucho: Exclusit, reuocat: redeam?

181 ¶ *Excidere, dissentire*. Lucil. lib. 27. Metuo vt fieri possit, egóne ab Archilocho excido.

182 ¶ *Expectare*, dicitur *manere, obseruare*. Terent. And. Exspecto quid velis. ¶ Exspectare, *sperare*. M. Tul. de offi. lib. 2. Est enim deterior, qui accipit, atque etiam ad exspectandum semper paratior. Virg. Georg. lib. 1. Sed illos Exspectata seges vanis elusit aristis. ¶ Exspectare, est *à Deo poscere*.

183 ¶ *Expetere, accipere*. Plaut. Amphitr. Ergo in seruitute expetunt multa iniqua.

¶ Expetere, *transferre, euadere*. Plaut. Amphit. Suámque vt culpam immortalem expetere vt sinat.

F

184 ¶ *Felix*, dicitur *fortunatus, beatus*. Virg. Æneid. lib. 3. O felix vna ante alias Priameia virgo. ¶ Felix, *propitius*. Virg. Æneid. libro 1. An Phœbi soror, an nympharum sanguinis vna, Sis felix. ¶ Felix, *fructuosus, ferax*. Virg. Georg. lib. 2. Exiit ad cælum ramis felicibus arbos. Varro de vita populi Romani lib. 2. Contra nouo marito cùm item è foco in titione ex felici arbore, & inæquali aqua allata esset.

185 ¶ *Fastigium, ima altitudo*. Virg. Geor. li. 2. Forsitan, & scrobibus quæ sint fastigia, quæras. Varro de re rustica lib. 1. Fossa ita idonea fiat, vt omnem aquam, quæ de cælo venit, recipere possit, aut fastigium habeat, vt exeat è fundo aggeris.

166 ¶ *Ferre, ostentare*. Virg. lib. xi. Captiuo siue vt se ferret in auro Venatrix. ¶ Ferre, consuetudine *portare* dicimus. Virg. lib. v. Vix illam famuli Phegeus, Sabarísque ferebant. ¶ Ferre, *habere*. Virg. lib. v. In magno munere Cysseus Ferre sui dederat monimentum, & pignus amoris, cùm filium nomen suum ferre voluisset. ¶ Ferre, *pati*. Virg. Æneid lib. 2. Miserere animi non digna ferentis. Lucil. lib. 27. Cæterùm quicquid sit, qui non sit fero æquo animo, ac fortiter prœlio captiuos prædones non posses iam amplius perferre, tamen suadet, vt notat Terent. Heaut. Nam quem ferret, si parentem non refert suum? Cic. in Verrem: De prætura Siciliensi, prout Thermitani hominis facultates ferebant. Et de Orat. lib. 2. Est autem vetustum verbum quod tamen consuetudo ferre possit. ¶ Ferre, *conferre*. Virgil. lib. v. Quibus acer Eryx in prœlia suetus Ferre manum. ¶ Ferre, *disturbare*. Virg. Æneid. lib. 1. Quippe ferant rapidi secum, verrántque per auras. Et lib. 2. Alij rapiunt incensa ferúntque Pergama. ¶ Ferre, *dicere, nominare*. Virgil. Æneid. lib. 2. Et scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt. Et lib. 3. Quæ nunc Samothracia fertur. ¶ Ferre, *dare, exhibere*. Virg. Æneid. lib. 3. Sacra Dioneæ matri, diuísque ferebant. ¶ Ferre, *afferre*. Virg. lib. xi. Legati responsa ferunt. M. Tul. de suppliciis: Prohibetur suis liberis cibum, vestitúmque ferre. Lucil. libro 29. Colligere auxilium, tametsi est indignum vt feram. ¶ Ferre, *dirigere, ducere*. Virg. lib. 6. Hinc via Tartarei quæ fert Acherontis ad vndam. Lucil. lib. xxx. Quid sibi vult, quare fit, vt intro versus, vt ad te spectent, atque ferant vestigia, sed omnia prorsus? ¶ Ferre, *laudare*. Idem eodem: Et sola ex multis nunc nostra poemata ferri.

187 ¶ *Fluere*, est *decurrere*. Virg. Georgic. lib. 2.

lib.2. Hæc eadem argenti riuos, æríſque metalla Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit. ¶Fluere, *minui, deficere*. Virg. Æneid. lib. 2. Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri Spes Danaûm. ¶Fluere, *latiùs ac liberiùs excreſcere*. Vir. Georg. lib. 2. Tum denique dura Exercere imperia, & ramos compeſce fluentis.

188 ¶ *Fatum*, ſignificat *decretum, & voluntatem*. Virg. Æn. lib 8. Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris Fata Phrygum. Et eodem: Filius huic fato diuum, proléſque virilis Nulla fuit.

189 ¶ *Fatigare, percutere*. Virg. libro 9. Verſaque iuuencum Terga fatigamus haſta. ¶Fatigare, *excitare*, vel *increpare*, vel *hortari*. Virg. Æn. lib. 4. Socióſque fatigat Præcipites vigilate viri. ¶Fatigare, *inſtigare, cogere*. Virgil. lib. 9. Collecta fatigat edendi Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces. ¶ Fatigare *ad laſſitudinem deducere*. Virg. lib. 5. Veloceis iaculo ceruos, curſúque fatigat. Et lib. 11. Quos nulla fatigant Prœlia.

190 ¶*Fœdum*, conſuetudine eſt *deforme*. Terent. Eunucho: Nunc tibi videtur fœdus, quia illam non habet. ¶Fœdum, *exſecrandum*. Vir. lib. 7. Auerſúſque refugit Fœda miniſteria.

191 ¶ *Factio*, dicitur *malorum conſenſus, & conſpiratio*. Salluſt. Iugurthino bello: Inter bonos amicitia, inter malos factio. ¶Factio item ſignificat, *opulentiam, abundantiam, & nobilitatem*. Titinn. Sed iam metuo hercle, Cæſo, ne nimis ſtultè fecerim. Qui ex tanta factione atque opibus ea ſum auſus adgredi. Plautus Aulul. Iſtas magnas factiones, dotes depſiſes. Idem Trinum. Voſtras cùm noſtris factiones atque opes. Turpil. Traſileone: Non vtilitate, factione fretus intercedere. Cæcilius Philumena: Lata eorum famam occultabat factio.

192 ¶ *Ferox* eſt *ſæuus & indomabilis*, tranſlatum à feritate. Virg. Æneid. li. 4. Ac frena ferox ſpumantia mandit. M. Tul. de offic. lib. 1. Vt equos propter crebras contentiones prœliorum ferocitate exſultantes domitoribus tradere ſoleat. Terent. Eunucho: Eóne es ferox, quia habes imperium in belluas? ¶ *Ferox ſum illa re* dicitur, vt illa re ſum fretus, vel arrogans. Titinn. Fullonibus: Videram ego te virginem formoſiſſimam eſſe, ſponſo eſſe ſuperbam, forma ferocem. Plaut. Milite: Vt donatum equum, qui forma eſt ferox. Accius: Neque vi tanta quiſquam eſt, neque tam abundans fortunis ferox. M. Tul. Epiſt. ad Cæſarem lib. 1. Itaque vereor, ne feroci oratione faciant tutam præclara iudicia telo. ¶*Ferox*, ſignificat *cordatus*, vel *facetus*. Plautus Milite glorioſo: Nam tu, quamuis potis ſis facere, vt fluat facetiis, & quia tecum eram, propterea animo eram ferocior.

193 ¶ *Fama*, eſt *opinio* ſecundum conſuetudinem. Virgilius Æneidos libro tertio: Fama volat, pulſum regnis ceſſiſſe paternis Idomena ducem. ¶ Fama, *ſpes* profuturi numinis. Virgilius Æneidos libro quarto: Nos munera templis. Quippe tuis ferimus, famámque fouemus inanem. ¶Fama eſt rurſus *infamia*. Vir. Æneid. libro 4. Neque enim ſpecie, famáve mouetur. ¶Vnde & *famoſum* dictum infame. Terent. Adelph. Maledicta, famam, meum amorem & peccatum in ſe tranſtulit. Plaut. Aſin. Quin etiam me miſerum famoſum facit flagitiis ſuis. Lucil. Satyr. li. 11. Quintus Opimius ille Iugurthini pater huius. Et formoſus homo fuit, & famoſus, vtrunque Primò adoleſcens, poſteriùs directius ſeſe. Turpil. Pedio: Quæſo omitte, ac deſere hanc meretricem, quæ te ſemel nacta ſemper ſtuduit perdere, detegere, deſpoliare, oppleréque adeò fama, ac flagitiis. M. Tul. de repub. libro 4. Atque etiam, ſi qua erat famoſa ei cognatio, oſculum non ferebant. Salluſt. Iugurth. Is poſtquam largitionem famoſam, impudentémque. Næu. Danae. Subitò famam tollunt, ſi quam ſolam videre in via.

194 ¶ *Famoſum, infamem*. Cic. de Orat. lib. 2. Non pol, inquit, audeo. Nam me ad famoſas vetuit mater accedere.

195 ¶ *Fortis*, eſt *celer*. Lucil lib. 3. Aut quidnam tremulis facere artubus hœdi Conſimili incurſu poſſint, ac fortis equi vis. Virg. lib. 9. Quid tam egregium, ſi femina forti Fidis equo. ¶Fortis rurſum *formoſa*. Plaut. Milite: Et quid fortis viſa eſt? ¶Fortis etiam *diues*, Plaut. Trinummo: Eum ſororem deſpondiſſe ſuam in tam fortem familiam, id eſt, diuitem, & copioſam. Afran. Fratriis: Formoſa virgo eſt, dotis dimidium vocant Iſti, qui doteis negligunt vxorias: Præterea fortis. Lucil. libro 30. Omnes formoſi fortes, tibi ergo improbus eſto. Fortis, *magnarum virium*. Virgil. Æneid. lib. 1. Fortéque Cloanthum.

196 ¶ *Faceſſere*, eſt *facere*. Ennius Annal. lib. 1. Hæc effatus, ibíque latrones dicta faceſſunt. Afran. Imis: Multa atque moleſta potiri, vt dicta faceſſas. Virgil. Æneid. libro 4. Imperio læti parent, ac iuſſa faceſſunt. ¶ Faceſſere ſignificat, *recedere*. Enn. Eumenid. Dico viciſſe Oreſtem, vos ab hoc faceſſite. Titinn. Gemin. At aliquis veſtrorum nuntiet, Geminæ, vt res ſuas procuret, ædibus faceſſat. Pacuuius Teucro: Te repudio, nec recipio naturam dico faceſſi. Item: Faceſſite hinc omnes, parumper tu mane. Cicero de legibus libro primo: Paulliſper faceſſant rogemus. Afranius Liberto: Nolo hic te videat: dominus eſt. puer faceſſe hinc. Plautus Rudente: Siquidem ſis pudicus, hinc faceſſas. Marcus Tull. Hortenſio: Faceſſant igitur omnes, qui docere nihil poſſunt, quo meliùs, ſapientiúſque viuamus.

197 ¶*Fatiſcere*, eſt *aperire*, rurſum *deficere*.

Accius ἐπὶναυσὶ μάχῃ. Tamen antè fatiscar, qui tuam implorem fidem. Pacuuius Duloreste: Vt si ita suat promerita vestra, æquiparare vt queam, Vereor nisi nunquam fatiscar facere quod qui boni.

198 ¶ *Ferus*, significat *seuerus*. Virgilius Æneidos libro 2. Ferus omnia Iuppiter Argos Transtulit. ¶ Ferus significat *equum non solũ fictum, sed etiam verũ*. Idem eodem: Inque feri curuam compagibus aluum Contorsit. Accius Medea: Perite instabulis frenos immittẽs feris. ¶ Ferus item significat *ceruum*. Virgilius Æneid. lib. 8. Pectebátque ferum, puróque in fonte lauabat.

199 ¶ *Fuga*, significatur *citus cursus*. Virgil. Æneid. libro 1. Vel qualis equos Threissa fatigat Harpalice, volucrémque fuga præuertitur Hebrum. ¶ Fuga item *volatum* significat. Virgil libro 3. Celerí que fuga sub sidera lapsæ Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt. ¶ Fuga item dicitur *nauigatio*. Accius Thelepho: Remísque nixi properiter nauem in fugam Tradunt. Virgilius Æneidos libro 5. Ipsæ iam matres, ipsæ, quibus aspera quondam Visa maris facies, & non tollerabile numen, Ire volunt, omnémque fugæ perferre laborem. Idem libro 4. Non fugis hinc præceps, dum præcipitate potestas? Idem libro 3. Tendunt vela noti, fugimus spumantibus vadis. Plautus Asinaria: Remigio, velóque, quantum potes, festina, & fuge. ¶ Fuga, *vehemens afflatus*. Virgil. Georgic. libr. 3. Ille volat, simul arua fuga, simul æquora verrens.

200 ¶ *Frigit*, correpta prima syllaba, significat *erigit*. Acc. Meleag. Frigit fricantem corpus aërium occultè abstruso in flumine. Idẽ eodem: Frigit æstas rubore ex oculis fulgens flammeo. ¶ Frigere & *frigutire est cum sono subsilere*. Plautus Casina: Nam quid frigutis? Nam quid istuc tam cupidè petis? Afranius Priuigno. Occasione certa mulier inuolat In collum, plorat, orat, occurrit nepos Poxillus neptis porrò de lecto frigit.

201 ¶ *Fingere*, est *iungere*. Lucillius libro 9. Eodem poculo bibo, eodem amplector, labra labellis fingens compono. ¶ Fingere, *componere*. Virgilius Georgic. libro 2. Persequitur vitem attondens, fingítque putando. Marc. Tullius de finib. bon. & malor. lib. 5. Vt alia in primo ortu perficere? alia progrediente ætate fingere. Lucill. libro 27. Item populum salute, & fictis versibus Lucillius, quibus potest, impertit. M. Tul. de offic. lib. 3. Fictam, & commentitiam fabulam prolatam dicunt à Platone. ¶ Fingere, *parare*. Lucillius libro 28. Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus. Va. Cato, vel deliberis educandis. Magnũ est enim, vt Ariston scribit, in primordio pueruli, quemadmodum incipiat fingat id quasi euadat. ¶ Fingere, *effigiare*, vel *formare*, & *facere*. M. Tul. de repub. lib. 4. Ego vero eodem, quo ille Homerum redimitum coronis, & delibutum vnguentis emittit ex ea vrbe, quam sibi ipse fingit. Idem de Deorum natura li. 2. Deinde in ore sita est lingua, finita dentibus: ea vocem immoderatè profusam fingit, & terminat. Virg. Æn. lib. 2. Nec si miserum Fortuna Simeon Finxit, vanum etiam, mendacem que improba finget. M. Tull. de offic. lib. 3. Virum bonum fingamus, de eius deliberatione, & consultatione qui primus. Sallust. Catiline bello: Quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. Plaut Asinaria: Nam néque fictum vsquam est, neque pictum, neque scriptum in poëmatis. Var. ταφῆ μενίππου. Vt hirũdines singulis oblitis luto tegulas fingebãt. ¶ Fingere, *simulare mendaciũ*. Afran. Fratriis: Nunc vide, hoc quo pacto eo aurum in medium proferam, Tu Castalia cogita, tu finge, fabricare vti libet. Virg. Geor. lib. 2. Non hic te carmine ficto, Atque per ambages. Terent. Andria: Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam. Virgilius libro 6. Vel cùm se pauidum contra mea iurgia fingit Artificis scelus. M. Tul. de finibus bonorum & malorum lib. 5. Talibus exemplis non fictæ solùm fabulæ, sed etiam historiæ refertæ.

202 ¶ *Faccinus*, *factum*. Sallustius Catilinæ bello: Qui aliquo negotio intenti preclari facinoris, aut bonæ artis famam quærunt. Terent. Heaut. Non fit sine periculo facinus magnum, & memorabile. M. Tull. de offic. lib. 3. Promissum potiùs nõ faciendum, quàm tam tetrũ facinus admittendum fuit. Et de senect. Nullum denique scelus, nullum malum esse facinus, ad quod suscipiendum nõ lubido voluptatis impelleret. ¶ Facinus, rursum *scelus*. Plaut. Aulu. Hoc est serui facinus. Sallust. Catil. bello: Sed in ea coniuratione fuit Quintus Curtius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinorib. coopertus. M. Tul. de offi. lib. 3. Ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus.

203 ¶ *Furtum*, est *occulta subreptio*. Vi. Geo. li. 3. Vulcani, Martísque dolos, & dulcia furta. ¶ Furtũ, *insidiæ*. Sallu. l. 1. Illò profectus viuos, castelláq. incendere, & fuga cultorũ deserta igni vastare, neq; elata, aut securissimis metu gentis ad furta belli peridoneæ. Vir. Æn. li. 11. Furta paro belli cõuexo in tramine syluæ, Vt ciuias armato obsidat milite fauces.

204 ¶ *Fures*, etiã serui dicti sunt. Vi. Bucol. Quid domini faciant, audent cùm talia fures?

205 ¶ *Fiducia*, *confidentia*. Vir. Æn. li. 9. Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerũ. ¶ Fiducia, est *audacia*. Sallust. li. 2. Ita fiducia, quam argumentis purgatiores dimittunt.

206 *Fatigare*, *cohibere*, *cõprimere*. M. Tul. de offi. li. 3. Qui nõ verbis sunt, & disputationib. philosoph. sed vinculis, & carcere fatigandi. ¶ Fatiga-

¶ Fatigare, *cōmouere, perturbare.* Vir. Æn.li.1. Quę mare nunc terrásq; metu, cęlūq; fatigat.

207 ¶ *Frigoris*, quæ sit significatio, manifestum est. Virg. Geor. lib.1. Frigúsque calorémque inter. Et Lucr. Frigus, vt à fluuiis, calor ab sole, æstus ab vndis Æquoris. ¶ Frigus, *metus.* Virgilius Æneid.li.1. Extemplo Æneæ soluuntur frigore membra. ¶ Frigus, *aeris naturæ.* Virg. Geor.li.2. At sceleratum exquirere frigus Difficile est.

208 ¶ *Frigidum, venenatum.* Virgil. Bucol. Frigidus in pratis cātando rumpitur anguis. ¶ Frigidus, *mortuus.* Virgil. Æneid. lib.9. Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen Frigidus. ¶ Frigidum, *segne, imbecille.* Virg. lib. 11. Largus opus, & lingua melior, sed frigida bello Dextera.

209 ¶ *Ferire*, vsū significat *percutere.* Virg. Bucol. Cornu ferit ille, caueto. M. Tul. de suppliciis: Feriuntur securi: lætaris tu in omniū gemitu, & triūphas. ¶ Ferire, *sancire, firmare.* Virg. Æneid. lib.10. Haud mora Tarcon Iungit opus, fœdúsque ferit.

210 ¶ *Fauere*, est *nutrire, prouehere.* Virgilius Georgic. lib.3. Hinc nescio qua dulcedine lætis Progeniem, nidósque fouent. Et Æneid. li. 1. Iam tum tendítque, fouétque. Lucil. lib.29. Ventrem alienum mœstum fouere exmolito ordeo, vti cataplasmo. ¶ Fouere, *adspergere.* Virg. libro 12 Fouit ea vulnus lympha longęuus Iapix. ¶ Fouere, *constituere.* Virg. Geor. li. 3. Sub terra fouere larem. Virg. lib.1. Et interdum gremio fouet inscia Dido, Insideat quantus miserę Deus. ¶ Fouere: *tueri.* Virg. Æneid. lib.9. Obuia non ferre arma viros, sed castra fouere.

211 ¶ *Fetum*, significat *plenum.* Virgil. Æn. lib.1. Loca feta furentibus austris. Et lib 2. Scandit fatalis machina muros Feta armis. Var. γνῶθι σεαυτόν: Nō videtis vnus vt paruulus Amor ardifera lampade. ¶ Fetū, *onere leuatū.* Virg. lib.9. Fecerat & viridi fetum Mauortis in antro. Et Georg. lib.3. Nec tibi feræ More patrum niuæ implebūnt mulctaria vaccæ. Var. de vita populi Rom. li.2 Mensæ anteponebantur cum culina ac vino, in quo quæ veniebant ad fetam amicę gratulatum, Diis mactabant.

212 ¶ *Fasces*, quam habeant significationem, manifestum est. Virg. Geor. lib.2. Illum nō populi fasces, non purpura regnum flexit. ¶ Fascem, *consulem* posuit. Virg. Georg. lib.2. Iniusto sub fasce viam dum carpit. ¶ Fascem, *onus.* Idem Bucol. Ego te hoc fasce leuabo. Idem Georg. lib.3. Vltróque animas sub fasce dedere.

213 ¶ *Fundere*, est *liquorem defundere.* Virg. Georg lib.3. Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho Fundit humi. ¶ Fundere, *prosternere, iacere.* Vir. Aenei.1. Quàm septem ingentia victor Corpora fundat humi. Et Aeneid. lib.2. Fusus sine mente sine vllo subiacerent. M. Tul. Philip. libro 1 Sceleratissimorum hostium exercitum fusum, cæsúmque cognoui. ¶ Fundere, *dare.* Virg. Bucol. Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores. Cic. Tusc. li.5. Vt aut flores, aut fruges fundant, aut baccas. ¶ Fundere, *dicere.* Virgi. Aeneid. li.3. Talia fundebat lacrymans. Plautus Asinaria: Næ illæ ecastor funerato fundit. ¶ Fundere, *fugare.* Virg. Aeneid. lib.2. Illi etiam siquos obscura nocte per vmbram fudimus insidiis, totáque agitauimus vrbe, Apparēt. ¶ Fūdere, *dimittere.* Virg. Georg. lib.4. Ruúntque effusi carcere currus. Et lib.10. Cristísque à vertice flamma Funditur.

214 ¶ *Filum, oris liniamentum.* Lucil. li.29. Surge mulier, ducito filum non malum. ¶ Filum dicitur *ducta re quaque ad tenuitatē.* Vir. lib.10. Extremáque Lauso parcæ fila legunt.

215 ¶ *Flagitiū, periculum.* Luci. li.29. Quiete poscente minus, & præbent rectius multo, & sine flagitio. ¶ Flagitiū veteres, *vitiū, quod virgini infertur,* dici voluerunt.

216 ¶ *Fides*, quid sit manifestū est. Vt Vir. Aeneid. lib 1. Cana fides, & Vesta, vt plerunq; fides chordæ appellantur. Tul. Hor. Ponendæ sunt fides, & tibiæ. & Vir. lib.6. Threicia fretus cithara, fidibúsque canoris.

217 ¶ *Facere*, apertam habet significatiam. ¶ *Facere rem diuinam*, religionibus exhibere. Plautus Aulularia: Mulsi, congialem plenam faciam tibi fideliam. Virg Bucol. Cùm faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

G

218 *Graue, grauidum.* Vir. Aen. li.1. Donec regina sacerdos Marte grauis. ¶ Graue, *plenum.* Virg. Buc. Non insueta graueis tentabunt pabula feras. Et Georg. libro 4. Et grauido superant vix vbere limen. Et Aen. lib.1. Tunc pietate grauem, ac meritis. ¶ Graue, *fecundum, ac frugiferum.* Vir. libr. 3 Quid labor aut benefacta iuuant? quid vomere terras Inuertisse graueis? Graue secundum consuetudinem, *ponderosum.* Virgilius Georgic. li.1. Vomis & inflexi primum graue robur aratri. Terent. Heaut. Hui tā graueis hos quæso? M. Tul. de offic. lib.1. Aut certè omni pondere grauior habenda est. ¶ Graue, *amarum.* Var Quinquatribus: Absynthium vti bibam grauem, & castoreum, leuéque robur? Virgil. Et graueolentia centaurea. ¶ Graue, *multum valde*, significare veteres probant. Titin. Psaltria: Grauíque opsonio conuiuas. Nam & grauiter multum intelligitur. Cæcil Plocio: Placere hoc cœpit grauiter, postquam est mortua. Acc. Deiphobo: Aut infando homine gnatula erat, aut arena, si ex sole, qui neque animo amicus vnquam grauis, neque hosti hostis fuit. Sallust histor. libro 3. Nāque

his præter solita vitiosis magistratibus cùm per omnem prouinciam in fecunditate biennij proximi graue pretium fructibus esset. M. Tul. de officiis libro 1. Nec verò audiendi grauiter qui inimicis irascendum putant. Lucret. lib. 1. Humana ante oculos fœdè cum vita iaceret, In terris oppressa graui sub religione. Varro γεροντοδιδασκάλῳ: Vbi graues pascantur, atque alantur pauonum greges. ¶ Graue, *grandæuum*. Virgil. libro 5. Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes. ¶ Graue, *molestum*. M Tullius de senectute: Quod nunquam senectutem tibi grauem esse senserim. In eodem: Faciliùs in morbos incidunt adolescentes, grauiùs ægrotant, tristiùs curantur. Sallust. lib. 2. Et continetur grauis. ¶ Graue, *nocens*. Virgil. Geor. lib. 3. Galbaneóque agitare graui. M. Tullius de offic. libro 4 Magnum illud bellum perfuga vnus, & grauem aduersarium imperij sustulisset. ¶ Graue, *triste*. Acc. Erigona: Sed vbi ad finem ventum est, in quo illum fers expectabat loco, ad quem Orestes grauis sacerdos ferro prompto adstiterat. Virg. lib. 12. Grauiórne nuntius areis Vulneret. Graue, *forte*. Vir. lib. 12. Ferit ense grauem Tymbræus Osirim. ¶ Graue, *vtile*. M. Tul. de offic. libro 1. Vt iam sint alia grauiora, atque meliora, tamen nos studia nostra naturæ regula metimur. ¶ Graue, *solidum & firmum*. Acc. Athamãte. Veneficiis, & egresia hostium deperisti, & graue. Idem Nyctegresia: Id quod facis, gratum, & graue est. M. Tul. Hortensio: Vnde ad agendũ, aut ad dicendum copia depromi maior grauissimorum exemplorum, quasi incorruptorum testimoniorum potest. ¶ Graue, *sapiens* cum auctoritate. M. Tul. de offi. lib. 1. Quæ grauis, & fortis ciuis, & in repub. dignus principatu, fugiet, atque oderit. Et Hortẽs. Quid enim aut Herodoto dulcius, aut Thucydide grauius? ¶ Graue, *necessariũ* Lucil. lib. 29. Habeásque animo mihi admodum caussam grauem fore, quæ me ab vllo commodo abducat tuo.

219 ¶ *Grassari*, dicitur *supramodum sæuire*. ¶ Grassari, etiam dicimus *ambulare*. Titinn. Veliterna: Vnde thensam, atque multos, sine eam pedibus grassari, cùm fingere eius superbiam. Nou. Pedio: Certamus si me diploidi à recta grassatur via. Idem Ped. Nunc me res ipsa reprimit, sæpe hæc eadem grassatus via. Sallust. Iugur. Quin vbi ad gloriã virtutis viã grassatur. Afranius Excepto: Consimisi grassantur via, à quibus hic est omnis cultus.

220 ¶ *Garrulæ*, dicuntur *aues canoræ, & hilares*. Virgilius Georg. libro 4. Garrula quàm tignis nidum suspendit hirundo. ¶ Garrulus, est rursum *cordatus*. Varro Periplus libro 1. In hac ciuitate tum regnabat Dionysius homo garrulus & acer.

221 ¶ *Gemini*, dicuntur *ex vno vtero, vno die editi*. Virg. lib. 9. Geminos huic vbera circum Ludere pudẽteis pueros. ¶ Geminum, rursum *simile*. Pacuuius Hermiona: Par fortitudo gemina confidentia. ¶ Geminæ, *dua*. Virg. lib. 6. Sunt Geminæ somni portæ, quorum altera fertur Cornea.

222 ¶ *Gerere, habere*. Virg. Æneid. lib. 2. Et nos aliquod noménque, decúsque Gessimus. ¶ Gerere, *ferre*. Vir. lib. 7. Bella manu, lectúmque gero. Et idem eodem: Læuáque ancile gerebat. ¶ Gerere, *facere*. Virg. lib. 9. Nec tecum talia gessi, Magnanimum Æneam, & fata extrema secutus.

223 ¶ Gradus, consuetudine sunt *per quos ad altiora domorũ, & ædificiorum omniũ scanditur*. Virgil. Æneid. lib. 1. Aerea cui gradibus surgebãt limina. ¶ Gradus, *pedum gradientiũ vicissitudo*. Virg. Geor. li. 4. Gradibúsq; sonare Compositis. ¶ Gradus, *firmitas standi*. M. Tullius de offic. lib. 1. Nec tumultuãtem de gradu deiiciunt.

224 ¶ *Gestire, cupere*. Lucillius libro xxx. Quanto haurire animus Musarum è fontibus gestu. ¶ Gestire, *lætũ esse*. Virg. Geor. libro primo: Et studio incassum videas gestire lauandi.

H

225 ¶ *Herba*, est *viride pecorum pabulum*. Virg. Geor. lib. 1. Et sulcis frumenti quæreret herbam. ¶ Herbã, veteres *palmam*, vel *victoriam* dici volunt. Virg. Georg. lib. 3. Atque immemor herbæ victor equus. Accius Meleagro: Gaudent, currunt, celebrant, herbam cõferunt, donant, tenent pro se quisque, cum corona clarum constat caput. Afranius Excepto: Fit opus luculentum, hoc dici herbam det.

226 ¶ *Habere, planum est quid significet, vt Virg. Æneid. lib. 4. Habeat secũ, seruétque sepulchro. Terent. Andria: Quod habui summum pretiũ persolui tibi. *Habere, *satis esse*. Virg. libro 12. Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis. *Habere, *tenere, occupare*. Virgil. Æneid. lib. 2. Hostis habet muros. Lucil. lib. xxix. Hoc tum ille habebat, & ferè omnem Apuliam. Plautus Aulularia: Postremò, hunc iam perscrutaui, nihil habet. Terẽt. Andria: Certè captus est, habet. ¶ Habere, rursus *habitare*, Sallust. Catilinæ bello: Credo falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur, diuerso intinere malos à bonis loca terra, inculta, fœda, atque formidolosa habere. Virg. Æneid. lib. 7. Quæ loca, quíve habeant homines. Afranius Excepto: Vbi hic me sis quæso habet meretrix Neapolitis. Accius Philoctete: Vbi habet vrbem, agróne. Plaut. Aulularia: Patri auóve huius, qui nunc hic habet. ¶ Habere, Terentius Eunucho: Labore alieno magnam partam gloriam Verbis in se transmouet, qui habet salem, Quod in te est. ¶ Ha-

est. Habere, *facere* sæpe. Varro ταφῆ μὴ ἵππευ. Saltem infernus tenebrosius κακοδαίμονας tenet, atque habet homines solicitos, quòd eum peius formidant, quàm fullo vlulam. M. Tul. de Repub. lib. tertio: Nam cùm quæreretur ex eo, quo scelere impulsum mare haberet infestum vno myoparone, eodem (inquit) quo tu orbem terræ. ¶ Habere, *audire*. Lucillius libro 29. Habes omnem rem, timeo ne accuset. Terent. Heautont. Habes omnem rem, pergam, quò cœpi, hoc iter. ¶ Habere, *dirigere*. Lucillius libro 29: Hic aliò cum iter haberet præteriens venit.

227 ¶ *Habitare*, est *inhabitare*. ¶ Habitare, *vti*. Varro sermone Latino libro 3. Vtrunque mulieres, & epicrocum viri quoque habitarunt. Idem rerum diuinarum li. 16. Hoc nomine antiquos secundis reb. Cumas habitasse.

228 ¶ *Hiare*, est *aperire*. Sallust. Hist. lib. 4. Atque hiauit humus multa vasta & profunda. ¶ Hiare, *mirari, stupere*. Virg. Georg. lib. 2. Hunc plausus hiantem, Per cuneos geminatus enim plebéísque patrúmque. Et Æneidos libro 6. Incertus clamor frustratur hianteis. Varro Marcipore: Quicunque euidenter circumstant non rident, credo ridere hianteis. Video hianteis, non audio.

229 ¶ *Horrendum*, significat *vitabile*, & *terribile*. Virgilius libro sexto: Horrendas canit ambages, antróque remugit. ¶ Horrendum, *nouum*, & *admirandum*. Virgilius Æneidos lib. tertio: Horrendum dictu, video mirabile monstrum. Idem libro 8. Nascenti cui treis animas Feronia mater (Horrendum dictu) dederat. ¶ Horrendum, *ridiculum*. Virg. Georg. lib. 2. Oráque corticibus sumunt horrenda cauatis.

230 ¶ *Haurire*, significat *exhaurire*, vel *implere*. Lucretius libro 4. Iuuat integros accedere fonteis, Atque haurire. Lucillius libro 30. Quantum haurire animus Musarum & fortia gestit. ¶ Haurire, *auarè sumere*. Cicero Tusc. libro 4. Cum inexplebili cupiditate, quò affluentiùs voluptates vndique hauriret, eo grauiùs, ardentiúsque sitientem. Virg. lib. 1. Ille impiger hausit Spumantem pateram, & pleno se proluit auro. ¶ Haurire, *defatigare*. Virgil. Georg. libro 3. Exultantiáque haurit Corda pauor pulsans. ¶ Haurire, *confodere*. Vir. libro 10. Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum. ¶ Haurire, *accipere*, vel *audire*. Virg. lib. 12. Haud mollia fatu Sublatis aperire dolis, simul hæc animo hauri. Et lib. 4. Vocémque his auribus hausi. ¶ Haurire, *tenere*. Virg. Georg. lib. 4. Et medium sol igneus orbem Hauserat.

231 ¶ *Honor*, est *dignitas*. Marc. Tull. Epist. ad Cæsarem lib. 1. Tu cum ea quæ es ab senatu summo cum honore tuo est secutus. ¶ Honor, *gratia*, & *pulchritudo*. Virg. Georg. lib. 2. Frigidis & *syluis Aquilo decussit honorem. Et Æneid. lib. 1. Luménque iuuentæ Purpureum, & lætos oculis afflarat honores. ¶ Honor, *substantia*, *delectatio*. Virg. Georg. libro 4. En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem. ¶ Honor, *cultura*, *obseruantia*. Vir. Ænei. lib. 8. Semper honore meo, semper celebrabere donis. ¶ Honor, *integritas*, *pudicitia*. Virg. Æneid. libro 1. Et rapti Ganymedis honores. ¶ Honor, *sacrificium*, litatio, Virgilius libro 8. Forte die solenne illo rex Arcas honorem Amphitryoniadæ magno, diuísque ferebat. Plautus Aulularia: Et quidem maiorem filium, Mihi honorem habere, quàm eius habuisset pater. ¶ Honos, *dilectus amor*. Virg. lib. 12. Per si quis Amaræ Tangit honos animum. ¶ Honor, *hostia*. Virgil. Æneid. lib. 3. Meritos aris iactabat honores. ¶ Honor, *præmium*. Virgil. lib. 5. Ipsis præcipuè ductoribus addit honores. Lucillius libro 30. Cuius cum vultu, ac facie, ludo, ac sermonibus nostris, Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem. ¶ Honor, *sepultura*. Virgilius libro 6. Cernit ibi mœstos, & mortis honore carentes. Lucillius lib. 28. Nullo honore displetu, nullo funere.

I

232 ¶ *Inuitare*, apertam habet significantiam. Virg. lib. 5. Celeri certare sagitta Inuitant, qui fortè velint, & præmia ponit. Terentius ἑαυτόν. Quam vellem Menedemum inuitatum nobiscum esset ampliùs. M. Tull. in Verrem actione 2. Rogat Rubrium, vt quos ei commodum sit, inuitet. Lucil. lib. 30. Contra hæc inuitasse, aut instigasse videntur. M. Tul. de senectute: Ad quem fruendum non modò non retardat, verum etiam inuitat, atque allectat senectus. ¶ Inuitari, est *delectari*. Virg. Georg. lib. 1. Inuitat genialis hyems curásque resoluit. Turpill. Trasileone Onera, mensam, talos, vinum, in hæc huiusmodi quibus rebus vita amat tum inuitari solem. Idem Philopatro: Locus ipse inuitat hercle hic Veneris. M. Tul. Hortensio: Voluptates autem nulla ad res necessarias inuitamenta afferunt senibus. Idem de Rep. Idque ipsa natura non inuitaret solùm, sed etiam cogeret. ¶ Inuitare significat *repleri*. Plautus Amphit. Mirum si inuitauit sese in cœna plusculum. Lucil. Pulcrè inuitati, acceptíque benignè. Turpil. Epicler. Non inuitat plusculum hic sese vt solet. Idem Leucadia: Inuitauit plusculum hic sese in prandio. Sallust. Hist. lib. 4. Reuersi postero die, multa quæ properantes deseruerant in castris nacti, cùm se ibi cibo vinóque læti inuitarent. Lucillius 30. Citò enim benè longinquum mortalibus morbum In vino esse, vbi qui inuitauit dapsil iùs se. Varro Sesquiulysse: Ipsum audi vino inuitari poculis large atque benignè.

233 ¶ *Iuxta*, est *proximè*. Vir. Æneid. lib. 3. Humilis volat æquora iuxta. ¶ Iuxta est, *coniunctim*. Varro de vita populi Rom. lib. 1. Cùm interea in lucubrando faceret iuxta ancillas lanam. ¶ Iuxta rursum, *similiter*. Sallust. Iugurthæ bello: Hyemem, atque ęstatem iuxtà pati. Plautus Trinummo: Iuxtáque eam curo cum mea. Varro Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων. Qui potest laus videri versa cùm motus sæpe furaces essemus atque nequissimus ibis iuxtà, ac P. Africanus. Plautus Aulularia: Dixi tibi mater, iuxta mecum rem tenes.

234 ¶ *Insolens*, *impudens*, & *audax*, dicitur consuetudine. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem lib. 2. Insolens, arrogans, iactans. Idem de senectute: Nec certè verendum ne vera prædicans de se nimis videatur aut insolens, aut loquax. ¶ Insolens rursum, *non solens*. Terent. Andria: Quid tu Athenas insolens? Pacuuius Atalanta: Quæ ęgritudo insolens mentem attentat tuam? Turpilius Demetrio: Timere occœpit interdum oscitarier ineptus. Quid mihi vellem, ex insolentia nesciebam. Idem Leucad. Quem olim oderat, sectatur vltrò, ac detinet, Ille insolens autem vt fastidit carnifex? Accius Diomede: Ita è fletu, & tenebris obstinatiùs. Speciem amissi luminis conspiciunt insolentem. Sallust. Catilina: Quæ tametsi animus aspernabatur insolēs malarum artium. Cic. Orat. Sed me hercule istius disputationis insolentia, atque earum rerum, quæ quasi in arte traduntur inscitia.

235 ¶ *Ingenium*, est *naturalis sapientia*. Sallu. Catilinæ bello: Ingenium nemo sine corpore exercebat. ¶ Ingenium veteres dixerunt, & *sua sponte* vel *natura*. Næuius Lycurgo: Vos qui regalis corporis custodiam Agitis, ite actutum in frondiferos lucos, Ingenium arbusta vineta sunt, non obscuritas. Sallust. Hist. li. 3. Castrísque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. Virg. Georg. lib. 2. Nunc locus aruorum ingeniis quæ robora cuique, Quis color.

236 ¶ *Immane*, significat *ingens*. Virg. lib. 6. Posuítque immania tēpla. ¶ Immane, *fœdum*. Accius Andromeda: Immane te habeat templum, obuallatū ossib. ¶ Immane rursum *minimè bonum*, & *nocens*. Accius Medea: Prima ex immani victū ad mansuetum applicans. Virg. Georg. lib. 4. Immane ante pedes hydrum moritura puella. Accius Philocteta: Phrygiā minorē esse immanē Græciā. M Tul. de rep. lib. 4. Quippe si ita sensit, vt loquitur, est homo impurus: sin aliter, quod malo oratio est tamē immanis. Idem de offi. lib. 1. Quo detestabilior eorum immanitas, qui & lacerauerunt omni scelere patriam. Vir. Æn. lib. 1. Pygmalion scelere ante alios immanior omneis. Var. Meleagris: Adde hydram Lernæam, & draconem Hesperidum, quòd bestiæ fuerunt immanes.

237 ¶ *Intestatus*, est *qui sine testamento perit*. ¶ Intestatus est rursùm, *cuius verbis fides non habetur*. Pomponius Pictoribus. Ipsius cum vno seruo senex intestato proficiscitur.

238 ¶ *Inuadere*, est *appetenter incipere*. Virgil. li. 12. Aut pugnam, aut aliquid iamdudū inuadere magnum. Lucillius lib. 30. Vt semel in cęli pugnas te inuadere vidi. ¶ Inuadere rursum, *quasi in vadum ruere*. Acc. Athamāte: Vt profugiens hostem, inimici inuadam manus.

239 ¶ *Iubere*, est cogere, aliquid vt fiat. Vir. lib. 11. Ac Nisum dicere iussit. ¶ Iubere, est *velle*, Lucil. Satyr. lib. 6. Saluere iubere. ¶ Iubere, *salutem mittere amico*. Terent. Andria: Iubeo Chremetem. Virgil. Æn. lib. 3. Sed votis, precibúsque iubent exposcere pacem.

240 ¶ *Impurus*, est *aliquo vitio maculatus*. M. Tul. in Verr. actione 2. Quàm multis istū ingenuis, quàm multis matribus familiâs in illa terra, atque impura legatione vim attulisse existimatis? Lucil. lib. 26. Coniugē infidámque, flacitā familiam, impurā domum. ¶ Impurus, *improbus*. M. Tul. de Rep. li. 4. Sed menti vtiq; nostræ minimè audiēdus. Quippe si ita sensit, vt loquitur, est homo impurus. Terē. Eun. Mei loci, atq; mei ordinis, hominē haud impurum.

241 ¶ *Imbuere*, est *intimare* vel *initiare*. Var. Ephebo περὶ ἐμμονῆς. Quid te facere oportet litteris imbutum solis Mineruæ? M. Tul. de offi. lib. 1. Plerique autem parentum præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem, moresque deducimur. Virg. lib. 7. Promissi dea facta potēs, vbi sanguine bellum imbuit. ¶ Imbuere, est *inficere*, Accius Philocteta. Cùm ex viperino morsu venæ viscerum Veneno imbutæ tetros cruciatus cient: Hoc in doctis intellectibus habemus. Cicero de finibus bonorum & malorum: Accedit mors, quæ quasi saxum Tantalo semper impendet: tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse nunquā potest.

242 ¶ *Ilico* significat, *statim*, *mox*. Pacuuius Medo: Repudio auspiciū, regrediundū est ilico. Cæcilius Notonicassione: Ilico ante ostiū hîc erimus. ¶ Ilico, *illó*. Turpilius Leucadia: Sed quam longè est cùm isti ilico, id est, in eū locum Nęuius belli Pœnici lib. 6. Septimumdecimum annum ilico sedent Accius Eurysace: Ilico, inquā, habitat ouis, quam propitius. Cassius Hemina lib. 1. Et quia quò irent, nesciebant, ilico manserunt. Idem: His persuadet, vt ilico manerent pars ilico manent. Cęcilius Notonicassione. Manete ilico.

243 ¶ *Ignoscite*, est *veniā date*. Vir. Geor. li. 4. Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes. ¶ Ignoscite rursum *noscite*, vel *discite*. Var. Gloriā περὶ φθόνου. Vósque in theatro, qui voluntatem auribus. Huc aucupatum concurristis domo, Adeste, id est à me, quæ ferā, ignoscite, Domum vt feratis è theatro litteras.

244 ¶ *Iter*, est *via*. Virgil. lib. 6. Hac iter Elysium nobis. ¶ *Iter*, *nauigatio*. Terent. Hecyra: Ain'

ra: Ain' tu tibi hoc incōmodum euenisse iter? Non hercle verbis Parmeno dici potest [tantùm,] Quantū re ipsa nauigare incōmodū est.

245 ¶ *Innocens*, est *bonum, & nulli nocens*. Virgilius Æneidos libro 3. Litúsque rogamus Innocuum. ¶ Innocens, rursus *integer & incorruptus*. Sallust. Iugurtha: Vbi, quę Metellus agebat, ex nuntiis accepit, simul de innocentia eius certior Roma factus, diffidere suis rebus, ac tum demū veram deditionem facere conatus est.

246 ¶ *Indulgere, augere*. Lucil. lib. 29. Tu qui iræ indulges nimis, Manus à muliere abstinere melius est. ¶ Indulgere, *veniam dare*. Virg. lib. 10. Tolle fuga Turnum, atque instātibus eripe fatis. Hactenus indulsisse vacat. ¶ Indulgere, *dare, detinere*. Vir. Æneid. li. 4. Indulge hospitio, caussásque innecte morandi. Et eodem: Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos. ¶ Indulgere, *spatium maius dare*. Vir. Geor. li. 2. Sin tumulis accliue, solum collésque supini. Indulge ordinibus. ¶ Indulgere, *temperare, clementē esse*. Virg. Geor. lib. 2. Si nō tanta quies iret, frigú'q. calorémque Inter, & exciperet cæli indulgentia terras. M. Tullius de officiis lib. 3. Magnus vir in primis, & qui per indulgens in patrem idem acerbè seuerus in filium.

247 ¶ *Inane, vacuum: sine pondere*. Vir. Geor. lib. 3 Atque illis iam sæpe rotæ ducantur inanes. ¶ Inane, *concauum*. Vir. lib. 5. Galeam ante pedes proiecit inanem. ¶ Inane, *vacuum* siue leue. Vir. Georg. li. 4. Instabileis animos ludo prohibebis inani. Et Æneidos lib. 4. Et inania murmura miscent.

248 ¶ *Iacet*, significantiam habet manifestam. Vt Virg. Bucolicis: Silenum pueri somno videre iacentem. Et, Strata iacent passim sua quęque sub arbore poma. M. Tul. de suppliciis in Verrem: Patris hi, quos videtis, iacebant in limine. ¶ Iacet, *plenum est, oneratum*. Virg. Georg. lib. 5. Sed iacet aggeribus niueis informis & alto Terra gelu latè. ¶ Iacet, per *plurimum porrigitur*. Vir. Geor. li. 3. Tantum campi iacet. ¶ Iacet, *sordet*, nec lętus est. Lucil. lib. 30. Et sua perciperet retrò relicta iacere. Lucretius lib. 1. Humana ante oculos fœdè cùm vita iaceret in terris. ¶ Iacere, significat *emittere*. Vnde & iaculum. Vir. li. 5. Sublatáq; procul dextra connixa coruscat, Et iacit. M. Tul. in Verrem de signis: In quem scyphum de manu iacere conatus est.

249 ¶ *Iacit* habet, *ponit*. Virg. Georg. lib. 4. Omnis in hanc certam regio iacit arte salutē. M. Tull. Philippicarum lib. 1. In quo templo quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis. ¶ Iacit, *facit*. Lucil. li. 26. Aggere in iaciendo, si quo est vineis actis opus.

250 ¶ *Improbum*, sicuti est manifestum, est *minime probum*. Cicero Epistol. ad Cæsarem libro 1. Debes odisse improbitatem eius, quia impudentissimum nomē delegerit. ¶ Improbum, *sæuum*. Virg. lib. 10. Lauit improba teter Ora cruor. Et Geor. li. 3. Tum piscibus atram Improbus ingluuiē, ranísque loquacibus explet. Lucilius lib. 30. Improbior multò, quàm de quo diximus antè: Quanto blandior, hoc tantò vehemētiùs mordet. ¶ Improbum, *turpe*. Lucilius lib. 30. Omnes formosi, fortes: ergo improbus esto.

251 ¶ *Iactare*, est *dimittere, dependere*. Virg. libro 7. Et dextro iactura recumbit in armo. ¶ Iactare, *voluere*. Virg. Æneid. lib. 1. Atque illum taleis iactantem pectore curas. ¶ Iactare, *plagis sternere*. M. Tul. in Verrem actione 2. Iactatur domi suæ vir primarius, & homo honestissimus, pro se quisque manus affert. ¶ Iactare, *fatigare*. Virg. Æneid. lib. 1. Iactatos æquore toto Troas. Et, Iactetur odiis Iunonis iniquæ. ¶ Iactare, *ambitiosius gloriari*. Virg. libr. 6. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus, Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris. Idem lib. 10. Ecce paro, voces dum iactat inerteis. Lucil. lib. 18. In re iactanda ipsa ridicula id atque adsederet. ¶ Iactare, *iactata mittere*. Virgil. Æneid. lib. 3. Et flammas, ac lumina iactant. ¶ Iactare, *excutere, commouere*. Varro Eumenidibus: Tibi nūc semiuiri teretem comam volantem iactant tibi Galli.

252 ¶ *Inuoluere*, significat *volutū superimponere*. Vir. Geor. li. 1. Scilicet atq. Ossæ frōdosum inuoluere Olympum. ¶ Inuoluere, *tegere*. Vir. Æneid. li. 2. Vertitur interea cælū, & ruit oceano nox Inuoluens vmbra magna terrámque, polúmque. Mirmidonúmque dolos. ¶ Inuoluere, *implicare*. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem lib. 1. Sed quod videret nomine pacis bellum inuolutum fore. ¶ Inuolutum, *occupatum, comprehensum*. Varro Sexagesi: Adest fax inuoluta incendij.

253 ¶ *Interpres*, dicitur *obscuri dissertor*. Vir. Æneid. libro 3. Troiugena interpres diuûm, ¶ Interpres, *auctor*. Virgilius Æneid. libro 4. Túque harum interpres curarum, & conscia Iuno.

254 ¶ *Imponere*, significat *supra ponere*. Virgil. Æneid. libro 4. Vidit Thuricremis cum dona imponeret aris. ¶ Imponere, *dare*. Virgil. Æneidos libro IIII. Finémque imponere curis.

255 ¶ *Intentū, solicitum, suspensum*, solicitè, diligenter intuentem. Virgilius lib. 5. Intenti exspectant signum. ¶ Intentum, *extensum*. In eodem: Confidunt transtris, intentáque brachia remis.

256 ¶ *Intendere, innectere, illigare*. Virgilius Æneidos lib. 2. Et stuppea vincula colli Intendunt. M. Tullius Hortensio: Quæro enim non quibus intendam rebus animum; sed

quibus relaxem. Idem de supplicis; Tabernacula carbaseis intenta velis collocabat. Et de senectute: Intentum enim animum tanquam arcum habebat, nec languens succumbebat senectuti.

257 ¶*Imago* dicitur *similitudo*. Virgil. Æneid. lib. 2. Atque ipsius vmbra Creusæ. Visa mihi ante oculos, & nota maior imago. ¶Imago, *vagina*, Vir. 7. Curuam seruans sub imagine falcem.

258 ¶*Increpitat*, & *increpat* paria sunt: & est aut incusare, aut insultare. Virgil. Geor. lib. 4. Æstatem increpitans seram. Et lib. 10. Hostis amare, quid increpitas, mortémque minaris? Et libro nono: Quem Turnus pariter cursu, telóque secutus Increpat his victor. M. Tull. Hortensio: Tum Pseudomenus, & soritam, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas. ¶Increpare, *sonare*. Virg. lib. 8. Iterum atque iterum fragor increpat ingens. Et libro nono: At tuba terribilem sonitum procul ære canono Increpuit.

259 ¶*Inuehi*, dicitur *vehi*. Virgil. lib. 5. Centauro inuehitur magna. ¶Inuehi, *aggredi, increpare*. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem libro 3. Itaque in eum palàm vehementer est inuectus.

260 ¶*Immittere, dimittere ad prolixitatem*, Lucillius li. 20. Neque barbam immiseris istam. Virg. Æneid. lib. 3. Respicimus, dira illuuies, immissáque barba.

261 ¶ *Inducere, fingere, immittere*. M. Tull. de offi. lib. 3. Hinc ille Gyges inducitur à Platone. ¶ Inducere, *persuadere*. Lucil. libro 28. Hymnis ego animum sic induco, quod tu ab insano auferas, ¶Inducere, *instituere, confirmare*. Lucillius libro 27. Ad quod animum induxit semel, & vt ille omnino putat. ¶ Induci, *delectari*. Lucillius lib. 26. Veterem historiam inductus studio, scribis ad amores tuos. ¶Induci est *aliquibus fallaciis decipi*. Lucil. lib. 30. Quid quærimus acre Inductum cantu, custoditum.

262 ¶*Insultare*, dicitur *insilire*. Virg. Geor. lib. 3. Insultare solo, & gressus glomerare superbos. ¶Insultare, *iniuriosius aliquid dicere*. Lucil. libro 29. Insulta miseram te quoque in me.

263 ¶ *Interficere, occidere*. Lucillius lib. 29. Priùs non tollas, quàm Tulli animum ex nomine, atque hominem ipsum interfeceris. M. Tull. de offic. libr. 3. Ab iisdémque, quæ nocent, interficiuntur. ¶Interficere, *perdere, concremare*. Virgil. Georg. lib. 4. Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes. ¶Interficere, *consumere, finire*. Lucil. libro 28. Piscium magnam, atque altilium vim interfecisti, vt nego.

264 ¶*Interpellare, dicere, ducere* Lucil. libr. 28. Verùm tu quid agis? interpella me, vt sciã: ¶Interpellare, *adire, commouere*.

265 ¶ *Ire*, est *ambulare*. Virg. Georg. lib. 3. It tristis arator. ¶Ire, *incumbere*. Lucil. lib. 28. In medium Chremes, in summum ire addemenetus.

296 ¶*Insigne*, dicitur *magnum, vel præstans*. Vi. Æneid. libro 1. Insignem pietate virum. ¶ Insigne, *vtile, necessarium*. Luc. 27. Cocus non curat caudam insignem esse, illa dum pinguis fiet. Sic animum amici quærunt, parasiti autem diuitias.

267 ¶*Impedire*, est *implicare, inuoluere*. Vir. li. 5. Haud aliter Teucrûm nati vestigia cursu Impediunt. ¶Impedire, *sordidare, ac probrum ducere*. Plautus Amphitryone: Immo hunc ego Thebani ciues, qui domi vxorem meam Impudicitia impediuit.

L

268 ¶*Læuum, aduersum*. Virgilius Bucolicis: Sæpe malum hoc nobis, si meus non læua fuisset. ¶Læua, *prospera*. Virg. Georg. lib. 4. Si quem Numina læua sinunt, audítque vocatus Apollo.

269 ¶ Lac, *succus maternus, quo animalia nutriuntur*. Virgi. Bucolicis: Et lac subducitur agnis.

270 ¶*Lactes*, dicuntur *intestina*. Titin. Psaltria: Farticula, cerebellum, lactes agninas. Plau. Curc. Ita cibi vacuitate venio laxis lactibus. Idem Pseudolo: Vna opera alligem fugitiuum canem agninis lactibus.

271 ¶ *Legere*, sicut est in consuetudine, significat, *oculis scripta percurrere*. Virgil. Bucolicis: At simul heroum laudes, & facta parentis Iam legere. ¶ Legere, *accedere*. Virgil. Georg. lib. 2. Ades, & primi lege litoris oram. Et Æneid. lib. 11. Implicuere inter se acies, legítque virum vir. ¶Legere, *rursum colligere*. Titin. Veliterna: Hodie hostes fugauit, spolia placidè posteriùs leget. Virg. lib. 10. Extremáque Lauso Parcæ fila legunt. Et Georg. li. 1. Atque omnis nauita ponto Humida vela legit. Cæcilius Fallacia: Offiulatim Parmenonem de via liceat legam. Varro Virgula diuina: Sed pancarpineo cibo coacto Libamenta legens caduca victus. ¶Legere, *præterire* Virgilio auctore dicimus Æneidos libro 3. & lib. 5. Litoráque Epeiri legimus. Et, fractósque legunt in gurgite remos. ¶Legere, est *nauigare*, pręstringere. Vir. Æneid. li. 2. Pars cætera pontum Ponè legit. ¶Legere, etiam *eligere* dicitur. Idem Bucolicis: Ipse ego cana legam tenera lanugine mala. Turpil. Epiclero: Quoniam legere te optimum esse atque æquissimum, qua cum ætas vegeta, & iubendum esse tibi. M. T. de offi. libro 3. Cætera autem, quæ secundum naturam esse in vita legere, si ea virtuti non repugnare diligentiùs intendentes inuenimus lege-

Legere, *surripere* significat. Vnde & sacrilegium dicitur, id est, de sacro furtum. Virgil. Bucolicis: Nam quæ sublegit tacitus tibi carmina nuper. Turpil. Boëthũtibus: Qui verba venatur, mea pestis ars cædat, & sermonem hinc sublegam. Lucil. lib. 28. Omnia viscatis manibus leget. Plaut. Aulul. Sed leno egreditur foras. Hinc ex occulto sermone satus sublegã. Legere, *rursum videre*; hoc & aquilegi. Virgil. Æneid. lib. 6. Quin protinus omnem Perlegerent oculis, ni iam præmissus Achates Afforet. Et eodem: Longo ordine possent Aduersos legere.

272 ¶ *Lustra*, dicuntur *ferarum habitacula*. Virgil. Georg. lib. 2. Non absunt illic saltus, ac lustra ferarum. Et Æneid. lib. 3. Cùm vitam in syluis inter deserta ferarũ Lustra, domósque traho. ¶ Lustra etiam *lupanaria* dicuntur. Plaut. Asinar. Lustris studet. Idẽ, Apud scortum corruptelæ, & liberis lustris studet. Idem Casina: Vbi in lustra iacuisti? Egóne in lustra? Turpillius Lindia: Quibus te in rebus despoliasti fœdũ, in lustris latet. Afranius Priuign. Vxorem quærit firmamentum familiæ, Scias abesse ab iis lustris ingenium procul. Cicero Philipicis libro 2. Cùm omnes impuritates, impudica in domo quotidie susceperis, vino lustrísque confectus.

273 ¶ *Linquere*, est *dimittere*. Virg. Æneid. lib. 3. Linquimus Orthygiæ portus, pelagóque volamus. Et lib. 9. Inque salutatam linquo. Varro ταφὴ Μενίππου: Illæ nobiles quondam canes hinc liquit homines omnes in terra p la. ¶ Linquere, *defluere*, Virg. Georg. lib. 2. Hinc summis linquuntur rupibus amnes. Idem Æneid. lib. 3. Nam quæ prima solo ruptis radicibus arbos Vellitur, huic atro linquuntur sanguine guttæ

274 ¶ *Limare*, *exquirere*, & *delinire*, secundum consuetudinem à lima dictum. Plautus Menæchmis: Ianuam lima proterunt. Idem Bacchidibus: Limaces viri, quòd atterant, & consumant. ¶ Limare etiam dicitur *coniungere*. Plautus Bacchidibus: Nec cum quoquam acceperis alio mercedem annuam iussi abesse, nec cum quoquam limares caput. Idem Scematico: Nam pater tuus nunquam cum illa etiam limabit caput. Liuius Tereo: Credito cùm illos soli mea voluntate nunquam limauit caput. Cæcil. Pausimacho: Hoc à te postulo, Ne cũ meo gnato post hac limassis caput. Turpilius Leucadia: Veritus sum, Ne amoris caussam cum illa limassis caput.

275 ¶ *Liquidum*, *suaue*, *dulce*. Varro Eumenidibus: Frigus per ossa cornus liquida canit anima. ¶ Liquidum, est *purum*. Virgilius libro sexto: Liquidúmque per aera lapsæ. Varro Serrano, περὶ ἀρχαιρεσιῶν: Hunc vocas, sed & liquida vita incuriæ vestræ fecem. ¶ Liquidum, *prosperum* Plautus Pseudolo: Ab sinistra auspicio liquido, atque ex sententia Confidentia est inimicos meos non posse perdere. ¶ Liquidum, rursum significat *molle & fluxum*. Plautus Milite: Liquidius, cultiúsque, quàm ventus est fauonius. Idem Casina: Quondam prognatis in sortiendo sors delicuerit. Varro Diuinarum rerum libro tertio: Lucius Scipio, cùm aurum factum haberet vt vinea fulmine, ita est ictus, vt ista esset integra, aurum colliquisset. Idem de proprietate scriptorum: Quid est tanti, aut quid aliud eius generis feruefactum colliquisset, & in forma esset infusum? Virgilius Æneid. libr. 1. Aut cùm liquentia mella Stipant. Næuius Lycurgo: Iam solis æstu candor cùm liquesceret. ¶ Liquerit significat *reliquerit*. Accius Stasiast. Cum subidæ delio de lore hoc animo corpus liquerit. Næuius Belli Pœnici lib. 2. Blandè & doctè percontaris, quo pacto Troiam vrbem liquerit.

276 ¶ *Laudare*, est *verbis efferre*. Virgilius: Laudato ingentia rura. ¶ Laudare etiam significat *nominare*. Virgilius Georgic. libro 2. Aut illaudati nescit Busiridis aras? id est, nec nominãdi. Plaut. Captiuis: Id vt scias, Iouem supremum testem laudo, Hegio.

277 ¶ *Lustrare*, *expiare*. Virgilius Bucolicis: Et cùm solennia vota Reddemus nymphis, & cùm lustrabimus agros. Lucillius Satyrarum libro secundo: Lustratus, piatus. ¶ Lustrare, *circumspicere*. Virgilius Æneid. lib. tertio: Omnia collustrans, hanc primo ab littore classem Conspexi venientem. Cicero Tusculam. libro quinto: Ego autem omnia collustrarem occulis. Est enim ad portas Agragianas. ¶ Lustrare, est *circumire*. Virgilius libro 8. Lustrat Auentini montem. Næuius Ægistho: Tum autem lasciuum Nerei simum pecus Ludens ad cantum clausum lustratur. ¶ Lustrare, *sequi*. Virgilius Bucolicis: At mecum raucis tua dum vestigia lustro. ¶ Lustrare, *patefacere*. Sallustius Catil. libro 1. Si lustrantur, si erumpunt omnia, muta iam istam mentem. Virg. Æneid. libro 4. Posterea Phœbea lustrabat lampade terras. ¶ Lustrare dicimus & scortari, *à lustris*. Plautus Pseudolo: Luxantur, lustrantur, comedunt quod habent. Lucillius lib. xxx. Quem sumptum facis in lustris circum oppida lustrans. ¶ Lustrare, *perspicere*, *agnoscere*. Virgilius lib. 8. Ille os, oculósque loquentis Iamdudum & tacito lustrabat lumine corpus. M. Tull. de offic. lib. 3. Sed cùm omnia ratione, animóque lustraueris.

278 ¶ *Limen*, *locus standi datus*. Virg. lib. 6. Corripiunt spatio audito, liménque relinquunt. ¶ Limen, *omnis ingressus*. Virg. Æneid. li. 2. Limen erat, cæcæque fores, & peruius vsus. Varr. Virgula diuina: Ad quos cùm volucris venti, vt eos vsque ad limina nitidabilis.

¶ Limen non solùm, quod subpedibus est, dicitur, sed etiã quod *superius est ingressus*. Nou. Macco exsule: Limen superũ, quod mihi misero sæpe confregit caput: inferum autem vbi ego omneis digitos defregi meos.

279 ¶ *Lauare, soluere.* Virgil. Æneid. lib. 2. Atque arcta leuari Vincla iubet Priamus. ¶ Leuare rursum, *releuare*. Cic. Tusc. lib. 5. Alia nulla potuit inueniri leuatio. Virg. Bucol. Ego hoc te fasce leuabo. M. Tul. Epist. ad Cæsarem: Iam amplitudinem, gloriámque tuam magno mihi ornamento fore existimo, quòd me leuas cura. Pacu. Periboea: Neque tuum te ingenium moderat, neque fraternum ita exsilium leuat. Var. Virg. diu. Quos nos iacta nouo leuata pascat. ¶ Leuare etiam *minuere*. Acc. Meleagr. Caue lassitudo poplitum cursum leuet. Idem Nyctegresia: Illos suapte induxit virtus: tu laudem illorum leuas, Var. περὶ ἐξαγωγῆς: Quénnam te esse dicam ferã, qui manu corporis feruidos fontium aperis lacus sanguinis, téque vita leuas ferreo ense? Virg. Geor. lib. 2. Omne leuandum Prodimus. Turpil. Demet. Nunc me ex aliorum ingeniis iudicat, Intercapedo quorum amicitias leuat. Var. Quinquatr. Absynthium vti bibam grauem, & castoreum, leuémque robur.

280 ¶ *Lautum*, significat *lotum*. Terẽtius Phorm. Tene ad symbolum venire vnctum, atque lautũ è balneis? ¶ Lautum, *nudum*. Lucil. lib. 26. Malis necesse est lautum è mensa purè capturus cibum. ¶ Lautũ, *abundãs, competens*. Var. γεροντοδιδάσκαλος: Video quòd habeat satis, si vix putant lautum. ¶ Lautum etiam *inquinatum*, vel *maculatum*. Virg. Geor. lib. 3. Lauit ater vulnera sanguis. Acc. Stasiastis: vel Tropæo: Vulnere tetro deformatum suo sibi lautum sanguine tepito. ¶ Lautum, *elegans, suaue*. Terẽt. Eunucho: Facetè, lautè, lepidè, nihil suprà. Afran. Vopisco: Equidem te nunquã mihi Parasitum, verùm amicum, æqualem atque hospitem Quotidianum, & lautum etiam conuiuam domi. M. T. in Verrem actione 2. Romam vt ex Sicilia redii, comites istius, atque amici, homines lauti, & vrbani. Et Hortens. Quæ est igitur philosophia? Socrate nec dubito quid, quæcũque sit lautitia, cui ictum elegantem magnificè, neq; minus quàm deceret, colere instituissent.

281 ¶ *Lentum*, significat *tardum*. M. Tul. de repub. li. v. Marcellus vt taceret pugnax; maximus vt consideratus, vt lentus. Et Hortens. Hunc Crassum qui lentiùs (vt scitis) dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse. ¶ Lentum, *securum, otiosum*. Virgil. Bucol. Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in vmbra. ¶ Lentum, *flexuosum*. Virgil. Bucol. Lenta salix quantum pallẽti cedit oliuæ. Idem Geor. 1. Atq; Amerina parant lentæ retinacula viti. ¶ Lentum, *patiens, placidum*. M. Tul. Hortensio: Qui, cùm plublicas iniurias lentè tulisset, suam non tulit. ¶ Lentum, *facile*. Lucyl. Satyr. li. 11. Cotta senex Crassi pater huius Pauæti Magnus tritico fuit nũmarius soluere nulli Lentus ¶ Lentum, *tenax*. Plautus Menæchmis: Nimis lenta sunt vincula. Virg. Geor. lib. 4. Et visco, & Phrygiæ seruant pice lentiùs Idæ. ¶ Lentum, *frigidum*. Virg. Geor. lib. 1. Nocte leues melius stipulæ, nocte arida prata Tondẽtur, noctis lentus nõ deficit humor. Cic. Orat. li. 2. Neque enim est facile perficere, vt irascatur ei, cui tu velis, si vel iudex, vel ipse ferre id lentè videare.

282 ¶ *Locus, decus* significare vult Accius Diomed. Non genus virum ornat, generi vir fortis loco. ¶ Locus, significationis manifestæ est. Vir. Æneid. li. 3. Hæc loca vi quõdam. Et: Hic locus vrbis erit. ¶ Locus *genus, nobilitas, dignitas*. Ac. Eurysace: Atque, vt vides, non tenui de loco. Sallustius Catilina: Natus haud obscuro loco.

283 ¶ *Languor*, est *torpor*, & *inertia*. M. Tul. de offi. li. 1. Nihil autem magis cauendum est senectuti, quàm ne languori se, desidiæque dedat. Languor, *defectio*, & *dissolutio*. Vir. li. 9. Purpureus veluti cùm flos succisus aratro Languescit moriens. Idem lib. x. Qualem virgineo demessum pollice florem, Seu molles violæ, seu languentes hyacinthi.

284 ¶ *Longum*, est *per planũ porrectum*. Vir. Georg. li. 3. Tum longo nullus lateri modus. ¶ Longum, *altum, erectum*. Virg. Æneid. lib. 9. Stant longis innixi hastis, & scuta tenentes. ¶ Longum, *diuturnum, perseuerans* Vir Æne. libr. 3. Et longum Andromache testatur amorem. ¶ Longum, *sæuum, perniciosum*. Virg. Æneid. lib. 1. Infelix Dido, longúmque bibebat amorem.

285 ¶ Longè etiam *valde*. Virgil. libro v. Ante omnes stupet ipse Dares, lõgéque recusat M. Tul. in Verrem de prætura Siciliensi: Hic longè primus ciuitatis est Epicrates. Et de offi. lib. 1. In his & nobilissimi philosophi longè principes. Lucil. lib. xxx. Cui vbi deciminutia meæ epitegina appedi longè opera ante alia omnia. Sisen. Hist. lib. 4. Egregias & longè præstantes, ac metuendas aduersariorum opes esse. Terentius Adelph. Et errat longè, mea quidem sententia. ¶ Longè etiam significat aut *temporis prolixitatem*; vt Virgil. Geor. li. 2 Nec longum tempus, & ingẽs Exiit ac cælũ ramis fœlicibus arbos. Aut *spatij æstimationem*. M. Tul. in Clodium, & Curionem: Credo, postquam tibi speculum allatum est longè, & à pulcris abesse sensisti. Virg lib. 12. Longè illi Dea mater erit, quæ nube fugacem Feminea tegat.

286 ¶ *Luxuria*, est *cõtra pudorẽ, & supra modum profusio*. M. Tul. de offi. li. 1. Intelligimus quàm sit turpe diffluere luxuria, delicatè ac molliter

molliter viuere. ¶Luxuria *intẽpestiua abundãtia* Vir. Geor. li. 1. Luxuriem segetum tenera depascit in herba. M. Tul. de Orat. lib. 1. Et omnis luxuries stilo depascenda. Vir. Georg. lib. 1. Aut si luxuria foliorum exuberat vmbra. Cic. de Orat. Gemmare vites, sitire agros, lætas segetes, luxuriosa frumenta.

287 *Laxum, liebrum, & remissum.* Vir. Æn. lib. 1. Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas. Idem Geor. li. 2. Et cùm se lætus ad auras Palmes agit laxis per purũ immissus habenis. ¶ Laxum, *nõ angustũ, sed spatij maioris.* Virg Geor. li 3. Et primum laxos tenui de vimine circlos Ceruici subnecte. M. Tul. de offic. libr. 1. Et admittenda hominum cuiusque modi multitudo, adhibenda est cura laxitatis.

288 *Locandi*, significatio manifesta est, vt aut operis locandi, aut fundi. M. Tul. Epist. ad Cæsarem lib. 2. Vel quòd locatio ipsa pretiosa. Idem in Ver. Frumentaria: Ac Senonis Meneui nobilissimi hominis vxoris fundus erat colono locatus. ¶Locare, *constituere.* Vir. Æneid. lib. 1. Hinc alta theatri Fundamenta locant alij. Lucil. libro xxx. Virtutis hæc tuæ artis monimenta locantur. ¶Locare, *marito dare.* Plaut. Aulul. Virginem habeo grandem dote cassam, atque illocabilem. ¶ Locare, *parare.* Lucilius lib. xxviij Hęc tamen conuentus, tela, insidiá'que locaui.

289 *Lætum, hilarum,* secundum consuetudinem. Virg Geor. lib 1 Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui. ¶Lætum, *ferax.* Virg. Geo g. li. 1. Lætus ager: nullo tantum se Mœsia cultu Iactat. ¶Lætum, *pingue.* Virg Geor. lib. 2. Glande sues læti redeunt. ¶ Lætum, *gratia plenum.* Virgil. Æn. li. 1. Lumenque iuuentæ Purpureũ, & lætos oculis afflarat honores. ¶ Lætum, *plenum, distentum.* Virgil. Georg. li. 3. Leta magis pressis manabunt vbera mammis.

290 *Lassum,* dicitur *fatigatum.* Lucil. lib. xxx. Leonem ægrotum, ac lassum. ¶Lassum, *marcens, grauatum.* Virg Georg. ix. Lassóve papauera collo Demisere caput.

M

291 ¶*Mactare, præcipitare.* Acc. Antenor. Qui aut illorum copias fundam in campo, Aut naueis vram, aut castra mactabo in mare. ¶Mactare, *honorare.* Acc. διδασκαλικῶν lib. 1. Sapientiæque inuictæ gratia, atque honoris Pater, honestè rem mactauit aurea. ¶Mactare, est *immolare.* Vir. Geor. li. 4. Et nigram mactabis ouem, lucúmque reuises. Lucil. li. v. Et nigras mactant pecudes, & ignibus Diui. Ac. Epigone: Quod vtinam me suis arcitenens telis mactasset Dea Var. de Vita populi Romani libro i: Quòd Calendis Iuniis & publicè, & priuatim fabatam pultem Diis mactat. ¶Mactare, est *magis augere.* Vir. lib. ix. Macte noua virtute puer. Cic. Tusc. li. 1. Macte virtute. Accius Philocteta: Vt dixi, macte his, armísque macte virtutem patris. Luci. Satyr. lib. v. Macte, inquam, virtute, simúlque his versibus esto. Turp. Boëthontibus: Macte virtute esto. Pac. Duloreste: Macte esto virtute, operáque, ominéque approbo. M. Tull. de rep. Ferunt laudibus, mactant honoribus. ¶Mactare, *malo afficere,* significat. Plautus Amphit. At ego certè cruce, & cruciatu mactabo. exi foras, mastigia. Idem Aulular. Do date mactantem malo, & damno viros. Nou. Gallin. Mactato te misce virginis verbenis mactat villam in fortuito. Pomp. Præc. posteriore: At te Dij omnes cum consilio, calue, mactassint malo. Acc. Epigono: Maneas adhisante exsilio macte pelopis externis. Et Enn. Telepho: Qui illum Dij Deæque magno mactassint malo. Afranius Priuigno: A fulica penè peristi. Dij te mactassint malo.

292 ¶*Modicum,* in cõsuetudine *pauxillũ* volumus significare. ¶ Modicum, veteres *moderatum,* & cum modo dici volunt. Plaut. Bacchid. Quibus ingens in animo vtibile est modicum & sine vernilitate. Idem Persa: Modicè & modestè est melius vitam viuere. Et Milit. Modicè, sapis En. Hecuba: Quæ tibi in concubio verecundè & modicè morem gerit. Acc. Bacch. Agite modico gradu iaceat nisus lenis. Turp. Demiur. Ego ædepol docta dico, quæ mulier volet Sibi summum amicũ esse indulgentem, & diutinum, Modicè, atque parcè eius serui ad cupidines. M Tul de repub. lib. 2. Statu esse optumo constitutam remp. quæ ex tribus generibus illis regali, & optumati, & populari confusa modicè, nec puniendo irritet animum immanem, ac ferum, Varro περὶ τύχης: Sapiens & bonum ferre potest modicè, & malum fortiter, ac leuiter. Var. Tichon. περὶ γήρως: Si multum lusi, modicè ambis, Sallust. Iugurth. bello: Animus belli ingens, domi modicus, libidinis & diuitiarum victor.

293 ¶*Mitis,* est *tranquillus & lenis* Vir. li. 8. Mitis vt in morẽ stagni, placidǽque paludis. Lucil lib 30. Et illud quoque mite malũ, blandum atque dolosum. Tul. Hort. Aut Theopompo acrius, aut Theophrasto mitius inueniri potest? ¶Mitis, est *maturus.* Plaut. Mil. Mitissimè quidem fustibus. Virg. Bucol. Sunt nobis mitia poma. Turp. Lindia: Misero mihi mitigabat sandalio caput. Pac. Dul. Nec grandiri frugum fetum posse, nec mitescere. M. Tul. de Repub. lib. 4. Cúmque autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hyeme ad concipiendas relaxarit, à fistula maturitate alia mitigauerit, alia torruerit. Idem de senect. Facit persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis compta, & mitis oratio.

294 ¶*Mater,* est *quæ quoduis animal partu*

edit. Virg. Georgic. li. 4. Mater Cyrene, mater. ¶Matrem veteres etiam *nutricem* dici volũt. Plau. Menæch. Ita forma simili pueri, vt mater sua Non internosse posset, quę mammam dabat, Neque adeò mater ipsa, quæ illos pepererat. Virg. Æneid. lib. 7. Et lambere matrem Impauidos. id est, nutricem.

295 ¶*Merum*, est *solum*. Terent. Phor. Nihil habet nisi spem meram. Var. τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιίας: Ac liberos parare cui necesse sit, non est merum, nec tu ædepol quid simulas tuis? Plaut. Asinar. Aurum atque argentum merum est. Fixus hîc apud nos est animus tuus clauo Cupidinis. Varro Sesquiulysse: Diogenem postea pallium solũ habuisse, & habere Vlyssem meram tunicam, pileum ideò non habere. Idem Eumenidib. Tu non insanis, quò tibi vino corpus corrumpis mero. ¶Merum, *syncerum*. Pompon. Piscatoribus, Nescio quid non est hoc merum, quod hic plorat. Var Marci. Eodem coniecisse mera miracula nescio quæ. Cic. de Orator. lib. 2. Ecce tibi exortus est Isocrates magister istorum omnium, cuius è ludo tanquam ex equo Troiano meri principes exierunt.

296 ¶*Meret*, *meretur*. Virg. lib. x. Qualem meruit Pallanta remitto. Et lib. 4. Si bene quid de te merui. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem lib. 2. Quem periisse ita de Repub. merentem consulem doleo. Lucil. lib. xxx. Publica lege vt mereas, pręsto est tibi quæstor. Varro Eumenid. Quia plus, inquit, merere debet, in quo est virtus. ¶Mæret rursus *dolet*. Virg. Æneid lib. 4. Sola domo mæret vacua. ¶Meret, *militat*. Lucil. Satyr. lib. xv. Dum miles hybernas ac meret tersa ex ætate quasi annos. Idem lib. xj. Annos hic errat iam plures miles hyberna. Nobiscum meret. Virg. lib. v. Merui quoque, sæpe furores compressi. Var. de vita populi Romani li. 3. Qui in exercitu donati essent, & ære publico mererent. ¶Meret, *humillimum & sordidissimum quæstum capit*. Varro Rerum humanarum lib. xx. Qui in ordine erat, is æs militare merebat, &, ob mercedem, laborem, vel infamiam corporis locat. Lucil. lib. 1. Et mercede meret religiones. Varro Agathone Duloreste: Qui merita hominem, & seruum facit. vnde & *mercenarij*, & *meretrices* dicuntur. Idem Eumenidibus. Primùm iste qui meret sestertios vicenos.

297 ¶*Medicamentum*, est *quo homines, vel animalia cætera curantur*. M. Tull. de offic. li. 3. Si quis medicamentum cuipiam dederit, ad aquam intercutem. ¶Medicamentum rursus *venenum*. vt Græcè φάρμακον: vel producta eius verbi prima syllaba, quòd apud Medos venefici sint plurimi, secundum Virgilium Georg. lib. 2. Media fert succos tristeis, tardúmque saporem Felicis mali. Et in sequentibus: Pocula siquando sæuæ infecere nouercæ; Miscuerúntque herbas. Var. περὶ ἐξαγωγῆς: Quærit ibidem ab Annibale, cur biberit medicamentum. quia Romanis, inquit, me Prusiades tradere volebat.

298 ¶*Minutum*, est, vt sæpius, *breue*. ¶Minutum, est *obscurũ*, & *scropulosum*, vt à Gręcis dicitur λεπτομερής Cicero de finibus bonorum & malorum li. 1. Ecce autem mali, minuti, & angusti, & omnia semper desperantes, aut maleuoli, inuidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstruosi.

299 ¶*Malignum* significat consuetudine, *maleuolum*. ¶Malignum, *obscurum*. Virg. li. 6. Quale per incertam lunam sub luce maligna Est iter in syluis. ¶Malignum, *gracile*, *minus ferax*. Virg. Georg. 2. Difficiles primùm terræ collésque maligni.

300 ¶*Moliri*, est *facere*. Virg. Æn. lib. 1. Moliríve moram, & veniendi exposcere caussas. Idem: Res dura, & regni nouitas me talia cogunt Moliri. M. Tul. Philippicis: Quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi necem ciuium, atque impetum ciuitatis videre. Idem de senectute: Iners non sit, verumetiam fit operosa, & semper agens aliquid, & moliens. ¶Moliri, *retinere*, *morari*, *ac repigrare*. Cæcil. Progamo: Ita quod lætitia me mobilitat, mæror molitur metu. Lucil. li. vij. Mutilamur, molimur, subducimur. ¶Moliri, *exstruere*, dictum à molibus. Virg. Æneid. li. 1. Moliríque arcem, & manibus, subuoluere saxa. Acc. Philoctete: Vbi horriferæ, & soni stridor gelidas molitur niues. Vnde *demoliri* dictum est destruere. M. Tull. de offic. lib. 1. Hanc Scaurus demolitus, accessionem adiunxit ædibus. Cassius Hemina de censoribus lib. 2. Et iam aurea in Capitolio signa quæ erant, demoliuntur. M. Tull. de offic. lib. 1. Demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis.

301 ¶*Molle*, est *non durum*. Virgilius libro 8. Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit. Idem Georg lib. 2. Quid nemora Æthiopum molli canentia lana? ¶Molle, *recens*, *nouum*. Vir. Bucolic. Sũt nobis mitia poma, Castaneæ molles. ¶Molle, *opportunum*. Virg. Æneid. lib. 4. Sola viri molles aditus, & tempore noras: Idem: & quæ mollissima fandi Tempora. ¶Molle *leue*, *contemnendũ*. Vir. Geor. l. 3. Tua Mœcenas haud mollia iussa. M. Tul. de senectute: Quod ferendum est molliter sapienti. ¶Molle, *non arduũ*, *nec erectũ*. Vir Buc. Quâ se subducere colles Incipiũt, mollíque iugũ dimittere cliuo. ¶Molle, *dulce*, *iucundum*. Virg. Georg. lib 2. Mollésque sub arbore somni. M. Tull. de legibus libro 2. In animos teneros, atque molles influere, quàm varios canendi sonos. Idem de senectute: Omneis absterse ris senectutis molestias: sed etiam effeceris mollem, ac iucundam senectutem. ¶Molle,

¶ Molle, *placidum*. Accius Teleph. Remisque nixi properiter nauem in fugam, Tradunt, subter laxa ad læuam, quà mons mare Mollibat. M. Tullius de senectute: Et Annibalem iuueniliter exsultantem patientia sua molliebat.

302 ¶ *Mirari* significat *nouo aliquo obstupefieri*. Virg. Æneid. libro 1. Artificúmque manus inter se, operúmque laborem Miratur. ¶ *Mirari, delectari, accendi*. Virg. Georg. lib. 3. Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ Pascit equos. ¶ Mirari. Virgilius lib. 8. Ille operûm custos, illum admirantur, & omnes Circunstant.

303 ¶ *Micare*, est *sortiri digitis*. M. Tul. de offi. lib. 3. Dignum esse dicunt, qui cum in tenebris mices. & eos, quas ipse quasi sorte, aut micando victus alteri cedit. Varro Parmenone: Micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum sequatur. ¶ Micare, *per vices sine ordine mouere*. Vir. Georg. lib. 3. Micat auribus, & tremit artus. Idem libro decimo: Semianimíque micant digiti, ferrúmque retractant. Et Georg. libro quarto: Et linguis micat ore trisulcis. Lucillius lib. xxx. Omnia tumendo mucro videas feruente micare. ¶ Micare, *fulgere*. Virg. Æneid. libro primo: Micat ignibus æther. Et libro secundo: Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.

304 ¶ *Mittere*, manifestam habet significationem. Virgilius libro septimo: Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem. Et Georgic. tertio: In saltus vtrunque gregem, atque in pascua mittes. Et: Mitte in Venerem pecuaria primus. ¶ *Mittere*, est *excludere*. Virgil. Æneid. lib. 1. Mœstúmque timorem Mittite. Sisenna Histor. lib tertio: Mulierem missa fide, ac pietate propter amoris nefarij lubidinem extitisse. ¶ Mittere. Virgilius Bucolicis: Hos illi (quod nec bene verrat) mittimus hœdos. ¶ Mittere, *omittere*. Terentius Adelph. Hera lacrymas mitte. Virgilius lib. 11. Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis. Lucil. lib. 30. Hoc missum face, illomet vtere libenter. M Tullius de offic. lib. tertio: Manlium missum fecit. tantùm temporibus illis iusiurandum valebat. Plaut. Aulularia: Iam scrutari mitto: redde huc.

305 ¶ *Mandare*, significationem habet notam: vt Virgi. libro octauo: Multa patri mandata dabat portanda. ¶ Mandare, *commendare*. Virg. Æneid. lib. 3. Furtim mandarat alendum Threicio regi. M. Tul. de offic. li. 2. Dein scriptis nô ea, quæ nunc, sed actiones nostras mandaremus, vt sæpe fecimus.

306 ¶ *Maturum*, dicitur *celer*. Virgil. Æneid. li. 1. Maturate fugam, regíque hæc dicite vestro. Acc. Menalippo: Est res aliqua, quæ præsente his priùs maturè institit. M. Tul. de offic. lib. tertio: Venit ipse maturè, scalmum nullum videt. Varro Endymion. Qui vt vigilarem maturè cepisti, in eo retinueris. ¶ Maturum, *graue, sapiens*. Virgilius lib. v. Hoc Helymus, hoc æui maturus Acestes. M. Tul. de senectute: Iam constantis ætatis, & senectutis maturitas. ¶ Maturum, *mite, coctum*. Virg. Bucolicis: Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres. Varro Eumenidibus: Discumbimus mussati: dominus matura oua ad cœnam committit.

307 ¶ *Metus*, dicitur, sicuti plurimum, *timor*. Virgilius libro sexto: Et metus, & malè suada fames. ¶ Metus, *religio*. Virgil. lib. 7. Sacra coma, multosq; metu seruata per annos.

308 ¶ *Manere*, est *loco insistere*, Virgilius li. decimo: Manet imperterritus ipse Hostem magnanimum opperiens. M. Tul in Verrem: Qui iudicia manere apud ordinem senatorium volunt. Idem de offic. Cyrsilum quendam suadentem, vt in vrbe manerent. ¶ Manere, *imminere, deberi*. Virgilius libro septimo: Te, Turne nefas, te triste manebit Supplicium. M. Tul. Philip. lib. 13. Sin autem me aliud fatum manet. ¶ Manere, *expectare*. Terent. Eunucho: Quàm mox irruimus? mane. Omnia prius experiri consilio, quàm armis sapientem decet. ¶ Manet, *inhæret, infixum est*. Virgil. Æneid. lib. 1. Manet alta mente repostum. Plautus Asinaria: Vale. aliquanto amplius valerem, si hîc maneres.

309 ¶ *Monstrum*, dicitur *horrenda magnitudo*. Virg Æneid. lib 2. Monstrum horrendum, informe, ingens. ¶ Monstrum, *monstrationem*. Virg. Æneid. lib 3. Monstra deûm refero.

310 ¶ *Maculosum, sordidum, immundũ*. Lucil. lib. 30. Hæc vestimentis maculosis tum aspicit iste. ¶ Maculosum, est *varium*. Virgil. Æneid. libro 1. Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis.

311 ¶ *Macula, turpitudo*. M. Tul. in Verrem actione 2. Cuius vt adolescentiæ maculas, ignominiásque prætercam. Lucillius libro 30. Quæ scis scire tuas omnes maculásq;, notásque. ¶ Macula, *in retibus plaga* M. Tul. de suppliciis in Verrem actione 2. Reticulúmque ad nares sibi admouebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ.

312 ¶ *Metiri*, est *transmeare*. Lucillius libr. xxx. Vir. mare metitur magnum fluctibus tradit. Virg. Georg. li. quarto: Et iuncto bipedum cursu metitur equorum.

313 ¶ *Manicæ*, dicuntur *vestium*. Virg. lib. 11. Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ. ¶ Manicæ, *quibus manus vinciũtur*. Luci. li. 30. Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita est. Virgil. Æneid. lib. 2. Manicas atque arcta leuari Vincla iubet Priamus. Plaut. Asin. Vbi manus manicæ complexæ sunt.

314 ¶ *Mæstum, triste, miserabile*. Virg. Ænei.

lib.2. Et mæstas expromere voces. Lucllius xxix. Cohibet & domi mæstus se Albinus. ¶Mæstum, *enectum fame*. Lucilius libro xxix Ventrem alienum, mæstum, fouere ex molito ordeo, vti cataplasma.

315 ¶*Mutare, derelinquere*. Lucil. libr. xxvi. Mihi quidem nō persuadetur, publicè vt mutem meos. ¶Mutare, *transferre*. Lucil. lib. 28. Doctior cæteris isasamitis mutes aliquò tecum sacra facta vitia. ¶Mutare, *aliud pro alio accipere*. Lucil. lib. xxvj. Publicanus verò, vt Asiæ fiam scripturarius pro Lucillio, id ego nolo; & vno hoc non muto omnia.

316 ¶*Mouere*, manifestum est, quam habeat significationem. ¶Mouere, *excludere*. M.T. de offic. libr. 3. Atqui quodam quasi veneno perficiat, vt veros heredes moueat, in eorum locum ipse succedat.

317 ¶*Meditari*, est *discere, perdoceri*. Plaut. Amph. Prius ipse mecum etiam volo hic meditari, si hoc pro hoc loquor. ¶Meditari, *excogitare*. Teren. Andrea: Venit meditatus alicunde ex solo loco.

N

318 ¶*Nobile, ad dignitatem generis refertur*. Sall. Lucius Catilina, nobili genere natus fuit. ¶Nobilis dicitur & *notus*. M. Tul. de offic. lib. 2. Testis est Phalaris, cuius est præter cæteros nobilitata crudelitas. Lucil. Satyr. lib. 7. Phryne nobilis illa vbi amatorem improbius quē. Varro περὶ ὡρίσεων: Tum contremula aquilenta apud alta litora Oriris, ac reluces nobilis omnibus. Acc. Diomede: Me Argos referam: nam hic suam nobilis, necui cognoscar noto. Teren. Heauton. Mea est potens, magnifica, sumptuosa, nobilis. Virgilius lib. 3. Est locus Italiæ medio sub montibus altis Nobilis. M. Tul. in Verē actione 2. Oppidum est in Hellesponto Lampsacum. id in primis Asiæ prouinciæ clarum, & nobile. Lucil. l. xxix. Tum illud Epiphoni, quod etiam tum nobile est. Vnde nobilitarēt, notificarent dictum est. Titinnius Prælia: Magísque famæ obiectarent, ne eam malefactis nobilitarent. Accius Telepho: Nam is demum miser est, cuius nobilitas miserias debilitat. Pacuuius Duloreste: Hiccine is est, quem fame gratia ante omneis nobilitat viros?

319 ¶*Numerum, ordinem*. M. Tul. de Deorum natura lib. 2. Nihil est enim vt orationem numero moueri possit sine consilio, in quo nihil est temeratium. Æneid. Virg lib. 3. Digerit in numerum. ¶Numero, *signo*. Acc. Oenomao: Numero te expurgasti. Idē Antigona: Ne istum numerum amittas subitū oblatū. Turpil. Demetrio: Nunquā nimis numero quenquam vidi facere, quàm facto est opus. Idem Lindia: Ego interim in turba foras subduxi cum hac me, Nequis ad numero mihi videbat currere. Varro περὶ ἐξαγωγῆς: Quid puer rogasset, & petasatus capite annuisset: ac discedens numero venire ait adolescentem. Afran. Priuigno: Numero inepti pertimuistis cassam terriculam aduersarij. Plaut. Amphit. Numero mihi in mentem fuit. Var. Cato, vel de liberis educandis: Vt qui contra celeriter erant nati, ferè numerariis pręmuniebant: quòd, qui citò facturum quid se ostendere volebat, dicebat numero id fore, quod etiam in partu precabantur numeri, & quam deam solent indigetare etiā pontifices. ¶Numeros *modos*. Virg. Bucol. Numeros memini, si verba tenerem. Tul. de offic. lib. 3. Perfectum atque absolutum est, &, vt idem dicūt, omnes numeros habet.

320 ¶*Niti*, est *conari sub onere*. Virg. Georg. lib. 3. Post valide nitens sub pondere faginus axis Increpat. Cic. Tusc. li. 1. Num illud, quod Sisyphus versat Saxum, sudans nitendo, neq. proficit hilum? ¶Niti, *fultum esse*. Lucil. libro 26. Summis niti naturæ opibus, at ego contrà, vt dissimilis fiem. ¶Niti, est *incūbere*. Virgil. lib. 6. Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta. ¶Niti rursum, *ambulare*. Pacuuius Periboea: Ardua per loca agresti, ac trepidante gradu nititur. Virg. Æneid. li. 2. Pressit humi nitens. Varro Pranso parato: Contrà coactus seruus latratu canum Fertur bisulcis vngulis nitens humu. ¶Niti, *volare*. Virgil Æneid. l. b. 3. Hic primùm paribus nitens Cyllenius alis Constitit.

321 ¶*Nare*, est *natare*. Virg. li. 8. Et fluuium vinclis innaret Cœlia ruptis ¶Nare rursum *volare*. Virg. Georg lib. quarto: Hinc vbi iam emissum caueis ad sidera cæli Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen. ¶Natare iterum *trepidare*. Virg. Georg. lib. Condítque natantia lumina somnus.

322 ¶*Necessitudo*, pro *necessitas* Sallust. Iugurthæ bello: Etiam iam ante Iugurthæ filia Boccho nupserat, verùm ea necessitudo, quæ etiā timidos fortes facit. Idem eodē: Coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Var. Modio: Asse vinum, asse pulmentarium sedeas, quò natura aurigatur, non necessitudo. Sisen. Hist. li. 4. Id me neque metu, neque calamitatis necessitudine inductum facere.

323 Necessitas, *vis quædam quæ alterum cogere inuitum potest*, vt plerunque. ¶Necessitas, *affinitas*, vnde & hoc iure coniuncti necessarij apellantur. C. Cæsar, cùm Plautiam suasit rogationem: Equidem mihi videor, pro nostra necessitate, non labore, non opera, non industria defuisse.

324 ¶*Nomen*, est *proprium vocabulum singulorum*. Virg. lib. 7. Cui nomina mille, Mille nocendi artes. Et: Nomen aui referens Priamus. ¶Nomen, *decus, dignitas*. Virgil. Æneid. lib. 2 Auulsúmq. humeris caput, & sine nomine corpus ¶Nomen etiam, *debitum* dicitur.

325 ¶No-

325 Nota, dicitur *probrum*. Lucil. lib. xxx. Quem scis scire tuas omneis maculásque notásque. ¶Nota, *signum*. Virg. Georg. lib. 3. Cótinuóque notas, & nomina gentis inurunt. ¶Nota, *distinctio*. Virg. li. quinto: Cęruleæ cui terga notæ.

326 ¶*Nudum*, consuetudine, *sine tegmine* dicitur. Virg. lib. v. Nudatósque humero oleo perfusa nitescit. ¶Nudum, *insepultum*. Virg. libro v. Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

O

327 ¶*Occupatus, impeditus*, vt Græcè dicitur ἀσχολεῖ, id est, vacuus non est. Plautus Amph. Herus Amphitryo occupatus. Cic. Tusc. lib. 1. Vt si occupati profuimus aliquid ciuibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi.

328 ¶*Occupare*, est propriè *prauenire*. Cic. Tusc. li. v. Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus occupauit. Titinnius Velterna: Ergo occupa foras exire, vt pręsit linteum. Virg. libro xii. Et venienti Ebiso, plagámque ferenti Occupat os flammis. Accius Eurysace: Quemadmodum impetu occupemus facere vltrò in regem fidem per eos, & nisi clamoris regem, aut ferre ad regina occupo puerum. Turp. Trasileone: Cesso occupare, & me in colloquium conferre horum? Ennius Hectoris Lytris: Hector te sua manu armatos educit foras, Castrísque castra vltrò iam ferè occupat. Pacuuius Duloreste: Is quis est? qui tunc si tu illum occupas, leto dabis. Varro Ephebo, περὶ ἐμμονῆς: Crede mihi plures dominos serui comedere, Quàm canes: Quod si Actæon occupasset, & ipse prius suos canes comedisset, & non negasset saltatoribus in theatro fieret. Idem Eumenidibus: Priùs quàm responderem, foris nescio quis occupat res indicare. ¶Occupare, *detinere*. Plaut. Epidico: Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies. Pacu. Atalãta: Super satis agere vt ne in mare animum occupes. M Tul. de officiis libro primo: Et in ea funditus delenda occupati sunt, & fuerunt. Var. Geor. li. iiii. Manicísque iacentem Occupat. Var. Eumenidib. Cùm in eo essem occupatus, atque in schola curaret, vt scribit Scantius homo per Dionisia. ¶Occupare etiam, *inuenire, tenere*, vel *possidere*. Plaut. Trinummo: Familiam optimam occupauit. M. Tul. Hortẽsio: Et Paulum Marcelli occupauisse. Virgil. Æneid. lib. sexto: Occupat Æneas aditum custode sepulto. M. Tul. Philip. xiij. Agri Lucani possessiones occupauit. ¶Occupare, *collocare*. Põp. Pistoribus, Quæ tuleram mecum, nulla deinde victoria tam Greca mercede illico curaui, vt occuparem. M. Tul. in Verrem actione 2. Pręterea pecunias occupauerat apud populos, & syngraphas fecerat.

329 ¶*Opinio*, est *fama*, M. Tullius ad Cæsarem iuniorem lib. 1. Erat opinio bona de Plautio, bona de Lepido. ¶Opinio, *suspicio* Varr. Eumenid. Qui omnes me bimatram agitare clamitantes, opinionem mihi insaniæ meæ confirmant. Accius Eurysace: Opinione factum est, quanto minùs stirpem educabãt, tantò vereremur magis eos esse. Tul. de offic. lib. 3. Qui primùm hæc natura cohærentia, opinione distraxissent. ¶Opinio, *spes opinatio* Tul. ad Cæsarem iuniorem: Post hac quod voles à me fieri scripto, vincam opinionem tuam. Idem de offic. 2. Opinionem afferunt populo, eorum similes fore, quos sibi delegerint ad imitandum. Varro Endymionibus: Sic ad vos citiùs opinione vestra abundè miser cecidi. Sisenna Hist. lib. iiij. Popedius opinione frustrata.

330 ¶*Obscænum*, est *immundum*. Vir. Æneidos lib. iij. Obscænas pelagi ferro fœdare volucres. M Tul de offi. lib. 1. Alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscœnitas. Varro Agathone: Pueri obscænis verbis nouæ nuptulæ aures restaurant. ¶Obscænum, *vitabile*. Virg. Æneid. lib. iij. Obscænámq; famem, quæ prima pericula, vito. Idem xij. Ne me terrete timentẽ Obscænæ volucres. Accius Astyanacte: Hunc altaispinem regionem fac, ac desistet exercitum morari, nec me ab domuitione marceretur obscæno homine. Cic. Tusc. lib. ij. Vna & obscænas voluntates, de quibus multo ab illis habetur oratio. ¶Obscænum significat *maledicum*. Oenomao: Vos ite actutum, atque opere magno ed cite per vrbem, vt omnes, qui arcana, asteúmque accolunt ciues, omnibus faustis augustam adhibent fauẽtiam, ore obscæna dicta segregent. Lucil. lib. xxix. Deũ rixa vertat verba obscæna.

331 ¶*Obitus*, significat *mors*, vel *occasus*. Virgilius Georgicorum libro primo: Nec frustra signorum obitus speculamur, & ortus. ¶Obitus rursum *aduentus*. Accius Antigona: At, at nisi me fallit in obitum sonitus. Turp. Epiclero: Ecquis est, qui interrumpit sermonem meum obitu suo?

332 ¶*Omen* dicitur *auspicium prosperum*. Virgil. Georg. libro iiij. Omne quo firmans animum, sic incipit ipsa. ¶Omen, *significatio aduersa*, Virg. lib. xij. Néve omine tanto Persequere.

333 ¶*Olim*, trinam habet significationem temporum *præteriti*. Virg Buc. Meos olim si fistula dicat amores. ¶Olim temporis *futuri*. Virg Æneid. lib. 1. Hunc tu olim cælo spoliis Orientis onustum Accipies secura. Lucil. Satyr. li. xix. Sic tu illos fructus quęras aduersa hyeme olim, Queîs vti possit, hęc delectare domíve. Turp. Philop. Deinde cùm ad te redierit res olim post mortem patris.

Afranius suspecta: Non amatorem olim defensorem per eum volet.

334 ¶ *Optare, est precibus à diis aliquid postulare.* Virg. Æneid. lib. vij. Et reor, &, si quid veri mens augurat, opto. ¶ Optare, *eligere.* Lucil. Satyr. lib. xix. Aurum vis, hominémve habeas hominem: quid ad aurum? Quare (vt dicimus) non video hîc quid magnopere optem Sallust. Hist. li. 3. Atque cùm cupio laudatum accensum, quæ præmiorum spes, quibus cum optauisset, ire iubet. Virg. Æneid. li. 3. Optauítque locum regno. M. Tul. de offi. li. 1. Quęque maiori parti pulcerrima videãtur, ea maximè optant. Terent. Eunuch. Hoc si effeceris, Quoduis præmium donum à me optato. Varro Marcipore: Diogenes, qui amicos, qui ab Alexandro rege iussus optare, quid vellet se facturum.

335 ¶ *Offendere, est percutere.* Turpil. Paraterusa: Caput vt offendit ad limen pol. Lucil. lib. xxix. Crus lapide, nihil est, credam si te offenderit. Varro Marcipore: Dein mittit virile veretrum in flumen, offendit buccam bolumnio. ¶ Offendere, *lædere.* M. Tul. de suppliciis lib. iij. Cùm iste cum pallio purpureo, paríque tunica versaretur in conuiuiis cum mulieribus, non offendebantur homines in eo, neque molestè ferebant. Lucill. lib. xxvij. Nam hîc quidem reditum [suum] talem portendebant, neque alia in re vlla offendere. ¶ Offendere, *inuenire,* Pacu. Iliona: Quos ego ita, vt volui, offendo incolumis. Afran. Homine: Ea memoriter cum venero confecta vt offendam. Quadrigarius Annal. lib. ij. Inde postquam aliquantum recessit, offendit mõtem loca munita, résque omnes habere, quæ militibus opus sunt, ligna, aquam, pabulum. Et Terent. Eun. Offendi aduenions quendam mei loci, atque ordinis hominem. M. Tul. de signis: Quod nondum perfectum tẽplum offenderant, neque ponere, neque vulgò ostendere voluerunt. Lucill. lib. xxi. Si quod verum, inusitatum autem ζητημάτιον offenderam. M. Tul. de repub. lib. ij. Sed imitor Architam illum Tarentinum, qui, cùm ad villam venisset, & omnia aliter offendisset, ac serat. Plaut. Amphit. Eo more expergefactum, aduenions tenebrosum offendi dominum. Varro Sexagsi: Romam regressus, ibi nihil offendi, quod ante annos quinquaginta, cùm primùm dormire cœpi, reliqui.

36 ¶ *Obscurum, est sine lumine.* Virg. Georg. li. 1. Si nigrũ obscuro comprẽderit aera cornu. ¶ Obscurum, *ignobile.* M. Tul. de offic. lib. ij. Qui magna sibi proponunt obscuris orti maioribus. ¶ Obscurum, *absconditum, latens.* Vir. nono: Vidimus obscuris, primùm sub vallibus vrbem.

337 ¶ *Obseruare, suspicere, magnifi. facere.* Tul. de offic. li. 1. Sicut aliquo honore aut imperio affectos obseruare, & colere debemus. ¶ Obseruare, *calare, & intus tegere.* Plaut. Aulul. Vbi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit, Cœpi obseruare. ¶ Obseruare, *cognoscere.* Virg. Æneid. lib. ii. Et vestigia retrò Obseruata sequor per noctem. ¶ Obseruare, *curiosè, & suspiciter circũ adspicere.* Plau. Aului Oculos ego istos improbè effodiam tibi, Ne me obseruare possis, quid rerum geram. ¶ Obseruare, *captare.* Virg. Georg. lib. 3. Quos durus arator Obseruans nido implumeis detraxit. Lucil. lib. xxvij. Quòd si obseruas hominem qui pro commodo, & regno gaudeat. Ter. And. Perterrefacias Dauum, obserues filium Quid agat.

338 ¶ *Occurrere dicitur obutum fieri.* Vir. Æn. lib. vi. Hic illi occurrit Tydeus. ¶ Occurrere, *subuenire, cõmouere.* M. Tul. de suppliciis: Occurrebat illa ratio.

339 ¶ *Offerre, inuenire.* Lucil. li. xxvi. Homines ipsi hanc sibi molestiam vltrò, atque ærumnam offerunt, ducunt vxores. ¶ Offerre, *afferre.* Lucil. li. xxix. Vt nunc hac re mihi opem, atque auxilium offeras. ¶ Offerre, *ostendere.* Virg. Æneid. libro vi. Strictámque aciem venientibus offert.

340 ¶ *Obducere, aperire.* Luc. lib. xxix. Vos interea lumen afferri, atque aulæa obducite. ¶ Oducere. *tegere.* Vir. Bucol. Obducat pascua iunco.

341 ¶ *Orator, significatione manifesta est.* ¶ Oratores, *legatos.* Virg. Ænei. xi. Centum oratores prima de gente Latina Ire placet.

342 ¶ *Orare, est precibus poscere.* M. Tull. Verrinarum in diuinatione: Rogare & orare, ne eos supplices adspernarer. ¶ Orare, *agere.* M. Tul. de offic. li. 3. Vt veram amici caussam esse malit, vt orandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet.

343 ¶ *Oppido valde.* Plau. Amp. Oppidò interij. obsecro hercle quantus, & quam validus est.

344 ¶ *Oppetere, occumbere mori.* Virg. Æn. li. 1. Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis Cõtingit oppetere. ¶ Oppetere, *incidere.* Plaut. Asin. Atque illa viua viuus vt pestem oppetas.

345 ¶ *Obesum, pro vberi & crasso sæpius ponitur.* Virg. Georg. lib. 3. Argutúmque caput, breuis aluus, obesáque terga. ¶ Obesum *gracile, & exile.* Næuius Alcestide: Corpore, pectoréque vndique obeso, ac mẽte exsensa, tardigemulo senio oppressum.

P

346 ¶ *Proprium, diuturnum.* Sisenna Hist. libro iij. Tum subitò tacuit: atque metu, & suspicione propriã capere non poterat quietem. ¶ Proprium est suum vniuscuiusque

Virg.

Virg. libro 7. Hunc mihi da proprium virgo sata nocte laborem. Varro Caprino prælio: Nam virtutem propriam mortalibus fecit: cætera promiscuè voluit communia habere. ¶ Proprium significat rursum *perpetuum.* Sisenna Hist. lib. 4. Victoribus propriè spem, victis aduersæ fortunæ maiorem formidinem obiecit. Plaut. Cistellaria: Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita. Virgil. lib. 6. Propria hæc si dona fuissent. Idem lib. 3. Da propriam Tymbræe domum. Terentius Andria: Ego deorum vitam propterea sempiternam arbitror, Quòd voluptates eorũ propriæ sunt. Accius Armorum iudicio: Nam nõ facilè sine deûm opera propria humana sunt bona. Idem Medea: Fors dominatur, neque vita vlli propria in vita est. Lucilius Satyr. libro 17. Cætera contemnit, & in vsura omnia ponit Non magna: proprium verò nil neminem habere Marc. Tul. de Repub. li. 4. Et noster Plato, magis etiam quam Lycurgus, omnia qui prorsus iubet esse communia, nequis ciuis propriam, aut suam rem vllam addiceret. Afranius Vopisco: Dij tibi dent propria quæcunque exoptes bona. Lucil. lib. 27. Cùm sciam nihil in vita proprium mortali datum esse.

347 ¶ *Præuertere, præuenire.* Virg. Æneid. libro 4. Volucrémque fuga præuertitur Hebrum. ¶ Præuertit, *reuocat.* Plaut. Amph. Ibi me inclamat Alcmena, iam ea res horrore afficit, herilis præuertit metus, accurro, vt sciã, quid velit. ¶ Præuertere iterum significat, *anteponere.* Plautus eodem. Illuc redeundum est mihi, ne me vxorem præuertisse dicant præ republica.

348 ¶ *Promittere, est polliceri.* Virgil. Æn. li. 2. Promisi vltorem, & vrbis odia aspera moui. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem, Promissa tua memoria teneas. ¶ Promittere etiam significat *ad magnitudinẽ nutrire.* Plau. Rudẽte: Capillum promittam optimum est, incipiámque hariolari. Virgil Æneid. lib. 3. Promissáque barba. Var. Modio: Quod tum erant in Græcia coma promissa, rasa barba, pallia trahentes.

349 ¶ *Protelare, est percutere, perturbare.* Ter. Phor. Neu te iratus suis sæuis dictis protelet. Sisenna Hist. lib. 3. Romanos impetu suo protelant, prolectos persequuntur. Protelare rursus *adiuuare.* Luc. lib. 6. Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri Ducere protelo validis ceruicibus possẽt. Idem li. 12. Hunc iuga mulorum protelo ducere centum Non possunt. Cato Originũ lib. 5. Sed protelo trini boues vnum aratrum ducent. Varro Cato, vel de liberis educandis: Remotissimum ad discendũ formido, ac nimius timor, & omnis perturbatio animi: contrà delectatio protelo ad discendum. ¶ Protelare etiam excludere. Turpilius Lemniis: Propter peccatum pauxillum indignissimè Patria protelatum esse sæuitia patris. Sisenna Hist. li. 4. Duæ cohortes de subsidio procedunt, atque equites protelant.

350 ¶ *Prodere, significat deferre.* Vir. Æneid. lib. 2. Prodere voce sua quenquam, aut opponere morti. Prodere rursus, *deferre, vel excludere.* Virg. Æn. lib. 1. Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem. Nauibus, infandum, amissis, vnius ob iram Prodimur, atque Italis longè disiungimur oris. Luci. Satyr. lib. 5. Possítne elabi an prodenda dies? Teren. Andria: Aliquot saltem nuptiis prodat dies. ¶ Prodere, etiam *protendere, vel edere.* Vir. Æneid. libr. 4. Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri Proderet. M. Tul. de suppliciis in Verrem: Ius imaginis ad memoriam, posteritatémque prodendam. Et de senectute: Non accipere modò hæc à maioribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.

351 ¶ *Periculum, est salutis discrimen.* Vir. Æneid. lib. 3. Obscænámque famem, quæ prima pericula, vito. Lucil. lib. 29. Adde alios omnes meo periculo ex ordine. Periculum, *experimentum.* Sisen. Histor. li. quart. Periclitantur tormenta, ac tela, multáque genera machinamentorum. M. Tul. de republ. libro 3. Sed vt ipsi seu animum periclitantur, seu vident quid se putent esse facturos. Terent. Eunucho: Fac periculum in litteris. M. Tul. de Deorum natura libro 2. Sicut ex quibusdam stirpibus, & herbis, quorum vtilitates longinqui temporis vsu, & periclitatione percepimus. Lucil. lib. 29. Cuius si in periculo feceris periculum. Plaut. Amph. Verùm periclitatus sum animum tuum. Sallust. Catilinæ bello: Tunc vero periculo, atque negotiis cõpertum est. Periculosum, *maius & vehemens.* M. Tul. de off. lib. 1. Grauioribus autem morbis periculosas curationes, & ancipites adhibere coguntur.

352 ¶ *Pressum, subtile.* Marc. Tul. Hortẽsio: Quis te autẽ est, aut fuit vnquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis pressior? Pressum, *onustum, grauatum.* Vir. Georg. libro 1. Ceu pressæ cùm iam portum tetigere carinæ Puppibus.

353 ¶ *Premere, defodere,* Vir. li. 10. Sulcúmque sibi premat ipsa carina. Premere: *claudere.* Virg. lib. 10. Pressíve oculos, aut vulnera laui Veste tegens. Premere, *insequi, fugare.* Virg. Æneid. li. 1. Hac fugerent Graij, premeret Troiana iuuentus. Premere, *vrgere.* Virg. Georg. libro 3. Ingentem clamore premes ad retia ceruum. Et lib. 6. Æneid. Faunique premunt te iussa parentis. Premere, significat *inniti cum pondere.* Virg. Georg. libro quarto: Et spumãtia cogere pressis Mella fauis. Idem Æneidos libro 10. Et læuo pressit pede talia

fatus Exanimem, rapiens immania pondera baltei. ¶Premere rursū, *refrenare*, vel *cohibere*. Virg. Æneid. lib. I. Imperio premit, & vinclis, & carcere frenat. Idem: Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas. Item libro 9. Sic memorat, vocémque premit. ¶Premere, *regere*. Virgil. libro 9. Caniciem galea premimus. Et libro II. Quos Simois premat ille viros. Varro Modio: Capitis Coronæ vaccitis liuei face vt languore flatili viridis Premat. ¶Premere, etiam *remouere*, vel *exscindere*. Vir. Geor. I. Et ruris opaci Falce premes vmbram. Premere, *occidere*. Virgilius libro 9. Arm gerúmq; Remi premit. Premere, *aduersari*. Vir. libro 10. Numina nulla premunt, mortali vrgemur ab hoste Mortales. Premere, *calcare*. Virgil. Æneid. libro secundo: Veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens. Premere, *deponere*. Virg. Geor. libro secundo: Quod supe est, quæcunque premes virgulta per agros.

354 ¶*Pretium, pœna exitium*. Liuius Achille: Si malos imitabor, tum pretium pro noxa dabis. Pretiū dicitur, *quod re empta datur*. Virgil. Æneid. lib. quarto: Vrbem exiguam pretio posuit. Terēt. Eunuchi. Pretium sperans, lico producit, ac vendit. M. Tull. Verrinarū actione 2. Et parenteis pretium pro sepultura liberûm posceret. Lucil. libro 28. Nec parcat vllo pretio. Pretium, *pro præmio*. Sallu. Iugurthæ bello: Vicit tamen in senatu pars illa, quæ vero pretium aut gratiam anteferebant. Næu. Danae: Quia vt quisque est meritus præsens prætium pro factis ferat. Terent. And. Quod habui summum pretium persolui tibi. Vi. Æneid li. 5. Et palmæ pretium victoribus. Luci. li. 30. Cui vultu, ac facie, ludis, ac sermonibus nostris Virginis hoc pretium, atque hunc reddemus honorem.

355 ¶*Patibulum*, est *crux*. Sallust. Histor. lib. 4. Inquis notissimus quisque aut mala dependens verberabatur, aut immutilato corpore improbi patibulo eminens affigebatur. Patibulum, *sera qua ostia obcluduntur*, quòd hac remota valuæ pateant. Titin. Fullon. Si quisquam hodie præter hanc Posticum nostrum pepulerit, patibulo hoc Ei caput defringam.

356 ¶*Petere*, significat *poscere*. Virg. Æneid. lib. 8. Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem, Qui petat auxilium. Lucil. lib. 26. Ferri tantum, si roget me, non dem, quantum auri petit. Petere, *commemorare*. Vi. Æn. lib. 8. Quid caussas petis ex alto? Petere, *percutere*, *ferire*. Virg. Bucol. Iam cornu petit, & pedibus qui spargat arenam. Petere, *appetere*. Virg. li. 8. Notúmque petiuit Coniugis infusus gremio per mēbra soporem. Petere, *sequi*. Virg. lib. 5. Quem petit, & summis adnixus virib. vrget. Lucil. 27. Rerū explicatorē mittam, miserum mendicum petam. Petere, *abducere*. Vir. lib. 6. Tartareū ille manu custodē in vincla petiuit. Petere, *inquirere*. Virgi. lib. 8. Euandrum petimus. Petere, *cupere*, *appetere*. Vir. li. 3. Pulcram que petunt per vulnera mortē. Lucil. lib. 26. Sin autem hoc vident, bona semper petere sapientem putant. Petere, *eligere*. Virg. Georg. lib. 3. Principio sedes apibus, statióque petenda. ¶Petere, *obtinere*. Vir. Æn. lib. I. Quæ proxima, litora cursu Contendunt petere. Petere, *manere*, *exspectare*. Virg. lib 8. Troianos hæc monstra petunt. Petere, *tenere*. Vir. Æneid. li. I. Sūmissi petimus terrā, & vox fertur ad aures.

357 ¶*Propter*, significat *eius caussa*. Virgil. Æn. 4. Te propter Libycæ gentes, Nomadúmque tyranni Odere. Propter, *alicuius caussa*. Var. Sesquiul. Quod Minerua propter stetit, significare eum propter doctrinam. Propter, *iuxta*. Virg Georg 3 Et viridi in cāpo templū de marmore ponā Propter aquam. Var. Cato, vel de liberis educādis: Atestatus est Fortunā propter cuius aram mea hostia erat cæsa, id quod posteá verū esse. Terēt. Adelph. Nimiū istuc abisti, hic propter hunc adsiste. M. Tul. de senectute: Sic adolescentiæ voluptate propter intuēs magis fortasse lætatur: sed delectatur etiam senectus procul eas adspiciēs. Idem de repub. lib. I. Eum quoque vt salutauit, propter Tuberonem iussit adsidere. Var. Sesquiulysse: Quod Minerua propter stetit, significare eum propter doctrinam. Idem Eumenidibus: Propter eam porticum situm erat dolium. Sisenn. Histo. lib. 3. Partem cohortium propter mare collocat in litore.

358 ¶*Ponere*, est *deponere*. Virg. Æneid. lib. I. Ponúntque ferocia Pœni Corda volēte Deo. ¶Ponere, *consumere*, *cōtinere*. M. Tu. de offic. lib. 2. Mirentúrque in ea tantùm me operæ, & temporis ponere. ¶Ponere, *constituere*. Virgil. Georg. 3. Templū de marmore ponam. ¶Ponere, *obseruare*. Vir Geor. lib. 3. Aut parco sale contingunt, hiemíque reponunt. Et Æn. lib. I. Manet alta mente repostū Iudicium Paridis. ¶Ponere, *desinere*. Virg. lib. 8. Cùm venti posuere, omnísque repentè resedit Flatus.

359 ¶*Pernix*, significat *celer*. Virg. Geor. li. 3. Talis & ipse iubā ceruice effudit equina Cōiugis aduentu pernix Saturnus. Lucil. lib. 27. Fuimus pernices, æternum id nobis sperantes fore. ¶Pernix, *perseuerans*. Virg. Geor. lib. 3. Et inter Dura iacet pernix in strato saxa cubili.

360 ¶*Pullum*, est *æstatis nouellæ*. Vir. Geor. 3. Continuò pecoris generosi pullus in aruis. ¶Pullū, *non album*. Virg. Geor. lib. 3. Reiice, ne maculis infuscet vllera pullis Nascentum. Tit. Liuius: Vestis pulla, pro purè ampla. M. Tul. de signis: In hac officina partem dici cum tunica pulla, & pallio solebat sedere. Var. Sesquiulysse: Vbi viride Phœbi veste pulla candidi modestè amictus paicunt pectore.

361 ¶*Plaga*, sunt *verbera*. Vir. Georg. lib. 3. Plagísque perempto Tonsa per integram soluuntur viscera pellem. M. Tul. de suppliciis: Plagis confectum dico à lictoribus tuis, pater ante oculos tuos concedisse. ¶Plagæ, *vulnera*. Virg. lib. 12. Et venienti Ebiso, plagámque ferenti Occupat os flammis. Idem Georg. lib. 3. Multa gemẽs ignominiam, plagásque superbi victoris M. Tull. de suppliciis: Atque etiam ipsi adolescentes cum Sexto de plaga, & de vno illo ictu loquebantur. ¶Plaga, *spatium immensum*. Virgil Æneid. 1. Aetheria quos laxa plaga Iouis ales aperto Turbabat cæló. Varro lege Mænia: Admirantes, quòd sereno inde tenuisset oculis cæli rimari plagas. ¶Plagæ, sunt *retia, quibus capta implicãtur*. Vir. Æne. lib. 8. Retia rara, plagæ. M. Tul. de offic. lib. 3. Súntne igitur insidiæ, tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis? ¶Plaga, *spatium amplissimum vel cæli vel agri*. Virg. Georg. li. 4. In medio dirimit plaga solis iniqui. ¶Plagæ, rursum *maculæ retiales*. Virgilius Æneid. libro 4. Retia rara, plagæ latæ, venabula ferro, Massilíque ruunt equites. ¶Plaga, aliquãdo *pars lecti*, aliquando *amnis*. Pacu. Atalanta: Et si metuo pietate plaga palam, vt sit plaga, quam nunc dicimus clauum. Varro Prometheo: Eburneis lectis, & plagis sigillatis. Afran. Palàm facito Demea, & plagulam de lecto, pellis dimitte ordine.

362 ¶*Putare, colligere, conferre*. Plautus Aulularia: Cur putatur ratio cum argentario? ¶Putare, dicitur *purgare, rarefacere*. Virgilius Geor. lib. 2. Fingítque putãdo. ¶Putare, *aptare*. Titi... Fullon. Date pensam lanam, qui non reddet tempori Putatum rectè, facite vt multetur malo. ¶Putare, *animo disputare*. Vir. Æn. lib. 6. Multa putans, sortémque animo miseratus iniquam. Ennius Thyeste: Ibi quid agat, secum cogitat, parat, putat. Cæcil. Exsule: Nõ hæc putas, non hæc in corde versantur tibi? Plautus Amphitryone. Quo id, malùm, pacto potest? nam mecum argumẽtis puta. ¶Putare, *æstimare*. Terentius Andria: Rectè putas. M. Tullius Epistolis ad Cæsarem li. 2. Quod sapientes homines, boni putant. Lucil. lib. XXIX. Perge amabo, ac, si potes, face dignã me vt vobis putem.

363 ¶*Piare*, dicitur, *impiare, cõtaminare*. Virgilius. lib. VI. Distulit in seram commissa piacula mortem. ¶Piare, *expiare, purefacere*. Vir. lib. VI. Duc nigras pecudes. ea prima piacula sunto. ¶Piare, *cõdere, consecrare*. Vir. li. 7. Prodigiis acti cælestibus ossa piabunt.

364 ¶Passum, *perpessum*. Virgilius Æneid. lib. 1. O passi grauiora. ¶Passum dicitur *genus liquoris, quod ex vua passa cogitur*. Virg. Geor. libro 2 Et passo psithia vtilior. ¶Passum, *dispersum, solutum*. Virgilius Æneidos li. 1. Crinibus Illiades passis. Terent. Phorm. Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida. Cælius Synaristosis: Heri verò prospexisse eum se ex tegulis, Hæc nuntiasse, & flammeum expassum domi. ¶Passum, *extensum, patẽs*. vnde & *passus* dicimus, quòd gressibus mutuis pedes patescunt. Ænn. Annalium lib. X. Aegro corde, comis, passis latè palmis pater, passis palmis ait pro patentibus, & extensis. Neu. Iphigenia: Passo vel hoc vicinum aquilone dortum fer foras.

365 ¶*Parcere*, est *veniam dare*. Virg. lib 6. Parcere subiectis, & debellare superbos. Lucillius lib. XXX. Quanti nos faciant socij cùm parcere possunt. ¶Parcere, *seruare*. Virg. lib. X. Argenti atque auri memoras quæ multa talenta. Natis parce tuis. Luc. lib. XXVIJ. Parcant illi magis cui possint, cui fidem esse existiment.

366 ¶ *Pax*, significantiam habet notam Virgil. vij. Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni. ¶ Pax, *venia*. Virg. Æneid. lib. 3. Sed votis, precibúsque iubent exposcere pacem. ¶ Pax, *propitiatio*. Virg. Æn. li. 3. Exorat pacem Diuûm.

367 ¶*Præstare, facere*. M. Tull. de offic. lib. 3. Emptorem indemnem damno præstari oportere. ¶*Præstare*, dicitur consuetudine *beneficium dare*. ¶Præstare, *exhibere*. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem lib. 2. Tu si meam fidem præstiteris, quod confido te esse facturum. ¶Præstare, *antecellere*. Virg. li. 12. O præstãs animi iuuenis. Sallust. Catilinæ bello, Omneis homines, qui student sese præstare cæteris animantibus. Terent. Eunucho: Dij immortales, homo homini quid præstat! M. T. in Verrem: Siciliensi, nimirum illi non ingenio solum his patronis, sed fortuna etiam præstiterunt. Lucil. lib. XXVIJ. Si facies præstat facie, si corpore corpus. M. Tu. de offic. lib. 2. Quid enim est per Deos immortales optabilius sapientia? quid præstabilius? Et Hortensio: Itaque nec in philosophia cuipiam cessit, & vitæ grauitate præstiti. Varro Quinquatribus: An hoc præstat hero filius Diogines? Præstat, *vtile est*. Virg. Æneid. lib. 3. Præstat Tinacrij metas lustrare Pachyni. Lucililiu. lib. XXX. Vti pecudem te, asinúmque, vt deniq. nasci pręstiterit. M. Tul. de senectute Nec vos quidem Titi Pontij centurionis vires habetis. num idcirco ille est præstantior vobis?

368 ¶*Pium*, dicitur *religiosum*. Virgi. Dij meliora piis. ¶Pium, *castum*. Virg. lib. 6. Quíque pij vates.

369 ¶*Præcipere*, est *iubere*, vel *monere*. Vir. lib. XI. Ipsi numerúmque modúmque carinis præcipiunt. Et libro nono: Námque ita discedens præceperat optimus armis Æneas. Teren. Adelphis: Nam quid tu hìc agas, Vbi siquid bene præcipias, nemo obtemperat. Lucil. lib. XXVI. Porrò amici est bene præcipere,

tueri, bene prædicare. M. Tull. de offic. libro 3. Nec omnino quicquam de eo genere præcipiendum fuisset. Et Hortēsio: Præcipiunt hęc istis, & facit nemo. Præcipere *prauenire*. Virg. lib. XI. Exultétque animis, & spe iam pręcipit hostem. Et libr. sexto: Omnia præcepi, atq. animo mecum ante peregi.

370 ¶ *Pulsatum* significat, *percussum*. Vir. li. VI. Pulsatúsve parens, aut fraus innixa clienti. M. Tu. de suppliciis: Lictores circumsistūt valentissimi, & ad pulsandos, verberandósque homines excitatissimi. ¶ Pulsatum, *violatum*, Virg. lib. 12. Pulsatus referens infecto fœdere diuos.

371 ¶ *Producere*, dicitur *longiùs ducere*. Virg. Æneid. libro 2. Abnegat excisa vitam producere Troia. Lucillius lib. XXIX. Si retinere hunc voles, si longius te producturum, & diutius. M. Tull. de senectute, Conuiuiúmque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem, quàm maximè possumus, vario sermone producimus. Varro ὄνος λύρας: Valete, & me palmulis producite. ¶ Producere, *prosequi*. Virgilius lib. VIII. Nec te tua funera mater Produxi. ¶ Producere. *instituere*. Terēt. Adelph. Seni animam primùm extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus. Lucil. lib. XXVI. Ducunt vxores, producunt quibus hæc faciant liberos. ¶ Producere, *deducere*. Teren. Adelph. O, quin egomet produxi. ¶ Producere. *foras ducere*. Terent. Heaut. Produxi, ac vendidi. M. Tul. in Verrem frumentaria: Quid opus est Lollio? nemo tuorum amicorum, nemo abs te productus, nemo interrogatus. Lucil. lib. XXX. Producunt me ad te, tibi me hæc ostendere cogunt.

372 ¶ *Proluuies* & illuuies significantiam habent parem: & est *immunditia*. Vir. Georg. lib. 3. Fœdissima ventris Proluuies. Et: Respicimus, dira illuuies. Terent. Heauton. Pannis obsita, Neglecta, immunda illuuie.

373 ¶ *Proluuium, profusio*. Terēt. Adelph. Quod proluuium? quæ hæc subitò largitas?

374 ¶ *Proiectum*, dicitur *& dimissum & derelictum*. Virg. lib. VI. Proiice tela manu. Idem Bucolicis: Non ego vos posthac viridi proiectus in antro. ¶ Proiectū, *longè iactum, extensum*. M. Tu. de signis: Sed quod erat huiusmodi loco, atque ita proiecta in altum. Vir. Æn. lib. 3. Proiectáque saxa Pachyni Radimus. M. Tul. de repub. 2. Iustitia foras expectat, & proiecta tota est, atque eminet. Et Orat. lib. 3. Brachium procerius proiectum, quasi quoddam telū orationis. ¶ Proiectum, *subtractum*, M. Tul. Philip. li. 4. Quid hoc, sicut facit clàm te ex vrbe proieceris?

375 ¶ *Præstringere, obtenebrare*. Plautus Milite glorioso: Præstringat oculorum aciem in acie hostibus.

376 ¶ *Perstringere, attingere*. M. Tul. de signis: Ignoscite, rei magnitudo me breuiter perstringere atrocitatem criminis non sinit. ¶ Perstringere, *radere*. M. Tul. Philipic. lib. 3. Cuius quidem vomere portam Capuæ penè perstrinxisti.

377 ¶ *Poscere, accipere*, Varro Parmenone: In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus. ¶ Poscere, significat *petere*. Virg. lib. XII. Poscit equos, gaudétque tuens ante ora frementis. Plaut. Aul. Vbi siquid poscas, vsque ad rauim poscas prius. Varro γνῶθι σεαυτόν. Non sub tiliis ac plaudes, & aratro posces astrictam coronam. ¶ Poscere, *prouocare*. Virg. lib. 8. Aut aciem dubites in prœlia poscere Turnum. M. Tul. prima & secunda actione in Verrē: Poscunt maioribus poculis. ¶ Poscere, *aduersari*. Vir. lib v. Equidem sic poscere ventos Iamdum & frustra cerno te tendere contrà.

378 ¶ *Proferre palàm facere*. Luc. li. 2. Proferat ergo Iam vester ordo scelera, quæ in se admiserit. ¶ Proferre, *protendere*. M. Tul. de Rep. li. 3. Sapientia iubet proferre opes, amplificat diuitias.

379 ¶ *Penetrare, cū vi ingredi*, sicuti plerunque. ¶ Penetrare, *exire, proripere*. Plautus Trinummo: Quo illic homo farasse penetrauit ædibus.

382 ¶ *Pariter, ex æquo*. Nęuius Decuma: Quid prophanari modo, si treis menses in æde, vt pariter dispertiam. Afr. Abducta: Dispartiantur patris bona pariter. Pariter, *conuenienter*. Titin. Prælia: Ne tu istum ædepol inedia extulisti pariter, vt dignus fuit. Pariter, *similiter*. Afranius Homine, tibi in vtraque parte pollet, & pariter potest. Pacuuius Nyptris: Pariter te esse erga illum video, vt illum te erga scio. Plau. Aulularia: Is ex se hunc reliquit, qui hic habitat, filium Pariter moratum, vt pater, atque auus eius fuit.

381 ¶ *Posterius*, dicitur *tardus*, vel *secundò*. Posterius, *minus*. Plaut. Asinaria: Posterius istuc dicis: quàm credo tibi.

382 ¶ *Postulare*, intelligitur apertissimè quam habeat significationem, vt est *poscere*. Ter. Andr. Alios mores postulat. Et: Dehinc postulo, &, si æquum est, te oro Daue. Postulare, *velle*. Plautus Asin. Vbi piem pietatem, si istoc more morata tibi postulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis? Idem Aulul. Nam qui heri ex sententia seruire seruus postulat. Paret, *obsequitur*. Virgil. Æneid. lib. 1. Paret amor dictis caræ genitricis. Paret, *videtur, ostenditur*. Virg. li. x. Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent.

383 ¶ *Portenta*, dicūtur, *quæ aliquid portendunt*, vt sæpe. Portenta, *inania quædam & irridenda*. Cic. Tusc. lib. 1. Aut quid negotij est hæc poetarum, & pictorem portenta conuincere?

384 ¶ Pro-

384 ¶*Protinus*, vbicunque lectum est, cõtra vsum intellectus cõmunis, quo statim significare creditur, positum inuenitur, vt sit protinus *porrò*, ac *sine intermissione*, *continuò*, quòd iunctum tenus, eius significantiam confirmat aduerbij. Virg. nanque in quocunq; loco posuit protinus, sub hoc sensu intelligendũ reliquit. Et quoniam nonnulli veterum pro eo, quod protinus est *protinã*, vel *protinu* conuerterunt, exempla de his necessaria decerpenda sunt. Afra. Epist. commissa: Tum protenis recta domum digredimur. Plaut. Astraba: Dare pedibus protinam sese ab his regionib. Idem Curcul. præpositione addita. Ostium Vbi prospexi, exinde me ilico protenam Dedi, quasi in longam fugam. Næuius Colace: Vbi vidi exanimabiliter timidis pedibus protinam me dedi, id est longiùs fugi. Varro etiam de lingua Latina lib. 6. Vel protinam, vel protinus continuatione, vel præteritæ, vel futuræ longitudinis dicit: & tamen quoniam (vt mihi videtur) potest eius aduerbij enuntiatio varia significantia eius mutata pro locis, exemplis testibus designanda est. ¶Protinus, *insequenter, deinceps*. Virg. Georg. lib. 4. Protinus aërij mellis cælestia dona Exsequar. Et Æn. Protinus Antæum, & Lucam prima agmina Turni persequitur. Et protinus Orsilochum, & Butem duo Maxima Teucrum Corpora. Et: Protinus aërias Phæacum abscondimus arces. ¶Protinus, *iugiter* & *continuè*. Sisenna Hist. libro primo: Nocte consumpta postero die per incertas vias Esserniam, inde Romam protinus profugerant. Idem libro quarto: Castra de Paniæ conuertit in montes, vt crebro ferculis protinus procedundo posset inter fines Æsculapiarum peruenire. Tubero Hist. lib. primo: Siquid à parentibus acceptum protinus antiquè memoriæ tradiderunt. Virg. lib. 10. Huic frater subit Alcanor, fratrémque ruentem Sustentat dextra traiecto missa lacerto: Protinus hasta fugit, seruátque cruenta tenorem Idem: Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes Albanæ coluere sacrum. Et Æneid. lib tertio: Hæc loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina (Tantum æui longinqua valet mutare vetustas) Desiluisse ferunt, cùm protinus vtraque tellus Vna foret. Et libro 8. Felix si protinus illum Æquasset nocti ludum, in lucémque tulisset. ¶Protinus, *statim*. Virgil. Æneid. lib. quarto: Protinus ad regem cursum detorquet Hiarbam. ¶Protinus, *longè porrò*. Virg. lib. septimò: Cornúque recuruo Tartaream intendit vocem, qua protinus omne Intonuit nemus, & syluæ intonuere profundæ. Idem libro octauo: Nam memini Hesione visentem regna sororis Laomedontiadem Priamum Salamina petentem Protinus Arcadiæ gelidos inuisere fines. ¶Protinus, *valde* Virg. Bucolicis: En ipsa capellas Protinus æger ago, hanc etiam vix Tityre duco. Vt sit animo & corpore valde æger: aut, si aliud enuntiat, refertur ad illud, vt sit longè, porrò ago. At ipsum, *hactenus* [tenus legendum] licet vt præpositionem acceperit, & vt præpositionem variet, tamen maximè finem, terminúmque designat. Virgil. Georg. lib. 2. Hactenus aruorum cultus, & sidera cæli. Idem lib. 11. Laterum tenus hispida nanti Frons hominem præfert. Idem libro 2. Capulo tenus abdidit ensem. Idem Georg. li. 3. Et currum tenus à mento palearia pendent. Idem Æneid. lib. 3. Et pulchro pectore virgo Pubetenus.

385 ¶*Parumper*, vi sæpe: *interim*, & *paruo tempore*. ¶Parumper, *cito*, & *velociter*. Virg. li. 6. Pulsúsque parũper Corde dolor, tristi gaudet cognomine terræ. Ennius Annalium lib. 1. Te nunc sancta precor Venus, & genitrix patris nostri, Vt me de cœlo visas cognata parũper. Idem eodem: Inde tuetur ibi lupus, fœmina conspicit amneis. In campo celeri passu premens parumper, Coniicit in syluam sese.

R

386 ¶*Restare*, dicitur *superesse*. Terent. Andria: Restat Chremes, qui mihi exorandus est. M. Tull. de senectute: Nec cum æqualibus solùm, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam ætate. Virg. Æn. lib. 2. Aut quid iam misero mihi denique restat? ¶Restare, *resistere*. Virg. Æneid. lib. 4. Hospes. Hoc solum nomen, quoniam de coniuge restat. M. Tull. de finibus bonorum, & malorum: Nullam quærentes voluptatem Stoici restant.

387 ¶*Religio*, est *deorum cultura*. Vir. Æn. li. 7. Religione patrum multos seruata per annos. ¶Religiosos quoque dies *infames*, vel *infaustos* lib. vndecimo commẽtariorum grammaticorum Nigidius appellauit. M. Tul. ad Atticum. Non maiores nostri funestiorẽ diem esse voluerunt Aliensis pugnæ, quàm vrbis captæ, quod hoc malum ex illo itaque aliter religiosos etiam nunc dies, aliter in vulgus. ¶Religio, *metus*, vel *solicitudo*. Varro ἀνθρωπόπολι, περὶ γενεθλιακῆς: Non fit thesaurus non auro pectus solutum, Non demunt animis curas, ac religiones, Persarum montes, non atria diuitis Crassi. Lucret lib. 1. Humana ante oculos fœdè cum vita iaceret In terris oppressa graui sub religione. Virg. lib. 8. Iam tum religio pauidos terrebat agrestes Dira loci. Terent. Andria: Dignus es cum tua religione hac odio. Nodum in scirpo quæris. Luci. lib. 28. Anno vertente dies tetri, miseri ac religiosi M. Tul. de offic. lib. 2. Ita est habendum religioni contrarium, nocentem aliquando & nefarium, impiúmque defendere.

388 ¶*Rarum*, consuetudine *infrequens* significat. Virg. Æneid. lib. 9. Qua rara est acies interlucétque corona. M. Tul. de offic. lib. 1. Si

ad hoc genus castigādi rarò, inuitíque veniamus. ¶Rarum, *electum*. Virg. Georg. lib. 4. Hic rarum tamen in dumis olus.

389 ¶ *Ruere*, est *decipi*. M. Tul. de offic. li. 3. Si hoc non est emptorem pati ruere, & per venditorem in maximam fraudem incurrere. ¶ Ruere significat *cadere*. Virg. Æneid. lib. 2. Ruit alto à culmine Troia. M. Tul. de suppliciis: Quę cùm accidunt, nemo est, qui intelligat ruere illam Remp. ¶ Ruere, *effundi*. Virgilius libro sexto: Vnde ruunt totidem voces responsa Sybillæ. Idem Georg. lib. 3. Ruit arduus æther. ¶ Ruere, *irruere sine cautela*. Virg. lib. 10. Quò moriture ruis, maioráque viribus audes? Lucil. lib. 30. Ruis hæc, & colligis omnia furtim. ¶ Ruere, *eruere*, *leuare*. Virg. lib. 11. Et confusa ruebant Ossa focis. Idem Æneid. li. 1. Totúmque à sedibus imis Vnà eurúsque, notúsque ruunt. ¶ Ruere, *diruere*, *complanare*. Virg. Geor. libro 1. Quid dicam, iacto qui semine comminus arua Insequitur, cumulósque ruit malè pinguis arenæ? Terent. Adelph. Cęteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prosternerem. ¶ Ruere, *erigere*, *extollere*. Virg. Geor. lib. 2. Et ruit atrā Ad cęlum picea crassus caligine nubem. Idem Æn. li. 2. Vertitur interea cælum, & ruit oceano nox. ¶ Ruere, *diuidere*. Virgilius Ænei. li. 1. Et spumas salis ære ruebant.

390 ¶ *Rigidum*, *frigidum*. Virg. Georg. lib. 2. Tellurem borea rigidam spirante moueri. ¶ Rigidum, *erectum*. Virg. Bucolicis: Tunc rigidas nutare cacumina quercus. Idem Georg. lib. 1. Et curuæ rigidum falces formantur in ensem. ¶ Rigidum, *durum*. Virg. Georg. lib. 3. Vestésque rigescūt Indutæ, cædúntque securibus humida vina.

391 ¶ *Relatū*, dicitur *perlatum*, *dictum*. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem lib. 1. Sed hæc videbimus, cùm legati responsa retulerint. ¶ Relatum, *conuersum*. Vir. lib. 11. Multa dies, variúsque labor mutabilis æui Rettulit in melius.

392 *Reddere*, *reponere*. Plautus Mustel. Tēpestas venit, confringit tegulas, imbricésque. ibi dominus indiligens reddere alias neuult: ¶ Reddere, dicitur *acceptum restituere*. Terēt. Phorm. Si quid quis reddit, magna habenda est gratia. ¶ Reddere, *facere*. Lucil. lib. 29. Pluteos excutit, tectáque & testitudines reddit. ¶ Reddere, *aduehi*. Virg. Æn 6. Redditur his primū terris. Reddere, *exponere*, & *dare*, Plau. Aulul. Tibi ego rationem reddam stimulorum seges?

393 ¶ *Remi*, sunt nauales pedes, sicuti plerunque remus remigis. Virg 3. Quam deinde Cloanthus Consequitur melior remis, sed pondere pinus Tarda tenet.

394 ¶ *Referre*, *recensere*. Vir. Bucol. Cogere donec oues stabulis, numerúmq; referre Iussit. ¶ Referre, *adscribere*. Var. Eumen. Forenses decernunt, vt existimatio nomē meum in sanorum numerū referat ¶ Referre, *perferre*, *indicare*. Virg. Æn. lib. 2. Referes ergo hæc & nūtius ibis Pelidæ genitori. Lucil. li. 26. Quod is intelligebat posse haud paucos retuli. ¶ Referre, *ostendere*. Lucr. li. 1. Vnde refer nobis victor quid posset oriri, Quid nequeat. ¶ Referre, *reuocare*. Vir. lib. 11. Ille pedē referens, & inutilis, ínque ligatus Cedebat. M. T. de signis: Cū iā satis perspexisse videretur, tollere incipiunt, vt referrēt Idem de offi. li. 2. Vt eò, vnde digressa est, referat. Plaut Asin. Quo magis te in altū capessis, æstus te in portū refert. ¶ Referre, *reddere*. Vir. 8. O mihi præteritos referat si Iuppitur annos, Qualis eram. Lucil. lib. 29. Quòd te intromisi, gratiam referat mihi.

395 ¶ *Rimari*, dicitur *scrutari*, *quærere*. Vir. lib. 11. Et parteis rimatur apertas. Idem lib. 7. Quod cuiq. repertū Rimāri telū ira facit. Pacuu. Atalāta: Cùm inc ultos peruestigās in mare sinus. Ac. Ilione: Aut stagnorū humorē rimaretur loca. Var. lege Menia: Admirantes quòd sereno lumine tonuisset oculis cæli rimari plagas. ¶ Rimari, *explere*. Virg. lib. 6. Rimatúrque oculis habitátque suo alto Pectore. ¶ Rimari, *inhabitare*. Virg. Geor. lib. 1. Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

396 *Rumpere*, significantiam habet manifestam. Vir. 7. Rumpimus inuitè tua vincula, vt plerunque. ¶ Rumpere, *defatigare*. Terent. Hecyr. Vt me ambulando rumperet. Afran. Epist. Ego misera risu clandestino rumperer. Lucil. lib. 30. Quæ quondam populi oris aures pectora rumpit. Idem lib. 27. Contemptū cùm me ruperim, summa omnia fecerim. Rumpere, *disiicere*. Vir Bu. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Rumpere, *retentū proferre*, diu *tacita dicere*. Vir. l. 10. Quid me alta silentia cogis Rumpere? Ter. Eunu. Iam me rumpere hoc mihi licet gaudium: Rumpere, *introire*. Idē eadem: Cesso huc intrò rumpere?

397 ¶ *Rogare*, *poscere*. Luc. lib. 26. Ferri tantum si roget me, non dem, quantum auri petit, si secu, it, & si quoque à me, quæ roget non impetret. Plaut. Asin. Spectandum me cui annulum det, neque roget. ¶ Rogare, dicitur *deprecari*, *poscere*. Tull. Verr. in diuinatione: Rogare & orare ne eos supplices aspernarer. Virgi. Æneid. j. Litúsque rogamus Innocuū. ¶ Rogare, *quærere*, *sciscitari*. M. Tul. ad Cæsarē iuniorem li. 1. Roga ipsum quemadmodum ego eum Arimini acceperim. Ter. Andr. Accedo ad pedissequas, Quæ sit rogo. ¶ Rogare, *instituere*. M. Tul. Philip. lib. 2. Ego ad eam belli ciuilis caussam attuli, ego leges perniciosas rogaui? Lucil. lib. 27. Consilium patriæ, legúmque oriundus rogator.

398 ¶ *Remissum*, *lætum*. Marc. Tul. de Oratore, Quis vnquam leges pręter hūc tragicas pene

penè comicè, tristeis remissè? ¶Remissum, significat *concessum*. Virgilius lib. x. Manibus, & cineri, si qua est ea cura, remitto. ¶Remissum, *missum*. Lucil libro xxix. Cohibet domi mæstus se Albinus: repudium quod filiæ remisit. ¶Remittere, *delectare*. M. Tul. Hortens. Quæro enim non quibus intendam animum rebus, sed quibus relaxem, ac remittam. Idem de senectute: Sed tamen est senis sermo quietus ac remissus.

399 ¶ *Recipere, promittere, polliceri.* Varro Bimargo: Ebrius est Marce, ἐδύσεται enim Homeri ruminari incipis, cùm περὶ ὕπνου scripturum te scio receperis. ¶ Recipere, *exstinguere, prosternere*. Virgilius li. 9. Pectore in aduerso totum cui cominus ensem condidit assurgenti, & multa morte recepit. ¶ Recipere, dictum est *datum accipere*. ¶Recipere, *accipere*. M. Tul. de offic. lib. 3. Cyrsilum quendam suadentem, vt in vrbe manerent, Xerxémque reciperent, lapidibus obruerunt. Varro Meleagris: Quem idcirco terra non cepit, & cælum recepit. ¶ Recipere, *reuocare*. Lucil. li. 29. Primùm ex aduerso, si quod est cenaculum, quò recipiat te. Virg. Æneid. lib. 2. Sic ore effata recipit Ad sese. M. Tull. de offic. libro 3. Qui cùm ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus. ¶Recipere, *exceptum facere*. Plaut. Trinum. Vbi nunc adolescens habet Posticulum. hoc recepit cùm ædeis venderet. Cic. de Orat. lib. 2. Sed dicis te, cùm ædes venderes, ne in rutis quidem, & cæsis solum tibi paternum recepisse.

400 ¶*Redundare, redire.* ¶Redũdare, *abundare, superesse*. Luci. li. 28. Primò redundat aurum, & thesauri patent. M. Tul. de offic. libr. 3. Nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant. Et Hortens. Tum intelligas, quàm illud non sit necessarium, quod redundat.

401 ¶*Redire*, manifestam habet significantiam. Terẽt. Andria: Redeo inde iratus, atque ægrè ferens. ¶ Redire, *referri, reuocari*. Luc. li. 27. Si tamen non ad te hoc rediuit, hoc carebis commodo. Virg. Georg. lib. 2. Redit agricolis labor actus in orbem.

402 ¶*Rursus*, significat *iterum*. Virg. Æneid. li. 2 Rursus in arma feror. ¶Rursus, *retro*. Virgilius Geor. lib. 3. Rursus cura patrum cadere. Varro Andab. Mortales multi rursus, ac prorsus meant. Ennius Andromeda: Rursus prorsus reciprocat fluctus feram.

403 ¶*Rumor*, vt plerũque, *opinio est*, Sallust. Histor. lib. 2. Ad hæc rumoribus aduersa in prauitatem, secũda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant. ¶ Rumor, *fauor, auxiliatio*. Virg. lib. 8. Et iter inceptum peragunt rumore secundo, id est, prospero fauore, & auxilio fluminis. Fenestella Annal. lib. 22. Itaque vt magistratum tribuni inierunt. C. Cato turbulentus adolescens, & audax, nec imparatus ad dicendum, initionibus assiduis inuideat, & Ptolemæo, qui iam profectus ex vrbe erat, & P. Lentulo consuli parenti iam iter cogitare, secundo quidem populi rumore cœpit. Ennius Annal. lib. 7. Legio reditu rumore ruinas Mox auferre domos populi rumore secundo.

S

404 ¶*Sublatum, susceptum*. Virgil. libr. 9. Troiæque labores Sublatum erudiit. ¶Sublatum, dicimus *remotum*. Virgil. lib. 12. Sine me hæc aut mollia fatu Sublatis aperiri dolis. M. Tullius Philip. lib. 1. Non modò regno, sed etiam regni timore sublato. Lucil. li. 30. Sublatus pudor omnis, licentia fœnus refertur. M. Tul. de offi. lib. 3. Sustulit quos obstare intelligebat. ¶Sublatum, *erectum*. Vir. li. v. Sublatáq. procul dextra connixa coruscat. Terent. Hecyra: Quia vobis paululum accessit pecuniæ, sublati animi sunt. Luci. li. xxx. Hic vt muscipula tenta, atque vt scorpius cauda sublata. M. Tul. Hort. Eloquentiam tueri, quam tu in cælum Hortensi, credo, vt ipso cum ea simul ascenderis, sustulisses.

405 ¶*Sufficit*, significat consuetudine *sat est*. Virg. Æneid. 12. Idque dudum dum terga dabãt pallãtia Teucri Sufficiat. ¶Sufficit, *subministrat*. Virg. Æneid. li. 2. Ipse pater Danais animos, virésque secundas Sufficit. ¶Sufficit, *durat*. Virg. lib. v. Nec nos obniti contrà, nec tendere tantùm Sufficimus. Idem 9. Nec sufficit vmbo ictibus. ¶Sufficere, ab *inijciendo*. M. Tul. Horten. Vt ij, qui conuiuij purpuram tuo sufficiunt; priùs sanè medicamentis quibusdam.

406 ¶*Suspensum, placidũ, silens*. Teren. Phor. Hæc vbi ego audiui, ad fores Suspenso gradu placidè ire perrexi. ¶ Suspensum, dicitur *altè ligatum*. M. Tul. in Verrem, Caput obnubito, arbori infelici suspẽdito. Virg. lib. 5. Quo tendit ferrum malo suspendit ab alto. ¶Suspensum, *solicitum*. Vir. Æneid. li. 2. Suspensi Eurypylum scitatũ oracula Phœbi Mittimus. M. Tul. Philip. 7. Aberrat à sententia, suspensus à curis maioribus.

407 ¶ *Species*, dicitur *effigies, facies*. Liu. Ægist. Iam ne oculis specie læta viri optabili. ¶ Species, *factum, spectaculum*. Virg. Æn. li. 2. Non tulit hanc speciem furiata mente Corœbus. ¶Species, *imago*. Cic. de offi. li. 3. Tum scitis quia is bonum iudicet quod honestum; quæ autem huic repugnent specie quadam vtilitatis. ¶Species, *pulchritudo*. Varr. Fumen. Quæ casta ætas, quæ vestis adolescẽtiũ, Quæ teneris species.

408 ¶ *Segne, tardum*. Vir. Georg. 3. En age segnes Rumpe moras. Et segne dissimile. Vir. Æneid. 3. Haud illo segnior ibat Æneas.

409 ¶ *Saltus*, consuetudine *à saliendo* di-

citur. Virgi. VIII. Tum demum saltu præceps, sese omnibus armis In fluuium dedit. ¶Saltus *campi spatium*. Virg. Geor. li. 3. Saltibus in vacuis pascunt, & plena secundum Flumina.

410 ¶*Subijcere*, est *subtus iacere, supponere*. Vir. Geor. l. 3. Et ramea costis Subiiciunt fragmenta. Et li. XI. Caudámque remulcens, Subiecit pauitantem vtero. M. Tull. Philip. lib. 2. Ceruicésque suas ei subiecit securi, qui multi minoribus in peccatis occiderunt. ¶Subiicere, *sursũ iacere, excrescere*. Vir. Bucolicis: Quãtum vere nouo viridis se subiicit alnus. Idem Geor. l. 4. Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit. Lib. XII. Aut corpora saltu Subiiciunt in equos.

411 ¶ *Seruare liberare*. Virg. Æneid. lib. 3. Seruatum ex vndis Strophadum me littora primum accipiunt. ¶ Seruare, dicitur *custodire, tueri*. Virg. Æneid. lib. 2. Seruate domum, seruate nepotem. Idem libro nono: Sola domum, & tantas seruabit filia sedes. ¶ Seruare, *sollicitè, & suspiciosè obseruare*. Lucil. lib. XXX. Quid seruas, quò eam, quid agam? quid id attinet ad te? Plautus Asinar. Tuus sermo seruet, Veneri an eas det, an viro. Virgil. Georg. lib. 1. Hoc metuens cæli menses, & sidera serua. quod est Menãdri. τηρῶ τὸν ἥλιον τά τ' ἄστρα. ¶Seruare, *inhabitare, possidere*. Virgil. Geor. 4. Centum quæ syluas, centum quæ flumina seruant. Idem: Immanem ante pedes hydrum moritura puella Seruantem ripas. ¶ Seruare, *tenere*. Virg. li. VII. Curuam seruans sub imagine falcem.

412 ¶*Supremum*, significat *extremum*. Virg. li. XI. Qui supremum comitentur honorem. Supremum. *Sursum*, altum. Virg. Georg. li. 4. Clamore supremos Implerunt montes Terent. Adelph. Proh supreme Iupiter. Plautus Amphit. Vt Iouis supremi vultis hosteis pacem expetam.

413 *Scauum, iratum*. Virg. Æneid. lib. 1. Et sæuum ambobus Achillem. ¶Sæuum, dicitur *immite*. Vir. Æneid. lib. 1. Sæuæ memorẽ Iunonis ob iram. Lucillius lib. XXX. Et sæuo ac duro in bello multo optimus hostis. Idem libro XXVI. Quod quæ te in tranquillum ex sæuis transfer tempestatibus. ¶ Sæuum, *forte*. Virgil. 1. Æneid. Sæuus vbi Aeacidæ telo iacet Hector. ¶ Sæuum, *potens*. Idem eodem: Non illi imperium pelagi, sæuúmque tridentem, Sed mihi sorte datum. ¶ Sæuum, *durum*. Vir. lib. V. Cùm sæuo scopulo multa vix arte reuulsus. Luci. lib. XX. Idque tuis factis sæuis, & tristibus dictis.

414 ¶ *Superare*, est *vincere*. Terent. Eunucho: Superat ipsam Thaidem. Virgil. Bucol. Quid si idem certet Phœbum superare canendo? Superare, *abundare*. Virg. Georg. lib. 1. Si superant fetus, pariter frumenta sequentur. ¶Superare, *viuere, superesse*. Virg. Ænei. li. 3. Quid puer Ascanius, superátne, & vescitur aura? Idem 2. Satis vna supérque Vidimus excidia, & captæ superauimus vrbi. ¶ Superare, *superesse*. Virg. Georg. 3. Præterea superat gregibus cùm læta iuuentus. ¶Superare, *ascendere*. Idem eodem: Superant montes, & flumina tranant. Et: Grauido superant vix vbere limen. ¶Superare, *occidere*. Virg. Æneid. 1. Clam ferro incautum superat.

415 *Stratum*, significat *iacens*. Virg. Geor. 4. Sternunt se somno diuerso in litore ephocæ. ¶Stranum, *deiectum*. Virgi. lib. X. Sternitur infelix Acron. Idem Bucol. Strata iacent passim sua quæque sub arbore poma. ¶Stratum, *placatum, lenitum*. Vir. Buc. Omne tibi stratũ silet æquor. ¶Stratum, *tectum*. Virg. Georg. 3. Multorum stipula, filicúmque maniplis Sternere subter. Et Æneid. 8. Sternitur omne solum telis. ¶Stratum, *compositum, exstructum*. Virg. Æn. 1. Minatur portas, strepitumque, & strata viarum.

416 ¶*Secundũ*, est *numero aut ordine secundum*. ¶Secundum, *iuxta*. Virg. Georg. li. 3. Saltibus in vacuis pascunt, & plena secundum Flumina. ¶ Secundum, *prosperum*. Vir. li. X. Et seruare modum rebus sublata secundis. M. Tull. de offic. lib. 1. Sic homines secundis rebus effrenatos. Terent. ἑαυτοντ. Sic mihi secundæ, res de amore meo essent. M. Tull. ad Cæsarem iuniorem libr. 2. Scriptum erat equestre prælium valde secundum, in his potiùs aduersum. ¶ Secundum, *lene placidum*. Virg. Georg. lib. 3. Mersúsque secundo defluit amni.

417 ¶*Summissũ*, significat *humile*. M. Tul. de officiis libro 1. Neque summissum & abiectum, neque sese efferentem. Virg. Æneid. li. 3. Summissi petimus terram, & vox fertur ad aureis. ¶Sũmittere, *subdere, supponere*. Lucil. lib. XXVIII. Summittas alios si quos possis cenceas. ¶Summittere, *demittere*. Virg. Bucol. Pascite vt ante boues pueri, summittite tauros. Idem Georg. lib. 3. Tu modò quos in spem statuis summittere gentis.

418 ¶*Seuerum, triste*. Var. Eumen. Tertia pœnarum Infamia stans nexa in vulgi pectore, fluctuãti intonsa, coma sordido vestitu, ore seuero. ¶Seuerum, *graue, cẽsorium*. Vir. li. 7. Romulidis, Tatióque seni, Curibúsque seueris. ¶ Seuerũ, *asperũ, trucem*. M. Tul. Hortensio: Aliud ex syluis seuerum, & triste. Virg. lib. 7. Qui tetricæ horrenteis rupes, montémque seuerum. ¶Seuerũ, *sæuum, implacidum, vitabile*. Virgilius Georg. libro 3. Inuidia infelix furias, amnémque seuerum Cocyti metuet. M. Tullius de officiis libro 3. Et, qui perindulgens in patrem, idem acerbè seuerus in filium.

419 ¶*Soluere*, vsu significat *enodare*. Virgil. 7. Soluite crinales vittas, capite orgia mecum.

¶ Soluere,

¶Soluere, *debitum reddere.* Sallust. Catil. bello: Argētum ære solutum est. M. Tul. in Verrem diuinatione: Pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. ¶Soluere, *dimittere.* Virgilius Georg. 2. Solue mares, mitte in Venerem pecuaria primus. ¶Soluere, *à curis liberum esse.* Virgilius Georg. 2. Risúque soluto. Idem Æneid. 1. Soluite corde metum Teucri. ¶Soluere, *contemnere, despicere.* Virgil. Æneid. 4. Soluísque pudorem. ¶Soluere, *excipere.* Idem lib. x. Nec populos soluo.

420 ¶*Superbum, arrogans, truculentū, asperum.* Virgil. Æneid. lib. 3. Stirpis Achilleæ, fastus, iuuenémque superbum. Idem lib. x. Te Turne superbum Cæde noua quærens. ¶Superbum, *vitabile.* Virgilius lib. 7. Foribúsque affixa superbis. Ora virûm tristi pendebant pallida tabo. ¶Superbum, *elatum, altum.* Virgilius Georg. lib. 3. Et gressus glomerare superbos. Idem 7. Atina potens, Tybúrque superbum. ¶Superbum, *ornatum.* Vir. Æneid. libr. 2. Barbarico postes auro, spoliísque superbi Procubuere. ¶Superbum, *opulentum.* Virgil. 9. Simul ense superbum Ramnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis Exstructus. ¶Superbum, *iniquum.* Virgil. li. 9. Quos illi bello profugos egere superbo.

421 ¶*Stare, consistere* omnium consensu dicitur. Virgilius libro tertio: Stare loco nescit. Plautus Amphit. Ita statim stant ad signa omnes. ¶*Stare,* iterum *horrere* significat. Titinnius Veliterna: Atque illud ante partum comedet, fundi stabunt sentibus. Cæcilius Syracusiis: Hic amet, familiæ fame pereant, ager autem stet sentibus. Virgil. Æneid. libro 12. Iam puluere cælum Stare videt. ¶Stare, *erigi preminere.* Lucil. libro xxix. Hic corpus solidum inuenies, hic stare papillas Pectore marmoreo. ¶*Stare, fidem habere.* M Tul. de offi. libro 2. Facere promissa, stare conuentis, reddere deposita. ¶Stare, *valere*, & *constare*, & *fixum esse.* Varr. Flextabulis, περὶ ἀπαρχῶν. Atque si addam quanta misericordia mea heredibus meis stet, quò miseros subleuauerim. Virgilius libro x. Stat sua cuique dies. Idem libro 2. Stat casus renouare omnes. ¶Stat etiam *plenum est.* Lucil. Satyrarum lib. v. Interea stat sentibus pectus. Virg. Bucolic. Stant & iuniperi, & castaneæ hirsutæ. Varro Eumenidibus: Denique auarus, Quis sanus? cui sitet terra, & traditus orbis, Furando tamen, ac morbo stimulatus eodem. Ex sese ipse aliquid quærat, cogátque peculi. Sisenna lib. 9. Cælum caligine stat.

422 ¶*Spissum, densum* dicimus: Virgilius Georgic. 2. Sin in sua posse negabunt Ire loca, & scrobibus superabit terra repletis Spissus ager. Cicero de Oratore libro 2. Et principia tarda sunt, & exitus tamen spissi, & producti esse debent. ¶Spissum significat *tardé.* Cæcilius Dardano: Nihil ego spei credo, omneis res spissas facit. Titinnius Gemina: Longus sermo habetur, reuortetur spissa. Afranius Incendio, Itaque spissum videtur fieri: non possunt domi meum Virum expectare, quem mihi studeo iamdudum dari. Idem Matertera: Quòd defessa exspectando domi sedi, quod spisso venire visum est mani mihi. Plautus Pœnulo: Eheu quos ego habui ariolos haruspices, Qui si quid boni promittunt, pro spisso venit: Id quod mali promittunt præsentaneum est. Næuius Gymnast. At enim tu nimis spissè, atque tardè incedis, Turpillius Caneph. Ita est, verùm haud facile est venire illi, vbi spissa est sapientia. Spissum est iter adipisci aut posse, nisi cum magna miseria. Varro Mysteriis: Nascimur enim spissiùs, quàm emorimur, Vix duo homines decem mensibus edolatum vnum reddunt puerum: contrà vna pestilentia, hostica acies puncto temporis immaneis aceruos facit. Et libro tertio: περὶ ἐκπλοῦ περὶ φιλοσοφίας: Et ne erraremus, ectiopas esse multas, omnino tutum esse, sed spissum iter. Pacuuius Hermiona: Habet hoc senectus in se, cùm pigra est ipsa, vt spissa omnia videantur confieri.

423 ¶*Statim, mox* dicitur. Cicero Verrinis: Statim Messanam litteras dedit, vt Telesinus ad se continuò veniret. ¶Statim producta prima syllaba à stando *perseuerantur, & æqualiter* significat. Terentius Phorm. Bina talenta capiebam statim Plautus Amphitr. Nec recedit loco quin statim rem gerat. Idem eadem: Ita statim stant signa omnia. Ennius Aiace: Quis est cum Achiuis gesserunt statim. Afranius Augure: Quanquam non istis exercere in locis hic noster delaborat cùm puer statim.

424 ¶*Superstites,* dicimus *qui supersunt mortuis.* ¶Superstites veteres posuerunt *incolumes.* Terentius Andria: Deos quæso vt sit superstes. Plautus Asinario: Sicuti tuum vis vnicum gnatum tuæ superesse vitæ sospitem, & superstitem. Virgilius libro x. Liceat superesse nepotem. Accius Alcmęone: Suos deseruit liberos, superstites sunt.

425 ¶*Spurcum, sæuum,* vel *sanguinarium.* Afranius Diuort. Mulier nouerco nomen huc adde impium, Spurca gremio vestigia haud dici potest. Lucillius Satyrarum libro quarto: Eheruinus fuit Flacco ore, vna equidem Samnis Spurco homo, vita illa dignus locóque, Cum Pacidiano componitur, optimus multo Post homines natos gladiator qui fuit vnus. Afranius Fratriis: Commemorabo, ostendam illius facta, & spurca improbi. Idem Diuortio: O dignum facinus adolescentis optimas Bene conuenientes, concordes eum vires Repente viduas faciat, spur-

citia patris. Varro lib. xx. rerum humanarum: Ne quis lectorem spurcum, hominem liberum prehendere iussisse velit. ¶Spurcum, *vehemens asperum.* M. Tul. ad Cæsarem iuniorem libro 2. Cùm iter facerem, claternam tempestate spurcissima. Varro Eumenidib. Nunc de te, inquit, meliusculam spem habeo, qui rem spurcissimam gustare voluerim. ¶Spurcum, significat *obscœnũ, impurum, lutulentum.* Plautus Asinaria, Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit. Pompon. Prosti. Quæ pedibus nubere poterant, equites perant spurcè. ¶Spurcum, etiam *fœtidum.* Plautus Menæch. Nec isto loco spurcatus nasum odore inlutibili. Lucretius lib. 6. Deinde videre licet, quàm multæ homini res Acriter infestant sensus, spurcæque, grauésque. Idem eodem: At contra nobis cœnum teterrima cum sit Spurcities. Lucil lib. 11. Prætor noster adhuc, quàm spurcus est ore, quod omnis Extra castra, vt stercus, foras eiecit ad vnum. Idem lib. 28. Quæque aspectu sunt spurca & odore.

426 ¶*Siccum,* dicitur *aridũ, & sine humore.* Virgilius libro v. Summa petit scopuli, siccáque in rupe resedit. ¶Siccum, *exercitum.* Lucillius libro 26. Cum stadio in gymnasio in duplici corpus siccassem pila. ¶Siccum dicitur & *sobrium,* inauditum. Plautus Asinar. Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maximè. Idem Pseudolo: Vino modò cupidæ estis: eo vos, vestrósque adeò pantices madefactis, cùm ego sim hic siccus. Cicero Academic. lib. 2. Alius adultis, alius senibus, alius ægris, alius siccis, alius vinolentis. Varr. Cato, vel de liberis educandis: Persæ propter exercitationes pueriles modicas, eam sunt consequuti corporis siccitatem, vt neque spuerent, neque emungerentur, sufflatóve corpore essent. ¶Siccum, *firmum.* M. Tullius de senectute. Nullo imbri, nullo frigore adduci, vt capite operto sit summam esse in eo corporis siccitatem.

427 ¶Seges, est *frumenti fructus.* Virgilius Æneid. 2. In segetem veluti cùm flamma furentibus austris. ¶Segetem, *terram.* M. Tul. Hortensio: Vt enim segetes agricolæ subigunt aratris multo antè, quàm serant. ¶Segetem etiam *ipsam terram* dicimus. Virgilius Georg. 4. Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho. Idem Æneid lib. 3. Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat. Plautus Aulularia: Tibi ego rationem reddam stimulorum seges? id est, in qua stimuli eripi possunt. Accius Oenom. Ferte ante auroram radiorum ardentem indicem cum somno in segetem agrestis cornuto scient, vt rorulentas terras, ferro fidas proscindant glebas, quæ aruo ex molli excitẽt. Idẽ Androm. Quod beneficium haud sterili in segete rex te obesse intelligis? Lucil. Satyr. lib. 7. Solam auram aduersam segetem immutasse, statúmque. Varro ἄγυμον μετρεῖς, περὶ φιλαργυρίας: Etenim quibus seges præbeat domum, escam potionem, quid desideremus?

428 ¶*Sumere,* est *accipere, tollere.* Virgilius libro v. Sume pater. Sallust. Iugurthæ bello: Epistolam super caput in puluino temerè positam sumit. M. Tul. de signis: Iste vnumquodque vas sumere in manus, laudare, mirari. Lucillius lib. 28. Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet, Crede mihi pressè auferet omnis. Et Plautus Aulularia: Non equidem ego qua voluptate sumpsi, neque tetigi. ¶Sumere, *suscipere.* Lucil. lib. 26. Hunc laborem sumas, laudem qui tibi, ac fructum ferat. Cicero de finibus bonorum & malorum lib. 2. Verùm hoc loco sumo de verbis his eaudem vim voluptatis. ¶Sumere etiam significat *eligere.* Lucil. Satyr. lib. 3. Et spatium curando corpori honestum Sumemus. Plautus Aulular. Syluani locus extra murum est auius, Creber salictis oppletus, ibi sumam locum. Lucillius Satyrarum lib. x. Honorum est Iudicium crassis, vt nos describimus antè: Hoc est, quid sumam, quid non, in quoque locemus. Et lib. xix. Sume diem, qui est visus tibi pulcerrimus vnus. Sallustius Iugurthæ bello: Scilicet, vt in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officij sui. M. Tullius Hortensio: Quare velim dari mihi Luculle iubeas indicem tragicorum, vt sumam, qui fortè mihi desunt. ¶Sumere, *conducere.* M. Tul. de offic. lib. 3. Quoad enim peruentum est eò, quò sumpta vis est, non domini nauis, sed nauigantium.

429 ¶*Sufferre,* est *sustinere.* Virg. Æneid. lib. 2. Nec claustra, nec ipsi Custodes sufferre valent. Accius Myrmidonibus: Ego me non peccasse planè ostendam, aut pœnas sufferam. ¶Sufferre, significat *dedere,* vel *supponere.* Plautus Casina: Intro ad vxorem meam, sufferámque meum tergum ob iniuriam. Idem Pœnulo: Vt enim, vbi mihi vapulandum sit, tu corium sufferas. Accius Nyctegresia: At ego illum eripiam, aut illi pœnam sufferam. Afran. Prodigo: Nam me pudet, vbi meum loquitur Numerius, aliquid suffero, Græcè irridet me ilico.

430 ¶*Surgere, crescere, augere.* Virgil. Geor. lib 1. Queis sine nec potuere seri, nec surgere messes. Idem Aeneid. lib. 4. Ascanium surgentem, & spes hæredis Iuli Respice. ¶Surgere, *erigi.* Sallustius Histor. lib. v. Sella surgere, caput aperire solitum. Terentius Adelphis: Vt triduo hoc perpetuo prorsum è lecto nequeat surgere. Virgilius libro octauo: Surget & ætherij spectans orientia solis Lumina.

431 ¶Sa-

431 ¶*Sacrum*, est *sacratum* vel *religiosum*. Virg. lib. 6. Ceteríque sacrum Polybetem. Et lib. 7. Sceptrúmque, sacé que tiaras. ¶ Sacrum etiam *scelestū, & detestabile, ita & consecratum*. Afranius Fratriis: O sacrum scurram & malum. Plautus Pœnulo: Vendítque has omneis, & nutricem, & virgines Presenti argento homini, (si leno est homo) Quantum hominum terra sustinet, sacerrimo. Virg. Æneidos libro 3. Auri sacra fames. Lucillius Satyrarum lib. xv Aide istos sacer illoto colfo fax syrofenix. Quid facere est solitus. Turpilius Demetrio: Sed etiámne irrides me pessime, ac sacerrime? idem Lindia: Ab hinc triennium sacerrimum domicilium hoc quidem contulit leno. Varro Lege Mænia: Signata sacra esse desierunt, postcaquam homines sunt facti.

432 ¶*Saucij*, dicuntur propriè *vulnerati* non mæsti, sicuti vult consuetudo. Acc. Phœnissis: Vbi nunc vestra mœnia Omneis saucios conuisit, vt curentur diligentiùs. Turpil. Epiclero: Patrocinantem vbi factum audierit saucius. Sallustius Hist. lib. secundo: Auidísque ita, promptísque ducibus, vt Metellus ictu tragulæ sauciaretur. Virg. Æneid. lib. 2. Qualis mugitus fugit cùm saucius ara Taurus. Idem libro septimo: Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit. Varro de vita populi Romani libro 4. Itaque multis ciuibus ex vtraque parte sauciis, multis occisis fugatur.

433 ¶*Supplicium*, dicebatur *damnatio*, vel *pœna*. Vir. Æneid. libro quarto: Mediis (siquid pia numina possunt) Supplicia hausurum scopulis. ¶Suppliciū rursum *supplicatio*. Sal. Catilinæ bello: In suppliciis deorum magnifici. Acc. Epigonis: Nūc pergamus, suppliciis placans cœlitum aras expleam. Afran. Fratribus: Nullam profectò accessi ad aram, quin deos suppliciis, sumptu vatis, donis, precibus, plorans, obsecrans ne quicquam defatigarem.

434 ¶*Samium*, est *testeum*. Lucil Satyr. lib. 14. Et non pauper vti Samio, curtóque catino. M. Tull. de Repub. lib. 6. Læli quàm omnes habemus in manibus, quàm si imperia pontificum diis immortalibus grata sine samio, quæ vt h s scribit capedines. ¶Samium rursum *acutū*, vnde & samiare dicimus acuere, quod in Samio hoc genus artis polleat. Lucil Satyrarum libro 8. Hanc vbi vult malè habere, vlcisci procellæ eius testam sumit homo samiam. Ibi an vno telo inquit, præcessit caulem testis, quæ vna amputat ambo.

435 ¶*Spernere*, *fastidire*. Virgilius Æneidos libro 3. Comitémne sororem Spreuisti moriens? Terentius Andria: Quot modis contemptus, spretus, facta, transacta omnia. ¶Spernere rursum *segregare*. Ennius Hectoris Lytris: Melius est virtute ius nam sępe virtute mali nanciscuntur ius, atque æquum, se à malis sperni procul.

436 ¶*Subducere*, *supputare*. Teren. Adelph. Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit. Lucil. libro xxix. Eodem vno hi modorationes subducent suas. M. Tul. Hortensio: Nisi etiam sine ea cogitatione iucundis, subducendísque rationibus. Idem de finibus bonorum & malorum: Qui autem esse potest, nisi te amore præcepit, quod non subducta vtilitatis ratione effici solet? ¶Subducere est surripere. Turpilius Lindia: Ego interim in turba foras subduxi cum hac me. Virgilius Bucol. Et succus pecori, & lac subducitur agnis. Terentius Eunucho: Vbi primùm potuerit, se illi subducet scio. Lucillius libro xxx. Neu quis te ignoret famulis subducere. M. Tul Hortensio: An cùm videat me & meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, cōstantiam, grauitatem, fidem, ipsa se subducat. ¶ Subducere etiā *sursum ducere, leuare*. Turpilius Paraterusa: Cùm antehac videbam stare tristes, turbido vultu, subductis cum superciliis senes. Varro εὕρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ γεγαμηκότων. Ego vnus scilicet antiquorum hominum subductis superciliis dicam. ταμίειον συνέχων. Sallustius Iugurthæ bello: Dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Virg. Bucolicis: Quà se subducere colles Incipiunt. M. Tul. de officiis libro tertio: Huic ille classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Cythæum clàm incendi posse. Plaut. Aulul. Vt in puteo cenam coquam: inde coctam sursum subducemus corbulis.

437 ¶*Stupidus*, est *obstupefactus*. Stupidus, *stultus, iniquus*. Varro περὶ ἐξαγωγῆς: Andromeda iuncta, & proposita citò non debuit patri suo, homini stupidissimo in os exspuere vitam.

438 ¶*Suspicere*, est *sursum adspicere*. Virgilius Æneidos libro 1. Et fastigia suspicit vrbis. Varro Agathone: Et pueri in ædibus sæpius pedibus offensant, dum recentes musteos in carnario, fluitare suspiciunt. ¶Suspicere, est *suspectum habere*. Sallustius Iugurthæ bello: Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat suspectus regi, & cum suspiciens nouas res cupere, & perniciem eius dolo quærere. Virgilius Æneidos libro 2. Suspectáque dona Præcipitare iubet. Et Cic. de orat. quo prudentia hominibus grata est, lingua suspecta.

439 ¶*Subigere*, *acuere*. Virg. lib. 8. Subigúntque id cote secures. ¶Subigere, *exercere, mollire*. Cicero de Orat. libro 2. Subacto

mihi ingenio opus est, vt agro non semel arato, sed nouato, & iterato. ¶Subigere, est *superare, & sub ditione habere*. Vir. Æneid.lib.1. Ternáque transierint Rutulis hiberna subactis. Sisenna Hist.lib.4. Terrore perturbatam multitudinem subigunt. ¶Subigere, *exarare*. M.Tul.de senect. Cùm autem admiraretur Lysander proceritatem arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam atque puram. ¶Subigere, *mollire*, vel *exercere*. Virgil Georg lib 2. Aut scrobibus mandet mutata subactis. Lucil.lib.xxx. An ego te acuam atque animosam Thessalam, vt indomitam frenis subigam antè, doméque? M.Tul.Hortensia: Vt enim segete, agricolæ subigunt aratris multo ante, quàm serant. Idem de senectute: Sed etiam ipsius terræ vis ac natura delectat, quæ cum gremio mollito, & subacto sparsum semen excepit. ¶Subigere, *cogere*. Virg.Georg.lib.3 Et sæpe superbos Cornibus inter se subigit decernere amanteis. Idem lib 6. Castigátque, audítque dolos, subigítque fateri. Lucillius libro xxx. Túne iugo iungas me antè, & succedere aratro Inuitem, & glebas subigas proscindere ferro? Plaut. Mercatore: Mirum quid me subagitaret.

440 ¶*Summum*, significat *quod omnibus sit altius*. Virg. Æneid.lib.4. Summóque vlularunt vertice nymphæ. Idem lib. xij. Apicem tamen incita summum Hasta tulit, summásque excussit vertice cristas. ¶Summum, *proximum*. Cic. Tusc.lib 1. Summam aquam attingens enectus siti Tantalus? ¶Summum, *extremũ*. Virg. Æneid.li 2. Venit summa dies, & ineluctabile tempus Dardaniæ. Lucill.lib. xxvi. Squalitate, summa scabie, summa in ærumna obrutam. M.Tul. Hortensio: Vixit ad summam senectutem valetudine optima.

¶Summum, *gloriosum, laudabile*. Virg.libro 8. Méne igitur socium summis adiungere rebus Nise fugis? Ennius Endromacha: Hæc malos annos, multósque, longinque ab domo bellum gerentes summum, summa industria.

441 ¶*Spectare, dirigere*. Lucil.lib.xxx. Quid sibi vult, quare fit, vt intrò versus, & ad te Spectent, atque ferãt vestigia, & omnia prorsus? M.Tull.de offic.lib.3. Ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. Spectare, est *videre*. Virg. Georg.lib.1. Heu magnum alterius frustra spectabis aceruum Lucret lib.2. E terra magnum alterius spectare laborem. Virg. lib.xij. Sedeant spectentque Latini. M.Tull. Hortensio: Cæli signorum admirabilem ordinem, insatiabilémque pulcritudinem magis spectat. ¶Spectare, *inspicere, cauere*. Plaut. Asinar. Spectandum, necui annulum det, neque roget. ¶Spectare, *probare*. Cic.Tusc.libro v. Non igitur ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt. Terentius prologo Andriæ. Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius. Virg. lib.8 Sunt nobis fortia bello Pectora, sunt animi, & rebus spectata iuuentus. M. Tull.de offic.lib.2. Qui simul ac iuuenes esse ceperunt, magna spectare, atque ad ea rectis studiis debent contendere. Varro γνῶθι σεαυτὸν: Qui sint secundùm naturam perfecti homines, vt non modò eos spectemus, sed etiam imitemur.

442 ¶*Stringere, percutere*. Vir. Æneid. lib.x. Atque animum patriæ strinxit pietatis imago. ¶Stringere, *nudare*, vel *exercere*. Virg. Æneid.lib xi. Strictum rotat acer Lucagus ensẽ. ¶Stringere, *rarefacere, excindere*, Virg. Bucol. Hic vbi densas Agricolæ stringunt frondes. Et Geor.lib.2. Tunc stringe comas, tunc brachia tonde. ¶Stringere, *decerpere*. Vir. Geor. lib.1. Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus Et lauri baccas. Varro de re rustica lib. 1. Quod non solum celeriter præterire stringere vocant, sed etiam te transglubit. ¶Stringere, *radere*. Virg.lib.8. Ego sum, pleno quem flumine cernis Stringentem ripas. ¶Stringere, *Vulnerare*. Virg.li 8. Hunc primo leuis hasta Camillæ Strinxerat.

443 ¶*Succedere*, dicitur *in alterius locum venire*. Virg.lib.x. Interea soror alma monet succedere Lauso Turnum. M.Tul.de offic.lib.3. Atqui quodam quasi veneno perficiat, vt veros hæredes moueat, vt in eorum locum ipse succedat. ¶Succedere, *ingredi*. Vir.li 8. Et nostris succede penatibus hospes. Afranius Excepto: Audite pueri pauca, vos succedite.

444 ¶*Subit, in memoriam reducitur*. Virg. Æneid.lib.2. Subiit deserta Creusa, Ascaniúsque, omnísque domus. Subire, significat *ingredi*. Virg.lib.8. Hæc, inquit, limina victor Alcides subiit. Lucillius lib 28. Puer præterea nostris qui subeant iubet. ¶Subire, *succedere*. Var. Sexagesi: In quarum locum subierunt, inquilinæ impietas, perfidia, impudicitia, impudentia. ¶Subire, *subdere, supponere*. Virg. Æneas subiit mucronem, ipsúmque morãdo Sustinuit. ¶Subire, *nasci, succrescere* Virg. Georg.lib.1. Ne subeant herbæ, neu puluere victa fatiscat. ¶Subire, *aggredi, succedere*. Virg. Phidúmque Hebesúmque subit. ¶Subire, *resistere, respõdere* M.Tul.in Verrem diuinatione: Poterísne eius orationem subire?

445 ¶*Secare*, dicitur *excidere*. Virg.lib.8. Qualis Nereis Clotho, Et Galatea secant spumantem pectore pontum. ¶Secare, *sequi*. vnde & sectatores bonorum *sectores* dicti sunt: Virg. lib.x. Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem.

446 ¶Squali-

446 ¶*Squalidum*, ſicuti plerunque dicitur, *ſordidum*. Virg. Æneid. lib. 2. Squalentem barbam, & concretos ſanguine crines. ¶Squalidum, *fulgens*. Virgi. lib. x. Per tunicam ſqualentem auro latus haurit apertum.

447 ¶*Scitum, elegans*. Terẽtius Andr. Perecaſtor ſcitus puer natus eſt è Pamphilo. M. Tullius in Verrem actione Siciliensium: Vt etiam nos, qui rudes harum rerum ſumus, intelligere poſſumus ſcitè facta, & venuſtè.

447 ¶*Sedet*, ſignificationẽ habet claram. Virgilius. Turnus ſacrata valle ſedebat. ¶Sedet, *placet*. Idẽ v. Idque pio ſedet Æneæ, probat auctor Aceſtes.

448 ¶*Suſtulit*, eſt *ſurſum tulit, erexit*. Virg. Æneid. lib. 2. Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas. ¶Suſtulit, *abſtulit*. M. Tu. Phili. lib. 2. Eos qui regni nomen ſuſtulerint, deſerendos putatis. Virg. Georg. lib. 1. Suſtulerit fragileis calamos, Syluámque ſonantem.

449 ¶*Spargere*, ſignificat *diſtillare*, vel *guttatim infundere*. Vir. li. 12. Spargit rapida vngula rores Sanguineos. Idem li. quarto: Spargens humida mella, ſoporiferúmque papauer. ¶Spargere, *madefacere*. Lucil. lib. 19. Latere pendens, ſaxa ſpargens tabo & ſanguine atro. Virgil. Spumant ad pedi ne cautes. ¶Spargere, *ſeparare*. Virgil. Georg. lib. quarto Diſcerptum latos iuuenẽ ſparſere per agros. ¶Spargere, *implere*. Virg. Æneid. lib. 11. Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras.

450 ¶*Signare*, eſt *deſignare, oſtendere*. Lucil. lib. 29. Si Socrates in amore, & in adoleſcentulis meliore paullo facie ſignat, nihílque amatet. ¶Signare *imprimere*. Virgil. Georg. Et ſummo veſtigia puluere ſignent. ¶Signare, *diſcernere, ſeparare*. Luc li. 19. Nam diſcrimen non facit, ſignat linea alba.

451 ¶*Solidi*, ſignificatio manifeſta eſt. Virgilius lib. 6. Solidóque adamante columnæ. ¶Solidum, *continuum, iuge*. Varro Seſquivlyſſe: Nauibus duodecim domo profectum decem annos ſolidos erraſſe.

452 ¶*Subnixum*, *ſubditum*. Vir. Æneid. lib. 2. Iuuenémque ſuperbum Seruitio innixæ tulimus. ¶Subnixum, *enixum*. Virgil. Æneid. lib. quarto: Meonia mentum mitra, crinémque madẽtem Subnixus rapto potitur. ¶Subnixum, *ſublime*, hoc eſt ſurſum nixum. Cœlius Annal. lib. 1. Et Tatini ſubnixo animo, & victoria inerti conſilium ineunt.

T

453 ¶*Tandem*, ſignificat *vix*, vt apud Ciceronem: Tandem aliquando Quirites. Virgilius Æneidos libro tertio: Ergo inſperata tandem tellure potiti. ¶Tandem, ſignificat *tamen*. Titinnius Gemina: Symphonia odioſum tandem, vt in moribus placeam viro.

454 ¶*Tamen*, ſignificat *ſtatim*. Plaut. Rudente: Vtinam fortuna nunc ego anthracina vterer, Vt poſtquã exiuiſſem ex aqua, arerem tamen. Virgilius Bucolicis: Hic hœdos depone, tamen veniemus ad vrbem. ¶Tamen, ſignificat *tandem*. Pacuuius Peribœa: Tamen obſirmato animo miteſcit metus. Salluſtius Hiſtor. libro tertio: Nam qui enare conati fuerant, icti ſæpe ferramentis nauium, tamen aut vulnerati à ſuis, aut afflicti vndarum vi, multato fœdè corpore, poſtremò periere.

455 ¶*Triſte*. Virgilius: Et pluuio contriſtat frigore cælum. Idem Bucolicis: Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres. Terẽtius Andria: Caue, ne te pater triſtem ſentiat. M. Tullius Hortenſio: Aliud ex ſyluis ſeuerum & triſte. ¶Triſte, *ſeuerum*. Afranius Priuigno: M. Tullius de offi. lib. 1. In eius familiari Scipione ambitio maior, vita triſtior. Terentius: Triſtis ſeueritas ineſt in vultu, atque in verbis fides. ¶Triſte, *amarũ*. Virgilius Georg. lib. 1. Triſtíſque lupini Suſtuleris fragiles calamos. ¶Triſte, *minax*. Virgil. Æneid. lib. 2. Iſque adytis hæc triſta dicta reportat. ¶Triſte, *graue*. Tul. de Rep. lib. 6. Qui numero optimatum. & principum obtuli his vocibus, & grauitatis ſuæ liquit illum triſtem, & plenum dignitatis ſonum. ¶Triſte *difficile*. M. Tu. de ſenectute: Faciliùs in morbos incidunt adoleſcentes, grauiùs ægrotant, triſtiùs curantur. ¶Triſte, *nigrum*. Virg. Georg. lib. 3. Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca. ¶Triſtis, *iratus*. Afran. Epiſtola: Iactauit ſeſe, iactet, mihi erit triſtior, id eſt iratior. Idem eadem: Idem natura triſtiori paullulo. ¶Triſtis, *doctus*. Varro Triodite tripylio, περὶ ἀρετῆς κυνήσεως. Illud verò quondam meo, vt ego non metuam fulmen, non haruſpicem triſtem ſimul ac dici non quæro: Luci. lib. 28. Adde eòdem, triſtis ac ſeuerus philoſophus.

456 ¶*Trahere, per terram ducere* Virgilius Æneid. lib. 1. Lora tenens tamen: huic ceruíxque comæque trahuntur Per terrã. ¶Trahere ruſſus *leuare*. M. Tul. de deorum natura libro 2. Et recenti foſſione terram fumare calentem, atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi. Plautus Amphitryone: Ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero.

457 ¶*Tardum*, ſignificat *pigrum, lentum*. Virgilius Georg. libro primo: Sæpe oleo tarde coſtas agitator aſelli. Terentius Eunucho: Fatuus eſt, inſulſus, tardus. ¶Tardum, *diuturnum, perſeuerantem*. Virgil. Georg. lib. ſecundo: Media fert triſteis ſuccos, tardúmque ſaporem.

458 ¶*Tendere, inhabitare tabernacula, & hoſpitia ponere*. Virgil. Æneid. lib. 2. Hic Dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles. ¶Tendere, *inſidiari, decipere*, dictum à tendicula. Terent. Phorm. Quia non rete accipitri

tenditur neque miluo. ¶ Tendere est propriè *laxitatem distendere, & sine rugis facere.* Virgilius Æneid. lib.3. Tendunt vela noti. Idem libro sexto: Tendebántque manus ripæ vlterioris amore. ¶ Tendere, est *dirigere.* Virgilius Æneid. lib. 1. Per tot discrimina rerum Tendimus in Latium. Idem lib. secundo: Ad cælum tendens ardentia lumina. Lucretius libro primo: Primùm Graius homo mortalis tendere contra Est oculos ausus.

¶ Tendere, *contendere.* Virgil. Æneid. libro secundo: Ille simul manibus tendit diuellere nodos. Idem lib. quinto: Æquo discrimine Pistris: Centaurúsque locnm tendunt superare priorem.

459 ¶ *Turpe*, est *indecorum, informe.* Virg. Æneid. libro sexto: Et metus, malesuada fames, & turpis egestas. Idem Georg. lib.3. Scabiémque ferat, turpeísque podagras. ¶ Turpe, *grande.* ¶ Virg. Georg. lib.3. Optima toruæ Forma bouis, cui turpe caput. Idem Georg. lib. 4. Et turpeis pascit sub gurgite phocas.

460 ¶ *Tenerum*, significat *gracile, lentum.* Virg. Georg. lib.3. Et ros in tenera pecori gratissimus herba.

461 ¶ *Tenue, vehemens.* Virg. Georg. libr.2. Tenuisque Lageos Tentura pedes olim, vincturáque linguam. ¶ Tenue, *infœcundum.* Virgil. lib. 2. Tenuis vbi argilla, & dumosis calculus aruis. ¶ Tenue, *tenerum.* M. Tul. de suppl. in Verrem: Reticulúmque sibi ad nareis admouebat tenuissimo lino. ¶ Tenue, *frigidum.* Virg. Georg libro primo: Ne tenues pluuiæ, rapidíve potentia solis Acrior. Idem lib.3. Tum tenues dare rursus aquas. ¶ Tenue, *paruum, exiguũ.* M. Tul. Hortẽsio: Eundem non mediocri pecunia, sed etiam tenui percipere possumus. Virgil. lib. v. Et tenueis Teucrum res eripe leto. Idem Geor. lib. 1. Ni refugis, tenuéque piget cognoscere curas.

462 ¶ *Tenet*, sicuti est vsus, significat comprehendit, detinet. Virgil. Æneid. lib. quarto: Verum vbi correptum manibus, vinclísque tenebris. M. Tul. in Verrem diuinatione: Non te, sed hunc librum esse responsurum, quem monitor tuus tenet hic. ¶ Tenet, *inhabitat, possidet.* Virg. Georg. lib. 4. Quæ gurgitis huius Ima tenes. ¶ Tenet, *prohibet.* Virgi. Georg. lib.3. Texendæ sepes, etiam pecus omne tenendum. ¶ Tenet. *compescit, supprimit.* Virgil. Georg. lib. 4. Tenuítque inhians tria Cerberus ora. ¶ Tenet, *tegit.* Virgilius Georg. lib. 1. Amnis abundans Exit, & obducto latè tenet omnia limo. ¶ Tenet, *dirigit.* Virgil. Æneidos libro primo: Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? Quóve teneris iter? ¶ Tenet, *intelligit*, dicit Terentius Andria: Id paues, ne dicas illam; tu autem vt ducas. rem te es.

463 ¶ *Tremere*, dicitur *commoueri, agitari.* Virgilius lib. 11. Cur ante tubam tremor occupat artus? ¶ Tremere, *timere.* Virgilius Æneid li.2. Hîc aliud maius miseris, multóque tremendum. Plaut. Asinaria: Non placet, pro monstro est, quando sudat qui tremit.

464 ¶ *Trahere*, consuetudine manifestam habet significationem. Virgil. Æneid. lib.2. Altaria ad ipsa trementem Traxit. ¶ Trahere. Virgil. Æneid. lib. 1. Partibus æquabat iustis, aut sorte trahebat.

465 ¶ *Tentare*, est *exerceri.* Virgil. Geor. lib. tertio: Et tentat sese, atque irasci in cornua discit Arboris obnixus trunco. ¶ Tentare, *experiri.* Virgilius libro octauo: His fretus non legatos, neque prima per artem Tentamenta tui pepigi. ¶ Tentare, *aggredi.* Virg. Æneidos lib.2. Extemplo tentanda fuga, canit æquora Calchas. ¶ Tentare, *petere, dare.* Virg. Æneid. libr. 3. Vnde laborem Tentare auxilium iubeat.

466 ¶ *Tetrum, vitabile.* M Tul de offic. lib. tertio: Postremò hæ iam in liberis ciuitatibus regnanti existunt cupiditates, quibus nihil tetrius, nihil fœdius excogitari potest.

¶ Tetrũ, dicitur *illuuiosum, fœtidũ.* Virgilius Æneid. lib. 3. Tunc vox tetrum dira inter odorem. Idem lib. x. Lauit improba teter Ora cruor. M. Tul. in Verrem actione secunda: Quàm multis istum ingenuis, quàm multis matribus familiâs, in illa tetra, atque impura legatione vim attulisse existimatis? Lucil. lib. xxx. Qui non exspectans spectando studio, Sed hominis tetri impulsu ingressus.

¶ Tetrum, *amarum.* Lucretius libro quarto: Ac veluti pueris absinthia tetra medentes Cùm dare conantur. ¶ Tetrum, *impium, crudele.* M. Tul. de offic. lib.3. Promissum potiùs non faciundum, quàm tetrum facinus admittendum fuit.

467 ¶ *Torquere*, significat *inflectere.* Virgil. Georg. libr.2. Ityreos taxi torquentur in arcus. Terent. Eunuch. Illud vide os vt sibi distorsit carnifex. ¶ Torquere, *gyro celeri rotare.* Virgilius Æneid. libro primo: Ast illam ter fluctus ibidem Torquet agens circum.

¶ Torquere, *iacere, mittere.* Virgilius libro quinto: In medios telum torsisti primus Achiuos.

498 ¶ *Tueri*, dicitur *seruare, custodire.* M. Tul. Epistol. ad Cæsarem li. 1. Vt sciret tuenda maiore cura esse, quæ parta sunt. Virgil. libro octauo: Succedunt, variántque vices, quod cuique tuendum est. ¶ Tueri, *videre.* Virgilius libr. 6. Excipiunt plausu pauidos, gaudéntque tuẽtes Dardanidæ. Pac. Teucro: Quàm re pòst multis tucor tempestatibus.

469 ¶ *Tergora*, dicũtur *coria.* Virg. Æneid. lib. 1. Tergora diripiunt costis. ¶ Terga. *dorsa.* Virg. 7. Hinc raptas fugientibus ingerit hastas In tergum. Lucil. libr. 28. Orationem facere

facere compendi potest. Solui dum saluo in tergo, & tergi nō licet. ¶Tergum, *scutum* Vir. lib. 8. Et venit aduersi in tergum Sulmonis. Idem lib. x. Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

470 ¶ *Transmitere, trahere, derelinquere*, Lucil. lib. xxiij. Polemon & amauit mortem & huic trāsmisit suam stolam, quam ducunt.

471 ¶*Temerarium*, sicuti plerunque *à temeritate*. ¶Temerarium, *metuendum*, & *sollicitū*. Plaut. Asin. Sed quid [hoc] quòd picus vlmū tundit? haud temerarium est: Et in sequentibus: Aut mihi In mundo sunt virgę vt atriēsi Sauriæ.

472 ¶ *Tegetes*, *à tegendo*, Var. de re rustica lib. I. Sic quæ fiunt de canabino lino, iunco, palma, scirpo, vt funes, restes, tegetes, quæ è fundo sumi non poterunt.

473 ¶*Taleas scissiones lignorum*, vel *præsegmina*. Varro dicit de re rustica lib. I. Nam etiā nunc rustica voce intertaliare dicitur diuidere, vel excidere ramum ex vtraque parte æquabiliter præcisum, quas alij clabulas, alij taleas appellant.

V

474 ¶ *Volare*, est *auium*. Virg. Æneid. lib. I. Humilis volat æquora iuxta. ¶Volare, est *celeriter currere* Teren. Hecyra: Ne frustra illic exspectet, vola. Virg. Æneid. li. v. Ecce Volat, calcémque terit iam calce Diores.

475 ¶*Vastum*, est *magnum*. Vir. Æneid. li. iij Vastúmque caua trabe currimus. æquor. ¶Vastum *horrens*, & *asperum*. Cicer. de Orat. Ita vultu motúque corporis vasti, & agrestes, vt etiam si ingeniis valeant, atque artem tamen in oratorum numerum venire non possint. ¶Vastum, *ingens*. Virg. Æneid. lib. I. Hic vasto rex Æolus antro. ¶Vastum, *ferox*. Cic. Tusc. Quæ barbaria, India vastior, aut agrestior?

476 ¶ *Ventus*, est *status*. Virg. Æneid. lib. I. Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento. ¶Ventus etiam significat odorem. Plaut. Cistel. Ita mustulent..s ventus nareis obtigit.

477 ¶*Virtus* est *fortitudo*. Virg lib. v. Tunc pudor incendit vires, & conscia virtus. ¶Virtus etiam significat *auxilium*. Plaut. Milite: Deum virtute cūrem hospitio accipere apud me est comitas. ¶ Virtus rursum *meritum* est, & *dignitas*. Plaut. Milite: Sicut merci pretium statuit pro virtute, vt veneat Quæ improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperat.

487 ¶*Vesci*, est *edere*. Virg. lib. viij. Vescitur Æneas simul & Troiana iuuentus. Acc. Atreo: Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia, Accumbat mensam, aut eandem vescatur dapem. ¶ Vesci etiam significat vti. Virgilius Æneidos lib. I. Quem si fata virum seruant, si vescitur aura Aetherea. Lucret. lib. v. Quóve modo genus humanum, variante loquela Cœperit inter se vesci per nomina rerum. Pacu. Chryse: Fugimus qui arce hac vescimur. Idem Armorum iudicio: Qui viget vescatur armis, vt percipiat præmiū. Nouius Macco exule. Curisis, tunc vadimonia suum vestimētum vesceris. Acc. Armorum iudicio: Cedit Achilli indutus, armis vesci studet, Vt ea cuncta optima Achilli induto, leuia præ illis putet. Idem Phœnissis: Num pariter videor patris vesci præmi.s? Tull de finibus bonorum & malorum libro v. Si gerundis negotiis possit orbatus paratissimis vesci voluptatibus. ¶Vesci iterum *videre*. Acc. Athamante: Priùs, quàm infans esses, facinus oculi vescuntur tui.

479 ¶*Valere*, est *operire*: vnde & *reuelare*, nudare dicitur. ¶Valere rursum *ligare*. Pompon. Pannuc. Nūc rogas, Quid fiat? testis est vilis, velet gulam.

480 ¶*Vola*, est *media pars manus*. Varro ὀπταφιον ἢ ὅτι ἀεὶ τάφον: Pleni libri inquā vbi maneant tapeti eorum, quoniam in sepulcris nec vola, nec vestigium exstat. Idem Varro, ταφῆ μενίππει Hęc Numa Pompilius fieri si viderit, sciet suorum institutorum nec volam, nec vestigium apparere. Vola rursum cauum est sub planta.

481 ¶*Vanum*, *leue*, *inane*. Vir Geor. lib. I. Sed illos Exspectata seges vanis elusit aristis. ¶Vanum est *mendax*. Virg Æneid. I. Ni frustra augurium vani docuere parētes. Sallust. Iugurthę bello: Mauri vanum genus. M. Tul. de offic. li I. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur: nec verò quicquam est turpius vanitate. Idem Tusc. lib. 3. Tum ita variis imbuimur erroribus vt vanitati veritas & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. ¶Vanum, *insidiosum*, *subdolum*. Virg. Æneid. lib. 2. Nec si me miserum fortuna Sinonem Finxit: vanū etiam, mendacémque improba finget. ¶Vanum, *obscurum*. Virg Æneid. iiij. Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram. M. Tul. de repub. lib. v. Vt nostra verò ætas cùm rempublic. sicut picturam accepisset egregiā, sed iam euanescentē vetustate.

482 ¶*Vastitas* significat *vastationem*. Acc. Astyanacte: Propter te tot, tantásq; habemus vastitates funerum. ¶ Vastitas, *desertio*. Var. Prometh. li. I. Mortales nemo exaudit, sed latè incolens Barathrum inhospitalis campis vastitas. Virg. lib. viij Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam. Cic. de Deorum natura li. ij. Qui quasi cultores terræ constitui non patiuntur eam, nec immanitate belluarū efferari, nec stirpium asperitate vastari.

483 ¶*Vltimum*, *vsu nouissimum* dicitur. Vir. Æn. viij Vltimus ille dies bello, gentíq; fuisset. Et M. Tull de senect. Magis delectatur, qui in prima cauea spectat, tamen etiam qui

in vltima. ¶Vltimum, *primum*. Virg. Æneid. lib.7. Tu sanguinis vltimus auctor. M.Tul. de offic.lib. Efficitúrque id, quod Pythagoras vltimum in amicitia putauit, vt vnus fiat ex pluribus. Idem de finibus bonorum & malorum li.4. Eorum dico, qui summum bonum, quod vltimum appellant, in animo ponerent.

484 ¶*Vrgere, insistere*. Lucil.lib.28. Cæde hostium, gnato vrgere restant, perimus. Quadrigatius Annal.lib.4. Sed circiter horas duas graui prœlio vrserunt: deinde in fugam sunt coniecti. ¶ Vrgere est *premere, cogere*. Virg.Georg.libro 3. Ima soluuntur latera, atque oculos stupor vrget inertes. Et, Versáque in obnixos vrgentur cornua vasto Cum gemitu. Lucil.lib.xxix. Vrget grauedo sępius culpa tua. Var. Antiquitate rerum humanarum: Qua murum fieri voluit, vrgemur in vnum. M.Tul.Hortēsio. Itaque tūc Democriti manus vrgebantur: est enim non magna. ¶Vrgere, est *tegere*. Virg.Georg.2. Qui saxo super, atque ingenti pondere testæ Vrgerent. ¶Vrgere, *accelarare*. Virg.lib.IX. Tibi quam noctes festina, diésque vrgebam. ¶ Vincere, significat *superare*. Virg.Geor.2. Vbi aera vincere summum Arboris haud vllæ iactu potuere sagittæ.

481 ¶*Vincere, exprimere*. Virg.Geor.3. Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnū Quam sit. ¶ Vincere, *animi compotem fieri*. Virg. Geor.li.3. Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro. Idem lib.7. Iunonem victrix affatur.

486 *Vertere* dicitur *conuertere, contorquere*. Virg.8. Gorgona desecto vertentem lumina collo. ¶Vertere, *fallere, decipere*. Virg.Æneid. 4. Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti. ¶Vertere, *mutare*. Virgil.Æneid.1. Quæ te genitor, sententia vertit? ¶Versat, *agitat, commouet, voluit*. Virgilius Georgicorum libro 3. Quid iuuenis, magnum cui versat in ossibus ignem? Idem Æneidos libro sexto: Nunc me fluctus habet, versántque in litore venti.

487 ¶*Vindicare*, est *malefactum defendere*. M.Tul.de offic.lib.3. Atque iste dolus malus & legibus erat vindicatus. ¶ Vindicare, *trahere, liberare*. Virgil.Æn. 4. Graiúmque ideò bis vindicat armis. Cic. Academ.lib.3. Aliqua potestas si sic, vindicet se in libertatem. Idem de senectute: Et senectus est natura loquacior, ne ad omnibus eam vitiis videar vindicare. Varro Andabat. Et me Iupiter Olympiæ, Minerua Athenis, suis mystagogis vindicassent. Idem Epist. Latinis: Si in libertatem vindicare non potes, feres fortuna; ¶Vindicare, *reuocare*. Tul.ad Cæsarem iuniorem lib.1. Quasi si me ad id beneficium accerseres, quo per te me vnà cum republica in libertatem vindicassem. ¶ Vindicat, *adscit, ad se trahit*. M.Tu.Hortēsio: Deinde imitator, vt sibi quidē videtur, naturæ, mos vindicat.

488 ¶*Vsus* dicitur *ab vtendo*. Virg.Geor li. 4. Nam neque erat coriis vsus. ¶ Vsus dicitur *consutudo*. Teren.Heau. Mihi sic est vsus, tibi vt opus facto est face. ¶ Vsus, *opus*. Virgil.libro octauo: Arma acri faciunda viro, nūc viribus vsus, Nunc manibus rapidis.

489 *Vitam*, manifestum est à *viuendo* dictam. Sallust. Catilinę bello: Vitam sicuti peregrinantes trāsire. ¶Vitas, *vmbras*. Virg.lib. vi. Et ni docta comes tenui sine corpore vitas Admoneat volitare.

490 ¶ *Venire*, claram habet significationem. Virg.lib.6. Venisti tandem. ¶Venire *imminere*. Vir.7. Se satis ambobus Teucrísque venire Latinísque

491 ¶*Verrere* est *trahere*. Vir. Æneid.lib.1. Quippe ferant rapidi secum, verrántque per auras. ¶Verrere, *ferire, percutere*. Vir.Æneid. 3. Annixi torquent spumas, & cęrula verrunt. Lucil.li.27. Quam non solùm deuorare se omnia, ac deuerrere. ¶Verrere, *mundare*. Titin. Gemina: Euerrite ædes, abstergite araneas. Lucil.lib.27. Lignum cædat, ædeis verrat, ac vapulet.

492 ¶*Via*, est *iter*. Virg. Æn.lib.1. Strepitúmque & strata viarum. ¶ Via, *ratio caussa*. Virg.lib.x. Hæc via sola fuit, qua perdere posses. Teren. Phorm. Qua via istuc facies? ¶Via, *cōsuetudo*. Teren.Heaut. Sed vi, & via peruulgata patrum. Quotidie accusabam.

493 ¶ *Vestigium*, dicitur *pedum impressio*. Virg.Geor.3. Et gradiens ima verrit vestigia cauda. Vestigium, *extrema pars pedis*. Vir.lib. v. Vestigia primi Alba pedis, frontémque ostentans arduus albam.

494 ¶*Volutari*, dicitur *volui*. Luci.xxx. Quid tu istuc curas, vbi ego oblinar, atque voluter?

495 ¶Volutare, *cogitatione perquirere*. Virg. Bucol. Id quidem ago, & tacitus mecum, Lycida, ipse voluto. Luci.li.xxx. Hęc tu me insimulas, nónne antè in corde volutas?

496 ¶*Vis*, est *celer impetus*. Lucil.lib.27. Romanus populus victus vi, superatus prœliis. ¶Vis, *fortitudo*. Virgil Æneid. lib.2. Instat vi patria Pyrrhus. Idem: Auxilióq; leuare viros, vímque addere victis. ¶Vis, *celeritas*. Lucret. lib.3. Aut quidnam tremulis facere artubus hœdi, Consimili in cursu possint, ac fortis equi vis?

497 ¶*Vix, cum labore*. Virg.Æneid.v. Vix illum famuli Phegeus, Sagarísque ferebant. Idem Georg.li.2. Vix humiles apibus casias, rorémq; ministrat. ¶Vix, *statim*. Virg. Ænei.2. Vix ea fatus eram, gemitu cùm talia reddit. Var.Eumenid. Vix vulgus confluit, non perfugarum, sed puerorum, atque ancillarum.

NONNVLLARVM DICTIONVM IN SIGNIFICATO DIFFERENTIÆ.

CAPVT V.

CVpido & amor idem significare videntur, & est diuersitas. *Cupido* enim inconsideratæ est necessitatis: *Amor* iudicii. Plaut. Bacchid. Cupido te confidit, ánne amor? Idem Curcul. discreuit, & vim eiusdem diuersitatis expressit dicés: Quod Venus, Cupidóque imperat, suadétque amor. Afran. Homine: Amabit sapiens, cupient cæteri.

2 ¶*Cupidinem cum feminino genere* dicimus, cupiditatem significamus. Virg. Æneid. li. 6. Quæ lucis miseris tam dira cupido? *cùm masculino*, deum ipsum. Plaut. Mercat. Cupido, quantus es! Næu. Gymnastico: Ædepol. Cupido, cùm tam pusillus sis, nimis multum vales.

3 ¶Inter *Amare*, & *Diligere* hoc interest: quòd *Amare* vim habet maiorem: *Diligere* autem est leuiùs amare. Cicero ad Brutum: Sic igitur facies, & me aut amabis, aut quo contentus sum, diliges. Et lib. I. Clodius tribunus plebis designatus valde me diligit vel (vt ἐμφατικώτερον dicam) valde me amat. Idē ad Dolabellam: Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum tamen accessit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.

4 ¶*Perire*, & *Interire*, plurimum differentiæ habent, quòd Perire leuior res est, & habet inuentionis spem, & non omnium rerum finem, Plaut. Capt. Qui per virtutem perit, at non interit.

5 ¶ *Alere*, & *Educare*, hoc distant: *Alere*, *est* victu temporali vitam sustētare: *Educare* autem ad satietatem perpetuam educere. Plaut. Menæch. Nam illic homo homines, non anes educat. Acc. Andr. Alui, educaui: id facite gratum vt sit seni.

6 ¶Inter *Tollere*, & *Auferre*, est diuersitas. *Tollere*, est leuare, & erigere: *Auferre*, legatum transferre. Virg. lib. 8. Tollite cuncta, inquit, cœptósque auferre labores. Turpil. Philopatro: Simul circunspectat. vbi præter se neminem Videt esse: tulit, aufert: ego clam consequor. Var. Sexag. Nunc quis patrem decem annorum natus, non modò aufert: sed tollet nisi veneno?

7 ¶*Horrendum*, & *Horridum*, habent plurimam diuersitatem. Est enim *Horrendum*, tetrum, & vitabile. Virg. Æneid. 3. Concilium horrendum. *Horridum*, plerunque exstans & prominens, & incultum. Virgil. Æneid. 4. Et glacie riget horrida barba. Plaut. Pseudulo: Papillarum horridularum oppressiunculę: Acc. Medea: Vt tristeis turbinum toleraret hiemes, mare cùm horret fluctibus. Lucil. Satyr. lib. 16. Hi, quos diuitiæ producunt, & caput vngunt Horridulum. M. Tul. de repub. lib. I. Sed vt ille, qui nauigat cùm subitò mare cœpit horrescere. Idem de repub. lib. 4. Horum in se veritatem dicitur inhorruisse primùm ciuitas. Varro Epistola ad Cęsarem: Interea propè ad occidentem solem horrescit mare. Sisenna Historiarum lib. 5. Subitò mare subhorrescere, cæcósque fluctus in se prouoluere.

8 Inter *Meretricem*, & *Prostibulam* hoc interest: quòd *Meretrix*, honestioris loci est, & quæstus. nam meretrices à merendo dictæ sunt, quòd copiam sui tātummodo noctu facerent: *Prostibula*, quòd ante stabulum stet quæstus diurni, & nocturni caussa. Plaut. Cistellaria manifestissimè discreuit: Intro ad bonam meretricem, adstare in via solum, prostibula sanè est.

9 ¶*Genitrix*, à *Matre*, hanc habet distantiā: quòd *Genitrix*, semper quæ genuerit, nūcupatur: *Mater* verò aliquando pro nutrice ponitur. Virg. lib. 8. Geminos huic vbera circum, Ludere pendentes pueros, & lambere matrem. Plaut. Menæc. ita forma similes pueri, vt mater sua Non internosse posset, quæ mamınam dabat. Neque adeò mater ipsa, quę illos pepererat.

10 ¶*Pudet*, & *Piget*, hoc distant. *Pudet* enim verecundię est: *Piget*, pœnitentiæ. Plaut. Pseudolo: Nimirum id, quod pudet, faciliùs fertur quàm illud quod piget. Non dedisse istum pudet me, quia non accepi, piget. Idem Trinummo: Pol pudere, quàm pigere pręstat totidem litteris. Accius Neoptol. Do, & pudet quæ grauium me, & verò piget. Idem: An pro me, Dane, quiete adiutē inuenio hortari pudet, non prodesse id piget. Turpil. Demetrio: Pudet, pigétq; mei me. Pacu. Duloreste: Quid quondam & mihi piget paternum nomen, maternum pudet profari. Sallust. Iugurthæ bello: Nam postea quæ fecerit, incertum habeo pudeátne, an pigeat magis differere. Var. Parmen. Pudet me tui, & Musarum agnoscere, piget currere, & vnà sequi.

11 ¶ *Osculum*, & *Suauium*, his intillectibus discernūtur: quòd ab ore *Osculum*, *Suauium*, à suauitate dicitur. Varr. de vita populi Romani. Ideóque hoc ab ore dicitur osculum, non à suauitate, vnde suauium, quòd simi-

le sit suauitati.

12 ¶Inter *Sacrificare*, & *Litare*, hoc interest. *Sacrificare*, est veniam petere: *Litare*, est propitiare, & votum impetrare. Virg. Æneid. 4. Tu modò posce Deos veniam, sacrísque litatis, idest, impetratis. Plau. Pœnulo: Si hercle istuc vnquam factum est, tum me Iupiter faciat, vt semper sacrificem, neque vnquam litem.

13 ¶*Expleri* & *Satiari*, hanc habent differentiam. *Expleri*, est tantummodo plenũ esse: *Satiari*, supra modum, & abundantiam. Lucr. lib. 6. Deinde animi ingrata naturam pascere semper, Atque explere bonis rebus, satiaréq; nunquam. M. Tull. de repub. lib. 6. Graues enim dominę cogitationum libidines, infinita quædam cogunt, atque imperant: quæ, quia nec expleri, nec satiari vllo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur.

14 *Arcus*, & *Arquus*, hoc distant, *Arcus*, enim suspensus fornix appellatur: *Arquus* nõ nisi qui in cælo appareat, quẽ Irim poetæ dixerunt: vnde & *Arquati* dicuntur, quibus color, & oculi virent quasi in arqui similitudinem. Lucret. lib. 6. Tum color nigris exstabat nubibus arquis.

15 ¶*Fors*, & *Fortuna*, hoc distant. *Fors* est casus tẽporalis: *Fortuna* dea. Acc. Astyan. Itera in quibus partibus (nanque audire volo) si est quem exopto, Et quo captus modo, fortunáne an forte reperitur. Idem Andromeda: Multi in quo mulier animo sibi mala auferre in malis, Quibus natura praua magis, quàm fors, aut Fortuna obfuit. Luci. Satyr. li. 12. Cui parilem Fortuna locum, fatúmque tulit fors. Idem eodem: Aut fortè omnino, ac Fortuna vincere bello. Si fortè ac temerè omnino, quid cursum ad honorem? Var. Epist. ad Fusium: Dij quæso, fors fortuna quantis commoditatibus hunc diem.

16 ¶*Ferus*, & *Ferox*, hanc habent distantiã. *Ferus*, est sæuus, *Ferox*, est fortis. Acc. Tereo: Nouus nouo dabunt, aduena animo, audaci in medium proripit sese ferox. Sallust. Iugurth. bello: Ille animo feroci negat se toties fusum Numidam pertimescere. Virg. Æneidos lib. 2. Ferus omnia Iupiter Argos Trãstulit. Idem libro 4. Et frena ferox spumantia mandit.

17 *Antiquus*, & *Antiquior*, vt gradu, ita & intellectu distãt. Nã *antiquum*, significat vetus. Virg. Georg. lib. 2. Antiquásque domos auium *Antiquior* melior. Varr. rerum humanarum lib. 20. Neque idonei ciues aliquid habent antiquius salute communi. Acc. Phænissis abdracontis: Surpe amata exoratus, genere antiquior. Lucil. libro 14. Quin potius vitam degas sedatus quietam, Quam tu antiquiùs facere, quàm vt hoc fecisse videaris. Marc. Tull. de amicitia: Hoc quidem est proprium amicitiæ, sed antiquior, & pulcrior, & magis à natura profecta. Idem de repub. lib. 1. Sed quoniam plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens, quàm si quis (vt aiunt) curauerit: maior ei profectò quàm parenti debetur gratia.

18 ¶*Faustum*, & *Festum*, his intellectibus discernuntur. etenim *Faustum* quasi à fauendo dictum, ac per hoc prosperum & propitium. vnde cõtrà infaustum minax, & improsperũ: *Festum*, verò solenniter lætum, & feriatum. Virg. Æneid. libro 9. Festósque dies de nomine Phœbi. Terent. O faustum & felicem hunc diem.

19 ¶*Cuius*, & *Cuiatis*, hæc est differentia. *Cuius* ad personam refertur hominis: *Cuiatis*, vnde significat. Acc. Teleph. Qui neque cuiatis esset, vnquam potuimus multi rogitantes scire.

20 *Animus*, & *Anima*, hoc distant. *Animus* est, quo sapimus: *Anima*, qua viuimus. Acc. Epig. Sapimus animo, fruimur anima. sine animo anima est debilis. Var. Andab. In reliquo corpore ab hoc fonte diffusa est anima. Hinc animus ad intelligentiam tributus.

21 ¶*Vultus*, & *Facies*, hoc distant. *Vultus*, est voluntas, quæ pro motu animi in facie ostenditur: *Facies* ipsa oris species. Sallust. Cat. Prorsus in facie, vultúq; vecordia inerat. Lucil. Satyr. li. 1. Vultus item vt facies mors citer morbus venenum. Tul. de offic. li. 1. Præclaráque esse ęquabilitas in omni vita, & idem sępe vultus, eadémque frons.

22 *Sebum*, & *Vnguentum*, habent hanc diuersitatẽ. *Sebum*, fit ex adipe ruminantiũ. Lucil. Satyr. li. 4. Tisiphone te pulmonibus adicirem, vnguẽtum Excoctum attuli Eumenidibus, sanctissima Erinnys.

23 *Mussare*, & *Murmurare*, ita discernũtur: quòd *Mussare*, hominũ sit occultè, & depressa voce loquentium, quod cælatum velint. Virgil. 10. Quid fortuna ferat, populi sed dicere mussant. Et alibi: Flent mæsti, mussántque patres. *Murmurare*, autem maioris soni est proximi ad tumultum. Virgil. Georg. 1. Et resonãtia longè Litora misceri, & nemorum increbrescere murmur.

24 ¶*Priores*, & *Primores*, hanc habent diuersitatem. ¶Priores enim comparatiui sũt gradus: *Primores* summæ quæque res. Lucil. Satyr. lib. 8. Gallinaceus cùm victor se gallus honestè Sustulit in digitos, primorésque erigit vngues. Turpil. Demet Scãdalio innixa digitis primoribus. Varr. Armorum iudicio: Vt in litore cancri digitis primoribus stare. Lucil. Satyr. li. 20. Calphurnij sæua lege in Pisonis reprehendi, Eduxíque animam in primoribus naribus. Afran. Vopisc. Apagesis clictum animum in naribus primoribus vix pertuli

pertuli ædepol. Tul. Hort. Qui illum nescio quid, quod in primoribus habeat (vt aiunt) labris. Idem Orat. Quæ isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent.

25 ¶*Poesis*, & *Poema* hanc habent distantiam. *Poesis* est textus scriptorum: *Poema*, inuentio parua, quæ paucis verbis expeditur. Lucil. Satyr. li. IX. Non hæc quid valeat, quídve hoc intersiet illud Cognoscis primùm, hoc quod dicimus esse poema. Pars est parua poema. Idem Epist. Item quæuis non magna pars poema est illa. ¶ *Poesis*, opus totum totáq; illa summa est vna θέσις, vt annales Ennij. At quæstus vnũ. Est maius multo, quàm quod dixi ante poema. Quapropter dico, nemo, qui culpat Homerum Perpetuò culpat, neque quod dixi ante poesin Versum vnum culpat verbum entymemate malocum. Var. Parm. *Poema* est λέξις ἀθροισμὸς, id est, verba plura modicè in quandam coniecta formam. Itaque etiam distichon epigrammation vocãt poema. ¶*Poesis*, est perpetuum argumentum, & rhythmis, & Ilias Homeri, & Annales Ennij. *Poetice*, est ars earum rerum.

26 ¶*Doctum*, & *peritum* cùm simile videatur, à Tullio discretum est, vt sit *peritum* plus quàm quod doctum, de offic. libro 3. Itaque cùm sint docti, à peritis desistunt facilè sententia.

27 ¶Inter *Vrbem*, & *Ciuitatem* hoc interest. *Vrbs* est ædificia. *Ciuitas* incolæ. Vir. Æneid. lib. I. Vrbs antiqua fuit. Enn. Telepho: Et ciuitatem video Argiuûm incendier. Pacu. Atalanta: Solicita studio, obstupida suspẽso animo ciuitas M. Tull. de rebub. lib. I. Quam cùm locis, manúque sepsissent, eiusmodi con iunctionem tectorum oppidum, vel vrbem appellarunt delubris distinctam, spatiísque communibus. omnis ergo populus, qui est talis cœtus multitudinis, qualem exposui, ciuitas est: omnísque ciuitas est cõstitutio populi. Idem ij Quo auctore, & principe vocitantur ciuitas. Sisen. Histor. lib. 4. Denique cùm variis volũtatibus incerta ciuitas trepidare. Pompon. Cùm vertice superiorem locum inscendo.

28 ¶Inter *Cogitare*, & *Deliberare* hoc interest. *Cogitare* est dubitare: *Deliberare* confirmare. Turp. Bœothon. Quęso cogita, ac delibera. Idem Philopatro: Certum ac deliberatum est me illis obsequi.

29 ¶*Scius*, & *conscius* hoc differunt: quòd *Scius* secum: *Conscius* cum alio scius est: licet conscium indifferenter positum lègerimus.

30 ¶ *Auspicium*, & *Augurium* his intellectibus discernũtur: quòd sit *Auspicium* auiũ inspectio, & quæ ex volatu auium significetur, & vocibus: *Augurium* autem rerum omnium coniecturas prudenter, ac diligenter amplectitur.

31 ¶*Monstra*, & *Ostẽta* similiter intelliguntur, quòd imminentia monstrent, ostendant. ¶*Omen* verò votum est mentis, & vocis. vnde sacrificantibus dicitur, bona omnia habete, id est, vt circunstantes & mente rectè velint, & bona oribus proferant. ¶ *Portentum* non solùm quod portendat: sed etiam quod iam apportet, & faciat ex his significationibus, quæ in auspiciis, & auguriis, & extispiciis ostenduntur. ¶*Prodigium* autem semper pessimum est, dictum quasi porrò adigendum, Virg. Æneid. lib. 3. Sola nouum, dictúque nefas, Harpyia Celæno Prodigium canit, & tristes denunciat iras.

32 ¶*Iniuria*, à *contumelia* hoc distat. *Iniuria* enim leuior res est. Pacuuius Peribœa: Patior facilè iniuriã, si est vacua à contumelia. Cæcilius Fallacia: Facilè ærumnam ferre possum, si inde abest iniuria, Etiámque iniuriam nisi contrà constant contumeliam.

33 ¶*Fulmen*, *Fulgur*, & *Fulguritum* his intellectibus secernuntur. Est enim *Fulmen* telum ipsum quod iacitur. Vt Virg Georg. li. I. Ipse pater media nimborum in nocte corusca Fulmina molitur dextra. *Fulgur* ignis qui corruscat fulmine. vnde & fulgetra dicuntur, & fulgor. Virg. lib. V Maculosus & auro Squamam incedebat fulgor. *Fulguritum* dicitur fulgure tactum, vel exustum.

34 ¶*Iurgium*, & *Lis* hanc habent distantiam: quòd *Iurgium* leuior res est. siquidem inter beneuolos, aut propinquos dissensio vel concertatio iurgium dicitur? Inter inimicos dissentio *Lis* appellatur M. Tul. de Rep. lib. 4. Admiror nec rerum solùm, sed verborum etiam elegantiam. Si iurgant, inquit, beneuolorum concertatio non lis, inimicorum iurgium dicitur. Et in sequẽti: Iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare.

35 ¶*Merx*, & *Mercatura* hoc distant. *Merx* est species: ipsa *Mercatura* actus ipse, vel lucrũ de merce. *Mercatus* autẽ locus, in quo agitur mercatura. M. Tul. de rep. lib 3. Phœnices primi mercaturis, & mercibus suis auaritiam & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportauerunt in Græciam. Var. Sexagesi: Vbi tum comitia habebant, ibi nunc fit mercatus. Serenus opusculis: Ad mercatũ eo villice, ecquid vis inde euehi aut agi? Cic. li. Tus quinto: Ita nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex vrbe aliqua. Et de offi. lib. 3. Ad quos cùm tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est.

36 ¶*Superstitionis*, & *Religionis* distantiam manifestissimè discernit. M. Tull. de natura deorum lib. 2. Non enim philosophi solùm, verùm etiam maiores nostri superstitionem à religione separarunt. Nam qui tota die precabantur, & immolabant, vt sibi sui liberi su-

perstites essent, *superstiosi* sunt appellati, quod nomen patuit postea latiùs. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, dicti sunt *religiosi*, ex eligendo. ¶ Sed verè *superstitiosi* proprietatem ex hoc habent, quòd præ cultura deorum supersedeant cætera, id est negligant. Itidem & *religiosi*, quasi religiosi omnium cæterorum sacrificiis deseruiant.

37 ¶ *Peius*, & *Deterius* hic sensibus discernuntur: quod si *Peius* à malo, quod in vsu est, & creberrimè frequentatur: *Deterius* verò à bono, vt minoris sit meriti, quàm id, quod placet. Virgil. Geor. libro 4. Deterior qui visus, eum ne prodigus obsit Dede neci. Idem libro VIII. Deterior donec paullatim ac decolor ætas. Hæc enim melioribus comparata sunt.

38 ¶ Inter *Circum*, & *Globum* hoc interest: quòd *Circus* est planities rotunda, vt circuitus: *Globus* soliditas vndique versum rotunda, vt est sphæra. M. Tullius de natura deorũ libro 2. Cúmque duæ forma præstantissimæ sint ex solidis globis, sic enim sphæram interpretari placet. ex planis autẽ [aut est] circus, aut orbis. Virgilius libr. V. Mediáque in valle theatri Circus erat. Et: Lucẽtémque globum lunæ Titaniáque astra.

39 ¶ *Manubias*, à *Præda* hoc distare veteres existimarunt, vt si *Præda* corpora ipsa rerum, quę capiũtur: *Manubiæ* verò pecuniæ ex pręda vendita redactę, & sic apud plurimos. nam & Marcum Tullium de lege agraria, ita sensisse voluerunt. Prædam, manubias sectiles castra denique Cn. Pompeij sedente imperatore censores.

40 ¶ *Peruicacia*, & *Pertinacia* hoc distant: *Peruicacia* est interdum bonarum rerum perseuerantia, *Pertinacia* semper malarum. Accius Myrmidonibus: Tu pertinaciam esse Archiloche hanc predicas, Ego peruicaciam aio, & à me vti volo. Nam peruicacem dicis me esse, & vincere Perfacilè patior, pertinacẽ nil moror: Hæc forteis dicitur, illam indocti possidẽt, Tu addis quod vitio est, demis quod laudi datur.

41 ¶ *Sensus*, & *sensa* hoc separantur: *Sensus* enim sunt, qui sentiunt: *Sensa* quę sentiuntur. Cicero de oratore: & quod exprimere dicendo sensa possumus, nam primùm manifestum est, & sapere nos, cùm incitatio sit, vel sensus.

42 ¶ *Iuuentus* & *Iuuenta* & *Iuuenilitas* hoc differunt. Iuuentus iuuenes: Iuuenta ætas ipsa, Iuuenilitas, quod ὁρμὴν, vel πάθος vocant Græci. Virg. Geor. li. 3. Et patiens operis, paruóque assueta iuuentus. Idem eodem: Interea superat gregibus dum læta iuuentus, Solue mares. Sallust. Catilinæ bello: Ibíque iuuentutem suam exercuit. Idẽ Catilina: Scio fuisse nonnullos, qui ita existimarent, iuuentutem, quæ domum Catilinæ frequẽtabat. Varro Tithono, περὶ γήρως: Quam dereliquit multicupida iuuenilitas.

43 ¶ *Mora*, *morigera*, & *morosa* hanc habent distantiam: quòd *Morosa* est contrariis, peruersísque moribus. Afranius Vopisco: Dũ morigeram, dum morosam præbeo, Deinde aliquid dedita opera controuersiæ Concinno, lædo interdum contumeliis. M. Tull. de senectute: Ac sunt morosi, & anxij, & iracundi, & difficiles senes. Plautus Aul. Dum modo Morata rectè veniat, dotata est satis.

44 ¶ Inter *Vegetum*, & *Vigens* hoc interest quòd *Vegetum* sit incolume, *Vigens*, forte. Nã vegetum corporis, vigens etiam animi possumus dicere, vt in multis.

45 ¶ *Profesti*, & *Festi* dies discernuntur sic *Profesti*, sunt è festiuitate vacui. Afran. Priuigno: Quę festiuo nos facere solemus die, quotidiano opere promiscuè omnia, atque profesto concelebras focum.

46 ¶ *Quærere*, & *requirere* hoc differunt: quoniam *Requirere* est diu quærere: Afranius Fratriis: Proin tutum quæram, ne requiram te vide.

47 ¶ *Specula*, & *speculum* sicut genere, ita significantia differunt. Nam *Specula* despicientiam significat. Virgil. libro decimo: Atque leo specula cùm vidit ab alta Stare procul campis meditantem prœlia taurum. *Speculum*, quod imago redditur. M. Tullius in Clodium, & Curionem. Sed credo postquam tibi speculum allatum est, longè te à pulcris abesse sensisti. Varro Eumenidibus: Sed nos simul atque in summam speculam peruenimus, Videmus populum futuris incinctum tribus.

48 ¶ *Confiteri*, & *Profiteri* hoc distãt: quòd *Profiteri* voluntatis est: *Confiteri*, necessitatis, & coactus: quod ita positum sæpiùs legimus. Cicero pro Manlio: His ego non solum confiteor, verùm etiam profiteor. Honestius profiteri, quàm confiteri.

49 ¶ *Vlcus*, & *vulnus* hoc distant: quòd *Vlcus* tecta, & clausa est malignitas. Virg. Geor. libro 3. Quam si quis ferro potuit rescindere summum Vlceris os, alitur vitium, viuítque tegendo. *Vulnus*, hians, & patens. Idem libro nono: Produxi pressíve oculos, aut vulnera laui Veste tegens.

50 ¶ *Quartùm* & *quartò* prudentes differre dixerunt. Varro Disciplinarum quinto: Aliud est quartò prætorem fieri, aliud quartùm. Et *Quartùm* locum significat, & tres ante factos: *Quartò* tempus signat, & ter ante factum. Ennius rectè Quintus pater quartum fit Consul.

51 ¶ *Turpe*, & *fœdum* quam habeant distantiam, manifestum est. Nam *turpe* leuior res est,

est; *Fœdum*, vim habet maiorem. M. Tull. de offic. Luxuria verò cùm omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est.

52 ¶*Forma* & *Figura*, quæ sit differentia, M. Tul. manifestator est. Nam *Formam* integritatem speciei esse voluit: *Figuram* formam nostram. M. Tul. de offic. lib. I. Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quæ formam nostram, reliquámque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu.

53 ¶*Dignitatem*, & *venustatem* discerni voluit M. Tull. vt *Dignitas* viris: *Venustas* fœminis sit attribuenda. De offic. libro I. Venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem.

54 ¶*Monstra*, & *Prodigia*, & *Portenta* hoc distant: quòd sunt *Monstra*, & *ostenta*, monita deorum. Virg. lib. 3. Primúmque parentem Monstra deûm refero. *Prodigia*, deorum minæ, vel iræ. Idem libro tertio: Sola nouum, dictúque nefas Harpya Celæno Prodigium canit. Et libro sexto: Prodigiis acti cælestibus ossa piabunt. *Portenta*, ostenta, quæ aliquid imminere significant. Lucil. lib. 26. Nisi portenta, anguésque volucres, ac pinnatos scribitis.

55 ¶*Celare*, & *Cælare*, hanc habent distantiam: quòd *Celare*, est tegere, & abscondere. Terentius: Bene dissimulatum amorem, & celatum indicans. Virg. Æn. lib. 6. Saperi celant calles. *Cælare*, inscalpere. Vir. Æn. lib. I. Cælatáq; in auro Fortia facta patrũ. Varro Agathone: Núm nam cælatus in manu dextera scyphus, Cælo dolitus artẽ ostẽtat Menerois?

56 ¶*Ignoscere*, & *Concedere*, quemadmodũ inter se distẽt, aperit M. Tull. ad Cæsarem iuniorem lib. I. Quod mihi, & Philippo vacationem das, bis gaudeo. nam & preteritis *ignoscis*, *&* *concedis* futura.

57 *Contemnere*, & *Despicere*, eò distãt: quòd est *despicere* grauius, quàm *contẽnere* M. Tull. in Verrem actione 3. Quémque contempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit. Idem ad Cæsarem lib. 3. Amici nonnulli te contemni, ac despici, ac pro nihilo haberi senatus voluit. Et de senectute: Contemni se putant, despici, illudi.

58 ¶*Cupiditas*, & *Cupido*, diuersa sunt. Nam *cupiditas* leuior est. Lucill lib. 23. *Cupiditas* ex homine, *cupido* ex stulto nunquam tollitur: quòd cupiditas pars quædam sit temperatior defluens ex cupidine.

59 ¶*Aemulatio*, ab *Imitatione*, hoc distat: quòd *Imitatio* simplex est, & liuorem atque inuidiam non admittit: *Aemulatio* autem habet quidem imitandi studiũ, sed cum malitiæ [illegible] Virg. lib. 6. Æmulus exce- [illegible] (si [illegible] dignum est) Inter [illegible] spumosa immersferat vnda. Tull.

in Cæsaria. Quasi quodam æmulo, atque imitatore studiorum & laborum meorum, & comite abstracto.

60 ¶*Probatum*, & *Spectatum*, vis maioris est. Lucil. lib. 26. Tuam probatam mihi, & spectatam maximè adolescentiam.

61 ¶*Bellum*, & *Prœlium*, hoc differũt: quòd *prœlia* partes sunt belli, hoc est, in bello congressiones. Lucil. li. 26. Vt populus Romanus victus, vi, & superatus prœliis sępe est multis: bello verò nunquam, in quo sunt omnia. Vir. lib. vndecimo: Infantem fugiens media inter prœlia belli.

62 ¶Inter *Cauere*, & *Vitare*, Lucil. esse distantiam voluit li. 26. & esse plus *vitare*: Quid tibi cauendum censes, quid vitandum maxumé.

63 ¶*Vetustiscere*, & *Veterascere*, quid intersit Nigidius commentator Grammaticus lib. 10. deplanauit: Dicemus quæ vetustate deteriora fiunt *vetustiscere*: *inueterascere*, quę meliora M. Tul. ad Hirtium li. 7. Cùm enim nobilitas sit nihil aliud quàm cognita virtus, in eo, quem veterascentem videat ad gloriam, generis antiquitatem desideret?

64 ¶*Nocens*, à *Nefario*, & *Impio*, distare, vti *Nocens* leuius videri possit, M. Tull. de offic. lib. 2. voluit: Nec tamen vt hoc fugiẽdum est, ita habendum est religioni contrarium, nocentem aliquando, & nefarium, impiúmque defendere.

65 ¶*Innuere*, & *Annuere*, hoc distant: quòd *Innuere* est facie significare Terent. Adelphis: Annuere, quin pugnus continuò in mala hæreat. Non innueram, verùm in istam partem potiùs peccaro tamen. *Annuere*, concedere Virg lib. 10. Annuit his Iuno, & mentem lætata retorsit. M. Tul. Hortensio. Quòd cùm vterque nostrum annuissent, omnésque ad id tempus, quod erat dictum postero die venissemus. Positũ est annuere pro innuere: Plautus Asinariæ. Neque illa vlli homini nutet, nictet, annuat.

66 ¶*Flagrare*, & *Fragrare*, ita discernuntur: quòd *Flagrare* est incendi, & ardere: *Fragrare* verò olere, & in plurimis inuenitur ista discretio.

67 ¶*Noxa*, & *Noxia*, hanc habent diuersitatem: quòd est *Noxa* peccatum leue. Virg. Æneid. libro primo, Vnius ob noxam, & furias Aiacis Ollei. *Noxia* nocentia Virg. libro octauo: Iræque & crimina noxia cordi. Marc. Tull. Hortensio: Et cæteras quidẽ res, in quibus peccata non maximè afferunt noxias tamen, ni sciunt, attingunt.

68 ¶*Plus*, à *Multo*, vetustas voluit discrepare. & potest videri hanc habere distantiam, vt sit *Multum* à plurimo minus, ac non supra [illegible] g Georg. lib. I. Multùm adeò rastris glebas qui frangit inertes. *Plus*, sicut in

plerisque, quod maioris modi est, quàm necessariũ est: atque ideo M. Tul. maius discreuit Epist. ad Catonem: Nec ciccirco mihi desiderandam esse dig itatem meam, quòd eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam quòd plures desiderarint.

69 ¶Inter *Speratum*, *Dictam*, & *Pactam* & *Sponsam*, hoc interest: quòd virgo prius quàm petatur, *sperata* dicatur. Plaut. Amph. Amphytrio vxorẽ salutat lætus, speratam suam. Dehinc *promissa*, vel *pacta*, vel *sponsa* dici potest. Virgil. AEneid. li. 2. Cui pater & cõiunx quõdam tua dicta relinquor? Et idem alio loco: Et gremiis abducere pactas. Titin. Diuortio: Cui exacta ætate sponsa sit desponsa.

70 ¶*Mutuum*, à *Fœnore*, hoc distat, quod *Mutuum* sine vsuris: *Fœnus* cum vsuris sumitur, & est accepti fœtus. vnde & fœnus dictũ est, vt Græcè τόκος, quasi partus multi sumpti. Plaut. Asin. Nam si mutuò non potero, certũ est, sumam fœnore. Vnde honestius mutuum est, quod sub amico affectu fiat, tamen vsu temporis necessarij fœnore sumere decet.

71 ¶Inter *Notare*, & *Annuere*, & *Nictare*, veteres hoc interesse voluerunt: vt *Nutare* capitis: *Annuere*, vel innuere narium vel labiorum: *Nictare* oculorum significantiam esse decreuerint. Plautus Asinaria. Nec illa vlli homini nutet, nictet, annuat.

72 ¶*Simulare*, & *Dissimulare*, hanc habent distantiã. *Simulare*, est fingere scire, quæ nescias: *Dissimulare*, fingere nescire, quę scias. Sal. Catilinæ bello: Cuius rei libet simulator, ac dissimulator.

73 ¶*Castitas*, & *Pudicitia*, paria deputãtur cùm sit *Pudicitia*, ab iniuria turpiũ libidinũ libera: *Castitas*, & ab his continens, & remota: præterea & religiosa munditia, & puritas. Vir. Georg. lib. 2. Casta pudicitiam seruat domus. Virg. AEn. lib. 6. Quique sacerdotes casti dum vita maneret. Et lib. 7. Præterea castis adolet cùm altaria tedis. atque ideo plus est castitas à pudicitia, quòd par sit pudicitia cum aliis cæteris castitas.

74 ¶*Pascere*, & *Alere*, hoc distant auctoritate: vt sit *Alere*, sufficiendi generis curam habere: *Pascere*, natos cibo saginare: Varr. γεροντοδιδάσκαλος. Vbi prægraues pascũtur pauonum greges.

75 ¶*Ora*, & *Ora*, licet paria esse videantur, tamen vt genere, ita intellectu distant. nam quoties in his *neutrum* genus tãgitur, vultus, vel facies nostra significatur. Virgilius: Os, humerósque deo similis. Et lib. 12. Ora citatorum dextra detorsit equorum. quoties *femininum*, cuius rei libet fines Virg. AEneid. lib. 1. Exire, locósque Explorare nouos, quas vento accesserit oras.

76 ¶Inter *Exstinguere*, & *Opprimere*, interesse Cicero voluit de amicitia, vt sit maius *Opprimere*, quàm *Exstinguere*. Quamobrem primùm danda opera est, ne qua amicorum diffidia fiant: sin tale aliquid euenerit: vt exstinctæ potius amicitiæ, quàm oppressæ videantur. quasi quod exstinguitur possit renouari: quod opprimitur, non queat.

77 ¶*Morbum*, à *Vitio*, prudentia veterum sic voluit separari: vt sit *Morbus*, cùm accessit vtique aut temporis, aut contagij: *Vitiũ* perpetua & insanabilis, atq. irreuocabilis caula.

78 ¶*Meminisse* & *In memoriam redire*, hoc differre Aristoteles putat, διαφέρει μιμνῄσκεσθαι τῷ μεμνῆσθαι, & vult *meminisse* omniũ esse animantium, vt cibi, potionis, somni, voluptatis: *in memoriam reuocare*, quod exciderit, non nisi homines posse.

79 ¶*Die quarta*, & *Die quarto*, hoc differre prudentes volunt: quorum tamen auctoritas in obscuro est, vt sit *die Quarto* temporis præteriti: *die Quarta* futuri.

80 ¶*Mentiri*, & *Mendacium dicere*, quemadmodũ distẽt, P. Nigidius studiis bonarum artium præclarissimus manifestissimè separauit. Qui *mentitur*, ipse non falsus alterum fallere conatur: qui *mendacium dicit*, ipse fallitur quantum in se est, vir bonus pręstare debet, vt non mentiatur, prudens ne mendacium dicat: alterum iudicat in homine, alterum non.

81 ¶*Festinare*, & *properare*, veteres voluerunt habere distantiam: Cato oratione, quam de suis virtutibus scripsit: Aliud est properare, aliud festinare. qui vnum quid mature transigit, is *properat*: qui multa simul incipit, nec proficit, is *festinat*. ¶Verũ vtrorumq. verborum ratio sub hac significantia proxima est veritati, vt sit sępe animi *properare* studiose ad res aliquas contendentis *festinare* corpore necessitatibus obsequendi. Virg. lib. 4. Et mediis properas aquilonibus ire per altum. Idem Æneid. lib. 2. Festinare viri, nam quæ tam sera moratur Segnities?

82 ¶*Matronæ*, & *Matresfamilias*, dissimilitudinem hoc modo veteres docti separant quidã, vt sit *Matrona* quę peperit semel: *Materfamilias* quę sępius: sed hæc definitio videtur absurda. Ad hæc fidelius locupletiores *matronam*, quæ in matrimonio fit mariti etiam ante susceptos liberos, dictam: meliore tamen matris futuræ spe M. Tull. nomine nuncupatam: *matrem verò familiâs* quæ in familia mancipióque sit patria, etsi in mariti matrimonio esset.

83 ¶*Auarum*, & *Auidum*, ita discernuntur: *Auarum* enim semper in reprehensione est: *Auidum* autem ab auendo, quod est, etiam honestè cupiéndo, & à delectatione intelligi potest, ac per hoc aliquando malis, aliquando bonis adiungitur caussis. Vt Virg. Georg. li. 2. Pascuntur oues, auideq. iuuencę. Sallust. bell. Catilinę: Laudis auidi, pecunię liberales erãt.

84 ¶Au-

84 ¶ *Audacia*, & *Audentia* hoc differunt q *Audentia* fortitudinis sit, *Audacia* temeritatis. Vt Sallustius: Audacia pro muro habetur: & apud veteres sæpe sic. Audentia. Virg. Audenteis fortuna iuuat. Et: Audentior ibo in casus omneis. quanquam & audaciā pro fortitudine legimus, vt Virg. lib. IX. Irim de cælo misit Saturnia Iuno Audacem ad Turnum. Et: Aude hospes contemnere opes, quod humanitatis sit potius, quàm temeritatis.

85 ¶ *Prospicere*, & *Respicere* distant: vt adnorsum videre. *Prospicere* rectè dicatur, *Respicere* quasi retrò aspicere. Varr. Manio: Sedens altus alieno sumptu, neque pòst respiciēs neque ante prospiciens.

86 ¶ *Furor*, ab *Insania* distare Cic. Tusc. li. 3. ostendit: Itaque non est scriptum, si insanus: sed, si furiosus esse incipit. *Insaniā* enim censuerunt incōstantiam, id est, sanitate vacantem, tamen posse tueri mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum, atq. vsitatum. *furorem* autem esse rati sunt mentis ad omnia cæcitatem, quod cùm maius esse videatur, quàm insania, tamen eiusmodi est, vt furor in sapientem cadere possit, insania non possit.

87 ¶ *Confidentia*, & *Fidentia* discretionem pandit M. Tul. Tusc. li. 3. Qui fortis est, idem *fidens*, quoniam *confidens* mala consuetudine loquētium in vitio ponitur, ductum verbum à confidendo, quod laudis est. Qui autem est *confidens*, is profectò non extimescit discrepat enim à timendo *fidens*.

88 ¶ *Inuidia*, & *Inuidentia*. Cic. Tusc. lib. 3. Posset etiam in misericordiam, posset in inuidiam. Non dixi in *inuidiam*, quæ tum est, cùm inuidetur. Ab inuidendo autem *inuidētia* rectè dici potęst, vt fugiamus ambiguum nomen Inuidiæ. Et lib. 3. Vt ægritudini inuidentia. vtendum est enim docendi causa verbo minùs vsitato: quoniam inuidentia non in eo, qui inuidet, solùm dicitur, sed etiam in eo, cui inuidetur.

89 ¶ *Aegrotatio*, & *Aegritudo*. Cic. Tusc. lib. 3. Sed propriè vt *ægrotatio* in corpore, sic *ægritudo* in animo nomen habet.

90 ¶ *Iracundus*, & *Iratus*, ebrius & ebriosus, amator & amans quid inter se distent, Cicero discreuit Tusc. li. 4. Aliud iracundum esse, aliud iratum, vt differt anxietas ab angore. neque enim omnes *anxij*, qui anguntur aliquando. ¶ Inter ebrietatem, & ebriositatem hoc interest, aliud est amatorem esse, aliud amantem.

91 ¶ *Lætari*, & *Gaudere* distant: vt Cicero Tusc. lib. 4. Atque vt confidere decet, timere non decet, sic quidem gaudere decet, lætari non decet: quoniam docendi causa à gaudio lętitiam distinguimus. vt autem innuit idem Cicero, *gaudium* in sapiente, & in rebus bonis semper est, *lætitia* etiam in malis, & turpibus rebus esse potest.

92 ¶ *Pernicitatem*, & *Velocitatem* Cic. discreui: Tusc. li. v. Pręstans valetudine, viribus, forma, acerrimísque sensibus: adde etiam, si lubet, pernicitatem. Virgil. Georg. lib. 3. hoc sensit, Dura iacet pernix instrato saxa cubili. vt illud sit celeritatis, hoc patientissimę fortitudinis,

93 ¶ *Metum, Timorē, Formidinem, Pauorem* Cicero discreuit Tusc. libro quinto: In quem autem metus, in eum formido, timiditas, pauor, ignauia.

94 ¶ *Innocens*, & *innocuum* hoc distāt: quòd sit *Innocens* non nocēs, & *Innocuum* illæsum. Virgilius libro decimo: Et sedere carinæ Omnes innocuæ.

95 ¶ *Legere*, & *Eligere* non sub ea significatione intelligi vult Varro de re rustica lib. I. Aprica prius debet descendere de vite: in vindemia diligentis, vua non solùm legitur ad bibendum, sed etiam eligitur ad edendum. vt sit *legitur*, colligitur, vt plerūque eligitur melior quæque de plurimis.

69 ¶ *Miserari*, & *Misereri*, cęteri his censibus esse voluerunt: vt sit *Miserari*, flere & lamentari: *Misereri*, miserationem alienis casibus exhibere, & actiuo ad primum affectum: passiuo ad secundum. Acc. Eurysace: Heu mihi, vt etiam hæc ærumna mihi luctum addit luctibus. alia persona: Quid miserari id me Eurysacem tuam sodalitatem memoras? formidas tibi? te cōmiserabar magis, quàm miserabar mei. & multis mei & aliquando vexata generibus?

97 ¶ *Acerosum*, & *Aceratum* vtrunque nouè positum: sed distanti proprietate signatum. *Acerosum* namque panem farre minus purgato, nec sordibus à candido separato dicendum veteres putauerūt. Lucillius li. XXV. Quę gallam bibere, ac tugis conducere ventris Farre aceroso, oleo decumano, pane cumano coegit, tunc Græci ἀχύρινον vocant. *Aceratū* verò est lutum paleis mistum, vt laterarij vsus est. Lucil. lib. 9. Latere qui ducit habet nihil amplius. Nam quam commune lutum à paleis cœnúmque aceroso.

98 ¶ *Multum*, & *Satis* eo distant: quòd *Multum* infinitum est: *Satis* finitum. Auaris illud, hoc parcis se continentibus applicandum est. Lucil. lib. v. Nam si quid satis est homini: id satis esse potisset: Hoc sat erat: nunc cùm hoc non est, qui credimus porrò Diuitias vllas animum mi explere posse? Et libro XVIII. Denique vti stulto nil sit satis, omnia cùm sint.

99 ¶ *Omne*, atque *Totum*, vt ab omni plus esse *Totum* putent, volunt quidam esse seiunctum, cùm indiscretè inter auctores frequenter positum legerimus, & vtrunque cum si-

gnificantia *vniuersitatis*. Lucret. l. 1. Totum video per inane geri res. Virgilius Bucolicis: Omnia vincit amor. Et idem Georg. lib. 3. Omne adeo genus in terris hominúmq., ferarúmque. Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres. In furias, ignémque ruunt, amor omnibus idem. Et Æneid. lib. 6. Totámque infusa per artus Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. Quid quòd totum, quod plus putatur, nō *pro cuncto* alicubi accipi potest? Vir. Geor. li. 3. Totas Aduoluere focis vlmos, igníq. dedere, vt sit totas integras: non omnes, quæ in mundo sunt, vlmos.

100 ¶ *Niti*, & *Obniti* cùm ex vno sint intellectu, acceptis tamen præpositionibus fit diuersum. *Niti* enim potest videri, aut aliquā gratiam, aut honorem, aut vtilitatem ærumnoso tendere sine labore: quanquam in aliquibus grauius audiatur, vt sint enixæ pariēdi labore defunctæ. *Inniti* autem incumbere manifestū est. Vir. li. 6. Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta. Obniti verò est cōtra aduersa obluctari. Virgil. Sæpe vsque adeò obnixi non cedere. Et alibi: Obnixi torquēt spumas, cœrula verrunt. Terent. Andria: Pedibus, manibúsque obnixè omnia facturum.

101 ¶ *Illix* & *Illex* hoc discernuntur. ab illicendo, *Illix*, *Illex* verò à quo lex nō seruetur. Plautus Pœnulo: Qui illi tantæ rei ante fuimus illices. Idem Persa: In iure illex, hoc est, viuens sine lege, sine iure labes populi.

102 ¶ *Ergastulum*, & *Ergastulus* vt genere, ita & intellectibus differunt. Nam *neutro* carceris locus est, *masculino* custos pœnalis loci. Lucil. lib. xv Non ergastulus vnus, & alius iudicem opposuit, vt nemo sententiam liberè, quasi ergastulus possit dicere.

103 ¶ *Fremere*, & *Frendere* hoc disseparantur: quod est *Fremere* magnum sonare. Virg. Georgicorum lib. 2. Fluctibus, & fremitu assurgēs, Benace, marino. *Frendere* alicubi cum gemitu, vel iracūdia miserum, aut minax sonare. Virg. Æneid. lib. 3. Luminis effossi fluuidum lauit inde cruorem Dentibus infrendens gemitu. Pacu. Antiop. Frendere noctes miseras, quas perpessa sum. Plaut. Nec machæram audes dentes frendere. Pacu. Antiopa: Fruges frendo solos, ac sic probo te. Accius Troiadibus: Saxo fruges frendas.

104 ¶ *Fora*, & *Fori*, vt genere, & ita intellectibus discernitur. *neutro* enim loca sunt, quibus ius dicitur, *masculino* spatia in nauib. vt Virg. 6. Inde alias animas, quæ per iuga longa sedebant, Deturbat, laxá que foros, simul accipit alueo Ingentem Æneam. vel locus apertus, ac patens, vnde & gladiatores foros facere dicuntur, cùm longo circuitu sectantur.

105 ¶ *Educere*, & *Educare* hanc habent distātiam. *Educere* est extra trahere, *Educare* enutrire, vel prouehere. Var. de liberis educandis: Educit enim obstetrix, educat nutrix, instituit pædagogus, hoc & magister.

106 ¶ *Aborsus*, & *Abortus* varias habēt significationes. *Aborsus* enim ille dicendus est, qui in primis mensibus, cùm conceptu exordium factum est; *Abortus* propè tempus, pariendi: tunc enim moritur quod nascitur. in plurimis hoc reconditum inuenimus.

DE IMPROPRIIS.

CAPVT VI.

EDolare fabrorum est verum verbum cùm materiarum complanatur asperitas. Vsi sunt eo laudandi scriptores vetustatis, etiam ad alias fabricas rerum. Varro Bimarg. Cùm tot comœdias sine vlla fecerimus, ego vnum libellum non edolem, vt ait Ennius.

2 ¶ *Sulcus*, omne quicquid in longitudine aculeatum est, dici potest veterum auctoritate doctorum. Var. Bimarg. Et pater diuûm trisulcum fulmen igni feruido actum mittat in tholum Marcelli. Virg. Æneid. lib. 2. Et linguis micat ore trisulcis.

3 ¶ *Penulam*, abusiuè omne quicquid tegit, nobilissimi veteres transtulerunt. Varr. Manio: Cùm corrigias disruptas tenet, penula reliquum pedem scortea pertegere.

4 ¶ *Vitreū*, pertenue, & perlucidū quicquid est, auctoritate veterum dici potest. Varr. Mod. Quàm istorum vitrea æstate os tendat vnicè clauos.

5 ¶ *Tela*, etiam lapides dici posse auctoritas docuit, & omnia quæ iaciūtur. Sisenn. Histor. libro 4. Manualeis lapides dispartit, propterea quòd is ager omnis eiusmodi telis indigebat.

6 ¶ *Silentium*. fieri consuetudine sumptum est. Sinsen. Histor. lib. 4 Oriri de contrario silentium.

7 ¶ *Cæcum* non solùm oculis captum, sed & insidiosum, & occultè malum, vel latens, & tacitum quid veteres dicendum existimauerunt. Sisen. Histor. lib. 4. Subitò mare subhorrescere, cæcósque fluctus in se prouoluere leniter occepit. Vir. Æn. 6. Cæca regens filo vestigia.

8 ¶ *Labra*, non hominum solùm, sed & margines, vel fines dici posse autoritas persuadet

suadet. nam & labruscam genus erraticæ vitis esse volunt, quæ in sepibus & in labris agrorum,& terminis nascitur, vt Virgil.Bucolicis: Syluestris raris sparsit labrusca racemis. Sisenna Histor.iiij. Innoxios trementibus artubus repente extrahit, sistitque in labro summo fluminis, cœlo albente. Virgilius vij. Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis.

9 ¶*Interfici*, & *occidi*, ad animata veteres vehementi auctoritate posuerunt. Plautus Menæchmis: Occisa est hæc res Lucillius: Durum,molle voras, fragmenta interficis panis: Virgilius Georg. lib.iiij. Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes Sallustius Histor. lib.2. Multíque commeatus interierant insidiis latronum. Plaut. Mercatore: Mihi harum ædium interitus interfectus est.Cic. Oeconom. Nullo modo faciliùs arbitror posse, neque herbas arescere, & interfici,neque terram ab sole percoqui. Idem ad Hirtium lib.ix. Dicis quasi istuc intereat,nescio: non tamen erit mihi iucundum, seueriùs nequi casus perimeret superioris. Lucillius: Intereunt, labuntur,euntur omnia versum.

10 ¶ *Gannire*,cùm sit propriè canum, Varro asinos rudere,canes gannire,pullos pipare dixit.Lucretius lib.v.alio pacto: Gannitu vocis adulent. Etiam humanam vocem nonnulli gannitum vocauerunt.Afranius Prosa: Gannire ad aurem nunquam didici. Lucil. lib.vij.Eodem pactolo gannis.

11 ¶*Dotatum*,non à dote dici,sed ab omni qualibet copia, Cicero de Orat.libr.1.auctor est: Cuius artem cùm indotatam esse: incomitatam, & incomptam videris, verborum eam dote locupletasti,& ornasti.

12 ¶ *Putidum*, & sensibus, & auribus probari Cicero de Orat.libr.iij.scribit: Quoniam hæc satis spero vobis quidem certè maioribus natu inhonesta,& putida videri.

13 ¶ *Cinnos*,& *Fucum*,quod est aliunde coloris, etiam non talium rerum Tullio auctore discimus de Orat.libro iij. Atque eò citius in oratore, aut poetæ cinnis ac fuco ostenditur.

14 ¶ *Abdicare*, non solùm de patris facto potest dici,quod est familia abiicere: sed rem quamlibet negare. Pacuuius Atalant. Mortem ostentant, regno expellunt, consanguineam Esse abdicant.

15 *Equisones*, non equorum tantùm moderatores aut magistros, sed omnes, quibus regimen conceditur, cuiuslibet rei, dici posse veteres probauerunt. Varro Marcipore: Hìc in ambiuio nauem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam conducerent loco.

16 *Meridiem*, mediam dici dici partem omnes solummodo dicendum putant,cùm & noctis esse eam temporis partem doctorum auctoritas dixerit.Varro Marcipore:Repentè noctis circiter meridiem.Cùm pictus aër feruidis latè ignibus, Cæli oræ anastricæ ostenderent. Nos in epistolis, quæ inscribuntur à doctrinis de peregrinando & vigilia.Igitur aliquando, & morantium cogitationem priùs quàm ætas in meridie & torpedinem pelleret.

17 ¶ *Rhedam*, pro curru Varro Marcipore dixit:Dixe Regi Medeam aduectam per aera in rheda anguibus.

18 *Fasciam*,pro cortice.Varro γεροντοδιδασκάλῳ: In quibus libris sacraturi fasciis cingit forem.

19 ¶ *Librum* pro cortice.Virg.Georg.lib. ij.Vdóque docent inolescere libro.

20 ¶*Viscum*,positum pro rete à tenacitate. Varro Parm. Lepusculi timentes hoc quadrangulum Dedit Diana rete nexile, ἀρκυς, Viscum,sagenam,lincámque compedem.

21 ¶ *Calcar*,pro impetu. Var.Sesqui vlysse: Ventus suo casu vehementiùs sufflare,& calcar admouere.

22 ¶ *Ebrios*,& *Ticinios*,non vinolentos,aut si nociuo, sed expletos qualibet re possumus dicere.Varro Eumenid. Et cæteri scholasticis auribus scholica dape,atque ebriis festicè ἀπεργυπολιζία consurgia consurgimus ieiunis oculis.

23 ¶*Torrere*, non solùm ignis, sed etiam frigus potest auctoritate Varronis Eumenid. Capite operto esse iubet, ante lucem suscitat,frigore torret, venatum eiicit ieiunio villicum.Cuius auctoritatis grauitatem secutus Maro à vero non aberrauit Georg.j.Aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

24 ¶ *Gibberum*, pro exstanti, & eminenti. Varro Eumenid.Item tragici prodeunt capite gibbero,cum antiqua lege ad frontem superficias accedebat.

25 *Ædificandi*, manifesta significatio est. ab eo tractum est,vt quæcunque fabricantur, qualibet opera ædificari dicantur. Virg. Æn. ij.Instar montis equum diuina Palladis arte Ædificant.

26 ¶ *Squalere*,non sordidum plenum esse tantummodo, vt nunc consuetudine persuasum est,sed honesta re abundare,& refertum esse veteres honesta auctoritate posuerunt, ducíque hanc significantiam à squamis putant:vt enim est in corporibus sordidum alta congeries, qua squalere dicuntur, ita quod fuerit qualibet re densatum, one ratum, inculcatúmque, squalere voluerunt. Virgil.xj. Per tunicam squalentem auro.Accius Pelopidis:Eius serpentis squamæ squalido auro, & purpura textæ.

27 ¶*Transgressus*,à pedum gradu propriè

dicitur, sed auctoritas vetustatis liberiorem vsum loquendi dedit. vt Sallust. Hist. 1. & de iis qui nauigassent, & ipsis nauibus, eo verbo vti volunt, in quibus gradus non sit deserto: Nactus obscuram noctem, æstu secundo, ac inde transgressos omnes recipit modos præcepturus à Lusitanis. Alibi de scaphis: Earum aliæ paullum nimio progressæ interim sicco onere, cùm pauor corpora agitauerat, deprimebantur. Lucretius: Præterea pauit, vóxque, facitque, Asperiora foras gradiens atteria clamor.

28 ¶ *Bibere*, rectè dici ea omnia, quæ haustus habent, vt animalia, & terræ, vt Virgil. Bucol. Sat prata biberunt. Verùm auctoritate litterata etiam arida, aut sicca, & quibus haustus non sit, bibere positum inuenimus. Virg. XI. Hasta sub exsertam donec perlata papillam Hæsit, virgineúmque altè bibit acta cruorem.

29 ¶ *Libidinem*, & *Appetitum*, vel *Aemulationem* etiam honestæ rei possumus dicere, vt sit libido omne quod libuerit. Sallust. Catilinæ bello: Magísque in decoris armis, & militaribus equis, quàm in scortis, atque cóuiuiis libidinem habent.

30 ¶ *Vsus*, ab vtendo, vnde & vsurpare dictum est obtinere. Posuit quoque vetustas vsu perire, hoc est non vtendo aliquid posse. Plaut. Amphit. Est profectò, caue sis, ne tu te vsu perduis.

31 ¶ *Furtum*, etiam non ablata res solùm, sed etiam quicquid occultè geritur, auctoritate veterum dici potest. Virg. Georg. libro 4. Vulcani, Martísq; dolos, & dulcia furta. Plautus Amphitr. Manifesto hunc obtorto collo teneo furem flagitij.

32 ¶ *Ingredi*, non solùm, vt est manifesta eius verbi significatio, sed etiam venire, ac se ostendere auctoritate Plauti possumus dicere in Amphit. Nihil te pudet, scelerte, populi in conspectum ingredi?

33 ¶ *Obsequia*, non solùm minores maioribus exhibere, sed etiam minoribus per vicé veterum excellens auctoritas voluit. Plaut. Asin. Ego sanè cupio obsequi gnato meo.

34 ¶ *Versutos*, non solùm ad malitiam, callidos, verùm & rectè peritos intelligi posse, Plautus informat Asinaria: Nec magis versutum, nec quo caueas ægrius. Idem: Homini versuto si quid rectè curatum velis, mandes.

35 ¶ *Deuorari*, nō solùm cibus gutture, sed & vox auribus potest. Plaut. Asin. Auscultate, atque operam date, & mea dicta deuorate. Et Aulul. Nimium libéter edi sermonem tuum.

36 ¶ *Bicipitem*, quoque rerū incorporearum posse dici Varro de vita pop. Rom. lib. 4. aperuit: In spem adducebat, non plus soluturos, quàm vellent, iniquus equestri ordini iudicia tradidit, ac bicipitem ciuitatem fecit, discordiarum ciuilium fontem.

37 ¶ *Defæcata*, omnia pura, & inturbata, & sine sordibus possumus dicere, vt vinum sine fæcibus. Plautus Aulular. Nunc defæcato demum animo egredior domo.

38 ¶ *Malitiam*, veteres, vt dolū mediū ponendā esse duxerunt, quasi sit & bona. Plaut. Aulul. Certè ædepol equidē te ciuē sine mala omni malitia, adeò vt improbum proposuerit malo, quod grauius putatur. In eadem: Quid factis, neque malis, neque improbis.

39 ¶ *Belluam*, indifferenter posuit auctoritas veterum. Plaut. Aulularia: In quo quidē Agnoscat scio, magis nusquam curiosam esse vllam belluam.

40 ¶ *Crocire*, cùm sit coruorum, Plaut. Aulul. cantare eos dixit, Non temerè est, quod coruus cantat nunc mihi ab læua manu.

41 ¶ *Rostrum*, hominis dici non deberi consuetudo præsumpsit apud Plautum Menæchmis positum, Apud mensam plenam homini rostrum deliges. Turpilius Pedio: Nec vnquam vidit rostrum tragœdia tantùm vti. Lucillius Satyr. libro quinto, Ne designati rostrum prætoris, pedésque Spectes. Idem libro nono: Arripio & rostrum labe, atque hoc zeferiatim Percutio, dentésque aduersos discutio omneis. Varro περὶ ... libro secundo περὶ φιλοσοφίας, Itaque videas barba rostro illum commentari, & vnumquodque verbum statera auraria pendere. Idem Serrano περὶ ἀρχαιρεσιῶν, Rostrum in protrudendum cessérent.

42 ¶ *Fatum*, sicuti communiter intelligitur, significantiam decreti habet, à doctis tamen indaganter inuenimus positum pro voluntate. Virgilius libro VI. Heu stirpem inuisam, & fatis contraria nostris, Fata Phrygum. Nec enim Iuno, aut quisquam Deorum factum habet, quod ipsi faciant. Et eodem, Filius huic fato diuûm, prolésque virilis Nulla fuit. Et alio, Et si fata Iouis poscunt, hic terminus hæret.

43 ¶ *Rictum*, ferarum dici volunt, cùm Titinnius etiam auctor sit hominis, dici debere, Caue ex corde frontem labeat semper facto rictus. Item Pomponius Prostibula: Quis hîc est quamobrem hic prostat, rictum & labeas cum considero? Lucillius Satyr. libro iij. Malas tollimus nos atque vtimur rictu. Varro, παππία πάππω, περὶ ἐγκωμίων, Antè auris modo ex sobolibus paruuli intorti dimittebantur, sed cincinni oculis supperulis, nigellis, pupillis, quam hilaritatem significantes animi rictus paruissimus, vt refrænato risu roseo.

44 ¶ *Stuprum*, quod cum viduis committitur hoc solùm dici putant, veteres pro adulterio & vitio ponunt, Plaut. Amphit. Stupri dedecoris à viro argutam meo. Sallustius Histor.

Historiarum libro tertio: Ac statim fugitiui contra præceptum ducis rapere ad stuprum virgines, matronásque.

45 ¶ *Thesaurum*, etiam pessimæ rei copiam dici posse Plautus voluit Amph. Qui domi vxorem meam impudicita impediuit, teneo thesaurum stupri.

46 ¶ *Compotem*, in bonam partem solum accipi putatur, cùm & in malam positum sit. Plaut. Epidico: Cedo manum, accipe ærumnarum, & miseriarum compotem. Nævius Danaë: Eam nunc esse inuentam opprobriis compotem scis.

47 ¶ *Viua* posse dici ea, quæ neque animo, nec spiritu mouentur. Virgil. auctor est Æneid. lib. 1. Intus aquæ dulces, viuóque sedilia saxo Nympharum domus.

48 ¶ *Indolem*, adolescentium tantùm consuetudo dicit, quasi noua soboles. indoles autem est incremētum, veteres autem senum dixerunt. Plaut. Milite, Si albus capillus hîc videtur, neutique ibi ingenium senis Est, in hoc emussitata sua sibi ingenua indoles.

49 ¶ *Alacritatem* in malis habendam Cic. Tusc. ostendit. Vir igitur temperatus, cōstans, sine metu, sine ægritudine, sine alacritate, vlla libidine non vexatus.

50 ¶ *Catuli*, non solùm canum diminutiuè, verùm omnium animalium appellantur. Virg. Georg. li. iiij. Temp. Tēpore non alio catulorum oblita leæna. Et alio loco de serpentibus: Compositis nouus exuuiis, nitidúsque iuuenta Voluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquens. Plaut. Truculento: Iam hercle ego hîc te mulier, quasi sus catulos pedibus proteram. Lucret. lib. v. At catuli pantherarū scyranniique leonum. Lucil. Satyrarum libro quarto: Concursaret agros catulos, fœtúmque ferarum. Idem libr. vij. Rate ad catulos accedere inultum.

51 ¶ *Compressus*, cum virgine admissus dicitur. Plaut. Truculento etiam coitum cum meretrice compressum dici vult: Nam ad amicam decimo mense post, Athenas Atticas Viso, quam grauidam hîc reliqui meo compressu, quid ea agat.

52 ¶ *Opificem*, non ex ope posse dici Cicero Tusc. lib. v. auctor est: Aduena quidam & ignobilis verborum opifex insinuasse se in antiquam philosophiam videtur.

53 ¶ *Semina* pro virgultis, vel malleolis, vel surculis dici posse auctoritatem Virgilius dedit Georg. lib. ij. Seminibus positis superest deducere terram Sæpius ad capita, & duros iactare bidentes.

54 ¶ *Sumen*, propriè à sugendo dictum. Nam & mulieris mammam sumen veteres dici voluerunt. Lucil. Satyr. lib. quarto: Quod si nulla potest mulier tam corpore duro Esse tamen tenero moueat succussa lacerto, Et manus vberior lactanti in sumine sidat.

55 ¶ *Exuuias*, & *spolia* non solùm hominū tegmina, aut vestes dici posse Virgilius auctor est, Georg. libro secundo, dicens de serpente. Cùm positis nouus exuuiis nitidúsque iuuenta Voluitur. Accius Bacchis: Tunc pecudum Exuuias læuo pictas lateri accōmodant. Lucret. Nam sæpe videmus Illorum spoliis vepres volitantibus auctas.

56 ¶ *Diuortia*, non coniugij distractionem solùm, sed etiam omnium inflexionum, quæ à recto detorquentur. Virgilius auctor vij. Obiiciunt equites sese ad diuortia nota. Huc illuc.

57 ¶ *Virgines*, non solùm fœminæ dicuntur, verùm etiam pueri inuestes. Nam & quicunque ex ephebis excesserant, deuirginari dicebantur, Varro περὶ εἰσαγωγῆς: Quam sympatiam lubiat oculos haberet, quid imaginum interesset. puer vtrum esse deuirginatum vsurus, an monuce ῥώπος purus dum cogito.

58 ¶ *Enixas*, non in partu solùm possumus dicere, sed etiam omni labore exercitas, auctore Virgil. Æneidos libro tertio: Stirpis Achilleæ fastus, iuuenémque superbum Seruitio enixæ tulimus.

59 ¶ *Pransi*, non solum qui pranderent dicuntur, sed etiam quibus nihil desit. Varro Flextabulis, περὶ ἐπαρχιῶν: Quare, ô Marce, pransum, ac paratum esset, hoc minimè oportet.

60 ¶ *Os*, rostrum, vel faciem hominū tantum dici putant, vt de rostro Virgilius libro nono: Donec Rutuli clamantis in ore Contudit aduerso: sed de facie. Idem Æneid. lib. 1. Os humerósque deo similis: cum auctoritate veterum, & pecudum, & ferarum dici possit. Virgilius libro xij. Ora citatorum dextra detorsit equorum. Os etiam alicuius rei omne patens accipi potest. Virg. libro tertio: Quàm si quis ferro poterit rescindere summum Vlceris os. Et idem de leone lib. vij. Impauidus frangit telum & fremit ore cruento. Idem lib. ij. Et ingentem lato dedit ore fenestram. M. Tul. de suppliciis in Verrem: Nam in ipso aditu, atque ore portus.

61 ¶ *Dorsa*, & tergora hominum, & aliorum animantium consuetudo putat, cùm & aquarum dici possit. Virg. Georg. libro tertio: Vndáque iam tergo ferratos sustinet orbes. Et Æneid. lib. 1. Dorsum immane mari summo.

62 ¶ Omne castum veteres incorruptum: sub *Virginis* vocabulo appellauēre. Cic Orat. Philosophia casta, verecunda, incorrupta virgo.

63 ¶ *Nidos*, non solum domicilia auium, sed etiam fœtus earum, Virgilio auctore, dicere possumus Geor. lib. iiij. Itaque volantes

Quæ ferunt dulcem nidis immitibus escam.

64 ¶ [illegible] io agmen celestium a[illegible] pluuiarum induxit solum dici, eum auctor[illegible] variet. Virgilius omnium aquarum dixit, Geor. libro quarto: Ipse feraces Figat humo planta, & amicos irriget imbres.

65 ¶ *Pecudes*, non solum quadrupedes, sed etiam alia animalia dicere Virgilio auctore possumus Georg. libro quarto: Quem mihi vix frugum, & pecudum custodia sollers. Et alibi: Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent. Varro sexagesi: Neque quas agi pennis anates tremipedas, buxeis rostris pecudes, paludibus, nocte nigra, ad lumina lampadis sequens. Lucret. lib. I. Mutæque natantes Squamigerûm pecudes.

66 ¶ *Profundum*, non solum in imum altum, sed etiam summum dici posse auctoritas vsurpauit. Virg. Æneid. lib. I. Maria, ac terras, cœlúmque profundum.

67 ¶ *Procacitatem*, non animantium solùm à procando, & poscendo dici posse Virgilius auctoritatem dedit Æneid. lib. I. Penitúsque procacibus austris. quod est sæuientibus procellosis.

68 ¶ *Putidum* non solum ab ore fœtido, & graui, quod naribus præbetur, sed & quod auribus triste & insuaue, austerum, rancidum, id putidum dici posse auctoritas vetustatis, admisit. Cicero Orat. Quoniam igitur modo audiretur Mysus, aut Phryx Athenis, cùm etiam Demosthenes agitetur putidus.

69 ¶ *Pacem peti*, & à diis posse Virg. significat Georg. libro quarto: Tu munera supplex Tende petens pacem. Et Æneid. lib. iiij. Hic Helenus cæsis primùm de more iuuencis Exorat pacem diuûm. Plaut. Amph. Vt Iouis Supremi multis hostiis pacem expetam.

70 ¶ *Deuotum*, ad prosperum tantùm vsus trahit, sed auctoritas & aduersus significare voluit. Virg. Æneidos lib. I. Præcipue infelix pesti deuota futuræ.

71 ¶ *Reos*, non solùm crimini & culpæ obnoxios, sed etiam honesti, vel voti debitores promissi auctoritas voluit. Virg. lib. v. Constituam ante aras voti reus.

72 ¶ *Dapes*, non solùm opiparos apparatus aut religiosos sicuti plerunque, significare, sed & vitabiles & infandos cibos, auctore Virgilio possumus dicere. Æneid. lib. iiij. De Cyclope: Nam simul expletus dapibus, vinóque sepultus. Et Bucol. Quas illi Philomena dapes, quæ dona pararit.

73 ¶ *Domum*, consuetudo hominum tantùm habitacula dici putat, cùm auctoritas & templum, & nidos domos vixerit. Virgil. Æneid. lib. vj. Hostia iámque domus patuere ingentia centū Sponte sua. Et Geor. li. ij. Antiquásq; domos auiū cum stirpibus imis Eruit.

74 ¶ *Incestum*, vsu dicitur flagitium in affines admissum, sed & *incestare*, funere polluere auctore Virgilio possumus dicere libro vj. Præterea iacet exanimum tibi corpus amici, Heu nescis? totámque incestat funere classem.

75 ¶ *Reuocare*, pedem cum hominum, & aliorum animantium dici manifestum sit, Virgilius libro nono, etiam fluuiorum dici posse ostendit: Cunctatur & amnis Rauca sonans reuocatque pedem Tiberinus ab alto. Et Plautus remos nauium pedes dixit.

76 ¶ *Murices*, vetustas etiam saxorum asperitates tela omnia voluit posse dici. Virg. libro v. Et acuto in murice remi Obnixi crepuere.

77 ¶ *Dentes*, non solùm quibus cibus atteritur, sed omne quo aliquid exsecari, vel teneri potest Virgilius dici voluit Georg. lib. ij. de falce: Et curuo Saturni dente relictam Persequitur vitem attondens, fingitque putando. Et Æneid. lib. vj. Tum dente tenaci Ancora fundabat naueis.

78 ¶ *Locupletes*, non magnarum opum tantummodo, sed & ad quamlibet rem firmos, & certos M. Tul. dici voluit, ad Cæsarem iuniorem lib. ij. Nihil omnino certi, nec locupletem ad hoc auctorem habebamus. Et de offic. lib. iij. Accedit eodem testis locuples Posidonius.

79 ¶ *Monimenta* & templa dici posse M. Tul. auctor est in Verr. actio. ij. Ausum esse in æde Castoris celeberrimo, clarissimóque monimento.

80 ¶ *Promeritum*, etiam in mala parte posuit Plaut. Amphit. Quid mali sum here tanta ex re promeritus?

81 ¶ *Pallorem*, vetustatem, & negligentiam Lucil. lib. xxx. voluit dici posse: Lana opus omne perit, pallor, tineæ omnia cædunt.

82 ¶ *Bonus*, & fortis, & pius dici potest. Lucil. lib xxx. Caluus Palantino quidam vir nobilis bonus bello. Virg. Georg. lib. ij. Et bona bello Cornus.

83 ¶ *Multare*, cùm sit condemnare, positum est augere, voti compotem reddere. Næu. Colace: Et asseri laudes ago, cum votis me multatis meis, Quod præter spem quem vellem audiebam hoc mihi Ennius.

84 ¶ *Disciplinosus* etiam pessima arte potest dici. Cato de re militari: Quàm gladiator disciplinosus.

85 ¶ *Propitios*, & placatos homines dici vetustas voluit. Lucil. lib. xxvij. In bonis, porrò est viris, si irati, seu cui propitij sunt dii, vt diutius etiam vnà maneant in sententia, nam cū benignitate solicito propositus. Teren. Adelph. Quàm vt ea, quæ parentes propitij.

86 ¶ *Cachinnare*, non risu tantùm, sed & de sono vehementiore vetustas dici voluit. Accius Phœnissis: Simul & circum magna sonan-

sonantibus excitata saxis Sæua sonando cum crepitu clangentes cachinnant.

87 ¶ *Tacere* etiam ea possumus dicere, quæ sine voce, vel sono sunt. Virgilius. Æneid. libro quarto: Totúmque pererrat Luminibus tacitis. Et, Cùm tacet omnis ager.

88 ¶ *Affari*, non solùm respondere, vel fabulari, sed etiam rogare positum. Accius Tereo: Deum Cadmo generatum semel affare; & famularent perpetuere. Virg. Æneid. libro quarto: I soror, atque hostem supplex affare superbum.

89 ¶ *Fastigia*, consuetudine summæ altitudines dici putantur, cùm sint & imæ, significant & fineis. Virgilius Georg. lib. ij. Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæras. M. Tul. de offi. li. iij. Sed quoniam operi inchoato & propè iam absoluto fastigium imponimus.

90 ¶ *Numerum*, & de iis, quæ non numerantur, sed admetiuntur, dici auctoritas voluit. M. Tul. de offi. lib. tertio: Si exempli gratia, vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum aduexerit.

91 ¶ *Feruor*, cùm ex igni sit, & ex flammis, ex contrario & frigoribus positus inuenitur, vt sit feruere, non solùm ex incendio calere, sed ex quibuscunque molestiis perturbari. vnde & ictus marini, & exæstuatio animi sub hac significantia rectè positi sentiuntur. Virgilius Georg. lib. 1. Omnia tunc pariter vento, nimbísque videbis Feruere.

92 ¶ *Templum*, & sepulchrum dici potest veterum auctoritate. Virgilius Æneid. lib. iiij. Præterea fuit in tectis de marmore templum Coniugis antiqui.

93 ¶ *Vestigia* consuetudine signa impressorum pedum dicimus, lectum inuenimus partes extremas pedum dicta vestigia. Virg. lib. v. Vestigia primi Alba pedis, frontémque ostentans arduus albam.

94 ¶ *Parere*, etiam viros dici posse Cæcilius auctor est. Calchis sat hic vicinus, se autem peperisse. & vobis datum id prudenter & natum ab Hom. ἰλια. ζ αὐτ ἀρ γλαῦκος ἔτικτεν ἀμύμονα βελλεροφόντην. Parere etiam dictum ea, quæ non concipiant. Virgil. lib. vndecimo: Ite ait, egregias animas, quæ sanguine nobis. Hāc patriam peperere suo.

95 ¶ *Viros*, etiam de animalibus posse dici Virgilij auctoritas iubet in Bucol. Vir gregis ipse caper deerrauerat. cùm posset maritum dicere. sicut Georg. libr. iij. Quem legere ducem, & pecori dixere maritum.

96 ¶ *Grundire*, cùm sit propriè suum, vt Laberius in sue dicit, Grundientem aspexi scropham. Et Claudius lib. xvj. Agni grundibat dixit, grumiter pecus suillum. etiam *hominum esse* grunditum, Cœcilius ex Diomede in vmbris designauit. Cruento in ore grundibat miser.

97 ¶ *Insaniam* non hominibus solùm, aut animalibus, sed & his, quæ sine anima sunt. Virgil. Bucol. Huc ades, insani feriant sine litore fluctus.

68 ¶ *Elegantes*, non solùm vt consuetudini ab elegantia ingenij, aut cultus electione, & delectus plerúque dici potest, sed à veteribus etiam vitio datur. M. Tul. in Clodium, & Curionem: Tu elegans, tu solus vrbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriæ qui leuare vultum, mollire vocem potes. Cato de Moribus: Auaritiam omnia vitia habere putant, sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus.

99 ¶ *Amarum*, non solùm ex sapore triste, sed ex quacunque causa terribile, & impensum Maronis auctoritate dicimus lib. x. Hostis amare quid incipitas? mortémque minaris?

100 ¶ *Multitudo*, cùm sit numeri populorum, vt quidam volunt, Var. pro multo non absurdè adscripsit de vita populi Rom. lib. ij. Nihilo magis propter argenti facti multitudinem miserat furandum, quod propter censoriam seueritatem nihil luxuriosum habere licebat.

101 ¶ *Sanguinolentum*, corporum potest esse. lectū est & de incorporeis. Varro de vita pop. Rom. lib. iiij. Itaque propter amorē imperij magistratus grauatim seditionibus sanguinolentis, aut dominatus quo appellarent.

102 ¶ *Pondus* pro numero. Varro de vita pop. R. li. iiij. E Græcia Asiaticas in villas cōportasse magnum pondus omnium artificū.

103 ¶ *Audiendi* sensum etiam iis rebus Virgilius dedit, quæ nec aures habent, nec sensum, Georgic lib. I. Et frustra retinacula tendens Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

104 ¶ *Carere*, etiam rem bonam dici potest. Turpil. Demetrio: Dolentis persona cos parentes careo.

105 ¶ *Caui* proprietas est sinuosi, & concaui, ac per hoc sine dubitatione corporalis. Virgilius verò etiam de incorporalibus, quæ sunt inania tantùm vel obscura, dici posse testatur libr. vj. Et ni docta comes tenueis sine corpore vitas Admoneat volitare caua sub imagine formæ. Et lib. x. Tum dea nube cauā tenuem, & sine viribus vmbram.

106 ¶ *Lauare*, cum sit eluere, & sordida quæque purgare, vetustatis etiam auctoritas posuit pro polluere. Virg. Geor. lib. iij. Lauit ater vulnera sanguis. Et libr. x. Lauit improba teter Ora cruor. Plaut. Pseudolo, Eas lacrymis laui. Ennius Hecuba, Heu me miseram, interij, pergunt lauare sanguen sanguine. Varro ἑκατόμβη, Pater vt cruore laueret aratrum aggerem. Afran. Suspecta, Vident lauere lachrymis me tuum collum pater.

107 ¶ *Animas*, pro corporibus. Virg. li. xj. Ite, ait, egregias animas, quę sanguine nobis, Hanc patriam pepere suo, decorate supremis Muneribus. In quo etiam hoc vnum est, quòd patriam posuit pro regione, vel terra, cùm patria sit ciuitas, vel vrbs parentum.

DE CONTRARIIS GENERIBVS VERBORVM.

CAP. VII.

1 ¶ *Aucupaui*, actiuum positum pro passiuo. Titinnius Veliterna: Id ego aucupaui, plenas aureis affero. Plautus Trucul. Lepidè æcastor aucupaui, atque è mea sententia. Idem Menæchmis: Vt concedamus ex insidiis aucupa. Enn. Medea: Fructus verborum aures aucupant. Pacuuius Chryse: Incipio saxum tentans scandere verticem. In summum, dein hominis partes prospectum aucupo. Accius Astyanacte: Nunc in consilio id reges Argiuûm aucupant, Id quærunt. Idem Medea: Ego me extollo in abietem, altè ex tuto prospectans aucupo.

2 ¶ *Vagas*, pro vagaris. Plautus Milite: Te alloquor vitij, probríque plenus, qui circum vicinos vagas. Serenus opusculis: Rure puella vagat virido. Accius Tereo: Fama nam nobilitas lata stirpe præclarè viget, vagat. Idem Medea: Vagant, pauore pecuda in tumulis deserunt. Idem Bacchis, Deinde omnes stirpe cum inclyta Cadmi deuagant matronæ percitatæ tumultu. Pacuuius Medea, Quid tandem, vbi ea est, quod recepta exul incerta vagat? Turpilius Leucadia, Vecordi vagas insania. Enni. Hectoris Lytris, Constitit, credo, Scamander, arbores vento vagant. Pacuuius Periboea, In triplici pertimefactus mærore animi incertè errans vagat. Varro Pseudolo Apolline, περὶ θεῶν γενομένων, Cùm sex pueri, & puellæ pariter item sex, aut septem numero, quæ cum choro pari vagarunt. Idem Hercule, Tuam fidem per maritimas oras quæ vagat suffragantur. Pomponius Pappo, Præterito populi voluntas hæc est, & vulgo vagas.

3 ¶ *Refragabunt*, pro suffragabunt. Sisenna Histor. lib. 13. Multi populi, plurimæ conciones dictaturam omnibus animis, & studiis refragabunt.

4 ¶ *Meret*, pro meretur. Plautus Menæch. Item hic vltro fit, vt meret, potissimus nostræ domi vt sit. Idem eodem, Adibo, atque hominem accipiam dictis, quibus meret. Turpil. Philopatro, Vtinam possim tibi referre gratias, vt de me meres. Idem Hetera, meres, merito vt diligare.

5 ¶ *Auspicaui*, pro auspicatus sum. Plaut. Persa, Lucro faciendo ego auspicaui. Idem Sticho, Eam ego auspicaui in re capitali mea. Atta Lucubratione, Cùm primò luci hodie vt exornata sit, atque vt auspicetis cras est communis dies. Cæcilius Plotio, Insanum hospitium aliter histrionum est, atque vt magistratus cùm publicè auspicant. Næuius belli Pœnici libro tertio, virum prætor aduenit, auspicat auspicium [prosperum.]

6 ¶ *Eluctaui*, pro eluctatus sum. Plautus Trinummo: Cum hisce ærumnis eluctauit. Idem Vidul. Quid multa verba? plurimùm luctauimus. Terentius Hecyra: Dicitque illi annulum sese, dum luctat, detraxisse.

6 ¶ *Scruto*, Plautus Aulularia: Postremò hunc iam perscrutaui.

7 ¶ *Auguro*. Accius Oenomao. Atque ea coniectura auguro. Idem Amph. Si satis rectè aut vera ratione augurer. Ennius Menalippo: Certò hic est nulla quin monstrum siet, Hoc ego tibi dico, & coniectura auguro. Pacuuius Chryse: Propemodum animus coniectura de errore eius augurat. Cicero ad Caluum: Præsentit animus, & augurat quodammodo, quæ futura sit suauitas. Virg. lib. septimo: Et si quid veri mens augurat, opto. M. Tul. de Repub. libro quarto: Cui quidam vtinam verè fideliter abundante augurauerim.

8 ¶ *Assensit*, est & passiuum. Accius Neoptolemo: vbi nihil contra rationem, & quam habuit assensit silens. Idem Erigona: Assentio, age nunc tu tuam progeniem & ordine. Pompon. Sponsa: Papæ pol magis vbi cognorit, omnes vnà assentiant.

9 ¶ *Cunctant*, pro cunctantur. Accius Alphesiboea: Ita territa Membra animo ægroto cunctant sufferre laborem. Ennius Ambracia: Bene mones, tute ipse cunctato, vide fortem virum. Idem Hectoris Lytris: Qui cupiant dare arma Achilli, vt ipsi cunctent.

10 ¶ *Accinge*, pro accingere. Pomponius Maccis geminis: Iam ego mihi adero, dum ego reuortor, age antè accinge ad molas.

11 ¶ *Contempla*. Accius Philocteta: Cōtempla hanc sedem, in qua ego nouem hyemes saxo stratus pertuli. Næuius Danaë: Cōtemplo placidè formam, & faciem virginis. Titinnius Fullonia: Adspecta formam, atque os contempla meum. Ennius Medea: Asta atque Athenas

Athenas antiquum opulentum oppidum Contempla. Plaut. Asin. Meum caput contemples.

12 ¶ *Altercata est*, passiuum. Pacu. Iliona: Cur illa hic mecum altercata est?

13 ¶ *Arbitrabunt*. Plautus Sticho: Probi eres verò arbitrabunt, si probis narraueris.

14 ¶ *Amplexa*, pro amplexare. Acc. Alcmæone: Postremò amplexa, fructum quem dij dant cape.

15 ¶ *Amplexari*, pro amplecti. Cicero de Orat. lib. iij. Nec voluptatem tuentur, quam amplexari possunt.

16 ¶ *Criminat*. Ennius Satyr. libro tertio, Nam is non bene vult tibi, qui falsò criminat apud te.

17 ¶ *Dignaui*, pro dignatus sum, vel dignũ duxi. Accius Meleagro: Remanet gloria apud me; exuuias dignaui Atalantæ dare. Pacuuius Hermiona: Cùm neque me aspicere æquales dignarent meæ.

18 ¶ *Miserarent*, pro miserarentur. Accius Athamante: Atque ita de illis merui, vt iure hæc nunquam miserarent mala.

19 ¶ *Largi*, pro largire. Lucillius libr. xiiij. Quod viscus dederas tu quidem, hoc est viscera largi. Accius Diomede: Benignè, & pro beneficio largito atque ampliter. Cato lege Bæbia; Pecuniam inlargibo tibi.

20 ¶ *Intui*, & *Contui* pro contueri. Turp. Pedio: Tamen oculis longa intercapedine appetunt cupidè intui. Pomponius Maccis geminis, Incœpi contui, conspicio coleatam cuspidem.

21 ¶ *Proficisceret*, pro proficisceretur. Turpilius Heræta, Hortatur hominem, quàm primum proficisceret.

22 ¶ *Sortirent*, pro sortirentur. Varro Rerum humanarum lib. xx. Cùm venerint censores, inter se sortiant.

23 ¶ *Moderant*, pro moderantur. Pacuu. Peribœa, Neque tuum te ingenium moderat, neque fraternum ita exsilium leuat.

24 ¶ *Sortiunt*. Ennius Cresphonte, An inter se sortiunt vrbem, atque agros?

25 ¶ *Polliceres*, pro pollicereris. Varro Anoputio πολιτικὴν ἐδίδαξε. Nam in omnibus legi πολιτεῖαι τὶς βαίνει. Ne dares, ne polliceres quid datum est.

26 ¶ *Populat*, & passiuum *populatur*. Virg. Geor. lib. 1. Populátque ingentem farris aceruum Curculio. Cæcilius Asoto, Iamdudum depopulat macellum. Ennius Ambracia, Agros audaces depopulant serui dominorum domini. Quadrigarius; Agrum Nolanum populare cœperunt. Accius Astyanacte, Qui nostra per vim patria populauit bona. Sisen. Hist. libro quarto; Protinus agros populabundus ad Numeriam conuertit.

27 ¶ *Punitur* aliquem, pro punit. M. Tull. de offic. li. 1. Neque ad eius, qui punitur aliquem, aut verbis fatigat, sed ad Reipub. vtilitatem referri. Et Tusc. li. 1. Quo multi inimicos etiam mortuos puniuntur.

28 ¶ *Ruminat*. Vir. Bucol. Ilice sub nigra pallenteis ruminat herbas.

29 ¶ *Fabricantur*. M. Tul. de offi. li. 1. Vt enim pictores, & ij, qui signa fabricantur. Plautus Asin. Fabricare, quid vis comminiscere. Cic. de orat. lib. iij. Capitolij fastigium illud, & cæterarum ædium non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est.

30 ¶ *Palpatur*, pro palpat. Lucil. lib. xxix. Hic me vbi videt, subblanditur, palpatur, caput scabit.

31 ¶ *Luctant*, pro luctantur. Ennius lib. ix. Viris validis viribus luctant.

32 ¶ *Bellantur*, pro bellant. Virg. li. x. Et pictis bellantur Amazones armis.

33 ¶ *Partiret*, pro partiretur. Lucil. li. xxix. Quid quas partiret ipse pro doctrina boni. Plaut. Asinaria, Hanc quidem, quam nactus prędam, cum illis partiam.

34 ¶ *Impertit*. Lucil. lib. xxviij. Sospitat, Impertit salutem plurimam, & plenissimam.

35 ¶ *Cohortarent*: Quadrigarius Annal lib. x. Et dicerent castra facta esse, atque hos cohortarent, vti maturarent.

36 ¶ *Moderant*, pro moderantur. Acc. Epigonis, Viden' vt te impietas stimulat? nec moderat metus? Pacuuius Peribœa, Neque tuum te ingenium moderat, neque fraternum ita exsilium leuat.

37 ¶ *Commiserescimus*. Vir. Æneid. li. ij. His lacrymis vitam damus, & miserescimus vltrò. Ennius Hectoris Lytris, Seruos & nostrum imperium, & fidem Myrmidonum vigiles commiserescite.

38 ¶ *Præliant*. Ennius Achille Aristarchi, Ita mortales inter sese pugnant, præliant.

39 ¶ *Complectite*. Pomponius Fullonibus. Quin ergo, quando conuenit, complectite. Mi frater salue, ô soror salue mea.

40 ¶ *Expergisceret*, pro expergisceretur. Pomp. Agamemnone supposito: Nequis miraretur, cùm tam clarè conuerit, vt si quis dormitaret expergisceret.

41 ¶ *Labascor*, pro labor. Accius: Nullum est ingenium tantum, neque cor tam ferum, quod non labascatur lingua, mitescat malo. Varro Rerum diuinarum lib. vij. Postquam vidit misericordia labasci mentem infirmam populi.

42 ¶ *Congredias*. Plau. Epid. Quid si adeam? haud scio an congredias, si hæc ea est.

43 ¶ *Certatur*, pro certat. Pacu. Armorum iudicio, An quis est, qui te esse dignum, quicum certetur, putet?

44 ¶ *Frustro*, pro frustror. Pomp. Maiali, Miseret me eorum, qui sine frustis ventrem frustrarent suum.

45 ¶ *Exsecrarent.* Afran. Incendio, Experiurabant, exsecrabant, se, ac suos.

46 ¶ *Imitat.* Varro Epistola Latina lib. ij. Tuum opus nemo imitare potest. Liuius Achille, Si malos Imitabo, tum tu pretium pro noxa dabis.

47 ¶ *Progredi*, pro progredere. Nouius Vindemiatoribus, Quid stas, age, moue te manem primus progredi.

48 ¶ *Mutuet*, mutuũ sumat. Cæcil. Æsoto, Ad amicũ curret mutuatũ, mutuet mea causa.

49 ¶ *Suauies.* Pomponius Munda, Ego illam non amplectar, non suauiem? Nouius Quæstione, Mammas teneas, pedes extollas, suauies cum gemit.

50 ¶ *Consolare.* Varro Oedipothyeste, Per idem tempus Oedipus Athenas exsul venire dicebatur, qui consolaret.

51 ¶ *Minitas*, pro minaris. Næuius Danaë, Etiam minitas? mitte ea, quæ tua sunt magis, quàm mea. Plautus Amph. Quid minitabis te facturum, si istas pepulissem fores?

52 ¶ *Percontat.* Næuius Maleuolis, Si percontassem, malum hoc me præterisset. Næuius Belli Punici lib. ij. Blandè, & doctè percontat Ennius, quo pacto Troiam vrbem reliquisset.

53 ¶ *Ominat.* Pomponius Cretula, Nil petituræ bene eueniat. Ita sit, & tibi bene sit, qui rectè ominas.

54 ¶ *Paciscunt.* Næuius belli Punici libro septimo, Id quoque paciscunt mœnia sint, quę Lucatium reconcilliant captiuos plurimos. Idem, Sicilienses pascit, obsides vt reddant.

55 ¶ *Conuiuant*, pro conuiuantur. Pomponius Munda, Si calendis conuiuent, idibus cenant foris. Ennius Satyr. lib. j. Malo hercle suo magno conuiuat, sine modo.

56 ¶ *Mirabis.* Pomponius Patruo, Mirum facies fatuæ si studium mirabis diu.

57 ¶ *Vrinatur.* Cicero Academicis lib. ij. Si quando enim nos demersimus, vt qui vrinantur, aut nihil superum, aut obscurè admodum cernimus.

58 ¶ *Miserete.* Ennius Hecuba, Miserete manus, date ferrum, qui me anima priuem.

59 ¶ *Opino*, pro opinor. Plaut Bacch. Prænestinum opino esse, ita erat gloriosus. Pacu. Chryse, Inueni, opino esse optumum, Orestes vt hæres sit, sed tamen. Enn. Eumenid. Tacete opino esse optumum, & pro viribus sapere, atque fabulari ture noueris. Cæcilius Asoto, Nihil foresopino inter me, atque illum.

60 ¶ *Promeres*, pro promereris. Plaut. Trinummo, Nam retinere nequeo, quin dicam ea, quæ promeres.

61 ¶ *Opitula.* Liuius Equo Troiano, Dâ mihi hasce opes, quas peto, quas precor, corrige, opitula.

62 ¶ *Fite*, imperatiuo modo, Cato de præda militum diuidenda, Tu diues fite. Crassus lib. xvi. Iliados, O socij nunc fite viri. Liuius Odyssea, fit quoque fitum est.

63 ¶ *Pœnitebant.* Pac. Arm. iud. prologo. Nũc pœnitebunt, libant liberi grato ex loco.

64 ¶ *Partiret*, pro partiretur. Afra. Diuortio, Cum testamento patria partisset bona. Lucil. lib. iii. Tu patrem laudis caperes. tu gaudia mecum Partisses. Accius Chrysippo, Æternabilem diuitiam partissent. Ennius Telamone, Eandem me in suspicionem sceleris partiuit pater.

65 ¶ *Recordauit.* Quadrigarius Annal. lib. v. Is, vbi Dacũ cognouit, & patria eum recordauit.

66 ¶ *Poti* pro potiri. Pac. Iliona, Vt si onere credo adhuc sceptrum patienter poti.

67 ¶ *Præstolat*, pro præstolatur. Turpilius Pedio, Ego præstolabo illi, eo citante opicium. Liuius Tereo, Nimis pol imprudenter suis præstolaras.

68 ¶ *Reuortit.* Pomponius Majali, Cenam quæritat, si cum nemo vocat, reuortit mœstus ad me, nam miser.

69 ¶ *Rethoricasti*, pro rethoricatus es. Nouius Asinio, Age nunc, quando rethoricasti, responde, quod te rogo.

70 ¶ *Tutant.* Plaut. Mercatore, Inuoco vos Lares diales, vt me tutetis. Næuius Lycurgo, Tuos qui celsos terminos tutant. Pomp. Patruo, Nõ erat, Quod corpus tremulum famula tutaret toga. Pacu. Peribœa, Tu mulier tege te, & tuta templa Liberi.

71 ¶ *Patitor*, pro patere. Plaut. Asi. Patitor tu item, cùm ego te referiam.

72 ¶ *Copulantur*, pro copulant, passiuum pro actiuo. Plaut. Aulul. Adeant, consistunt, copulantur dextras.

73 ¶ *Præsagitur* p̃ presagit. Plau. Bacch. Occidi. animus iã isto dicto plus presagitur mali.

74 ¶ *Expalpabitur*, pro expalpabit, quod est extorquebit. Plaut. Vidul. Seruus à patre argentum expalpabitur.

75 ¶ *Reddibo* pro reddam. Plaut. Casina. Rurri reddibo. Idem Menæchmis Saluum tibi ita, vt mihi dedisti, reddibo.

76 ¶ *Ludificata* ero hominem, pro ludificata lepidè ero, culpam omnẽ in me imponit.

77 ¶ *Osculaui.* Titinnius Iarubra. Laudor, quòd osculaui priuignæ caput.

78 ¶ *Expedibo*, pro expediam. Plau. Truc. Ego expedibo, rem perdidi apud vos. Pacu. Periboea, Mane, expedibo factum, mihi quòd contrà rogo respondeas.

79 ¶ *Manducatur*, pro manducat. Pomp. Pappo agricola, Nescio qui sellam vrget, quasi asinus vxorem tuam, ita apertis oculis simul manducatur, ac molit. Lucill. Satyr. libro quarto, Assequitur neque opinantem, in caput insilit, ipsum Commanducatur totum. Idem libro xiiij. Cùm illud quid facia quod

quod manducamur in ore. Afranius Fratriis. Facilè manducari qui potest.

80 ¶ *Miseretur*, pro miseret. Turpil. Epiclero: Quàm matris, nunc patris me miseretur magis. Pacuuius: At accepisti me isto cũ verbo, miseretur tui.

81 ¶ *Munerat*, pro muneratur. Turpil. Thrasileone: Dat vltro, ac munerat, quod ab illo abstulit.

82 ¶ *Rixat*, pro rixatur. Varro Armorum iudicio: Ille viros hortari, vt rixarent, præclari philosophi. Idem Serrano, περὶ ἀρχαιρεσιῶν: Dormit alius, nimirum vigilant, clamant, calent, rixant. Idem de rerum natura lib. j. Ne familiæ rixent cum vicinis.

83 ¶ *Adiutatur*, pro adiutat. Pacu. Duloreste: Illum quæro, qui adiutatur. Afranius Inimicis: Hæc obsecro igitur agite & me adiutamini. Lucill. lib. xxvij. Nec si paulo minùs vsuras, & magna adiutatus diu.

84 ¶ *Pigneraretur*, pro pigneraret. M. Tull. de Rep. lib. 1. Sed vt plurimas, & maximas nostri animi, ingenij, consilij partes ipsa sibi ad vtilitatem suam pigneraretur.

85 ¶ *Murmurari*, pro murmurare. Varro ὕπερον ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ τῶν γεγαμηκότων; Ita vt soliti eramus, Romæ in balneis plodere cœpimus, & murmurari. Quadrigarius Annal. li. viii. In eo loco populus murmurari cœpit. Var. παπίᾳ πάππου, περὶ ἐγκωμίων; Hoc Græcis renuntiato, vt facilè intelligeres, nos ab his amari, commurmurantur. Auctor idem Virgula diuina; Præsertim, cùm ventrem meum coërceam, nec murmurari patiar.

86 ¶ *Excalceatur*, pro excalceat. Varro Pseudolo Apolline, περὶ θεῶν διαγνώσεως: Quod in eius Dei templa calceati introeunt. Nam in oppido, quæ est ædes Apollinis, & qui ibi ad Herculis introeat, nemo se excalcietur.

87 ¶ *Nutritur*, & nutricatur pro nutrit, & nutricat. Varr. Testamento, περὶ διαθήκης, μετὰ εὐλαβείας: Natis quos Menippe hæresis nutricata, & tutores do, Qui rem Romanam, Latiúmque adsciscere vultis. M. Tul. de Deorum natura lib. ii. Omnium autem rerum, quæ natura administrantur, seminator, & sator, & parens (vt ita dicã), atque educator, atque altor est mundus, omniáque sicut membra, suas & partes nutricatur, & continet. Afranius Vopisco: Nam nutricatur oliua. Lucil. lib. xxx. Sensu nutricatum sanè, caput opprimit ipse.

88 ¶ *Volam*, pro velim. Lucil. lib. xxvij. Atque dolo attonitos vincere. Epicuri volam. Plaut. Asin. Meo modo loquar quæ volam, quoniam intus non licitum est mihi.

89 ¶ *Commanducatur*. Lucil. Satyr. lib. iiii. Assequitur nec opinantem, in caput insilit, ipsum Commanducatur totum complexa, comestque. Idem libro xxv. Villicum Aristocratem mediastinum, atque bubulcum Commanducatus corrupit, ad incita adegit.

90 ¶ *Esuribo*, pro esuriam. Pompo. Augure: Immo mane non esuribis diutius, quare roga. Nouius Mortis & vitæ, iudicio: Ita vobis otiosus sum: mihi algebo, & mihi esuribo.

91 ¶ *Fatiscuntur*, pro fatiscũt. Acci. ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ: Tamen haud fatiscar quin tuam implorem fidem. Varro Antiquitate humana libro xiiii. Altera ira, altera vulneribus fatiscuntur. Pacuuius Duloreste. Vereor si vnquam fatiscar facere quidquam, quod quibo, boni.

92 ¶ *Consecrabor*, pro consecrabo. Plautus Persa: Sed quis hic ansatus ambulat magnificè consecrabor.

93 ¶ *Fruticari*, pro fruticare. Cicero ad Atticum lib. xv. Excisa enim est arbor, non euulsa. itaque quàm fruticetur, vides.

94 ¶ *Exsugebo*. Plautus Epidico: Iam ego me vortam in hirundinem, Atque eorum exsugebo sanguinem.

95 ¶ *Copulantur*, pro cõiungunt. Plaut. Aulul. Adeunt, consistunt, copulantur dextras.

96 ¶ *Inuenibo*, pro inueniã. Põponius Buccone adoptato: Sæpe annuit, inuenibit sæpe.

97 ¶ *Puniuntur*, pro puniunt. M. Tull. Tusc. lib. 1. Tenendum est igitur, nihil curandum esse post mortem, cùm multi inimicos, & mortuos puniuntur.

98 ¶ *Sacrificantur*, pro sacrificant. Varro antiquitatum rerũ diuinarum libro xiiii. Viris nuptis sacrificabantur in cubiculo viduæ. Sacrificari. Varro Manio: Non maledicere, pedem in focum non imponere, non maledicere, sacrificari. Idem Varro de liberis educandis: Cùm primores cibo, & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab Idibus Edusæ, & Potinæ.

99 ¶ *Discrepuit*, pro disceptauit. Cicer. de orat. libro tertio. Nihil sanè ad rem pertinet, si qua in re discrepuit ab Antonij diuisione.

100 ¶ *Spolior*, pro spolio. Afranius Crimine, Quos impunè depopulatur, & dispoliatur decus. Quadrigarius Annal. Ita per sexenium Iugatiam polam, atque agrum Campanum, quod his per militem licebat, exspoliabãtur.

101 ¶ *Verecundantur*. Marc. Tull. Hortẽsio, Hi nostri amici verecũdantur capti splendore virtutis.

102 ¶ *Conuertitur*, pro cõuertit. Plaut. Amph. Sed fugam in se tamen nemo conuertitur.

103 ¶ *Ruminatur*. Varro Sexagesi, Erras, inquit, Marce, accusare nos ruminaris antiquitates. Idem Bimargo, Odysseam enim Homeri ruminari incipies.

104 ¶ *Precantur*. Varro Eumenid. Ego medicina Serapi vtor, quotidie precantur. intelligo rectè scriptum esse Delphis Theo hera.

105 ¶ *Miras*, pro miraris. Varro Eumenidibus; Hospes quid miras animo curare Seraphim. Quid quasi non curat tantidem Aristo-

teles, Idem eisdem: Aut ambos mira, aut noli mirare de eodem.

106 ¶ *Nolitote*, pro nolite. Sisen. Hist. lib. iiij. Nolitote mirari, quàm desperata voluntate ad vnam belli faciendi viam.

107 ¶ *Gliscitur*, pro gliscit. Sempronius Asellio Hist. lib. iiij. Vt maior inuidia Lepido glisceretur.

108 ¶ *Ignescitur*, pro ignescit. Laberius Colace: Figura humana inimici ardore ignescitur.

109 ¶ *Luxuriabat*, pro luxuriabatur. Tubero Hist. lib. iiij. Pars omnis luxuriabat. Virg. lib. ij. Luxuriátque toris animosum pectus.

110 ¶ *Focillatur*, pro fouet. Varro de vita pop. Rom. lib. 2. Propter secūdas sublato metu, non in communi spectant: sed suum quisqua diuersi commodum focillantur.

111 ¶ *Emungerentur*. Varro de liberis educandis: Eam sunt consecuti corporis siccitatem, vt neque spuerent, neque emūgerentur.

112 ¶ *Libertatem uti*, pro, vti libertate. Titinnius lib. v. Item vti eum oportet libertatē, qui sapit. Nouius Zona: Atque facilitatem video vteris vulgariam. Lucil. Satyr. libro 4. Quem metuas sæpe, interdum quem vtare libenter. Sic potior illam rem, pro, illa re potior. Terent. Adelph. Mille potior gaudia. Lucret. lib. 3. Adde Heliconiadum comites, quorum vnus Homerus Sceptra potitur. Næuius Lycurg. Dic quo pacto eum potiri pugna an dolis? Accius Phœnissis: Natus virtute sceptrum potiretur patris. Pacuuius Atalanta: Regi vt memorabis, nunc regnum potitur transmissu patris.

113 ¶ *Opus* est illam rem, pro opus est illa re. Plautus Cistellaria: Malum aufer, bonum mihi opus est. Et Captiuis: Omnes maritimi milites iā opus sunt tibi. Lucretius lib. 2. Scire licet nil principiis opus esse colores. Turpilius Lindia: Me vis potiri? Fac ergo potiar quod volo. Sic & callet illam rem pro illa re: Pomponius Pistoribus, Mirum ni hæc Marsa est, in colubras callet canticulam. Afran. Epistola: Quanquam isthæc malitiosa non tam calleo, tamen non fefelli.

DE MVTATA DECLINATIONE.

CAPVT VIII.

1 A*pricatio*, pro apricitas. M. Tul. de senectute, Vbi enim potest illa ætas aut calescere apricatione melius, vel igni?

2 ¶ *Itiner*, dictum pro iter. Varro Pranso parato, Luna exspectante Adria se itiner longum sermone leuare. Plaut. Mercatore, Quin tu ergo itiner exsequi meum me sines? Equidem mutata declinatio non est ab eo, quod est iter iteris, sed est ab eo, quod est iter itineris. Lucretius lib. 6. Obuia discutiat gladiis, itinérque sequatur. Accius Oenamao, Coniugium Tisis pater eat te itiner tendere. Idem Meleagro, Labore aut minuat itiner ingressum via. Turpili⁹ Thrasileone. Age, age, egredere, atque vtinā istuc perpetuū itiner sit tibi.

3 ¶ *Festinem*, pro festinantem. Titinn. lib. 5. Nunc hoc vror, nunc hęc res me facit festinē.

4 ¶ *Lacte*, nominatiuo casu, ab eo, quod est lac. Ennius lib. 11. Etsi mulier erubuit, ceu lacte. & purpura mista. Hemina Annalium lib. 4. Ex uberi lacte haurire. Cæcili⁹ Titthe: Pręsertim, quæ non peperit, lacte nō habet. Varr. Andabatis: Candidum lacte papilla cùm fluit.

5 ¶ *Mansuete, & mansues*, pro mansuetus, vt sit nominatiuus mansues. Plaut. Asin. Reddam ego te ex fera fame mansuetum. Accius Meleagro: Nunc si me matrem mansues misericordia capsit. Varro ὄνος λύρας. Non vidisti simulacrum leonis ad Idam è loco, vbi quondam subitò eum cùm vidissent, quadrupedem galli tympanis adeò ferunt mansuem, vt tractarent manibus?

6 ¶ *Quæsti, vel Quæstuis*, dictū pro quæstus, Titinnius Fullonibus: Ni nos texamus, nihil est fullonibus nobis quæsti. Plautus Aulul. Nā hìc apud nos nihil est quæsti furibus. Nouius: Per deam sanctam Lauernam, quæ cultrix quæstuis sit. Terent. Hecyra: Nunquam animum quæsti gratia ad malas inducam parteis. Pomp. Pistore: Nam plus quæsti facerem, quàm quadrinas si haberem molas. Turpilius Demiurgo: Mulier meretrix, quæ me quæsti caussa cognouit sui. Idem Hetæra: Simulauit me à se amari quæsti gratia: Cæcilius Venatore: Satísne huic ordini, & si nihil egi quæsti, quia sunt æmuli? Var. de liberis educādis: Non in suarum manuum opificio: quibus almo lino quid faciunt aut palma. Nam lib. 2. Quæstuis caussa deridebant suas res pueris.

7 ¶ *Tumultu*, pro tumultus. Plautus Casina: Quid intus tumulti fuit? Ter. Andr. Nihil ornati, nihil tumulti. Pomponius Piscatoribus: Quid hoc est tumulti? Acc. Æneadis, vel Decio: Nihil neque periculi, neque tumulti est, quod sciam. Idem Nyctegresia: Cuius vos tumulti caussa acie timeo quid parum aduorti.

8 ¶ *Victi*, pro victus. Plautus Captiuis: pro victi quotidiani ventrem ad me afferas.

9 ¶ *Æsti*, pro æstus. Pacuuius Chryse: Æsti forte ex arido.

10 ¶ *Senatui*, vel *Senatuis*, pro senatus: Plaut. Epidico: Senati qui columē cluēt. Sallu. Catilinæ bello: Igitur senati decreto. Q. Martius Rex Fesulas, Metel. Creticus in Apuliam, circúmque ea loca missi. Sisen. Hist. lib. 3. Lucius Calpurnius Piso ex senati cōsulto duas nouas tribus,

tribus. Idem: simul & senatis consultis clarissimis amplificati. Var. de vita po. Ro. li. 1. Posteaquam Q. Fabio Maximo dictatore.

11 ¶ *Vas*, pro vades. M. Tull. de offic. libr. 1. Vas factus est alter eius sistendi, vt si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi.

12 ¶ *Sumpti*, pro sumptus. Plaut. Trinũmo. Quod ebibit, quod comest, quod facit sumpti. Turpilius Philopatro: Ecce autẽ tuo more, vti soles videre mihi ægrè id pati: quia hos dies cõplusculos intercapedo sumpti faciũdi fuit. Lucil. lib. xxx. Quid dare, quid sumpti facere, ac præbere potisset. Cæcilius Plocio: Quid hoc futurum obsonio, & vbi tantùm sumpti factum? Varro Bimargo: Cùm nouissimè mitteret, quantum sumpti fecerit.

13 ¶ *Iteris*, positum pro itineris, & quidem rectè: ab eo, quod est iter iteris, facit iter itineris. Nouius Lycurgo: Ignotis iteris sumus, tute scis. Acc. Oenomao: Prestò etiam adsum, exprome quid fers, nam te longo itere cerno vadere. Idem Telepho. Studiúmque iteris reprime. Varro περὶ ταφῆς. Tua templa ad altaphani properans citus itere.

14 ¶ *Exerciti*, vel *exercituis* pro exercitus. Acc. Armorum iudicio. In quo salutis spes summas sibi haber exerciti. Idem ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ. Contrà quantum obsueris, si victus sies, considera, & quò reuoces summam exerciti. Var. de vita pop. Rom. lib. 2. Quibus cùm turpe fecerant fœdus sine publico consilio dederunt hosti quotquot Decius imperator pro exerciti salute se diis manibus deuouit.

15 ¶ *Adspecti*, pro adspectus. Accius Astyanacte. Abducite intro: nam mihi Misericudine commouit animum excelsa, adspecti dignitas. Idem Alphesibœa, Odiorum hostificúmque diem obuium, turbam, adspecti; atque horribilem.

16 ¶ *Scriptio*, pro scriptura. Cicero de Ora. libro secundo. Illud autem est huius instituti, scriptionis, ac temporis.

17 ¶ *Lucti*, pro luctus. Accius Pelopidis, Cesso hinc ire, & rapere lucti vestem in lecto coniugis. Idem Nyctegresia, tunc quod superest, socium mittis leto, an lucti pœniter.

18 ¶ *Salti*, pro saltus. Acc. Menalippo. Hi Menalippum interea traiectus, nemorum in salti faucibus.

19 ¶ *Parti*, & *partuis*, pro partus. Pacu. Atalanta. Vbi me grauidam sentio aggrauescere Propinquitate parti. Varro Andabatis. Candidum lacte papilla cùm fluit, signum putant partuis, quòd hic sequatur mulierem è partu liquor.

20 ¶ *Frons*, pro fronde: vt Virgil. Georg. li. 2. Præterea cùm frons tenera, imprudénsque laborum. Varro Parmenone. Creditur lucos alta frons decidit platanos remis.

21 ¶ *Ibus*, pro iis minùs Latinum putat cõsuetudo, cùm veterum auctoritate plurimum valeat. Titinnius Gemina. Euæ Castor si moratæ sitis ambæ, ibus, vt pro ego maioribus. Plaut. Milite. Latrones ibus denumerem stipendium. Pomponius Pappo agricola. Nunc quãdo voluisti facere, fac voluptati sies ibus.

22 ¶ *Excelsitas*. M. Tul. de offi. lib. 3. Etenim magis est secundum naturam excelsitas animi & magnitudo.

23 ¶ *Campans* pro campanũ. Plaut. Trinummo. Credo ego istuc Stasime ita esse, sed campans genus multo Syrorũ iã anteit patientia.

24 ¶ *Pernici*, pro perniciei. M. Tul. pro Sexto Roscio. Quorum nihil pernici causa diuino consilio, & vi ipsa ac magnitudine rerum factum putemus. Sisenna Hist. lib. vi. Romanos in re cerne pernici caussa venisse.

25 ¶ *Harem*, pro heredem. Næuius Gymnastico. Atque meis bonis omnibus ego te hærem faciam.

26 ¶ *Gelu*, ars monoptoton esse vult, contrà sentit auctoritas. Lucretius lib. v. Assiduúsque geli casus mortalibus aufert. Idem lib. 6. Deniq. sæpe geli multus fragor, atque ruina.

27 ¶ *Vapos*, & vapor, & timos, & labos & labor ita sunt, vt color & colos. Lucretius lib. 5. Peruolitans permanat odos frigúsque, vapósque. Næuius Lycurgo. Iam vbi nos duplicant aduenientist imos, vapósque Accius Andromeda. Qui neque terræ est datus, nec cineris caussa vnquam euasit vapos. Var. Manio. Sternitur iuuencus, quem labos mollem fe ci.

28 ¶ *Peruico*, pro peruicaci. Accius Armorum iudicio. Sed peruico Aiax animo atque morabilioni. Plaut. Aulul. Hic quidam peruicus custodem addidit.

29 ¶ *Antistitam*. Accius Astyanacte. Vtinã vnicã mihi antistitam acquitenẽs suã tuetur.

30 ¶ *Gemiti*. Plautus Aulul. Tantum gemiti mali mœstitiæque hic dies mihi obtulit.

31 ¶ *Specis* pro specubus. Accius Alcmæone. Quod dij interdum infernam penitus depressum altis clausere specis?

32 ¶ *Gallum*, pro gallorum. Varro Eumenidibus. Peditatem, an pudorem gallûm cœpit mihi videri.

33 ¶ *Generibus* pro generis. Accius Alcmæone. Qui ducat cùm te viderit soccrum, generibus tantam esse impietatem?

34 ¶ *Argus*, pro Argiuus. Plautus Amph. Amphytrio natus Argus ex Argo patre. Virg Æneid. libr. 4. Hauriat. hunc oculis ignem. crudelis ab alto Dardanus.

35 ¶ *Augura*, pro Auguria. Accius Telepho. Pro certo arbitrabor sortis oracula adytus augura.

36 ¶ *Humu*, pro humo. Varro Branso parato. Contrà coactus seruus latratu canum. Fertur bisulcis vngulis, ne se humu videant. Varro περὶ [illegible]. In pauimẽto non audes.

facere lacunam, at in humu calceos facis elixos.

37 ¶ *Flucti* pro fluctus. Accius Telepho. Flucti cruoris voluerent mihi. Idem Clytemnestra, Flucti immisericordes iacere, & aetra ad saxa allidere. Pacuuius Chryse, Interea loca flucti flaccescunt, silescunt venti, mollitur mare.

38 ¶ *Piscati*, pro piscatus. Pomponius Piscatoribus, Quid habes in scirpiculis calue? omne piscati genus. Turpilius Demetrio, Antehac sufflabat aquilo, aut auster, inopia tum erat Piscati.

39 ¶ *Poematis*. M. Tul. lib. 3. Quod idem in poematis, in picturis vsu venit.

40 ¶ *Cultio*, pro cultura. M. Tul. de senectute, Num igitur horum senectus miserabilis, qui se agricultione oblectabantur.

41 ¶ *Vulgariam*, pro, vulgarem. Naeuius Zona, Atque facilitatem video vti vulgariam. Turpilius Thrasyleone, Non est medio res, neq; vulgaria fallacia haec. Afranius Priuigno, Dehinc temeritatẽ repudio vulgariã.

42 ¶ *Pannibus*, pro pannis. Pomponius Maccis Geminis, Bono animo es video, eripuisti primitus de pannibus.

43 ¶ *Indecoris*, pro indecora. Acc. Athamante, Cuius sit vita indecoris, mortem fugere turpem conuenit. Virgil. lib. XII. Nec genus indecoris.

44 ¶ *Foetis*, pro foetibus. Accius Bacchis, Vbi sanctus Cytheron frondet viridantibus foetis.

45 ¶ *Sublima*, pro sublimis. Accius Phoenissis, Aut saepe ex humili sede sublima euolat. Sallust. Hist. lib. 3. Nam terra tunc erat, & sublima nebula caelum obscurabat.

46 ¶ Ab eo, quod est labos. *Labosum* facit, non laboriosum. Lucil. Satyr. lib. 3. Praeterea omne iter hoc est labosum. Idem, Tantalus labosas poenas.

47 ¶ *Nefantia*, pro nefanda. Lucil. Satyr. lib. 3. Tantalus, qui poenas ob facta nefantia pendit. Idem libro XXIX. Dissociat atque omnia ac nefantia. Varro σκιαμαχία, περὶ τύφου, Ego, inquit, eam suppetias, quae tunc mihi nec res, nec ratio est dissociat atque omnia nefantia?

48 ¶ *Gracila* est pro gracilis. Lucil. Satyr. lib. VIII. Quòd gracila est, pernix, quòd pectore puro, Quòd puero similis.

49 ¶ *Bacchanaliorum*, pro bacchanalium, vt vectigaliorum, compitaliorum, & noualiorum, Vulcanaliorum. Sallustius, Exauditúsque sonus Bacchanaliorum. Idem Hist. lib. 4. Curio Vulcanaliorum die ibidem moratus.

50 ¶ *Tumulti*, pro tumultus. Ennius Hectoris Lytris, Quî hoc hîc clamoris? quid tumulti est? nomen qui vsurpat meum? Turpilius Pedio, Progredior foras visere, quid hinc tumulti ante fores. Sallust. Catilinae bello, Ille cohorteis veteranas, quas tumulti caussa cõscripserat in frontem positas, caeterum exercitum in subsidio locat. Afranius Vopisco, Hem quid hoc, perij, pertimui, quid tumulti exaudij?

51 ¶ *Progenij*, pro progeniei. Pacu. Paulo, Pater supremae nostrę progenij patris.

52 ¶ *Strepiti*, pro strepitus. Ennius Hectoris Lytris, Quid in castris strepiti est?

53 ¶ *Mirabilitas*, pro admiratio. Tul. de offic. lib. 2. Ergo & haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit.

54 ¶ *Itiner*, pro iter. Enn. Telepho, Deumque de consilio hoc itiner credo conatũ modo. Pacuuius Atalanta, Dolet, pigétque magis, magísque me conatum hoc nequicquam itiner. Idem Duloreste, Delphos venum pecus secundae abstabula, ac itiner contuli.

55 ¶ *Ferocia*, pro ferocitate, Pacuuius Teucro, Nisi citia ferocitate, atq. ferocia. M. Tul. de Repub. li. quinto. Qui comperit eius vim, & effrenatam illam ferociam.

36 ¶ *Deliritas*, pro deliratio. Laberius, Quaenam mens, quae deliritas vos suppilatores facit, cum cano eugio velitari?

57 ¶ *Holerorum*, pro holerum. Lucil. Satyr. lib. XV. Tintinnabulum abest hinc, surpiculique holerorum.

58 ¶ *Mistura*, pro moderatura. Varro de vita pop. Rom. lib. 1. Sed quod ea & propter talem misturam immoderatam ex aquis cunctis, quod temperatura moderatur in Romuli vita tripliceis ciuitates.

59 ¶ *Guberna*, pro gubernacula. Lucil Satyr. lib. XX. Proras despoliare, & detundite guberna.

60 ¶ *Singularia*, pro singulari. Turpil. Demetrio, Homo vnica est natura, & singularia.

61 ¶ *Lubidinitas*, pro lubidine. Laberius Sylace, Lubidinitate labitur.

61 ¶ *Fructi*, vel fructuis pro fructus. Turpil. Canephoro, Satis fructi reddunt. Idem Hetaera. Haec si impetro abs te, vt faciat, satis fructi cepero ex te. Varro de re rustica lib. I. Eius enim saliuam esse fructuis venenum.

63 ¶ *Mensionem*, pro mensura. Cic. de oratore. Aures enim, vel animus aurium nuntio naturalem quandam in se continet omnium vocum mensionem.

64 ¶ *Volutabundus*, pro volutans. M. Tul. de Repub. libro 2. Cupido autem & expetenti, & lubidinoso, & volutabundo in voluptatibus.

65 ¶ *Porti*, pro portus. Turpilius Demiurgo, Neque nautae cùm essent circumuenti ventis, incerto itinere, porti indigentes.

66 ¶ *Domuis*, pro domus. Varro περὶ [illegible], Perrexit in inferiores partes domuis.

67 ¶ *Soni*, & sonus pro sonitus, & sonu. Pacu.

Pacu. Dolorefte: Quidnam autē hoc soniti est, quod stridunt fores? Cæcilius Calcis. Nā quidnam fores facere soniti? Sisenna Hist. lib. iij. Postquā in sonu signorum prælium magno cum clamore virorum commissum est.

68 ¶ *Glutino* pro glutine. Lucil. lib. xxvj. Præterito tepido glutinator glutino.

69 ¶ *Cautio*, pro cautelis. Cic. de orat. lib. ij. Neque illa mihi cautio, & timiditas in caussis, propter præstantem prudentiam Crassi neglígenda est. Terent. Andria: Puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa cautio est.

70 ¶ *Gelo*, pro gelu. Varr. Sesquiul: pueri dū comitésque tenēt cata gelo putri in ōtiū saxa.

71 ¶ *Cestis*, pro cestibus. Varr. Væ victis, περὶ φιλονικίας: Pugilis spectatoris, qui miserum putatis vinci quæro à vobis, si aduersarius supercilia micellis discobinarit, nunquis vestrûm suam mihi est daturus?

72 ¶ *Fructuis*, pro fructus. Varr. Meleagris: Quæro vtrū fructuis, an delectationis causa, fructus vt vēdatis. Idem ταφῆ μενίππου: Aliquot Romæ sunt, qui cellas vinearias fructuis parant, vt vendant.

73 ¶ *Questi*, pro quæstus. Var. Prometheo: Aemulum illius artis, atque obstrigilatorem. qui per aliquot annos quæsti nihil fecerit.

74 ¶ *Senectā*, pro senectute. Virg. li. vj. Vires vltra, sortémq; senectæ. Lucil. li. xxviij. Prospiciendū ergo in senecta, nunc adolescētia est.

75 ¶ *Inermis* pro inermibus. Sallu. Iugurthæ bello: Neque quēquā decere, qui man[us] armatus erat, ab inermis pedib. auxiliū petere. Sisen. Hist. li. iiij. Pleriq. inermi in castra perfugiūt.

76 ¶ *Gallia*, pro Gallice. Sallust. Hist. li. iiij. Cùm interim lumine etiam tum incerto, duæ Galliæ mulieres conuentum vitantes ad mēstrua soluenda montem adscendunt.

77 ¶ *Effigia*, pro effigies. Afran. Vopisco: Cui[us] te fascinat imago: cuius effigia cognatus patre?

78 ¶ *Intemperia*, pro intemperantia apud veterem auctoritatis obscurę: Has eius intemperias in maritum.

79 ¶ *Poematorum*, pro poematū. Afran. Priuign.: Poematorum non bonorum. Plaut. Asin. Nam neque fictum vnquam est, neque pictum, neque scriptum in poematis.

80 ¶ *Acritas* Accius Neoptolemo: Vis veritatis, atque acritas.

81 ¶ *Largitas* pro largitio. Ter. Adelph. Quod proluuium? quæ isthæc subita est largitas?

82 ¶ *Dextrabus*, pro dexteris. Liuius Odyssea: Deque manibus dextrabus.

83 ¶ *Curatura*, & *Curatio*, pro cura. Ter. Eun. Tametsi bona est natura: reddūt curatura iūceas. Cic. Tusc. li. iij. Nā vt medici caussa morborum curationem esse inuentam putant.

84 ¶ *Imberbi*, pro imberbis. Lucil. li. xxx. Maximus si argento in verbo androgyni barbati mœcho cinædi. Varro Epist. ad Fabium: Quòd facis Saturnorum similes sunt, quòd maxima fiunt, idémque imberbi.

85 ¶ *Sexcentum*, pro sexcentorum. Lucil. lib. xxx. Maximus si argenti sexcentûm, ac mille reliquit. Idem lib. xxx. Quid verò est centum, ac ducentum possideas si Millium?

86 ¶ *Pauperies*, pro paupertate. Enn. Hecuba: Senex sum, vtinam mortē oppetam Priusquam eueniat, quod in pauperie mea senex grauiter gemam.

87 ¶ *Aedis* nominatiuo singulari. Varr. de vita pop. Rom. lib. 1. Hæc ædis, quæ nunc est, multis annis post facta sit, in qua omnia regis temporibus delubra parua facta.

88 ¶ *Victuis*, pro victus. Varro de vita pop. Rom. l. 1. Primùm de re familiari ab patribus. secundò de victuis consuetudine primigenia, tertiò de disciplinis priscis necessariis vitæ.

89 ¶ *Graduis*, pro gradus. Varr. de vita pop. Rom. li. ii. Multo præditi pudore, & pudicitia adolescentes, dixerunt cum maiore patre eius graduis, & [ætate] ad te stipendia facerent.

90 ¶ *Puerilitas*, pro pueritia. Varro de liberis educandis: Velim me hercules, inquit, ipse vsu magno puerilitatis formulam audire.

91 ¶ *Anuis*, pro anus. Var. Cato, vel de liberis educandis: Eam nutricem oportet esse adolescētem Anuis enim vt sanguis deterior, sic lac Lac enim vt quidam dicunt physici, sanguinis spuma est.

92 ¶ *Præcantrix*. Varr. de liberis educandis: Vt faciunt pleræque vt adhibeant præcantrices, nec medico ostendunt.

93 ¶ *Rituis* pro rit[us]. Var. Cato, vel de liberis educādis: Itaq; domi rituis nostri, qui per Deū fidiū iurare vult, prodire solet in cōpluuium.

94 ¶ *Pronis*, positū pro prona. Varr. Parmenone: Alia trabs pronis in humum accedens proximè frangit ramos cadens.

95 ¶ *Teneritas* teneritudo. Cicer. de finib[us]. bonorum & malorum lib. v. In primo enim ortu inest teneritas, ac mollitia quædam.

DE NVMERIS, ET CASIBVS

CAPVT IX.

1 ACcusatiuus, numeri singularis positus pro genitiuo plurali. Sisen. Hist. lib. quarto: Qui tamen, quibus litibus fœdera maiorum *suûm* dissoluta. Titinnius Veliterna: Omnium *vitiûm* expertem, consilij plenum prohibui. Idem Gemina: Non exsecratis parasitum, nec virum aspellit domo. Lucretius lib. vi. Flammea tempestas *Siculûm*

dominata per agros. Plautus Persa: Pol *Deûm* virtutem dicam & maiorum *meûm*. Terent. Hecyra: Propè iam remotum ab iniuria *aduersariûm*. Accius Eurysace: Reprime parum per citatum quadrupedem. Nouius Eurysace: Millia sex *nummûm* in arcam dimisi nummariam. Accius ἐπὶ ναυσὶ μάχη: Ab classe ad vrbem tendunt, neque quisquam potest Fulgentium *armûm* armatus ardorē obtui. Turpilius Epiclero: In Caliphonis nunc te miseræ *liberûm* Pacuuius Atalanta: Parentum, *incertûm inuestigandûm* gratia. Idem Peribœa: Regnum imperator *æternûm* morum sator. Varro παπία πάππω, περὶ ἐγκωμίων O mi optanti ministerio *inuidûm* tabes. Idem de vita populi Romani libro quarto: Hortensius suprà decem millia *cadûm* hæredi reliquit, *medimnûm* vini mille cadum. Sallust. Histor. libro nono: Cuius duas insulas propinquas inter se, & decem *stadiûm* procul à Gadibus satis constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere. Afranius Vopisco: Antiquitas petenda in principio est mihi maiores nostri incupidiores *liberûm* fuere. M. Tul. de offic. li. iij. An emat denario, quòd sit mille *denariûm*.

2 ¶ *Accusatiuus*, positus pro datiuo: *Ignoscamus illam rem*, pro illi rei ignoscant. Plautus Amphit. Velatis manibus orant, *ignoscamus peccatum suum*. Terentius Eunucho: An, ne comparandus hic quidem ad illum est.

3 ¶ *Genitiuus* casus positus pro accusatiuo. Titinnius Psaltria: Dicis tu quæso, quò te auortisti? *mei fastidis?* meæ delitiæ. Plautus Aulul. Abiit, neque certiorem fecit. *Fastidit mei*, pro, me fastidit. Lucillius Satyr. libro septimo: Tristes difficiles sumus, *fastidimus bonorum*. Turpilius Leucadia: Vide nunc, *fastidit mei*. Lucillius libro xxviij. Cui sæpe mille imposui *plagarum* in diem. Idem: *Si argenti indiges*. Plautus Aulul. Deinde egomet mecum cogitare interdum occœpi. Sic *veretur illam rem*, ficuti & consuetudo, & Terentius Phorm. auctor est dicens: Non simultatem meam vereri saltem. ¶ Veteribus gentium pro accusatiuo poni placet. Afranius Compitalibus: Si non verear, nemo *vereatur tui*. Idem Simulante: *Tui veretur* me ad te misit. oratum peteret. Idem Emancipato: Optandum vxorem, quæ non *Vereatur viri*. Pacuuius, Hermiona: Tyndareo fieri contumeliam: cuius à te veretur maximè acta gratulatione: Nihilne te *populi veretur*, quî vociferare in via? Varro Sardis Venalibus: Non te tui saltem pudet, si nihil *mei reuereatur*? Accius Alphesibœa: Si *tui veretur* progenitoris, cedo.

4 ¶ *Accusatiuus*, positus pro ablatiuo. Titinnius Gemina: Ædepol hominis ignaui *functus officium*. Plautus Menæchmis: Nam parasitus octo hominum *munia* facilè *fungitur*: Idem Trinummo: Sequere hac me, gnata, *vt manus fungaris tuum*. Lucillius Satyr. libro primo: *Munus*, tamen *fungi*, & muros seruare potissent. Idem libro quinto: Liuius pauperem ait se ingentia *munera fungi*. Turpilius Epiclero: Sed volo, Vt familia nostra *officia fungatur* sua. Idem Pedio: Nuptias abiecit, amicos *vtor primores viros*. Pacuuius Duloreste: Nonne *officium fungar* vulgi, atque ægre madefactum feram?

5 ¶ *Accusatiuus*, vel nominatiuus positus pro ablatiuo. Turpilius Demetrio: Meos *parentes careo*. Marcus Tullius de Repub. libro quinto: Sed tamen vt bono patrifamiliâs, colendi, ædificandi, ratiocinandi quidam *vsus opus est*. Varro κύνος, περὶ ταφῆς. Denique si *vestimenta ei opus sunt* quæ fers? Idem Prometheo lib. primo: Id vt scias, audi hoc, quod falsum dicis esse, nemini *oculos opus esse*, si habet. Sallust. Histor. libro secundo: Ruina quæ pars magna, suismet, aut proximorum telis cæteri vice pecorum obtruncabantur. Afranius Vopisco: Tandem vt possimus nostra *fungi munera*. Idem Fratriis: Id aurum me condonat litteris. Lucil. li. xxvj. Tu si voles, per aureis pectus irrigarier.

6 ¶ *Genitiuus*, positus pro ablatiuo, vel aduerbio loci. Plautus Trinummo: Non ego sum *dignus salutis*? Cicero Tuscul. libro quarto: Aliquod malum metuit exanimatus, *pendet animi*. Plautus Amph. Vt salui *potiremur domi*. Pompon. Pappo agricola. Domus hæc fuerit placiti. Accius Epigonis: Locrorum latè viridia, & frugum vbera. Lucillius Satyr. libro sexto: Hortare illorum si possim capi sortiri. Idem libro octauo: Quarum & *abundemus rerum*, & *quarum indigeamus*. Idem libro nono: Si nihil ad faciem: & si olim lupa prostibulum quæ Numini opus, atque absit. Pacu. Peribœa: Postquàm est *honoratus frugū*, & *floris* Liberi. Marcus Tullius de Repub. lib. tertio: Noster autem populus sociis defendendis terrarum iam *omnium potitus* est. Afranius Excepto: Quod vitæ studiū, aut quod præsidiū in posterum mihi supponebas, mecū *prius tui*? Varro de vita populi Romani libro secundo: Vt noster exercitus ita sit fugatus, vt Galli Romæ *Capitolij sint potiti*, neque inde ante sex mēses gesserint. Significata ad genitiuum in potestatem venit. Plautus Capr. Ille alter *potitus hostis* est. Sallust. Iugurthæ bello: Vt priusquam legatos conueniret, *Adherbalis potiretur*. Idem eodem: Ager autem aridus, & *frugum vacuus*. Marcus Tullius de officiis libro primo: Hæc sunt opera magni animi, & excellentis, & *prudentia æquè, consilioque fidentis*. Idem: Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius. Virgilius Æneidos libro primo: *Implentur veteris*

veteris Bacchi pinguisque ferinæ. Marc. Tull. Hortensio: Et qui expectat, pēdet animi: quia semper quid futurum sit, incertum est. Varro Eumenidibus: Ego autem qui essem *plenus vini, & veneris.* ¶ Sic *desipiebam mentis,* pro mente. Plaut. Epidico: Desipiebam mentis, cùm illa scripta mitterem. ¶ Sic *mille annorū viuunt,* pro mille annis viuunt. Plautus Milite: Qui mille annorum perpetuò viuunt.

7 *Datiuus,* pro accusatiuo. Titin. Barath. Vbi ambitionem *virtuti* videas *antecedere,* pro virtutem antecedere. Plaut. Truculento: Quia tu vestimento, & cibo *alienis rebus curas.* Acc. Meleag. Cuius exuuias, & coronam huic *numerauit virgini* [legendum munerauit] M. Tul. de repub. lib. 4. Hic verò mulieribus præfectis reponatur, qui apud Græcos creari solet: sed sit cēsor, qui viros doceat *moderari vxoribus.* Sallustius Catilinæ bello: Breui spacio legiones numero hominū expleuerat, cùm initio non amplius *duobus millibus habuisset.* Lucillius libro vigesimo sexto: *Si miserantur se ipsi,* vide ne illorum causa superiore loco collocauerit. Terent. Facite ita vt *vobis decet.* Terent. Andr. Interea mulier quædam ab hinc triennium, Ex Andro *commigrauit huic viciniæ.* Varro de vita populi Romani lib. 4. Tanta porrò *inuasit* cupiditas honorum *plerisque,* vt vel cælum ruere, dummodo magistratum adipiscantur exoptent.

8. ¶ *Accusatiuus,* pro genitiuo. M. Tull. de offi lib. 2. Dum homines cruenti *hastam illam cruentam meminerint,* & sperabunt. Virg. Buco. *Alternos,* Musæ *meminisse* volebant. Plaut. Cistellaria: *Meminere officium suum.* Et Menæchmis: Propterea illius *nomen memini* facilius. Accius Eurysace: Heu me miserum: cùm hæc recordor, cùm *illos reminiscor dies.* Idem *ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ*: Eos mortalis fœnis lib. x. Misereor sæpe studitos volo. Et Athamante: Veritus sum arbitror, atque vtinā *memet* possim *obliuiscier,* Et Nyctegresia: An ego *Vlyssem obliuiscar* vnquam, aut quēquam proponi velim? Turpilius Pedio: Iam desine *meminisse illius formam.* M Tul. de Republ. libr. 4. Atque ipsa mens, quæ futura videt, *præterita meminit.* Varro væ victis *ἐπὶ φιλονικίας*: Libet me epigrammata facere: & quoniam *nomina non memini,* quod insolum mihi venerit ponam.

9 ¶ *Inuidit illam rem,* pro illa re. Accius Menalippo: Vnde, qui mortalis florem liberūm *inuidit* meūm? *Priuatur illam rem,* pro illa re. Næuius Pedio: Quod res vis hac priuari pulcras, quas vti solet?

10 ¶ *Ablatiuus,* pro genitiuo. Plaut. Pseudolo: *Vino* modo *cupidi* estis. Lucil. Satyr. lib. 2. Porrò quæcunque, & cuicunque, vt diximus antè Obstiterit primo hoc, minuendi refert res. Idem lib. 6. Et id solum aduersæ fortunæ rei quæ resistit. Turpil. Pedio: Neque virum; educta, vt par est, *expers* malitiis. Virg. Georg. lib. 2. Illa ferax oleo est.

11 ¶ *Accusatiuus,* pro nominatiuo. Pomp. Præcone posteriore: Quòd *lætitias insperatas* modò mihi *irrepsere* in sinum. Virgil. AEneid. lib. 1. *Vrbem quam* statuo, *vestra est.*

12 ¶ *Nominatiuus,* pro datiuo. Nonius Agricola: Lernete duo verbis etiam primo, & postremo. Plautus Aulul. Credo ego illum iam inaudiuisse mihi esse thesaurum domi. *id inhiat.* Cic. Tusc. lib. 1. Multáque secula post reuiguit Pythagoreorum nomen. Varro de re rustica lib. 1. Centum iugeribus vinearum *opus esse quindecim mancipia.*

13 ¶ *Genitiuus,* pro datiuo. Accius Neoptolemo: Quid si ex Græcia omne nomen Ilium par nemo reperiri potest? Turpilius Pedio: Neque mirum educta, vt par est, expers malitiis, *metuens sui.* Virg. AEne. lib. 1. *Diues opum,* studiisque asperrima belli. Plaut. Asin. Volo amori obsecutum illius, volo amet me patrē. Idem Pseudolo: Duorum labori ego hominē parsissem lubens, Me interrogandi, & tui respondendi mihi. Cic. de orat. libr. 2. *Bonorum virorum plenum forum.* Varro de vita pop. Ro. lib. 4. Ipsa Italię oppida sunt vastata, quę prius fuerunt *hominum referta.*

14 ¶ *Nominatiuus,* pro genitiuo. Turp. Epicl. Ad edim scies *ea,* quæ *fuisti inscius.* Terē. Phorm. Ita plerique ingenio sumus omnes, *nostri* nosmet *pœnitet.* Sic & *potior illam rem.* Pacuu. Periboea: Regnum potior, coniugem macto inferis.

15 ¶ *Ablatiuus,* pro datiuo. Lucil. Quod sumptum, atque epulas *dictu præponis* honesto. Virg. libr. vi. Téque *adspectu,* ne *subtrahe nostro.*

15 ¶ *Genitiuus* pro nominatiuo. M. Tul. de Repub. lib. vi. vt quemadmodum scribit ille, quotidiano in forum *mille hominum* cum pallis conchylio tinctis discederent.

17 ¶ *Ablatiuus,* pro accusatiuo. Virg. lib. v. Gratior & pulcro *veniens in corpore* virtus Adiuuat.

18 ¶ *Accusatiuus,* pro genitiuo. Acc. Myrmidonibus: *Mea fata* in acie *obliti.* Sallu. Hist. lib. 3. Sed Pompeius à prima adolescentia sermone fautorum similem fore credens Alexandro regi. Virgil. AEneid. lib. 8. Et vocem Anchisæ magni, *vultúmque recordor.*

19 ¶ *Accusatiuus,* pro datiuo. Lucil. xxvi. Suspēdat ne se, an *in gladium incūbat,* ne cælum videat. Plaut. Amph. Velatis manibus orant, *ignoscamus peccatum suum.* Afran. Vopisco: Male merētur de nobis heri, qui *nos* tantoperè *indigent* in pueritia. Cæcil. Plocio: Dūc ego eius mortem inibo. Virg. AEneid. libr. 3. *Treis* adeo incertos cæca caligine *soles Erramus* pelago, totidem sine sidere noctes. Cicero de Orat. libr. 3. *Locutus esse* dicitur homo.

copiosus *aliquot horas.*

20 ¶ *Datiuus*, pro ablatiuo. Sisenna Hist. lib.iiij. *Alij saltui, ac velocitati certare.* Var. de re rust.lib.I. A quo quòd *indigent potui*, poma dicta esse possunt. Idem Varro de liberis educandis: Non solùm qui primus in alteutra re *præstet alios*, sed etiam qui sit secundus, & tertius.

21 ¶ *Nominatiuus*, pro ablatiuo. Sisen. Histor. lib.iij. Omnia quæ diximus *loca*, statim *potitus*. Idem: Hostis *loca superiora potiti*. Virg. Æn.li.x. Saxúmque vndis immane minatur.

DE MVTATIS CONIVGATIONIBVS.

CAP. X.

FEruit, pro feruet. Lucillius lib.nono: Feruit nunc, feruit ad annum. Acc. Nyctegresia, Classis adit, clauditur, feruit. Titinnius Setina: Sapientia gubernator torquet nauem non valentia. Cocus magnum ahenum quãdo feruit: paulla confutat trua. Accius Meleagro: Heu cor ira feruit cæcum, amentia rapior ferórque. Pomponius Agricola: Domus hæc feruit flagitiis. *Afranius Priuigno: Hoc potius hoc nunc feruit minus. hæc volo. Varro Sexagesi: Quod leges iubent, non faciunt, faciant, do sceláve feruit omnino. Ab eo quod est feruit breuiato accentu feruêre facit, vt spernit spernere. Afranius Epistola: Ego miso Clandestinorum pictor fere matera mẽstrua feruêre. Lucil. Satyr. lib.viij. Feruere ne longum verò hoc litoribus tradam. Virg. AEneid. lib.iiij. Iam. Litora feruere flammis. Lucret. li. xI. Feruêre cùm videas classèm latéque vagari. Næuius Lycurgo: Latè, longéque trans nostros feruêre. Accius Telepho: Aere, atque ferro feruere igni, insignibus florere. Varro Desultorio: περὶ τρυφῆς, Feruere piratis, vastaríque omnia circum.

2 ¶ *Lauit*, pro lauat. Virg. Georg. lib.iij. Lauit improba teter Ora cruor. Plaut. Pseud. Eas lacrymis lauit Lucret. lib. ij. Litoris incurui bibulam lauit æquor arenã. Acc. Phœnissis: Salsis cruorem guttis lacrymarum lauit. Var. Cosmotorina, περὶ φθορᾶς κόσμου: Atque Aegeus fluctus, quam lauit antè aquilo. Sæuus vbi posuit Neptuni filius vrbem. Sallust. Histor. lib. ij. Dubium an insula sit, quod euri, atque austri superiactis fluctibus circumlauit. Næuius Danaë. Animi iubeo fonte lauere memini manum. Lauere inde tractum est. Ennius Telamone strata terra, lauere lacrymis vestem squalam, & sordidam. Idem Hecuba: Heu me miserum, interij, pergunt lauere sanguinem. Lucret. lib. v. Lubrica proluuie larga lauere humida saxa. Accius Medea: Lauere salsis vultum lacrymis. Var. αἰθρογενόπολις περὶ γενεθλιακῆς. Et Hymenæus, qui primò lauere aluum marsupio solet. Idem ἐκατόμβη, περὶ θυσιῶν: Pater, vt cruore laueret aratũ aggerem. Afran. Suspecta: Vident lauere lacrymis me tuum collum, pater. Lauerent etiã inde manauit. Enn. Andromeda: Nam vbi introducta est, puerúmque vt lauerent, locãt in clypeo. Afran. Fratr. Aquam ex cœno haurire qui lauerent manus. Plaut. Amphytr. Postquã peperit, pueros lauere iussit nos. Inde imperatiuo modo lauite facit. Titin. Psaltria: Manus lauite mulieris, & capita velate. Laui etiã positum pro lauari. Pompon. Petitore hærede: Ita velim facias, iampridem volo latrinam laui.

3 ¶ *Feruat*, pro ferueat. Pomp. Fullone: Facite, vt ignis feruat, ligna instipite, far concidite. Acc. Achil. Ne tum cùm feruat pectus iracundia.

4 ¶ *Sonit*, pro sonat. Acc. AEneadis, aut Decio: Clamore, & gemitu templum resonit cœlitum. Idem Phœnis. Ac vbi curuo litore latratu vnda sub vndis labunda sonit. Enn. Hectoris Lytris: Et sonit, Franguntur hastæ, terra sudit sanguine. Pacuu. Dulorest. Hymenæum fremunt æquales, aura resonit crepitu musico. Sonere inde tractum est. Lucr. lib. I. Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus. Accius Neopt. Atque adeò valuas sonere sensi regias. Idem Atreo: Sed quid tonitru turbida toruo Cõcussa repentè æquora cæli Sẽsimus sonere? Soniuit etiam inde manauit. Ennius Andromach. & Hermaphrodito: Nam neque irati, neque blandi quicquam syncerè sonunt. Acc. Iliona: Ibo ad eam, vt sciscã quid velint: valuæ sonunt.

5 ¶ *Expedibo*, pro expediam. Pacuu. Atalãt. Nam quod conabar, cùm interuentum est, dicere. Nũc expedibo. Acc. Nycteg. Cunctexpedibo id modo iusiurandum date. Pompon. Vernion. Sed qui vtroque error vos agitat, expedibo. Enn. Eumenid. Id ego æquũ aptius fecisse expedibo, atque eloquar.

6 ¶ *Nolito*, pro noli. Lucil. lib. trigesimo, Nolito, tibi me maledicere posse putare.

7 ¶ *Axim*, pro egerim. Pacuu. Perib. Vt quę egi, ago, vel axim verruncent bene.

8 ¶ *Feruitur*, pro feruit. Afran. Vopisc. Quãta vociferatione feruitur? Hei miseræ mei.

9 ¶ *Maniat*

9 ¶ *Mantat*, pro manet. Cæcilius in Hypobimæo, Rastr. in voltu eodem, in eadem mantat militia.

10 ¶ *Artiuit* pro artauit. Nou. Dotata: Artiuit linguam in palatum, cœpit labia sugere. Idem Het. Conatus artiuit matri inter femina fortiter.

11 ¶ *Audibo*, pro audiam. Ennius Telamone: More antiquo audibo, neque aureis tibi contrà vtendas dabo. Idem Pancratiast. Quò nunc me ducis? vbi molarum strepitum audibis maximum? Cæcil. Naucler. Num ab eo audibus præterea, si dicis, filia redeat Pergamo.

12 ¶ *Fulgit* pro fulget. Lucil. Satyr. lib. vij. Primùm fugit vti caldum, & fornaceum ferrum. Pomponius Macco sequest. Simile est, quasi cùm in cœlo fulgit propter Lunam Lucifer. Lucretius vj. Fulgit item nubes ignis cùm semina multa Excussere. Idem: Fulgit item cùm rarescunt quoque nubila cæli. Fulgere correptè pro fulgêre. Lucret. lib. v. Multa videmus enim cælestibus incita flammis Fulgere, cùm cœli donauit plaga, vapores. Pacuuius Medo: Linguæ bisulcis actu crispo fulgere. Accius Baccis: Lætum in Parnasso inter pinos tripudiantem, in circulis ludo, atque tedis fulgere. Lucillius Satyrarum lib. m. Conuentus pulcer bracæ saga fulgere torques Magni.

13 ¶ *Es*, pro esto. Lucillius lib. xxviij. Coniice te intro, ac bono animo es. Pomponius Maccis geminis: Bono animo es, video, deripis tibi primiter de pannibus.

14 ¶ *Amplant*, pro amplificant. Pacuuius Teucro: Vbi poëtæ pro sua parte falsa conficta'que canant. Qui causam humilem dictis amplant.

15 ¶ *Aperibo*, pro aperiam. Pomponius Vernion. Aperibo, non possum cinem pati. Orcus est, quem amare cœpi, pinguis non pulcer puer.

16 ¶ *Cupiret*, pro cuperet. Lucret. lib. 1. Perfringere vt arcta Naturæ primus portarum claustra cuperet.

17 ¶ *Dicebo*, pro dicam. Næuius Pathicis: Primùm quod dicebo rectè, secundum, quod dicebo eo meliùs.

18 ¶ *Edim*, pro edam. Cæcil. Asot. Nihilne tibi esse, quod edim? Nou. Buccula: Quod editis nihil est, si vultis, quod cacetis, copia est. Pompon. Condition. Vix nunc quod edim inuenio: quidnam fiet, si quam duxero? Plaut. Pœnulo: Est domi quod edimus, ne nos tam contemptim conteras.

17. ¶ *Facitur*, pro fit. Nigid. Commentatione grammatices lib. 19. Id quod dico, est huiusmodi: ποιεῖ facit, ποιεῖται facitur. Titinnius: Quanta stultitia cupidinis! petunt consilium bona gratia, vt paruifaciatur.

20 ¶ *Euenat*, pro eueniat. Ennius Hecub. Senex sum, vtinam mortem oppetam, Priùs quàm euenat, quod in pauperie mea Senex grauiter gemam.

.22 ¶ *Faxim*, pro fecerim. Ennius Phœnicæ: Plus miser sum, si scelestum faxim, quod dicam fore.

22 ¶ *Moneris*, pro monueris. Pacuuius Armor. iudic. Dic quid faciam. quod me moneris effectum da. Item Chryse: Dij monerint meliora.

23 ¶ *Niuit*, pro ningit. Pacuuius Paulo: Sagittis, plumbo, & saxis grandinat, niuit.

24 ¶ *Obedibo*, pro obediam. Afranius Maritis: Meo vt obsequar amori, obedibo tibi.

25 ¶ *Operibo*, pro operiam. Pompon. Præfect. Morum pater ac est negato esse, hic me operibo caput.

26 ¶ *Paribit*, pro pariet. Pompon. Buccone auctorato: Si prægnans non es, paribis numquam.

27 ¶ *Peruenibunt*. Pomponius Pithone Gorgonio: Hominem beatum, quò illæ peruenibunt diuitiæ.

28 ¶ *Redibo*. Plautus Vidular. Ego seruabo, quasi sequestri detis, neutri redibo.

29 ¶ *Reperibitur* pro reperietur. Pompon. Anulo posteriore: id credo, metuis, ne inuidia desit tibi. Cùm nemo, qui à te recipiat, reperibitur. Plautus Epidico: Quid illa fiet fidicina igitur? aliqua res reperibitur. Cæcilius Obol. Nunc enimuerò est, cùm meæ morti remedium reperibit nemo.

30 ¶ *Possetur*, pro posset. Quadrigarius Annalium libr. 1. Cùm non possetur decerni vtrius putaretur victoria esse.

31 ¶ *Sapiui*, pro sapui. Nouius Virgine prægnante: Quando ego plus sapiui, qui fullonem compressi quinquatribus.

32 ¶ *Venibo*, pro veniam. Pomponius Maccis geminis: Serò est, sexta, si tibi placet, venibo.

33 ¶ *Poteratur*, pro poterat. Cælius Annal. lib. 1. Cùm iure sine periculo bello geri poteratur.

34 ¶ *Potestur*, pro potest. Pacuuius Chryse: Si qua potestur inuestigari via. Quadrigarius Annalium libro tertio: Adeò memorari vix potestur, vt omnes simul suum quisque negotium adorti essent.

35 ¶ *Soluerit*, pro solitus sit. Cælius Annalium libro 8. Duos & septuaginta lictores domum ante deportauisse facis, qui ductoribus hostium soluerint ferri.

36 ¶ *Fidebo*. Næu. De pathicis: Tibi cùm fidebo, fidelis ero.

37 ¶ *Deplorabundus*, pro deplorans. Plautus Aulularia: Homo ad prætorem venit deplorabundus.

38 ¶ *Coctum*, pro ad coquendum. Plautus Aulularia: Solet ire coctum.

39 ¶ *Macet*, pro macilentus est. Plautus Aulularia: Qui ossa, ac pellis totus est: ita cura macet.

DE INDISCRETIS ADVERBIIS.

CAP. XI.

HVmaniter, Tull. ad Pansam lib. 1. de animo fecisti humaniter, quem quidem ego semper dilexi, meque ab eo diligi sensi. Ad Atticum lib. 2. Inuitus litteras tuas scinderem: ita sunt humaniter scriptæ.

2 ¶ *Disertè*, & consuetudine dicitur, & Afran. autore in Diuort. Quod vult disertè pactum, aut dictum.

3 ¶ *Disertim*, dicere planè, palàm Titinnio auctore possumus Veliterna: Habui rectè disertim. Plaut. Stich. Fuit disertim, verùm id vsu perdidi. Accius Eurys. Disertim id vnum in commodis desit meis. Liuius: Túmque mihi narrato omnia disertim.

4 ¶ *Insaniter*, Pompon. auctore. Metuo illum, iocari nescit, ludit nimium insaniter.

5 ¶ *Seueriter*, pro seuerè dici auctoritas veterum iubet. Titinnius Prœlia, Seueriter Hodie sermonem amica mecum contulit.

6 ¶ *Communitus*, pro communiter. Varro Rerum diuinar. Etenim vt Deos colere debet communitus ciuitas sic singulæ familiæ debemus.

7 ¶ *Blanditer*, pro blandè. Titin. Gemin. Iucunda primùm blanditer comparamus colloquia.

8 ¶ *Celere*, pro celeriter. Næu. Paul. Nunc te obtestor, celere facto subueni censori. Ennius Satyr. lib. 1. Dum quicquid des celerè.

9 ¶ *Benigniter*, pro benignè. Titinnius Gemin. Nimium te patrocinari censeo benigniter.

10 ¶ *Festiuiter*, pro festiuè. Næu. Gemin. O domus parata pulcræ familiæ festiuiter.

11 ¶ *Auariter*, pro auarè. Plaut. Curcul. Hoc vide, vt ingurgitas, impura in se merum auariter. Quadrig. Annal. lib. 21. Crudeliter ille, nos misericorditer, auariter illi, nos largimur. Cat. de præda militum diuidenda: Fraudulenter atque auariter.

12 ¶ *Amiciter*, pro amicè. Plautus Persa. Quàm meo amico amiciter hanc commoditatis copiam dabut. Pacuu. Dulorest. Nunc ne illũ expectes, quando amico amiciter fecisti.

13 ¶ *Probiter*, pro probè. Varro Octogesi: Postquam auida libido rapere, ac concidere cœpit, seque opificè non probiter strepere.

14 ¶ *Munditer*, pro mundè Plaut. Pœnulo: Nam cùm sedulò mũditer nos habemus, vix, ægréque amatorculos inuenimus.

15 ¶ *Sæuiter*, pro sæuè, Plaut. Pœnulo: Aha tam sæuiter. Idem Trinummo: Ah nimium Stasime, sæuiter. Accius Astyan. Ferum feroci contundendum sæuiter.

16 ¶ *Seueriter*, pro sæuiter. Ennius Phœnice, Seueriter suspectionem ferre falsam, futilium est. Afran. Simulante: Seueriter ferre hæc, te simul ac gnatam ab illo abducere. Ennius Hectoris Lytris: Seueriter fortuna ferri cernunt de victoria.

17 ¶ *Mœstiter*, pro mœstè. Plaut. Rudente: Sed vnde nos ire cum vuida veste dicam obsecro, tam mœstiter vestitas?

18 ¶ *Propritim*, pro propriè. Lucret. lib. 2. Quid genus humanum propritim de quibus actum est.

19 ¶ *Ampliter*, Lucil. lib. 4. Nam sumptibus magnis. Et structam ampliter, atque cùm accumbimus mensam. Pompon. Hærede petitore: Heus apta te pueri nunc mundè, atque ampliter conuiuium. Plaut. Stich. Sat est seruo homini modestè melius facere sumptum, quàm ampliter. Accius Diomed. Benignè & pro beneficio largi, atque ampliter.

20 ¶ *Aliquantisper*. Quadrigarius. Annalium lib. 6. Aliquantisper pugnare. nihil promouet Pœnus. Cæcil. Fallac. Nam si illi postquam rem paternam amiserant, Ægestate aliquantisper iactati forent. Idem Fallac. Velim paulisper experiri te, quantisper nõ plus triduum. Pomp. Dotat. Possum exorare te, vt recedas à me paulisper modò. Quantisper sat habes.

21 ¶ *Duriter*, pro durè. Terent. Andr. Primò hæc publicè vitam parcè, ac duriter Agebat. Noui. Zona. Duriter me habere, vigilasse. Afran. Priuig. Viuax vetus quàm duriter nunc consulito tergo meo. Enn. Phœnic. Quã tibi ex ore orationem duriter dictis dedit. Cæcil. Fallac. Nam quàm duriter vos educauit, atque asperè non negat.

22 ¶ *Cautim*, pro cautè. Acc. Alphesib. Sed tibi cautim est adeundum ad virum. Idem Philoct. Contrà est eundum cautim, & capiandum est mihi.

23 ¶ *Strictim*, Cicer. de Orat. lib. 1. Quasi per transfennam prætereuntes strictim adspeximus. Sallust. Strictim, vt quæque memoria digna

digna videbantur, præscriberem.

24 ¶ *Firmiter*, pro firmè. Lucill. Sat. li.10. Fluctibus, à ventísque aduersis firmiter essent. Idem libro duodecimo: Firmiter hoc paritérque tuo sit pectore fixum. Afran. Augur. Hic hæret vt clamor oritur, sed spiritu firmiter instat. M.Tul. de republic. lib.vj. Firmiter enim maiores nostri stabilita matrimonia esse voluerunt.

25 ¶ *Fidele*, pro fideliter. Plau. Captiu. Fac fidelè: caue fidem fluxam feras.

26 ¶ *Æquiter*, pro æquè. Pacuu. Atalanta: Concertare, ac dissentire partim da cursim æquiter. Accius Antenorid. Ad populum intelligo referundum, quoniam horum æquiter sententiæ fuerunt. Liuius Ægist. Nam vt pergam accensa, & prædam per participes æquiter partita est.

27 ¶ *Publicitus*, pro publicè. Lucil. Satyr. lib. xij. Huic homini quæstore aliquæ esse opus, atque chorago Publicitus, qui mihi atque Episco præbeat aurum. Idem libro xvj. Publicitus vendis tamen atque extrema liguris. Plau. Amphit. Ita peregrè veniens hospitio publicitus accipiat. Cæcil. Ploc. Ibo domum, ad plebem pergitur, publicitus defendendum est. Pomp. Campanis: Dat ordo senio, & fullonibus publicitus cibaria.

28 ¶ *Proteruiter*. Ennius Pancratiast. Quis est, qui nostris foribus tam proteruiter.

29 ¶ *Ignauiter*, pro ignauè Lucill. Satyr. lib.xvj. Cur tam ignauiter hoc præsertim tẽpore quæris? Quadrigatius Annalium libro ij. Et qui ibi erant, non ignauiter putando, eũ diem pro meliore habuerunt.

30 ¶ *Mutuiter*, pro mutuo. Varr. Octogesi, *περὶ νομισμάτων*: Viue, méque ama mutuiter.

31 ¶ *Perspicacè*, pro perspicaciter. Afranius Diuort. Quàm perspicacè, quàm benignè, quàm citò, Quàm blandè, quàm miti est pectore.

32 ¶ *Asperiter*. Næuius Pullis: Vbi tu nequaquam cubares asperiter.

33 ¶ *Celeranter*, pro celeriter. Acc. Anten. Sed quis hic est, qui matutinum cursum huc celeranter rapit?

34 ¶ *Dapsile*. Pomp. Rustico: Quid nunc vis fieri? verrem sume dapsilè ac dilucidè.

35 ¶ *Exquisitim*. Varro Aiace stramentitio acre æger medicos exquisitim conuocabas, vt conualesceret.

36 ¶ *Hilarè*. Tul. de Orat. Quis vnquam res præter hunc tragicas penè comicè, tristeis remissè, serias hilarè. Afran. Priuig. Et propter patruelem tuam Constituit hilarè anhelans, deiecta coma.

37 ¶ *Festinatim*, pro festinanter. Pomp. Asino. Exsilui de nocte ad molam fullone festinatim. Sisen. Hist. li.iiij. Prætor festinatim de castellis ad castra maxima pedites cõduxit

38 ¶ *Pugnitus*, pro pugnis. Cæcil. Fallacia, Nisi quidam qui se malit pugnitus pessundari.

39 ¶ *Futile*, futiliter. Ennius Phœnice: Vt quod factum est futile, amici nos feramus fortiter.

40 ¶ *Humanitus*, pro humaniter. Turpil. Pedio: Quare esse dicat quisquam illum hominem, haud quicquam facere humanitus? Cassius Hemin. Histor. lib.iiij. Quare si omnes artes atque humanitus aguntur. Afran. Repud. Quanto facilius ego, qui ex equo venio, adducor ferre humana humanitus?

41 ¶ *Inimiciter*. Acc. *Διδασκαλικῶν* lib.1. Placare hostem ferocẽ, inimicitérque accẽsum.

42 ¶ *Memore*, pro memoriter. Pomp. Philosop. Sed ne cum ista hęc memore meministi, indica, qui illud aurum abstulerit, non didici hariolari gratis.

43 ¶ *Immortalitus*. Turp. Hetæra: Sat me, vt meum cor voluptatibus dat, immortalitus se obtulit mihi hec facultas.

44 ¶ *Largitus*, pro largè. Afranius Materteris: Quid istuc est? quid fles? quid lacrymas? largitus proloquere.

45 ¶ *Iracunditer*. Cæcil. Subditiuo: Quæso ne temerè hanc rem agas, & ne iracunditer.

46 ¶ *Minutim*, pro minutè. Lucil. lib. v. Dic quam cogitat vis ire minutim Per commissuras rimatum noctis nigrore.

47 ¶ *Parciter*, pro parcè. Pomp. Verre: Salbeolo parciter tanquam frater mihi sis, medium abdomen cùm diuidam.

48 ¶ *Superbiter*. Afran. Purgamento: Illa superbiter imperat. Næu. belli Pœnici libro vj. Superbiter contemptim conterit legiones.

49 ¶ *Longinquè*, & *longiter*, pro longè. Acc. Andromache: Hæc malos annos multos longinquè à domo Bellum gerentes summum summa industria. Lucil. lib. tertio: Non (vt opinor) id à lecto iam longiter rati.

50 ¶ *Perplexim*, pro perplexè. Plau. Stich. Vtrum ego perplexim lacessam orationẽ ad hunc modum. Hemin. Histor. lib.1. Prudens perplexim scotino scribit.

51 ¶ *Saniter*. Afran. Megalensibus: Adesto, assentio te amare, me adorare saniter.

52 ¶ *Rarenter*. Cæcil. Pausimach. Ædepol voluntas homini rarenter venit. Næu. Exodio: Multum ames, paulum des crebrò, venias rarenter. Ennius Androm. Sed quasi ferrum, aut lapis durat rarenter gemitum conatus trabem ergastulo: Longè ab vrbe villicarier, quò herus rarenter venit. Liu. Tereo: Rarenter venio.

53 ¶ *Contemptim*, pro contemnenter. Næuius belli Pœnici lib.vj. Superbiter, contemptim conterit legiones.

54 ¶ *Temeriter*. Accius Amphitryon. Hoc in re est, quod tu tam temeriter meam be-

neuolentiam interiisse es ratus.

55 ¶ *Restrictium*, pro restrictè. Afran. Thaide: Eáque firmè sedere, melius consultoribus, quàm restrictim cogitata, atque omnibus rationibus.

56 ¶ *Praclariter*. Quadrigatius Annalium libro iiij. Et ita rebus præclariter gestis Romam reuerterunt.

57 ¶ *Toruiter*. Pomp. Auctorato: Occidit taurum toruiter me amores amauit. Ennius Lupiast. Quem nunc tu tam toruiter increpuisti.

58 ¶ *Puriter*. Pomponius Haruspice: Fac puriter, bucco, vel pectore rustico Vel tractes, laui iam dudum manus. Nou. Virgine prægnante: Sequere me, puriter volo facias, igni atque aqua volo hunc accipere.

59 ¶ *Verecunditer*. Pomp. Macco: Virgine præteriens vidit duos sensim in ludo, verecunditer non docentem discipulum, verùm scalpentem nateis.

60 ¶ *Certatim*. Virg. Æneid. lib. iij. Certatim socij feriunt mare, & æquora verrunt.

61 ¶ *Abunde*. Sisen. Histor. lib. iiij. Perfusè atque abundè sparsi vsi, magnum pondus auri argentíque.

62 ¶ *Miseriter*, pro miserè. Laberius Macco: Mens incorrupta miseriter corrumpitur.

63 ¶ *Properiter*. Catullus: Animula miserula properiter abit.

DE DOCTORVM INDAGINE.

CAP. XII.

OMnes artem secuti negant aduerbiis præpositionem addi oportere, sed auctoritas veterum præponi iubet. *Desubito*. Titin. Prælia: Sed amabò, quid desubito tam repentè ad me venisti? Ennius Pancrat. Cùm desubitò me orat mulier, lacrymánsque ad genua accidit. Afran. Emancip. Quàm beatæ scenicæ videntur mihi mulieres, quæ iurgio, & beneuolentia terrent desubito viros. Cæcil. Afoto. Nam ego duabus vigiliis transactis duco desubito domum. Quadrigat. Annal. libro ij. His desubito vtrisque nuntiatur ipsorum copias adesse. Næu. Tripartita: Postquam se vidit hæredem, desubito diuortium fecerunt. Lucret. lib. ij. Vim cupidam tam desubito, quàm mens habet ipsa. Lucil. Satyrar. libro x. Quamuis desubito trinis deducere scalis. Tullius de republica lib. vj. In his, vt meministis, concursu leuissimæ multitudinis, & ære congesto funus desubitò esset ornatum. Acc. Euryf. Tot tropæa tam desubito summam gloriam Eurotis fines? Pom. Pappo agricola: Volo scire ex te, cur vrbanas res tàm desubito deseris. Idem Pistore: Fit desubito hilarus, tristis saltat, ridens ringitur. Næuius Danaë: Desubito famam tollunt, si quam solam videre in via.

2 ¶ *Derepente*. Turp. Boethunt. Eum derepente vxorem audio ducere. Enn. Phœnic. Ibi tum derepente ex alto in altum despexit mare. Afran. Incen. Non vsquequaque idoneum inuenias locum, Vbi derepère, cùm velis, facias lutum. Idem Homjn. Atque ille derepente in iumentum exsilit. Contendit oculos, derepente abit cælo. Enn. Hectoris lytris: Ecce autem caligo oborta est, omnem prospectum abstulit, derepente contulit sese in pedes. Varro Sesquiulysse: In Thespiadum ore derepente. Acc. Astyanacte: Hic per matutinum lumen, tardo properantem gradu Derepente adspicio ex nemore pauidum, & properantem egredi. Nouius Macco: Scalpis dentes derepente, in cœnam si peccaueris. Terent. Hecyra, Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam. Pomp. Præcone posteriore: Vis facere, vt nouerca vetulum derepente deserat?

3 ¶ *Picumnus*, est auis Marti dicata, quam picum, vel picam vocant. & Deus, qui sacris Romanis adhibetur. Æmil. Macer. Theog. lib. j. Et nunc agresteis inter picumnus habetur. Higinius: Picumnus est parua veste picus Martis. Fabius pictor rerum naturalium lib. j. Et simul videbant picum Martium. Idem iuris pontificij lib. iij. Pilumno, & Picumno. Varro de vita populi Romani lib. iij. Pedius Pœtus cùm esset prætor vrbanus, & sedens in sella curuli ius diceret populo, picus Martius aduolauit, atque in capite eius assedit.

4 ¶ Veterum memorabilis scientia *Pauculorum* numerum pro bonis ponebat, *Multorum* contrà malos appellabat. Terent. Eunuch. Si quisquam est qui placere se studeat bonis, quàm plurimis. Acc. Tereo: Video ego te mulier more multarum vtier. Vt vim contendas tuam ad maiestatem viri. Idem ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ: Probis probatum potiùs quàm multis forem. Lucil. Satyr. lib. xiiij. Non paucis malè, sed sapientibus esse probatum, κὴ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν. Idem libro iij. Vnus modò de multis, qui ingenio sit. M. Tul. de Repub. lib. quarto: Nec in hac dissensione suscepi populi caussam, sed bonorũ. Idem de Repub. libro sexto: Enimuerò in dissensione ciuili, cùm boni plusquàm multi valent, expendendos ab his, non numerandos puto. Afran. Suspecta: Noli ex stultitia multarum credere esse animum meum.

5 ¶ *Censere, & arbitrari*: veteres cognatione quadam socia: ac similia esse verba voluerunt. Varro de Repub. lib. 20. Quod verbũ censeo & arbitror idem poterat ac valebat. Plautus Rudente: Non vidisse vndas maiores censeo. Idem Menæchmis: Demam hanc coronam, atque abiiciam ad læuam manum, Vt si sequetur me hâc, abiisse censeat. Varro de vita pop. Rom. lib. 2. Itaque quòd hos arbitros instituerunt, populi censores appellarunt. Idem enim valet censere, & arbitrari.

6 ¶ *Affici*, malis tantum consuetudo præsumpsit, cùm sit positum & bonis. M. Tull. de offic. libro 1. Si quo aliquo honore, aut imperio affectos obseruare, & colere debemus. Varro Eumenidibus: Coronam ex auro, & gemmis fulgentem gerit, Luce locum afficiens.

7 ¶ *Decuriones*, & *Centuriones*, à numero, cui in militia præerant, dicebantur.

8 ¶ *Accensi*, qui his accensebantur, id est, attribuebantur. Varro de vita populi Romani libro 3. Quid ea scripti vis. Cùm erant attributi decurionibus, & centurionibus, qui eorum habent numerum, accensi vocabantur. Eosdem etiam quidam vocabant ferentarios, qui depugnabant pugnis & lapidibus, his armis, quæ ferrentur, non quæ tenerentur.

9 ¶ *Lateres*, apud quosdam, vt scrobes. cuius generis habeantur, incertum est, sunt autem generis masculini. Varro de vita populi Rom. lib. 3. Nam lateres argentei, atque aurei primùm conflati, atque in ærarium conditi. Alio loco idem: Later quod conquadrauit regius.

10 ¶ *Modestia*, moderatio, modus, modicum, mediocre, hunc habent ordinem, quòd *Modestia*, fundamentum, soliditas, basis ipsa virtutis est, è qua gignitur *Moderatio*, quæ temperat: aurigátque *modos*, qui ex suprà memoratis disciplinis in factis, & in dictis, & in cæteris talibus, quæ agendi officia sunt, iunguntur.

11 ¶ *Modicum*, verò moderatum est: *Mediocre* quod medium. Ita sæpe positum in magnis auctoribus aucupauimus. Varro, Cato, vel de liberis educandis: Omnia, inquam, in docendis pueris, quæ damna non prohibent verum bonum fieri, mediocria modica sunt.

12 ¶ *Prouentum*, etiam malarum rerum dici veteres voluerunt. Lucil. lib. xxvj. Deinque adeò malè me accipiunt decimæ, & proueniunt malè.

13 ¶ *Imbuere*, consuetudo inducere, vel inficere existimat, cùm sit propriè maculare, vel polluere, vel inficere. Accius Armorum iudicio: Inter quos sæpe & multo imbutos sanguine. Idem Menalippo: Credite me amici morte imbuturum manus. Pacuuius Periboea: Nam si te regeret pudor, siue adeò cor sapientia imbutum foret. M. Tullius de Repub. lib. v. Quæ cùm Scipio dixisset, admodũ probans, nimis enim erat odio rhetorum imbutus. Varro ἑκατόμβη περὶ θυσιῶν: At regis ensis sanguine imbutus nigro. Sallustius Catilinæ bello: Ea quasi venenis malis imbuta, corpus, animúmque virilem effeminat. Virg. 6. Quæ sors prima dedit, sanguis nouus imbuit arma. M. Tullius Hortensio: Vti qui cõbibi purpuram volunt, sufficiunt priùs lanam medicamentis quibusdam, sic litteris, talibúsque doctrinis antè excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui, & præparari decet. Varro Agath. Ideo quod maiores nostri virginis acerbæ aureis Veneris vocabulis imbui noluerunt.

14 ¶ *Compotem*, bonæ rei solùm dici existimatur, cùm etiam mala re positum sit. Accius Clytemnestra: Cur me miseram irridet magis compotem & multis malis?

15 ¶ *Mira*, & *Miracula*, veteres pro monstris, vel horrendis ponebant. Lucil. Satyrarum lib. 1. Miracula ciet thelephantas. Plaut. Amphit. Nimia memoras mira: sed vidistin' vxorem meam? Virgil. Georg. lib. 4. Omnia commutat sese in miracula rerum.

16 ¶ *Diem* volunt cùm feminino genere dicimus, tempus significare, masculino diem ipsum. Nos contrà inuenimus. Turpil. Pedio: Quando equidem amorem intercapedine ipse leniuit dies, id est, ipsum tempus. Pacuuius Duloreste: Gnatam despondit nuptiis, hanc dat diem. Virg. Æneid. lib. 2. Ergo dies infanda aderat, mihi sacra parari.

17 ¶ *Victorem*, altæ rei superatorem dici voluit Virgilius Georg. secundo. Inde secutus Per montes victor, atque alta cacumina regnat.

18 ¶ *Versacrum*, quidam dictum putant, vt plerunque vitabile, & exsecrandum. Sed Sisenna religiosum dicit Historiarum libro 4. Quondam Sabini feruntur vouisse, si res cõmunis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos.

19 ¶ *Apud*, ad; Lucillius libro xxx. Aut cùm iter est aliquò, & caussam commentaui, vt apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam. Error consuetudinis apud pro *in* vtitur. Itaque vitiosè dicimus, cum nos in foro fuisse dicamus, apud forum fuisse, cùm apud *iuxta* significet. Accius Eurys. Apud ipsum addiscas. Turpilius Leucadia. Vtinam nunc apud ignem aliquem magnum assidam. M. Tullius de republic. libro tertio, cuius etiam focum Cato ille noster, cùm venerat ad se in Sabinos, vt ex ipso audiebamus, visere solebat, apud quem sedens Samnitum quondam hostium, tum iam clien-

tium suorum dona relegauerat. Accius, Diomede: Adsum apud te, genitor. Sallustius Iugurthino bello: Cæterùm apud aquam Syllam cum equitibus nocte agitari iubet. Apud pro *in* etiam dictum inuenimus: vt Terentius Andria: Apud forum modò è Dauo audiui. M. Tull. de signis: Cœnam isti dabat apud villam in Tyndaritano.

20 ¶ *Pro*, etiam ante significat. vt Virgilius libro octauo: Stabat pro templo & Capitolia celsa tenebat.

21 ¶ *Operari*, est deos religiosè, & cum summa veneratione sacrificiis litare, vel conuiuari. Pomponius Præc. posteriore: Ad Veneris profectus est manè vetulus, votum vt solueret: ibi nunc operatus est. Afran. Excepto. Proficiscor. res, tempus, locus, simul otium hortabatur, vt operatum illum Dianæ degerem sanctum diem. Idem eadem, Iubeo hominem tolli, & collocari, & confoueri, soluo operam Dianæ. Virgilius Georg. lib. primo. Lætis operatus in herbis. Lucil. lib. xxx. Aut operatu aliquo in celebri cum æqualibus fano.

22 ¶ *Sexagenarios*, per pontem mittendos malè diu popularitas intellexit, cùm Varro de vita populi Rom. libro secundo honestam causam religiosámque patefecerit. Cùm in quintum gradum peruenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant à publicis negotiis liberi, atque otiosi. Ideo in prouerbium quidam putant venisse, vt diceretur sexagenarios de ponte deiici oportere, id est, quòd suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.

23 ¶ *Strictura*, propriè dictæ sunt scintillæ, quæ de ferro ferue̅ti micant, cùm massa malleis cuditur: vnde & incus est appellata. dictæ autem quòd aut strictiùs emittantur, aut quòd oculos fulgore perstringant. Virgilius libro octauo. Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat.

24 ¶ *Proximum*, dicebant veteres non solùm adhærens, & adiunctum, verùm etiam longè remotum; si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset, Virg. *Æneid.* lib. v. Proximus huic, longo sed proximus interuallo Insequitur Salius. Ita & Sallustius in situ Ponti, de promontoriis Paphlagonum, & quod κριοῦ μέτωπον appellauit, posuit.

25 ¶ *Memini illam rem*, difficilius dictu, putant plurimi. Virgil. Bucol. Numeros memini si verba tenerem. Et, Alternos Musæ meminisse volebant. Cicero de Orat. libro 3. Quod fuit in Graccho, quem tu meliùs, Catule, meministi, quòd me puero tantopere ferretur.

26 ¶ *Turbam*, & *Turbas*, diuersam volunt habere significationem, vt sit turba populi conuentus, turbæ turbationes. Nos contrà lectum inuenimus & indiscretè positum, & pro turbis turbam. Acc. Athamante: Ah dubito, ah quid agis? caue ne in turbam te implices. Idem στασιασταῖς, vel Trophæo: non vides, Quantam turbam, quantósve fluctus cōcites? Turpil. Thrasyleone: Nemo vnquam vidit ebrium ire interdiu, Neque turbam facere, neque fores exurere? Terent. Eunucho: Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi. M. Tul. de senectute: Cùm in illud diuinorum animorum concilium, cœtúmque proficiscar, cùmque ex hac turba, & colluuione discedam. Plaut. Aulul. Redeo intro, nequid hîc turbæ fiat. Cæcilius Vmbris: Mirum adeò, nisi frater domi ebrius turbam aliquam dedit.

27 ¶ *Demensum*, Terent. Phorm. quasi deminutum posuit: Quod ille vnciatim vix demenso suo Suum defrudans Genium compersit miser. Cicero de Orat. Æstimatum, vel æquatum dicit, quæ non ex insidiis, sed apertè palàm elaborat, vt verba verbis quasi demensa, & paria respondeant.

28 ¶ *Superuacuum*, non putat oportere dici Varro de vita populi Romani lib. 3. sed superuacaneum, in quo est superuacuum pro superuacaneo.

29 ¶ *Cacum*, veteres pro improuido dixerunt. Varro de vita populi Romani lib. 4. Neque id cæci consules fecissent, quæ mandata arcana tam pio sedissent, aut diuidi centum GN. magnum.

30 ¶ Quoties *per Accusatiuum* casum annos vel dies loquimur, iuges annos, vel dies significamus, quoties per *Ablatiuum*, per interuallum interiectis aliquibus annis, vel diebus. Itaque qui optantes multis annis dicunt, multos annos meliùs dixerint. Virgilius Georgicor. lib. 2. Ergo non hyemes illam, non flabra, neque imbres Conuellunt, immota manet, multósque per annos, Multa virûm voluens, durando secula vincit. Plaut. Trinum. Quia ruri dum sum ego, vnos sex dies Me absente: atque insciente inconsultu meo Ædes venales hisce inscribit litteris. Turpilius Philopat. Ecce autem tuo more, vt soles videre mihi Ægrè id pati, quia hos dies complusculos Intercapedo sumpti faciundi fuit. Idem Hæter. Rus ad illas commigrat. Habitamus hyemem totam cū mulierculis. Virgil. Georg. lib. 4. Septem illos totos perhibent ex ordine menses Fleuisse. Cicero de repub. libri 1. Nec tantùm Carthago habuisset opum sexcentos ferè annos sine consiliis, & disciplina. Idem de repub. lib. 2. Itaque illa præclara institutio Romuli, cùm ducentos annos & triginta ferè firma mansisset. Sallustius Hist. lib. 1. Et ponte validam vrbem multos dies restantem pugnando vicit. Lucil. lib. xxvi. Qui sex menses vitam ducunt, Orco spondent septimum. Inuenimus & in

in Varrone multis annis continuis dici, περὶ γεγαμημένων. Cuius vbi annis multis masculini vestigium inuentum est. Dubio potius, quàm difficili intellectu vates posuit Mantuanus: Sed misera ante diem, subitóque accensa furore. cùm huic sententiæ obuersetur versus eius cum opinione sentiens plurimorum. Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum. Verùm sensibilitatis eius non leuis ratio est, quæ prima sententia philosophica accipit intellectum, quæ ait, sui cuique mores fortunam fingunt, omnipotens fortuna esse definit. quod Sallustius mirè: Fortuna simul cum moribus immutatur. ac per hoc ex ea similitudine iam fatum ineluctabile esse non poterit, quod ex vna caussa fortuna fieri videatur & fatum. Potest etiam fatum morum mutabilitate conuerti, vt ex his aut celere, aut tardum, aut bonum fiat, vt pessimum. Accensa enim furore Dido amoris iniqua violentia, quia, vt ipse ait: Omnia vincit amor, ante diem meritò videretur occidere, quod etiam Homeri eiusmodi est, quem Virg. noster omni æmulatione sectatur, σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. quod est ὑπὲρ μόρον, vltra decretum. quòd si admittitur vt vlterius protendatur, quoniam id ex moribus factum est, quod significat σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν, admittere poteritis de moribus properatam etiam fati celeritatem, vt intra diem possit admitti, quoniam recepit (vt Homerus ait) magnitudinem vltra vim fati.

31 ¶ *Impotentiam* enim potentiam auctoritas dedit. Sisenna Histor. libro iij. Sublatus lætitia nimia, atque impotentia commotus animi.

32 ¶ *Dona*, consuetudine hæc habentur, quæ aut propitiandis diis dantur, aut hominibus pro benefactis redduntur, sed auctoritate pro ultione positum manifestum est. Virgilius Bucolicis: Aut vt mutatos Terei narrauerit artus, Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit.

33 ¶ *Quando* pro quoniam dici potest. Virg. libro vj. Vnum oro quando hic inferni ianua ditis Dicitur. Et rursus idem: Hic tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet.

34 ¶ *Vel* pro etiam est. M. Tul. Epist. ad Brutum libro viij. Et quòd te tantùm amat, vt vel me audeat prouocare. Lucillius lib. xxix. Hoc inuenisset vnum ad morbum illum homini vel bellissimum. M. Tullius de officiis libro secundo: Contrà quæ beneuolentia fidelis, vel ad perpetuitatem. Idem Hortensio: Vidi in dolore podagræ nihilo ipsum vel omnium maximum Stoicorum Posidonium, quàm Nichomacũ Tyrium hospitem meum fortiorem. Virgil. Georg. libro tertio: Belgica vel molli meliùs feret esseda collo. Varro Eumenid. ex his, atque eiusmodi institutis, ad vita vel ad Herculis athletæ facti erant. Idem Virgilius: Carmina vel cælo possunt deducere lunam? Terent. Eunuch. Vel rex semper maxumas mihi agebat.

35 ¶ *De*, pro ab. Lucil. lib. xxv. Solus iam vim de classe prohibuit Vulcaniam.

36 ¶ *Pilumnus*, & *Picumnus* dij præsides auspiciis coniugalibus deputantur. Varro de vita pop. Ro. libro ij. Natus si erat vitalis, *ac sublatus* ab obstetrice, *statuebatur in terra*, aut auspicaretur rectus esse, diis coniugalibus Pilumno & Picumno in ædibus lectus sternebatur.

37 ¶ *Caduceus*, pacis signum Varro pronuntiat de vita populi Romani libro secundo: Verbenarius ferebat verbenam, id erat caduceus pacis signum. nam Mercurij virgam possumus existimare.

38 ¶ Qui *liberi* fiebant ea caussa calui erant, quòd tempestatem seruitutis videbantur effugere, vt naufragio liberati solent. Plautus Amphit. Vt ego hodie raso capite caluus capiam pileum.

39 ¶ *Luces*, numero plurali sunt, quod dies. Varro Hebdomad. sub imagine Demetrij: Hic Demetrius est natus quod luces habet annus absolutus.

40 ¶ *Quoties*, genere neutro plurali numero *Opera* legerimus, significãtur fabricę. Virg. Æneid. libro iiij. Pendent opera interrupta, minæque Murorum ingentes. Cum genere feminino numero singulari, intelligendum est opus, vel labor pro mercede sumpta. Plautus Asinaria: Par pari Datum hostimentum est opera pro pecunia. Vel occasio & facultas, aut opportunitas. Plaut. Aulul. Da mihi operam parum, si opera est. Euclio, id quod te volo. Afran. Vopisco: Deinde id quod dedita opera controuersiæ concinno.

41 ¶ *Vile* positum legimus pro frequenti. Varro Virgula diuina: Atabos cùm volucres venit, apud illos vsque ad limina indica vilis. Virg. Georg. lib. j. Vilémque faselum.

42 ¶ *Prater*, pro ante, vel per. Varro Eumenid. En domum præter matris deûm ædẽ exaudio cymbalorum sonitum. Cic. Verr. lib. ij. Præter loculos soli ferebant.

43 ¶ *Fœciales*, apud veteres Romanos erant, qui sancto legatorum officio ab iis, qui aduersum populum Ro. qui aut rapinis aut iniuriis hostili mente commouerant, pignora facto fœdere iure repetebant: nec bella indicebantur, quæ tamen pia vocabant, priusquã fuisset quid fœcialibus denunciatũ. Varro de vita populi Ro. libro ij. Itaque bella, & tardè & nulla licentia suscipiebant, quod bellum nullum, nisi pium putabant geri oportere, & priùs quàm indicerent bellum iis, à quibus iniurias factas sciebant, fœciales legatos res repetitum mittebant quatuor, quos ora-

tores vocabant. Idem libro iij. Si cuius legati violati essent, qui id fecissent, quamuis nobiles essent, vt dederentur ciuitati, statuerunt, fœcialésque viginti, qui de his rebus cognoscerent, iudicarent, & statuerent, & constituerent.

44 ¶ *Atque* particula, si diligentiùs intelligitur, multam habent significantiam, vt vel illud est Ennij: Atque atque adscendit muros Romana iuuentus. quod est festiuè, & intrepidanter ascendit. Significat etiam celeriter, & statim, vt Virg. Georgic. j. Si brachia fortè remisit, Atque istum in præceps prono rapit alueus amni. Habet etiam huiusmodi intellectum, vt dicas, aliter ego feci, & locutus sum atque tu. hoc est, aliter ego ac tu, vel quàm tu.

45 ¶ *Intra*, non solùm id significat, quod consuetudine persuasum est, vt intra modum, hoc est, à modo minus; sed etiam in ipso modo, vt intra calendas dies etiam ipsæ Calendæ accipi debeant: vt intra oppidum, etiam intra cubiculum cùm dicitur, in oppido, & in cubiculo dictum esse videatur. Idque ita positum in multis veteribus, sed non tam claris scriptoribus inuenitur.

46 ¶ *Negatiuas duas* negatiuam nouè significantiam habere. Varrò Bim. τρόπων τρόπος: Quæ non modò ignorasse me clamat, sed omninò omneis hereas negat nescisse.

47 ¶ *Ludius*, quòd ludis pueri præsules essent glabri, ac depiles propter ætatem, quos antiqui Romani Lydios appellabant, vt est in libro j. Varronis de vita populi Romani. Ideò Plaut. Aulul. Tu istum gallum si sapis, Glabriorem reddes mihi, quàm vulsus Ludius.

48 ¶ *Deinsuper.* Sallust. Hist. lib. j. Sertorius Parthis turbam orantibus, & nullo (vt in terrore solet) generis, aut imperij discrimine per calonum corpora ad medium, quasi in deinsuper stantium manibus, in murum, attollitur.

49 ¶ *Sifilare*, quòd nos vilitatem verbi vitantes sibilare dicimus. & est maledica vocis significatio, vel contumeliosa popularium, cùm sifilationibus quis exploditur, à Græco ducere originẽ inuenimus. Huius rei auctor est venerabilis Hom. Iliad. xiiij. Ἀλλ' ὁ μὲν ὣς ἀπόλοιτο, θεοὶ δέ ἑ σιφλώσειαν.

50 ¶ *Nubentes*, veteri lege Romana asses treis ad maritum venientes solebant ferre atque vnum, quem in manu tenerent, tanquam emendi caussa, marito dare: alium quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere: tertium in sacciperione cùm condidissent compito vicinali solere resonare. Inde Virg. Georg. j. Téque sibi generum Tethys emat omnibus vndis. quos ritus Varro libro j. de vita populi Romani diligentissimè percurrit.

51 ¶ *Secundum*, non solum numeri, & ordinis, vel prosperum, quod plerunque positum legimus, sed etiam iuxta. Varro de vita populi Romani lib. j. Tullum Hostilium in velis, vbi nunc est ædes deûm Penatium: Ancum in palatio ad portam Mugionis secundum viam sub sinistra. Virg. Georg. iij. Pascuntur verò syluas, & plena secundum Flumina.

52 ¶ *Fornum* & *Fornaces* dicuntur à forno, quod est, calido. inde *Forcipes*, quòd candentes teneant ferrum, vt Virg. lib. viij. Versántque tenaci forcipe massam. Varro de vita populi Romani lib. I. Locula quæ coquebat panem, primùm sub cinere, postea in forno: [cuius] vtriusque vocabulum à forno ductum, id est, à calore.

53 ¶ *Ære diruti*, appellabãtur milites, quibus propter ignominiam stipendium, id est, merces menstrualis, aut annua, quæ esset in nummis æreis, subtrahebatur. Var. de vita populi Ro. lib. ij. stipendium appellabatur, quod æs militi semestre, aut annuum dabatur: cui datum non sit propter ignominiam, ære dirutus esset.

54 ¶ *Negatiuas duas* pro negatiua vna accipiendas Varro monstrauit de vita populi Ro. lib. ii. Qua abstinentia viri, mulierésque Romanæ fuerint, quod à rege munera eorum noluerit nemo accipere.

55 ¶ *Tabernas*, non vinarias solùm, vt nunc dicimus, sed omnes, quæ sunt popularis vsus, auctoritas Romana patefecit. Varr. de vita populi Ro. lib. ii. Hoc interuallo primùm forensis dignitas creuit, atque ex tabernis ligneis argentariæ factæ.

56 ¶ *Statilinum*, & *Statanum*, & *Fabulinum*, præsides Deos Varro Catone, vel de liberis educandis puerilitatis affirmat. Ab Statano, & Statilino, quorũ nomina habent scripta Pontifices. Sic cùm primo fari incipiebant, sacrificabant diuo Fabulino.

DE GENERE NAVIGIORVM.

CAPVT XIII.

Celox, est nauigium breue, dictum à celeritudine. Plautus Asinaria: Vnde sumam? quem interuortam? quò hanc celocem conferam? Idem Captiuis: Vidi in publica celocem,

celocem, ibidem illum adolescentulū. Idem Pœnulo: Obsecro hercle operam celocē hāc mihi, ne corbitam date. Turpil. Lemniis: Remulis sensim celox ab oppido processerat. Varr. Hercules: Tuam fidem procella frigida arte obruat celocem. Idem Bimarg. Nautæ remiuagam mouent celocem.

2 ¶ *Corbita*, est genus nauigij tardum, & grande: Plaut. Pœnulo: Tardiores, quam corbitæ sunt in tranquillo mari. Idem eadem: Obsecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date. Lucillius Satyrarum libro xv. Multa homines portenta in Homero versificata. Monstra putant, quorum in primis Polyphemus ducentos Cyclopes coclites, & porro huic maius bacillum, Quàm malus nauis in corbita maximus vlla.

3 ¶ *Horia*, dicitur nauicula piscatoria. Plautus Rudente: Saluete horia mari fluctuoso. Idem eadem: Mea opera laboratur, & rate, & horia.

4 ¶ *Cercurus*, nauis est Asiana pergrandis. Plautus Sticho: cùm percontor portitores, ecquæ nauis venerit ex Asia? negant venisse. conspicatus sum interim cercurum, quo ego me maiorem non vidisse censeo. Lucil. Satyr. libro octauo: Rerum flumen, atque vti ipso diuortio ligneis pedibus cercurum concurret æquis. Idem libro 14. Ad regem legatus Rhodum, Ecbatanam, ac Babylonem ibo, cercurum sumam. Plaut. Mercatore: Ædificat nauem cercurum, & merces emit.

5 ¶ *Lembus* nauicula breuis piscatoria. Accius Deiphobo: Eo autem, nocte extrema retia vt proueherem, & statuerem, Fortè aliquāto quàm solitus lembo sum progressus longius. Turpil. Leucadia: Hortari nostros cepi ilico vt celerarent lembum. Idem Lemniis: Lembi redeūtes domum duo ad nos certam accelerarunt ratem. Virg. Georg. libr. primo: Quam qui aduerso vix flumine lembum Remigiis subigit. Sisen. Hist. libro tertio: Oracilium legatum cum scaphis, ac lembis. Plaut. Mercatore: Dum hæc aguntur, lembo aduehitur tuus pater pauxillulo.

6 ¶ *Myoparo* est nauicula piratarum. Marcus Tullius de Repub. libro tertio: Nam cùm quæreretur ex eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum vno myoparone, eodē inquit, quo tu orbem terræ. Sallust. Histor. libro tertio: Et fortè in nauigando cohors vna grādi fasello vecta à cæteris deerrauit, marique placido à duobus prædonum myoparonibus circumuenta. Sisenna Histor. libro quarto: Nauésque triginta biremes, totidem myoparones.

7 ¶ *Faselus* nauigium Campanum. Varro Desultorio περὶ γραφῆς: In aliis domini delitias fasello nacium consili remo vilem flictam soluit. Sallust. Histor. libro tertio. Et fortè in nauigando cohors vna grandi fasclo vecta à cæteris deerrauit. Sisenna Hist. libro quarto: Proræ actuariæ trahi grandes, ac faseli primò.

8 ¶ *Lenunculus*, nauigium piscatorium. Sallust. Hist. libr. 2. Primò indicit fortè super noctem in lenunculo piscantis.

9 ¶ *Actuaria*, nauiculæ celeres, dictæ quòd citò agi possent: Sallust. Hist. libro secundo. Ad hoc pauca piratica actuaria nauigia. Sisenna Hist. libr. 3. Quibus occisis actuarias ad viginti, naues item complures onerarias incendunt.

10 ¶ *Lintres*, naues fluminales. Vir. Georg. lib. 1. Cauat arbore lintres.

11 ¶ *Scaphæ*, sunt nauiculæ, quæ maiores naues consequuntur. Sallust. Hist. lib. quarto: Eum atque Metrophanen senatus magna industria perquirebat, cùm per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percontatum miserant.

12 ¶ *Codicarias*, naues etiam nunc consuetudo appellat, eo quòd in fluminibus sint vsui. Sallust Hist. lib. 4. Quàm maximis itineribus per regnum Ariobarzani contendit ad flumen Euphratem, qua in parte Cappadocia ab Armenia disiungitur. & quanquam ad id naues codicariæ occultè per hyemem fabricatæ aderant. Varro de vita populi Romani libro tertio. Quod antiqui plureis tabulas coniunctas codices dicebant, à quo in Tyberi naues codicarias appellamus.

13 ¶ *Pristis*, nauigij genus à forma pristium marinarum, quæ longi corporis sunt, sed angusti. Claudius rerum Romanarum libro 12. Quinque pristes, nauigium ea forma à marina bellua dictum est. Virgilius libro quinto. Velocem Mnestheus agit acri remige pristim. Et, Frons hominem præfert, in pristim desinit aluus.

14 ¶ *Cymba*. Afranius Excepto: Tum conscendo cymbam interibi lucis piscatoriam, venio, iacitur ancora, inhibent leuiter. Marcus Tullius de officiis libro tertio. Cymbarū ante pedes multitudo, pro se quisque quod ceperat afferebat.

15 ¶ *Onerarias*, de oneribus tardas. Sisenna Histor. libro 4. Quibus occisis actuarias ad viginti, naues item complures onerarias incendunt.

16 ¶ *Ancoræ*, vincula, quibus antennæ tenentur. Lucillius. Armamenta tamen vel omnia seruo. Funis enim præcisus cito, atque ancora soluta.

17 ¶ *Prosumia*, nauigij genus. Cæcil. Meretrice, Qui pro gubernatore propè euertit prosumiam. Idem Amphitryone, De nocte ad portum sum prouectus prosumia.

DE GENERE VESTIMENTORVM.

CAPVT XIV.

1 TVnica, est vestimentum sine manicis. Titinnius Veliterna: Tunica & cingula obuncula adimetur, pannos possidebit fœtidos. Cicero in Cati. Manicatis ac talaribus tunicis. Virgilius: Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ. Titinnius. Quin togis cum candidis, tunicis sordidis sint, & dicis. Plautus Pseudolo: Manuleatam tunicam habere hominem addecet. Et iccirco manuleatam addidit, ne impropriè vteretur. Lucil. Satyr. lib. primo: Prætextæ, ac tunicæ Lydorum opus sordidum id omne. Idem libro xv. Scit poeticon esse, videt tunica, & toga quid sit. Varro Meleagris: Cùm etiam aliis Menandri tunicam demissam habeat ad talos. Ennius probro Carthaginensium tunicatam iuuentutem voluit dicere. Varro Modio: Quàm istorum quorundam vitreę togę ostentant tunicæ clauos.

2 ¶ *Calantica*, est tegmen muliebre, quod capiti innectitur. M. Tul. in Clodium: Túne, cùm vincerentur pedes fasceis, cùm calanticam capiti accommodares?

3 ¶ *Penula*, est vestis, quam supra tunicam accipimus. Pomp. Pannuceatis: Penulam in caput induce, ne te noscat. Lucil. Satyr. li. xv. Penula si quæris, canterius, seruus, segestre Vtilior mihi quàm sapiens. Varro Virgula diuina: Non quærenda est homini, qui habet virtutem, penula in imbri.

4 ¶ *Aulæa*, genus vestis peregrinum. Varro de vita populi Romani lib. 3. Quod ex hæreditate. Attalica aulæa, chlamydes, pallæ aureæ. Virg. Georg. 3. Purpurea intexti tollant aulæa Britãni. & est tanquam paludamentum Barbarici habitus militaris.

5 ¶ *Plaga*, grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lectuariam sindonem dicimus, quarum diminutiuum est plagulæ. Var. de vita populi Rom. lib. 3 Chlamydes, plagæ, vela aurea.

6 ¶ *Stolam*, veteres non honesta vestem solùm, sed etiam omnem, quæ corpus tegeret. Enn. Teleph. Cedo, & caueo vestitus squalida septus stola. Idem eadem: Regnum reliqui septus medici stola. Varro Cosmot. περὶ φθορᾶς κόσμου. Mulieres, aliam cerneres cum stola holoserica. Idem Eumen. Partum venusta muliebri ornat stola.

7 ¶ *Palla*, est honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium. Plautus Menæchmis: Pallam ad phrygionem fert confecto prandio. Lucillius Satyrarum libro xv. Cùm rectum est quiduis? satis est: visuri alieni. Sint homines, spiram, pallas, redimicula promit. Virgilius Æneidos j. Pallam signis, auróque rigentem.

8 ¶ *Strophium*, est fascia breuis, quæ, virginalem tumorem cohibet papillarum. Turpil. Philop. Me miseram, quid agam? inter vias epistola excidit mihi; Infelix inter tuniculam, ac strophium quam collocaueram. Tullius in Clod. Cum strophio accuratè præcingere. Plautus Aulul. Pro illis crocotis strophiis, sumptu vxorio. Var. Sesquiul. Suspendit Laribus marinas molles pilas, reticula, ac strophia.

9 ¶ *Abolla*, vestis militaris. Var. Cosmotor. περὶ φθορᾶς κόσμου. Toga tracta est, & abolla data est ad turbam, vbi sera militia in munera velli vt præstarem.

10 ¶ *Sagum*, vestimentum militare. Sallust. Hist. libro 2. Occurrere duci & prœlium accendere, adeò vti Metello in sagum, Herculeio in brachium tela venirent. Virg. libro 8. Virgatis lucent sagulis. M. Tul. ad Cæsarem iuniorem libro primo: Pridie nonas Februarias, cùm ad te litteras manè dedissem, descendi ad forum togatus, cùm reliqui consulares sagati vellent descendere. Var. Virgula diuina: Cùm neque aptam mollis humeris fibulam sagus ferret. Sisen. Hist. lib. 3. Senatus auctoritate sagaria nunc.

11 ¶ *Paludamentum*, est vestis, quæ nunc chlamys dicitur. Sallust. Histor. lib. 3. Eodem tempore Lentulus duplici acie locum editũ multo sanguine suorum defensus, postquam ex sarcinis paludamenta adstari, & delectæ cohortes intelligi cœpere. Tul. ad Cæsarem iuniorem lib. 2. Antonius demens ante lucem paludatus.

12 ¶ *Chlamys*. Virg. Æneid. lib. 4. Sidoniam picto chlamydẽ circundata limbo. Var. Hercule Socrat. Cubo in Sardinia ista pedibus chlamyda, sed purpurea amicula.

13 ¶ *Regilla*, vestis diminutiuè à regia dicta, vt & basilica. Plaut. Epid. An regillam tuniculam induam, an mendiculam? Var. παπιαπαπαῖ περὶ ἐγκωμίων: Collũ procerũ fictũ leui marmore Regillã tunicam diffingitur purpura.

14 ¶ *Ralla*, vestis dicta à raritate. Plautus Epidico: Tunicam rallam, tunicam spissam.

15 ¶ *Rica*, est quod nunc sudariũ dicimus. Plaut. Epidico. Ricam, basilicum, aut exoticũ. Serenus opusculo lib. 1. Aut zonulam, aut acum, aut ricam. Nonius Pedio, Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam.

16 ¶ *Ricinum*. Lucil. Satyr. lib. 2. Ricini auratí cicæ, & oraria mitræ. Turp. Veliterna: Ducit me secũ, postquã ad ædẽ venimus, venerantur deos. interea adspexit virginẽ gestantẽ in capite riculã indutã ostrinam. Var. Prometheo li. 1. Aliæ mitrã ricinã, aut mitrã melitensem.

17 ¶ *Casicium*, linteolum dicitur purum, & candidum à cædendo, quòd ita ad candorem perueniat, vel quòd oras circuncisas habeat. Plaut. Epidico: Linteolum cæsicium.

18 ¶ *Indusium*, est vestimentum, quod corpori intra plurimas vestes adhæret, quasi intusium. Plautus Epidico Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam.

19 ¶ *Patagium*, aurea chlamys, quæ pretiosis vestibus immitti solet. Plaut. Epidico Indusiatam, patagiatam. Næuius Lycurgo. Pallis patagiis, crocotis, manicis mortualibus.

20 ¶ *Supparum*, est linteum femorale vsque ad talos pendens, dictum quòd subtus appareat. Plautus Epidico: Supparum autem subnimium est ricam. Basilicum, aut exoticum. Nonius Pedio: Supparum purum bellienſem interim escam meram. Afranius Epistola: Tace, puella non sum, suppare si induta sum. Varro Eumenidibus: Hic indutus supparum, Coronam ex auro, & gemmis fulgentem gerit.

21 ¶ *Exoticum*, dicitur peregrinum. Plau. Epidico Basilicum, aut exoticum.

22 ¶ *Plumatile*, aut clauatum, aut ex plumis factum. Plaut. Epidico: Cumatile, aut plumatile.

23 ¶ *Mollicina* vestis à mollicie dicta. Nonius Pedio: Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium.

24 ¶ *Amphitapæ*, vestes dicuntur vtrinque habentes villos. Lucil. lib. 1. Psilæ atque amphitapæ, villis ingentibus molles. Idem libr. 6. Pluma atque amphitapæ, etsi aliud quid delitiarum. Varro. Manio: Alterum bene acceptū dormire super amphitapa bene molli.

25 ¶ *Toga*, non solùm viri, sed etiam fœminæ vtebantur. Afra. Fratriis: Equidē prandere stantem nobiscum incinctam togam. Varro de vita pop. Ro. libr. 1. Præterea quod intellecto togas ante habebant. ante enim olim fuit commune vestimentum, & diurnū, & nocturnum, & muliebre, & virile.

26 ¶ *Læna*, vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta sumitur. Virg. Æneid. lib. 4. Tyrióque ardebat murice læna.

27 ¶ *Meretrices*, apud veteres succinctiore veste vtebantur. Afranius Excepto: Meretrix cum veste longa, peregrino in loco, Solet tutandi caussâ sese sumere.

28 ¶ *Carbasus*, pallium, quo fluuij amiciūtur, vel opulentiæ caussa, vt sericum, aut lino tenui. Virg. lib. 8. Eum tenuis glauco velabit amictu Carbasus. Idem lib. 11. Tunc croceam chlamydémque, sinúsque crepantis Carbaseos fuluo in nodum collegerat auro. M. T. in Verrem de suppliciis: Tabernacula carbaseis intenta velis collocabat. Varro de vita populi Romani lib. 4. Eadem postea carbasinea magis, vt pellibus tegerentur togæ.

29 ¶ *Prætexta*, insigne Romanum, quod supra tunicas honorati quique sumunt. M. Tul. de suppliciis: Sententiæ dicendæ loco togam prætextam, sellam curulem ius imaginis ad memoriam, posteritatémque prodendam.

30 ¶ *Limbus*, vt annotatum inuenimus, muliebre vestimentum, quod purpuram in imo habet. Plautus Aulul. Textores limborarij, arcularij.

31 ¶ *Flammeus*, vestis, vel tegmen, quo capita matronæ tegunt. Plautus Aulul. Flammearij, violarij, carinarij.

32 ¶ *Reticulum*, tegmen capitis muliebre. Varro Sesquiulyss. Suspendit Laribus marinas molles pilas, reticula, ac strophia.

33 ¶ *Ricinium*, quod nunc masurtium dicitur, palliolum femineum breue. Varro περὶ μετάπτης: Nihilo magis dicere muliebre, quā de muliebri ricinio palliolum simplex. Idem de vita pop. Romani libro j. Et quo mulieres in aduersis rebus, ac luctibus, cùm omnem vestitum delicatiorem, ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.

34 ¶ *Tapete*, tegmen vnicè pictum de coloribus variis. Varr. Hercule Socratico: In omnibus rebus bonis quotidianis cubo in Sardinianis tapetibus. Virg. lib. 9. Qui fortè tapetibus altis. Extructus toto proflabat pectore somnum. Turpilius: Glabrum tapete.

35 ¶ *Culcita*. Cic. Tuscul. libr. 4. Eripiamus huic ægritudinem. quomodo? collocemus in culcita plumea, psaltriam adducamus.

36 ¶ *Subucula*. Varro de vita pop. Rom. li. 1. Postea quàm binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam, & indusium.

37 ¶ *Capitia*. capitum tegmina. Varro de vita populi Rom. lib. 4. Tunicas, neque capitia, neque zonas. Idem eodem. Neque id ab orbita matrumfamilias instituti quod eæ pectore, ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant hæc & capitula appellauit.

38 ¶ *Encombomata*, & *Parnacidas* genera vestium puellarum. Varro de liberis educandis. Vt puellæ habeant potius in vestitu chlamydas, encombomata, ac parnacidas, quàm togas.

DE GENERIBVS VASORVM ET POCVLORVM.

Cap. XIX.

Avla, vel *olla*, quod nos ollam dicimus, sed est capacissimum vas. Plaut. Amph. Optimo iure refringatur aula cineris in caput. Varro γεροντοδιδασκάλῳ. Sed simul manibus trahere lanam, nec non simul oculis obseruare ollam pultis ne aduratur. Idem Bimago: Vulcanum, nec cùm nouæ lagenæ ollarum frangantur, ter precatur.

2 ¶ *Matella*, aquarium vas. Plautus Amphitr. Ne tu postules matellam vnam tibi aquæ infundi in caput. Varro Endymionibus: Diuitum Aphocaschias ad communem reuocat matellam. Idem Manio: Lecto strato, matellam, lucernam, cæteras res huius vbique præ se portant.

3 ¶ *Mortarium*, in quo teruntur quæ soluenda sunt. Plautus Aulul. Cultrum, securim, pistillum, mortarium.

4 ¶ *Peluis* sinus aquarius, in quo varia perluuntur, vnde ei nomen est. Laberius Virgine: Amore cecidi, tanquam blatta in peluim. Cœlius Fœneratore: Peluim sibi poposcit.

5 ¶ *Fidelia*, Samium vas ad vsus plurimos. Plaut. Aulul. Mulsi cōgialem, plenam faciam tibi fideliam.

6 ¶ *Patella.* Varro Eumenid. Patella esurieti posita, prouocat Neapolitanas piscinas. Idem Manio: Quocirca oportet bonum ciuem legibus parere, & deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.

7 ¶ *Cupas*, & *Tineas*. Varro de vita pop. Ro. lib. j. Antiquissimi in conuiuiis vt res vini primò, postea tinas ponebant. Idem: Mori longi cum operculo ad cupas, tertio amphoras.

8 ¶ *Vrnula*, est vas aquarium. Varr. de vita pop. Rom. lib. I. Item ex ære, vt vrnulæ aquales, matulæ, sic cæteras.

9 ¶ *Cadi*, vasa quibus vina conduntur. Lucil. lib. 18. Millia ducentûm frumenti tolle medimnûm, Vini mille cadûm. Virg. AEnei. lib. I. Vina bonus, quæ deinde cadis onerarat Acestes. Var. de vita pop. Rom. libro 3. Hortensio supra decem millia cadûm hæredi reliquit.

10 ¶ *Vrnarium.* Varro περὶ μελετῶν. Sed quæ necessitas te iuuet aquam effundere domi tuæ, si vasa habes pertusa, plumbum non habent? ad quam rem nobis est confluuium, ad quam rem vrnarium?

11 ¶ *Polubrum*, quod Græci χέρνιβα, nos trulleum vocamus. Liuius: Argēteo polubro & aureo gutto. Fabius Pictor lib. 16. Aquam manibus pedibúsque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua.

12 ¶ *Simpuuium*, est vas ligneum. Var. Est modus matulæ, περὶ μέθης; Non vides ipsos deos, siquando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana, & tamen tum ipsi illi libero simpuuio vinitari?

13 ¶ *Lenis*, vasis genus. Afran. Fratriis: Labella lenis. Laberius cophino: Cum prouincias dispoliauit, columnas monolithas, labella lenis.

14 ¶ *Obba*, poculi genus, vel ligneum, vel ex spaito. Varro, Est modus matulę περὶ μέθης, Dolia, atque apothecas tricliniares, melicas, calenas obbas, & Cumanos calices. Idem epistola ad Marullium: Vtrùm meridie, an vesperi libentius ad obbam accedas, locus, afctus, aduentus declarabit.

15 ¶ *Cantharus.* Virg. Bucolicis: Et grauis attrita pendebat cantharus ansa.

16 ¶ *Dolia*, vasa grandia, quibus vinum reconditur. Varro. Est modus matulæ, περὶ μέθης, Dolias atque apothecas tricliniares, melicas, Calenas. Idem Manio: Hæc aduentribus accedunt cellæ, claues, claustra, carnaria, dolia.

17 ¶ *Alabaster.* Cicero Academicorum libro 2. Quibus etiam alabaster plenus vnguenti putere videatur.

18 ¶ *Scyphus.* Virg. Et sacer impleuit dextram scyphus.

19 ¶ *Batiola.* Plautus Colace: Batiolam auream octo pondo habebat, accipere voluit.

20 ¶ *Calices*, Varro. Est modus matulæ, περὶ μέθης. Apothecas tricliniares, melicas, calenas, obbas, & Cumanos calices. Cic. Tusc. lib. 3. Quid huic calix mulsi impingendus est, vt plorare desinat?

21 ¶ *Cymbia.* Virg. libro v. Cymbiáque argento perfecta, atque aspera signis. Varro de vita populi Rom. lib. I. Item erant vasa vinaria, sini, cymbia, aquilinæ pateræ, gutti, sextarij, simpuuium.

22 ¶ *Cratera*, vasa vini, Virg. AEneid. lib. I. Crateras læti statuunt, & vina coronant.

23 ¶ *Crateres*, vasa olearia. Virg. Bucolicis: Cratcrésque statuam tibi pinguis oliui. Idem AEneid. lib. 6. Fusco crateres oliuo.

24 ¶ *Orcas.* Varro de re rust. lib. I. Sæpe vbi conditum vinum nouum, orcæ in Hispania feruore musti ruptæ.

25 ¶ *Nasiterna*, vas aquatile. Var. de re rust. lib. I. Vt ex ære ahena, vrceos, & nasiternam, item alia.

26 ¶ *Catinus.* Varro de re rust. lib. I. Promendum enim frumentum, quod curculiones exesse incipiunt. Id enim cùm promptum est, in

est, in sole ponere oportet aquæ catinos, quòd eò conueniunt, vt ipsi se nocent. Idem de vita populi Rom. lib. j. Dicuntur enim patellæ, salini, acetabula, catini, patenæ.

27 ¶ *Calamistrum*, fistula breuis, qua cirri continentur. Cicero Oratore: Remouebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum, nec calamistri quidem adhibebuntur.

28 ¶ *Carchesia*, genera poculorum. Virgil. Æneidos libro primo: Hic duo rite mero libans carchesia Baccho: Et Georg. libr. quarto: Mater cape Mœonij carchesia Bacchi. Aliàs summa pars mali, id est, foramina, quæ summo mali funes recipiunt Lucilius, Tertius hic mali superat carchesia summa. Catullus Veronensis. Lucida qua splendent summi carchesia mali.

29 ¶ *Cyrnea*, vas vinarium. Plautus Amph. Cadus erat vini, inde impleui cyrneam.

30 ¶ *Mistarium*, quo miscemus. Lucil. lib. V. Vrceus, aut longa geminus mistarius ansa.

31 ¶ *Calpar*, nomine antiquo dolum, Varro de vita po. Rom. libro j. Quod ante, quàm nomen dolij prolatum esset, cùm id genus vasorum calpar diceretur, id vinum *calpar* appellatum.

32 ¶ *Trulleum*, quo manus perluũtur. Varro de vita populi Romani libro j. Itaque ea sibi modo ponere, ac suspendere, quæ vtilitas postularet, trulleum, matellionẽ, peluim, nasiternam: non quæ luxuriæ causa esse parata eius vrceolũ aquæ manalem vocamus, quòd ea aqua in trulleum effundatur. Vnde *Manalis* lapis appellatur in pontificalibus sacris, qui tunc mouetur, cùm pluuiæ exoptantur. ita apud antiquissimos manalem sacrum vocari qui non nouerit, vnde nomen illius?

33 ¶ *Armillum*, vrceoli genus vinarij. Varro de vita populi Romani lib. j. Etiam nunc pocula, quæ vocant capulas, ac capides, quod est poculi genus. item armillum, quod est vrceoli genus vinarij.

34 ¶ *Sinum*, & *Galeola*, vasa sinuosa. Virgil. Buc. Sinum lactis, & hęc tibi liba Priape quotannis Exspectare sat est. Varr. de vita populi Romani libro j. Vbi erat vinum in mensa positum, aut galeola, aut sinum:

35 ¶ *Lepista*, Varr. de vita populi Romani libro j. Vt ferè habent æneum aliqui venditent oleum. lepistæ etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque, aut fictiles sunt, aut æneæ.

36 ¶ *Craterra*, est quam nunc situlam vocant. Næu. Lycurg. Nam vt ludere lætanteis inter se vidimus propter amnem craterris sumere aquam ex ponte. Varro de vita populi Romani libro tertio: Ad Sybaritanam prædam, in qua sunt tripodes, craterræ, anaucea populo nobilium Tarentinarum. Cicero de Deorum natura libro secundo: In medióque sinu fulgens craterra relucet.

DE GENERE VEL COLORE VESTIMENTORVM.

CAPVT XVI.

1 CVmatilis, aut marinus, aut cœruleus à Græco tractum, quasi fluctuum similis. Fluctus enim Græcè κύματα dicuntur. Titin. Setina: Et quem colos cumatilis deceat. Plaut. Epidico: Cumatile, & plumatile.

2 ¶ *Molochinum*, à Græco color est flori similis maluæ. Cæcil. Pausimach. Carbasina, molochina, ampelina. Plaut. Aulul. Infectores molochini coloris, molochinarios appellauit.

3 ¶ *Impluuiatus*, color quasi fumato stillicidio impletus, qui est Mutinẽsis, quem nunc dicimus. Plaut. Epidic. Impluuiatas vt istæ faciunt vestimentis nomina.

4 ¶ *Caltulam*, & *Crocotulam*, vtrunq; à generibus florum translatum à calta, & à croco. Virgil. Bucol. Mollia luteola pingit vaccinia calta. Plaut. Epidico: indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam. Non. Pedio: Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium. Næuius Lycurg. Pallis, patagiis, crocotis, malacis, mortualibus. Sed caltulam Var. de vita pop. Rom. li. j. palliolum breue voluit haberi.

5 ¶ *Castula*, est palliolum præcinctui, quod nudæ infra papillas præcinguntur, quo mulieres nunc & eò magis vtuntur, postquam subuculis desierunt.

6 ¶ *Cerinum*, à ceræ colore. Plaut. Epidico: Plumatile, aut cumatile cærinũ, aut melinum.

7 ¶ *Ferrugineum*, colorem ferri similẽ esse volunt. Verè autem ferrugineus color cœruleus est. Virg. Georg. lib. iiij. Et ferrugineos hyacinthos. Plaut. Milite: Palliolum habeas ferrugineum: nam is colos thalassicus est.

8 ¶ *Ostrinam*, ab ostro colore qui est subrubeus. Turpil. Veliterna: Interea adspexit virginem gestantem in capite riculam indutam ostrinam. Varro Eumenidibus: Aurora ostrinam hîc indutus supparum.

9 ¶ *Murex*, color purpureus. Virgil. Bucol. Ipse sed in pratis aries iam suaue rubẽti Murice. Et Æneid. lib. iiij. Tyrióque ardebat Murice læna.

10 ¶ *Luteus*, color propriè croceus est. Virg.

Bucolicis: Iam croceo mutabit vellera luto. Et Æneid. lib. vij. Autora in roseis fulgebat lutea bigis. Varr. Eumen. Nam vt arquatis & veternosis lutea quæ non sunt, æquè & lutea videntur, sic insanis sani, & furiosis esse videntur insani. Idem Mod. Sed cynicis inuolucrū, & pallium luteum non est.

11 ¶ *Crocota*, crocei coloris vestis. Plautus Aul. Cùm incedunt infectores crocotarij.

12 ¶ *Violatia*, à violæ colore. Plaut. Aulul. Flammearij, violarij, coriarij.

13 ¶ *Pullus*, color est, quem nunc Hispanū, vel natiuum dicimus. Varr. de vita populi Romani lib. iij. Vt dum supra terram essent, ricinis lugerent funere ipso, vt pullis pallis amictæ.

14 ¶ *Anthracinus*, niger à Græco. ἄνθρακες enim Græcè, carbones Latinè appellantur, & est lugentium vestis. Var. de vita popul. Rom. lib. iij. Propinquæ adolescentulæ etiā anthracinis proximo amiculo nigello, capillo demisso sequerentur luctum.

DE GENERE CIBORVM ET POTVVM.

CAPVT XVII.

1 SParagos. Varr. Virgul. diuin. Oleum in lucubrationem seruauimus, quod in sparagos totum legitimè vertamus.

2 ¶ *Blitum*, est holus lene. Var. Eumen. Empedocles natos homines ex terra ait, vt blitū.

3 ¶ *Lapathium*. Varro Mod. Hanc eandem voluptatem tacitus taxim, consequi lapathio, & ptisana possum.

4 ¶ *Mene*. Tul. de finib. bonor. & mal. li. ij. Qui enim voluptates ipsas contēnunt, eis licet dicere, se acipenserem menę nō anteponere.

5 ¶ *Acipenser*, piscis genus. Cic. Tuscul. lib. j. Et si quem tuorum affectum mœrore videris, huic acipenserem potius, quàm aliquem Socraticum libellum dabis.

6 ¶ *Nasturtiū*. Cicer. Tusc. lib. v. Quos negat ad panem adhibere quicquam, pręter nasturtium.

7 ¶ *Marisca*. Varr. de re rustica lib. j. Vt nuces Græcæ, ac mariscæ fici.

8 ¶ *Ocymum*, quod ocymum dicimus. Var. de re rust. li. j. Primum ocymum, farraginem, viciam nouissimè fœnum vocari. Ocymum dictum à Græco verbo, ὠκὺς, quod venit citò, similiter quod ocymum in horto.

9 ¶ *Lopades*, genus conchæ marinæ. Plaut. Parasito medico: Addite lopades echinos, ostreas.

10 ¶ *Murrhina*, potio confecta. Varr. Anthropopoli: Non modò vinum dare, sed etiā (vt Plautus ait) murrhina, passum, defrutum. Varr. de vita populi Romani. lib. 1. Tum autē Murrhina.

11 ¶ *Loram*, dicebant in vindemia, cùm expressissent acinis mustum, & folliculos in dolium concessissent.

12 ¶ *Portulaca*. Varr. Disciplinæ libro viij. Manducata portulaca citò tollit.

13 ¶ *Lora*, confectæ potionis genus grandæuis aptum. Var. de vita pop. Rom. lib. 1. Antiquæ mulieres maiores natu bibebant loram, aut sapam, aut defrutū, aut passum, quā murrhinam quidam Plautum appellare putant.

14 ¶ *Sapa*, quod nunc mellaceum dicimus, mustum ad mediam partem decoctum. Varr. de vita pop. Rom. lib. 1. Sapā appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant.

15 ¶ *Defrutum*, si ex duabus partibus ad tertiam redegerant, deferuefaciendo.

16 ¶ *Passum*. Varr. de vita populi Romani lib. 1. Passum nominabant, si in vindemia vuā diutius coctam legerent, eámque passi essent in sole aduri.

17 ¶ *Moriolam*. Varro de vita populi Romani. lib. 1. Vino addito lorā passi vocare cœperunt: moriolam nominabant, quod ex vuis expressum erat passum ad folliculos rei, quos & vinacea ea dicebant sapam.

18 ¶ *Turunda*, vt libum sacrum quoddam, & farre genus panificij. Varr. Cato vel de liberis educandis: Alij afferunt libum, ac turundam.

DE GENERE ARMORVM.

CAPVT XVIII.

1 CAtapulta, iaculum celer, vel sagitta. Plautus Curcul. Atque ita te neruo torquebo, vt catapultæ solent. Titin. Setina: Quem procul aspexit, immittere voluit, reuortit, quoniam catapulta volat. Plautus Captiuis: Nam meus est balista pugnus, cubitus catapulta est mihi. Næuius Paceuo. Vt sole horrescit cera, castra crebro catapulta impulit. Luc. Sat. li. v. Custodem classis catapulta instila sarissas. Sisen. Hist. lib. iij. Prætereà catapultas xvj. iiij. balistas. xxx. plaustra coriis, ac minoribus sagittis onusta. Var. de vita pop. Rom. li. iij. Nā postea C. Lutatio cōsuli ad Ægades insulas, cùm ipse catapulta ictus esset.

2 ¶ Viles

2 ¶ *Veles*, leuis armatura. Titin. Barbato: Ita Spurius animatur in prælium, veles equis recepit se, nec ferit quenquam hostem. Sallustius Iugurthæ bello: Cúmque his permisti velites, Varro ἄμμαν μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας, Quem sequuntur cum rotundis velites leues parmis.

3 ¶ *Rorarij*, appellabantur milites, qui antè, quam congressæ essent acies, primò non multis iaculis inibant prælium: tractum, quòd ante maximas pluuias cælum rorare incipiat. Lucil. Satyr. lib. 7. Quinque hastæ aureolo cinctu rorarius velox. Idem lib. x. Ponè paludatus stabat rorarius velox. Varro de vita populi Rom. lib. 3. Rorarij appellati, quòd imbribus fere primùm rorare incipiat.

4 ¶ *Antesignanorum*, proprietas aperta est. Varro ἄμμαν μετρεῖς, περὶ φιλαργυρίας. Quem sequuntur cum rotundis velites leues parmis, antesignani quadratis multis insignibus tecti.

5 ¶ *Funditores* sunt, qui fundis magnis dimicant. Sallust. Iugurthæ bello: Ipse cum expeditis cohortibus, dehinc funditorum & sagittariorum delecta manu apud primos erat. Sisen. Hist. lib. 3. Ac post armatos funditores, & sagittarios ponit.

6 ¶ *Glandis*, est plumbum in modum glãdis informatum. Sallust. Iugurthæ bello: Pars eminus glande, aut lapidibus pugnare. Virg. lib. 7. Pars maxima glandes Liuentis plumbi spargit.

7 ¶ *Scorpio*, est genus teli. Sallust. Histor. lib. 3. Quarum vna epistola forte cum seruo nacti prædatores Valeriani scorpione in castra misere. Sisenna Hist. lib. 3. Longius scorpios catapultas concitat.

8 ¶ *Tragula* est hasta. Sallust. Hist. li. 3. Audissimis, atque promptis ducibus, vt Metellus ictu tragulæ sauciaretur. Varr. Meleag. Aut ille ceruum, qui volabile currens, sparo secutus, tragulave traiicit.

9 ¶ *Pugio*, est gladius breuis. Sallust. Hist. lib. 3. At Oppius, postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus, à Cotta, Vulcióque impeditur.

10 ¶ *Aclides*, iacula breuia. Virg. lib. 7. Teretes sunt aclides illi Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello.

11 ¶ *Ancyle*, scutum grande: vnde etiam nunc arma & ancyle appellatur. Virg. lib. 7. Læuáque ancyle gerebat.

12 ¶ *Sparos* lanceæ tela sunt non bellica, Sallust. Catilinæ bello. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: cæteri vt quósque casus armauerat, sparos, aut lanceas, alij præacutas sudes portabant.

13 ¶ *Phaleræ*, sunt belli ornamenta. Sallust. Iugurthæ bello: Ac sibi restitui, & hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona. Virg. 8. Eurialus phaleras Ramnetis, & aurea bullis, Cingula.

14 ¶ *Parma* est scutum breue. Sallust. Hist. libr. 4. Hi locorum perignari, & soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tū, quod inopia scutorum fuerat, ad ea arte se quisquam in formam parmæ equestris armabat. Virg. lib. 8. Ense leui nudo, parmáque inglorius alba.

15 ¶ *Ferentarij*, leuis armatura, quòd quicquid opus esset, auxilio ferrent excursu leui, armis grauibus non impediti. Cato de re militari: Inde partem equitatus, atque ferentarios prædatum misit. Sallust. Catilinæ bello, Postquàm eò ventum est, vnde à ferentariis prælia committi possent.

16 ¶ *Verutum*, est telum breue, & acutum. Sallust. Histor. lib. 3. Saxáque ingentia, & axæ iunctæ trabes per pronum incitabantur, axibúsque eminebant in modum ericij militaris veruta binum pedum, Varro ὄνος λύρας. Acerbus, qui tibi nihil mali fecit veritus ob artem præclaram.

17 ¶ *Cetra*, scutum breue. Virg. lib. 7. Læuas cetra regit.

18 ¶ *Pelta*, scuta Amazonica. Virg. Æneid. libr. 1. Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

19 ¶ *Gesa*, tela Galliarum. Virg. lib. 9. Alphina coruscat Gesa manu. Varro de vita populi Rom. lib. 3. Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gesis essent.

20 ¶ *Falarica*, telum maximum. Virgilius Æneid. lib. 9. Sed magnum stridens contorta falarica venit Fulminis acta modo. Enn. Quæ validè veniunt falarica missa. & dictum hoc genus teli à falis, id est, turribus ligneis.

21 ¶ *Sparus*, telum agreste. Virg. lib. 11. Agresticisque manus armat sparus. Varro Meleagris, Aut ille ceruum, qui volabile curtẽs, Sparo secutus tragulave traiicit. Sisenna Histor. lib. 3. Sparis, ac lanceis eminus peterent hostes.

22 ¶ *Balista*, saxa maiora & grauiora quibus iaciuntur. Lucillius lib. 28. Quid sit balistas iactas centenarias. Sisen. Hist. lib. 4. Balistas quatuor talentarias.

23 ¶ *Venabulum*, venantium telum latissimum à cæteris acici longissimæ. Virg. libr. 9. Supra venabula fertur. Varro ὄνος λύρας. Nempe sues syluaticos in montibus sectaris venabulo, aut ceruos.

24 ¶ *Conti*, hastæ longiores & robustæ. Virgil. lib. 9. Ac duris detrudere contis.

25 ¶ *Manipuli*, sunt manus militum, vel collecti viri. Sisenna Hist. lib. 3. Conuictus tamen & tempora singula constituit, & sicut steterat, manipulos obuerti iussit. Idem li. 4.

Matertera grauia bellica manipulorum.

26 ¶ *Lancea*. Sisen. Histor. lib. 3. Gallia materibus, Sueui lanceis configunt. Idem lib. 4. Alij materibus, aut lanceis tamen medium perturbant agmen.

27 ¶ *Malleoli*, manipuli spartei pice côtecti, qui incensi aut in muros, aut in testudines iaciuntur. Sisenna Hist. lib. 4. De quibus partim malleolos, partim fasces sarmentorum incensos supra vallum frequenter.

28 ¶ *Cataphratti*. Sisen. Hist. lib. 4. Custodiæ in muro statuuntur cataphrattorum Salust. Hist. lib. 4. Dui prægrediebantur equites cataphratti ferrea omni specie.

29 ¶ *Falces*, & harpagæ armorum genera murorum oppugnationi apta. Sisenna Histor. lib. 4. Falces iniectas comminuunt: puteos propius collocatis harpagis, deiiciunt.

30 ¶ *Ansata*. iaculamenta cum ansis. Ennius lib. 5. Ansatas mittunt è turribus.

31 ¶ *Corisci*, leue missile in modũ sagittarũ Vir. Corisciq; leues humeris, & letifer arcus.

DE PROPINQVITATE.

CAP. XIX.

CAEsares dicti qui cæsa matre nascuntur.

2 ¶ *Agrippa*, qui cum labore matris educuntur, hoc est, per pedes contra naturam, non per caput, quasi ab ægro partu.

3 ¶ *Vopiscus*, qui ex duobus conceptis, vno abortu excluso, ad partum legitimum deducitur.

4 ¶ *Glos*, appellatur mariti soror, atque eadem fratris vxor.

5 ¶ *Leuir*, dicitur frater mariti, quasi leuus vir.

6 ¶ *Fratria*, appellantur fratrum inter se vxores.

7 ¶ *Amitini*, fratrum maris, & fœminæ filij.

8 ¶ *Patrueles*, marium fratrum filij.

9 ¶ *Consobrini*, ex duabus editi sororibus, quasi consororini: de quibus exempla multa sunt in antiquis auctoribus, & maximè in Afranio, & iuris vetustissimis scriptoribus.

FINIS.

FVLGEN-

FVLGENTII LIBELLVS DE PRISCO SERMONE, AD CHALCIDIVM GRAMMATICVM TIMAEI PLATONIS Ecphraſten.

SANDAPILAM antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, id eſt, loculum, non in quo nobilium corpora, ſed in quo plebeiorum atque damnatorum cadauera portabantur, ſicut Steſimbrotus Thaſius de morte Polycratis Samiorum regis ſcripſit, Poſteaquàm de cruce depoſitus, ſandapila etiam deportatus eſt.

2 ¶ *Veſpillones*, dicti ſunt baiuli, quanuis Antidamus Heracleopolites veſpillones dixerit cadauerum nudatores ſicut in Hiſtoria Alexandri Macedonis ſcripſit: Pluſquàm trecentos cadauerum veſpillones reperiens crucibus affixit. Mnaſcas tamen in Cecrope ſcripſit, Apollinem poſtquam ab Ioue vinctus, atque interfectus eſt, à veſpillonibus ad ſepulturam elatum eſſe.

3 ¶ *Pollinctores*, qui funera morientium accurant, dicti ſunt. Plautus in Pœnulo: Quia mihi pollinctor dixerat, qui eum pollinxerat. Dicti autem pollinctores, quaſi pollutorum vnctores, id eſt, cadauerum curatores: vnde Apuleius in Hermagora ait: Pollinctor eius funeri dum vnctionem parat.

4 ¶ *Manales*: Labeo qui diſciplinas Hetruſcas Tageris & Baccheridis quindecim voluminibus explicauit, ita ſcribit: Fibræ iocinoris ſandaracei coloris dum fuant, manales tunc vertere opus eſt petras, hoc eſt, quas antiqui ſolebãt in modum cylindrorũ per limites trahere pro pluuiæ cõmutanda inopia.

5 ¶ *Nefrendes*. Diophantus Lacedæmonius, qui de ſacris Deorum ſcripſit, ait apud Meſſenios Ioui ſolere ſacrificari ſacrum, quod ἱερὸν φόνια appellatur. Si quis enim centum hoſtes interfeciſſet, Ioui hominem ſacrificabat apud Ithomen, quod ſacrificatum eſt à duobus, Ariſtomene Gortynenſi, & Theoclo Elæo, ſicut Soſicrates ſcribit. Sed poſtquàm hoc Athenienſibus diſplicuit, cœperunt efferre porcum caſtratum, quem nefrendem vocabant, quaſi ſine νέφρους, id eſt, renibus. At apud Romanos Varro ſcribit Sicinium Dentatum centies, & vicies pugnaſſe ſingulari certamine, cicatrices habuiſſe aduerſas quadraginta quinque, poſt tergum nullam, coronas accepiſſe centum viginti ſex, armillas CXL. & iſtũ primũ ſacrum feciſſe Marti.

6 ¶ *Ambegnæ oues*. Bæb. Macer, qui faſtos dies ſcripſit, ait Iunoni eas, quæ geminas parerent oues, ſacrificare cum duobus agnis altrinſecus alligatis, quas oues ambegnas vocari, quaſi ex vtraque parte agnos habentes.

7 ¶ *Suggrundaria*, antiqui dicebant ſepulcra infantium, qui necdum XL. dies impleſſent. quæ nec iã buſta dici poterant: quia oſſa quæ comburerentur, non erant, nec tanta cadaueris immanitas, qua locus tumeſceret. vnde Rutil. Geminus Aſtyan. ait: Melius ſuggrundarium quæreres, quàm ſepulcrum.

8 ¶ *Silicernios*, dici voluerunt ſenes incuruos, quaſi iam ſepulcrorum ſuorum ſilices adſpicientes. Vnde Cincius Alimetus Hiſt. de Gorgia Leont. ſcribit dicens: Qui dum iam ſilicernius ſui finem temporis exſpectaret, etſi mori non potuit, tamen infirmitatibus inſudauit.

9 ¶ *Aruales fratres*. Acca Larẽtia Romuli nutrix conſueuerat pro agris ſemel in anno ſacrificare, 12. filiis ſuis ſacrificium præcedentibus: vnde cùm ex iis vnus eſſet mortuus, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti ſe ſuccedere pollicetur: vnde & ritus proceſſit, cùm xij. iam deinceps ſacrificare, eóſque Aruales dici fratres, ſicut Rutil. Gemin. in libris Pontificalibus memorat.

10 ¶ *Iniuges boues*. Manil. Chrestus lib. quē de Deorum hymnis scripsit, ait Mineruæ iniuges boues sacrificari, id est, iugum nunquā ferentes, illa videlicet de caussa, quòd & virginitas iugum nesciat maritale, & virtus nunquam sit iugo prementi subiecta.

11 ¶ *Semones*, dici voluerunt deos, quos nec cælo dignos adscriberent ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiæ veneratione, sicut Varr. in Mystagog. ait: Semonéque inferius derelicto, Deum de pinnato attollam orationis eloquio.

12 ¶ *Blaterare*, quasi verba trepidātia metu balbutire dixerunt. Pacu. Pseudoné comœdia inducit Scepårnionem seruum ancillæ dicentem: Ni ego te blaterantem adspicerem, his nuncium indicassem.

13 ¶ *Lucitiosos*, dici voluerunt interdiu parum videntes, quos Græci μύωπας vocant. Plautus. Milit. Mirum est lolio victitare te tam vili tritico, Quid iam? quia luscitiosus. Dicunt enim, quòd lolium comedentibus oculi obscurentur.

14 ¶ *Tutuli*. Varro in Pōtificalibus ait Tutulos sacerdotes dici breuiū deorum. Numa verò Pompilius & ipse de Pontificalibus scribens, Tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tectabant, cùm ad sacrificium accessissent sicut & Virgilius ait: Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

15 ¶ *Oriam*, dicunt nauiculam modicam piscatoriam. Plautus Cacisto: Malo hunc alligari ad oriam, vt semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

16 ¶ *Problema*, est propositio in capite libri quæstionaliter posita. Demosthenes ad Philippum, (Sed ne quid Græcum te turbet exemplum, ego pro eo Latinum tibi faciam, ait enim) Problematis autem gradum tradamus adstanti, cui nostra subsequens occurset oratio. Nam & Tertullianus libro quem de Fato scripsit ita ait: Redde huic fati primum problematis mancipatum.

17 ¶ *Pumilus*. Apul. Asino aureo introducit sorores Psyches marito detrahentis, dicéntque: Patre meo seniorem maritum sortita sum, dein quouis puero pumiliorem, & cucurbita glabriorem. Pumulos dicunt molles atque eneruès: glabrum verò leuem, & imberbem.

18 ¶ *Sutela*. Sutelam dici voluerunt astutiam, quasi subtilem telam. Vnde & Plautus Casina: Possisne, nécne, clam me sutelis tuis. Præripere Casinam vxorem, proinde vt postulas?

19 ¶ *Friguttire*, dicitur subtiliter adgarrire. Plaut. Casina: Quidnam friguttis? Ennius Alcestide: Hæc anus admodum friguttit, nimium se sauciauit flore Liberi.

20 ¶ *Titiuilitium*, dici voluerunt fila putrida, quæ de telis cadunt. Plautus Casina: Non ego istud verbum emisissem titiuillitio. id est, re admodum vili. Nam & Cornutus in Satyra ait: Titiuillitij sat cedo tibi.

21 ¶ *Sculponeas* dici volunt cœstas plumbo ligatos. Vnde Neuius Philemporo comœdia ait: Sculponeis batuenda sunt huic latera probè. Et Plaut. Casina: simili modo: Qui quæso potiùs, quàm sculponeas. Quibus batuatur tibi os, senex nequissime.

22 ¶ *Catillare*, est per alienas domos gyrare: tractum à catulis, quòd per omnes domos circumeant. Vnde Propertius: Catillata geris vadimonia publicum prostibulum. Et Plautus similiter Casina: Operam vxoris polliceor foras, Quasi catillatum.

23 ¶ *Capularem*, nominari volunt senem iam morti contiguum: quin & reos capulares dicebant, qui capulo digni fuerunt, vnde & Lucilius ait: Pergit capulare cadauer. Statius Cæcilius Melæne comœdia: Túne amare audes edentule & capularis senex: Edentulum autem quasi sine dentibus dici placuit.

24 ¶ *Promos*, & *Condos*, appellari voluerunt cellarios, eò quòd inde promant, & eò rursus condant. Plautus Pseudolo: Ego sum promus, condus, procurator peni. Penum autem cellariam dicimus.

25 ¶ *Suppetias*, dicimus auxilium. Memor in Tragœdia Herculis: Ferre suppetias optimi comites.

26 ¶ *Auctio*, dicitur venditio, quasi quod & ementem augeat & vendentem. Plautus Curculione: Auctionem facio parasiticam.

27 ¶ *Nasiterna*, est aquæ vrna, id est, vrceus. vnde Calpurnius Phronesi fabula: Vbi tu nasiternatus aquam petas. Plaut. Bacchid. Effer nasiternam cum aqua foras.

28 ¶ *Antistare*, dicimus præcellere. Crispinus Heraclea: Diuinis virtutibus Antistas Alcides.

29 ¶ *Stega*, est nauis proscenium, siue tabulatum, super quod nautæ ambulant. Plautus Chrysalo: Fortè vt assedi in stega.

30 ¶ *Lembus*, genus nauiculæ, velocissimæ quod & dromonis nomine appellamus. Virgilius Georgic. Non aliter quàm qui aduerso vix flumine Lembum Remigiis subigit. Limbus verò est ora vestimenti cuiusque.

31 ¶ *Ramentum*, dici voluere quasi proiectitium quoddam purgamentum. Quintus Fabius Lucullus Epico carm. Vilissimum ramentum, proluuiosa pestis.

32 ¶ *Diobolares*, dicuntur vilissimæ meretrices, quæ paruo stipendio prostant. Pammachius. Diobolare prostibulum, quam ego a-

ctutum vt Dircen partitam reddam. Pacuu. Non ego sic fui, vt nunc sunt meretrices diobolæ, Quæ suam nummi caussa paruipendunt gratiam.

33 ¶ *Veruina*, iaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. Galbius Bassus Satyra, Veruina confodiende non te nauci facio. Nauci enim pro nihilo posuerunt. Plaut. Bacchid. Si tibi machæra est, & nobis varuina est domi, Qua quidem te faciam, si me irritaueris. Confessiorem Soricina nænia.

34 ¶ *Diuidias*, dixerunt tristitiam. Propert. Diuidias mentis conficit omnis amor.

35 ¶ *Iustitium*, dicitur luctus publicus. Vnde Fonteius Orat. pro Nucerinis ait: Denique iustitium plebi indicitur.

36 ¶ *Choragium*, virginale funus vocatur. Apuleius Metamorph. Choragio itaque perfecto domuitionem parant.

37 ¶ *Desiduo*, pro diuturnè. Varr. Corollario: Diuidiæ mihi fuerunt, tam desiduò abfuisse te.

38 ¶ *Floci*, quasi nihili. Plautus Flocci est, quid rerum geras.

39 ¶ *Ientaculum*, cibi degustatio. Callim. Atrius Ientaculum proferto Ioui.

40 ¶ *Edulium*, ab edendo, dicitur prægustatiua comestio. Apuleius Asino aureo: Eduliis opiparè excepta, opiparè, id est, lucidè, & delitiosè.

41 ¶ *Tuceta*, dicuntur escæ regiæ. Callim. Pisæis: Ambrosio redolent tuceta sapore.

42 ¶ *Ferculum*, missus carnium. Petron. Arbiter: Postquam ferculum allatum.

43 ¶ *Myropolæ*, sunt qui vnguenta vendunt, & sunt pigmentarij. Vnde Næuius Diabolaria: Myropola affatim mihi vnguentum largitus est, quo me venustarem. Affatim dixit abundanter.

44 ¶ *Celocem*, dicunt genus nauiculæ modicum quod bamplum dicimus. Apul. lib. de republic. Qui celocem regere nequit, onerariam petit.

45 ¶ *Cœlibatum*, dici voluerunt virginitatis abstinentiam. Vnde Felix Capella libr. de nuptiis Mercurij & Philologiæ: Placuit Mineruæ petere cœlibatum.

46 ¶ *Exercitus*, pro contempto. Plaut. Milit. glor. Itaque nos, nostrámque familiam habes exercitam.

47 ¶ *Valgiæ*, sunt labellorum obtortiones in supinatione, vel subatione peractæ. Plaut. Milite glorioso: Maiorem partem videas valgis suauiis. Sic Petron. Arbiter: Abroso valgiter labello.

48 ¶ *Summates*, dicuntur viri potentes.

49 ¶ *Simplones* dicuntur conuiuæ: nam & amicus sponsi, qui cum eo per conuiuia ambulat, Simplator dicitur. Sutrius Piscatoria: Summates viri simplones facti sunt ganei. est autem ganeum taberna.

50 ¶ *Præsegmina*, sunt partes corporis incisæ, vt Tages in Haruspicina ait: Præsegminibus amputatis.

51 ¶ *Congerrones*, qui aliena ad se congregant. Vnde apud Romanos Gerones Brutiani dicti sunt.

52 ¶ *Cistella*, dicitur capsella. Plautus: Cistellam effer cum crepundiis, id est, cum puerilibus ornamentis.

53 ¶ *Fabre*, perfectè dicitur. Antidamus in Moralibus: Fabrè compactum animal hominem quis ferat, sic ex re pecuatum? quis auertuncassit tam Aretinas hominum mentes? Porrò auerruncare dixit pro eradicare, Aretinas verò testeas, vel argillaceas: & Pecuatum stultum.

54 ¶ *Hallucinari*, dicitur vana somniare, tractum ab allucitis, quos nos κώνωπας dicimus, sicut Petronius Arbiter asserit: Nam centum verales me allucitæ molestabant.

55 ¶ *Culleus*, dicitur saccus in quo rei conclusi in mare mittuntur. Plaut. Vidularia, Iube nunc insui Culleo, atque in altum deportari, si vis annonam bonam.

56 ¶ *Elogium*, est hæreditas in malo. Cornelius Tacitus libro facetiarum: Cæsi itaque morum elogio in filiis relicto.

57 ¶ *Lixa*, mercenarius. Lucanus: Stat, dum lixa bibat.

58 ¶ *Sudum*, dicitur serenum. Tiberianus: Aureos subducit ignes, sudus ora lucifer.

59 ¶ *Luteum*, dicitur splendidum. Pacuu. Thyeste: Non illic luteis aurora bigis.

60 ¶ *Abstemius*, obseruans. Rubrius in Satyra: Abstemium merulenta fugit Metenia nomen.

61 ¶ *Vadatus*, obstrictus, vel sub fide, aut fideiussione ambulans, sicut Funestella ait: Apud quem vadatus amicitiæ nodulo tenebatur.

62 ¶ *Manubiæ*, sunt ornamenta regum. Petronius Arbiter: Tot regum manubiæ penes fugitiuum repertæ.

63 ¶ *Aumarium*, dicitur locus secretus publicus, sicut in theatris, aut circo. Petronius Arbiter: In aumarium memetipsum conieci.

64 ¶ *Delenificus*, blandiloquus. Lucil. Comicus Nummularia: Nescio quorsum mihi eueniunt tua verba, tam delenifica.

F I N I S.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBRI VIginti, ex antiquitate eruti.

SVMMA CAPITVM QVAE SINGVLIS ISIDORI libris continentur.

CAPITA LIBRI PRIMI.

Capita libri secundi.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER I.

DE DISCIPLINA ET ARTE.

CAPVT PRIMVM.

DISCIPLINA à discendo nomen accepit: vnde & scientia dici potest. Nam *scire* dictum est à discere: quia nemo nostrum scit, nisi qui discit. Aliter *disciplina*, quia discitur plena.

¶ *Ars* verò dicta est, quòd artis præceptis regulísque consistat. Alij dicunt à Græcis hoc tractum esse vocabulum ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id est, à virtute, quam scientiam vocauerunt. ¶ Inter artem & disciplinam Plato & Aristoteles hanc differentiam esse voluerunt, dicentes, *Artem* esse in iis quæ se & aliter habere pos-

sunt: *disciplina* verò est quæ de iis agit, quæ aliter euenire non possunt. Nam quando veris disputationibus aliquid disseritur, *disciplina erit*: quando aliquid verisimile atque opinabile tractatur, nomen *artis* habebit.

De septem liberalibus disciplinis.

CAP. II.

Disciplinæ liberalium artium septē sunt. Prima *Grammatica*, id est, loquendi peritia. Secunda *Rhetorica*, quæ propter nitorem & copiam eloquentiæ suæ, maximè in ciuilibus quęstionibus necessaria existimatur. Tertia *Dialectica* cognomento *Logica*, quæ disputationibus subtilissimis vera secernit à falsis. Quarta *Arithmetica*, quæ continet numerorum causas & diuisiones. Quinta *Musica*, quæ in carminibus cantibúsque cōsistit. Sexta *Geometria*, quæ mensuras terræ, dimensionésque complectitur. Septima *Astronomia*, quæ continet legem astrorum.

De literis communibus.

CAP. III.

Primordia Grammaticæ artis, *literæ* communes existunt, quas librarij & calculatores sequuntur, quorū disciplina velut quædam Grammaticæ artis infantia est. Vnde & eam Varro literationem vocat. ¶ Literæ autem sunt indices rerum, signa verborum, quibus tanta vis est, vt nobis dicta absentium sine voce loquantur. Verba enim per oculos non per aures introducuntur. ¶ Vsus literarum repertus est propter memoriam rerum. Nam ne obliuione fugiant, literis alligantur. In tanta enim rerum varietate nec disci audiendo poterant omnia, nec memoria cōtineri. ¶ Literæ autem dictæ quasi legiteræ, quòd iter legentibus præstent, vel quòd in legendo iterentur. ¶ Literæ Latinæ & Grecæ ab Hebræis videntur exortæ. Apud illos enim prius dictum est *aleph*, deinde ex simili enunciatione apud Græcos tractum est *alpha*, idem apud Latinos A. Translator enim ex simili sono alterius linguæ literam condidit, vt nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum ac literarum esse matrem. ¶ Sed Hebræi viginti duobus elementis literarum secundum veteris Testamenti libros vtuntur: Græci verò, xxiiij. Latini inter vtranque linguam progredientes, xxij. elementa habent. ¶ *Hebræorum* literas à lege cepisse per Moysen: *Syrorum* autem & Chaldæorum per Abraham. Vnde cū Hebræis, & numero & sono concordant, solis characteribus discrepant. *Aegyptiorum* literas Ysis regina Inachi filia de Græcia veniens in Ægyptum, reperit, & Ægyptiis tradidit. Apud Ægyptios autem alias habuisse literas sacerdotes dicunt, alias vulgus, sacerdotales ἱερὰς, vulgares πανδήμους. ¶ *Græcarum* literarum vsum primi Phœnices inuenerunt: vnde & Lucanus: Phœnices primi (famæ si creditur) ausi Mansuram rudibus vocem signare figuris. Phœnices dicti à rubro mari, quod profluit in Syriam, qui Sidonem vrbem inibi condiderunt. Hinc est quòd & Phœniceo colore librorum capita describuntur, quia ab ipsis literæ initium habuerunt. Cadmus Agenoris filius Græcas literas à Phœnice in Græciam xvij. primus attulit: Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ. Φ. His Palamedes Troiano bello tres adiecit Η. Χ. Ω. Post quem Simonides miles similiter tres alias adiecit Ξ. Θ. Ψ. Y literam Pithagoras Samius ad exemplum vitæ humanę primus formauit, cuius virgula subterior significat primam ætatem, incertam quippe, & quæ adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit. Biuium autem quod superest, ab adolescētia incipit: cuius dextera pars ardua est, sed ad vitam beatam tendens: sinistra facilior, sed ad labem interitúmque deducens. De qua sic ait Pers. Et tibi quæ Samios deduxit litera ramos, Surgentem dextro monstrauit limite callem. ¶ Quinque autem esse apud Græcos *mysticas* literas, prima y, quæ humanam vitā significat, de qua nunc diximus. Secunda θ, quæ mortem significat. Nam iudices eandem literam theta apponebant ad eorum nomina quos supplicio afficiebant. Et dicitur theta ἀπὸ τοῦ θανάτου, id est, à morte. Vnde & habet per medium telum, id est, mortis signum. De qua quidam sic ait: O multum ante alias infelix litera theta. Tertia T figuram demonstrans dominicæ crucis. Vnde & Hebraicè signum interpretatur. de qua dictum est in Ezechiele angelo: Transi per mediam Ierusalem, & signa thau in fronte virorum gementium & dolentium. Reliquas verò duas summam & vltimam sibi vendicat Christus. Ipse est enim principium & finis, dicens: Ego sum Α & Ω. Concurrentibus enim in se inuicem Α ad Ω vsq; deuoluitur: & rursus Ω ad Α replicatur, vt ostenderet in se Dominus & initij decursum ad finem, & finis decursum ad initium. Omnes autem literæ apud Græcos & verba componunt & numeros faciunt. Nam alpha literale apud eos vocatur in numeris vnum. Vbi autem scribunt beta, vocantur duo. vbi scribunt gamma, vocantur in numeris ipsorū tria. vbi scribunt delta, vocantur quatuor. & sic omnes literæ apud eos numeros habent. Latini autem numeros ad literas non computant, sed sola verba componunt, exceptis I, quæ vnū, & X, litera, quæ & in figura crucem significat, & in numero decem demonstrat.

De literis Latinis. CAP. IV.

Latinas literas Carmentis nympha prima Italis tradidit. Carmentis autem dicta

dicta, quia carminibus futura canebat. Cæterum propriè vocata Nicostrata. Literæ autem, aut sunt communes aut liberales. *Communes* dicendæ, quia multi eis vtuntur in commune, vt in scribere & legere. *Liberales*, quia eas tantùm illi nouerunt, qui liberos conscribunt: rectéque loquendi, dictandíque rationem nouerunt. ¶ Literarum duplex modus est: diuiduntur enim principaliter in duas partes; in vocales & consonantes. *Vocales*, sunt quæ directo hiatu faucium sine vlla collisione variè emittuntur. Et dictæ vocales, quòd per se vocem impleant, & per se syllabā faciant nulla adhærente consonante. *Consonantes* sunt, quæ diuerso motu linguæ vel impressione labiorum efficiuntur. Et dictæ consonantes, quia per se non sonant, sed iunctis vocalibus consonant. Hæ in duabus partibus diuiduntur: in semiuocalibus & in mutis. *Semiuocales* dictæ, eo quòd quiddam semisonum de vocalibus habeant. Ab equippe vocali incipiunt, & desinunt in naturalem sonum. vt f, l, m. *Mutæ* autem dictæ, quia nisi subiectis sibi vocalibus nequaquam erumpunt. Si enim eis extremum vocalis detraxeris sonum, inclusum, literæ murmur sonabit, vt b, c, d. Vocales autem & semiuocales, & mutæ à veteribus *sona* & *semisona* & *insona* dictæ sunt. ¶ Inter vocales autem apud Grammaticos, I, & V, varias habent significationes. nam modò vocales sunt, modò semiuocales, modò mediæ sunt. *Vocales* ideo sunt, quia solæ positæ syllabas faciunt, & aliis consonantibus coniunguntur. *Consonantes* habentur ideo, quia interdum habent post se vocales in eisdem syllabis constitutas: vt Iuno, vates. & habentur pro consonantibus. *Mediæ* autem idcirco dicuntur, quoniam naturaliter solę medium sonum habent: vt illius, vnius. Coniunctæ aliis pinguius sonant, vt Ianus, vanus. Solę autem positæ aliter sonant, aliter iunctæ. ¶ I verò propterea interdum duplex dicitur, quia quotiescunque inter duas vocales inuenitur, pro duabus consonantibus habetur, vt Troia. Geminatur enim ibi sonus eius. V quoque litera proinde interdum est nihil, quia alicubi nec consonans est, vt quis. Vocalis enim non est, quia i sequitur: consonans non est, quia q præcedit. Ideòque quando nec vocalis nec consonans est, sine dubio nihil est. Eadem & digamma à Græcis vocatur, quando sibimet aliísque vocalibus iungitur: quæ ideo digamma dicitur, quia duplex est instar F literæ quæ duplex gamma habet. ad cuius similitudinem coniunctas vocales digamma appellari Grammatici voluerunt, vt votum, virgo. ¶ Inter semiuocales quædam *liquidæ* dicuntur, quia interdum in vna syllaba postpositæ aliis consonantibus deficiunt, & à metro excluduntur. ex quibus duæ apud Latinos liquescunt, L & R, vt fragor, & flatus. reliquæ M & N apud Græcos liquescunt: vt Mnesteus. Decem & septem autem Latinis literis vetus scriptura constabat. Vnde & Latinè nominantur illa ratione, scilicet vel quòd ab E vocali incipiunt, & in mutum sonum desinunt, vt sunt semiuocales, vel quòd à suo sono incipiunt, & in vocalem E desinunt, vt sunt mutæ. ¶ H autem litera pro sola aspiratione adiecta est postea. Vnde & à plerisque aspiratio putatur esse, non litera: quæ proinde aspirationis nota dicitur, quia vocem eleuat. *Aspiratio* enim est sonus vberius eleuatus, cui contraria est *prosodia* sonus æqualiter flexus. ¶ K literam Sallustius ludimagister postea Latinis adiecit, vt in sono discrimen faceret duarum literarum C & Q. quæ ideo superuacua dicitur, quia exceptis Karta, Kalendis superflua iudicatur. per C enim vniuersa exprimimus. ¶ Q literam nec Græci resonant, nec Hebræi: exceptis enim Latinis nulla alia lingua hanc habet. Hæc prius non erat. Vnde & ipsa superuacua est vocata, quia per C. cuncta veteres scripserunt. ¶ X litera vsque ad Augusti tempora nondum apud Latinos erat, sed pro ea C & S scribebant. vnde & duplex vocatur, quia pro C & S ponitur, vnde & ex eisdem literis compositum nomen habet.

¶ A Græcis duas literas mutauit Latinitas, Y & Z. propter nomina Græca. & hæ apud Romanos vsque ad Augusti tempus non scribebantur, sed pro Z. ss, ponebant, vt hilarissat, pro y verò i scribebant. ¶ Vnicuique autem literę tria accidunt *nomen*, quomodo vocetur, *figura*, quo charactere signetur. *potestas*; quæ vocalis quæ consonans habeatur. A quibusdam & *ordo* adiicitur, quæ præcedat, quæ sequatur: vt a prior sit, sequens b. A autem in omnibus gentibus ideo prior est litera, pro eo quòd ipsa prior nascentibus vocem aperiat. ¶ *Nomina* autem literarum gentes ex sono propriè linguę dederunt notatis oris sonis atque discretis. Nam postquam eas animaduerterunt, & nomina illis & figuras imposuerunt: *figuras* autem partim ex placito, partim ex sono literarum formauerunt: vtputa i & o, quarum vnius sicut exilis sonus est, ita tenuis virgula: alterius pinguis sonus, sicut & plena figura. *Potestatem* autem natura voluntas, *ordinem* dedit. ¶ Inter figuras literarum & *apices*, veteres dixerunt, apicem dictum pro eo quòd longè sit à pedibus, sed in cacumine literarum opponitur. Est enim linea iacens super literam ęqualiter ducta.

De Grammatica. CAP. V.

GRammatica est scientia rectè loquendi, & origo & fundamentum liberalium artium. Hęc autem in disciplinis post lite-

ras communes inuenta est, vt iam qui didicerant litteras, per eam rectè loquendi rationem sciant. Grammatica autem à literis nomen accepit. γράμματα enim Græci literas vocant. *Ars* verò dicta est quòd artis præceptis regulísque consistat. Alij dicunt à Græcis hoc tractum esse vocabulum ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id est à virtute, quam scientiam vocauerunt. *Oratio* dicta est quasi oris ratio. nam *orare* est loqui & dicere. Est autem *oratio* contextus verborum cum sensu. Contextus autem sine sensu non est oratio, quia non est oris ratio. Oratio autem plena est *sensu, voce*, & litera. *Diuisiones* autem *Grammaticæ artis* à quibusdam triginta dinumerantur, & partes orationis octo: vox articulata, litera, syllaba, pedes, accentus, positure, notæ, orthographia, analogia, etymologia, glossæ, differentiæ, barbarismi, solœcismi, vitia, metaplasmi, schemata, tropi, prosæ, metra, fabulæ, historiæ.

De partibus orationis, & de Nomine.

CAP. VI.

PArtes orationis primus Aristoteles duas tradidit, *nomen* & *verbum*: deinde Donatus octo definiuit. sed omnes ad illa duo principalia referuntur, hoc est, ad nomen & verbum, quæ significant personam & actum. Reliquæ appendices sunt, & ex his originem trahunt. Nam *pronomen* ex nomine nascitur, cuius officio fungitur: vt Orator ille. *Aduerbium* de nomine nascitur: vt doctus, doctè. *Participium* de nomine & verbo: vt lego, legens. *Coniunctio* verò & *præpositio*, vel *interiectio* in complexum istarum cadunt. Ideò & nonnulli quinque partes definiunt: quia istæ superfluæ sunt. ¶ *Nomen* dictum quasi notamen, quòd nobis vocabulo suo notas efficiat. Nisi enim nomen scieris, cognitio rerum perit. ¶ *Propria nomina* dicta sunt, quia specialia sunt. Vnius enim tamē personam significant. *Species propiorum nominum* quatuor sunt: prænomen, nomen, cognomen, agnomen. *Prænomen* dictum, eo quòd nomini præponatur. Vt Lucius. Quintus. *Nomen* vocatum quia notat genus, vt Cornelius. Cornelij enim omnes in eo genere vocantur. *Cognomen*, quia nomini coniungitur, vt Scipio. *Agnomen* verò quasi accedens nomen, vt Metellus Creticus, quia Cretam subegit. Extrinsecus enim venit agnomen ab aliqua ratione. *Cognomentum* autem vulgò, eo quòd nomini cognitionis causa super additur, siue quòd cum nomine est. ¶ *Appellatiua nomina* inde vocantur, quia communia sunt, & multorum significatione consistunt. Hæc *in viginti octo species* diuidūtur. ex quibus *Corporalia* dicta, quia vel videntur vel tanguntur, vt, cœlum, terra. *Incorporalia*, quia carent corpore vnde nec videri, neque tangi possunt, vt veritas, iustitia, &c. *Generalia*, quia multarū generum sunt, vt animal. Nam & homo, & equus & auis animalia sunt. *Specialia*, quia partem demonstrant, vt homo. Species enim animalium homo. *Principalia*, quia primam positionem habent, nec aliunde nascuntur, vt mons, fons. *Deriuatiua*, eò quòd ex alio nomine deducuntur: vt à monte, montanus. *Diminutiua*, quia minuuntur sensu: vt græculus, scholasticulus. *Sono diminutiua*, quia sonant sicut diminutiua, sed intellectu principalia sunt, vt fabula, tabula: *Tota græca*, quia ex toto, Græcè declinantur: vt Calisto. Sic enim Græcus & Latinus dicit. *Tota latina*, quia ex toto in latinum vertuntur. Græcus dicit Odysseus: Latinus Vlysses. *Media* dicta, quia ex parte græca sunt, & ex parte latina. Eadem & *notha*, quia corrumpunt vltimas syllabas manentibus prioribus, vt apud Græcos, Alexandros, Menandros: apud Latinos verò Alexander, Menander. Dicta autem notha, quemadmodum nothus dicitur quisquis de dispari genere nascitur. *Synonyma*, hoc est plurinomina: eo quòd sit in pluribus nominibus significatio vna: vt terra, humus, tellus. Idem enim sunt nomina. *Homonyna*, hoc est vninomina, eo quòd sit in vno nomine significatio plurima: vt tumulus, nunc mons breuis est, nunc tumēs tellus, nunc sepulchrum. Est enim in vno nomine significatio diuersa. *Relatiua* dicta, eo quòd ad aliam referantur personam: vt magister, pater, Dominus. Illa autem quæ dicuntur *ad aliquid* aliter se habentia, à contraria significatione dicta sunt, vt dexter. Dici enim dexter non poterit, nisi sinister fuerit. Porrò *qualitatis* nomina ex eo dicta, quia per ea qualis quisque sit ostēditur: vt sapiens, formosus, diues. *Quantitatis*, quia à mensura trahuntur: vt longus, breuis. *Patronymica* dicuntur, eo quòd trahuntur à patribus: vt Tides, Tidei filius: Æneades Æneæ filius, quāuis & à maioribus & à matribus ducantur. *Thetica*, vel *possessiua*, à possessione dicuntur, vt Euandrius ensis. *Epitheta*, quæ latinè adiectiua vel supposita appellantur, eo quòd ad implendam sui significationem nominibus adiiciantur: vt magnus, doctus. Adiice ea personis, vt magnus philosophus, doctus homo, & plenus est sensus. *Actualia* ab actu descendunt: vt rex, dux, cursor, nutrix, orator. *Gentis* à gente veniunt, vt Græcus, Romanus. *Patria* à patria descendunt: vt Atheniensis, Thebanus. *Loci*, à loco: vt suburbanus. *Verbalia* dicuntur, quia de verbo nascuntur, vt lector. *Participalia*, quæ sic sonant sicut participia: vt clemens, prudens. *Verbis similia*: à verbi similitudine dicta, vt contemplator. Nam & verbum est imperatiui modi futuri temporis, & nomen, quia comparationem recipit.

Hæ autem omnes species à nominum appellatione descendunt. ¶ Secunda pars nominis *Comparatio*. Comparatio dicta, quia ex alterius comparatione alterum præfert. Cuius *gradus* tres sunt: positiuus, comparatiuus, & superlatiuus. *Positiuus* dictus, quia primus ponitur in comparationis gradu, vt doctus. *Comparatiuus*, ab eo quòd comparatus positiuo præfertur illi vt doctior. Plus enim doctior nouit, quàm doctus. *Superlatiuus* eo quòd comparatiuo superferatur, vt doctissimus. plus enim scit quàm doctior. ¶ *Genera* dicta sunt eo quòd generent: vt *masculinum, fœmininũ*. Cætera nomina non sunt genera, sed hoc nominum ratio & autoritas voluit. *Neutrum* dictum, quia nec hoc est, nec illud. id est, nec masculinum nec fœmininum. *Commune* dictum, quòd duobus generibus nomen vnum communicat: vt hic & hæc canis. Cui contrarium est *Epicœnum*. quia vtrumque sexum sub vno genere enunciat, vt hic passer. Est enim incerti sexus, quod nec natura nec oculis discernitur, sed sensus tamen peritia. *Omne* genus dictum, quia cunctis generibus seruit: masculino, & fœminino, neutro & communi. ¶ *Numerus* dictus, quia per eum vel singularia vel pluralia nomina ostenduntur. ¶ *Figura*, quia vel simplicia vel composita sunt. ¶ *Casus* à cadendo dicti. per eos enim inflexa nomina variantur & cadunt. *Nominatiuus* casus dictus: quia per eundem aliquid nominamus, vt hic magister. *Genitiuus*, quia per eum genus cuiuscunque quærimus: vt huius magistri filius. vel quod rem significamus: vt huius magistri. *Datiuus*, quia per eum alicui aliquid nos dare demonstramus, vt da huic magistro. *Accusatiuus*, quia per eum aliquem accusamus: vt, accuso hunc magistrum. *Vocatiuus*, quia per eum aliquem vocamus, vt ô magister. *Ablatiuus*, quia per eum nos auferre aliquid cuiquam significamus, vt auferam à magistro. ¶ *Hexaptota* nomina dicta, quia per sex casus varietates habent, vt est vnus. *Pentaptota*, quòd tantum in quinque casibus variantur. vt doctus. *Tetraptota*, quòd tantum in quatuor casibus declinantur, vt latus. *Triptota*, quòd tantùm in tribus, vt templum. *Diptota*, quòd tantum in duobus, vt Iupiter. *Monoptota*, quòd vno tantùm casu vtuntur, vt frugi.

De pronomine. CAP. VII.

PRonomen dictum, quia pro vice nominis ponitur, ne fastidium faciat nomen ipsum dum iteratur. Nam cùm dicimus, Virgilius scripsit Bucolica: addimus pronomen, ipse scripsit & Georgica. sic varietates significationis, & fastidium tollit, & ornatum inducit. ¶ Pronomina autem finita sunt, aut infinita: *Finita pronomina* dicta, eo quòd definiunt certam personam: vt ego. me enim statim intelligis. *Infinita* dicuntur, quia non sunt certæ personæ. De absentibus enim dicitur & incertis: vt quis, quæ, quod. *Minus quàm finita* appellantur, quia commemorationem faciunt notæ personæ, vt ipse, iste. Certum est enim de quo dicitur. *Possessiua* vocantur, eo quòd nos aliquid possidere ostendunt. Nam cùm dico meus, tuus, diffinio aliquid meum esse vel tuum. *Relatiua* dicuntur, quia ad interrogationem referuntur, vt quis est? respondetur, is est. *Demonstratiua*, eo quòd habent demonstrationis significationem. Aliquem enim præsentem his demonstramus: vt hic, hæc, hoc: quæ tria & articuli nominantur. ¶ Articuli autem dicti, quòd nominibus coarctantur. i. colligantur, cùm dicimus: hic orator. Inter articulum autem & pronomen hoc interest, quod *articulus* tunc est, quando nomini iungitur: vt hic sapiens. Cùm verò non coniungitur, demonstratiuum *pronomen* est: vt hic & hæc & hoc. ¶ Omnia autem pronomina aut primigenia aut deductiua sunt. *Primigenia* dicta sunt, quia aliunde originem non trahunt. Hæc viginti vnum sunt. *Finita* tria: ego, tu, ille. *Infinita* vij. quis, qualis, talis, quantus, tantus, quotus, totus. *Minus quàm finita* sex: Iste, ipse, hic, is, idem, sui. *Possessiua* quinque: Meus, tuus, suus, noster, & vester. Reliqua autem *deductiua* dicuntur, quia ex illis deducta atque composita existunt: vt quispiam, aliquis, &c.

De verbo. CAP. VIII.

VErbum dictum eo quòd verberato aëre sonet: vel quòd hæc pars frequenter in oratione versetur. ¶ Sunt autem verba mentis signa, quibus homines cogitationes suas inuicem loquendo demonstrant. Sicut autem *nomen* significat personam: ita *verbum* dictum factúmque personæ. ¶ In persona verbi, agentis & patientis *significatio* est. Nam scribo, personæ factum est. Item scribor non personæ factum indicat, sed eius à quo patitur. ¶ *Verborum genera duo* sunt: Grammaticorum atque Rhetorum. *Grammaticorum* in tria cadunt tempora: instans, præteritum, & futurum. vt facit, fecit, faciet. *Rhetorum* autem vniuersa oratio. Verba dicuntur, veluti, Verbis bonis nos cepit. verba bona habuit. Vbi non tantùm verba quæ in tria cadunt tempora: sed vniuersa oratio est. ¶ *Verborum species* sunt, formæ, modi, coniugationes, & genera. ¶ *Formæ* verborum inde dictæ, eo quòd nos ad vnamquanque rem

informent. per has enim ostendimus quid agamus. *Perfecta forma* dicitur à perficiendo: vt lego. tunc enim dicendum est quando in præsenti tempore legimus. *Meditatiua* dicta à meditantis sensu, vt lecturio, id est, legere meditor. *Inchoatiua* post meditationem ab inchoantis iudicio: vt calesco. *Frequentatiua* à sæpius agendo, vt lectito. Formæ enim sensum tenent: modi declinationem. Nam nescis quid sit declinatio, nisi prius didiceris quid sit sensus. ¶ *Modo* dicti ab eo: quemadmodum sint in suis significationibus. *Indicatiuus* modus dicitur: quia significationem indicandi habet, vt lego. *Imperatiuus*, quia sonum habet imperandi, vt lege. *Optatiuus*, quia per ipsum optamus aliquid agere, vt vtinam legerem. *Coniunctiuus*, quia ei coniungitur aliquid, vt locutio plena sit. Nam quando dicis, cùm clamem, pendet sensus: quòd si dicam, cùm clamem, quare putas quòd taceam? plenus est sensus. *Infinitiuus* dicitur, eo quòd tempora definiens personam verbi non definit: vt clamare, clamasse. Cui si adiungas personam: clamare debeo, debes, debet, fit *quasi finitum*. *Impersonalis* dicitur, quia indiget persona nominis vel pronominis: vt, legitur, addis personam à me, à te, ab illo, & plenè sentitur. Sed *infinitiuus* modus persona tantùm verbi eget: *Impersonalis* verò vel pronominis persona, vel nominis. ¶ *Coniugatio* dicitur eo quòd per eam ad vnum sonum multa coniunguntur. Docet enim in quam syllabam exeat futurum tempus, nec per imperitiam quis dicat legebo, pro legam. Harum prima & secunda mittunt futurum tempus in bo, & in bor: tertia in am, & in ar. ¶ Genera verborum ideo dicta, quia gignunt. Nam actiuo adiicis r, & gignit passiuum. rursum passiuo adimis r & parit actiuum. Ipsa autem *actiua* dicuntur, quia agunt: vt verbero. *Et passiua*: quia patiuntur, vt verberor. *Neutralia*, quia nec agunt nec patiuntur, vt iaceo, sedeo. His si r literam adiicis, non sonant Latinè. *Communia* autem dicuntur, quia & agunt & patiuntur, vt amplector. Hæc similiter deposita r litera Latina non sunt. *Deponentia* verò dicuntur, quia deponũt futuri temporis participium à significatione passiua, quod exit in dus, vt gloriandus.

De Aduerbio. CAP. IX.

ADuerbium dictum est eo quòd verbis accidat, vt puta, bene legi. Bene aduerbium est, legi verbum. Inde ergo dictum aduerbium quòd semper verbo iunctum adimpletur. Verbum enim solum sensum implet, vt scribo. Aduerbium autem sine verbo non habet significationem plenam vt hodie. Adiicis illi verbum, hodie scribo. & iuncto verbo implesti sensum.

De participio. CAP. X.

PArticipium dictum quòd nominis & verbi capiat partes, quasi participium. A nomine enim vendicat sibi genera & casus: à verbo tempora & significationes: ab vtroque numerum & figuram.

De coniunctione. CAP. XI.

COniunctio dicta quòd sensus sententiásque coniungat. Hæc enim per se nihil valet: sed in copulatione sermonum quasi quoddam exhibet glutinum. Aut enim nomina sociat, vt Augustinus & Hieronymus: aut verba, vt scribit & legit. ¶ Vna autem vis omnium: siue copulent, siue disiungant. *Copulatiuæ* autem coniunctiones dictæ, eo quòd sensum vel personas coniungant: vt ego & tu eamus ad forum ipsum, & sensum coniunxit. *Disiunctiuæ* dictæ, quia disiungunt res aut personas: vt ego aut tu faciamus, *Subiunctiuæ* dicuntur, quia subiunguntur: vt que. dicimus enim regíque hominíque Deóque: non dicimus, que regíque hominíque Deo. *Expletiuæ* dictæ, quia explent propositam rem, vt puta: si hoc non vis, saltem illud fac. *Communes* nominantur: quia vbi vis præponuntur & subiunguntur: vt igitur hoc faciam, hoc igitur faciam. *Causales* dicuntur à causa: eo quòd aliquid cogitent facere, vt puta, Occido illum, quia habet aurum: causa est. *Rationales* dicuntur à ratione, qua quisque vtitur in faciendo: vt quomodo eam occidam ne agnoscar, veneno an ferro?

De præpositionibus. CAP. XII.

PRæpositio dicta, quòd nominibus præponatur & verbis. *Accusatiuæ* autem & *ablatiuæ* præpositiones à casibus quibus seruiunt dictæ. *Loquelares* verò, quia loquelis, id est, verbis semper cohærent, nec aliquid valent solæ positæ: vt di, dis. *Coniunctæ* verò verbis figuram faciunt, vt diduco, distraho.

De Interiectione. CAP. XIII.

INteriectio est vocata, quia sermonibus interiecta, id est, interposita, affectum commoti animi exprimit: sicut cùm dicitur *ab exaltante* eia. *à dolente* eheu. *ab irascẽte* hem. *à timente*

à timente hei. Quę voces quaruncumque linguarum propriæ sunt, nec in aliam linguam facilè transferuntur.

De voce. Cap. XIV.

VOx est aer ictu sensibilis auditu quantũ in ipso est. ¶Omnis vox aut est articulata aut confusa. *Articulata* est hominum: *confusa* animalium. *Articulata* est quæ scribi potest: *confusa* quæ scribi non potest.

De syllaba. Cap. XV.

SYllaba Græcè, Latinè conceptio dicitur, siue complectio. Nam syllaba dicta est ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν γράμματα, id est à cõceptione literarum. συλλαμβάνειν enim dicitur concipere. Vnde verè illa est syllaba quæ ex pluribus nascitur literis. Nam vnam vocalem pro syllaba abusiuè, non propriè dicimus. quæ non tam syllaba dicenda est, quàm ratio temporum. ¶Syllabæ autem aut breues, aut longæ, aut communes sunt. *Breues* vocatæ, quia nunquam produci possunt. *Longæ*, quia semper producuntur: & nunquam corripi possunt. *Communes* autem quia pro scribentis arbitrio cùm necessitas cogit & producuntur, & corripiuntur. Lege Donatum. Ideo autem syllabæ longæ breuésque dicuntur, quia varias vocum moras aut dupla aut simplicia spatia temporis habere videntur. ¶*Diphthongæ* syllabæ Græco nomine dictæ, quòd in eis binæ vocales iungantur. Ex his apud nos *veras* esse scimus quatuor, ae, oe, au, eu. Ei vero *apud maiores* tantummodo celebrata fuit. ¶Syllaba autem apud metricos ideo *semipes* nominatur, quòd sit dimidius pes. Nam pes duabus constat syllabis. Cùm ergo syllaba vna est, quasi dimidius pes est. ¶Dionysius Lintius syllabarum omnium singulas formas aptissimas fecit, & ob id statua honoratus est.

De Pedibus. Cap. XVI.

PEdes sunt qui certis syllabarum temporibus consistunt, nec a legitimo spatio vnquam recedunt. ¶*Pedes* dicti eo quòd per ipsos metra ambulẽt. Nã sicut nos pedib. incedimus, ita metra quasi pedibus gradiuntur. ¶Pedes autẽ omnes cxxiiij. sũt. dissyllabi iiij. trisyllabi viij. tetrasyllabi xvj. pentasyllabi xxxij. hexasyllabi lxiiij. Vsq; ad iiij. autẽ syllabas pedes dicũtur. reliquę συζυγίαι vocantur. ¶Ipsi aũt pedes habẽt speciales causas nominum quare ita vocãtur. *Pyrrichius* dictus est, quia hic assiduè vel in certamine vel in ludo puerili sæpius frequẽtabatur. siue ab igne appellat, qui Græcè πῦρ dicitur, qui veluti ignis celeriter labitur. *Spondæus* dicitur, quia tractim sonat. Nã spõdæus tractus quidã dicitur id est, sonus, qui fundebatur circa aures sacrificantium. Vnde hi & qui tibiis canebant, in sacris gentiliũ *spondiales* nominabãtur. *Trochæus* verò ab eo dictus est, quòd celerẽ conuersionem faciat cantilenæ, & quasi rota velociter currat in metris. τροχὸς enim Græcè rota dicitur. *Iambus* dictus est, quod ἰαμβίζειν Græci detrahere dixerunt. Huiusmodi enim carmine omnes inuectiones vel detractiones implere poetæ sunt soliti. Dictum autem nomen ab eo quod velut venenum quodam modo maledicti aut liuoris infundat. *Tribrachus* qui & *Chorius* appellatur, dictus, quia fit ex tribus breuibus. *Molossus* dictus à saltatione molossorum, quam exercuerunt armati. *Anapæstus* Græcè dicitur repercussus. Græci enim ἀνάπαιστον repercussionem dicunt. Quia ideo dicitur repercussus, eo quòd repercutiatur à dactylo. Est enim illi contrarius. *Dactylus* à digito dictus, quòd à longiore nodo inchoans in duas desinat breues. Sic & iste pes iuncturam vnam habet longam, & duas breues. Vnde & manus oppansa palma dicitur, & pendentes digiti dactyli. *Amphibrachus*, quod in vtraque parte breuẽ habeat in medio longa interiacente. βραχὺς enim breuis dicitur. *Amphimacrus* dicitur, quòd duæ hinc inde longæ habeant in medio inclusam breuem. μακρὸς enim Græcè longus dicitur *Bacchius*. appellatus est, eò quòd isto pede Bacchia, id est, Liberi sacra celebrabantur. *Antibacchius*, vel *Palimbachius* dictus, quia tractus à Bacchio est. *Proceleumaticus* eo quòd fit ad celeuma canendum aptus. *Dispondæus* autem & *ditrochæus*, & *diiambus* dictus, quòd geminis constent iambis, spondæis vel trochæis. *Antispastus*, quòd fit ex contrariis syllabis, ex breui & longa, ex longa & breui. *Choriambus* verò, quia ex hoc pede compositum carmen choris aptissimum sit. *Ionici* sanè propter numerorum inæqualem sonum dicti. habent enim binas longas syllabas, binásque breues. *Pæones* autem à Pæone poeta suo inuentore vocati sunt. Constant ipsi ex vna longa & tribus breuibus: quę longa iuxta nomina eorum variatim est constituta. *Epitriti* quatuor ex diuisione sua nomina acceperunt, & ideo Epitriti vocati, quòd semper tres longas habeant syllabas & vnam breuem. ¶ Syzygiæ autem sunt pentasyllabi & hexasyllabi pedes dicti apud Græcos συζυγίαι, quasi quędam declinationes, sed hi non sunt pedes, sed appellantur pentasyllabi & hexasyllabi: quia vltra v. & vj. syllabis non procedunt. vnde non oportet in carmine has syllabas quodlibet excedere nomen: vt Carthaginensium Hierosolymitanorum, & Constantinopolitanorum. ¶ Accidunt vnicuique pedi *arsis & thesis*, id

est eleuatio & positio vocis. Neque enim iter dirigere poterunt pedes, nisi alterna vice leuētur & deponantur, vt arma: ar, eleuatio est. ma, positio. In his duobus per diuisionem pedes legitimi colligūtur. *Æqua diuisio* est quoties arsis & thesis æquali temporum diuisione ceduntur. *Dupla* quoties ex his vnum alterum duplo vincit. *Sescupla* verò est quoties vnum alterum sescuplo superat. In simpla enim eius parte vnum plus inuenitur: in dupla vno minus habetur. Sescuplum enim dimidium dicitur. Triplum est quādo maior pars ter continet totum minus, id est tria & vnum. *Epitrita* est quando minus continetur à maiore, & eius tertia pars. Ceduntur enim pedum membra vel per æqualitatem, vel per duplum, vel per sescuplum, vel per triplum, vel per epitritum. Partimur ergo inæquales hos pedes.

Pyrrichium vj vj	*vt fuga. aqua.*
Spondæum	*vt astas. aqua.*
Dactylum	*vt Menalus. aqua.*
Anapæstum	*vt Erato. aqua.*
Dispondæum	*vt oratores. aqua.*
Proceleumaticum	*vt auicula. aqua.*
Diiambum	*vt propinquitas. aqua.*
Ditrochæum	*vt cantilena aqua.*
Antipastum	*vt Salominus. aqua.*
Choriambum	*vt armipotens. aqua.*

Item in dupla partimur hos pedes.

Trochæum,	*vt meta. dupla*
Iambum,	*vt parens. dupla*
Molossum	*vt Æneas. dupla*
Tribrachum	*vt macula. dupla*
Ionicum maiorem	*vt Iunonius. dupla*
Ionicum minorem	*vt Diomedes. dupla*

Vnus verò tantùm est qui tripla partitione diuiditur, qua est maxima, atque ideo minimè metris adest.

Amphibrachus vt carina *tripla.*

Sescupli autem ij sunt.

Amphimacrus	*vt insula. sescupla.*
Bacchius	*vt Achates. sescupla*
Antibacchius	*vt natura. sescupla*
Pæon primus	*vt legitimus. sescupla*
Pæon secundus	*vt colonia. sescupla*
Pæon tertius	*vt Menedemus. sescupla*
Pæon quartus	*vt celeritas. sescupla.*

Restant quos epitrita partitione diuidimus.

Epitritus primus	*vt sacerdotes. epitri.*
Epitritus secundus,	*vt conditores. epitri.*
Epitritus tertius,	*vt Demosthenes. epitri.*
Epitritus quartus,	*vt Fescennius. epitri.*

Sunt igitur æqui x. dupli verò vj. triplus vnus sescupli vij. Epitriti iiij.

NVmerus syllabarum in pedibus à duabus vsque ad sex protenditur. vlterius enim non procedit: quia ad vsque sex syllabas tendūtur pedes. *Tempora* in pedibus sunt, vt quanta vnusquisque pes habeat. *Resolutio* est pedum quando pro vna longa duæ breues ponuntur, aut pro duabus longis quatuor breues ponuntur: vt Virgilius. *Sextáque intexunt abiete costas.* Abiete nunc resolutio est spondæi in proceleumaticum: in qua resolutione semper episynalepha sequitur. Ex vna autem longa duæ breues fiūt: Ex duabus autem breuibus longa nunquam fit. Findi autē solida possunt, solidari scissa non possunt. *Figura* est, cuius nota syllabæ agnoscuntur. Vbi enim circuli partem inferiorem bis positam aspicis, pirrichius est ᴗ ᴗ vbi i geminum iacens spondeus ij-ij.

Nam nota breuis inferior semicirculus ᴗ. nota longa j iacens.-

¶ Metra pedibus accidunt, vt à trochæo trochaicum, à dactilo dactilicum, à iambo iambicum, de quibus paulo pòst dicendum est.

De accentibus. CAP. XVII.

ACcentus, qui Græcè prosodia dicitur. ex Græco nomen accepit. Nam Græcè πρὸς Latinè ad, ᾠδὴ Græce, Latinè cantus est. Hoc enim nomen de verbo ad verbum expressum est. Latini autem habent & alia nomina. Nam accentus, & tonos & tenores dicunt, quia ibi sonus crescit & desinit. *Accentus* autem dictus, quòd iuxta cantum sit; sicut aduerbium quia iuxta verbum est. *Acutus* accentus dictus, quod acuat & erigat syllabam. *Grauis* quod deprimat & deponat. Est enim contrarius acuto *circumflexus*, quia de acuto & graui constat. Incipiens enim ab acuto in grauem desinit: atque ita dum ascendit & descendit circumflexus efficitur. Acutus autem & circumflexus similes sunt. Nam vtraque leuat syllabam. grauis contrarius est ambobus. Nam semper deprimit syllabas cùm illi leuent, vt, Vnde venit Titan, & nox vbi sidera condit. vnde hic grauis est. minus enim sonat quàm acutus & circumflexus. ¶ Monosyllaba autem pars orationis si naturaliter breuis est, vt vir, aut positione longa, vt ars, acutum accentum habebit. Si verò naturaliter longa, vt res, circumflexum. ¶ Disyllaba pars orationis si priorem naturaliter longam habet, & vltimam breuem, circumflectitur, vt Musa, aliter acuitur. ¶ Trisyllaba pars orationis si mediam breuem habet, vt tibia, tunc primam acuimus. Si verò naturaliter longam habet secundam, & vltimam

vltimam breuem, vt Metellus, tunc mediam circumflectimus. ¶ Tetrasyllaba autem & pentasyllaba ratione trisyllabarum retinentur. ¶ Grauis accentus cum vno accentu poni potest in dictione vna: cum vtrisque nunquam, vt Catullus. In composita dictione vnus accentus est, vt armipotens, omnipotens. Accentus autem reperti sunt vel propter distinctionem: vt Viridíque in littore conspicitur sus, ne dicas vrsus, vel propter pronunciationem, ne dicas meta breuiter, & non producta me, vel discerniendæ ambiguitatis causa, vt ergo. Nam cùm producitur go causam significat, cùm corripitur, coniunctionem.

De figuris accentuum.

CAP. XIIX.

Figuræ accentuum decem sunt, quæ à Grammaticis pro verborum distinctionibus apponuntur, Ὀξεῖα, id est, acutus accentus, linea à sinistra parte in dexterā partem sursum ducta: fit ita, Βαρεῖα, id est, grauis linea, à summo sinistræ in dexteram deposita, fit ita, Περισπωμένη, id est, circumflexus, linea de acuto & graui facta exprimitur ita. Μακρὸς autem, id est, longa virgula iacens, est ita —. Βραχὺς, id est breuis, pars est circuli inferior iacēs ita ᵕ. Ὑφὲν, id est coniunctio, quia duo verba coniungit, subiecta virgula versui circumflexa fit ita ‿. *Diastole*, id est, distinctio, quæ è contrario separat, dextera pars circuli supposita versui, fit ita ,. *Apostrophos*, pars item circuli dextra, & ad summam literam apposita, fit ita' qua nota deesse ostenditur in sermone vltimas vocales, vt tribunal' pro tribunale. Δασεῖα, quod interpretatur aspiratio, id est, vbi h litera poni debet, tali figura notatur ⊢. Ψιλὴ, quod interpretatur siccitas siue purum: id est, vbi h litera esse non debet, tali nota ostenditur' Quorum duorum accentuum figuram Latini ex ipsa litera aspirationis fecerunt. Vnde si iungas has, facis eandem aspirationis notam, H. Rursum si medium eius apicem scindis, δασεῖαν & ψιλὴν facis.

De *positura*. CAP. XIX.

Positura est figura ad distinguendos sensus per cola, & commata, & periodos. quæ dum ordine suo apponitur, sensum nobis lectionis ostendit. ¶ Dictę autem posituræ, vel quia punctis positis annotantur: vel quia ibi vox pro interuallo distinctionis deponitur. Has Græci θέσεις vocant, Latini posituras. ¶ *Prima* positura *subdistinctio* dicitur: eadem & κόμμα. *Media* distinctio sequens est. ipsa & κῶλον. *Vltima* distinctio quę totam sententiam claudit ipsa est περίοδος: cuius vt diximus partes sunt κῶλον & κόμματα: quarum diuersitas punctis diuerso loco positis demonstratur. Vbi enim in initio pronunciationis necdum plena pars sensus est, & tamen respirare oportet, fit *comma*, id est particula sensus, punctúsque ad vnam literam ponitur, & vocatur subdistinctio, ὑποστιγμή, ab eo quod punctum subtus, id est, ad vnam literam accipit. vbi autem in sequentib. iam sententia sensum præstat, sed adhuc aliquid superest de sententiæ plenitudine, fit *colon*, mediámque literam puncto notamus; & mediam distinctionem vocamus, quia punctum ad mediam literam ponimus. Vbi verò iam per gradus pronuntiando plenam sententiæ clausulam facimus, fit *periodus*: punctúmque ad caput literæ ponimus, & vocatur *distinctio*, id est, *disiunctio*: quia integram separat sententiam. Hoc quidem apud oratores. ¶ Cæterùm apud poetas vbi in versu post duos pedes syllaba remanet, *comma* est, quia ibi post scansionem præcisio verbi facta est. Vbi verò post duos pedes de parte orationis nihil superest *colon* est. Totus autem versus periodus est.

De notis sententiarum.

CAP. XX.

Præterea, quædam sententiarum notæ apud celeberrimos auctores fuerunt, quásque antiqui ad distinctionē scripturarū carminibus & historiis apposuerunt. Nota, est figura propria in literæ modum posita, ad demonstrandam vnamquamque verbi sententiarúmque ac versuum rationē. Notæ autem versibus apponuntur numero xxvj. quæ sunt nominibus infra scriptis.

Asteriscus, apponitur in iis quæ omissa sunt, vt illucescant per eam notam quę deesse videntur. Stella enim ἀστὴρ Græco sermone dicitur, à quo Asteriscus stellula est deriuatus.

Obelus, id est virgula iacens apponitur in verbis vel sententiis superfluè iteratis, siue in iis locis vbi lectio aliqua falsitate notata est, vt quasi sagitta iugulet superuacua, atque falsa confodiat. Sagitta enim Grecè ὀβελὸς dicitur.

Obelus, supernè appunctatus ponitur in iis de quibus dubitatur vtrum tolli debeāt, néene.

Limniscus, id est virgula inter geminos punctos iacens, apponitur in iis locis quæ sacrę Scripturæ interpretes eodem sensu, sed diuersis sermonibus transtulerunt.

Antigraphus, cum puncto apponitur, vbi in translationibus diuersus sensus habetur.

Asteriscus cum obelo: hac propriè Aristarchus vtebatur in iis versibus qui non suo loco positi erant.

Paragraphus, ponitur ad separandas res à rebus quę in connexu concurrunt, quemadmodum in catalogo loca à locis, & regiones à regionibus, in agone prẹmia à prẹmiis, certamina à diuersis certaminibus separantur.

Positura, est figura paragrapho contraria, ideò sicut formata, quia sicut ille principia notat, ita ista fines à principiis separat.

Cryphia, circuli pars inferior cum puncto ponitur in iis locis vbi quæstio dubia & obscura aperiri vel solui non potuit.

Antisigma, ponitur ad eos versus quorum ordo permutandus est, sicut & in antiquis auctoribus positum inuenitur.

Antisigma, cum puncto ponitur in iis locis vbi in eodem sensu duplices versus sunt, & dubitatur qui potiùs eligendus sit.

Diple, hanc scriptores nostri apponunt in libris ecclesiasticorum virorum ad separanda vel demonstranda testimonia sanctarum scripturarum.

Diple, ἀλεκτινὴ vel περιεστιγμένη, hanc primus Leogaras Siracusanus apposuit Homericis versibus ad separationem Olympi à cælo.

Diple, περιεστιγμένη, id est, cum geminis pũctis. hanc antiqui in iis apponebant, quæ Zenodotus Ephesius non rectè adiecerat, aut detraxerat aut permutauerat, in iis & nostri ea vsi sunt.

Diple ὠβελισμένη interponitur ad separandas in comœdiis vel tragœdiis periodos.

Versa obelismene quoties strophe & antistrophus infertur.

Aduersa cum obelo ad ea ponitur quæ ad aliquid respiciunt, vt, Nos ne tibi fluxas Frigiæ res vertere fundo Conamur nos, an miseros qui Troas Achiuis Obiecit.

Diple, supernè obelata ponitur ad conditiones locorum, ac temporum, personarúmque mutatas.

Recta & aduersa supernè obelata ponitur finita loco suo monade significante similem sequentem quoque esse.

Ceraunium, ponitur quoties multi versus improbantur, nec per singulos obelantur, κεραυνὸς enim fulmen dicitur.

Κείριμον, hæc sola ex voluntate vniuscuiusque ad aliquid notandum ponitur.

PHI & RO, id est fortis vel frontes. hæc vbi aliquid obscuritatis est ob sollicitudinem ponitur.

Anchora, superior ponitur, vbi aliqua res magna omnino est.

Anchora inferior vbi aliquid vilissimè aut inconueniẹntiùs denuntiatum est.

Κορωνὶς, nota tantùm in fine libri apponitur.

Ἄλογον, nota quæ ad mendas adhibetur. Fuerunt & aliæ librorum notæ pro agnoscendis iis quæ per extremitates paginarũ exponuntur. vt ibi lector in limitnari huiusmodi signum inuenerit ad textum recurrens eiusdem sermonis vel versiculi, sciat esse expositionem cuius similem superiacentem notam inuenerit.

De notis vulgaribus. CAP. XXI.

VVlgares notas Ennius primus mille & centum inuenit. Notarum vsus erat, vt quicquid pro concione vel contentione; aut in iudiciis diceretur, librarij scriberent cõplures simul astantes, diuisis inter se partibus, quot quisque verba, & quo ordine exciperet. Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commẽtatus est notas, sed tantùm præpositionum. Post eum Tertius Persannius, Philargius, & Aquila libertus Mecænatis alius alias addiderunt. Deinde Seneca, cõtracto omnium digestóque & aucto numero, opus effecit in quinque millia. Notæ autem dictæ, eò quòd verba vel syllabas præfixis characteribus notent, & ad notitiam legentium reuocent, quas qui didicerunt propriè iam notarij appellantur.

De notis iuridicis. CAP. XXII.

QVadam autẽ literæ in libris iuris verborum suorum notæ sunt, quo scriptio celebris breuior fiat. Scribebatur enim verbi gratia, per B & F bonum factum, per S & C senatus consultum. per R & P. respublica. per P & R populus Romanus. per D & T. duntaxat: per supinam. M literam mulier. per p. secundùm naturam pupillus: per q verso capite, pupilla. per vnum k kaput. per duo k k iuncta kalumniæ causa: per I. & E iudex esto. per D & M dolum malum. Cuius generis plurimæ consimiles notæ in libris antiquis inueniuntur. Has

iuris notas nouitij imperatores à codicib. legũ abolendas sanxerunt: quia multos per has callidi ingenio ignorantes decipiebãt, atque ita iusserunt scribendas in legibus literas, vt nullos errores, nullas ambages afferant, sed sequenda & vitanda apertè demonstrent.

De notis militaribus.

Cap. XXIII.

IN breuiculis quoque quibus militũ nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, quæ inspiceretur, quanti ex militibus superessent, quantíque in bello excidissent. T, nota in capite versiculi posita superstitē designabat. Θ verò ad vniuscuiusque defuncti nomen apponebatur. Vnde & habet per medium telũ. id est mortis signũ. de qua Persius ait, Et potis est nigrum vitio præfigere theta. Cùm autem pueritiam significare vellent, A litera vsi sunt: sicut mortem significabant cùm ponebant theta ad caput. In stipendiorum quoque largitione propriæ erant notæ.

De notis literarum.

Cap. XXIV.

NOtas etiam literarum inter se veteres faciebant, vt si quid occultè inuicem scriptura significare vellent mutuo scriberent. testis est Brutus qui, vsus iis literis ea quæ acturus erat, notabat, ignorantibus aliis quid sibi vellent eæ literæ. Cæsar quoque Augustus ad filium. cum inquit, Innumerabilia incidunt assiduè quæ scribi ad alterutrum oportet, & esse secreta. habeamus ergo inter nos notas si vis tales, vt cum aliquid notis scribendũ erit, pro vnaquaque litera scribamus sequentem hoc modo, pro a, b. pro b, c. & deinceps eadē ratione cæteras. pro z autem litera redeundum erit ad duplex aa. Quidam etiam versis verbis scribebant.

De notis digitorum.

Cap. XXV.

SVnt quædam & digitorum notæ, sunt & oculorum, quibus secũ taciti procúlque distantes colloquũtur: sic mos est militaris, vt quoties consentiat exercitus, quia voce non potest, manu promittat. alij quia voce non possunt, gladiorum motu salutent. Ennius de quadam impudica, Quasi in choro pila ludens, datatim dat sese, & cõmunem facit. Alium tenet, alij adnutat, alibi manus est occupata, alij peruellit pedem, alij dat anulum spectandum, & à labris alium inuocat. cũ alio cantat, attamen aliis dat digito literas. Et Salomon: Annuit oculo, terit pede, digito loquitur.

De orthographia.

Cap. XXVI.

ORthographia Græcè, Latinè recta scriptura interpretatur ὀρθὰ enim Græcè rectat γραφή, scriptura dicitur. Hæc disciplina docet quemadmodum scribere debeamus. Nam sicut ars tractat de partium declinatione, ita *orthographia* de scribēdi peritia: vt puta ad, cùm est præpositio, d literam: cùm est coniunctio, t literam accipit. ¶ *Haud*, quando aduerbium est negandi, d litera terminatur, & aspiratur in capite. quando autem coniunctio disiunctiua est, per t literam sine aspiratione scribitur. ¶ *Apud* præpositio per d, scribitur, sicut ad. vt apud patrē. quoniam veteres sæpe apud pro ad vsi sunt, duabus ex iis mediis literis subtractis. ¶ Interdũ autem aliæ literæ in locum aliarum literarum ritè ponuntur. B, & p, literis quædam cognatio est. Nã pro Pyrrho dicimus Birrhum. C, & g, quandam cognationem habent. Nam cùm dicimus centum & trecentos, postea dicimus quadringentos, g ponentes pro c. porrò inter c & q, quædam cognatio est. nam huiusce per c cuiusque per q, scribimus. Cùm autē præpositio per c, scribenda est. si autem aduerbium fuerit per q. ¶ Dicimus enim quũ lego, Deus per e solam: dæmon per æ diphthongum est notandus. ¶ Equus quod est animal, per e scribendus. Æquus, quod est iustus, per æ, diphthongum est scribendus. ¶ Exul addita s, debet scribi: quia exsul dicitur, qui extra solum est. ¶ Exultat, melius sine s, litera scribitur. Nam cùm ipsa x, ex c, & s, constat, quomodo cùm in ea sit s, rursus ei additur alia? ¶ Æquor per diphthongũ scribendum, quia non ab aqua sed ab ęqualitate nomen est factum. ¶ Forsitan per n, in fine scribendum, quia integrum eius est Fortè si tandem. ¶ Fedus quod est deformis, per e solam scribendum: fœdus quod est pactum, cum œ diphthongo scribendum. ¶ Formosus sine n scribitur: quia à forma vocatur. ¶ Gnatus quod est filius, per g, scribendum: quia facit generatus. ¶ H, quæ aspirationis nota est, in Latino tantùm vocalib. iungitur: vt honor, homo, humus. Aspiratur autem & consonantibus. sed in Græcis & Hebræis nominibus. Heus autem & heu interiectiones per h, scribendæ. ¶ I, literam inter duas vocales constitutam bis scribi quidam existimabant, vt Troia, Maia, sed hoc ratio non permittit

Nunquam enim tres vocales in vna syllaba scribuntur. Sed I litera inter duas vocales constituta, pro dupla habetur. ¶ Id pronomen neutri generis per d scribitur, ab eo quod est is, ea, id: quia facit idem. Quod si verbum est tertiæ personæ, per t, notabitur, ab eo quod est eo, is, it: quia facit itur. ¶ K, literam antiqui præponebant quoties a, sequebatur, vt kaput, kama, kalamus. Nunc autem kartago & kalendæ per eandem tantùm scribuntur. Omnia autem Græca nomina qualicunque sequente vocali per k sunt scribenda. ¶ Lætus per æ, diphthongon scribitur: quia lætitia à latitudine vocata est, cui contraria est tristitia, quæ angustiam facit. ¶ L autem litera interdum pro d litera vtimur: vt latum pro datum & calamitate pro cadamitate. à cadendo enim nomen assumpsit calamitas. Maxumus, an maximus, & si quæ similia sunt, qualiter scribi debeant, quæsitum est. Varro tradidit Cæsarem per i huiusmodi verba enunciare & scribere solitum esse. inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam, vt maximus, optimus, pessimus scribatur. ¶ Malo per vnum l scribendum: quia magis est volo, Malle per duo ll, quia est magis velle: Volo, nolo per vnum l. velle & nolle per duo. Nolo enim, non volo est, nolle non velle. ¶ Os si vultum aut ossa significat, per o solam scribendum est, si personam h, præponenda est. ¶ Ora finium per o. hora diei, per h scribendum. ¶ Onus si de genere venit per o solam scribendum, si de honore, cum h, aspiratione. ¶ Præpositio, & *præterea*, per æ diphthongon scribendum. ¶ Penè verò quod est coniunctio per e. ¶ Pœna quod est supplicium, per œ. ¶ Q litera tunc rectè præponitur, cùm illam statim u litera sequitur, & alia quælibet vna pluresve vocales iunguntur, ita vt vna syllaba fiat. Cætera per c scribuntur. ¶ Quæ, pronomen cum à scribendum. que coniunctio, sine a. ¶ Quid, per d literam scribitur cùm pronomen est, per t, cùm verbum: cuius positio prima est queo, quis, quit. & in compositione nequeo, nequis, nequit. ¶ *Quod* quando Pronomen est, per d scribendum. quando numerus, per t: quia totidem per t scribitur. ¶ *Quotidie*, per q scribendum non per c, vt si quot diebus. ¶ R, litera communionem habet cum s, litera. Itaque apud antiquos, honos, labos, arbos dicebatur. nunc honor, labor, arbor. ¶ *Sat* per t, scribi oportet, quia integrum, eius facit satis. *Sed*, per d, oportet scribi. apud antiquos enim sedum dicebatur, nos finales duas literas abscidimus. ¶ *Tantus*, sicut & *quantus*, in medio m habebant. Quàm enim & tam, vnde & quantitas, quantus, tantus. ¶ *Ve*, interiectio cum a scribenda. Ve coniunctio, sine a. ¶ *Christus*, quia Græcum est, per X, id est Ch scribendũ. ita Chrisma. ¶ Y & Z literis sola Græca nomina scribũntur. Nam cum iustitia z literæ sonum exprimat, tamen quia Latinum est, per t scribendum est. Sicut militia, malitia, nequitia, & cætera similia. In dubiis quoque verbis consuetudo veterum erat, vt cum eadem litera alium intellectum correpta, alium producta, haberet, longæ syllabæ apicem apponebant, vt puta *populus* an arborem significaret, an hominum multitudinem, apice distinguebatur. sic & vbi literæ consonantes geminabantur. Sicilicum superponebant, vt sella, serra, asseres. Veteres enim non duplicabant literas, sed supra sicilicos apponebant. qua nota admonebatur lector geminandam esse literam: & *Sicilicus*, quia in Sicilia inuentus est primò.

De Analogia.

Cap. XXVII.

Analogia Græcè, Latinè similium cõparatio, siue proportio nominatur. Cuius hæc vis est, vt quod dubium est, ad aliquod simile quod non est dubium referatur, vt incerta certis probentur. ¶ Octo autẽ modis cõparatio analogiæ colligitur, id est *qualitate, cõparatione, genere, numero, figura, casu, extremitatibus similium syllabarum, & similitudine temporum.* Siquidem de iis vnum defuerit, iam non est analogia, id est similitudo, sed est *anomalia*, id est, extra regulam, vt lupus & lepus, totum conuenit, sed dissentiunt casu: facit enim lupo, leporis. Nam regulariter est, dum quæris vtrum trames masculinum an fœmininum sit, similis est illi in omni declinatione limes. & erit masculinũ. Item funis si incerti generis esse credis, similis est illi panis in declinatione, & erit masculinum. Item ex cõparatione positiuorum: vt si dicas, doctus, magnus, positiui sunt & sui similes. Fit & per diminutionem, vt puta funem masculinum esse funiculus ostendit. sicut marmor neutri generis esse marmusculum indicat. Nam quod genus in principalitate est, id esse solet in diminutione. sed hoc non semper, vt pistrinum pistrilla, sed scire debemus expositione, id est, primitiuo, declinationem, & ex diminutione genus colligere.

De Etymo-

De Etymologia. CAP. XXVIII.

Etymologia, est origo vocabulorum, cùm vis verbi vel nominis per interpretationem colligitur. Hanc Aristoteles σύμβολον, Cicero *annotationem* nominauit: quia nomina & verba rerum nota facit exemplo proposito, vt puta *flumen*, quia fluendo creuit, à fluendo dictum. ¶ Cuius cognitio sæpe vsum necessariũ habet in interpretatione sua. Nam cùm videris vnde ortum est nomen, citius vim eius intelligis. Omnis enim rei inspectio etymologia cognita planior est. ¶ Non autem omnia nomina à veteribus secundum naturam imposita sunt, sed quædam & secundum placitum: sicut & nos seruis & possessionibus interdum secundum quod placet nostræ voluntati nomina damus. Hinc est quòd omnium nominum etymologiæ non reperiuntur: quia quędam non secundum qualitatem qua genita sunt, sed iuxta arbitrium humanę voluntatis vocabula acceperunt. ¶ Sunt autem etymologiæ nominum, aut *ex causa* datæ. vt *reges* à rectè agendo: aut *ex origine*, vt *homo*, quia sit ex humo: aut *ex contrariis*, vt à lauando *lutum*, dum lutum non sit mundum, & *lucus*, quia vmbra opacus, parum luceat. Quædam enim facta sunt *ex nominum deriuatione*, vt à prudentia *prudens*. quædam etiã *ex vocibus*, vt à garrulitate *garrulus*. quædam *ex Græca etymologia* orta & declinata sunt in Latinum; vt *sylua*, *domus*. Græcè ὕλη, δῶμα. Alia quoque *ex nominibus locorum, vrbium vel fluminum* traxerunt vocabula. Multa etiam *ex diuersarum gentium sermone vocantur*. Vnde & origo eorum vix cernitur. Sunt enim pleraque barbara nomina incognita Latinis & Græcis.

De glossis. CAP. XXIX.

Glossa, Græca interpretatione linguæ sortitur nomen. Hanc Philosophi *aduerbium* dicunt: quia vocem illam de cuius qualitate requiritur, vno & singulari verbo designat. Quid enim illud sit in vno verbo positum declarat, vt Conticescere est tacere. Item, Latus haurit apertum, haurit, percutit. Item cùm terminum dicimus finem: aut populatas interpretamur esse vastatas, & omnino cum vnius verbi rem vno verbo manifestamus.

De differentiis. CAP. XXX.

Differentia, est species definitionis, quam scriptores artium de eodem & de altero nominant. Hæc enim duo quædam inter se communione confusa, coniecta differentia secernuntur, per quam quid sit vtrunque cognoscitur: vt cùm quæritur, quid inter regem sit & tyrannum, adiecta differentia quid vterque sit definitur, vt *Rex* modestus & temperans *tyrannus* vero crudelis. Inter hæc enim duo differentia cùm posita fuerit, quid sit vtrunque cognoscitur. sic & cætera.

De barbarismo. CAP. XXXI.

Barbarismus, est verbum corrupta litera vel sono enunciatum. *litera*, vt floret dum florebit dicere oporteat. *sono*, si pro media, prima syllaba producatur, vt latebræ, tenebræ. ¶ Appellatus autem barbarismus à barbaris gentibus, dum Latinæ orationis integritatem nescirent. vna quæque enim gens facta Romanorum cum suis operibus, vitia quoque & verborum & morum Romã transmisit. ¶ Inter *barbarismum autem & barbarolexim*, hoc interest, quòd *barbarismus*, in verbo Latino fit, dum corrumpitur: quando autem barbara verba Latinis eloquiis inseruntur, *barbarolexis* dicitur. Item quando in prosa vitium fit sermonis, *barbarismus* vocatur: quando in metro, *metaplasmus dicitur*. ¶ Barbarismus autem fit *scripto & pronunciatione*. *Scripto* quatuor modis, si quis in verbo literam vel syllabam adiiciat, mutet, transmutet, vel minuat. *Pronunciatione* autem fit in tẽporibus, tonis, aspirationibus, & reliquis quæ sequuntur. *Per tempora* quippe fit barbarismus, si pro longa syllaba breuis ponatur, aut pro breui longa. *Per tonos*, si accentus in alia syllaba commutetur. *Per aspirationem*, si adiiciatur h litera vbi non debet, aut detrahatur vbi esse oportet. *Per hiatum*, quoties in pronunciatione scinditur versus antequàm compleatur: siue quoties vocalis vocalem sequitur. vt Musæ Æonides. Fit barbarismus & per *Motacismos*, *Iotacismos*, & *Labdacismos*. *Motacismus*, est quoties in m literam vocalis sequitur: vt bonum aurum, iustum amicum, sed & hoc vitium aut suspensione m literæ, aut detractione vitamus. *Iotacismus* est, quoties in iota litera duplicatur sonus, vt Troiia, Maiia. vbi earum literarum adeò exilis erit pronuntiatio vt vnum iota non duo sonare videantur. *Labdacismus* est, si pro vno l duo pronuncientur, vt Afri faciunt. sicut Colloquium pro conloquium: vel quoties vnum l exilius, duo largius proferimus, quod contra est: Nam vnum largius, duo exilius proferre debemus. *Collisio* est, quoties nouissimæ syllabæ finis in alterius principio est, vt matertera.

De solœcismo. CAP. XXXII.

Solœcismus est plurimorum verborum inter se conueniens compositio: sicut bar-

barismus vnius verbi corruptio. Verba enim non recta lege coniuncta *solæcismus* est. vt si quis dicat, inter nobis, pro inter nos, aut dare veniam sceleratorum, pro sceleratis. Dictus autem *solæcismus* à ciuibus Sicilibus: qui ex vrbe Solæ quæ nunc Pompeiopolis appellatur, profecti, cùm apud Italos commorantes, suam & illorum linguam vitiosè inconuenientérque confunderent, solœcismo nomen dederunt. Vnde & similiter loquentes, solœcismos facere dicuntur. ¶ *Solœcismus* autem apud poëtas schema dicitur, quoties in versu necessitate metri factus inuenitur. Cùm autem non inuenitur necessitas, permanet solœcismi culpa. ¶ Solœcismus fit duobus modis, aut per partes orationis, aut per accidentia partium orationis. *Per partes orationis* fit, si alteram pro altera ponamus: vtputa si præpositiones aduerbiis applicemus. *Per accidentia* fit, id est per ea quæ accidunt partibus orationis, vtputa per qualitates, genera, numeros, figuram, casus. Per ista igitur omnia fiunt solœcismi; sicut Donatus exposuit. Fiunt præterea & plurimis modis. Nam Lucillius *centum genera solœcismorum* dixit, quos omnes vitare potiùs quàm sequi debet, qui regulam rectè loquendi studet tenere.

De vitiis. CAP. XXXIII.

Vitia, apud Grammaticos illa dicuntur quæ in eloquio cauere debemus. Sunt autem hæc, barbarismus, solœcismus, acyrologia, cacemphaton, & reliqua. *Barbarismus*, est corruptio verbi vnius. vt si tertiam syllabam quis producat in Ignoscere. *Solœcismus* compositio vitiosa verborum, vt si aliquis dicat, inter hominibus, pro inter homines. *Acyrologia*, non propria dictio, vt Liceat sperare timenti. Proprium est autem timenti formidare, non sperare: & gramineo in campo. Proprium est graminosum dicere campum, non gramineum. *Cacemphaton*, dictio obscœna, vel incompositè sonans. Obscœna, vt, His animum arrectis dictis. Incomposita, vt, Iuuat ire & Dorica castra videre. Mala enim compositio fit ab ea syllaba incipere, qua superior finierat. sed & si alio modo quolibet incomposita dictio proferatur, cacemphaton dicitur. *Pleonasmos*, adiectio vnius verbi superuacua, vt in Virgilio: Hactenus aruorum cultus & sidera cœli. Neque enim alibi nisi in cœlo sunt sidera. *Perissologia*, adiectio plurimorum verborum superuacua, vt viuat Ruben & non moriatur: dum non sit aliud viuere quàm non mori. Est in Esaia, Aure audietis. Et apud Ioannem, Quod vidimus oculis nostris, dum non aliter videmus nisi oculis. Et, Locutus sum lingua mea, *Macrologia*, longiloquium, res non necessarias comprehendens, vt Legati non impetratâ pace retrò vnde venerant domum reuersi sunt. *Tautologia*, id est eloquium iteratum, vt Si fata virum seruant, si vescitur aura ætherea, neque adhuc crudelibus occupat vmbris. Totum enim quod repetitur vna res est, sed crebro sermone enunciata. *Eclypsis*, est defectus dictionis, in quo necessaria verba desunt, vt, Cui pharetra ex auro: deest enim, erat. *Tapinosis*, est humilitas, statum magnæ rei dictis infirmans: vt, Apparent rari nantes in gurgite vasto. Gurgitem posuit pro mari, *Cacosyntheton*, vitiosa compositio, vt, Versáque iuuencum Terga fatigamus hasta. *Amphibologia*, ambigua dictio: quæ fit aut per casum accusatiuum, vt illud responsum Apollinis ad Pyrrhum: Aio te Æacida Romanos vincere posse. In quo non est certum, quem in illo versu monstrauerit esse victorem. Fit & amphibologia: *per incertam distinctionem*: vt, Bellum ingens geret Italia. Incerta distinctio, vtrum bellum ingens, aut ingens Italia. Fit & *per commune verbum*, vt si quis dicat, Criminatur Cato, vadatur Cicero, præstolatur Brutus, designatur Antonius, nec addat quem, vel à quo. Cato enim Philosophus aliorum crimina reprehendebat. Cicero defensor causarum erat. Vades enim dicuntur, qui legaliter causas agunt. Sed in hac ambiguitate non ostendit quem criminetur Cato, pro quo agat Cicero. Vadat enim id est causam agit, & non dicit cuius. Fit & *per homonymiam*, quando vno nomine multa significantur: vt acies, & non addas aut ferri, aut oculorum aut militum.

De metaplasmis. CAP. XXXIV.

Metaplasmus Græca lingua, Latinè dici potest transformatio, quæ fit in vno verbo propter metri necessitatem, & licentiam poëtarum, cuius species hæ sunt. *Prothesis*, appositio in principio verbi, vt gnato pro nato. *Epenthesis*, appositio in medio, vt relliquias, pro reliquias, & maneant in relligione nepotes, pro religione. *Paragoge*: appositio in fine, vt admittier, pro admitti, & potestur, pro potest. *Aphæresis*, abscissio de principio, vt temno pro contemno. *Syncope*, abscissio de medio, vt forsan, pro forsitan. *Apocope*, abscissio de fine, vt sat pro satis. *Ectasis*, productio contra naturam vt, Italiam fato profugus. & Exercet Diana choros. *Systole*, correptio contra naturam. Aquilus Orion. & Vrbémque Fidenam, cum prima syllaba produci debeat. *Diæresis*, discissio vnius syllabæ in

bæ in duas, vt Diues pictai vestis, pro pictæ, & aulai, pro aulæ. *Episynalœphe*, conglutinatio duarum in vnam, vt prende coronas, & ianua pro ianua. *Synalœphe*, collisio vocalium adiúncta vocalibus: vt, Atque ea diuersa penitus dũ parte geruntur. *Eclypsis*, collisio consonantiũ cum vocalibus: vt, Multũ ille & terris iactatus & alto. *Antithesis*, contraria positio literæ pro alia litera. impete pro impetu, & olli pro illi. *Metathesis*, transpositio literæ, vt Euandre pro Euander, Timbre pro Timber. ¶ Inter *barbarismum*, & *figuras*, hoc est latinam & perfectam elocutionem esse dicunt Metaplasmum, qui in vno sermone, ratione fit vitiosus. Item inter *solœcismum*, & *schema* id est, perfectam connexionem sermonum, figura est, quæ fit contextu sermonum ratione vitiosa. Ergo metaplasmi & schemata media sunt & discernuntur peritia & imperitia. Fiũt autem ad ornatum.

De schematibus. Cap. XXV.

Schemata, ex Greco in Latinum eloquium figuræ interpretantur, quæ fiunt in verbis vel sententiis per varias distinctionum formas propter eloquij ornatum. Hæc dũ multa sunt apud Grammaticos, ista inueniuntur. *Prolepsis*, est præsumptio, vbi ea quæ sequi dicunt, anteponuntur: vt, Interea reges ingenti mole Latinus. Debuit enim sic dicere, Interea reges ingenti mole, & statim adiicere quod sequitur, Procedunt castris. deinde dicere Latinus, &c. sed facta est pro ornamento præsumptio rei, & qui sequi debuere reges interpositi sunt in septem versibus, & postea additum est, Procedunt castris. Inde præsumptio, quia anteposita sunt quæ sequi debuere. *Zeugma*, est clausula, cùm plures sensus vno verbo clauduntur, quæ fit tribus modis. Nam aut in primo, aut in postremo, aut in medio id verbum ponitur, quod sententias iungit. In primo, vt, Vertitur œnophori fundus sententia nobis. In medio, vt, Græcia Sulpitio sorti data, Gallia Cottæ. In postremo, vt, Namque hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit. *Hypozeuxis*, est figura superiori cõtraria, vbi in singulis sensibus propria vnicuique clausula est: vt Regem adit, & regi memorat noménque, genúsque. *Syllepsis*, est in dissimilibus clausulis, aut pluralis dictio singulari verbo finita, vt Sociis & rege recepto aut singularis dictio plurali verbo expleta, vt, Sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles, & pressi copia lactis. Supra. n. sunt dixit. Hic debuit dicere. Est pressi copia lactis. Fit aũt Syllepsis nõ solùm per partes orationis, sed & per accidentia partibus orationis. Nam vbi & pro multis vnus, & pro vno multi ponuntur, syllepsis est pro multis vnus, vt est illud, Vterúmque armato milite complet. cùm non vno, sed multis militibus. Item pro vno multi, vt in Euangelio, Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei, vbi pro vno vterque inducitur blasphemasse. *Anadiplosis*, est quando ab eodem verbo quo prior versus finiuit, sequens versus incipit, vt est illud, Certent & cignis vlulæ, sit Tityrus Orpheus, Orpheus in syluis, inter delfinas Orion. *Anaphora*, est repetitio eiusdem verbi per principia versuum, plurimorum, vt, Nos te Dardania incẽsa tua qui arma secuti, Nos tumidum sub te permensi classibus æquor. *Epanaphora*, est in vno versu per principia sensuum eiusdem verbi repetitio, vt Te nemus Angitiæ vitrea te Focinus vnda, Te liquidi fleuere lacus. *Epizeusis*, in vno sensu congeminatio verbi, vt, Sic sic iuuat ire sub vmbras. *Epanalepsis*, est sermonis in principio versus positi, eiusdem in fine replicatio, vt est illud, Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. *Paranomasia*, est in significatione diuersa dictio penè ipsa, vt illud, Abire an obire te conuenit, id est exulem fieri, an mori. *Schesis onomaton*, multitudo nominum coniunctorum quodam ambitu copulata, vt, Nubila, nix, grando, procellæ, fulmina, venti. *Paromœon*, est multitudo verborum ex vna litera inchoantium, quale est apud Ennium, O Tite tute Tati tibi tanta tiranne tulisti. Sed hoc bene temperat Virgilius dum non toto versu vtitur hac figura, vt Ennius, sed nunc in principio versus tantùm, vt est illud, Sæua sedens super arma. nunc in medio, vt, Quæque lacus latè liquidos, quæque aspera dumis. Nunc autem in fine, vt Sala mihi tales casus Cassandra canebat. *Homoptoton*, est cum plurima nomina per vnum casum denunciantur, vt est illud, Sed neque currentem, sed nec cognoscit euntem. Tollentémque manus saxúmque immane mouentem. *Homoteleuton*, est cum vno modo verba plurima finiuntur, vt abiit, abcessit, euasit, erupit; *Polyptoton*, est cùm diuersis casibus sententia variatur. vt, Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti. Marci dona papè Marco spondente recusas. Marcus dixit ita est, assigna Marce tabellas. *Hirmos*, est sententia continuatæ orationis, tenorem suum vsque ad vltimum seruans: vt, Est in secessu longo locus, insula portum, & reliqua. Hinc enim in longum vadit sensus vsque ad illud, De super horrendis atrũ nemus imminet vmbris. *Polysyntheton* est dictio multis concatenata coniunctionibus: vt, Tectúmq;, larémque, armáque, Amicleúmque canem. *Dialyton* vel *asyntheton* figura est, quæ è contrario sine coniunctionibus solutè ac simpliciter effertur: vt, Venimus, vidimus, placuit. *Antitheton* est, vbi contraria contrariis

opponuntur, & sententiæ pulchritudinem reddunt: vt illud, Frigida pugnabant calidis, humentia siccis: Mollia cum duris, sine pondere, habentia pondus. *Hypallage*, est quotiescunque per contrarium verba intelliguntur, vt, Dare classibus Austros, cum ventis naues demus, non nauibus ventos.

De tropis. CAP. XXXVI.

TRopos, Græco nomine Grammatici vocant, qui Latinè modi locutionum interpretantur. Fiunt autem à propria significatione ad non propriam similitudinẽ. Quorum omnium nomina difficillimum est annotare, sed ex omnibus Donatus xiij. vsui tradendos conscripsit. ¶ *Metaphora*, est verbi alicuius vsurpata translatio, sicut dicimus, fluctuare segetes, gemmare vites, dum in iis rebus fluctus & gemmas non inuenimus, in quibus hæc verba aliunde transferuntur; sed hæ atque aliæ tropicæ locutiones ad ea quæ intelligenda sunt propterea figuratis amictibus obteguntur, vt sensum legentis exerceat, & ne nuda atque in promptu posita vilescant. Fiunt autem metaphoræ quatuor modis, *ab animali, ad animale*, vt Aligeros conscendit equos. Metaphoricè loquens miscuit quadrupedi alas auis, & quo cursu deserta petiuit, miscuit volatili cursum quadrupedis. *Ab inanimali, ad inanimale*: vt, Pontum pinus arat sulcum premit alta carina. Miscuit vsum terræ aquis, dum arare & sulcum premere, ad terram pertineat, non ad mare. *Ab inanimali ad animale*, vt florida iuuentus: miscuit flores inanimales, iuuentuti quæ animam habet: *Ab animali, ad inanimale*: vt, Tu Neptune pater cui tempora cana crepanti Cincta salo resonant, magnus cui perpete mento Profluit Oceanus, & flumina crinibus errant. Mentum enim & tempora & crines non ad Oceanum pertinent, sed ad homines. Sic & alia rerum nomina de alio genere in aliud genus decentissimè, decoris gratia transferuntur, vt oratio perornetur. Metaphora autem aut *partis vnius* est, vt fluctuare segetes, non potes dicere segetare fluctus: aut *antistropha* est, id est, reciproca, vt remigium alarum. Nam & alæ nauium & alarum remigia dicuntur. ¶ *Catachresis*, est alienæ rei nomẽ appositum: & eo à metaphora differt, quod illa vocabulum habenti largitur aliud: hæc quia non habet proprium, alieno vtitur: vt, Faciemque simillima lauro: & , Nunc vna ambæ iunctisque feruntur: Frontibus, & longa sulcant vada salsa carina: Dum facies, & frons, tantùm animalium & hominum sint. Quod nomen si poeta non apposuisset naui, quid proprium eidem parti diceret non haberet. *Metalepsis*, tropus à præcedente indicans quod sequitur. Inque manus cartæ nodosáque venit arundo. Nam per manum verba, per arundinem literæ significatæ sunt. ¶ *Metonymia*, est transnominatio ab alia significatione ad aliam proximitatem translata. Fit autem multis modis, aut enim *per id quod continet, id quod continetur ostendit*, vt theatra plaudunt, patria mugiunt: dum illic homines plaudant, hic boues mugiant: aut contrà *per id quod continetur id quod continet*: vt Iam proximus ardet Vcalegon, dum non ille, sed domus eius arderet. Item *per inuentorem id quod inuentum est*: vt, Sine Cerere & Libero friget Venus: & Commixtam Vulcanus mittit ad astra fauillam. Vult enim per Cererem frumenti inuentricem intelligere panem: per Liberum inuentorem vitis, vinum: per Venerem libidinem: per Vulcanum ignem. At contrà *per Inuentum inuentorem demonstrans*. Vt, vinum precamur pro Libero qui vinum apud Græcos inuenit. Item *per efficientem, id quod efficitur*, sicut Pigrum frigus, quòd pigros homines faciat: & timor pallidus, eo quod pallidos homines reddat. At contrà *per id quod efficitur efficiens*: vt, Fugit equos auri genitor, spumantiáque addit frena loris. Spumantia frena dixit, cum vtique non ipsa faciant spumas, sed æquus, qui ea gerit, spumis conspergat infusis. ¶ *Antonomasia*, est pro nomine, id est vice nominis posita, vt Maia genitus pro Mercurio. Qui tropus fit tribus modis ab animo, vt magnanimúsque Anchisiades, à corpore: vt ipse arduus: extrinsecus, vt, Infelix puer atque impar congressus Achilli. ¶ *Epitheton*, suprapositum nomen, præponitur enim proprio nomini: vt, Alma Ceres, obscœnique canes, importunæque volucres. Inter antonomasian autem & epitheton hoc differt, quòd antonomasia, pro vice nominis ponitur: Epitheton autem nunquam sine nomine est. Quibus duobus tropis vel vituperamus aliquem, vel ostendimus, vel laudamus. ¶ *Synecdoche*, est conceptio: cum à parte totum, vel à toto pars intelligitur. Eo enim & per speciem genus, & per genus species demonstratur: sed species pars est, genus autem totum. *A toto enim pars intelligitur*: vt, Quum multæ glomerantur aues, vbi frigidus annus Transpontum fugat. Non enim totus annus est frigidus, sed pars anni, id est hiems. At contrà *à parte totum*: vt, Flammas cum regia puppis. Extulerat. Vbi non solùm puppis, sed nauis: & non nauis, sed qui in ea: & non omnis, sed vnus flammas extulit. ¶ *Onomatopœia* nomen fictum ad imitandum sonum vocis confusæ; vt stridor valuarum, mugitus boum, balatus ouium. ¶ *Peri-*

¶ *Periphrasis* est circumloquium: dum res vna plurimis verbis significatur, vt auras vitales carpit. Significauit enim per copulationem verborum vnam rem, hoc est, viuit. Hic auté tropus geminus est. Nam aut veritatem splendidè producit, aut fœditatem circuitu euitat. *Veritatem splendidè producit*: sicut: Et iam prima nouo spargebat lumine terras Titoni croceum linquens aurora cubile. Vult enim dicere, iam lucescebat, aut dies ortus erat. *Fœditatem circuitu deuitat*: sicut, Placitúmque petiuit Coniugis infusus gremio per membra soporem. Hoc enim circuitu euitat obscœnitatem & decenter ostendit concubitũ. ¶ *Hyperbaton* est transcensio, cùm verbum aut sententia commutatur. Huius species quinque sunt, Anastrophe, Hysteron proteron, Parenthesis, Tmesis, Synthesis. *Anastrophe* verborum ordo præposterus: vt, littora circum, pro circum littora. *Hysteron proterõ*, sententia ordine commutata: vt, Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit. Ante enim ad æquora venit, & sic tetigit fluctus. *Parenthesis*, vbi interponimus sententiam nostram, quæ ex medio remota integer sensus perdurat: vt, Æneas (neque enim patrius consistere mentem Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem. Est enim ordo, Æneas rapidum præmittit Achatem. Nam illud in medio parenthesis est. *Tmesis* est sectio vnius nominis per interpositionem verborum: vt, Multum nebulæ circum Dea fudit amictum, Pro circumfudit. *Synthesis* est, vbi ex omni parte confusa sunt verba: vt illud, Iuuenes, fortissima frustra pectora, si vobis audendi extrema cupido est Certa sequi, quę sit rebus fortuna videtis. Excessere omnes adytis arisque relictis Dij quibus imperium hoc steterat, succurritis vrbi Incensæ, moriamur, & in media arma ruamus. Ordo talis est, Iuuenes fortissima pectora, frustra succurritis vrbi incensæ, quia excessere dij quibus hoc imperium steterat. Vnde si vobis cupido certa est me sequi, audentem extrema: ruamus in media arma & moriamur. ¶ *Hyperbole* est excelsitas fidem excedens vltra quàm credendum est: vt sydera verberat vnda: &, Terram inter fluctus aperit. Hoc enim modo vltra fidem aliquid augetur: nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur, quamuis verba quibus indicatur excedant, vt voluntas loquentis non fallentis appareat. quo tropo non solum augetur aliquid, sed & minuitur: *augetur*, vt velocior auris: *minuitur*, vt, mollior pluma, durior saxo. ¶ *Allegoria* est alieniloquium, aliud enim sonat, aliud intelligitur: vt, Tres in littore ceruos Conspicit errantes. Vbi tres duces belli Punici, vel tria bella Punica significantur. Et in Bucolicis, Aurea mala decem misi, id est ad Augustum decem eglogas pastorum. Huius tropi plures sunt species, ex quibus eminent vij. Ironia, Antiphrasis, Ænigma, Charientismos, Parœmia, Sarcasmos, Astismos. *Ironia* est sententia per pronunciationem contrarium habens intellectum. Hoc enim tropo callidè aut per accusationem, aut per insultationem aliquid dicitur. vt est illud, Vestras Eure domos, illa se iactet in aula Æolus, & clauso ventorũ carcere regnet. Et quomodo aula, si carcer est? Soluitur enim pronuntiatione. Nam carcer pronuntiatio est: iactet in aula, Ironia est, & totum per contrariam pronuntiationem enuntiatur per Ironiæ speciem, quæ laudando deridet. *Antiphrasis* est sermo è contrario intelligendus: vt lucus, quia caret luce per nimiam nemorum vmbram. & manes, id est mites & modesti, cùm sint terribiles & immanes, & Parcæ & Eumenides, id est, Furię quod nulli parcant vel benefaciant. Hoc tropo & nani Athlantes, & cæci videntes, & vulgo Æthiopes argentei appellantur. Inter Ironiam autem & Antiphrasin hoc distat, quòd Ironia pronuntiatione sola indicat quod intelligi vult, sicut cùm dicimus homini agenti malè, Bonum est quod facis. Antiphrasis verò non voce pronuntiantis significat contrarium, sed iis tantùm verbis quorum origo contraria est. *Ænigma* est quęstio obscura, quę difficilè intelligitur, nisi aperiatur: vt est illud. De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo: significans ex ore leonis fauum extractum. Inter allegoriam autem & ænigma hoc interest: quòd allegoria bis gemina est: & sub re alia aliud figuraliter indicat: Ænigma verò tantùm sensus obscurus est, & per quasdam imagines adumbratus est: vt, Quædam filia mater matris, & mater filiarum filię suæ. *Charientismos* est tropus, quo dura dictu gratius proferuntur. vti cũ interrogantibus nobis, numquid nos quęsierit aliquis: respondetur, bona fortuna. Vnde intelligitur, neminem nos quęsisse. *Parœmia* est rebus & temporibus accommodatum prouerbium. Rebus, vt, Contra stimulum calces: dum significatur aduersis resistendum. Temporibus, vt, Lupus est in fabula. Aiunt enim rustici vocem hominem perdere, si eum prior lupus viderit. Vnde & subitò tacenti dicitur illud prouerbium, Lupus in fabula. *Sarcasmos* est hostilis irrisio, cum amaritudine: vt, Referes ergo hęc & nuntius ibis Pelidæ genitori, illi mea tristia facta, Degenerémque Neoptolemum narrare memento. Huic contrarius est *Astysmus*, id est, vrbanitas sine iracundia: vt id, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui, Atque idem iungat vulpes & mulgeat hircos. id est, qui Bauium non odit, pro pœna ei contingat vt diligat Meuium. Fuerũt autem Meuius & Bauius poetę pessimi, & inj-

mici Virgilij. Qui hos ergo diligit, faciat quæ contra naturam sunt, id est, iungat vulpes & mulgeat hircos. ¶ *Ὁμοίωσις* est, quæ Latinè interpretatur similitudo, per quam minus notæ rei per similitudinem eius quę magis nota est panditur demonstratio. Huius species sunt tres, icon, parabolæ, paradigma, id est cõparatio, exemplum. *Icon* est imago, cùm figuram rei ex simili genere conamur exprimere: vt, Omnia Mercurio similia, vocémque colorémque, Et crines flauos, & membra decora iuuentæ. Congrua enim est similitudo de specie, cuius persona inducitur. *Parabola* est cõparatio ex dissimilibus rebus: vt, Qualis in aruis est fere Libyæ visus leo, cominus hostem consedit: vbi leoni Cæsarem comparauit, non ex suo, sed ex alio genere comparationem faciens. *Paradigma* est exemplum dicti vel facti alicuius, aut ex simili, aut ex dissimili genere, conueniens ei, quàm proponimus rei, ita, Tam fortiter periit apud Hipponam Scipio, quàm Vticę Cato. Similitudo autem tribus modis fit, à pari, à maiore, à minore. *A pari*, Ac veluti magno in populo cum sæpè coorta est Seditio. *à maiore ad minus*, Qualiter expressum ventis per nubila fulmen, *à minore ad maius*, Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus, Threicia fretus cithara, fidibúsque canoris. quasi dicat, re parua & breui, id est, si ille cithara fretus, ego pietate.

De prosa. CAP. XXXVII.

PRosa est producta oratio, & à lege metri soluta. *Prosum* enim antiqui productum dicebant & rectũ. Vnde ait Varro, Apud Plautum prosis lectis significare rectis. vnde etiam quæ non est perflexa numero: sed recta *prosa oratio* dicitur, in rectum producendo. Alij *prosam* aiunt dictam ab eo, quòd sit profusa, vel ab eo quòd spatiosius proruat & excurrat, nullo sibi termino præfinito. Præterea sciendum tam apud Græcos, quàm apud Latinos longè antiquiorem curam fuisse carminum, quàm prosæ. Omnia enim prius versibus condebantur, prosæ autem studium serò viguit. Primus apud Græcos Pherecides Syrus soluta oratione scripsit. apud Romanos autem Appius Cæcus aduersus Pyrrhum solutam orationem, primus exercuit. Iam exhinc & cæteri prosam orationem condiderunt.

De Metris. CAP. XXXVIII.

MEtra vocata, quia certis pedum mensuris atque spaciis terminantur, neq; vltra dimensionẽ temporũ constitutam procedunt. Mensura enim Gręcè *μέτρον* dicitur. *Versus* dicti ab eo, quòd pedibus in ordine suo dispositis, certo fine moderantur per articulos: qui cæsa, & membra nominantur. Qui ne longius prouoluerentur, quàm iudiciũ posset sustinere, modum statuit ratio vnde reuerteretur, & ab eo ipso versum vocatũ dicunt, quòd reuertatur. Huic adhæret *rythmus*, qui nõ est certo fine moderatus: sed tamen rationabiliter ordinatis pedibus currit: qui Latinè nihil aliud quã numerus dicitur. de quo est illud, Numeros memini si verba tenerem. *Carmen* vocatur quicquid pedes continetur: cui datum nomen existimant, seu quòd carptim pronuntiaretur, vnde hodie lanã quã purgãtes discerpunt, carminare dicimus: seu quòd qui illa canerẽt, carere mẽte existimabantur. ¶ *Metra* vel à pedibus nũcupata, vel à numero syllabarũ, vel ab inuentoribus, vel à frequentatoribus, vel à rebus quæ scribuntur. *A pedibus* metra vocata, vt dactilica, iãbica, trochaica. A trocheo enim trochaicũ metrũ nascitur, à dactilo dactilicũ: sic & alia à suis pedib⁹. *A numero* vero exametrũ, pẽtametrũ, trimetrũ. Nam senarios versus nos ex numero pedum vocamus. Hos Græci quia geminos ferunt, trimetros dicũt. Exametros autẽ Latinos primũ fecisse Ennius traditur, eósque lõgos vocat. *Ab inuẽtoribus* metra vocata dicũtur, vt Anacreonticum, Sapphicũ, Archiloicũ. Nã Anacreontica metra Anacreõ Teius cõposuit: Sapphica Sappho mulier edidit. Archiloicũ, Archilochus quidam scripsit. Colophoniũ, Colophoni⁹ quidã exercuit. Sota deorũ quoque repertor est Sotades genere Cretẽsis. Simonidia quoque metra Simonides poeta liricus cõposuit. *A frequentatoribus*, vt Asclepiadea. Non enim ea Asclepius inuenit: sed proinde ita vocata sunt, quòd eis idẽ frequentissimè, & elegantissimè vsus sit. *A rebus* quę scribuntur, vt heroicum, elegiacũ, bucolicũ. *Heroicũ* enim carmẽ dictum, quod eo virorũ fortiũ res & facta narrẽtur. Nã *heroes* appellãtur viri quasi aerij, & cœlo digni propter sapientiã & fortitudinẽ: quod metrũ auctoritate cætera metra præcedit, vnũ ex omnibus tã maximis operibus aptũ quàm paruis suauitatis & dulcedinis æquè capax. Quibus virtutibus nomẽ solùm obtinuit, vt heroicũ vocaretur ad memorandas scilicet heroũ res, hoc est fortiũ. Nã & præ cæteris simplissimũ habetur, cõstátq; duobus pedibus, dactilo & spondæo, ac sæpe penè vel ex hoc, vel ex illo, nisi quòd intemperantius fit vtriusq; mixtura, quàm si metris struatur à singulis. Omnibus quoque prius est. Hoc primũ Moyses in cãtico Deuteronomij, lõgè ante Pherecidẽ & Homerũ cecinisse ꝓbatur. Vnde & apparet antiqui⁹ fuisse apud Hebræos studium carminũ, quàm apud Gentiles. Siquidẽ & Iob Moysi tẽporibus adęquat⁹ hexametro versu dactilo spondęóq; decurrit. Hoc apud Gręcos Acharesius Milesius fertur prim⁹ cõposuisse: vel, vt alij putãt, Pherecides Syrus, quod metrũ ante Homerũ Pythium

thium dictum est. post Homerum heroicum nominatum. Pythium autem vocatum volunt, eo quòd hoc genere metri oracula Apollinis sint edita. Nam cùm in Parnasso monte Pythonem serpentem in vindictam matris sagittis insequeretur, accolæ Delphici hoc illum metro hortati sunt, vt ait Terentianus. *Elegiacum* autem dictum, eo quòd modulatio eiusdem carminis conueniat miseris. Terentianus hos elegos dicere solet: quòd clausula talis tristibus, vt tradunt, aptior esset modis. Hoc autem vix omnino constat à quo sit inuentum: nisi quia apud nos Ennius eo prior vsus est. Nam apud Græcos sic adhuc lex Grammaticorum pendet: vt sub iudice res relegata sit. Nam quidam eorum Colophoniũ quendam, quidam Archilochum auctorem atque inuentorem volũt. *Bucoliũ*, id est, pastorale carmen plerique Syracusis primum compositum à pastoribus opinantur: nonnulli Lacedæmone. Namque transeunte in Thraciam Xerxe rege Persarum, cùm Spartanæ virgines, sub hostili metu neque egredi vrbem auderent, neque pompam chorúmque agrestem Dianæ deæ pro more exercerent: turba pastorum ne religio periret, eundem in conditis cantibus celebrarũt. Appellatur autem Bucolicũ de maiore parte: quamuis opilionum caprariorúmque sermones in iis & cantica inserantur. *Hymnos* primùm Dauid propheta in laudem Dei cõposuisse ac cecinisse manifestum est. Deinde apud Gentiles prima Memmia Timotoe fecit in Apollinem & Musas, quæ fuit temporibus Ennij longe post Dauid. Hymni autem ex Græco in Latinum laudes interpretantur. *Epithalamia* sunt carmina nubentium, quæ decantantur à scholasticis in honorem sponsi & sponsæ. Hæc primum Salomon edidit in laudem ecclesiæ & Christi. Ex quo Gentiles sibi Epithalamium vindicarũt & istius generis carmen assumptum hæsit. Quod genus primum à Gentilibus in scenis celebrabatur, postea tantùm in nuptiis hæsit. Vocatur autem epithalamium, eo quòd super thalamũ decantetur. *Threnos*, quòd Latinè lamentum vocamus, primus Ieremias versu composuit super vrbem Hierusalem & populum, quando captiuus ductus est. Post hunc apud Græcos Simonides poeta lyricus. Adhibebantur autem funeribus atque lamentis: similiter & nunc. *Epitaphium* Græcè, Latinè supra tumulum. Est enim titulus mortuorum, qui in dormitione eorum fit qui iam defuncti sunt. Scribuntur enim ibi vita & mores & ætas eorum. *Poësis* dicitur Græco nomine opus multorum librorum: *poëma* vnius. *Idilion* paucorum versuum. *distichon* duorum. *monostichon* vnius. *Epigramma* est titulus, quod in Latinum superscriptio interpretatur: *Epi* enim super. γράμμα litera vel scriptio nominatur. *Epodon* in poemate clausula breuis est. Dictum autem epodon quòd adunatur ad speciem elegiaci, vbi præmisso vno longiori, alter breuior componitur, atque ita in singulis quibusque maioribus sequentes minores quasi clausulæ recinũt. *Clausulas* autem Lirici appellant, quasi præcisos versus integris subiectos, vt est apud Horatium: *Beatus ille qui procul negotiis*, deinde sequitur præcisus, *vt prisca gens mortalium*: sic & deinceps alterni, quibus aliqua pars deest: & ipsi præcedentibus similes, sed minores: *Centones* apud Grammaticos vocari solent, qui de carminibus Homeri vel Virgilij ad propria opera more centenario, ex multis hinc inde compositis in vnum sarciuntur corpus, ad facultatem cuiusque materiæ. Deniq; Proba vxor Adelphi centonem ex Virgilio de Fabrica mundi & euangeliis plenissimè expressit, materia composita secundum versus, & versibus secundum materiam concinnatis: sic quoque quidam Pomponius ex eo demum poemate inter cætera stili sui otia Tityrum in Christi honorem composuit: similiter & Æneidos.

De fabula. Cap. XXXIX.

Fabulas poetæ à fando nominauerunt: quia non sunt res factæ, sed tantùm fando fictæ. Quæ ideo sunt inductæ, vt ficto mutorum animalium inter se colloquio imago quædam vitæ hominum nosceretur. ¶ Has primus inuenisse traditur Alcimon Crotoniensis: appellantur Æsopicæ, quia is apud Phrygiam in hac re pollebat. Sunt autem fabulæ aut *Aesopicæ*, aut *Libysticæ*. *Aesopicæ* sunt, cùm animalia muta inter se sermocinasse finguntur, vel quæ animam non habẽt, vt vrbes, arbores, montes, petræ, flumina. *Libysticæ* autem dum hominum cum bestiis, aut bestiarum hominibus fingitur vocis esse cõmercium. ¶ Fabulas poetæ quasdam delectãdi causa finxerunt, quasdã ad naturas rerum, nonnullas ad mores hominum interpretati sunt. *Delectandi* causa fictas, vt eas quas vulgò dicunt, vel quas Plautus & Terentius cõposuerunt. *Ad naturam rerum fabulas fingũt*, vt, Vulcanus claudus, quia per naturam nunquam rectus est ignis, vt illa triformis bestia, prima leo, postrema draco, media ipsa Chimera, id est caprea ætates hominum per eam volentes distinguere, quarum ferox & horrens prima adolescentia, vt Leo, dimidium vitæ tempus lucidissimum, vt caprea, eo quòd acutissimè videat, tunc fit senectus casibus inflexis, vt draco. Sic & Hippocentauri fabulam esse confictam id est, hominum equo mixtum ad exprimendam humanæ vitæ velocitatem, quia equum constat esse velocissi-

mum. *Ad mores*, vt apud Horatium mus loquitur muri: mustella vulpeculæ: vt per narrationem fictam ad id quod agitur verax significatio referatur. Vnde & Æsopi tales fabulæ sunt ad morum finem relatæ, vel sicut in libro Iudicum ligna sibi regem requirunt, & loquuntur ad oliuam, & ad ficum, & ad vitem, & ad rubum: quod totum vtique ad mores finguntur: vt ad rem quę intenditur, ficta quidem narratione, sed veraci significatione veniatur. Sic & Demosthenes orator fabula abusus est aduersus Philippum, qui cum ab Atheniensibus postularet, vt sibi decem oratores darentur, vel discederet, finxit ille hanc fabulam, qua dissuaderet, dicens: lupos aliquorum pastoribus, quorum diligentiam decipere voluissent, suasisse, vt in amicitiam conuenirent: ea tamen conditione vt canes in quib. erat causa iurgiorũ, iure illis traderentur: annuisse pastores, & in spem securitates dedisse canes, quos ouium suarum vigilantissimos custodes habebant. Tunc lupi adempta omni formidine, omne quod in gregibus illis erat, non pro satietate tantum, verum etiam pro libidine lacerauerunt. Philippum hoc quoque princeps populi postulare, quo facilius posset opprimere spoliatam custodibus vrbem.

De historia. CAP. XL.

Historia est narratio rei gestę, per quam ea quæ in præterito facta sunt dignoscuntur. Dicta autem Græcè Historià ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, vel à videre, vel à cognoscere. Apud veteres enim nemo conscribebat Historiam, nisi is qui interfuisset, & ea quæ scribenda essent vidisset. Melius enim oculis quæ fiunt deprehendimus, quàm ea quæ auditione colligimus. Quæ enim videntur, sine mendacio proferuntur. Hæc disciplina ad Grammaticam pertinet, quia quicquid dignum memoria est, literis mandatur. Historiæ autem ideo *monimenta* dicuntur, quòd memoriam tribuunt rerum gestarum. *Series* autem dicta per translationem à sertis florum inuicem comprehensorum.

De primis auctoribus historiarum. CAP. XLI.

Historiam autem primus apud nos Moyses de initio mundi conscripsit. Apud Gentiles verò primus Dares Phrygius de Grecis & Troianis historiam edidit: quam in foliis palmarum ab eo conscriptam esse ferunt. Post Daretem autem in Græcia Herodotus primus historiographus habitus. Post quem Phærecides claruit iis temporibus quibus Esdras legem conscripsit.

De vtilitate historiæ. CAP. XLII.

Historiæ gentium non impediunt legentes in iis quæ vtilia dixerunt. Multi enim sapientes præterita hominum gesta ad institutionem præsentium historiis tradiderunt. Siquidem & per Historiam summa retrò temporum annorúmque supputatio comprehenditur: & per consultum regúmque successum multa necessaria perscrutantur.

De generibus historiæ. CAP. XLIII.

Genus historiæ triplex est. *Ephemeris* namque appellatur vnius diei digestio: hoc apud nos *Diarium* vocatur. Nam quod Latini diurnum, Græci Ephemerida dicunt. *Kalendaria* appellantur, quæ in menses singulos digeruntur. *Annales* sunt res singulorum annorum. Quæcunque enim digna memoriæ domi militięque mari ac terræ per annos in commentariis acta sunt, ab anniuersariis gestis annales nominauerunt. *Historia* autem multorum annorum vel temporum est: cuius diligentia annui commentarij in libris delati sunt. Inter *Historiam* autem & *Annales* hoc interest, quòd *historia* est eorum temporum quę vidimus: *annales* verò sunt annorum quos ætas nostra non nouit. Vnde Sallustius ex historialibus, Eusebius & Hieronymus ex annalibus & historia constat. ¶ Inter. Historiam, & argumentum & fabulam interest. Nam *Historiæ* sunt res verę, quę factę sunt. *argumenta* sunt, quę etsi facta non sunt, fieri tamen possunt. *fabulæ* verò sunt, quę nec facta sunt, nec fieri possunt, quia contra naturam sunt.

ISIDO-

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER II.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

DE RHETORICA.
CAP. I.

RHETORICA est bene dicendi scientia, in ciuilibus quæstionibus, ad persuadendum iusta & bona in rerum personarúmque negotio, & causa. ¶ Dicta autē *Rhetorica* Græca appellatione ἀπὸ τοῦ ῥητορίζειν, id est, à copia locutionis. ῥῆσις enim apud Græcos locutio dicitur ῥήτωρ orator. ¶ Coniuncta est autem Grammaticæ arti Rhetorica. in Grammatica enim scientiam recte loquendi discimus In Rhetorica vero percipimus qualiter ea quæ didicimus proferamus.

De inuentoribus Rhetoricæ artis.
CAP. II.

HÆc autem disciplina à Græcis inuēta est à Gorgia, Aristotele, Hermagora: translata in Latinum à Tullio videlicet & Ticiano, & Quintiliano, sed ita copiosè, ita variè, vel pro scientia, vel pro loquacitate verborum, vt eam lectori admirari in promptu sit, comprehendere impossibile. Nam membranis retentis, quasi accrescit memoriæ series dictionis: ac mox repositis recordatio omnis elabitur. Huius disciplinæ perfecta cognitio oratorem facit.

De nomine oratoris & partibus Rhetoricæ.
CAP. III.

ORator est igitur vir bonus dicendi peritus. ¶ *Vir bonus* consistit natura, moribus, vita, artibus. *Dicendi peritus* consistit artificiosa eloquentia, quæ constat partibus quinque, Inuentione, Dispositione, Elocutione, Memoria, Pronuntiatione, & fine officij, quod est aliquid persuadere. Ipsa autem *peritia dicendi in tribus rebus consistit*, natura, doctrina, vsu. *Natura*, ingenio: *doctrina*, scientia: *vsus*, assiduitate. Hęc sunt enim quæ non solùm in oratore, sed in vnoquoque homine artifice spectantur, vt aliquid efficiat.

De tribus generibus causarum.
CAP. IV.

GEnera *causarū* tria sunt, deliberatiuū, demōstratiuū, iudiciale. *Deliberatiuū*, genus est, in quo de quibuslibet vtilitatib. vitæ, quod aut debeat aut nō debeat fieri tractatur. *Demōstratiuū*, in quo laudabilis persona aut reprehēsibilis ostēditur. *Iudiciale*,

in quo de ipsius personæ facto: aut pœnæ aut præmij sentētia datur. ¶ Dictum autem *iudiciale*, eo quòd iudicet hominē, & sentētia sua ostēdat, vtrū laudabilis præmio dignus sit, aut certè reus condēnari, liberarive supplicio debeat. ¶ *Deliberatiuum* genus vocatur, eo quòd de vnaquaq. re in eo deliberatur. Huius genus duplex est, suasio & dissuasio, id est, de expectādo & fugiēdo, id est, de faciendo & nō faciēdo. Suasoria autem in tribus locis diuiditur, honesto, vtili, & possibili. Hæc differt aliquid à deliberatiua: quia *suasoria* eget altera persona, *deliberatiua* interdū & apud se agit. In suasoria autem duæ sunt, quæ plus valent, spes & metus. ¶ *Demonstratiuum* dictum quòd vnamquanque rem aut laudando aut vituperando demonstrat. quod genus duas habet species, laudem & vituperationem. *Laudis ordo tribus temporibus* distinguitur, ante ipsum, in ipsum, post ipsum. *Ante ipsū*: vt, - quæ te tam læta tulerunt Secula: *In ipsum*: vt, O sola infandos Troiæ miserata labores *Post ipsum*; vt, In freta dū fluuij current, dum montib. vmbræ Lustrabūt, cōuexa polus dum sydera pascet: Semper honos noménq. tuū laudésq. manebūt. Pari ordine è contrario & in vituperatione hominis hæc forma seruanda est, ad hominem, in hominem, post hominem. ¶ *Locus cōmunis*, locus rhetoricus nullus est alius, nisi argumenti sedes. Hæc verò communitas ad inquisitionē pertinet: vt nūquā māducaui cōmune, etiā immundū. Locus cōmunis demonstratiuum vituperationis genus pertinet. Quod tamen ab eo in aliquo differt. Nam vituperatio quæ contraria est laudi, specialiter ad certam facientis personam adhibetur. Communis verò locus generaliter in facti crimine præponitur. Vnde & communis locus dicitur: quia absente persona non tantùm in hominem, quantum in ipsum crimen exponitur. Omne enim vitium non in vno tantùm, sed etiam commune in plurimis inuenitur.

De gemino statu causarum. CAP. V.

STatus causarū, apud Rhetores dicitur ea res, in qua causa consistit, id est, constitutio. Græci enim statum à contentione ϛάσιν dicunt. Latini autem non solùm à pugna per quam expugnent propositionem aduersarij, sed quòd in eo pars vtraque consistat. Fit autem ex intentione & depulsione. ¶ Status autem causarum duo sunt, *rationalis* & *legalis*. De rationali oriuntur coniectura, finis, qualitas, translatio. De fine, iudicialis & negotialis. De iudiciali, absolutiua & assumptiua. De assumptiua, concessio, remotio criminis, relatio criminis, compensatio. De concessione, purgatio & deprecatio. *Coniecturalis status* est cùm factū quòd alij obiicitur, ab alio pernegatur. *Diffinitiuus status* est, cum id quod obiicitur, non hoc esse contenditur, sed quid illud sit adhibitis diffinitionibus approbatur. *Qualitas* est dū qualis sit res quæritur: & quia de vi & genere negotij controuersia agitur, constitutio generalis appellatur. *Translatio* est, cùm causa pendet ab eo: quod aut non is agere videtur quem oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oporteat. Translatiua constitutio est: quòd actio translationis & commutationis indigere videtur. ¶ *Iudicialis* est, in qua æqui & recti natura & præmij aut pœnæ ratio quæritur. *Negotialis* est in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate sit consideratur. ¶ *Assumptiua est*, quæ ipsa ex se nihil dat firmi ad recusationem, foris autem aliquid defensionis assumit. *Cōcessio* est, cùm reus omnis non id quod factū est defendit, sed vt ignoscatur postulat, quod nos ad pœnitentes probauimus pertinere. *Remotio criminis* est, cùm id crimen quod infertur ab se & ab sua culpa, vi & potestate in aliū reus dimouere conatur. *Relatio criminis est*: cū ideo iure factū dicitur, quòd aliquis ante iniuria lacessitus sit. *Cōparatio* est, cùm aliud aliquod alterius factum honestum aut vtile contenditur, quòd vt fieret illud quod arguitur, dicitur esse commissum. ¶ *Purgatio* est, cum factū quidem conceditur, sed culpa remouetur. Hæc partes habet tres, imprudentiam, casum, necessitatem. *Deprecatio* est, cum & peccasse se, & consultò peccasse reus confitetur, & tamen vt ignoscatur postulat: quod genus perrarò potest accidere. ¶ Item ex legali statu hæc oriuntur, id est, scriptum & voluntas, leges contrariæ, ambiguitas, collectio siue ratiocinatio & diffinitio legalis. *Scriptum & voluntas est*, quando verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere. *Legis contraria status* est: quando inter se duæ leges aut plures discrepare videntur. *Ambiguitas est*, cum id quod scriptum est, duas aut plures res significare videtur. *Collectio* vel *ratiocinatio* est: quando ex eo quod scriptum est, aliud quoque quod non scriptū est, inuenitur. *Diffinitio legalis* est, cum vis verbi quasi in diffinitiua cōstitutione in qua posita sit quæritur. ¶ Status ergo tam rationales quàm legales à quibusdam certius xviij. connumerati sunt, cæterum secundū rhetoricos libros Tullij xix. reperiuntur. propterea, quia translationem inter rationales principaliter affixit status. Inde se ipse etiam Cicero reprehendens, translationem legalibus statibus applicauit.

De triper.

De tripertita controuersia.

CAP. LXI.

TRipertita controuersia, iuxta Ciceronem aut simplex est, aut iuncta. Et si iuncta est, considerãdum est, vtrum ex pluribus quæstionibus iuncta sit, an ex aliqua comparatione. ¶ *Controuersia simplex* est, quæ absolutam continet vnam quæstionẽ hoc modo: Corinthiis bellum indicimus, an non? *Iuncta* est *ex pluribus quæstionibus*, in qua plura quæruntur hoc pacto: Vtrum Carthago diruatur, aut Carthaginensibus reddatur, an eò colonia deducatur? *Ex cõparatione*, in qua per contentionem vtrum potius, aut quid potissimùm quæritur, ad hunc modũ: Vtrũ exercitus in Macedoniã contra Philippum mittatur, qui sociis sit auxilio, an teneatur in Italia, vt quàm maximæ contra Annibalem positæ copiæ sint.

De quatuor partibus orationis.

CAP. VII.

PArtes orationis in *Rhetorica* arte quatuor sunt, Exordium, Narratio, Argumentatio, Conclusio. ¶ Harum *prima* auditoris animum prouocat. *secunda* res gestas explicat. *tertia* fidem assertionibus facit. *quarta* finem totius orationis complectitur. ¶ *Inchoandum* est itaque taliter, vt beneuolum docilem vel attentum auditorẽ faciamus. *beneuolum*, precando, *docilem* instruendo, *attentum* excitando. ¶ *Narrandum* est ita, vt breuiter atque aperte loquamur. ¶ *Argumentandũ* ita, vt primùm nostra firmemus, dehinc aduersa confringamus. ¶ *Concludendum* est ita, vt concitemus animum audientis implere quæ dicimus.

De quinque modis causarum.

CAP. VIII.

SPecies *causarum* sunt quinque, id est, honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum. *Honestum* causæ genus est, cui statim sine oratione nostra fauet animus auditoris. *Admirabile* est, quo attentus sit animus eorum qui audituri sunt. *Humile* est, quod negligitur ab auditore, & nõ magnoperè attendendũ videtur. *Anceps* est, in quo aut iudicatio dubia est, aut causa honestatis & turpitudinis particeps, vt & beneuolentiam pariat & offensam. *Obscurum* est, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa cernitur implicata.

De *syllogismis*. CAP. IX.

SYllogismus Græcè, Latinè argumentatio appellatur. *Argumentatio* autẽ dicta est, quasi argutæ mentis oratio, qua inuentum probabile exequimur. *Syllogismus* igitur est propositionis & assumptionis, confirmationique extrema conclusio: aut ex ambigẽtis incerto, aut ex fiducia comprobantis. ¶ Constat enim tribus partibus, propositione, assumptione, conclusione. *Propositione*, vt puta, quòd bonum est, turpem vsum habere nõ potest. Consentit audiens, assumpsit ille: Pecunia turpem vsum habet. Concluditur, Ergo pecunia non est bonum. ¶ Syllogismis autẽ non solùm rhetores, sed maximè Dialectici vtuntur, licet Apostolus sæpe proponat, assumat, confirmet, atque concludat: quæ vt diximus, propriæ artis Dialecticæ, atque Rhetoricæ sunt. ¶ Syllogismorum apud rhetores principaliter genera duo sunt, *Inductio* & *ratiocinatio*. ¶ *Inductionis membra* tria sunt. prima *propositio*, secunda *illatio*, quæ & assumptio dicitur, tertia *conclusio*: *Inductio* est, quæ rebus nõ dubiis captat assensionem eius cũ quo instituta est: siue inter Philosophos, siue inter Rhetores, siue inter sermocinantes, *Propositio inductionis* est, quæ similitudines concedendæ rei necessariò vnius inducit aut plurimorum. *Illatio inductionis* est: quę & assumptio dicitur: quæ rẽ de qua cõtenditur, & cuius causa similitudines habitæ sunt, introducit. *Conclusio inductionis* est, quæ aut concessionẽ illationis confirmat: aut quid ex ea conficiatur declarat. ¶ *Ratiocinatio* est oratio, qua id, de quo quæstio, comprobatur. ¶ *Ratiocinationis duo* sunt *modi*. Primus *enthimema*, qui est imperfectus syllogismus atque rhetoricus. Secundus *Epichirima*, qui est in Rhetoricis latior syllogismus. *Enthimema* igitur Latinè interpretatur mentis conceptio, quam imperfectum syllogismum solẽt Antigraphi nũcupare. Nam in duabus partibus eius argumenti forma consistit, quãdo eo quo ad fidem pertinet faciendã vtitur syllogismorum lege prætermissa, vt est illud: Si tempestas vitanda est: non igitur nauigandum. Ex sola enim propositione constat esse perfectum: vnde magis Rhetoribus quàm Dialecticis conuenire iudicatum est. *Enthymematis membra* sunt quinque, primum conuincibile: secundum ostentabile: tertium sententiale: quartum exemplabile: quintum collectiuum. *Conuincibile* est, quòd euidenti ratione conuincit, sicut fecit Cicero pro Milone: Eius igitur mortis sedetis vltores: cuius vitam si putaretis per vos restitui posse, nolletis. *Ostentabile* est, quod certa rei demonstratione constringit: sicut Cicero in Catilina: Hic tamen viuit, imò viuit, & iam in senatum venit. *Sententiale* est, quod sententia generalis adiicit: vt apud Terentium: Obsequium amicos, veritas odium parit. *Exemplabile* est, quod alicuius exempli compa-

ratione euētum similem comminatur: ſicut Cicero in Philip. Te miror, Antoni, quorū exempla imitaris, eorū exitus non pertimeſcere. *Collectiuum* eſt, cùm in vnum quæ argumēta ſunt, colligūtur, ſicut ait Cicero pro Milone: Quem igitur cū gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela. Quem iure, quem loco, quem tempore non eſt auſus, hunc iniuria, alieno tempore, cum piaculo capitis non dubitauit occidere. Præterea ſecundum Victorinum *enthimematis* eſt *altera definitio ex ſola propoſitione*, ſicut iam dictū eſt: quæ ita cōſtat: Si tēpeſtas vitāda eſt, non eſt nauigatio requirēda. *Ex ſola aſſumptione*, vt eſt illud: Si inimicus eſt, occidit, inimicus autem eſt. Et quia illi deeſt concluſio, enthimema vocatur. ¶ Sequitur *epichirema*, deſcendens de ratiocinatione latior & executior rhetoricis ſyllogiſmis, latitudine diſtans & productione ſermonis à Dialecticis ſyllogiſmis, propter quod rhetoribus datur. Hic autem conſtat modis tribus, primus modus tripertitus eſt. ſecundus quadripertitus: tertius quinque partitus. *Tripartitus epichirematis ſyllogiſmus* eſt, qui conſtat mēbris tribus, id eſt, propoſitione, aſſumptione, concluſione. *Quadripartitus* eſt, qui conſtat ex membris quattuor: prima propoſitione, ſecunda aſſumptione, & vna propoſitionis ſue aſſumptionis coniunctione: tertia probatione & cōcluſione. *Quinque partitus* eſt, qui conſtat ex membris quinque: id eſt, prima propoſitione: ſecunda eius probatione: tertia aſſumptione: quarta eius probatione: quinta concluſione. Hunc Cicero ita facit in arte Rhetorica: Si deliberatio & demonſtratio genera ſunt cauſarū, non poſſunt rectè partes alicuius generis cauſæ putari. eadem enim res aliis genus, aliis pars eſſe poteſt. Idem genus & pars nō poteſt. cætera quouſque ſyllogiſmi huius membra clauduntur.

De lege. Cap. X.

Lex eſt conſtitutio populi, quā maiores natu cū plebibus ſanxerunt. Nam quid Rex aut Imperator edicit, Conſtitutio vel edictū vocatur. ¶ *Inſtitutio æquitatis* duplex eſt, nunc in legibus, nūc in moribus. ¶ Inter *legem* autem & *mores* hoc intereſt, quòd lex ſcripta eſt: *mos* verò eſt vetuſtate probata cōſuetudo: ſiue lex nō ſcripta: Nā *lex* à legendo vocata, quia ſcripta eſt. *Mos* autem longa cōſuetudo eſt, de moribus tracta tantundē: *Conſuetudo* autem ius quoddā moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur cùm deficit *lex*, nec ſcriptura aut ratione conſiſtat: quando & legem ratio commendat. Porrò ſi ratione lex conſiſtat, lex erit omne iam quod ratione conſtiterit, duntaxat quod religioni congruat, quod diſciplinę conueniat, quod ſaluti proficiat. ¶ Vocata autem *conſuetudo* quia eſt in communi vſu. ¶ Omnis autem lex, aut *permittit* aliquid, vt eſt illud, Vir fortis petat præmiū: aut *vetat*, vt Sacratum virginum nuptias nulli petere liceat: aut *punit*, vt, Qui cædē fecerit, capite plectatur. ¶ Factę ſunt autem leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutáque ſit inter improbos innocentia: & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur nocendi facultas. Legis enim præmio aut pœna vita moderatur humana. ¶ Erit autem lex honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum conſuetudinem patriæ, loco temporíque conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſtáque, ne aliquid per obſcuritatem, captionem contineat, nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta.

De ſententia & Chria. Cap. XI.

Sententia eſt dictum impersonale, vt, obſequium amicos, veritas odium parit. Hinc ſi perſona fuerat adiecta, id eſt, iudicium; *chria* erit: ita offendit Achilles Agamemnonem vera dicendo: Metrophanes promeruit gratiam Mithridatis obſequendo. Nam inter *chriam* & *ſententiam* hoc intereſt, quòd *ſententia* ſine perſona profertur, *chria* ſine perſona nunquam dicitur. Vnde ſi ſententiæ perſona adiiciatur, fit *chria*, ſi detrahatur, fit *ſententia*.

De Cataſceue & Anaſceue. Cap. XII.

Cataſceue eſt confirmatio propoſitæ rei. *anaſceue* autem contraria ſuperiori eſt. Reuincit enim non fuiſſe aut non eſſe quod natum, aut factum, aut dictum eſſe proponitur, vt ſi quis Chimeram neget fuiſſe, aut fuiſſe confirmet. Inter has & theſin hoc intereſt, quòd *theſis* quamuis & ipſa habeat diſputationem in vtranque partem ſcilicet negandi & confirmandi, tamen incertæ rei quaſi quædam deliberatio vel coarctatio eſt. *Cataſceue* autem & *anaſceue* in his rebus quæ veriſimiles non ſunt, ſed pro veris ponuntur, plerumque verſantur. ¶ Anaſceue prima diuiſio eſt, inconueniens & mendacium. *Inconuenientis ſpecies* ſunt, quod inhoneſtum eſt, & quod inutile. Item inhoneſtum tractatur, aut in dictis aut in factis. In dictis, vt ſi quis indecora & non reſpondētia auctoritati dixiſſe dicatur, velut ſi aliquis infamet Catonem illum Cenſorium, iuuentutem illam ad nequitiam & luxuriam coartatum. In factis, vt ſi quis

si quis abhorrens aliquid à sanctimonia & nomine suo fecisse dicatur, vt est fabula de adulterio Martis & Veneris. *Mendacium* autem tres habet species: *incredibile*, quod factum non esse credatur: vt adolescentem qui de Siculo littore ingredientes Africam classes videret. *Impossibile* est, vt Clodius insidias Miloni fecerit, & idem occisus sit à Milone. *Contrarium* est: Nam si insidias fecit, occidit. Qui occisus est, non fecit insidias. Hæc distributio in contrarium, vt Clodius insidias fecit Miloni, & occidit. Confirmatio est. Reformata catasceue proderit. Oportebit tamen principia sic ordinare, vt aut credendum esse veterum auctoritati, aut fabulis fidem non habendam esse dicamus. Et id postremum in anasceue requiramus, ne quid aliud significare voluerint, qui ista finxerunt: vt Scillam non marinam, sed maritimam fœminam: nec succinctam canibus, sed rapacem aliquam & inhospitalem venientibus extitisse.

De prosopopœia.

CAP. XIII.

PRosopopœia, est cùm inanimalium rerum & persona & sermo fingitur: sicut Cicero in Catilina. Etenim si mecum patria mea, quæ mihi vita mea multò est charior loqueretur, dicens, &c. Sic & montes, & flumina vel arbores loquentes inducimus, personam imponentes rei, quæ non habet naturam loquendi: quod & tragœdiis vsitatum est, & in orationibus frequentissimè inuenitur.

de Ethopœia. CAP. XIIII.

ETHopœiam vero illam vocamus, in qua hominis personam fingimus, pro exprimendis affectibus ætatis, studij, fortunæ, lætitiæ, sexus, mœroris, audaciæ. Nam cum piratæ persona suscipitur, audax, abrupta, temeraria erit oratio: cùm fœminæ sermo simulatur, sexui conuenire debet oratio: iam vero adolescentis improuida: & senis, debilis: & militis fortis: & imperatoris grauis: & parasiti suasibilis: & rustici, inculta: & philosophi perornata, diuersa oratio dicenda est. Aliter enim loquitur gaudio affectus, aliter vulneratus. In quo genere dictionis illa sunt maximè cogitanda, quis loquatur, & apud quem, & de quo & vbi, & quo tempore: quid egerit, quid acturus sit aut quid pati possit, si hæc consulta neglexerit.

De generibus quæstionum.

CAP. XV.

GEnera quæstionum duo sunt: quorum vnum est finitum alterum infinitum. *Finitum* hypothesis Græcè, Latinè causa dicitur, vbi cum certa persona controuersia est. *Infinitum* quod Græcè thesis, Latinè propositum nominatur: hoc personam non habet certam, nec inest in aliqua certa circunstantia, id est, nec locus, nec tempus. In causa verò certa omnia sunt, vnde quasi pars causæ est propositum.

De elocutione.

CAP. XVI.

IAm verò in elocutionibus illo vti oportebit, vt res, locus, tempus, persona audientis efflagitat, ne profana religiosis, ne inuerecunda castis, ne leuia grauibus, ne lasciuia seriis, ne ridicula tristibus misceantur. Latinè autem & perspicuè loquendum. *Latinè autem loquitur*, qui verba rerum vera & naturalia persequitur, nec à sermone atque cultu præsentis temporis discrepat. Huic non sit satis videre quid dicat: nisi id quoque suauiter & apertè dicere, ne id quidem tantùm: nisi id quod dicit & facere.

De trimodo dicendi genere.

CAP. XVII.

DIcenda sunt quoque summissa leniter, incitata grauiter, inflexa moderatè. Hoc est enim illud trimodum genus dicendi, humile, medium, grandiloquum. Cùm enim magna dicimus, *granditer* proferenda sunt: cùm parua *subtiliter*: cùm mediocria *temperatè*. Nam in paruis causis nihil grande, nihil sublime dicendum est, sed leni ac pedestri more loquendum. In causis autem maioribus, vbi de Deo vel hominum salute referimus, plùs magnificentiæ & fulgoris exhibendum. In temperatis verò causis vbi nihil agitur vt agat, sed tantummodo vt delectetur auditor, inter vtrunque est moderatè dicendum: sed & quamuis de magnis rebus quisque dicat, non tamen semper granditer docere debet sed summissè cùm docet, temperatè cùm aliquid vel laudat, vel vituperat: granditer cùm ad conuersionem auersos animos prouocat. Vtenda tamen verba in summisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia.

De colo, themate, & periodis.

CAP. XVIII.

COmponitur autem, instruitúrque omnis oratio, verbis, commate, colo & periodo. *Comma* particula est sententiæ. *Colo* membrum. *Periodos* ambitus vel circuitus. Fit autem ex coniunctione verborum comma, ex commate colon, ex colis periodos. *Comma est* iuncturæ finitio, vtputa, Etsi vereor, iudices, ecce vnum cōma. sequitur & aliud comma, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere: & factum est *colō*, id est, membrum, quod intellectum sensui præstat, sed adhuc pendet

oratio, sicque deinde ex pluribus membris fit *periodos*, id est, extremæ sententiæ clausula: ita veterem iudiciorum morem requirunt. *Periodos* autem longior esse non debet, quàm vt vno spiritu proferatur.

De vitiis literarum & verborum, & sententiarum cauendis.

CAP. XIX.

PRæterea purum & honestum oratoris eloquium carere debet omnibus vitiis tam in literis quàm in verbis, quàm etiam in sententiis. In literis, vt iunctura apta & conueniens sit, & sic obseruandum, ne præcedẽtis verbi extrema vocalis in eandem vocalem primam incidat verbi sequentis, vt fœminæ Ægyptiæ, quæ structura melior fit, si consonantes vocalibus applicentur: triúmque consonantium, quæ in se incidentes stridere, & quasi rixari videntur, vitanda iunctura est, id est, r, s, x. vt est ars studiorum, rex Xerxes, error Romuli. Fugienda est & consonans m, illisa vocalibus, vt verùm enim. Præterea carere debet oratio & omnibus vitiis, quæ inter prima Grammaticorum studia cognoscuntur.

De iuncturis verborum.

CAP. XX.

IN *verbis* quoque *cauenda* sunt *vitia*, vt non impropria verba ponantur, quæ Græci *Acyrologian* vocant. Amanda est ergo *proprietas*: sic tamen vt aliquando propter humilitatem sordidi, aut spurci vocabuli translatis nominibus sit vtendum, non tamen lõgè accitis, sed vt veris proxima & cognata videantur. Fugienda etiam *Hyperbata* longiora, quæ fieri sine aliorum sensuum confusione non possunt. *Ambiguitas* quoque & vitium illud cauendum: cùm quidam iactatione eloquentiæ docti, quod vno aut duobus verbis significare poterant, interpositis inanibus vocibus longa & circumflexa ambage cõcludunt: quod vitium *Perissologia* vocatur. Cui contrarium vitium est *breuitatis* studio etiam necessaria verba, furari. Fugienda sunt quoque sicut in literis & verbis, ita & in sententiis vitia, quæ inter prima Grammaticorum studia cognoscuntur. Sunt autem *Cacemphaton, Tautologia, Ellipsis, Acyrologia, Macrologia, Perissologia, Pleonasmos,* & his similia. At contrà, orationem extollit & exornat *Energia*, & *Emphasis*, quæ plus quiddam, quàm dixerat, intelligi facit: vt si dicas, Ad gloriam Scipionis ascendet & Virgilius, Demissum lapsi per funem. Cùm enim dicit lapsi, altitudinem imaginis suggerit. Huic contraria virtus est, verbis minuere quæ natura sua magna sunt.

De figuris verborum & sententiarum.

CAP. XXI.

AVgetur & ornatur oratio etiã *figuris verborum ac sententiarum*. Nam quia directa & perpetua oratio fatigationem atque fastidium tam dicendi quàm audiendi creat: flectenda est, & in alias versanda formas, vt & dicentem reficiat & ornatior fiat, & iudicem diuerso vultu auditúque deflectat. De quibus plurimæ superius à Donato in schematibus artis Grammaticæ annotatæ sunt. Vnde tantùm illa hic interponi oportuit, quæ in poemate aut nũquam aut difficulter fiunt, in oratione autem libera fiunt. *Anadiplosis*, est congeminatio verborum, vt, Hic tamen viuit, imò viuit, & iam in senatum venit. *Climax*, est gradatio cum ab eo verbo quo sensus superior terminatur, inferior incipit: ac dehinc quasi per gradus dicendi ordo seruatur, vt est illud Africani: Ex innocentia nascitur dignitas: ex dignitate honor: ex honore imperium, ex imperio libertas. Hanc figuram nonnulli *catenam* appellant, propter quod aliud in alio quasi nectitur nomine, atque ita res plures in geminatione verborum trahuntur. Fit autem schema non solum in singulis verbis, sed etiam in contexione verborum, vt apud Gracchum, Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit, adolescentia senectutis dedecoramentũ, senectus reipublicæ flagitiũ. Sic & apud Scipionem: Vi atque gratis coactus cũ illo sponsionem feci, facta sponsione ad iudicem adduxi, adductum primo cœtu dãnaui, damnatum ex voluntate dimisi. *Antitheta*, quæ Latinè cõtraposita appellantur: quæ dũ ex aduerso ponuntur, sententiæ pulchritudinem faciunt, & in ornamento locutionis decentissima existunt, vt Cicero, Ex hac parte pudor expugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc potestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: hinc denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, & virtutes omnes certant, cum iniquitate, luxuria, ignauia cum temeritate, & cum vitiis omnibus: postremò copia cum egestate: bona ratio cum perdita: mens sana cum amentia: bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In huiusmodi certamine ac prælio, huiusmodi locutionis ornamento liber Ecclesiasticus vsus est, dicens, Contra malum bonum, & contra mortem vita, sic contra pium peccator; & sic intuere in omnia opera altissimi, bina & bina, vnum contra vnum. *Synonymia*, est quoties in connexa oratione pluribus verbis vnam rem significamus, vt ait Cicero, Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas. Item,

tem, Non feram, non patiar, non sinam. *Epanados*, quam regressionem nostri vocant, Principium dignitatis erat penè par, non par fortasse eorum quæ sequebantur. *Antapodosis*, quoties media prima & vltimis conueniũt, vt ibi: Vestrum hoc factum reprehendo Patres conscripti, non meum, ac pulcherrimum quidem factum: verùm, vt dixi, nõ meum sed vestrum. *Paradiastole* est quoties id quod dicimus interpretatione discernimus, cum te pro astuto sapientem appellas: pro inconsiderato fortem, pro inliberali diligentem. *Antanaclasis* est quę eodem verbo contrarium exprimit sensum. Querebatur quidam de filio cur mortem suam expectaret: respondente, Non expecto: imò peto inquit, vt expectes. *Antimetabole*, est conuersio verborum, quæ ordine mutato contrarium efficit sensum: Non vt edam viuo, sed vt viuam edo. Et illud: Si consul Antonius, Brutus hostis: Si conseruator reipublicæ Brutus, hostis Antonius. *Exoche*, Quis eos appellauit? Appius. Quis produxit? Appius. ¶ Nunc *figuras sententiarum*, quas operepretium est cognoscere persequamur. *Sententia*, est dictũ impersonale, vt, Obsequium amicos, veritas odium parit. Huic si persona fuerit adiecta, *Chria* erit, ita: Offendit Achilles Agamemnonem vera dicendo, Metrophanes promeruit gratiam Mithridatis, obsequendo. Nam inter chriam & sententiam hoc interest, quòd *sententia* sine persona profertur, *chria* sine persona nunquam dicitur. Vnde si sententię persona adiiciatur, fit chria: si detrahatur, fit sententia. *Sententiarum species* multæ sunt: Aliæ enim *indicatiua*, aliæ *pronunciatiua*: vt, Nusquam tuta fides. aliæ *imperatiua*: vt, Vade, age nate, voca zephyros, & labere pennis. Aliæ *admiratiua*. vt, Tantæne animis cœlestibus iræ? Aliæ *comparatiua*, vt est: Si vinco & pereo, quid ibi me vincere præstat? Aliæ *superlatiua*, quæ cum aliquo motu animi & indignatione promuntur, vt ibi: Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames. Aliæ *interrogatiua*: vt, iuuenes quæ causa subegit Ignotas tentare vias? Quod genus, vnde domus? pacémne huc fertis an arma? Aliæ *responsiua*, vt illinc, istinc. Aliæ *deprecatiua*: vt, Eripe me his inuicte malis. Aliæ *Promissiua*: vt, Parce metu Cytheræa, manent immota tuorum. Aliæ *concessiua*, quæ cum impulsione prohibeant: vt, Sequere Italiam vẽtis pete regna per vndas. quæ tamen ne non intellecta sit persuasio, permixta sunt aliqua quæ vetent latenter, vt, ventis pete regna per vndas. Aliæ *demonstratiua*. vt, en, ecce. Aliæ *optatiua*: vt, O mihi præteritos referat si Iupiter annos. Aliæ *derogatiua*: vt nequaquam. Aliæ *quæ cum exclamatione proferuntur*: vt, Quis furor ô ciues pacem conuertit in arma? Et Cicero, O dij immortales, vbinam gentium sumus? Aliæ *exhortatiua*, cum ad sententiam prouocamus: vt, Aude hospes contemnere opes. Aliæ *dehortatiua*, cum à contrario vitio peccatóque reducimus. Sunt & *affirmatiua*: vt, Quidni, quippe. *Praeceptiua*: vt, Nudus ara, sere nudus, habebis frigore messes, *Vetatiua*: vt, Néve inter vites corilum sere, néve flagella Summa pete. *Negatiua*: vt, Non, minimè. Sunt & *miratiua*, vt Papę, viuere non licet, & fornicari libet? *Dolentis*, Heu mihi, quòd nullis amor est sanabilis herbis. *Flentis* similitudinis sic: vt, Creta, vt fertur quõdã labyrinthus in alta. *Admonentis, irridentis, gementis, exhortatiua, consolatiua, commiserantis*: quorum quot sunt genera vel figurę, tot & in pronunciando voces. Sunt & *Amphidoxa*: quarum pars honesta est, pars inhonesta: vt, non est tua tuta voluntas, Magna petis Phaeton. Sunt & aliæ, *procatalepsis*, cum id quod nobis obiici poterat, antè præsumimus ad diluendum, vt, Si quis vestrûm iudices, aut eorum qui assunt fortè miratur. Sunt & *aporia*, dubitatio simulantis nescire se quæ scit, aut quomodo dicatur. *Kœnosis* autem dicitur communicatio consilij cum iudicib. aut aduersariis, vt si dicas, Vos consulo iudices, aut vos aduersarij, quid me facere conuenit, aut quid vos facturi fueritis. *Paradoxon*, est cùm dicimus inopinatum aliquid accidisse, vt pro Flacco Cicero Cuius laudis prędicator esse debuerit, eius periculi deprecatorem se esse factum. *Epitrope*, id est permissio, cùm aliquid ipsis iudicibus aut aduersariis permittimus existimanda: vt Caluus in Vaticinio: Perfrica frontem, & dic te digniorem qui prætor fieres quàm Catonem, *Parrhesia*, est oratio libertatis & fiduciæ plena, vt ibi, Occidi non Spurium Melium, & cætera. Qua figura cautè vtendum est, vt Cicero: præmisit enim rationem. *Ethopœia* est, cùm sermonem ex aliena persona inducimus: vt pro Cælio Tullius facit Appium Cæcum cum Clodio loquentem. *Energeta*, est rerum gestarum aut quasi gestarum sub oculis inductio, de qua loquuti iam sumus. *Metathesis* est, quæ mittit animos iudicum in res præteritas aut futuras, hoc modo: Reuocate mentes ad spectaculum expugnatæ miseræ ciuitatis, & videre vos credite incendia, cædes, rapinas, direptiones, liberorum corporum iniurias, captiuitates matronarum, trucidationes senum. In futurum autem, anticipatio eorum quæ dicturus est aduersarius: vt Tullius pro Milone, cùm mittit animos iudicum in eum reipublicæ statum, qui futurus est, etiamsi occiso Milone Clodius viueret. *Aposiopesis* est, cùm id quod dicturi videbamur: silentio intercipimus, ita: Quos ego, sed motos præstat componere fluctus. *Epanalepsis*, est digressio, ita:

Tulit calor me dicendi & dignitas rerum paulò longius quàm volebam: sed redeo ad causam. *Anamnesis* est, commemoratio eius rei quam oblitos fuisse nos fingimus. *Apatesis* est, cùm id quod in animos iudicum quasi deposueramus, opportunè reposcimus. *Ætiologia* est, cùm proponimus aliquid, eiusq; causam & rationem reddimus. *Characterismus*, est descriptio figuræ alicuius expressa: vt, Omnia Mercurio similis vocémque colorem, Et crines & flauos & membra decora iuuenta. Ἀθροισμὸς, cùm plures sensus breuiter expeditos in vnum locum coaceruat, & cum quadam festinatione decurrit: vt Cicero, sic: Rempublicam Quirites vitámque omnium vestrûm, bona, fortunas, coniuges, liberósque vestros, &c. *Ironia est*, cùm per simulationem diuersum, quàm dicit, intelligi cupit. Fit autem, aut cùm laudamus eum quem vituperare volumus aut vituperamus quem laudare volumus. Vtriusque exemplum erit: si dicas, Amatorem reipublicæ Catilinam: hostem reipublicæ Scipionem. *Diasyrmos*, ea quæ magna sunt verbis minuit: aut minima extollit. *Hyphe* est, quoties in eodem sensu diutius immoramur, sic: Cui tandem pepercit? cuius amicitiæ fidem custodiuit? cui bono inimicus non fuit? quando non aut accusauit aliquem, aut verberauerit, aut prodidit? *Epangelia* est promissio, qua iudicem attentum facimus: pollicentes nos aliqua magna aut minima dicturos. *Prosopopœia* est, cùm inanimalium & persona & sermo fingitur. Cicero in Catilina: Etenim si mecum patria mea, quę mihi vita mea multo est charior loqueretur, dicens, &c. *Parathesis* est, cum quasi deponimus aliquid imperfectum apud memoriam iudicum repetituros nos dicentes cùm opportunum fuerit. *Peusis*, id est, soliloquium, cùm ad interrogata ipsi nobis respondemus. *Synaresis* est, cum differimus aliquid petentes, vt aliud interim nos non permittant dicere.

Incipiunt capitula de Dialectica.

De Dialectica. CAP. XXII.

Dialectica est disciplina ad discernendas rerum causas inuenta. Ipsa est Philosophię species quæ *Logica* dicitur, id est, rationalis, diffiniendi, quærendi & disserendi potens. Docet enim in pluribus generibus quæstionum quemadmodum disputando vera & falsa diiudicentur. ¶ Hanc quidam primi Philosophi in suis dictionibus habuerunt, non tamen ad artis redegere peritiam. Post hos Aristoteles ad regulas quasdam huius doctrinæ argumenta produxit, & *Dialecticam* nuncupauit, pro eo quod in ea de dictis disputatur. Nam λέξις dictio dicitur. ¶ Ideo autem post Rhetoricam disciplinam Dialectica sequitur: quia in multis vtrique communia existunt.

De Differentia Dialectica & Rhetorica artis. CAP. XXIII.

Dialecticam verò & Rhetoricam Varro in nouem disciplinarum libris, tali similitudine diffiniuit. *Dialectica & Rhetorica* est quod in manu hominis pugnus astrictus & palma distensa: ille verba contrahens, ista distendens. *Dialectica* quidem ad disserendas res acutior. *Rhetorica* ad illa quæ nititur docenda facundior. Illa ad scholas, nonnunquam venit: ista iugiter procedit in forum. Illa requirit rarissimos studiosos: hæc autem frequenter & populos. Solent autem Philosophi antequam ad isagogen veniant exponendam, diffinitionem Philosophi ostendere: quò facilius ea, quæ ad eam pertinent demonstrentur.

De diffinitione philosophia. CAP. XXIV.

Philosophia, est rerum humanarum diuinarúmque cognitio cum studio bene viuendi coniuncta. ¶ Hæc autem duabus ex rebus constare videtur, scientia & opinatione. *Scientia* est cùm res aliqua certa ratione percipitur. *Opinatio* autem cum adhuc incerta res latet, & nulla ratione firmata videtur, vt puta: Sol vtrúmne tantus quantus videtur, an maior sit quàm omnis terra: item luna globosa sit an concaua. & stellæ vtrúmne adhæreant cœlo an per aerem libero cursu ferantur: cœlum ipsum qua magnitudine, qua materia constat, vtrum quietum & immobile sitan incredibili celeritate voluatur: quanta sit terræ crassitudo: aut

dorant quibus fundamentis librata & suspensa permaneat. ¶ Ipsum autem *nomen Philosophiæ*, Latinè interpretatum, amorem sapientiæ profitetur. Nam Græci φίλον amicum, σοφίαν sapientiam dicunt. ¶ *Philosophiæ species* tripertita est, vna *naturalis*, quæ Græcè Physica appellatur: in qua de naturæ inquisitione disseritur: altera *moralis*, quæ Græcè Ethica dicitur, in qua de moribus agitur: tertia *rationalis*, quæ Græco vocabulo Logica appellatur, in qua disputatur quemadmodum in rerum caussis vel vitæ moribus veritas ipsa quæratur. In *Physica* igitur causa quærendi, in *Ethica* ordo viuendi, in *Logica* ratio intelligendi versatur. ¶ *Physica* apud Græcos primus perscrutatus est Thales Milesius, vnus ex septem sapientibus. Hic enim ante alios cæli causas atque vim rerum naturalium contemplata ratione suspexit, quam postmodum Plato in quatuor diffinitiones distribuit, scilicet *Arithmeticam, Geometricam, Musicam & Astronomiam.* ¶ Ethicam Socrates primus ad corrigendos componendósque mores instituit, atque omne studium eius ad bene viuendi disputationem perduxit: diuidens eam in quatuor virtutes, id est, prudentiam, iustitiam, fortitudinem & temperantiam. *Prudentia* est in rebus, qua discernuntur à bonis mala. *Fortitudo*, qua aduersa æquanimiter tolerantur. *Temperantia*, qua libido concupiscentiáque frænatur. *Iustitia*, qua recte iudicando sua cuique distribuuntur. ¶ *Logicam*, quæ rationalis vocatur, Plato subiunxit, per quam discussis rerum morúmque causis, vim earum rationabiliter perscrutatus est: diuidens eam in *Dialecticam & Rhetoricam.* dicta autem *Logica*, id est, rationalis. λόγος enim apud Græcos & sermonem significat & rationem.

¶ In his quippe tribus generibus Philosophiæ, etiam eloquia diuina consistunt. Nam aut de natura disputare solent, vt in Genesi & Ecclesiaste, aut de moribus, vt in Prouerbiis & in omnibus sparsim libris, aut de Logica, pro qua nostri Theologicam sibi vendicant, vt in Cantico Canticorum, & Euangeliis. ¶ Item aliqui doctorum Philosophiam in nomine & partibus suis ita diffinierunt. *Philosophia* est diuinarum, humanarúmque rerum, in quantum homini possibile est, probabilis scientia. Aliter, Philosophia est ars artium, & disciplina disciplinarum. Rursus: Philosophia est meditatio mortis, quod magis conuenit Christianis, qui seculi ambitione calcata conuersatione disciplinabili, similitudine futuræ patriæ viuunt. ¶ Philosophia diuiditur in duas partes, prima in spectatiuã, secunda in actualem. Alij diffinierunt Philosophiæ rationem in duabus consistere partibus, quarum prior inspectatiua est, secunda, actualis. Inspectatiua diuiditur in tribus modis, id est, prima in naturalem: secunda in doctrinalem, tertia in diuinalem. [¶ *Doctrinalis* diuiditur in quatuor partes, id est, prima in Arithmeticam, secunda in Musicam, tertia in Geometriam, quarta in Astronomiam. *Actualis* diuiditur in tres, id est, prima in moralem, secunda in dispensatiuam, tertia in ciuilem. *Inspectatiua* dicitur qua, supergressi visibilia, de diuinis aliquid & cælestibus contemplamur eáque mente solummodo inspicimus, quæ corporeum supergrediuntur obtutum.] *Naturalis* dicitur, vbi vniuscuiusque rei natura discutitur, quia nihil generatur in vita, sed vnumquodque in iis vsibus deputatur, in quibus à creatore diffinitum est: nisi fortè cũ voluntate Dei aliquod miraculum prouenire monstratur. ¶ *Doctrinalis* dicitur scientia, quæ abstractam considreat quãtitatem. *Abstracta* enim quantitas dicitur, quam intellectu à materia separantes, vel ab aliis accidentibus, vt est par, impar, vel ab huiuscemodi, in sola ratiocinatione tractamus. Cuius species sunt quatuor, scilicet Arithmetica, Geometria, Musica, & Astronomia. *Arithmetica*, est disciplina quantitatis numerabilis secundum se. *Geometria*, est disciplina magnitudinis immobiliúmque formarum. *Musica*, est disciplina quæ de numeris loquitur, qui ad aliquid sunt his qui inueniuntur in sonis. *Astronomia*, est disciplina, quę cursus cęlestium syderúmque figuras contemplatur omnes, & habitudines stellarum circa se & circa terrã indagabili ratione percurrit. ¶ *Diuinalis* dicitur, quando aut ineffabilem naturam Dei, aut spiritales creaturas ex aliqua parte profundissima qualitate disserimus. ¶ Porro *actualis* dicitur, quæ res propositas operationibus suis explicat. Cuius partes sunt tres, moralis, dispensatiua, & ciuilis. ¶ *Moralis* dicitur, per quam viuendi mos honestus appetitur, & instituta ad virtutem tendentia præparatur. *Dispensatiua* dicitur, cùm domesticarum rerum sapienter ordo disponitur. *Ciuilis* dicitur, per quam totius ciuitatis vtilitas administratur.

De Isagogis Porphyrij. CAP. XXV.

POst Philosophiæ diffinitiones, in quibus generaliter omnia continentur, nunc Isagogas Porphyrij expediamus. ¶ *Isagoga* quippe Grecè Latinè introductio dicitur, eorum scilicet qui Philosophiam incipiunt, cõtinens in se demonstrationem primarum rationum de qualibet re quid sit, suáque certa ac substantiali *diffinitione* declaratur. Nã posito primo genere, deinde species & alia quæ vicina esse possunt subiungimus, ac discretis communibus separamus: tamdiu interpo-

nentes differentias, quousque ad proprium de quo quæramus signata eius expressione perueniamus, vt puta: Homo est animal rationale, mortale, terrenum, bipes, risúsque capax. *Genus* animal cùm dictum est, substantia ipsius hominis declarata est. Est enim ad hominem genus animal, sed quia latè patebat, adiecta est *species*, terrenum: & iam exclusum est id quod aut æthereum aut humidū. *Differentia* verò, vt bipes, quæ propter animalia posita est, quæ multis pedibus nituntur. Item rationale, propter illa quæ ratione egeant. mortale autem propter id quod non angelus est. Postea discretis atque disclusis adiectum est *proprium* in parte postrema, risus capax: est enim solum hominis quod ridet. sic perfecta est omnis ex parte diffinitio, ad hominem declarandum. ¶ Cuius disciplinæ diffinitionem plenam existimarunt Aristoteles & Tullius ex genere & differentiis consistere. ¶ Quidam postea pleniores in docendo, eius perfectam *substantialem diffinitionem* in quinque partibus velut in membris suis diuiserunt. Quarum prima est de genere, secunda de specie, tertia de differentia, quarta de proprio, quinta de accidente. *Genus*, vt animal. Est enim animal commune & generale omnium animam habentium. *Species*, vt homo. est enim specialitas, qua separatur à cæteris animantibus. *Differentia*, vt rationale, mortale. His enim duobus differt homo à cæteris. Cùm enim dicitur rationale: discernitur ab irrationabilibus & mutis, quæ non habent rationem. Cùm mortale, discernitur ab angelis, qui nesciunt mortem. *Proprium*, vt risibile. Homo est enim qui ridet, & hoc præter hominem nullius animalis est. *Accidens*, vt color in corpore, doctrina in animo. Hæc enim temporum varietate & accedunt & mutantur: vt est ex omnibus his quinque partibus oratio plenæ sententiæ, ita: Homo est animal rationale, mortale, risibile, boni malíque capax. sic enim in omni oratione substantiali tamdiu interponere debemus species & doctrinas: quàm diu seclusis omnibus, quæ hoc idem possunt esse: ad id perueniatur, vt proprietas iam certa teneatur. ¶ *Isagogas* autem ex Græco in Latinum transtulit Victorinus orator, commentúmque eius quinque libris Boetius edidit.

De categoriis Aristotelis.

Cap. XXVI.

SEquuntur Aristotelis categoriæ, quæ Latinè *prædicamenta* dicuntur: quibus per varias significationes omnis sermo conclusus est. ¶ *Instrumenta categoriarum* sunt tria, scilicet prima æquiuoca, secunda æquiuoca, tertia denominatiua. *Æquiuoca* sunt, quando multarum rerum nomen vnum est: sed non eadem diffinitio, vt leo. Nam quantum ad nomen pertinet, & verus & pictus & cœlestis leo dicitur. Quantum ad diffinitionem pertinet, aliter verus diffinitur, aliter pictus, & aliter cœlestis. *Vniuoca* sunt, quando duarum aut plurimarum rerum vnum nomen est & diffinitio, vt vestis. nam & birrus & tunica nomen vestis possunt accipere & eius diffinitionem. Ergo hoc vniuocum in generibus esse intelligitur: quia & nomen & diffinitionem dant formis suis. *Denominatiua* & *deriuatiua* dicuntur quæcunque ab aliquo solo differentiæ casu secundum nomen habent & appellationem: vt à bonitate bonus, à malitia malus. ¶ *Categoriarum* autem *species* decem sunt, scilicet *Substantia, quantitas, qualitas, relatio, situs, locus, tempus, habitus, agere & pati. Substantia* est, quæ propriè & principaliter substare dicitur, quæ neque de subiecto prædicatur, neque in subiecto est, vt aliquis homo, aliquis equus. *Secundæ* autem *substantiæ* dicuntur, in quibus illæ quæ principaliter substantiæ primò dictæ insunt atque clauduntur, vt in homine Cicero. *Quantitas* est mensura per quam aliquid vel magnum vel minus ostenditur: vt longus, breuis. *Qualitas* est, vt qualis sit orator, aut rusticus niger, aut candidus. *Relatio* est, quæ refertur ad aliquid. Cùm enim dicitur filius, demonstratur & pater. Hæc relatiua simul incipiunt. Nam seruus & dominus vno tempore exordium nominis sumunt, nec aliquando inuenitur dominus prior seruo, nec seruus prior domino. Alterum enim alteri præesse non potest. Porrò *situs* à positione dictus est, vt quis aut stet, aut sedeat, aut iaceat. *Locus* est vbi sit, in foro, in platea. Loci autem motus habet sex partes, dexteram & sinistram, ante & retro, sursum & deorsum. Partes quoque istæ sex duo habent, longè & propè. *Tempus*: vt hodie, heri. *Habitus* ab habendo aliquid dictus, vt habere scientiam in mente, virtutem in corpore, circa corpus vestimentum & cætera quæ ad habendi modū designato à doctoribus numero comprehenduntur. Iam verò *agere* & *pati*, ab agentis & patientis significatione consistunt. Nam scribo verbo vocis actum habet: quum facientis rem indicat. Scribor patientis est, quum pati se ostendit. In his enim nouem generibus quorum exempli gratia quædam posita sunt, vel in ipso substantiæ genere, quod est οὐσία, innumerabilia reperiuntur. Nam & ea quæ in ellectu capimus, id ad alterum horum decem prædicamentorum sermone vulgamus. Plena enim sententia de his ita est. Augustinus magnus prædicator, filius illius.

illius, stans in templo, hodie infulatus, prædicando fatigatur. οὐσία autem substantia est, id est, proprium, quæ cæteris subiacet: reliqua nouem accidentia sunt. *Substantia* autem dicitur ab eo, quòd omnis res ad se ipsam subsistit. Corpus enim subsistit, & ideò substantia est. Illa vero *accidentia*, quæ in subsistente atque subiecto sunt, substant ę non sunt: quia non subsistunt, sed mutantur, vt color vel forma. *De subiecto* autem & *in subiecto*: quasi de ipso & in ipso. Vbi enim *dicitur de subiecto*, substantia est, quasi dicatur de substãtia. Vbi autem *dicitur in subiecto*, accidentia sunt, id est, quæ accidunt in substantia, vt quantitas, qualitas, vel figura. *De subiecto* igitur genera & species. *in subiecto* accidentia sunt. Ex his nouem accidentibus tria *intra ousiam* sunt, scilicet quantitas, qualitas & situs. Hæc enim sine ousia esse non possunt. *Extra ousiam* verò sunt locus, tempus & habitus. *intra*, & *extra ousiam* sunt relatio, facere & pati. ¶ Appellatas autem *categorias* constat: quia non possunt nisi ex subiectis agnosci. Quis enim quid sit homo possit agnoscere, nisi aliquem hominem sibi ponat ante oculos, quasi subiectum nomini? Hoc opus Aristotelis intelligendum est, quoniam sicut dictum est, quicquid homo loquitur, inter decem predicaméta habetur. Proficiet etiam ad libros intelligendos, qui sine Rhetoribus & Dialecticis apponuntur.

De perihermeniis Aristotelis.

CAP. XXVII.

Sequitur dehinc *liber Perihermenias* subtilissimus nimis, & per varias formas iterationésque cautissimus de quo dicitur: Aristoteles quando perihermenias scriptitabat, calamum in mente tingebat. ¶ Omnis quippe res quæ vna est, & vno significatur sermone, aut per *nomen* significatur, aut per *verbum*: quæ duæ partes orationis interpretantur totum quicquid concepit mens ad eloquendum. Omnis enim elocutio conceptæ rei mentis interpres est. Hanc Aristoteles vir in rerum expressione & faciendis sermonibus peritissimus. *Perihermeniam* nominat, quam Interpretationem nos appellamus, scilicet quòd res mente conceptas prolatis sermonibus interpretatur per *cataphasin*, & *apophasin*, id est, per affirmationem & negationem. *Per affirmationem*, vt homo currit: *per negationem*, vt homo non currit. ¶ In his itaque perihermeniis, supradictus philosophus de septem speciebus tractat, id est, de *Nomine*, de *Verbo*, de *Oratione*, de *Enunciatione*, de *Affirmatione*, de *Negatione*, de *Contradictione*. *Nomen* est vox significatiua secundum placitum, sine tempore: cuius nulla pars significatiua separata, vt Socrates. *Verbum* est quod significat tempus, cuius pars nihil extra significat: sed semper eorum quæ de altero dicuntur notata, vt cogitat, disputat. *Oratio*, est vox significatiua ad placitum: cuius partium aliquid separatum significatiuum est, vt Socrates disputat. *Enunciatiua* oratio est vox significatiua, de eo quod est aliquid vel non est: vt Socrates est, Socrates non est. *Affirmatio*, est enũciatio alicuius de aliquo, vt Socrates est. *Negatio* est alicuius ab aliquo, vt Socrates non est. *Contradictio* est affirmationis & negationis oppositio, vt Socrates disputat, Socrates non disputat. ¶ Vtilitas perihermeniarum hæc est, quòd ex his interpretamentis *syllogismi* fiunt. Vnde & *analytica* pertractantur.

De syllogismis Dialecticis.

CAP. XXVIII.

Sequuntur dehinc *Dialectici syllogismi*, vbi totius eius artis vtilitas & virtus ostenditur: quorum conclusio plurimum adiuuat lectorem ad veritatem inuestigandam: tantùm vt absit ille error decipiendi aduersarium per sophismata falsarum conclusionum. ¶ *Formulæ categoricorum*, id est, prædicatiuorum syllogismorum sunt tres. ¶ Primæ formulæ modi sunt nouem: *Primus* modus est, qui conducit, id est, qui colligit ex vniuersalibus dedicatiuis, dedicatiuum vniuersale directim: vt, Omne iustum honestum: omne honestum bonum: ergo omne iustum bonum. *Secundus* modus est, qui conducit ex vniuersalibus dedicatiuo & abdicatiuo, abdicatiuum vniuersale directum: vt, Omne iustum est honestum: nullum honestum turpe: ergo nullum iustum turpe. *Tertius* modus est, qui conducit ex dedicatiuis particulari & vniuersali, dedicatiuum particulare directum: vt, Quoddam iustũ honestum. omne honestum vtile: ergo quoddã iustum vtile. *Quartus* modus est, qui conducit ex particulari dedicatiua, & vniuersali abdicatiua, dedicatiuum particulare directum, vt, Quoddam honestum iustum: nullum honestum turpe: ergo quoddam iustum non est turpe. *Quintus* modus est, qui conducit ex vniuersalibus dedicatiuis particulare dedicatiuum per reflexionem: vt, Omne iustum honestum: omne honestum bonum: ergo quoddam bonum iustum. *Sextus* modus est, qui conducit ex vniuersali dedicatiua & vniuersali abdicatiua, abdicatiuum vniuersale per reflexionem: vt, Omne iustum honẽstum: nullum honestum turpe, ergo nullum turpe iustum. *Septimus* modus est, qui

conducit ex particulari & vniuersali dedicatiuis, dedicatiuum particulare per reflexionem: vt, Quoddam iustum honestum: omne honestum vtile: igitur quoddam vtile iustum. *Octauus* modus est, qui conducit ex vniuersalibus, abdicatiuo & dedicatiuo, particulare abdicatiuum per reflexionem: vt, Nullum turpe honestum: omne honestum iustum: ergo quoddam turpe non est iustum. *Nonus* modus est, qui conducit ex vniuersali abdicatiuo & particulari dedicatiuo, dedicatiuum particulare per reflexionem: vt, Nullum turpe honestum, quoddam honestum iustum: igitur quoddam iustum non est turpe. ¶ Formulæ secundi modi sunt quatuor. *Primus* modus est, qui conducit ex vniuersalibus dedicatiuo & abdicatiuo, abdicatiuum vniuersale directim: vt, Omne iustum honestum: nihil turpe honestum: ergo nullum turpe iustum. *Secundus* modus est, qui conducit ex vniuersalibus abdicatiuo & dedicatiuo, abdicatiuum vniuersale dictum: vt, Nullum turpe honestum: omne iustum honestum: ergo nullum turpe iustum. *Tertius* modus est, qui conducit ex particulari dedicatiuo & vniuersali abdicatiuo, particulare abdicatiuum directim. vt, Quoddam iustum honestũ: nullum turpe honestum: igitur quoddam iustum non est turpe. *Quartus* modus est, qui conducit ex vniuersali dedicatiuo, & particulari abdicatiuo, abdicatiuum particulare directim: vt, Omne iustum est turpe: quoddã malum non est turpe: quoddam ergo malum non est iustum. ¶ Formulæ tertij modi sunt sex: *Primus* modus, qui conducit ex dedicatiuis vniuersalibus, dedicatiuum particulare tam directim quàm reflexim. vt, Omne iustum honestum: omne honestum iustum: omne iustum bonum: quoddam ergo honestum bonum, quoddam bonum honestum. *Secundus* modus est, qui cõducit ex dedicatiuis particulari & vniuersali, dedicatiuũ particulare directim, vt, Quoddam iustũ honestum: omne iustum bonum: quoddam ergo honestum bonum. *Tertius* modus est, qui cõducit ex dedicatiuis vniuersali & particulari, dedicatiuum particulare directim. vt, Omne iustum honestum: quoddam iustum bonum: ergo quoddam honestum bonum. *Quartus* modus est, qui conducit ex vniuersali dedicatiuo, & particulari abdicatiuo, abdicatiuũ particulare directim. vt, Omne iustum honestum: nullum iustum malum: ergo quoddam honestum non est malum. *Quintus* modus est, qui conducit ex dedicatiuo particulari & abdicatiuo vniuersali, abdicatiuum vniuersale directim. vt, Quoddam iustum honestum: nullum iustum malum: ergo quoddam iustum non est malum. *Sextus* modus est, qui conducit ex dedicatiuo vniuersali, & abdicatiuo particulari, abdicatiuum particulare directim. vt, Omne iustum honestum: quoddam iustum non est malum: Ergo quoddam honestum non est malum. Has formulas categoricorum syllogismorũ, qui plenè nosse desiderat, librum legat qui inscribitur Peri hermenias Apulei, & quæ subtilius sunt tractata cognoscet. Distincta enim atque considerata ad magnas intelligentiæ vias lectorem, præstante Domino, vtiliter introducunt. ¶ Nunc ad *Hypotheticos syllogismos* ordine sequenti veniamus. *Modi syllogismorum* Hypotheticorum qui fiunt cum aliqua conclusione sunt sex. *Primus* modus est, Si dies est lucet: Est autem dies: Ergo lucet. *Secundus* modus est, Si dies est, lucet: Non autem lucet: Ergo non est dies. *Tertius* modus est ita; Non est dies, ergo non lucet. atqui dies est, lucet igitur. *Quartus* modus est ita: Aut dies est aut nox, Vtique dies est: nox ergo non est. *Quintus* modus est ita: Aut dies est aut nox: Vtique nox non est, Igitur dies est. *Sextus* modus est ita: Non est dies: Ergo non lucet: Dies autem est: Nox ergo non est. *Septimus* modus est ita: Non est dies & nox: Vtique nox non est: Ergo dies est. Modos autem syllogismorum Hypotheticorum siquis plenius nosse desiderat, librum legat Marij Victorini, qui inscribitur de Syllogismis hypotheticis. ¶ Hinc ad Dialecticas diffinitionum species accedamus, quæ tanta dignitate præcellunt, vt possint iudiciorum apertè manifestationes & quædam indicia dictionum ostendere.

De diuisione diffinitionum ex Marij Victorini libro abbreuiata.

Cap. XXIX.

Diffinitio, est Philosophorum, quæ in rebus exprimendis explicat quod res ipsa sit, qualis sit, & quemadmodum mẽbris suis constare debeat. Est enim oratio breuis vniuscuiusque naturam à communione diuisam propria significatione concludens. ¶ Diuisio diffinitionum in partes xiiij. habetur. ¶ *Prima species* diffinitionis est οὐσιώδης, id est *substantialis*: quæ propriè & verè dicitur diffinitio, vt est: Homo est animal rationale, mortale, sensus disciplinæque capax. Hæc enim diffinitio per species & differentias descendens venit ad proprium, & designat plenissimè quid sit homo. ¶ *Secunda* species diffinitionis est, quæ Græcè ἐννοηματική dicitur, Latinè *notio* nuncupatur: quam, notionem, communi non proprio nomine possumus dicere. Hæc isto modo semper efficitur.

Homo

Homo est quod rationali conceptione & exercitio præest animalibus cunctis. Non enim dixit quid sit homo, sed quid agat: quasi quodam signo in notitiam deuocato. Ista enim & reliquis notitia rei profertur, nō substantialis explicatio declaratur. & quia illa substantialis est, diffinitionum omnium obtinet principatum. ¶ *Tertia* species diffinitionis est, quæ Græcè ποιότης dicitur, Latinè *qualitatiua* vocatur: quia ex qualitate nomē accepit pro eo quod, quale sit id quod quæritur, euidenter ostendit. Cuius exemplum tale est. Homo est qui ingenio valet, artibus pollet, & cognitione rerum: aut quod agere debet, eligit, aut animaduersione quid inutile sit contemnit. His enim qualitatibus expressus ac diffinitus est homo. ¶ *Quarta* species diffinitionis est, quæ Græcè ὑπογραφική, Latinè à Tullio *descriptio* nuncupatur: quæ adhibita circuitione dictorum factorúmque rem, quæ sit, descriptione declarat. Quæritur enim, quid sit auarus, quid crudelis, quid luxuriosus, & vniuersa luxuriosi, auari & crudelis natura describitur. vt si luxuriosum volumus diffinire, dicimus: Luxuriosus est victus non necessarij, sed sumptuosi & honoris appetēs, in deliciis affluēs, in libidine promptus. Hęc & alia diffiniunt luxuriosum; sed per descriptionem diffiniunt. Quæ species diffinitionis Oratoribus magis apta est quàm Dialecticis, quia latitudines habet, quæ simili modo in bonis rebus ponitur & malis. ¶ *Quinta* species diffinitionis est, quam Græcè κατὰ ἀντίλεξιν, Latinè *aduerbium* dicimus. Hæc vocē illā de cuius re quæritur, alio sermone designat, vno & singulari, & quodāmodo quid illud sit in vno verbo positum, vno verbo alia declarat; vt conticescere est tacere. Item cùm terminum dicimus finem; aut populatas interpretamur esse vastatas. ¶ *Sexta* species diffinitionis est, quam Græci κατὰ διαφορὰν nos *per differentiam* dicimus. Scriptores verò artium de eodem & de altero nominãt; vt cùm quęritur, quid sit inter Regem & tyrannum; adiecta differentia quid vterque sit diffinitur, id est, rex est modestus & temperans; tyrānus verò impius & immitis. ¶ *Septima* species diffinitionis est, quam Græci κατὰ μεταφορὰν Latini *per translationem* dicūt: vt Cicero in Topicis; Littus est, quia fluctus elidit, hoc variè tractari potest. Modò enim vt moneat, modò vt designet, modò vt laudet ac vituperet. Vt moneat, Nobilitas est virtutis, modorum apud posteros sarcina. Vt designet, Apex est arx corporis. Vt laudet, Adolescentia est flos ætatis. Vt vituperet, Diuitiæ sunt breuis vitę longum viaticum. ¶ *Octaua* species diffinitionis est, quam Græci κατ᾽ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου. Latini *per priuantiā* contrarij eius quod diffinitur, dicunt, Bonum est, quod malum non est. Iustum est, quod iniustum non est, & his similia. Hoc autem genere diffinitionis vti debemus cùm contrarium est notum: vt, Si bonum est, quod prodest cum honestate, id quod tale non est, malum est. ¶ *Nona* species diffinitionis est, quam Græci κατ᾽ ὑποτύπωσιν, Latini *per quandam imaginationē* dicunt: vt, Æneas est Veneris & Anchisæ filius. Hæc semper in indiuiduis versatur, quæ Græci ἄτομα appellant. ¶ *Decima* species ipsius diffinitionis est, quam Græci καθ᾽ ἔλλειπες πλήρους, ὁμοίου γένους, Latini *per indigentiā pleni ex eodē genere* dicunt, vt si quæratur, Quid sit thesis? respondeatur, cui vis deest, vt sit artis. ¶ *Vndecima* species diffinitionis est, quam Græci κατ᾽ ἀναλογίαν, Latini *iuxta rationē* dicūt; vt si quæratur, Quid sit animal? respondeatur, vt homo. Rem enim quæsitam prædictum declarauit exemplum. Hoc est autem proprium definitionis quid sit illud quod quæritur declarare. ¶ *Duodecima* species diffinitionis est, quam Græci κατὰ ἔπαινον vocant, id est, *per laudē*: vt Tullius pro Cluentio, Lex est mēs & consilium, & animus, & sententia ciuitatis. Et alter, Pax est tranquilla libertas. Fit & *per vituperationē*, quam Græci ψόγον vocant, vt, Seruitus est postremum omnium malorum, non modò bello, sed morte quoque repellenda. ¶ *Tertiadecima* species diffinitionis est, quam Græci κατὰ τὸ πρός τι, Latini *ad aliquid* vocant, vt est illud, Pater est, cui est filius, Dominus est, cui est seruus. ¶ *Quartadecima* species diffinitionis est κατὰ τὸν ὅρον, Latinè *generalis*. Cicero in Rhetoricis, Genus est, quod plures amplectitur partes. Item pars est, quæ subest generi. ¶ *Quintadecima* species diffinitionis est, quam Græci κατὰ αἰτιολογίαν, Latini *secundū rei rationē* vocant, vt, Dies est sol supra terras. nox est sol sub terris. ¶ Scire autem debemus prædictas species diffinitionū topicis meritò esse sociatas, quoniam inter quædam argumenta sunt positæ, & nonnullis locis commemorantur in Topicis. Nunc autem ad *Topica* veniamus, quæ sunt argumentorum sedes, fontes sensuum, & origines dictionum.

De Topicis.

CAP. XXXI.

Topica est disciplina inueniendorum argumentorum. ¶ Diuisio Topicorum siue locorum, ex quibus argumenta dicuntur, triplex est. Nam alia in eo ipso de quo agitur *hærent*, alia quę dicuntur *effecta*, quæ quodammodo ex rebus aliis tracta noscuntur, alia quæ assumuntur *extrinsecus*. ¶ Argumenta quæ in eo ipso de quo agitur, hærent in tribus diuisa sunt. Prima à toto, secunda à parte, tertia à nota. *Argumentum à toto*, cùm diffinitio adhibetur ad id quod quæritur, si-

cut ait Cicero: Gloria est laus rectè factorum magnorúmque in republica fama meritorũ. *A partibus* est argumẽtum, cùm is qui se defendit, aut negat factum, aut factum esse iure defendit. *A nota* est argumentum, cùm sui nominis argumẽto aliquod dicitur, vt Cicero: Consulem, inquit, quærebam, quem in isto magali inuenire non poteram. ¶ Effecta argumenta sunt, quæ quodammodo ex rebus aliis tracta noscuntur. Sunt autem numero xiiij. id est, primùm à *coniugatis* argumentum est, cùm declinatur à nomine & fit verbum. vt Cicero Verrem dicit euertisse prouinciam: vel nomen à verbo, cùm latrocinari dicitur latro. Nomen est à nomine, Terentius: Inceptio est amentium, aut amantium. dummodo distat vnius appellationis postremitas, in alia vocis declinatione formata. Secundũ argumentum *à genere* est, cùm de eodem genere sententia dicitur, vt Virgilius: Varium & mutabile semper fœmina. Tertium *à specie* argumentum est, cùm generali quæstioni fidem species facit: vt, At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor. *A simili* argumentum est, quando rebus aliquibus similia proferuntur: vt, Suggere tela mihi, non illum dextera frustra. Torserit in Rutulos, steteritque in corpore Graiûm Iliacis campis. *A differentia* argumentum est, quando per differẽtiam aliqua separantur, vt Virgilius, Nõ Diomedis equos, nec currum cernis Achillis. *A contrariis* argumentum dicitur, quando res discrepantes sibimet opponuntur, vt Virgilius, Mortali ne manu factæ, immortale carinæ fas habeant, certúsque incerta pericula lustret Æneas. *A consequentibus* argumentum ducitur, quando positam rem aliquid ineuitabiliter consequitur, vt Virgilius, Non ea vis animo, nec tanta superbia victis. *Ab antecedentibus* argumentum est, quando aliqua ex iis quę prius gesta sunt comprobantur, vt Cicero pro Milone, Cùm non dubitauerit aperire quod cogitauerit, vos potestis dubitare quid fecerit? *A repugnantibus* argumentũ est, quando illud quod obiicitur, aliqua contrarietate destruitur, vt Cicero. Is igitur non modò de tali periculo liberatus, sed honore amplissimo ditatus, domi te interficere voluisset? *A coniugatis* argumentum est, cũ probabiliter ostenditur quid sit ex re quaque venturum, vt Virgilius, Nos si pellant, nihil abfore credunt, Quin omnem Hesperiam sua sub iuga mittant. *A causis* argumentum est, quando consuetudine communi res quæque tractatur, vt Terentius, Ego non nihil veritus sum dudum abs te cauere, Ne faceres quod vulgus seruorum solet, dolis vt me deluderes. *Ab effectis* argumentum est, cum ex iis quæ facta sunt aliquid approbatur, vt Virgilius, Degeneres animos timor arguit. *A comparatione* argumentum est, quando per collationem personarum siue causarum, sententię ratio sub imputatione formatur, vt Virgilius: Tu potes Æneam manibus subducere Graiûm, Nos aliquid contrà Rutulos iuuasse nefandum est? Item argumenta quæ ducuntur extrinsecus, quæ Græcè ἄτεχνα, id est, artis expertia vocantur, vt est testimonium. *Testimonium* verò constat re: & diuiditur quinque modis, id est, primò *ex persona*, secũda *ex naturæ auctoritate*, tertiò *ex temporibus auctoritatum*, quartò *ex dictis factisque maiorum*, quintò *ex tormentis*. Tertius ergo superior modus qui est *ex temporibus*; in octo species deriuatur. Prima *ingenio*, secunda *opibus*, tertia *ætate*, quarta *fortuna*, quinta *arte*, sexta *vsu*, septima *necessitate*, octaua *concursione fortuitorum*. Testimonium omne est quod ab aliqua externa re sumitur ad faciendam fidẽ. *Persona* non qualiscunque est, quę testimonij pondus habet ad faciendam fidem, sed morũ probitate debet esse laudabilis. *Natura auctoritas* est, quæ maxima virtute consistit. Testimonia multa sunt quæ afferunt auctoritatem, id est, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, vsus, necessitas & concursio rerum fortuitarum. *A dictis factisque maiorum* petitur fides, cùm priscorum dicta factáque memorantur. *A tormentis* fides præbetur, post quæ nemo creditur velle mentiri. Ea vero quæ tractantur in tempore, quia suis nominibus plena sunt, diffinitione non indigent. ¶ Memoriæ quoque condendum est, *Topica* oratoribus, dialecticis, poetis, & iurisperitis communiter quidem argumenta præstare: sed quando aliquid specialiter probant, ad rhetores, poetas, iurisperitósque pertinet; quando vero generaliter disputant, ad philosophos pertinere manifestum est. ¶ Mirabile planè genus operis, id vnum potuisse colligi quicquid mobilitas ac varietas humanæ mentis in sensibus exquirendis per diuersas causas poterat inuenire conclusum liberum ac voluntarium intellectum. Nam quocunque se verterit, quascunque cogitationes intrauerit; in aliquid eorum quæ prædicta sunt necesse est vt cadat ingenium.

De oppositis. CAP. XXXI.

Contrariorum genera quatuor sunt: quę Aristoteles ἀντικείμενα, id est, *opposita* vocat. Propter quod sibi velut ex aduerso videntur obsistere, vt contraria; nec tamen omnia quæ sibi opponuntur, contraria sunt, sed omnia contra opposita sunt. ¶ Primum genus est *contrariorum*, quod iuxta Ciceronẽ diuersum vocatur, pro eo quod tãtũ cõtraria

sibi

ſibi opponuntur, vt non eorum ſint quibus opponuntur, vt ſapientia, ſtultitia. Quod genus in tres ſpecies diuiditur. Nam ſunt quædam ex eis *quæ medium habent*: & ſunt quædam quæ *ſine medio* ſunt: & quædam ſunt *quæ habent medium & tamen ſine nomine ſunt*: nisi vtrumque contrariorum ei vocabulum creet. Candidum & nigrum medium habent, quia inter eos ſæpe color pallidus vel fuſcus inuenitur. ſine medio ſunt quoties vnum de duobus accidit, vt ſanitas vel infirmitas. Horum nihil eſt medium. Ea autem quorum media ſine nomine ſunt, vt felix, infelix, medium habent: videlicet, neque à toto felix, neque in toto infelix. ¶ Secundum genus eſt *relatiuorũ*: quæ ita ſibi opponuntur, vt ad ſe conferantur, ſicut duplum, ſimplum. Horum ſolùm oppoſitorum genus ad ſe refertur. Non enim eſt maius, niſi referatur ad minus, & ſimplum niſi ad duplum: aut eius cui opponitur. Nam relatiuum relatiuo ita opponitur: vt hoc ipſum quod opponitur, aut eius ſit cui opponitur aut id id quocunque modo referatur. Dimidium enim opponitur duplo, eiúſque dupli medium eſt: ſed ita illi opponitur, vt eius ſit cui opponitur. Sic & paruum opponitur magno: ita vt ipſum paruum ad magnum cui opponitur, ſit paruum. Nam quæ ſuperiora dicuntur contraria ita ſibi opponuntur, vt eorum non ſint quibus opponuntur, nec ad ea quocunque modo referantur. Siquidem iniquitas iuſtitiæ ita contraria eſt, vt non eiuſdem iuſtitiæ iniquitas ſit, aut ad illam ſit iniquitas. ¶ Tertium genus oppoſitorũ eſt *habitus vel orbatio*. Quod genus Cicero *priuationẽ* vocat, qua oſtendit aliquid quempiam habuiſſe, vnde priuatus eſt. Cuius ſpecies ſunt tres: quarum prima eſt in re, ſecunda in loco, tertia in tempore cõgruo. *In re*, vt cæcitas & viſio in oculis. *In loco*, vt cęcitatis & viſionis in oculis locus eſt. *In tẽpore* congruo, vt infantem non dicere, ſine dentibus: cum cui dentes ætas adhuc parua negauit. Non enim eſt priuatus dentibus quos nondum habuit. ¶ Quartum verò genus ex *confirmatione & negatione* opponitur, vt: Socrates diſputat. Socrates non diſputat. Hæc à ſuperioribus ideo differunt, quòd illa ſigillatim dici poſſunt, hæc niſi connexè dici non poſſunt. Quod genus quartum apud Dialecticos multum habet conflictum, & appellatur ab eis valde oppoſitum: ſiquidem & tertium non recipit. Nam ex illis quædam habere tertium poſſunt, vt in contrariis, candidum & nigrum. Tertium eius nec candidum nec nigrum, ſed fuſcum vel pallidum. In relatiuis quoque, vt multa & pauca. Tertium eius, nec multa nec pauca, ſed mediocra. In habitu vel orbatione, vt viſio, & cæcitas. Tertium eius, nec cæcitas, nec viſio, ſed lippitudo. Hic ergo legit, non legit, tertium nihil habet.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER III.

Præfatio lib. Tertij de quatuor ſequentibus diſciplinis.

M*Athematica* Latinè dicitur doctrinalis ſcientia, quæ abſtractam conſiderat quantitatem. *Abſtracta* enim *quantitas* eſt, quam intellectu à materia ſeparantes vel ab aliis accidentibus, vt eſt par, impar: vel ab aliis huiuſmodi in ſola ratiocinatione tractamus. Cuius ſpecies ſunt quatuor id eſt, Arithmetica, Muſica Geometria & Aſtronomia. *Arithmetica* eſt diſciplina quantitatis numerabilis ſecundum ſe. *Muſica* eſt diſciplina quę de numeris loquitur, qui inueniuntur in ſonis. *Geometria* eſt diſciplina magnitudinis & formarum. *Aſtronomia* eſt diſciplina quæ curſus cæleſtium ſiderum atque figuras contemplatur, atque omnes habitudines ſtellarum. Quas diſciplinas deinceps paulò latius indicabimus, vt earum cauſæ competenter poſſint agnoſci.

Incipiunt capitula de Arithmetica.

DE VOCABVLO ARITHMETICA disciplina.

CAP. I.

ARithmetica est disciplina numerorum. Græci enim numerum ἀριθμὸν dicunt. Quam scriptores secularium literarum inter disciplinas mathematicas ideo primam esse voluerunt, quoniam ipsa vt sit, nulla alia indiget disciplina. Musica autem & Geometria, & Astronomia quæ sequuntur, vt sint, atque subsistant, istius egent auxilio.

De auctoribus eius.

CAP. II.

NVmeri disciplinatum apud Græcos primum Pythagoram autumant conscripsisse: ac deinde à Nicomacho diffusius esse compositam: quam apud Latinos primus Apuleius, deinde Boetius transtulerunt.

Quid sit numerus & vnde dicatur.

CAP. III.

NVmerus autem est multitudo ex vnitatibus constituta. Nam vnum semen numeri esse non numerum volunt. *Numero* nūmos nomen dedit, & à sui frequentatione vocabulum indidit. *Vnus* ex Græco nomen trahit. Græci enim vnitatem μονάδα dicunt: sic duæ & tres, quos illi δύο & τρία appellant. *Quatuor* verò à figura quadrata nomen sumpserunt. *Quinque* autem non secundum naturam: sed secundum placitum voluntatis vocabulum acceperunt ab eo, qui numeris nomina indidit. *Sex* autem & septem à Græco veniunt. Multis enim nominibus quę in Gręco aspirationem habent, nos aspiratione s. literam ponimus. Inde pro ἕξ *sex* pro ἑπτὰ *septē*. sicut pro herpillo herba, serpillum. *Octo* verò per translationem, sicut illi ὀκτὼ, & nos *octo*: illi ἐννέα, nos *nouem*: illi δέκα, nos *decem*. Dicti autem *decem* à Græca etymologia, eo quòd ligent & coniungant infra iacentes numeros. Nam δεσμὸς, coniungere vel ligare apud eos dicitur. Porro *viginti* dicti, quòd sint decē bis geniti, v pro b, litera posita. *Triginta*, quòd à ternario denario gignatur: sic vsque ad nonaginta. *Centū* vero vocati à cēto, quod est circulus *ducenti* à duo & cētū: sic & reliqui vsq; ad mille. *Mille* autem à multitudine, vnde & militia, quasi multicia: inde & milia, quæ Græci mutata litera scilicet pro l. myriades vocant.

Quid præstent numeri, & quid eorum vtilitas.

CAP. IV.

RAtio numerorum contemnenda nō est. In multis enim sacrarum Scripturarum locis, quantum mysterium habeant, elucet. Non enim frustra in laudibus Dei dictum est, Omnia in mensura & numero & pondere fecisti. Senarius namque qui partibus suis perfectus est, perfectionem mundi quadam numeri sui significatione declarat. Similiter & xl. dies quibus Moyses & Helias, & ipse Dominus ieiunauerunt sine numerorum cognitione non intelliguntur. Sic & alij in scripturis sanctis numeri existunt: quorum figuras non nisi huius artis scientia soluere possumus. Datū est etiam nobis ex aliqua parte sub numerorum consistere disciplina, quando horas per eam didicimus, quando de mensium curriculo disputamus, quando anni spacium redeuntis agnoscimus. Per numerum siquidem ne confundamur, instruimur. Tolle numerum in rebus omnibus, & omnia pereunt. Adime seculo computum, & cuncta ignorantiæ cæcatio complectitur, nec differre potest à cæteris animalibus qui calculi nescit rationem.

De prima diuisione parium & imparium.

CAP. V.

NVmerus diuiditur paribus & imparibus. *Par numerus* diuiditur in iis: pariter par, & pariter impar, & impariter par, & impariter impar. *Impar numerus* diuiditur in iis, primū & simplum, secundum & compositū, tertium & mediocrem, qui quodammodo primus & incompositus est, Alio vero modo secundus & compositus est. *Numerus par* est, qui in duabus æquis partib. diuidi potest. vt ij. iiij. viij. *Impar* verò *numerus* est, qui diuidi æquis partib. nequit, vno medio vel deficiente vel superante, vt iij. v. vij. ix. & sic de aliis. ¶ *Pariter par* numerus est, qui secūdū parē numerū pariter diuiditur, quousque ad indiuisibilē perueniat vnitatē; vt puta sexaginta quatuor habet medium xxxij. hic autē xvj. Sedecim verò, viij. octonarius iiij. quaternarius ij. binarius vnū, qui singularis indiuisi-

indiuisibilis est, *Pariter impar* est: qui in partes æquas recipit sectionem, sed partes eius mox indissecabiles permanent. vt vj. & x. & xij. triginta & quinquaginta. Mox enim vt hūc numerum diuiseris, incurris in numerum quem secare non possis. *Impariter par* numerus est, cuius partes etiam diuidi possunt: sed vsque ad vnitatem non perueniunt, vt xxiiij. Hi autem in medietatē diuisi faciunt xij. rursúmque in aliā medietatem, vj. deinde in aliā tres, & vltra diuisionē non recipit sectio illa, sed ante vnitatem inuenitur terminus quem secare non possis. *Impariter impar* est, qui ab impari numero impariter mensuratur, vt xxv. xlix. qui dum sint impares numeri, ab imparibus etiam partibus diuiduntur, vt septies septem, quadragies nouies & quinquies quini xxv. ¶ Imparium numerorum: alij simplices sunt, alij compositi, alij mediocres. *Simplices* sunt qui nullam aliam partem habent nisi solam vnitatem, vt ternarius solam tertiam, & quinarius solam quintam, & septenarius solam septimam. His enim vna pars sola est. *Compositi* sunt qui non solùm vnitatem metiuntur, sed etiam alieno numero procreantur: vt nouem, xv. xxj. & xxv. Dicimus enim ter nouem: & septies ter xxj. ter quini xv. & quinquies quini xxv. *Mediocres* numeri sunt, qui quodammodo simplices & incompositi esse videntur. Alio verò modo secundi & incompositi. Verbi gratia: Nouem ad xxv. dum comparatus fuerit, primus est & incompositus: quia non habet communē numerum, nisi solū monadicū. xv. verò si cōparatus fuerit: secundus est & compositus: quoniā inest illi communis numerus præter monadicum i. ternarius numerus: quia nouem mēsurat ter terni & quindecim ter quini. ¶ Item parium numerorum alij sunt superflui, alij diminuti, alij perfecti. *Superflui* sunt quorum partes simul ductæ plenitudinem suam excedunt: vt puta duodenarius. habet enim partes quinque. Duodecimam, quod est vnum: sextam quod duo: quartam quod tria: tertiam quod quatuor: dimidiam quod sex. Vnum enim & duo & tria, & quatuor, & sex simul ductæ faciunt xvj. & longè à duodenario excedunt: sic & alij similes plurimi, vt duodeuicesimus & multi superflui tales. *Diminuti* numeri sunt, qui partibus suis computati, minorem summam efficiunt: vt puta denarius, cuius partes sunt tres: Decima quod est vnum: quinta, quod duo: dimidia quod quinque. Vnum enim & duo & quinque simul ductæ octonarium faciunt, longè à denario minorem. Similis est huic octonarius vel alij plurimi, qui in partes redacti infra consistunt. *Perfectus* numerus est, qui suis partibus adimpletur, vt senarius, habet enim tres partes, sextam, tertiam & dimidiam. Sexta enim eius est vnum, tertia duo, dimidia tres. Hæ partes in summam ductæ, i. vnum & duo & tres simul eundem consummāt perficiūntque senarium. Sunt autem perfecti numeri inter denarium sex, inter centenarium xxviij. inter millenarium, CCCCxcvj.

De secunda diuisione totius numeri.

CAP. VI.

OMnis numerus aut secundum se consideratur, aut ad aliquid refertur. ¶ Iste qui est secundum se, diuiditur sic: Alij enim sunt *æquales*, vt duo: alij sunt *inæquales*, vt tres. ¶ Iste qui refertur ad aliquid diuiditur sic: Alij sunt *maiores*, vt duo, alij sunt minores, vt vnum. Duo enim ad vnū duplum. Maiores diuiduntur sic, multiplices, superparticulares, superpartientes, multiplices, superparticulares multiplices superpartientes. Minores diuiduntur sic, submultiplices, subsuperparticulares, subsuperpartientes, submultiplices, subsuperparticulares: submultiplices subsuperpartientes. *Per se numerus* est, qui sine relatione aliqua elicitur: vt, j. ij. iij. iiij. v. vj. & cæteri similes. *Ad aliquid* est *numerus* qui relatiuè ad alios numeros comparatur. Verbi gratia, iiij. ad ij. dum comparatus fuerit duplex dicitur & multiplex. sex ad iij. octo ad iiij. & iterum tres ad vnum triplex. sex ad ij. ix. ad tria, &c. *Æquales numeri* dicuntur, qui secundum quantitatem ęquales sunt. Verbi gratia, duo ad ij. tria ad tria. x. ad x. c. ad c. *Inæquales numeri* sunt, qui ad inuicem comparati inæqualitatem demonstrant, vt iij. ad ij. iiij. ad iij. v. ad iiij. x. ad vij. & vniuersaliter maior minori, aut minor maiori: huiuscemodi dū comparatus fuerit inæqualis dicitur. *Maior numerus* est qui habet in se illū minorem numerum ad quem comparatur, & aliquid plus: vt, verbi gratia: quinarius numerus trinario numero fortior est, eo quòd quinarius numerus habet in se trinarium & alias partes eius duas, & reliqui tales. *Minor numerus* est qui continetur à maiore ad quem comparatur cū aliqua parte sui, vt ternarius ad quinariū continetur ab eo cum duabus partibus suis. *Multiplex numerus* est, qui habet in se illum minorem numerum bis aut ter aut quater, aut multipliciter. Verbi gratia, duo ad vnum dum comparati fuerint, duplex est. iij. ad vnū triplex. iiij. ad vnum, quadruplex, & reliqui. E contra & illi superiores qui continent intra se minores, appellantur *duces*, isti verò *comites*. *Submultiplex* numerus est, qui inter multiplicem continetur bis, aut ter, aut quater, aut multipliciter. Verbi gratia, Vnus à duobus bis continetur, à tribus ter, à quatuor quater, & ab aliis multipliciter. *Superparticularis numerus* est, dum fortior continet inter se inferiorem numerum circa quē cōparatur,

similiter & vnam partem eius. Verbi gratia, iij. ad ij. dum cóparata fuerint, continent inter se duos & alium vnum, qui media pars est duorum. Quatuor ad iij. dum comparati fuerint, continent in se iij. & alium vnum qui est tertia pars trium. Item quinque ad iiij. dum comparati fuerint, habent in se quaternarium numerum, & alium vnum qui quarta pars esse dicitur quaternarij numeri, & cæteri tales. *Superpartiens numerus* est, qui in se inferiorem numerum totum continet, & super hoc alteras partes eius duas, aut iij. aut iiij. aut v. aut alias. Verbi gratia, v. ad iij. dum comparati fuerint, habet in se quinarius numerus trinarium. & super hoc alias partes eius duas. vii. ad iiij. dum comparati fuerint, habent in se quatuor, & alias tres partes eius, & vocatur supertripartiens quartas. Nouem ad v. dum comparati fuerint, habent in se quinque, & alias quatuor partes eius. Iste dicitur supertripartiens quintus. *Subsuperpartiens numerus* est, qui continetur in numero superpartienti cum aliquibus partibus suis duabus aut tribus aut pluribus. Verbi gratia, Tria continentur à v, cum aliis duabus partibus suis: v, à ix, cum iiij. partibus suis. *Subsuperparticularis numerus* est minor, qui continetur in fortiori numero cum aliqua parte sua, aut media, aut tertia, aut quarta; aut quinta. Verbi gratia, Duo ad iij. iij. ad iiij. iiij. ad v. & cæteri similes. *Multiplex superparticularis numerus* est, qui dum comparatus fuerit ad numerum sibi inferiorem, continet in se totum inferiorem numerum multipliciter, aut dupliciter, aut tripliciter, aut quadrupliciter cum aliqua parte eius. Verbi gratia, v. ad duo dum comparati fuerint, continet in se bis binos & vnam partem eius. Nouem ad iiij. dum comparati fuerint, continet in se bis quaternos octo, & vnam partem eius, videlicet quæ est vnum. *Submultiplex superparticularis numerus* est, qui dum comparatus ad inferiorem sibi numerum fuerit, continet cum multipliciter cum aliis partibus eius. Verbi gratia, viii. ad tria dum comparati fuerint, continent in se bis ternos, cum aliis duab. partibus eius. xiiii. ad xii. dum comparati fuerint, continent in se bis senos cum aliis duabus partibus eius. xvi. ad vii. dum comparati fuerint continent inter se bis viii. cum aliis tribus partibus eius xxi. ad ix. dum comparati fuerint, continent inter se bis ix. cum aliis tribus partibus eius. *Submultiplex superpartionalis numerus* est, qui dum ad fortiorem sibi comparatus fuerit; continetur ab eo multipliciter, cum aliquibus partibus suis. Verbi gratia, iij. ad viii. continentur bis cum duabus partibus eius. iiij. ad xi. continentur bis cum tribus partibus suis.

De tertia diuisione totius numeri.

CAP. VII.

NVmeri aut discreti sunt, aut continentes. Iste diuiditur sic, *linealis*, vt vnus, duo. *Superficiosi*, vt tres. Ternarius enim primus latitudinem pandit. *Solidi*, vt octo. Is enim est primus cubus. *Discretus numerus* est, quia discretis monadibus continetur. Verbi gratia, ii. iiii. v. vj. & reliqui. *Continens numerus* est, qui coniunctis monadibus continetur. Vt verbi gratia, Ternarius numerus in magnitudine intelligitur, i. linea aut spatium, aut solidum dicitur. Continens similiter: vt quaternarius & quinarius numeri. *Linealis numerus* est, qui inchoans à monade linealiter describitur vsq; ad infinitũ. Vnde alpha ponitur pro designatione linearum. quoniam hæc litera vnum significat apud Græcos. ista est figura linealis. *Superficialis numerus* est, qui non solum longitudine, sed & latitudine continetur, vt trigonus, quadratus, quinquangulus vel circulares numeri, & cæteri: qui semper in plano pede, i. superficie continentur. *Circularis* dum similiter multiplicatus fuerit, à se inchoans ad se conuertitur. Verbi gratia, quinquies quini, vicies quinque. *Solidus numerus* est qui longitudine & altitudine continetur, vt sunt pyramides, qui in modum flammæ consurgunt. Cubus sunt tesseræ. Sphæræ quibus est æqualis vndique rotunditas. *Sphæricus* autẽ *numerus* est, qui circulato numero multiplicatus à se inchoat, & in se conuertitur, vt quinquies quini, vigintiquinque. Hic circulus dum in seipso multiplicatus fuerit; facit sphæram, id est, quinquies xxv. Cxxv.

De differentia Arithmetica. Geometria, & Musica, in medio inueniendo proportione Arithmetica, Geometrica, Musica.

CAP. VIII.

INter Arithmeticam autem, & Geometriam, & Musicam hoc interest, vt media inuenias: *In Arithmetica* primo sic quæris. Coniungis extrema, & diuidis, & facis medium: vt puta fac extrema esse vi. & xii. simul iungis & faciunt xviii. partiris media & facis ix. quod est analogicum arithmeticæ, vt medius, quot monadibus superat primum, iis superetur ab extremo. Superant enim ix. vi. tribus monadibus. iis superatur à xii. *Secundum* verò *geometriam* ita quæris. Extrema multiplicata tantum faciunt, quantum & media multiplicata, vt puta, vi. & xii. multiplicata facient septuagesies dipondius, media, viii. & ix. multiplicata tantundem faciunt, *Secundum musicam* ita: Qua parte superat medius primum, eadem parte superatur medius ab extremo, vt puta, vi. & viii. duabus partibus media superant: quæ duæ partes tertia media viii. superantur ab vlt. nona.

Quot

Quot numeri infiniti existunt.

CAP. IX.

NVmeros autem infinitos esse certissimũ est, quoniam in quocunque numero finem faciendum putaueris, id est, posse non dico vnde addito augeri: sed quamlibet sit magnus, & quamlibet ingentem multitudinem continens: in ipsa ratione atque scientia numerorum non solùm duplicari, verùm etiam multiplicari potest. Ita verò suis quisque numerus proprietatibus terminatur, vt nullus eorum par esse cuicunque alteri possit. Ergo & *dispares* inter se atque *diuersi sunt*, & singuli quique *finiti* sunt, & omnes *infiniti* sunt.

Capita Geometriæ.

DE GEOMETRIÆ INVENTORIBUS & vocabulo eius.

CAP. X.

GEometria disciplina primum ab Ægyptiis reperta dicitur. quia inundante Nilo & omnibus possessionibus eius limo obductis, initium terræ diuidendæ per lineas & mẽsuras nomen arti dedit. Quæ deinde longiùs acumine sapientum producta, & maris & cœli, & aeris spacia metitur. Nam prouocati studiosi cœperunt post terræ dimensionem & cœli spacia quærere: quanto interuallo luna à terris, à luna sol ipse distaret, & vsque ad verticem cœli quanta se mensura distenderet. sicque interualla ipsa cæli, orbísque ambitum per numerum stadiorum ratione probabili distinxerunt. ¶ Sed quia ex terræ dimensione hæc disciplina cepit: ex initio sui, & nomen seruauit. Nam *Geometria* de terra & de mensura nuncupatur. Terra enim Græcè γῆ vocatur, *μέτρον* mensura. ¶Huius disciplinæ ars continet in se lineamenta, interualla & magnitudines, & figuras, & in figuris dimensiones & numeros.

De quadripartita diuisione artis Geometriæ.

CAP. XI.

GEometriæ quadripartita diuisio est, in *planum*, in *magnitudinem numerabilem*, in *magnitudinem rationabilem*, & in *figuras solidas*. *Plana* figuræ sunt quæ longitudine & latitudine continentur; quæ sunt iuxta Platonem numero quinque: Trigonus, tetragonus, pentagonus, hexagonus, heptagonus. Iã octonarius in cubum, id est, in solidam pergit figuram. *Numerabilis magnitudo* est: quæ numeris arithmeticæ diuidi potest. *Magnitudines rationales* sunt, quarum mensuram scire possumus: *irrationales* verò sunt, quarum mẽsuræ quantitas cognita non habetur.

De planis & solidis figuris Geometriæ.

CAP. XII.

FIguræ solidæ sunt quæ longitudine & latitudine & altitudine continentur, vt est cubus, cuius species sunt quinque *in plano*. Quarum prima *circulus* est, plano pede figura plana, quæ vocatur circumducta, cuius in medio punctus est, quo cuncta conuergunt, quod centrum Geometræ, Latini punctum circuli nuncupant. *Quadrilatera figura* est plano pede quadrata quæ sub quatuor lineis rectis iacet. *Dianatheton* grammaton, figura plana. *Orthogonium*, id est, rectangulum figura plana in plano pede. Est enim triangulũ, & habet angulum rectum. *Isopleuros*: figura est plana, recta & subtiliter constituta in solidum. ¶*Sphæra* est figura in rotundũ formata, partibus cunctis æqualis in solidum. *Cubus* est figura propria solida: quæ longitudine & latitudine & altitudine continetur in solidũ. *Cilindrus* est figura quadrata, habẽs superius semicirculum in solidum. *Conon*, figura quæ ab amplo in angustum finit, sicut orthogoniũ. *Piramis* est figura, quæ in modum ignis ab amplo in acumen consurgit. Ignis enim apud Græcos πῦρ appellatur. Sicut enim intra x. omnis est numerus, ita intra circulum omniũ figurarum concluditur ambitus. ¶ Prima autem figura huius artis *punctus* est, cuius pars nulla est. Secunda est *linea* præter latitudinem. Longitudo recta linea est: quæ ex æquo in suis punctis iacet. *Superficies* verò, quòd lõgitudines & latitudines solas habet. Superficiei verò fines lineæ sunt, quorũ formæ ideò in superioribus x. figuris positæ non sunt, quia inter eas inueniuntur.

De Numeris Geometriæ.

CAP. XIII.

NVmeros autem secundum Geometriam ita quæris: Extrema quippe eius multiplicata tantùm faciunt; quantum & media multiplicata: vt purà, vj. & xij. multiplicata faciunt septuagies dipondo, media viij. & ix. multiplicata tantundem faciunt.

Incipiunt capitula Musicæ artis.

De Musica & eius nomine. CAP. XIV.

Musica est peritia modulationis sono cantúque consistens: Et dicta Musica per deriuationem à Musis. *Musæ* autem appellatæ ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, id est, à quærendo, quòd per eas, sicut antiqui voluerunt, vis carminũ & vocis modulatio quæreretur. Quarũ sonus quia sensibilis res est, præterfluit in præteritum tempus, imprimitúrque memoriæ. Inde à poetis Iouis & Mineruæ filias Musas esse confictum est. Nisi enim ab homine memoria teneantur soni, pereunt, quia scribi non possunt.

De inuentoribus eius. CAP. XV.

Moyses dicit repertorem Musicæ artis fuisse *Tubal*, qui fuit de stirpe Cain ante diluuium. Græci verò *Pythagoram* dicunt huius artis inuenisse primordia, ex malleorum sonitu & cordarum extensione percussa. Alij *Linum Thebeum* & *Zetum* & *Amphiona* in arte musica primos claruisse ferunt. Post quos paulatim directa est præcipuè hæc disciplina & aucta multis modis, erátque tam turpe Musicam nescire, quàm literas. Interponebatur autem non modò sacris, sed & omnibus solennibus, omnibúsque lætis, vel tristioribus rebus. Vt enim in veneratione diuina *hymni*: ita in nuptiis *Hymenæi*, & in funeribus *threni*, & lamenta ad tibias canebantur. *In conuiuiis* verò lyra vel cithara circunferebatur, & accubantibus singulis ordinabatur conuiuiale genus canticorum.

Quid possit Musica. CAP. XVI.

Itaque sine Musica nulla disciplina potest esse perfecta: nihil enim est sine illa. Nam & ipse mundus quadam harmonia sonorum fertur esse compositus, & cœlum ipsum sub harmoniæ modulatione reuoluitur. Musica mouet affectus, prouocat in diuersum habitum sensus. In prælijs quoque tubæ concentus pugnantes accendit, & quanto vehementior fuerit clangor, tantò fit fortior ad certamen animus. Siquidem & remiges cantus hortatur, ad tolerandos quoque labores musica animum mulcet, & singulorum operum fatigationem modulatio vocis solatur. Excitos quoque animos musica sedat, sicut legitur de Dauid, qui à Spiritu immundo Saulem arte modulationis eripuit. Ipsas quoque bestias, necnon & serpentes, volucres, atque delphinos ad auditum suæ modulationis, musica prouocauit. Sed & quicquid loquimur, vel intrinsecus venarum pulsibus commouemur, per musicos rythmos harmoniæ virtutibus probatur esse sociatum.

De tribus partibus Musicæ. CAP. XVI.

Musicæ partes sunt tres, idest, harmonica, rythmica, metrica. *Harmonica* est quæ discernit in sonis acutum & grauem. *Rythmica* est quæ requirit incursionem verborum, vtrum bene sonus an malè cohæreat. *Metrica* est, quæ mensuram diuersorum metrorum probabili ratione cognoscit: vt verbi gratia heroicum, iambicum, elegiacon, &c.

De triformi Musicæ diuisione. CAP. XVIII.

Ad omnem autem sonum qui materies cantilenarum est, triformem constat esse naturam. Prima est *harmonica*, quæ ex vocum cantibus constat. Secunda *organica*, quæ ex flatu consistit. Tertia *rythmica*, quę impulsu digitorum numerus recipit. Nam aut *voce* editur sonus, sicut per fauces, aut *flatu*, sicut per tubam, vel tibiam: aut *impulsu*, sicut per citharam: aut per quodlibet aliud quod percutiendo sonorum est.

De prima diuisione musicæ, quæ Harmonica dicitur. CAP. XIX.

Prima diuisio Musicæ quæ *harmonica* dicitur, id est, modulatio vocis, pertinet ad comœdos, tragœdos, vel choros, vel ad omnes qui voce propria canunt. Hæc ex animo & corpore motum facit, & ex motu sonum, ex quo colligitur Musica, quæ in homine vox appellatur. *Vox* est aer spiritu verberatus, vnde & verba sunt nuncupata. Propriè autem vox hominum est, seu irrationabiliũ animantium. Nam in aliis abusiuè non propriè sonitus vox vocatur: vt, Vox tubæ infremuit, fractásque ad littora voces. Nã propriũ est, vt littore resonent scopuli, &. At tuba terribilem sonitum procul ære canoro. *Harmonica* est modulatio vocis & concordantia plurimorum sonorum, vel coaptatio. *Symphonia* est moderationis temperamentũ ex graui & acuto concordantibus sonis, siue in voce, siue in

siue in flatu, siue in pulsu. Per hanc quippe voces acutiores, grauioresque concordant, ita vt quisquis ab ea dissonuerit, sensum auditoris offendat. Cuius contraria est *diaphonia*, id est, voces discrepantes vel dissonæ. *Euphonia* est suauitas vocis. Hæc & *melos* à suauitate & melle dicta. *Diastema* est vocis spatium ex duobus vel pluribus sonis aptatum. *Diesis* est spacium quoddam, & deductiones modulandi atque vergentes de vno in alterum sonum. *Tonus*, est acuta enunciatio vocis. Est enim harmoniæ differentia & quantitas, quæ in vocis accentu vel tenore consistit: cuius genera in xv. partibus musici diuiserunt: ex quibus *hyperlidius* nouissimus & acutissimus. *hypodorius* omnium grauissimus est. *Cantus*, est inflexio vocis: nam sonus directus est. præcedit autem sonus cantum. *Arsis*, est vocis eleuatio, id est, initium. *Thesis*, vocis positio, hoc est finis. *Suaues*, voces sunt subtiles & spissæ, claræ atque acutæ. *Perspicuæ*, voces sunt quæ longius protrahuntur: ita vt omnem impleant continuò locum, sicut clangor tubarum. *Subtiles*, voces sunt quibus non est spiritus spissus, qualis est infantium, vel mulierum, vel ægrotantium, sicut in neruis. Quæ enim subtilissimæ cordæ sunt, subtiles ac tenues sonos emittunt. *Pingues*, sunt voces, quando spiritus multus simul egreditur, sicut virorũ. *Acuta*, vox tenuis: alta, sicut in chordis videmus. *Dura vox*, est quæ violenter emittit sonos, sicut tonitruum, sicut incudis sonus, quoties in durum malleus percutit ferrum. *Aspera vox*, est rauca, & quæ dispergitur per minutos & indissimiles pulsus. *Cæca vox* est quę mox vt emissa fuerit, cõticescit, atque suffocata nequaquam longius producitur, sicut est in fictilibus. *Vinnolata vox*, est leuis & mollis atque flexibilis. Et vinnolata dicta à vinno, hoc est cincinno, molliter flexo. *Perfecta* autem *vox*, est alta suauis & clara. *Alta*, vt in sublimi sufficiat: *Clara*, vt aures impleat: *Suauis* vt animos audientiũ blandiat. Si ex his aliquid defuerit, vox perfecta non erit.

De *secunda diuisione quæ Organica dicitur.*
CAP. XX.

SEcunda diuisio *organica* est in iis quæ spiritu reflante completa, in sonum vocis animantur: vt sunt tubæ, calami, fistulæ, organa, pandoria, & iis similia instrumenta. *Organum*, vocabulum est generale vasorum omnium musicorum. Hoc autem cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Vt autem organum dicatur: magis ea vulgaris est cõsuetudo Græcorum. *Tuba*, primùm à Tyrrhenis inuenta, de quibus Virgil. Tyrrhenúsque tubæ mugire per æthera clangor. Adhibebatur autem non solùm in prelijs, sed & in omnibus festis diebus propter laudes vel gaudij claritatem. Vnde & in Psalterio dicitur, Canite initio mensis tuba, in die insigni solẽnitatis vestræ. Pręceptum enim fuerat Iudęis, vt initio nouæ lunæ tuba clangerent, quod etiam hucusque faciunt. *Tibias* excogitatas in Phrygia ferunt: has quidem diu funeribus tãtùm adhibitas, mox & sacris gẽtilium. Tibias autem appellatas putant, quòd primùm de ceruinis tibiis cruribúsque hinnulorum fierent: deinde per abusionem ita cœptas vocari etiam, quæ non de cruribus ossibúsque essent. Hinc & *tibicen* quasi tibiarum cantor. *Calamus*, nomen est arboris proprium, à calendo, id est, fundendo voces vocatum. *Fistulam* quidam putant à Mercurio inuentam: alij à Fauno, quem Græci vocant Pana. Nonnulli eam ab Idi pastore Agrigentino ex Sicilia. Fistula autem dicta, quòd vocem emittat. *Sambuca*, in musicis species est symphoniarum. Est enim genus ligni fragilis, vnde & tibiæ componuntur. *Pandorius*, ab inuentore vocatus. de quo Virgilius, Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit, Pan curat oues, ouiúmque magistros. Fuit enim apud gentiles Deus pastoralis, qui primus dispares calamos ad cantum aptauit, & studiosa arte composuit.

De *tertia diuisione, quæ Rithmica nuncupatur.*
CAP. XXI.

TErtia est diuisio *rithmica* pertinens ad neruos & pulsus, cui dantur species citharum diuersarum, tympanum, & cimbalum, sistrum, acitabula aenea & argentea, vel alia quæ metallico rigore percussa reddunt cum suauitate tinnitum, & cætera huiusmodi. *Cithara* ac *psalterij* repertor Tubal, vt prædictum est, perhibetur. Iuxta opinionem autem Græcorum citharæ vsus repertus fuisse ab Apolline creditur. Forma citharæ initio similis fuisse traditur pectori humano, quod veluti vox de pectore, ita ex ipsa cantus ederetur, appellatáque eadem de causa. Nam pectus Dorica lingua κιθάρα vocatur. Paulatim autem plures eius species extiterunt, vt *psalteria, lira, barbita, phœnices & pectides*, & quæ dicuntur *Indica*, & feriuntur à duobus simul. Item aliæ autẽ & aliæ, & quadrata forma vel trigonali. *Cordarum* etiam *numerus* multiplicatus est, & commutatum genus. Veteres autem citharam fidiculam, vel fidicen nominauerunt: quia tam concinnunt inter se cordæ eius, quàm bene conueniunt inter quos fides fit. Antiquitus autem *cithara septemcordis* erat. Vnde Virgilius, Septem discrimina vocum. *Discrimina* autem ideò, quòd nulla corda vicinæ cordæ simi-

lem vocem reddat. sed ideo vij. cordæ, vel quia totam vocem implent: vel, quòd septem motibus sonat cælum. *Cordas* autem dictas à corde: quia sicut pulsus est cordis in pectore, ita pulsus cordæ in cithara. His primus Mercurius excogitauit: idémque prior in neruos sonum strinxit. *Psalterium*, quod vulgo *canticum* dicitur, à psallendo nominatum: quòd ad eius vocem chorus consonando respondeat. Est autem similitudo citharæ barbaricæ in modum Δ literæ: sed psalterij & citharæ hæc est differentia, quòd *psalterium* lignum illud concauum vnde sonus redditur superius habet, & deorsum feriuntur cordæ, & desuper sonant. *Cithara* autem econtrà concauitatem ligni inferius habet. Psalterio autem Hebræi decachordo vsi sunt propter numerum decalogi legis. *Lyra* dicta à varietate vocum, quòd diuersos sonos efficiat. Lyram primùm à Mercurio dicunt inuentam fuisse, hoc modo: Cùm regrediens Nilus in suos meatus varia in campis reliquisset animalia, relicta etiam testudo est. Quæ cùm esset putrefacta, & nerui eius remansissent extenti inter corium: percussa à Mercurio sonitum dedit, ad cuius speciem Mercurius lyram fecit, & Orpheo tradidit, qui erat huius rei maximè studiosus. Vnde & æstimatur eadem arte non feras tantùm, sed & saxa atque syluas cantus modulatione applicuisse. Hanc musici propter studij amorem & carminis laudē, etiam inter sidera suarum fabularum commentis collocatam esse finxerunt. *Tympanū* est pellis vel corium ligno ex vna parte extensum. Est enim pars media symphoniæ in similitudinem cribri. Tympanum autem dictum, quod medium est. Vnde & margaritum medium tympanum dicitur, & ipsum vt symphonia ad virgulam percutitur. *Cymbala* & *acitabula* quædā sunt, quæ percussa inuicē se tangunt & sonum faciunt. Dicta autem cymbala, quia cum ballematica simul percutiuntur. Ita enim Græci dicunt cymbala ballematica. *Sistrum* ab inuentrice vocatum. Isis enim Ægyptiorum regina id genus inuenisse probatur. Iuuenalis, Isis & irato feriat mea lumina sistro. Inde & hoc mulieres percutiunt, quia inuentrix huius generis est mulier. Vnde & apud Amazonas sistro ad bellū fœminarū exercitus vocabatur. *Tintinnabulum* de sono vocis nomen habet, sicut & plausus manuum, stridor valuarū. *Symphonia* vulgo appellatur lignum cauum ex vtraque parte: pelle extensa, quam virgulis hinc & inde musici feriunt. Fitque in ea ex concordia grauis & acuti suauissimus cantus.

De musicis numeris.
CAP. XXII.

NVmeros autem secundum musicam ita quæris. Positis extremis, vtputa vj. & decies dipondius, vides quot monadibus superetur, vj. à xij, & vj. monadibus dictis per quadratum, sexies seni faciunt xxxvj. Coniungis extrema illa, vj. ad xij. simul efficiunt xviij. Partiris tricies sexies per decies octo, efficit dipondius. Hos iungis cum summa minore scilicet, sexies, erunt viii. & erit medium inter vi. & xii. Quapropter viii. superat vi. duabus monadibus, id est tertia de sexies, & superantur viii. à xii. iiii. monadibus, tertia portione. Qua parte ergo superat, eadem superatur. Sed hæc ratio quemadmodum in mundo est ex volubilitate circulorum: ita & in microcosmo in tantum præter vocem valet, vt sine ipsius perfectione etiam homo symphoniis carens non consistat. Eiusdem musicæ perfectione, etiam metra constant, in arsi & thesi, id est, eleuatione & positione.

De Astronomia.

56 De

De Astronomiæ nomine. CAP. XXIII.

ASTRONOMIA est astrorum lex, quæ cursus siderum ac figuras & habitudines stellarum circa se, & circa terram indagabili ratione percurrit.

De inuentoribus eius. CAP. XXIV.

ASTRONOMIAM primi Ægyptij inuenerũt. Astrologiam verò & natiuitatis obseruantiam Chaldæi primi docuerunt. Abrahã autem instituisse Ægyptios Astrologiã, Iosephus asseuerat. Græci autem dicunt, hanc artem ab Athlante prius excogitatam: ideóque dictus est sustinuisse cœlum. Quisquis autem ille fuit motu cœli & ratione animæ excitatus per temporum vices, per astrorum rotatus diffinitósque cursus, per interuallorum spacia moderata, considerauit dimensiones quasdam & numeros, quæ diffiniendo ac secernendo in ordinem nectens, Astrologiam reperit.

De scriptoribus Astronomiæ. CAP. XXV.

IN vtraque autem lingua diuersorum quidem sunt de astronomia scripta volumina: inter quos tamen Ptolemęus rex Alexandrię apud Græcos habetur præcipuus: hic etiam & canones instituit: quibus cursus astrorum inueniatur.

De differentia Astronomiæ & Astrologiæ. CAP. XXVI.

INter Astronomiam autem & Astrologiam aliquid differt. Nam *Astronomia* conuersionem cœli, ortus, obitus, motúsque siderum continet: vel qua ex causa ita vocentur. *Astrologia* verò partim naturalis, partim superstitiosa est. *Naturalis* dum exequitur solis & lunæ cursus, vel stellarum, certásque temporum stationes. *Superstitiosa* verò est illa quam mathematici sequuntur, qui in stellis augurantur, quíque etiam xij. cœli signa per singula animæ vel corporis membra disponunt. Siderúmque cursu necessitates hominum & mores prædicere conantur.

De Astronomiæ ratione. CAP. XXVII.

ASTRONOMIÆ ratio modis plurimis constat. Diffinit enim quid sit mundus, quid cœlum, quid sphæræ situs & cursus, & quid axis cœli & poli, quæ sint climata cœli, qui cursus solis & lunæ atque astrorum, &c.

De mundo & eius nomine. CAP. XXVIII.

MVndus est hic, qui constat ex cœlo & terra, & mari, cũctísque sideribus. Qui idcirco mundus est appellatus, quia semper in motu est: nulla enim requies eius elementis concessa est.

De forma mundi. CAP. XXIX.

FOrmatio mundi ita demonstratur. Nam quemadmodum erigitur mundus in septentrionalem plagam, ita declinatur in australem. Caput autem eius & quasi facies, orientalis regio est, vltima pars septentrionalis.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

De cœlo & eius nomine. CAP. XXX.

COelum physici rotundum, volubile atque ardens esse dixerunt: vocatúmque hoc nomine, eò quòd tanquam vas cœlatum impressas habeat figuras stellarum. Distinxit enim id Deus claris luminibus, & impleuit sole scilicet, & lunæ orbe fulgenti, & astrorum micantium splendentibus signis adornauit. Hoc autem Græcè οὐρανὸς dicitur ἀπὸ τοῦ ὁρᾶσθαι, id est à videndo, eò quòd aer perspicuus sit, & ad speculandum purior.

De situ sphæræ cœlestis. CAP. XXXI.

SPhæra, cœli est species quædam in rotundum formata, cuius centrum terra est ex omnibus partibus æqualiter conclusa. Hanc sphæram nec principium habere dicunt, nec terminum, ideò quòd in rotundum quasi circulus, vnde incipiat, vel vbi desinat non facilè comprehenditur. Philosophi autem

mundi septem cœlos, id est, planetas globorum consono motu introduxerunt, quorum orbibus connexa memorant omnia, quos sibi innexos & velut insertos versari retro, & è contrario cæteris motibus suis ferri arbitrantur.

De motis eiusdem. Cap. XXXII.

Sphærę *motus* duob⁹ axibus voluitur: Quorum vnus *septentrionalis*. qui nunquã occidit: appellatúrque *Borealis*: alter *Australis*, qui nunquam videtur, & *Austronotus* dicitur. His duobus polis moueri sphæram cœli dicunt. & cum motu eius sidera in ea fixa ab oriente vsque ad occidentem circum ire: septentrionibus breuiores giros iuxta cardinem peragentibus.

De cursis eiusdem sphæræ. Cap. XXXIII.

Sphæra cœli ab oriente & occidente semel in die & nocte vertitur xxiiij. horarum spaciis, quibus sol cursum suum supra terras & sub terra sua volubilitate concludit.

De celeritate cœli. Cap. XXXIV.

Tanta celeritate cœli sphæra dicitur currere, vt nisi aduersus præcipitem eius cursum astra currerent, quæ eam remorarentur, mundi ruinam facerent.

De axe cœli. Cap. XXXV.

Axis, est septentrionalis linea recta, quæ per mediam pilam sphęræ tendit. & dicta axis, quòd in ea sphæra, vt rota voluitur; vel quia ibi plaustrum est.

De polis cœlestibus. Cap. XXXVI.

Poli sunt circuli qui currunt per axem. Horum alter est *Septentrionalis*: qui nunquam occidit, appellatúrque *Boreus*: alter *Australis*, qui nunquam videtur. Et *Austronotus* dicitur. & dicti *poli*, quòd sint axium cicli ex vsu plaustrorum, à poliendo scilicet nominati: sed polus Boreus semper videtur, Austronothus nunquam: quia dextra cœli altiora sunt pressa austri.

De cardinibus cœli. Cap. XXXVII.

Cardines cœli: extremæ partes sunt axis. Et dicti cardines, eo quòd per eos vertitur cœlum, vel quia sicut cor voluuntur.

De conuexis cœli. Cap. XXXVIII.

Conuexa autem cœli, extrema eius sunt, à curuitate dicta, vt est illud: Conuexum quoties claudit nox humida cœlum Conuexum enim curuum est quasi conuersum seu inclinatum, & ad modum circuli flexum.

De ianuis cœli. Cap. XXXIX.

Ianuæ cœli duæ sunt, oriens & occidens. Nam vna parte sol procedit, alia se recipit.

De gemina facie cœli. Cap. XL.

Facies cœli vel caput, orientalis regio: vltima, septentrionalis. De qua Lucanus: Sic mundi pars ima iacet, quam zona niualis Perpetuæque premunt hiemes.

De quatuor partibus cœli. Cap. XLI.

Climata cœli, id est, plagæ, vel partes quatuor sunt, ex quibus prima pars *orientalis* est, vnde aliquæ stellæ oriuntur. Secunda, *occidentalis*, vbi nobis aliquæ stellæ occidunt. Tertia *septentrionalis*, vbi peruenit sol in diebus maioribus. Quarta *Australis*, vbi sol peruenit noctibus maioribus. *Oriens* autem ab exortu solis est nuncupatus. *Occidens* quòd diem faciat occidere & interire. Abscondit enim lumen mundo, & tenebras superinducit. *Septentrio* autem, à septem stellis axis vocatus, quę in ipso reuolutę rotantur. Hic proprie & *vertex* dicitur, eo quòd vertitur. *Meridies* autem vocatur, vel quòd ibi sol facit medium diem quasi medidies; vel quia tunc purius micat æther. *Merum* enim purum dicitur. ¶ Sunt & *alia* vij. *climata cœli* quasi vij lineæ ab oriente in occidentem, sub quibus & mores hominum dispares, atque animalia specialiter diuersa nascuntur, quę vocata sunt à locis quibusdam famosis, quorũ primũ est *Meroïs*, secundum *Somis* vel *Sienes*. tertiũ *catacorius* id est, *Aphricæ*. quartũ *Rhodus*. quintum *Hellespontus*. sextum *Mesopontus*. septimum *Borysthenes*.

De hemisphærijs. Cap. XLII.

Hemisphærium, dimidia pars sphęræ est. *Hemisphæriũ supra terras* est ea pars cœli, quæ à nobis tota videtur. *Hemisphæriũ sub terra* est, quæ videri non potest, quamdiu sub terra fuerit.

De quinque circulis cœli. Cap. XLIII.

Zonæ cœli quinque sunt: quarum distinctionibus quædam partes temperie sua incoluntur, quędam immanitate frigoris aut caloris inhabitabiles existunt. Quæ ideo & zonę

zonæ vel circuli appellantur, eo quòd in circumductione sphæræ existunt. Quorum *primus circulus* ideò *Arcticus* appellatur, eo quòd inter eum Arcturi signa inclusa prospiciuntur. *Secundus circulus* θερινός, qui & *tropicus* dicitur, quia in eo circuiens sol Aquilonis finibus æstatem facit, & vltra eum circulum non transit, sed statim reuertitur, & inde tropicus appellatur. *Tertius circulus, himerinus*, qui à Latinis ideò *æquinoctialis* appellatur, eo quòd sol cùm ad eum orbem peruenerit, æquinoctium facit. ἡμέρη enim Latinè, dies dicitur atque nox: quo circulo dimidia sphæræ pars constituta perspicitur. *Quartus circulus Antarcticus* vocatus: eo quòd contrarius sit circulo: quem Arcticum nominamus. *Quintus circulus* χειμερινὸς *tropicus*, qui à Latinis *hiemalis* siue *brumalis* appellatur, ideò sol cùm ad eum circulum peruenerit, hyemem iis qui ad Aquilonem sunt facit, & æstatem iis qui in Austri partibus cõmorantur.

De circulo zodiaco. CAP. XLIV.

Zodiacus autem circulus est, qui ex linearum quinque angulis & ex vna linea constat.

De candido circulo. CAP. XLV.

Lacteus circulus via est, quæ in sphæra videtur, à candore dicta, quia alba est. quã aliqui dicunt viam esse qua circuit sol, & ex splendoris ipsius transitu ita lucere.

De magnitudine Solis. CAP. XLVI.

Magnitudo solis fortior est terra, vnde & eodem momento quo oritur, & orienti simul & occidenti æqualiter apparet. Quia verò tanquam cubitalis nobis videtur, considerare oportet quantum sol distat à terris: quæ longitudo facit, vt paruus videatur nobis.

De magnitudine lunæ. CAP. XLVII.

Magnitudo quoque lunæ minor fertur esse quàm solis. Nam dum sol superior sit a luna, & tamen à nobis maior quàm luna videatur, iam si prope nos accessisset: multo maior quàm luna conspiceretur. Sicut autem fortior est sol terra: ita terra fortior est luna: per aliquam quantitatem.

De natura solis. CAP. XLVIII.

Sol dum igneus sit, præ nimio motu conuersionis suæ ampliùs incalescit. Cuius ignem dicunt philosophi aqua nutriri, & è contrario elemento virtutem luminis & caloris accipere. Vnde dicimus eũ sæpius madidum & rorantem.

De cursu solis. CAP. XLIX.

Solem per seipsum moueri, non cum mundo verti dicunt. Nam si fixus cælo maneret, omnes dies & noctes æquales existerent: sed cum alio loco cras occasurum: alio occidisse hesterno videmus: apparet eum per seipsum moueri, non cum mundo verti: spatiis enim æqualibus orbes annuos conficit propter temporum mutationes. Oriens diem facit: occidens noctem inducit. Nam vadens longius ad meridiem hyemem facit, vt hybernis humoribus atque pruinis terra pinguescat. Accedens propius ad Septentrionem, æstatem reddit, vt fruges maturitate durétur, & quæ sunt in humidis incocta: feruefacta mitescant.

De effectu solis. CAP. L.

Sol oriens diem facit, occidens noctem inducit: nam *dies* est sol super terras, *nox* est sol sub terra. Ex ipso enim sunt horæ: ex ipso dies, cùm ascenderit: ex ipso etiam nox, cùm occiderit: ex ipso menses & anni numerantur: ex ipso vicissitudines fiunt temporum. Quando autem per meridiem currit, vicinior est terræ: quando verò iuxta Septentrionem, sublimis attollitur. Cui ideo Deus diuersos cursus constituit, loca & tempora, ne dum semper eisdem moraretur locis, quotidiano vapore eius vniuersa consumerentur, sicut Clemens ait, Cursus diuersos accepit quibus aeris temperies pro ratione temporum dispensatur, & ordo vicissitudinum permutationúmque seruatur. Nam dum ad superiora conscenderit, ver temperat: vbi autem ad summum cæli venerit, æstiuos accendit calores: descendẽs rursus autumno temperiem reddit. Vbi vero ad inferiorem redit circulũ: ex glaciali compage cæli rigorem nobis hyberni frigoris derelinquit.

De itinere solis. CAP. LI.

Sol oriens per meridiem iter habet: qui postquàm ad occasum venerit, & Oceano se intinxerit, per incognitas sub terra vias vadit, & rursus ad orientem recurrit.

De lumine Lunæ. CAP. LII.

Lunam quidam philosophi dicunt proprium lumen habere, globíque eius vnã partem esse lucifluam, aliam verò obscuram, & paulatim se vertendo diuersas formas efficere. Alij contra aiunt, lunam non suum lumen habere, sed solis radiis illuminari. Vnde & *eclypsim* patitur: si inter ipsam & solem vmbra terræ interueniat. Sol enim longè ipsa superior est. Hinc euenit, vt quoniam sub

illo est, parte superiore luceat, inferiore verò quam habet ad terras parte obscura sit.

De formis Lunæ. CAP. LIII.

PRima figura Lunæ bicornis est. Secunda sectilis. Tertia dimidia. Quarta plena. Quinta iterum dimidia ex maiore. Sexta iterum sectilis. Septima bicornis. Septima autem semis, & vicesima secunda semis in suo ordine mediæ sunt: cæteræ autem proportionales sunt.

De interlunio Lunæ. CAP. LIV.

INterlunium Lunæ, est tempus illud inter deficientem & nascentem Lunam. Est autẽ trigesimus dies, quo luna non lucet. Quæ ideò videri non potest, quia soli coniuncta obscuratur, sed eodem momento renascens paulatim ab eo recedendo videtur.

De cursu Lunæ. CAP. LV.

LVna amissi ac recepti luminis vicibus mẽstrua spacia moderatur. Quæ ideò obliquo & non recto incedit cursu, vt sol: ne incidat in centrum terræ & frequenter patiatur eclipsim. Vicinus est enim circulus eius terræ. Crescens autem orientem cornibus spectat: decrescens, occidentem: meritò, quia occasura & amissura est lumen.

De vicinitate lunæ ad terras. CAP. LVI.

LVna terris vicinior est quàm sol. Inde & breuiori orbe celerius peragit cursum suum. Nam iter quod sol in diebus ccclxv. ista per xxx. dies percurrit. Vnde & antiqui menses in luna, annos autem in solis cursu posuerunt.

De eclypsi Solis. CAP. LVII.

ECLypsis solis, est quoties luna trigesima ad eandem lineam qua sol vehitur peruenit, eique se obiiciens solem obscurat. Nam deficere nobis sol videtur, dum illis orbi Lunæ opponitur.

De eclipsi Lunæ. CAP. LVIII.

ECLypsis lunæ est quoties in vmbram terræ luna incurrit. Non enim suum lumen habere: sed à sole illuminari putatur. vnde & defectum patitur si inter ipsam & solem vmbra terræ interueniat. Patitur autem hoc decimaquinta luna, eousque, quàm diu centrum atque vmbra obstantis terræ exeat, videátque solem, vel à sole videatur.

De differentia stellarum, siderũm, & astrorum. CAP. LIX.

STellæ, & sidera, & astra inter se differunt. Nam *stella* est quælibet singularis. *Sydera* verò sunt stellis plurimis facta, vt Hyades, Pleiades. *Astra* autem sunt stellæ grandes, vt Orion, Bootes. Sed hæc nomina scriptores confundunt, & astra pro stellis, & stellas pro sideribus ponunt.

De lumine stellarum. CAP. LX.

STellæ non habere proprium lumen: sed à sole illuminari dicuntur, sicut & luna.

De stellarum motu. CAP. LXI.

STellæ immobiles sunt, & cum cœlo fixæ perpetuo motu feruntur: neque cadunt per diem, sed à solis splendore obscurantur.

De cursu stellarum. CAP. LXII.

SIdera autem feruntur, aut mouentur. *Feruntur*, quæ cælo fixa sunt, & cum cælo voluuntur. *Mouentur* verò quædam, sicut planetæ, id est, erraticæ, quæ cursus suos vagos certa tamen diffinitione conficiunt.

De vario cursu stellarum. CAP. LXIII.

STellæ dicuntur pro eo quòd per diuersos orbes cælestium planetarum feruntur. nã quædam celerius exortæ, tardius occidunt: quædam tardius exortæ citius ad occasum perueniunt. aliæ pariter oriuntur & non simul occidunt, omnes autem suo tempore ad suum cursum proprium reuertuntur.

De interuallis stellarum. CAP. LXIV.

STellæ inter se diuersis interuallis distant à terra: propterea dispari claritate magis minúsve nostris oculis apparent. Nam multæ maiores sunt iis quas videmus conspicuas, sed longius positæ paruæ videntur à nobis.

De numero circulari stellarum. CAP. LXV.

NVmerus circularis stellarum est, per quẽ cognosci dicitur, in quanto tempore circulum suum vnaquæque stella percurrat, siue per longitudinem, siué per latitudinẽ. *Latitudo* intelligitur per signiferum, longitudo per proprium excursum. Nam *luna* viii. annis fertur explere circulũ suum. *Mercurius* annis xx. *Lucifer* annis ix. *Sol* annis xix. *Vesper* xv. *Phaeton* xii. *Saturnus* xxx. Quibus peractis ad reuersionem circuli sui iisdem signis & partibus reuertuntur. Quædam *sydera* radiis solis

solis prædita *anomala* fiunt, aut *retrograda* aut *stationaria*: iuxta quod & poeta meminit dicens, Sol tempora diuidit æui: Mutat nocte diem, radiisque potétibus astra Ire vetat, cursúsque vago ratione moratur.

De stellis planetis.
CAP. LXVI.

QVædam stellæ ideò *planetæ* dicuntur, id est errantes, quia per totum mundum vario motu discurrunt. Vnde pro eo quod errant, *retrograda* dicuntur: vel *anomala* efficiuntur, id est, quando particulas addunt & detrahunt. Cæterum quando tantum detrahunt *retrograda* dicuntur: *stationem* autem faciunt quando stant.

De præcedentia & antegradatione stellarum.
CAP. LXVII.

PRæcedentia, vel *antegradatio stellarum* est dum stella motum suum consuetum agere videtur, & aliquid præter consuetudinem præcedit.

De remotione vel retrogradatione stellarum.
CAP. LXVIII.

REmotio, vel *retrogradatio stellarum* est, quando stella dum motum suum agit, simul & retrorsum moueri videtur. Ista omnia in absidis colliguntur.

De statu stellarum. CAP. LXIX.

STatus stellarum est, dum stella semper mouetur: tamen in aliquibus locis stare videtur.

De nominibus stellarum, quibus ex causis nomina acceperunt. CAP. LXX.

SOl appellatus eò quòd solus appareat, obscuratis fulgore suo cunctis sideribus. *Luna* dicta quasi Lucina, ablata media syllaba: de qua Virgilius: Casta faue Lucina. Sumpsit autem nomen per deriuationem à solis luce: eò quòd ab eo lumen accipiat, acceptúmque reddat. *Stella* dictæ à stando, quia semper fixæ stant in cœlo: nec cadunt. Nam quòd videmus de cœlo stellas quasi labi, non sunt stellæ, sed igniculi ab æthere lapsi: qui fiunt dum ventus altiora petens æthereum ignem secum trahit, qui tractu suo imitatur stellas cadentes. Nam stellæ cadere non possunt: immobiles enim (vt prædictum est) sunt, & cùm cœlo fixæ feruntur. *Sidera* dicta, eò quòd ea nauigantes considerando iter dirigunt ad cursus consilium, ne fallacibus vndis aut ventis aliò deducantur. ¶ Quædam autem stellæ idcirco *signa* dicuntur, quia eas nautæ obseruant in gubernandis remigiis, contemplantes aciem fulgorémque eorum, quibus rebus status cœli futurus ostenditur. sed & omnes homines ea intendunt ad præuidendum aeris qualitates per æstatem & hyemem vernalémque temperiem. Ortu enim vel occasu suo certis stationibus temporum qualitates significant, *Signorum* primus *Arctos*, qui in axe fixus, vij. stellis in se reuolutis rotatur: nomen est Græcum quòd Latinè *Vrsa* dicitur: quæ quod in modum plaustri vertitur, nostri eam septentrionem dixerunt, *Triones* enim propriè sunt boues aratorij dicti eò quòd terram terant: q. teriones. Septentriones autem non occidere axis vicinitas facit: quia in eo sunt. *Arctophylax* dicitur, quòd *Arcton*, id est Helicem vrsam sequitur. Eúdémque & *Booten* dixerunt, eò quòd plaustro hæret: signum multis spectabile stellis, inter quas Arcturus est. sidus post caudam maioris vrsæ positum in signo Bootis. Vnde & *Arcturus* dictus est, quasi ἄρκτον ὄρα: quia Bootis præcordiis locia collocata est. Oritur autem autumnali tempore *Orion* astrum antè Tauri vestigia fulget: & dictus Orion ab vrina, id est, ab inundatione aquarum. Tempore enim hyemis obortus mare & terras aquis & tempestatibus turbat. Hunc Latini *Iugulam* vocant, quòd sit armatus, vt gladius, & stellarum luce terribilis atque clarissimus: in quo si hæc fulgeant omnia, serenitas portenditur, si obscuratur huius acies, tempestas cernitur imminere. *Hyades* dictę ἀπὸ τοῦ ὕειν, id est à succo & à pluuiis. Nam pluuiæ Græcè ὑετός dicũtur. Ortu quippe suo efficiũt pluuias. vnde & eas Latini suculas appellauerunt: quia quando nascuntur pluuiarum signa monstrãtur, de quib. Virgil. Arcturum, pluuiásque Hyadas geminósque Triones. Sunt auté in fronte Tauri vij. & oriuntur tempore vernali. *Pleiades* à pluralitate dictæ. Sunt auté stellę septẽ ante genua Tauri, ex quibus sex videntur: nam latet vna. Has Latini *Vergilias* dicũt, à temporis significatione, quòd vere exoriuntur. Nam occasu suo hyemé, ortu æstatẽ primæque nauigationis tẽpus ostendunt. *Canicula stella*, quæ & *Sirius* dicitur, æstiuis mẽsibus in medio centro cœli est: & dũ sol ad eã ascenderit, coniũcta cũ sole duplicatur calor ipsius, & dissoluuntur corpora & vaporantur. Vnde & ex ipsa stella *dies caniculares* dicuntur: quãdo & molestę sunt pugnationes. *Canis* auté vocatur propterea quòd corpora morbo afficiat: siue propter flãmæ candorẽ, quod eiusmodi sit, vt præ cæteris lucere videatur. Itaq; quo magis eã cognoscerent, *Sirion* appellasse. *Cometes* stella dicta est, eò quod comas luminis fundat ex se. Quod genus sideris quãdo apparuerit, aut pestilẽtiã, aut famé, aut bella significat. Cometæ auté Latinè cri-

nitæ appellantur, quòd in modum crinium flāmas spargunt, quas Stoici dicunt esse vltra xxx. quarũ nomina & effectus quidam Astrologi scripserunt. *Lucifer* dictus, eò quòd inter omnia sidera plus lucem ferat. Lucifer enim est vna ex planetis. Hæc propriè & *iubar* dicitur, eò quòd iubas lucis ex se fundat: sed & splēdor Solis & lunæ ac stellarum iubar vocatur, quòd in modum iubæ radij ipsorũ extendantur. *Vesperus* stella occidentalis, quam cognominatā perhibēt ab Hespero rege Hispaniæ. Est autē & ipsa ex quinque stellis planetis, noctem ducēs & sequens solem. Fertur autem quòd hæc stella oriens luciferum, occidens vesperum facit. de qua Statius: & alterno deperditur vnus in ortu. ¶ *Planetæ* stellæ sunt, quæ non sunt fixæ in cœlo, vt reliquæ, sed in aere feruntur. Dicti autē planetæ ἀπὸ τῆς πλάνης, id est, ab errore. Nam interdum in Austrum, interdum in Septentrionē, plerunque contra mundum, nonnunquam cũ mundo feruntur. Hos Romani nominibus deorum suorum, scilicet Saturni, Lunæ, Iouis, Martis, Veneris & Mercurij sacrauerunt. Decepti enim & decipere volentes in eorũ adulationem, qui sibi aliquid secũdum amorem præstitissent, sidera ostendebant in cœlo, dicentes, quòd illud sidus esset Iouis, & illud Mercurij, & concepta est opinio vanitatis. Hanc opinionem erroris diabolus confirmauit, Christus euertit. ¶ Iam verò illa, quæ ab ipsis gentilibus *signa* dicuntur, in quibus & animantũ imago de stellis formatur: vt, *Aries*, *Taurus*, *Libra* & huiusmodi alia ij qui sidera præuiderunt, in numerum stellarum speciem corporis superstitiosa vanitate permoti finxerunt, ex causis quibusdam deorum suorum & imagines & nomina conformantes. Nam *Arietem* primũ signum, cui vt libræ mediam mundi lineam tradunt, propter Ammonem, id est, Iouem vocauerunt, quia in eius capite, qui simulachra faciunt Arietis cornua fingunt. Quod signum Gentiles ideò inter signa primum constituerunt, quòd in mense Martio, qui est anni principium, solem in signo illo cursum suum peragere dicunt: sed & *Taurum* inter sidera collocant, & ipsum in honorem Iouis, eò quòd in bouem sit fabulosè conuersus, quando Europam transuexit. Castorem quoque & Pollucem post mortem inter notissima sidera constituerunt: quod signum *Gemini* dicitur. *Cancrum* quoque inde dixerunt, eò quòd cùm ad signum mense Iunio sol venerit, retro graditur in modum cancri, breuioresque facit dies. Hoc enim animal incertam habet partem primam, deniq; ad vtramque partem gressum dirigit, ita vt prior pars sit posterior, & posterior prior. *Leonem* ingentem Hercules in Græcia occidit & propter virtutem suam hunc inter duodecim signa constituit. Hoc signum sol cùm attigerit, nimium calorem mundo reddit, & annuos flatus & æstus facit maiores quàm in toto reliquo anno. *Virginis* etiam signum idcirco inter astra collocauerunt, propter quod eisdē diebus in quibus sol per illud decurrit, terra exusta solis ardore nihil pariat. Est enim hoc tempus canicularium dierum. *Libram* autem vocauerunt ab æqualitate mensis ipsius, quod viij. Kal. Octobris sol per illud signum currens æquinoctium facit. Vnde & Lucanus. Ad iustæ pondera libræ. *Scorpium* quoque & *sagittarium*, propter fulgura mensis ipsius appellauerunt. *Sagittarius* vir equinis cruribus deformatur, cui sagittam & arcum adiungunt, vt ex eo mensis ipsius fulmina demonstrentur. Vnde & sagittarius est vocatus. *Capricorni* figuram ideò inter sidera finxerunt propter capram Iouis nutricem: cuius posteriorem partem corporis in effigiem piscis ideò finxerunt, vt pluuias eiusdem temporis designarent, quas solet idem mensis plerunque in extremis habere. Porrò *Aquarium & pisces*, ab imbribus temporum vocauerunt, quòd hyeme quando in his signis sol vertitur, maiores pluuiæ profunduntur. Et miranda gentilium dementia, qui non solùm pisces, sed etiam arietes, & hircos, & tauros, vrsas & canes, cancros, & scorpiones transtulerunt. Nam & *aquilam* & *cygnum* propter Iouis fabulas inter cœli astra eius memoriæ causa collocauerunt. *Perseum* quoque & vxorem eius *Andromedam* postea quàm sunt mortui in cœlũ receptos esse crediderũt: ita vt imagines eorum stellis designarent, eorúmque appellare nominibus non erubescerent. *Aurigam* etiam *Erichthonium* inter cœli astra collocauerunt: propter quod vidissent eum primum quadrigam iunxisse. Mirati sunt enim ingenium eius ad imitationem Solis accessisse: & propter hoc nomen eius post mortem inter sidera posuerunt. sic *Calisto*, Licaonis filia, dum ab Ioue compressa, & fabulosè ab Iunone in vrsæ fuisset speciem conuersa, quæ Græcè ἄρκτος appellatur, post interfectionem ipsius nomen eius Iouis cũ filio in stellis Septentrionalibus transtulit, eámque *Arcton*: filium autē eius *Arctophylaca* eã appellauit. Sic *lira* pro Mercurio in cœlum locata. sic *Centaurus Chiron* propter quod nutrierat Æsculapium & Achillem, inter astra dinumeratus est. Sed quolibet modo superstitiones hæ ab hominibus nuncupentur, sunt tamen sydera quæ Deus in mundi principio condidit, ac certo motu distinguere tempora ordinauit. ¶ Horũ igitur *signarum obseruationes*, vel *geneses*, vel cætera superstitiosa, quæ se ad cognitionē syderum coniungunt, id est, ad notitiam fatorũ, quæ fidei nostræ sine dubitatione contraria sunt, sic ignorari debent à Chri-

Christianis, vt nec scripta esse videantur, sed nonnulli syderum pulchritudine & claritate pellecti, in lapsus stellarũ cæcatis mentibus corruerũt, ita vt per supputationes noxias, quæ *mathesis* dicitur, euentus rerũ præscire conentur: quos non solùm Christianæ religionis doctores, sed etiam gentiliũ Plato, Aristoteles, atque alij rerum veritate commoti concordi sententia damnauerunt, dicẽtes: Confusionem rerum potius de tali persuasione generari. Nam si genus humanum ad varios actus nascendi necessitate premeretur, cur aut laudẽ mereantur boni, aut mali legum percipiant vltionem? Et quamuis ipsi non fuerint cœlesti sapientiæ dediti, veritatis tamen testimonio errores eorum meritò perculerunt. ¶Ordo autem iste septem secularium disciplinarum ideo à Philosophis vsque ad astra perductus est, scilicet vt animos seculari sapientia implicatos à terrenis rebus abduceret, & in superna contemplatione collocaret.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER IV.

CAPITA LIBRI QVARTI.

DE MEDICINA. CAP. I.

MEDICINA est quæ corporis vel tuetur vel restaurat salutẽ: cuius materia versatur in morbis & vulneribus. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantùm quæ ars eorum exhibet, qui propriè Medici nominãtur, sed etiam cibus & potus, tegmen & regimen. Defensio denique omnis atque munitio qua sanum corpus nostrum aduersus externos ictus casúsque seruatur.

De nomine eius. CAP. II.

NOmen autem Medicinæ à modo, id est, temperamento impositum æstimatur, vt non satis, sed paulatim adhibeatur. Nam in multo contristatur natura, mediocri autem gaudet. vnde & qui pigmenta & antidota satis vel assiduè biberint, vexantur. Immoderatio enim omnis non salutem, sed periculum affert.

De inuentoribus Medicinæ. CAP. III.

MEdicinæ autem artis auctor ac repertor apud Græcos perhibetur *Apollo.* Hanc filius eius *Æsculapius* laude vel opere ampliauit. Sed postquam fulminis ictu Æsculapius interiit, interdicta fertur medendi cura, & ars simul cum auctore defecit, latuítque per annos penè quingentos vsque ad tempus Artaxerxis regis Persarum. Tũc eam reuocauit ad lucem *Hippocrates* Asclepio patre genitus in insula Coo.

De tribus hæresibus Medicorum. CAP. IV.

ITaque tres viri totidem hæreses inuenerunt. Prima *methodica* inuenta est ab Apolline: quæ remedia sectatur & carmina. Secũda *Empirica*, id est, experientissima, inuenta est ab Æsculapio, quæ non indiciorũ signis, sed solis constat experimentis. Tertia Logica, id est, *rationabilis*, inuenta ab Hippocrate. Iste enim discussis ætatum, regionum, vel ægritudinum qualitatibus, artis curam rationabiliter perscrutatus est. *Empirici ergo* experientiam solam sectantur: *Logici* experientiæ rationem adiungunt: *Methodici* nec elementorum rationem obseruant, nec tempora, nec ætates, nec causas, sed solas morborum substantias.

De quatuor humoribus.
CAP. V.

SAnitas est integritas corporis, & temperantia naturæ ex calido & humido, quod est sanguis. vnde & *sanitas* dicta est, quasi sanguinis status. *Morbi* generali vocabulo omnes passiones corporis continentur, quod inde veteres morbum nominauerunt: vt ipsa appellatione, mortis vim, quæ ex ea nascitur demonstrent. Inter sanitatem autem & morbum media est curatio, quæ nisi morbo congruat, non producit ad sanitatem. Morbi enim omnes ex quatuor nascuntur humoribus, id est, ex sanguine & felle, melancholia & phlegmate. Ex ipsis enim reguntur sani, ex ipsis læduntur infirmi. Dum enim amplius extra cursum naturæ creuerint, ægritudines faciunt. Sicut enim quatuor elementa, sic & quatuor humores, & vnusquisque humor suũ elementum imitatur. *sanguis* aerem, *cholera*, ignem, *melancholia* terram, *phlegma* aquam. Et sunt quatuor humores, sicut quatuor elementa, quę conseruant corpora nostra. *Sanguis* ex Græca etymologia vocabulum sumpsit, quod ex eo corpus vegetetur & sustentetur & viuat. *Choleram* Græci vocauerũt, quod vnius diei spacio terminetur, vnde & cholera, id est fellicula nominata est, hoc est, fellis effusio. Græci enim fel χολὴν dicunt. *Melancholia* dicta, eò quòd ex nigri sanguinis fece admixta sit abundantia fellis. Græci enim μέλαν nigrum vocant, fel autem χολὴν appellant. *Sanguis* Latinè vocatus quòd sit suauis. vnde & homines quibus dominatur sanguis, dulces ac blandi sunt. *Phlegma* autem dixerũt quòd sit frigida. Ex his quatuor humoribus reguntur sani: ex his læduntur infirmi. Dum enim amplius excursum naturæ creuerint, ægritudines faciunt. Ex sanguine autem & felle acutæ passiones nascuntur, quas Græci ὀξέα vocant. Ex phlegmate verò & melancholia veteres causæ procedunt, quas Græci χρόνια dicunt.

De acutis morbis. CAP. VI.

OXeia est acutus morbus, qui aut citò trãsit, aut celeriꝰ interficit, vt *pleurisis, phrenesis.* ὀξὺ enim acutum apud Græcos & velocẽ significat. χρόνια est prolixus corporis morbus, qui multis temporibus remoratur, vt *podagra, phtisis.* χρόνος enim apud Græcos tempus dicitur. Quędam autem passiones ex propriis causis nomen acceperunt. *Febris* à feruore dicta est. est enim abundantia caloris. φρένησις appellata siue ab impedimento mentis: quia Græci mentem φρένας vocant. seu quòd dentibus infrendant. Nam *frendere* est dentes concutere. Est autem perturbatio cum exagitatione & dementia ex cholerica vi effecta. *Cardiaca* vocabulum à corde sumpsit, dum ex aliquo tumore aut dolore afficitur. *Cor* enim Græci καρδίαν vocant. Est enim cordis passio cũ formidabili metu. *Lethargus* à somno vocata. Est enim oppressio cerebri cum obliuione & somno iugi, velut stertentis. *Synanche* à continentia spiritus & præfocatione dicta. Græci enim συνάγχειν continere dicunt. Qui enim hoc vitio laborant, dolore faucium præfocantur. *Phlegmone* est feruor stomachi cum extensione & dolore, siue φλεγμονὴ est inquietudo cum rubore & dolore & extensione, & duricia & vastitate. Quæ cùm ceperit fieri, inquietudo & febris consequitur. Vnde & dicta est φλεγμονὴ ἀπὸ τοῦ φλέγειν. Sic enim sentitur, & inde nomen accepit. *Pleuritis* est dolor lateris acutus cum febris & sputo sanguinolento. Latus enim Græcè πλευρὰ dicitur: vnde & pleuritica passio nomen accepit. *Peripneumonia* est pulmonis vitium cum dolore vehementi & suspirio. Græci enim pulmonem πνεύμονα vocant. inde & ægritudo dicta est. *Apoplexia* est subita effusio sanguinis, qua suffocati intereunt. Dicta autem apoplexia, quòd ex letali percussu repentinus casus fiat. Græci enim percussionem ἀπόπληξιν vocant. *Spasmus* Latinè contractio subita partium aut neruorum cum dolore vehementi. Quam passionem à corde nominatam dixerunt: quia in nobis principatum vigoris habet. Fit autem duobus modis, aut ex repletione, aut ex inanitione. *Tetanus* maior est contractio neruorum à ceruice ad dorsum. *Telum* lateris dolor est. dictum est autem ita à medicis, quòd dolore corpus transuerberet, quasi gladius. *Ileos* dolor intestinorum. Vnde & *ilia* dicta sunt. Græcè enim ἰλεῖν obuoluere dicitur, quòd se intestina præ dolore inuoluant. Hi & torminosi dicuntur ab intestinorum tormento. *Hydrophobia*, id est, aquæ metus. Gręci enim ὕδωρ aquam vocant. φόβον timorem dicunt. vnde & Latini hunc morbum ob aquæ metum *limphaticum* vocant. Fit autem vel ex canis rabidi morsu, aut ex aeris spuma in terram proiecta, quam si homo vel bestia tetigerit, aut dementia repletur, aut in rabiem vertitur. *Carbunculus* dictus, quòd in ortu suo rubens sit vt ignis, postea niger, vt carbo extinctus. *Pestilentia* est contagium, quod dum vnum apprehenderit, celeriter ad plures transit. Gignitur autem ex corrupto aere, & in visceribus penetrando innititur. Hæc etsi plerunque per aerias potestates fiat, tamen sine arbitrio omnipotentis Dei omnino non fit. dicta autem *pestilentia* quasi pastulentia, quòd veluti incendium depascat, Et toto descendit corpore pestis. Idem & *contagium* à contingendo, quia quem tetigerit, polluit,

polluit. Ipſa & *inguina* ab inguinum percuſſione. Eadem & *lues* à labe & luctu vocata, quæ tantopere acuta eſt, vt non habeat ſpacium temporis, quo aut vita ſperetur aut mors, ſed repẽtinus languor ſimul cum morte venit.

De Chronicis morbis. CAP. VII.

CHronica eſt prolixus morbus, qui multis temporibus remoratur, vt podagra, phthiſis. χρόνος enim apud Græcos tempus dicitur. *Cephalea* ex capite vocabulum habet. capitis enim paſſio eſt. Græci enim caput κεφαλὴν vocant. *Scotoma* ab accidente nomen ſumpſit, quòd repentinas tenebras ingerat oculis cum vertigine capitis. *Vertigo* autem eſt, quotieſcunque ventus conſurgit, & terrã in circuitu mouet. Sic & in vertice hominis arteriæ & venę ventoſitatem ex reſoluta humectatione gignunt, & in oculis girum faciunt. Vnde & vertigo nuncupata eſt. *Epilepſia* vocabulum ſumpſit, quòd mentem apprehendens pariter etiam corpus poſſideat. Græci enim apprehenſionem ἐπιληψίαν vocant, Fit autem ex melancholico humore quoties exuberauerit, & ad cerebrum auerſus fuerit. Hæc paſſio & *caduca* vocatur, eò quòd cadens æger ſpaſmum patiatur. Hos etiam vulgus *lunaticos* vocat, quòd per hunc curſum comitetur eos inſania dæmonum. Eadem & *laruatio*: ipſe eſt & *morbus comitialis*, id eſt, maior & diutinus, quo caduci tenẽtur. Cuius tanta vis eſt, vt homo vadens concidat ſpumétque. *Comitialis* autem dictus, quòd gentiles cùm comitiorum die cuiquã accidiſſet, comitia dimittebantur. Erat autem apud Romanos comitiorum dies ſolennis in Kalend. Ianuariis. *Mania* ab inſania vel furore vocata. Nam Græcorum vetuſtas furorem μανίαν appellabat, ſiue à diuinatione, quia diuina Græcè μαντεύειν dicitur. *Melancholia* dicta eſt à nigro felle. Græci enim nigrum μέλαν vocant, fel autem χολὴν appellant. *Epilepſia* autem in fantaſia fit, melancholia in ratione, mania in memoria. *Typhi* ſunt frigidæ febres, quæ abuſiuè typhi appellantur ab herba quæ naſcit in aqua, quæ Latinè forma atque ſtatus dicitur. Eſt enim acceſſionũ reuolutio per ſtatuta temporum interualla. *Reuma* Græcè; Latinè eruptio ſiue fluor appellatur. *Catarrus* eſt fluor reumæ iugis ex naribus, quæ dum ad fauces venerit βρόγχος vocatur. dum ad thoracem vel pulmonem φθίσις dicitur. *Coriza* eſt quoties infuſa capitis in oſſa venerit narium & præfocationem fecerit cum ſternutatione: vnde & coriza nomen accepit. *Branchos* eſt præfocatio faucium à frigido humore. Græci enim guttur βρόγχος dicunt. circa quod fauces ſunt, quos nos corruptè brancia dicimus. *Raucedo* amputatio vocis. Hæc & *arteriaſis* vocatur, eò quòd vocem raucam & clauſam reddat ab arteriarũ iniuriis. *Suſpirium* nomen ſumpſit, quia inſpirationis difficultas eſt, quam Græci δύσπνοιαν dicunt, id eſt, *ſuffocationem*. *Peripneumonia* à pulmonibus nomen accepit. Eſt enim pulmonis tumor cum ſpumarum ſanguinearum effuſione. *Hæmoptyſis*, emiſſio ſanguinis per os, vnde & nomen accepit, αἷμα enim ſanguis dicitur. *Pthyſis* eſt vlceratio & tumor in pulmonibus qui iuuenibus facilius euenire ſolet. φθίσις autem apud Græcos dicta, quòd ſit totius corporis conſumptio. *Tuſſis* Græcè ab altitudine vocatur, quòd à profundo pectoris veniat. cuius contraria eſt ſuperior in faucibus vbi vua diſtillat. *Apoſtema* à collectione nomen accepit. nam collectiones Græci apoſtemas vocant. Ἐμπύησις dicta eſt apoſtema intrinſecus vel in latere, vel in ſtomacho cũ dolore & febribus, & tuſſi abundantibus ſpumis & purulentiis. ἡπατικὴ morbus à iecoris paſſione nomẽ accepit. Gręci enim ἧπαρ iecur vocant. *Lienoſis* à ſplene vocabulum ſumpſit. Græci enim σπλὴν lien vocant. *Hydrops* nomen ſumpſit ab aquoſo humore cutis. Nam Græci ὕδωρ aquam vocauerunt, eſt enim humor ſubcutaneus cum inflatione turgẽte & anhelitu fetido. *Nephritis* à reniũ lãguore nomẽ accepit. Renes enim Græci νεφροὺς dicunt. *Paralyſis* dicta à corporis impenſatione: facta ex multa infrigidatione, aut in toto corpore, aut in parte. *Cachexia* nomẽ ſumpſit à corporis iniuria vel malo habitu. καχεξίαν enim Gręci malam vexationẽ vocauerunt. Fit autem hæc paſſio ex intemperantia ægrotantis, vel curatione medicaminis: aut poſt ægritudinem tarda reſumptio. *Atrophia* nomen accepit à diminutione corporis. Nam Græci nutrimenti ceſſationẽ ἀτροφίαν dicũt. Eſt enim tenuitas corporis ex cauſis latentibus, & paulatim conualeſcentibus. *Sarcoma* eſt ſuperfluum carnis incremẽtum, quo vltra modum corpora ſaginantur. Græci enim carnem σάρκα vocant. *Iſchias* vocata à parte corporis quam vexat. Nã vertibulorum oſſa quorum ſummitas iliorum initio terminatur, Græci ἰσχία vocant. Fit autem quoties deſcenderit in recta oſſa, & efficitur ibi glutinatio. *Podagram* Gręci à retẽtione pedum dicunt nominatam, & à ferali dolore. Siquidẽ omne quod immite fuerit, abuſiuè agreſte vocamus. *Arthritis* morbus ab articulorum paſſione vocabulum ſumpſit. *Calculus* lapis eſt qui in veſica fit. vnde & nomen accepit. Gignitur autem ex materia phlegmatica. *Stranguria* dicta eſt, eò quòd ſtringat vrinarum difficultatem. Σατυρίασις iuge deſiderium Veneris cum extenſione naturalium locorum: dicta paſſio à Satyris. *Diarrhœa* iugis

ventris cursus sine vomitu, *Dysenteria* est diuisio continuationis, id est, vlceratio intestini. Δὺς enim difficultatem significat. ἔντερα intestina. Fit autem antecedente fluore, quam Græci διάῤῥοιαν vocant. *Lienteria* dicta, quòd cibum tanquam per lineam intestina nullis obstantibus facit prolabi: *Colica* passio nomẽ sumpsit ab intestino, quæ Græci κῶλον appellant. *Ragades* dicuntur, eò quòd fissuræ sint rugis collectæ circa orificium. Hæ & hæmorroides à sanguinis fluore dictæ. Græci enim sanguinem αἷμα dicunt.

De morbis, qui in superficie cutis videntur.
CAP. VIII.

ALopecia est capillorum fluor circumscriptis pilis fuluis aeris qualitatem habẽtibus: vocata hoc nomine à similitudine animalis vulpeculæ, quam Græci ἀλώπεκα vocat. *Parotides* sunt duritiæ vel collectiones, quæ ex febribus vel ex aliquo alio nascuntur in aurium vicinitates: vnde & παρωτίδες sunt appellatæ. ὦτα enim Græci auriculam dicunt. *Lentigo* est vestigia macularum paruula in rotunditatem formata, à specie lenticulæ dicta. *Erysipelas* est quam Latini sacrum ignem appellãt, id est, execrandum per antiphrasim. Siquidem in superficie rubore flammeo cutes rubescunt. Tunc mutuo rubore quasi ab igne vicina inuaduntur loca: ita vt etiam febris excitetur. *Serpedo* est rubor cutis cum pustularum extantia, & nomen sumpsit à serpendo, eò quòd serpat per membra. *Impetigo* est sicca scabies: prominens à corpore cum asperitate & rotunditate formæ. Hanc vulgus sarnam appellat. *Prurigo* vocata à perurendo & ardendo. *Nyctalopia* est passio qua per diem visus patentibus oculis denegatur, & nocturnis irruentibus tenebris redditur, aut versa vice (vt plerique volunt) die redditur, nocte negatur. *Verruca* aliud sunt, *Satyriasis* aliud. *Verruca* singulatim sunt: *satyriasis* verò illa fortior, ac circa ipsam plures inueniuntur. *Scabies* quoque & *lepra* vtraque passio asperitas cutis cũ pruritu atque squãmatione: sed scabies tenuis asperitas & squãmatio est. Hinc denique nomen accepit, quę ita veluti purgamenta admittat. Nam *scabies* quasi squamies. *Lepra* verò cutis asperitas squammosa lepidæ herbę similis, vnde & nomen sumpsit: cuius color nunc in nigredinem vertitur, nunc in alborẽ, nunc in ruborẽ. In corpore hominis ita lepra dignoscitur, si variatim inter sanas cutis partes color diuersis appareat: aut si ita se vbique diffudat, vt omnia vnius coloris quamuis adulterini faciat. *Elephãtiasis* morbus dicitur ex similitudine elephanti: cuius naturaliter dura & aspera pellis, nomen morbo in hominibus dedit: quia corporis superficiem similem facit elephantorum cuti: siue quia ingẽs passio est, sicut animal ipsum ex quo deriuatum ducit nomen. *Icteris* Græci appellant à cuiusdam animalis nomine, quòd sit coloris fellei. Hũc morbum Latini *arcuatum* appellant ad similitudinem cœlestis arcus. *Auriginem* verò Varro appellari ait à colore auri. *Regium* autem *morbum* inde æstimant dictum, quòd vino bono & regalibus cibis citius curetur. *Cancer* à similitudine maritimi animalis vocatum, vulnus sic medici dicunt nullis medicamentis sanabile. Aut ergo præcidi debet à corpore membrum vbi nascitur, vt aliquantulum viuat: tamen inde mortem quamlibet tardius affuturam. *Ordeolus* est paruissima & purulenta collectio in capillis palpebrarum constituta, in medio lata, & ex vtroque conducta, hordei granum similans: vnde & nomen accepit. *Furũculus* est tumor in acutum surgens dictus, quòd ferueat, quasi ferunculus: vnde & Græcè ἄνθραξ dicitur, quòd sit ignitus. *Obscedo* est, in qua infantum ora exulcerantur, dicta ex languore oscitantium. *Frenusculi* vlcera circa rictum oris: similia his, quæ fiunt iumentis asperitate frenorum. *Vlcus* putredo ipsa: vulnus quod ferro fit quasi vi vleus. Et vlcus quod olet quasi olcus. *Pustula* est in superficie corporis turgida veluti collectio. *Papula* est paruissima cutis erectio circunscripta cum rubore: & ideo papula dicta, quasi pupula sirimpia. *Sanies* dicta quòd ex sanguine nascitur: excitato enim calore vulneris, sanguis in saniem vertitur. Nam sanies non fit in quocunque loco, nisi vbi sanguis aduenerit: quia omne quod putrescit, nisi calidum & humidum fuerit, quod est sanguis, putrefieri non potest. Sanies autem & tabes sibi differunt. Fluere enim sanie viuorũ est, tabe mortuorum. *Cicatrix* est obductio vulneris, naturalem colorẽ partibus seruans: dicta quòd obducat vulnera & obcæcat.

De remediis & medicaminibus.
CAP. IX.

MEdicinæ curatio non est spernenda. Meminimus enim & Esaiam Ezechiæ languenti aliquid medicinale mandasse: & Paulus Apostolus Timotheo modicum vinũ prodesse dixit. ¶ Curatio autem morborum tribus generibus cõstat: *Pharmacia*, quam Latini medicamina vocant: *Chirurgia*, quã Latini manuum operationem appellant: manus enim apud Græcos χεὶρ vocatur: *diæta*, quam Latini regulam appellant: est enim obseruatio legis & vitæ. ¶ Sunt autem omni curationi species tres: primum genus *diæteticum*: secundum *pharmaceuticum*: tertiũ *chirurgicum*. *Diæta* est obseruatio legis & vitę. *Pharmaceutica* est

tica est medicamentorum curatio. *Chirurgia* est ferramentorum incisio. nam ferro exciduntur quæ medicamentorum non senserint medicinam. ¶ Antiquior autem medicina herbis tantum ex succis erat. Talis enim medendi usus cepit: deinde ferro & cæteris medicamentis. ¶ *Omnis* autem *curatio* aut ex contrariis aut ex similibus adhibetur. *Ex cōtrariis*: vt frigidum calido. vel siccum humido. sicut & in homine superbia sanari nō potest, nisi humilitate sanetur. *Ex similibus* vero sicut ligamentum vel rotundo vulneri rotundum: vel oblongo oblongum apponitur. Ligatura enim ipsa non eadem membris & vulneribus omnibus, sed similis simili coaptatur. quæ duo etiam ipsa adiutoria nominibus suis significant. Nam *antidotum* Græcè Latinè ex contrario datum dicitur. Contrariis enim contraria medicinæ ratione curātur. At contrà ex simili: vt πικρὰ quod interpretatur amara: quia gustus eius amarus est. Ex conuenienti enim nomen accepit, quia amaritudo amaritudinem morbi soluere solet. ¶ Omnia autem medicamenta ex propriis causis habent vocabula. *Hiera* enim dicta quasi diuina. *Arteriaca* quod apta sint gutturis meatui & tumores faucium & arteriarum leniat. *Theriaca* est antidotum serpentinum, quo venena pelluntur, vt pestis peste soluatur. *Cathartica* Græcè Latinè purgatoria dicuntur. *Catapotia*, eo quòd modicum potetur seu ingluttiatur. *Diamoron* à succo mora nomen sumpsit ex quo conficitur. sicut *diacodion*: quia ἐκ τῆς κωδείας, id est, ex papauere fit. sicut diaspermaton: quia ex seminibus componitur. *Electuarium* vocatum, eo quòd molle sorbeatur. *Trociscos* dictus, quia in modum rotulæ deformatur. τρόχος enim Græcè rota dicitur. *Collyria* Latinum sonat, quòd vitia oculorum detergant. *Epithemia*, eo quòd supponatur, aliis adiutoriis præcedentibus. *Cataplasma*, eo quòd inducti sola sit. *Emplastrum* eo quòd inducatur. *Malagma*, eo quòd sine igne macceretur & comprehendatur. *Enema* Græcè, Latinè relaxatio dicitur. *Pessaria* dicta quòd intus immittantur. ¶ *Medicinam iumentorum.* Chiron quidam Græcus inuenit. inde pingitur dimidia parte homo, dimidia equus. dictus autem Chiron ἀπὸ τοῦ χειρίζειν, quia Chirurgus fuisse dicitur: vnde appellatus *Criticos dies* medici vocant, quibus, vt credo, ex iudicio infirmitatis illud nomen impositum est. quod quasi iudicent hominem, & sententia sua aut puniant aut liberent.

De libris medecinalibus. CAP. X.

APhorismus est sermo breuis, integrū sensum propositæ rei scribens. *Prognostica prænotatio* ægritudinum, à prænoscendo vocata. Oportet enim medicum & præterita agnoscere, & præsentia scire, & futura præuidere. *Dynamia*, potentia herbarum & vis & possibilitas. Nā in herbarum cura vis ipsa Δυνάμις dicitur. vnde & *dynamidia* nuncupatur, vbi eorum medicinæ scribuntur. *Botanicum* herbarium dicitur, quòd ibi herbæ notentur.

De *instrumentis Medicorum.* CAP. XI.

ENchiridion dictum, quod manu astringatur, dum plurima contineat ferramenta. χεὶρ enim Græcè manus vocatur. *Phlebotomū* ab incisione vocatum. Nam incisio Latinè, Græcè τομὴ dicitur. *Similaria*, *angistrum*. *Spatomele*, *guna*, quæ à Latinis à similitudine cucurbitæ, à suspirio *ventosa* vocatur. Denique aninsata spiritu per igniculum, dehinc præciso corpori superposita omne quod inter cutē vel altius æstuat, siue humorē, siue sanguinem vocat in superficiem gliscere. *Pisa* à pinsendis seminibus & terendis. Hinc & *pigmenta*, eo quòd in pila & pilo aguntur quasi piligmenta. Est enim *pila* vas concauum & medicorum aptum vsui, in qua propriè ptisanæ fieri & pigmenta concidi solent. Varro autē refert *Pilumnium* quendam in Italia fuisse, qui pinsendis præfuit aruis: vnde & *pilumni* & *pistores*. Ab hoc ergo pilum & pila inuenta, quibus far pinsitur, & ex eius nomine ita appellata. *Pilum* autem est vnde contunditur quicquid in pila mittitur. *Mortarium*, quòd ibi semina in puluerem redacta & mortua condiantur. *Cilitruia* est, in qua circumducta collyria resoluuntur. erit enim lenis. Nam aspera frangi potius quàm resolui collyrium facit.

De odoribus & vnguentis. CAP. XII.

ODor vocatus ab aere. *Thymiama* lingua Græca vocatur, quòd sit odorabile. Nā timos dicitur flos qui odorem refert. de quo Virgilius, redolentque thymo fragrantia mella. *Incensum* dictum, quia igne consumitur dum offertur. *Tetraidos* formulæ incensi in longitudinem porrectæ, quæ fiunt ex quatuor pigmentis. Quatuor enim Græcè τέτταρα formula εἶδος dicitur. *Stacte* est incensum quod ex pressura manat, dictum à Græcis ἀπὸ τοῦ στάζειν. quod est manare & distillare. *Mirobalanū*, quia fit ex glande odorata. de quo Horatius. Et pressa tuis balanus capillis. *Vnguentū* verò est omne quod ex communi oleo confectum, aliarum specierum cōmixtione augetur, odoris iucunditatem sumens & lōgius redolens. *Vnguenta* autem quædam dicūtur à locis vt telinum, cuius Iulius Cæsar meminit, dicens, Corpus suaui telino vnguimus. Hoc conficiebatur in insula Delo, quæ est

vna ex Cycladibus. Sunt & quædam ab inuẽtorum nomine, vt *amaracinum*. Nam quidam tradunt regium quendam puerum Amaracũ nomine quamplura vnguẽtorum genera ferentem, casu prolapsum esse, & maiorem ex commixtione odorem creasse. Vnde nunc optima vnguenta amaracina dicũtur: sunt autem ex genere florum. Itẽ quæ à materię suæ qualitate dicuntur: vt *rosaceum* à rosa: *cyprinum* à flore Cypri: quæ proinde & propriæ materiæ odorem referunt. Ex his quædam simplicia vnguẽta sunt, quæ vna tantùm specie existunt: vndę & sui nominis referunt odoratum, vt *anetinum*: est enim syncerum ex oleo & aneto tantum. Composita autem sunt quæ pluribus admixtis fiunt: vnde & nominis sui odorem non habent: quia obtinentibus aliis quæ admiscentur, incertum odorem ducunt: vt *cerotum*, *calesticum*, *marciatum*.

De initio Medicinæ. CAP. XIII.

QVæritur à quibusdam, quare inter cæteras artes liberales ars Medicinę nõ contineatur. Propterea, quia illæ singulares continent causas: ista verò omniũ. Nam & *Grammaticam medicus scire iubetur*, vt intelligere vel exponere possit quæ legit. similiter & Rhetoricam, vt veracibus argumentis valeat diffinire quæ tractat: necnon & *Dialecticam* propter infirmitatũ causas ratione adhibita perscrutandas atque curandas. Sic & *Arithmeticam* propter numerũ horarũ in accessionibus, & periodis dierũ: non aliter & *Geometriam* propter qualitates regionum, & locorum situs: in quibus doceat, quid quisque obseruare debeat. Porrò *Musica incognita illi nõ erit*. nam multa sunt quæ in Græcis hominib. per hanc disciplinã facta leguntur: sicut habetur de Dauid, qui à spiritu immundo Saulẽ arte modulationis eripuit. Asclepiades quoq; medicus Phreneticũ quendam per symphoniam pristinæ sanitati restituit. Postremò & *Astronomiam notam habebit*, per quam contempletur rationẽ astrorum & mutationem tẽporum. nam sicut ait quidã medicorum, cũ ipsorum qualitatibus & nostra corpora commutantur, hinc est quod medicina secunda Philosophia dicitur. Vtraque enim disciplina totum sibi hominem vẽdicat. Nam sicut per illam anima, ita per hanc corpus curatur.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER V.

CAPITA LIBRI QVINTI.

De authoribus legum. CAP. I.

MOYSES gẽti Hebraicę prim⁹ omniũ diuinas leges sacris literis explicauit. *Foroneus* rex Græcis primus legis iudiciáque constituit. *Mercurius Trismegistus* primus leges Ægyptiis tradidit. *Solõ* primus leges Atheniensibus dedit. *Lycurgus* primus Lacedæmoniis iura legum ex Apollinis authoritate confinxit. *Numa Pompilius* qui Romulo successit in regno, primus leges Romanis edidit: deinde cùm populus seditiosos magistratus ferre non posset, *Decemuiros* legib. scribẽdis creauit, qui leges ex libris Solonis in Latinum sermonem trãslatas

xij. tabulis exposuerunt. Fuerunt autem hi Appius Claudius, Genutius, Veterius Iulius, Manilius, Sulpitius, Sextius, Curatius, Romelius, Posthumius. Hi Decem viri legum conscribendarum electi sunt. ¶ *Leges* autem *redigere in libris* primus consul Pompeius instituere voluit, sed non perseuerauit, obtrectatorum metu: deinde Cæsar cepit id facere, sed ante interfectus est. Paulatim autem antiquę leges vetustate atque incuria exoleuerunt. quarum etsi nullus iam vsus est, notitia tamen necessaria videtur. *Leges noua* à Constantino Cæsare ceperunt, & reliquis succedentibus: eǽntque permixtæ & inordinatæ. Postea Theodosius minor Augustus ad similitudilitudinem *Gregoriani* & *Hermogeniani codicem* factum constitutionum à Constantini temporibus, sub proprio cuiusque Imperatoris titulo disposuit, quem à suo nomine *Theodosianum* vocauit.

De legibus diuinis & humanis.

CAP. II.

Omnes autem *leges* aut diuinæ sunt, aut humanæ. *Diuina* naturæ: *humana* moribus constant; ideóque hæc discrepant quoniam aliæ aliis gentibus placent. *Fas* lex diuina est *ius* lex humana. Transire per agrum alienum fas est, ius non est.

Quid differunt inter se ius, leges, & mores.

CAP. III.

Ius generale nomen est: *lex* autem iuris est species. *Ius* autem dictum, quia iustum est: omne autem ius legibus & moribus constat. *Lex* est constitutio scripta. *Mos* est vetustate probata consuetudo: siue, lex non scripta. Nam *lex* à legendo vocata est: quia scripta est. *Mos* autem longa consuetudo de moribus tracta tantùm. *Consuetudo* autem est ius quoddam moribus institutum: quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex: nec differt scriptura an ratione consistat, quando & legem ratio commendat. Porrò si ratione lex constat, *lex* erit omne quod iam ratione constiterit, duntaxat quòd religioni congruat: quòd disciplinæ conueniat: quòd saluti proficiat. vocata autem *consuetudo*, quia in communi est vsu.

Quid sit ius naturale.

CAP. IV.

Ius *naturale* est, aut ciuile, aut gentium; *Ius naturale* est commune omnium nationū, eò quòd vbique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habeatur, vt viri & fœminæ coniunctio, liberorum successio & educatio: communis omnium possessio: & omnium vna libertas, acquisitio eorum, quæ cælo, terra maríque capiuntur. Item depositæ rei vel commendatæ pecuniæ restitutio: violentiæ per vim repulsio. Nam hoc aut si quid simile est, nunquam iniustum, sed naturale æquúmque habetur.

Quid sit ius ciuile.

CAP. V.

Ius *ciuile* est, quod quisque populus vel ciuitas sibi proprium, humana diuináque causa constituit.

Quid sit ius gentium.

CAP. VI.

Ius *gentium* est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera pacis, induciæ, legatorū non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita, & inde ius gentium, quòd eo iure omnes ferè gentes vtuntur.

Quid sit ius militare.

CAP. VII.

Ius *militare* est belli inferendi solennitas: fœderis faciendi nexus, signo dato congressio in hostem vel commissio. Item signo dato receptio: item flagitij militaris disciplina, si locus deseratur: item stipendiorum modus: dignitatum gradus, præmiorum honor, veluti cum corona vel torques donatur. Item prædæ decisio, & pro personarum qualitatibus & laboribus iusta diuisio ac principis portio.

Quid sit ius publicum.

CAP. VIII.

Ius *publicum* est in sacris & sacerdotibus & in magistratibus.

Quid sit ius Quiritum.

CAP. IX.

Ius *Quiritum* est propriè Romanorum, quod nulli tenent nisi Quirites, id est, Romani tanquam de legitimis hæreditatibus, decretionibus, de tutelis, de vsucapione, quæ iura apud nullum alium populum reperiūtur, sed propria sunt Romanorum, & in eisdem solis constituta. Constat autem Quiritum ius ex legibus & plebiscitis, constitutionibus principum & edictis, siue prudentium responsis.

Quid lex.

CAP. X.

Lex est constitutio populi, qua maiores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.

Quid scita plebium. CAP. XI.

Scita sunt quæ plebs tantùm constituunt, & vocata scita, quòd ea plebs sciat, vel

quòd sciscitatur & rogat vt fiat.

Quid senatusconsultum.
CAP. XII.

SEnatusconsultum, est quòd tantùm senatores populis consulendo decernunt.

Quid constitutio & edictum.
CAP. XIII.

COnstitutio vel *edictum* quod rex vel Imperator constituit vel edicit.

Quid responsa prudentium.
CAP. XIV.

REsponsa sunt, quæ iurisconsulti respondere dicuntur consulentibus: vnde & responsa Pauli dicta. fuerunt enim quidam prudentes & arbitri æquitatis, qui *institutiones ciuilis iuris* compositas ediderunt, quibus dissidentium lites contentionésque sopirent.

De legibus consularibus & tribunitiis.
CAP. XV.

QVædam esse *leges* dicuntur ab iis qui condiderunt, vt *consulares, tribunitiæ Iulia, Cornelia*. Nã & sub Octauio Cæsare suffecti consules Papius & Pompeius legem tulerunt: quæ à nominibus eorum appellatur Papia & Pompeia, continens primum præmia pro suscipiendis liberis. Sub eodem quoque Imperatore *Falcidius* tribunus plebis legem fecit, ne quis plus in extraneis testamento legaret, quàm vt quarta pars superesset hæredibus. Et cuius nomine lex Falcidia nuncupata est. *Aquilius* quoque legem condidit, quæ hactenus Aquilia vocatur.

De Lege satyra.
CAP. XVI.

SAtyra verò lex est, quæ de pluribus rebus simul loquitur, dicta, à copia rerum, & quasi à satietate: vnde & *satyram scribere* est poemata varia condere, vt Horatij, Iuuenalis & Persij.

De legibus Rhodiis.
CAP. XVII.

RHodiæ leges naualium commerciorum sunt, ab insula Rhodo cognominatæ, in qua antiquitus mercatorum fuit vsus.

De priuilegiis.
CAP. XVIII.

PRiuilegia autem sunt leges priuatorum, quasi priuatæ leges. Nam priuilegium inde dictum, quod in priuato feratur.

Quid possit lex.
CAP. XIX.

OMnis autem *lex* aut *permittit* aliquid, vt, Vir fortis petat præmium, aut *vetat*, vt, Sacrarum virginum nuptias nulli petere liceat: aut *punit*. vt, Qui cædem fecerit, capite plectatur: aut enim *præmio*, aut *pœna*, vita moderatur humana.

Quare facta sit lex.
CAP. XX.

FActæ sunt leges, vt earum metu humana coërceatur audacia, tutáque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio, refrenetur nocendi facultas.

Qualis debeat fieri lex.
CAP. XXI.

ERit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.

De causis.
CAP. XXII.

PRagma Græcum est, quod Latinè causa dicitur: vnde & *pragmatica* negotia dicuntur, & actor causarum & negociorum *pragmaticus* nuncupatur.

De testibus.
CAP. XXIII.

TEstes sunt à quibus quæritur veritas in iudicio, quos quisque ante iudicium sibi placitis alligat: nec cui sit posteà liberum aut dissimulare, aut subtrahere se: vnde & *alligati*, appellantur. Item testes dicti, quod *relegati*, appellantur. Item testes dicti, quod testamento adhiberi solent: sicut *signatores*, qui testamenta signant.

De instrumentis legalibus.
CAP. XXIV.

VOluntas generale nomen omnium legalium instrumentorum, quæ quia non vi, sed voluntate procedit, ideo tale nomen accepit. *Testamentum* vocatum, quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari potest, nec sciri quid in eo scriptum sit: quia clausum & obsignatum est, & inde dictum testamentum, quia non valet nisi post testatoris monumentũ, vnde Apostolus. Testamentum, inquit, in mortuis confirmatur. *Testamentum* sanè in scripturis sacris non hoc solũ dicitur, quòd non valet nisi testatoribus mortuis, sed om-

ſed omne pactum & placitum, teſtamentum vocabant: nam Laban & Iacob teſtamentum fecerunt, quod vtique etiam inter viuos valeret. & in Pſalmis legitur, Aduerſum te teſtamentum diſpoſuerunt, hoc eſt, pactū: & innumerabilia talia. *Tabulæ* teſtamenti ideo appellatæ ſunt: quia ante chartæ & membranarū vſum in tabulis dolatis non ſolùm teſtamentū, ſed etiam epiſtolarū alloquia ſcribebātur: vnde & portitores earum *tabularij* vocātur. *Teſtamentū iuris ciuilis*, eſt quinque teſtium ſignis ſignatum, ſubſcriptione firmatum. *Teſtamentum iuris prætorij*, eſt ſeptem teſtium ſignis ſignatum: ſed illud apud ciues fit, inde *ciuile*, iſtud apud prætores, inde *iuris prætorij*, *Teſtamentum* autem *ſignare*, notare eſt, vt *notum ſit* quod ſcriptum eſt. *Holographū teſtamentum*, eſt manu autoris totum cōſcriptum atque ſubſcriptum: vnde & nomen accepit. Græci enim ὅλην totam, γράφειν literam dicūt. *Irritum teſtamentum*, eſt ſi is qui teſtatus eſt, capite diminutus eſt, aut ſi non ritè factum ſit. *Inofficioſum teſtamentum* eſt, quod fruſtrà liberis exhæredatis, ſine officio naturalis pietatis in extraneas perſonas redactū eſt. *Ruptum teſtamentum*, inde vocatur, eò quòd naſcente poſthumo, neque exhæredato nominatim, neque hærede inſtitūto diſrumpitur. *Suppreſſum teſtamentum* eſt, quod in fraudem hæredum vel legatariorum ſeu liberorum non eſt palam prolatum: quod ſi non latet, tamen ſi prædictis perſonis non proferatur, ſupprimi tamen videtur. *Nuncupatio* eſt, quam in tabulis ceriſque teſtator recitat, dicens: Hæc v. in his tabulis ceriſque ſcripta ſunt, ita videtur, ita dico, ita lego: itaque vos ciues Romani teſtimonium mihi perhibete, & hoc dicitur nuncupatio, *nuncupare* enim eſt in palam nominare & confirmare. *Ius liberorum*, eſt coniugium ſine liberis inuicem pro loco pignorum hæreditatis alterna conſcriptio. *Codicellum*, vt veteres aiunt, ſine dubio ab autore dictum, qui hoc ſcripturæ genus inſtituit. Eſt autem ſcriptura nulla indigens ſolennitate verborum, ſed ſola teſtatoris voluntate qualicunque ſcripturæ ſignificatione expreſſa: cuius beneficio voluntatibus defunctorum eſſe conſtat ſubuentum propter legalium verborum difficultatem, aut certè propter neceſſitatem adhibendorum ſolennium: ita vt qui titulum ſcribit eiuſdem ſcripturæ codicellum vocet: ſicut autem *codicellus* fit vice teſtamēti: ita *epiſtola* vice codicellorum. *Cretio*, eſt certus dierum numerus, in quo inſtitutus hæres aut accipit hæreditatem, aut finito tempore cretionis excluditur, nec liberum eſt illi vltra capiendi hæreditatis. *Cretio* autem appellata eſt quaſi decretio, id eſt, decernere, vel conſtituere: vtputa, ille hæres eſto mihi: additur, cernitóque infra tot dies. Adeundarum autem hæreditatum centeſimus ſtatutus erat dies, quibus non eſſet cretio adiecta. *Fideicommiſſum* dictum, vt fiat quod à defuncto committitur. Nam *fides* dicta, eo quòd fiat: quod tamen non in directis verbis, ſed precatiuis expoſcitur. *Pactum*, dicitur, inter partes ex pace conueniens ſcriptura legibus ac moribus comprobata: & dictum pactum quaſi ex pace factum. ab eo quod eſt *pango*, vnde & pepigit fœdus. *Placitum*, quoque ſimiliter ab eò quòd placet. Alij dicunt *pactum* eſſe quod volens quis facit: *placitum* verò quo quiſquam nolens compellitur, veluti quando quiſquam paratus ſit in iudicio ad reſpondendum: quod nemo poteſt dicere pactum, ſed placitum. *Mandatum*, dictum quod olim in commiſſo negotio, alter alteri manum dabat. *Ratum* verò quaſi rationabile & rectum: vnde & qui pollicetur dicit: Ratum eſſe profiteor, hoc eſt, firmum atque perpetuum: ritè autem eſſe non rectè, ſed ex more. *Chirographum*, cautio vel ſcriptio duarum inſtar chartarum. Græcè enim manuſcriptum, Latinè dicitur cautio. *Emptio* & *venditio*, eſt rerum commutatio atque contractus, ex conuenientia veniens. *Emptio* autem dicta, quòd à me tibi fit: *venditio* quaſi venundatio, id eſt à nundinis. *Donatio* eſt cuiuſlibet rei tranſactio. Dictam autem dicunt donationem, quaſi domi actionem: & *dotem*, quaſi do item. Præcedente enim in nuptiis donatione, dos ſequitur. Nam antiquus nuptiarum erat ritus, quòd ſe maritus & vxor inuicem emebant, ne videretur ancilla vxor: ſicut habemus in iure. Inde eſt quod præcedente donatione viri, ſequitur dos vxoris. *Donatio vſufructuaria*, ideo dicitur: quia donator ex ea vſumfructum adhuc retinet, ſeruato cui donatum eſt iure. *Donatio directa*, ideo nuncupatur: quia & iure & vſu ſtatim tranſit in alterum: nec vltra inde aliquid ad ius donatoris retorquetur. *Conditiones*, teſtium ſunt propriè: & dictæ conditiones à condicendo, quaſi condictiones: quia non ibi teſtis vnus iurat, ſed vel duo vel plures. Non enim in vnius ore, ſed in duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum. Item conditiones, quòd inter ſe conueniat ſermo teſtium, quaſi condictiones. *Stipulatio*, eſt quaſi promiſſio vel ſponſio: vnde & promiſſores *ſtipulatores* vocātur: dicta autem *ſtipulatio* à ſtipula. veteres enim quando ſibi aliquid promittebant, ſtipulam tenentes frangebant: quam iterum iungentes, ſponſiones ſuas agnoſcebant. *Sacramentum*, eſt pignus ſponſionis: vocatum autem ſacramentum, quia violare quod quiſque promittit perfidiæ eſt.

De rebus. CAP. XXV.

HÆreditas, est res quæ morte alicuius ad quempiam peruenit: vel legato testamento vel possessione retenta. Dicta autem *hæreditas* à rebus additis: siue ab ære, quia qui possidet agrum & censum soluit: inde & res. *Res* sunt quæ in nostro iure consistunt. *Iura* autem sunt, quæ à nobis iustè possidentur, nec aliena sunt. Dicta autem *res* à rectè habendo *ius* à iustè possidendo. Hoc enim iure possidetur quod iustè: hoc rectè quod bene. Quod autem malè possidetur alienum est. *Malè* autem *possidet*, qui vel suis malè vtitur, vel aliena præsumit. *Possidet* autem *iustè*, qui non irritatur cupiditate. Qui autem cupiditate tenetur, *possessus* est non possessor. *Bona*, sunt honestorum seu nobilium: quæ proinde bona dicuntur, vt non habeant turpem vsum, sed ea homines ad res bonas vtantur. *Peculium*, propriè minorum est personarum siue seruorum. Nam peculium est, quod pater vel dominus filium suum vel seruum pro suo tractare arbitrio patitur. Peculiũ autem à pecudibus dictum in quibus veterum constabat vniuersa substantia. *Bonorum possessio*, est ius possessionis certo ordine certóque titulo acquisita. *Intestata hæreditas*, est quæ testamento scripta non est: aut si scripta sit, iure tamen nequáquam est edita. *Caduca*, inde dicuntur, quia eius hæredes ceciderunt. *Familia herciscunda*, est diuisio hæreditatis inter hæredes. *Herciscunda* enim apud veteres diuisio nuncupatur. *Communis diuisio* est inter eos quibus communis res est: quæ actio iubet postulantibus iis arbitrum dari, cuius arbitratu res diuidantur. *Finium regundorum actio* dicta, eo quòd per eam regantur fines vtrique ne dissipentur: dummodo non angustiore quinque pedum loco ea controuersia sit. *Locatio*, est res ad vsum data cum diffinitione mercedis. *Conductio*, est res in vsum accepta, cum constituta mercede. *Res credita*, est quæ in obligatione ita deducta est, vt ex tempore quo res contrahebatur, certum sit eas deferri. *Vsura*, est incrementum fœnoris, ab vsu æris crediti nuncupata. *Commodum*, est id quod nostri iuris est; & ad alios temporaliter translatum est commodum temporis quamdiu apud eum sit: vnde & commodum dictum est. *Precarium*, est dum prece creditor rogatus permittit debitorem in possessione fundi sibi obligati demorari: & ex eo fructus capere. Et dictum precarium, quia prece additur: quasi dictum precadium, r pro d litera commutata. *Mutuũ*, appellatum est: quia id quod à me tibi datur, ex meo tuum fit. *Depositum*, est pignus commendatum ad tempus, quasi diu positum. *Deponere* autem quis videtur, cùm aliquid metu furti, incendij, naufragij, apud alium custodiæ causa deponit. Interest autem in loquendi vsu inter *pignus* & *arram*. Nam *pignus* est quod datur propter rem creditam: quæ dum redditur, statim pignus aufertur. *Arra* verò est primum quod pro re bonæ fidei contracta empta, ex parte datur, & postea completur. Est enim arra complenda, non auferenda: vnde qui habet arram, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem, & dicta arra à re pro qua traditur. Item inter pignus & fiduciam & hypothecam hoc interest. *Pignus*, est enim quod propter rem creditam obligatur: cuius rei possessionem solam ad tempus consequitur creditor. Cæterùm dominium penes debitorem est. *Fiducia*, est cùm res aliqua sumendæ mutuæ pecuniæ gratia vel mancipatur: vel in iure creditur. *Hypotheca*, est cùm res aliqua commodatur sine depositione pignoris, pacto vel cautione sola interueniente. *Momentum*, dictum à temporis breuitate, vt tam cito quàm statim saluo negotio reformetur, nec in vllam moram produci debeat quod repetitur: sicut nec vllum spatium est momenti, cuius tam breuis est temporis pũctus, vt in aliquam moram nullo modo producatur. *Instrumentum*, est vnde aliquid construimus: vt calamus, ascia, culter. *Instructum*, quod per instrumentum efficitur: vt baculus, codex, tabula. *Vsus*, quo in re instructa vtimur: vt in baculo inniti, in codice legere: in tabula ludere: sed & ipse fructus agrorum, quia eo vtimur, vsus vocatur. Hæc sunt tria illa. *Vsusfructus* autem vocatus: quia solo vsu habetur eius fructus, manente apud alium iure. *Vsucapio*, est adeptio dominij per continuationem iustæ possessionis, vel biennij, vel alicuius temporis. *Mancipatio*, dicta est: quia res manu capitur. Vnde oportet eum qui mancipium accipit, comprehendere idipsum quod ei mancipio datur. *Cessio*, est propriè rei concessio, sicut est illud: Cedo iure propinquitatis. *Cedere* enim dicimus quasi concedere, & quæ propria sunt: nam aliena restituimus, non cedimus. Nam cedere propriè dicitur, qui contra veritatem alicui consentit: vt Cicero, Cessit, inquit, amplissimi viri authoritati, vel potius paruit. *Interdictum* est, quod à iudice non in perpetuum, sed pro reformando momento ad tempus interim dicitur: salua propositione actionis eius. *Precium* vocatum, eo quòd prius illud damus, vt pro eius vice rem quam appetimus possidere debeamus. *Commercium*, dictum à mercibus, quo nomine res vænales appellamus. Vnde *mercatus* dicitur cœtus multorum hominum, qui res vendere & emere solent. *Integri restitutio*, est causæ vel rei reparatio. *Causa redintegratur*, quæ vi potestatis expleta

expleta non est. *Res redintegratur* quæ vi potestatis ablata atque extorta est.

De criminibus in lege constitutis. CAP. XXVI.

CRimen à carendo nomen accepit: vt furtum, falsitas &c. quæ non occidunt, sed infamant. *Facinus* dictum à faciendo malum, quòd noceat alteri. *Flagitium* à flagitãdo corruptelam libidinis, quòd noceat sibi. Hæc duo sunt genera omnium peccatorum. *Vis* est virtus potestatis, per quam causa siue res vel aufertur vel extorquetur. *Vis priuata* est si quisquam ante iudicium armatis hominibus, quempiam à suo deiecerit vel expugnauerit. *Vis publica* est, si quis ciuem ante populum vel iudicem vel regem appellantem necauerit, aut torserit, siue verberauerit, vel vinxerit. *Dolus* est mentis calliditas, ab eo quòd deludat. Aliud enim agit & aliud simulat. Petronius aliter æstimat, dicens: Quid est iudicis dolus? Nimirum vbi aliquid factum est quod legi dolet: habetis dolum, accipite nunc malum. *Calumnia* est iurgium alienæ litis: à caluendo, id est, decipiẽdo dicta. *Falsitas* appellata à fando aliud quàm verum est. *Iniuria* est iniustitia: hinc est apud Comicos: In iure sequi: vel, Iniuria est qui audet aliquid contra ordinem iuris. *Seditio* dicitur dissensio ciuium, quòd seorsum alij ad alios eunt. Nam hi maximè turbatione rerum & tumultu gaudent. *Sacrilegium* propriè est sacrarum rerum furtum: postea & in idolorum cultu hæsit hoc nomen. *Adulterium* est illusio alieni coniugij, quòd quia alter alterius torum commaculauit: adulterij nomen accepit. *Stuprum*, id est, raptus, propriè est illicitus coitus, à corrumpendo dictus: vnde & qui rapto potitur, stupro fruitur. *Homicidij* vocabulum compositum est ex homine & cæde. Qui enim cædem in hominem fecisse compertus erat, homicidam veteres appellabant. *Parricidij actio* non solùm in eum dabatur, qui parentem, id est, qui patrem vel matrem interemisset: sed & in eum qui fratrem occiderat, & dictum parricidium quasi parentis cædium. *Internecici iudicium* in eum dabatur, qui falsum testimonium fecerat, & ob id hominem occiderat. Accusatorem eius possessio bonorum sequebatur. Internecici autem significatio est, quasi hominis quędam necatio. Nam propositionem *Inter*, ponebãt antiqui pro E. Næuius: Mare interbibere. Et Plautus: Interluere mare, id est, ebibere & eluere. *Furtum* est rei alienæ clandestina contractio, à *furuo*, id est, fusco vocatum: quia in obscuro fit. Furtum autem capitale crimen apud maiores fuit ante pœnam quadrupli. *Persuasio* est rei alienæ manifesta præsumptio. Furtum autem earundem rerum fit quæ de loco in locum transferri possunt: persuasio autem & earum quæ transferuntur, & earum quæ immobiles sunt. *Inficiatio* est negatio debitæ rei cùm à creditore deposcitur. Item & *abiuratio*, id est, rei creditæ abnegatio. *Ambitus* iudicium in eum est, qui largiorem honorem capit & ambit, amissurus dignitatem quam munere inuadit. *Peculatus* iudicium in eos datur, qui fraudem ærario faciunt, pecuniámque publicam interuertũt. Nam à pecunia peculatus est dictus. Non autem sic iudicatur furtum publicæ rei, sicut rei priuatæ. Nam ille sic iudicatur vt sacrilegus, quia fur est sacrorum. *Repetundarum* accusatur, qui pecunias à sociis cepit. In hoc iudicio reus si antè moriatur, in bona eius iudicium redditur. *Incesti* iudicium in virgines sacratas, siue in propinquas sanguine, constitutum est. Qui enim talibus miscentur, incesti, id est, incasti habentur. *Maiestatis* reatu tenentur ij, qui regiam maiestatem deseruerunt, vel violauerunt, vel qui rempublicam prodiderunt, vel cum hostibus consenserunt. *Piaculum* dictum quòd expiari potest, commissa sunt enim quæ erant quoquo ordine expianda.

De pœnis in legibus constitutis. CAP. XXVII.

DVpliciter *malum* appellatur, vnũ quod homo facit, alterũ quod patitur. Quod facit, peccatum est, quod patitur pœna. Malum autem tunc plenum est, cùm & præteritum est, & impetit vel impendet, vt sit dolor & metus. *Pœna* dicta quod puniat. Est autem epithetũ nomen, & sine adiectione non habet plenũ sensum, adiicis pœna carceris, pœna exilij, pœna mortis, & imples sensum. *Supplicium* propriè dicitur non quo quis punitur, sed qui ita damnatur vt bona eius consecrentur & in publico redigantur. Nã *supplicia* dicebantur supplicamenta. Et supplicium dicitur de cuius damnatione delibatur aliquid Deo, vnde & *supplicare*. Octo genera pœnarum in legibus contineri Tullius scribit, scil. damnũ, vincula, verbera, talionẽ, ignominiam, exilium, seruitutem & mortem. His namque pœnis vindicatur omne perpetratum peccatum. *Damnum* à diminutione rei vocatum. *Vincula* à vinciendo, id est, arctando dicta, eò quòd constringant atque retineant, vel quia vi ligant colla. *Compedes* dictæ, quia continent pedes. *Pedicæ* sunt laquei quibus pedes illaqueantur, dictæ à pedibus capiendis. *Catenæ* autem quòd accipiẽdo teneant vtraque vestigia, ne progrediantur. Item catenæ quòd se capiendo teneant plurimis nodis. *Manicæ* sunt vincula, quibus ma-

nus capiuntur, licet & manicæ tunicarum sint. *Neruus* est vinculum ferreum, quo pedes vel ceruices impediuntur. *Boya* est torques damnatorum, quasi iugum boum, ex genere vinculorum est. *Carcer*, in quo custodiuntur noxij. Et dictus carcer, quòd eo homines coerceantur, includantúrque: quasi arcens, ab arcendo scil. Locum autem in quo seruantur noxij *carcerem* dicimus numero tantùm singulari: vnde verò emittuntur quadrigæ, *carceres* vocamus numero tantùm plurali. *Verbera* dicta: quia cùm agitantur, aeré verberant. Hinc *flagra*, & *plagæ*, & *flagella*: quia cum flatu & strepitu in corpore sonant. Nam *plagæ* quasi flagæ: sed plagæ & flagra primæ positionis sunt: flagella autem per diminutionem dicta. *Anguilla* est, quâ coercentur in scholis pueri, quæ vulgò *scutica* dicitur. *Fustes* sunt, quibus pro criminibus iuuenes feriuntur: appellati quòd præfixi in fossis stent, quos *palos* rustici vocant. *Vectes* dicti, quòd manibus vectentur: vnde ostia sáxáque velluntur: sed hi ad pœnas legum non pertinent. *Virgæ* sunt summitates frondium arborúmque, dictæ quòd virides sunt: vel quòd vim habeant arguendi: quæ si lenis fuerit, virga est: si certè nodosa vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur: quia arcuato vulnere in corpus infigitur. *Ictus* propriè flagellorū sunt ab agitando vocati. *Vngulæ* dictæ, quòd effodiant, hæc & fidiculæ, quia iis rei in eculeo torquentur, vt fides inueniatur. *Eculeus* autem dictus, quòd extendatur. Tormenta verò quòd torquendo mentem inueniant. Est & *lautumnia* supplicij genus ad verberandum aptum, inuentum à Tarquinio Superbo ad pœnas sceleratorum. Iste enim prior lautumnas, tormenta, fustes, metalla atque exilia adinuenit, & ipse prior ex regibus exilium meruit. *Talio* est similitudo vindictæ, vt taliter quis patiatur: vt fecit. Hoc enim & natura & lege est institutum: vt lædentem similis vindicta sequatur. Vnde & illud est legis: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Talio autem non solùm ad iniuriam referendam: sed etiam pro beneficio reddendo ponitur. Est enim communis sermo & iniuriæ & beneficentiæ. *Ignominium* dictum, eò quòd desinat habere honestatis nomen, is qui in aliquo crimine deprehenditur. Dictum autem ignominium quasi sine nomine: sicut *ignarus* sine scientia, sicut *ignobilis* sine nobilitate. Hoc quoque & *infamium*, quasi sine bona fama: *fama* autem dicta: quia fando & loquendo peruagatur per traduces linguarum & aurium serpens. Est autem *nomen* & bonarum rerum & malarum. Nam *fama* felicitatis interdum est, vt illud est, Illustris fama quod laus est: malarum, vt Virg. Fama malum quo non aliud velocius vllum. Famæ autem nomen certi locum non habet, quia plurimum mendax est, adiiciens multa, vel demutans de veritate: quę tamdiu viuit quandiu non probatur. At vbi probaueris, esse cessat, & exinde res nominatur: non fama. *Exilium* dictum quasi extra solum. Nam exul dicitur qui extra solum est. Vnde *postliminium* redeuntibus hoc est de exilio reducendis, qui sunt eiecti iniuria, id est extra limen patriæ. Diuiditur autem exilium in relegatis & deportatis. *Relegatus* est quem bona sua sequuntur. *Deportatus* quem non sequuntur. *Proscriptio* exilij procul damnatio, quasi porro scriptio. Item *proscriptus*, quia palam scriptus. *Metallum* est vbi exules deputantur ad eruendam venam, marmoráque secanda in crustis. *Seruitus* à seruando vocata. apud antiquos enim qui in bello à morte seruabantur, serui vocabantur. Hæc est sola malorum omnium postrema, quæ liberis omni supplicio grauior est. nam vbi libertas periit, vnà ibi perierunt & omnia. *Mortium* verò diuersi casus, ex quibus *crux* vel *patibulum* in quo homines appensi cruciantur vel patiuntur. vnde & nomina habent. *Patibulum* enim vulgò *furca* dicitur, quasi ferens caput. suspensum enim & strangulatum hæc exanimat: sed patibuli minor pœna, quàm crucis. Nam *patibulum* appensos statim exanimat, *crux* autem suffixos diu cruciat: vnde & in Euangelio latronibus, vt morerentur, & de ligno ante sabbatum deponerentur, crura confracta sunt: quia ligno suspensi citò mori non poterant. In ipso quoque genere necis differt. Crudelius est enim in aqua spiritum torquentis extingui: ignibus vri, frigore & fame necari, canibus & bestiis exponi. Nam ferro mori, ætas quoque maior optauit. *Gladius* enim sine grauiori cruciatu compendiosa morte vitam finire nouit. *Culeus* est parricidale vasculum ab occulendo, id est claudendo dictum. Est autem vter ex corio factus, in quo parricidæ cum simia & gallo & serpente inclusi, in mare præcipitantur. Omnium autem istarum mortium genus *animaduersio* nominatur. *Animaduersio* est, quando iudex reum punit, & dicitur animaduertere, id est animum illuc vertere, intendere vtique ad puniendum reum, quia iudex est. Ideo autem Romani *aquam* & *ignem interdicebant* quibusdam damnatis: quia aer & aqua cunctis patet, & omnibus data sunt: vt illi non fruerentur, quod omnibus per naturam concessum est.

De temporibus

De temporibus.

De Chronicæ vocabulo. CAP. XXVIII.

CHronica, Græcè dicitur quæ Latinè temporum series appellatur: qualem apud Græcos Eusebius Cæsariensis episcopus edidit, & Hieronym⁹ presbyter in Latinam linguam conuertit: χρόνος enim Græcè, Latinè tempus interpretatur.

De momentis & horis. CAP. XXIX.

TEmpora autem momentis, horis, diebus, mensibus, annis, lustris, seculis, ætatibus, diuiduntur. *Momentum* est minimum atque angustissimum tempus, à motu siderum dictum. Est enim extremitas horæ in breuibus interuallis, cùm sol aliquid sibi cedit atque succedit. *Hora* Græcum est nomen & tamen Latinum sonat. *Ora* enim finis est temporis: sicut & *ora* sunt fines maris, fluuiorum & vestimentorum.

De diebus. CAP. XXX.

DIes, est præsentia Solis: siue Sol super terras: sicut *nox*, sol sub terris. Vt enim dies aut nox fit: causa est aut super terram sol, aut sub terris. *Dies legitimus* xxiiii. horarum est, vsque dum dies & nox spatia sui cursus ab oriente vsque ad alium orientalem solem cæli volubilitate concludat. *Abusiuè* autem *dies* vnus est spatium ab oriente sole vsque ad occidentem. Sunt autem *diei spatia* duo *interdianum* & *nocturnum*: & est dies quidem horarum xxiv. spatium autem horarum xii. Vocatus autem *dies* à parte meliore. Vnde & in vsu est, vt sine commemoratione noctis, numerum dicamus dierum: sicut & in lege diuina scriptum est: Factũ est vespere & mane dies vnus. *Dies* secundum Ægyptios inchoat ab occasu solis: secundum Persas, ab ortu solis: secundum Athenienses, à sexta hora diei: secundum Romanos à media nocte. Vnde & tunc *gallicinium* est, quarum vox diei ostendit præconium, quando & *mesonictium* afflatus sit. *Dies* dicti à diis, quorum nomina Romani quibusdam sideribus sacrauerunt. *Primum* enim diem à sole appellauerunt: qui princeps est omnium siderum: sicut & idem dies caput est cunctorum. *Secundum* à luna, quæ Soli & splendore & magnitudine proxima est: & ex eo mutuat lumen. *Tertium*, à stella Martis, quæ Vesper vocatur. *Quartum*, à stella Mercurij, quam quidam candidum circulum dicunt. *Quintum*, à stella Iouis, quam Phaetontem aiunt. *Sextum* à Veneris stella, quam Luciferum asserunt: quia inter omnia sidera plus lucis habet. *Septimum* à stella Saturni, quæ sexto cœlo locata, xxx. annis fertur explere cursum suum. Proinde antẽ ex his septem stellis nomina diebus gentiles dederunt, eo quòd per eosdem aliquid sibi effici æstimarent, dicentes habere à sole spiritum, à Luna corpus, à Mercurio ingenium & linguam, à Venere voluptatem, à Marte sanguinem, à Ioue temperantiam, a Saturno humorem. Talisq; ipse extitit gentilium stultitia: qui sibi finxerant tam ridiculosa figmenta. Apud Hebræos autem dies prima, *Vna sabbati* dicitur: quæ apud nos dies Dominicus est, quem Gentiles Soli dedicauerunt. *Secunda sabbati*, secunda feria: quem seculares diem lunæ vocant. *Tertia sabbati*, tertia feria: quem illi diem Martis vocant. *Quarta sabbati*, quarta feria: qui Mercurij dies dicitur à paganis. *Quinta sabbati*, quinta feria est: id est quintus à die dominica, qui apud gentiles Iouis vocatur. *Sexta sabbati*, sexta feria est, quæ apud eosdem paganos Veneris nuncupatur. *Sabbatum* autem septimus à dominico die est: quem gentiles Saturno dedicauerunt, & Saturnum nominauerunt. Sabbatum autem ex Hebræo in Latinum requies interpretatur, eo quòd Deus in eo requieuisset ab omnibus operibus suis. Melius autem in vocabulis dierum de ore Christiano ritus loquẽdi Ecclesiasticus procedit. Tamen si quem fortè consuetudo traxerit, vt illud exeat ex ore quod improbat corde: intelligat illos omnes, de quorum nominibus appellati sunt hi dies homines fuisse, & propter beneficia quædã mortalia, quia

plurimum potuerunt & inuenerunt in hoc seculo, delati sunt eis ab amatoribus suis diuini honores, & in diebus, & in sideribus: sed prius à nominibus hominum *sidera* nuncupata, & à sideribus *dies* sunt appellati. A fando autem *feriæ* nuncupatæ sunt, quod in eis nobis fit tempus dictionis, id est, in diuino vel humano officio fari. Sed ex iis *festi dies* hominũ causa instituti sunt: *feriati* causa diuinorũ sacrorũ. *Partes diei* tres sunt: mane, meridies & suprema. *Mane*, lux matura & plena: nec iam crepusculum. Et dictum *manè* à manu, *manum* enim antiqui bonum dicebãt. Quid enim melius luce? Alij *mane* existimãt vocari à manibus, id est, à diis quorũ conuersatio à luna ad terram est. Alij putãt ab aere: quia manus, id est rarus est atque perspicuus. *Meridies* dictus quasi medidies, hoc est medius dies: vel quia tunc prior dies est. *Merum* enim purum dicitur. In toto enim die nihil clarius meridie: quando sol è medio cœlo rutilat: & omnem terrã pari claritate illustrat. *Suprema* est postrema pars diei, quando sol cursum suũ in occasum vertit: dicta eo quòd superest ad partem vltimam diei. *Serum* vocatũ à clausis seris, quando iã nox venit, vt vnusquisque somno tutior sit. *Hodie*, quasi hoc die, & quotidie nõ totidie, vt sit quot diebus. *Cras*, quod est postea *Hesternũ*, est pridie: & dictum hesternũ ab eo quòd iam dies ipse sit à nobis extraneus, & prætereundo alienus. *Pridie* autem quasi priori die. *Perendie*, id est per ante die vel in antecessu, id est prius.

De nocte. CAP. XXXI.

NOx à nocendo dicta, eo quòd oculis noceat. Quæ idcirco lunæ ac siderũ lucem habet, ne inde cora esset, & vt consolaretur omnes nocte operantes: & vt quibusdam animantibus quæ lucem solis ferre non possunt ad sufficiẽtiã temperaretur. Noctis autẽ & diei alternatio propter vicissitudinẽ dormiendi & vigilandi effecta est, & vt operis diurni laborẽ noctis requies temperet. Noctem autem fieri dicunt, aut quia longo itinere lassatur sol, & cùm ad vltimũ cæli spatiũ peruenit, elãguescit, ac tabefactus efflat suos ignes: aut quia eadem vi sub terras cogitur, qua super terras pertulit lumen, & sic vmbra terræ noctem facit. Vnde & Virgilius, ruit Oceano nox, Inuoluens vmbra magna terrámque polúmque. *Noctis partes* septẽ sunt. id est vesper, crepusculũ, conticinium, intempestum, gallicinium, matutinum, diluculum. *Vesper* à stella occidentali vocatur, quæ solem occiduũ sequitur, & tenebras sequentes præcedit. De qua Virgilius, Ante diẽ clauso componet vesper Olympo. *Tenebræ* autem dictæ, quòd teneant vmbras. *Crepusculum* est dubia lux. Nam creperum dubium dicimus, hoc est inter lucem & tenebras. *Conticiniũ* est quando omnia silẽt. Conticescere enim silere est. *Intempestum*, est medium & inactuosum noctis tẽpus, quando agi nihil potest, & omnia sopore quieta sunt. Nam tempus per se non intelligitur, nisi per actus humanos. *Medium* autem *noctis* actu caret. Ergo intempesta, inactuosa quasi sine tempore. hoc est sine actu per quẽ dignoscitur tempus. Vnde est, Intempestiuè venisti. ergo intempesta dicitur, quia caret tempore, id est actu. *Gallicinium*, propter Gallos lucis prænuncios dictum. *Matutinum*, est inter abscessum tenebrarum, & auroræ aduentum: & dictum matutinum, quod hoc tempus inchoãtes manè sit. *Diluculum*, quasi iam incipiens parua diei lux. Hæc & aurora quæ solem præcedit. Est autem *aurora* diei clarescentis exordiũ, & primus splendor aëris, qui Græcè ἠὼς dicitur, quam nos per deriuationem auroram vocamus: quasi eo roram. Vnde est illud, Lætus Eois Eurus equis. &: Eoásque acies.

De hebdomada. CAP. XXXII.

HEbdomada, dicta à numero septẽ dierum, quorum repetitione, & menses, & anni, & secula peraguntur: ἑπτὰ enim Græci septem dicunt, hanc nos *septimanam* vocamus, quasi septem luces. Nam *mane* lux est. Octauus autem dies, id primus est, ad quem reditur, & à quo rursus hebdomadis series orditur.

De mensibus. CAP. XXXIII.

MEnsis, nomen est Græcum de lunæ nomine tractum est. Luna enim μήνη Græco sermone vocatur. vnde & apud Hebræos *menses legitimi*, non ex solis circulo, sed ex lunæ cursu enumerantur, quod est de noua ad nouam. Ægyptij autem propter lunæ velociorem cursum, & ne error computationis eius velocitate accideret, ex solis cursu diem mensis adinuenerunt: quo tardior solis motus facilius poterat comprehendi. *Ianuarius mensis* è Iano dictus, cui fuit à gentilibus cõsecratus, vel quia limes & ianua sit anni. Vnde & bifrons idem Ianus pingitur: vt introitus anni & exitus demonstretur. *Februarius*, nuncupatur à Februo, id est Plutone, cui eo mense sacrificabatur. Nam Ianuariũ diis superis, Februarium diis manibus Romani consecrauerũt. Ergo Februarius à Februo, id est à Plutone, non à febre, id est, ægritudine, nominatur. *Martius*, appellatur propter Martẽ Romanæ gentis auctorẽ, vel quòd eo tempore cuncta animantia ad marẽ agantur, & ad concumbendi voluptatem. Idẽ appellatur *mensis nouorum*, quia anni initium mensis est Martius. Idem & *Nouember* ab indiciis scilicet germinum: quia in eo virescentibus fructibus nouis transactorum probatur occasio. *Aprilis*, pro Venere dicitur, quasi Afrodis, Græcè,

Græce enim ἀφροδίτη Venus dicitur, vel quia hoc mense omnia aperiuntur in florem: quasi aprilis. *Maius* dictus à Maia matre Mercurij, vel à maioribus natu: qui erant principes reipublicæ. Nam hunc mensem maioribus, sequentẽ verò minoribus Romani consecrauerũt. Vnde & *Iunius* dicitur, Antè enim populus in centurias seniorum, & iuniorum diuisus erat. *Iulius* verò & *Augustus* de honoribus hominum Iulij & Augusti Cæsarũ nuncupati sunt. Nam prius *Quintilis* & *Sextilis* vocabãtur: *quintilis*, quia quintus erat à Martio: quem principem anni testantur esse Romani. *Sextilis* similiter quòd sextus sit. *September*, nomẽ habet à numero & imbre quia septimus est à martio & imbres habet. Sic & *October*, *Nouẽber*, atque *December* ex numero & imbribus acceperunt vocabula: quem numerum decurrentem december finit: pro eo quòd denarius numerus præcedentes numeros claudit. *Kalendas* autem *Nonas* & *Idus* propter festos dies Romani instituerunt, vel propter officia magistratuũ. In iis enim diebus cõueniebatur in vrbibus. Quidã autẽ *Kalendas* à colendo appellari existimant. Apud veteres enim omniũ mensium principia colebantur: sicut & apud Hebræos. *Idus* autem plerique Latinorum ab edendo dictas putãt: quòd ij dies apud veteres epularum essent. *Nonæ* à nundinis vocatæ. nundinæ enim sunt publicæ conuentiones, siue mercimonia.

De solstitiis & æquinoctiis. CAP. XXXIV.

SOlstitium dictũ: quasi solis statiũ: quòd tũc sole stante crescant dies vel noctes. *Æquinoctium* appellatũ, quòd tunc dies & nox horarũ spatio æquali consistunt. *Duo* autem sunt *solstitia*. vnum *æstiuum* octauo kalendarũ Iuliarum, de quo tempore remeare sol ad inferiores incipit circulos; aliud *hyemale*, octauo kalendarum Ianuariarum, quo tempore sol altiores incipit circulos petere. Vnde & hyemalis solstitij dies minimus, sicut æstiui maximus inuenitur. Item *duo* sunt *æquinoctia*, vnum *vernale* & aliud *autũnale*, quæ Græci ἰσημερίας vocant. Sunt autem hæc æquinoctia die octaua kalendarum Aprilium, & octauo kalendarũ octobriũ, quia annus in duas partes tantum diuidebatur, hoc est in æstiuũ & in hyemale solstitium & in duo hemisphæria.

De temporibus anni. CAP. XXXV.

TEmpora anni, sunt quatuor, ver, estas, autumnus, & hyems. dicta sunt autem tẽpora à communionis temperamento, quòd inuicem se humore, siccitate, calore & frigore temperent. Hęc & *curricula* dicuntur, quia non stant sed currunt. Constat autem post factum mũdum ex qualitate cursus solis tempora in ternos menses fuisse diuisa. Quorum temporum talem veteres discretionem faciunt, vt primo mense *ver nouũ* dicatur, secũdo *adultum*, tertio *præceps*. Sic & *æstas* in suis tribus mensibus, *noua*, *adulta*, & *præceps*. Item *hyems noua*, *adulta*, & *præceps* siue extrema. Vnde & illud: Extremæ sub casum hyemis. *Ver* autem dictum quòd vireat. Tunc enim post hyemem vestitur tellus herbis, & in florem cuncta prorumpunt. *Æstas* dicitur ab æstu, id est à calore, & æstas quasi vsta id est exusta & arista. Nam calor aridus est. *Autumnus* à tempestate vocatur: quando & folia arborum cadunt, & omnia maturescunt. *Hyemem* autẽ ratio hæmispherij nũcupauit: quia tunc breuiori sol voluitur circulo. Vnde & hoc tempus *bruma* dicitur: quasi βραχὺ ἦμαρ, id est breuis, vel à cibo, quòd maior tunc sit vescendi appetitus. Edacitas Græcè *bruma* appellatur. vnde & *imbrumati* dicuntur quibus fastidium est ciborum. *Hybernus* autem inter hyemem & vernum est quasi hyuernus: qui plerunque à parte totam hyemem significat. Hæc tempora singulis etiam cœli partibus ascribuntur. *Ver* quippe *orienti datur*. quia tunc ex terris omnia oriuntur. *Æstas* verò *meridiano*, eò quòd pars eius calore flagrãtior sit. *hyems*, *Septentrioni*, eò quòd frigoribus & perpetuo gelu torpeat. *Autumnus*, *occiduo*, propter quod graues morbos habet. vnde & tunc folia arborum defluunt. Vt autem abundet morbis facit hoc confinium frigoris & caloris, & compugnantia inter se contrariorum aerum.

De annis. CAP. XXXVI.

ANnus est solis anfractus: cum per actis trecentis lxv. diebus ad eadem loca siderum redit. Annus autem dictus: quia mensibus in se recurrentibus voluitur. Vnde & *annulus*, quasi annuus, id est circulus, quòd in se redeat. Virgilius: Atque in se sua per vestigia voluitur annus. Sic enim apud Ægyptios indicabatur ante inuentas literas, picto dracone caudam suam mordente, quia in se recurrit. Alij annum dicunt, ἀπὸ τῆς ἀνανεώσεως, id est, ab innouatione: renouatur enim semper. Tria sunt autem tempora annorum. Aut enim *lunaris annus* est triginta dierum: aut *solstitialis* qui xii. continet menses: aut *magnus*, omnibus planetis in eundem locum recurrentibus, qui fit post annos solsticiales plurimos. *Era* singulorum annorum constituta est à Cæsare Augusto: quando primum censum exegit; ac Romanum orbem descripsit. Dicta autem Era ex eo quòd omnis orbis, æs reddere professus est reipublicæ.

De olimpiadibus & lustris & iubileis.

CAP. XXXVII.

OLimpias apud Græcos constituta apud Elidem Græciæ ciuitatem. Eliis agentibus agonem: & quinquennale certamē quatuor mediis annis vacantibus: & ob hoc Elidum certaminis tempus olimpiadem vocauerunt, quadriennio in vna olimpiade supputato. *Lustrum* verò est πεντετηρὶς, id est quinquennium, quòd quinto anno dicitur condi propter olimpiadas à Romanis: adhuc enim consules, adhuc æra nondum erant. Est enim quinquennale tempus. Ideò verò sic vocatur: eo quòd censu per quinquennium in republica peracto, vrbs Roma lustrabatur. *Iubileus* interpretatur remissionis annus. Est enim Hebraicus & sermo & numerus; qui septenis annorum hebdomadibus, id est, quadraginta nouem annis texitur, in quo clangebatur tubis, & ad omnes redercebatur antiqua possessio, lebita absoluebantur, confirmabantur libertates. Hunc numerum etiam in diebus Pentecostes & ipsi celebramus post Domini resurrectionem remissa culpa: & totius debiti chirographo cancellato, ab omni nexu liberi suscipientes, aduenientem in nos gratiam Spiritus sancti.

De seculis & ætatibus.

CAP. XXXVIII.

SEcula generationibus constant: & inde secula quòd se sequantur. Abeuntibus enim aliis, alia succedunt. Hunc quidam quinquagesimum annum dicunt, quem Hebræi iubileum vocant. ob hanc causam & ille Hebræus qui propter vxorem & liberos amat Dominum suum, aure pertusa, seruitio subiugatus, seruire iubetur in seculum, hoc est vsque ad annum quinquagesimum. *Ætas* plerunque dicitur & pro vno anno, vt in annalibus, & pro septem, vt hominis: & pro cētum, & pro quouis tempore. vnde & ætas tempus quod de multis seculis instruitur. Et dicta ætas quasi æuitas, id est similitudo æui. Nam æuum est ætas perpetua: cuius neque initium neque extremitas nascitur: quod Græci αἰῶνας vocant: quod aliquando apud eos pro seculo, aliquando pro æterno ponitur. vnde & apud Latinos est deriuatum. *Ætas* autem propriè duobus modis dicitur: aut enim *hominis*, sicut infantia, iuuentus senectus, aut *mundi*, cuius *prima ætas* est ab Adam vsque ad Noe. *secunda* à Noe vsque ad Abraham. *tertia* ab Abraham vsque ad Dauid. *quarta* à Dauid vsque ad transmigrationem Iudæ in Babyloniā. *quinta* deinde ad aduentum Saluatoris in carne. *sexta* quæ nunc agitur vsquequo mundus iste finiatur. Quarum decursus per generationes & regna ita inspicitur.

De discretione temporum.

CAP. XXXIX.

PRima ætas cōtinet in exordio sui creationem mundi. Primo enim die Deus in lucis nomine condidit angelos. secundo in firmamenti appellatione cœlos. tertio in Discretionis vocabulo speciem aquarum & terræ. quarto luminaria cœli. quinto animantia ex aquis. sexto animantia ex terra, & hominem, quem appellauit Adam.

ADam anno ccxxx. genuit Seth à quo filij Dei. ccxxx.

Seth anno ccv. genuit Enos, qui primus cœpit inuocare nomen Domini. ccccxxxv.

Enos anno clxxx. genuit Cain. DCXXV.

Cain anno centesimo lxx. genuit Malaleel. DCCXCV.

Malaleel anno clxv genuit Iareth. DCCCCLX.

Iareth anno cētesimo lxij genuit Enoch qui translatus est. M.CXXIJ.

Enoch anno lxv genuit Matusalem. M.CC lxxxvij.

Matusalem anno clxvij genuit Lamech. MCCCCLIIIJ.

Lamech anno clxxxviij genuit Noe. arca ædificatur, MDCXLIJ.

Noe autem anno DC. factum est diluuium. IIMCCXLIJ.

Secunda ætas.

CAP. XL.

SEm post diluuium secundò anno genuit Arfaxat, à quo Caldæi. IIMCCXLIIIJ.

Arfaxat anno cxxxv genuit Sala, à quo antiqui Samaritæ vel Indi fuerunt. IIM. CCCLXXIX.

Sala anno cxxx genuit Deber à quo Hebræi IIMDIX.

Heber anno cxxxiiij genuit Faleg. Turris ædificatur. IIMDCXLIIJ.

Faleg anno cxxx genuit Ragau. dij primum adorantur. IIMDCCLXXIII.

Ragau anno cxxxii genuit Seruch. regnum inchoat Scytharum. IIMDCCCCV.

Seruch anno cxxx genuit Nachor. Regnum Ægyptiorum nascitur. IIIMXXXV.

Nachor anno lxxix. genuit Tharam. Regnum Assyriorum & Siciniorum exoritur. IIIMCXIIII.

Thara anno lxx. genuit Abraham.

Zoroastes magicam artem reperit. IIIM CLXXXIII.

Tertia ætas. CAP. XLI.

ABraham an. centesimo genuit Isaac ex Sara libera. Nam prius & Ismahel à quo & Ismahelitæ. IIIM cclxxxiiii j.
Isaac an. sexagesimo genuit Iacob. Argiuorum regnum inchoat. IIIM cccxliiij.
Iacob an. xcj. genuit Ioseph.
Phoroneus Græciæ leges dedit. IIIIM ccccxxxv.
Ioseph an. cv. vixit. Græcia segetes habere cœpit. IIIM dxlv.
Hebræorum seruitutis in Ægypto an. cxliiij. Atlas Astrologiam inuenit. IIIM dclxxxix.
Moyses an. xl. rexit populum in heremo. Hebræi legem & literas habere cœperunt. IIIM dccxxix.
Iosue an. xxvij. Erictonius in Troia quadrigam iunxit. IIIM dcclv.
Othoniel an. xl. cadmus literas Græcis dedit. IIIM dcxxv.
Aoth anno lxxx. fabulæ fictæ sunt. IIIM dccclxxv.
Debora ann. xl. Apollo medicinæ artem inuenit & citharam reperit. IIIM dcccccxvj.
Gedeon anno xl. Mercurius lyram reperit & Orpheo tradidit. IIIM dccccclvj.
Abimelech an. tres: Chorus in Græcia inuentus est. IIIM dcccclix.
Thola an. xxij. Priamus regnauit in Troia. IIIM dccccclxxxj.
Iair an. xxij. Carmentis Latinas literas reperit. IIIIM iij.
Iephte an. vj. Hercules se flammis iniecit. IIIIM ix.
Abeson an. vij. Alexander Helenam rapuit. IIIIM xvj.
Abdon an. viij. Troia capta est & Æneas in Italiam venit. IIIIM xxiiij.
Samson an. xx. Ascanius Albam condidit ciuitatem: à qua Albani. IIIIM xliij.
Heli sacerdos an. xl. Arca testamenti capitur. IIIIM lxxxiiij.
Samuel & Saul an. xl. Homerus fuisse putatur. IIIIM cxxviij.

Quinta ætas. CAP. XLII.

DAuid ann. quadrag. Cartago à Didone conditur. Cad Nathan & Asaph prophetauerunt. IIIIM clxiij.
Salomon an. xl. Templum Hierosolymis ædificatur. IIIIM cciij.
Roboam an. xvij. Regnum Israel & Iuda diuiditur. IIIIM ccxxj.
Abia an. tribus, sub quo Abimelech pontifex fuit. IIIIM ccxxiiij.
Asa an. xlj. Achias Amos Iehu. Iohel Azarias prophetauerunt. IIIIM cclxv.
Iosaphat an. xxv. Prophetauit Helias & Helizeus. Abdias & Micheas. IIIIM ccxc.
Ioram ann. viij. Prophetauit Helias & Heliseus. IIIIM ccxcix.
Ochozias anno vno. Helias rapitur. IIIIM ccxcix.
Athalia an. vij. Ionadab sacerdos claruit. IIIIM cccvj.
Ioas an. xl. Zacharias propheta occiditur inter templum & altare. Heliseus moritur. IIIIM ccclxxv.
Amasias an. xxix. Cartago condita est. IIIIM ccclxxv.
Ozias ann. lij. Olimpias à Græcis instituitur. Assiriorúmque regnum in Medos transfertur. IIIIM cccccxxvij.
Ioathan ann. xvi. Remus & Romulus nascuntur. IIIIM ccccxliij.
Achaz anno xvi. Roma conditur. IIIIM cccclviiij.
Ezechias an. xxix. Senatus Romæ fit. IIIIM cccclxxxviii.
Manasses an. lv. Sibilla Samia claruit. IIIIM dxliiii.
Amon an. xii. Census primum agitur. IIIIM dlv.
Iosias an. xxxii. Thales philosophus agnoscitur. IIIIM dlxxxvii.
Ioachim ann. xi. Nabuchododosor Iudeam capit. IIIIM dxcviii.
Sedechias an. xi. Templum Hierosolymis incensum. Sappho mulier diuerso poemate claruit. IIIIM dcix.

Quinta ætas. CAP. XLIII.

HEbræorum captiuitas ann. septuaginta. Iudith historia scribitur. IIIIM dclxxix.
Darius an. xxxiiii. Iudæorum captiuitas soluitur. IIIIM dccxiii.
Xerxes an. xx. Sophocles & Euripides, tragœdi celebrantur insignes. IIIIM dccxxxiii.
Artaxerxes an. xl. Esdras incensam legem renouat. IIIIM dcclxxiii.
Darius qui & nothus ann. xix. Hęc ætas habuit Platonem primum rhetorem. IIIIM dccxcii.
Artaxerxes an. xl. Hester historia scribitur. IIIIM dcccxxxii.
Artaxerxes qui & Ochus an. xxvi. Demosthenes & Aristoteles prędicantur. IIIIM dccclviii.
Xerxes an. iiii. Xenocrates illustris habetur. IIIIM dccclxii.
Darius an. vi. Alexander Hierosolymam cepit. IIIIM dccclxviii.
Alexander magnus an. v. Asiam obtinuit. IIIIM dccclxxiii.
Ptolemęus ann. xl. Machabæorum liber inchoat primus. IIIIM dcccxiii.
Philadelphus an. xxxviii. Septuaginta inter-

pretes agnoscuntur. IIIIMDCCCCLI.

Euergetes ann. xxvi. Iesus sapientiæ librum componit. IIIIMDCCCCLXXVII.

Philopator ann. xvii. Machabæorum secundi libri historia componitur. IIIIMDCCCCXCIIII.

Epiphanes an. xxiiii. Romani Græcos obtinuerunt. VMXIX.

Philometor an. xxxv. Scipio Africam vicit. VMLIIII.

Euergetes an. xxiiii. Brutus Hispaniam subegit. VMLXXXII.

Soter ann. xvii. Thraces Romanis subiiciuntur. VMXCIX.

Alexander an. x. Syria Romanis subiecta est. VMCIX.

Ptolemæus an. viii. Rhetorica ars Romæ cepit. VMCXVII.

Dionysius an. xxx. Pompeius Iudæam capit. VMCXLVII.

Cleopatra an. ii. Ægyptus Romanis subditur VMCXLIX.

Iulius Cęsar an. v. Hic primus Monarchiam tenuit. VMCLIIII.

Sexta ætas. Cap. XLIX.

Octauianus an. lvi. Christus nascitur. VMCCX.

Tiberius an. xxiii. Christus crucifigitur. VMCCXXIII.

Caius Caligula an. iiii. Matthæus Euangeliū scripsit. VMCCXXXVII.

Claudius an. xiiii. Marcus Euāgelium edidit. V.MCCLII.

Nero an. xiiii. Petrus & Paulus necantur. VMCCLXV.

Vespasianus ann. x. Hierosolyma à Tito subuertitur. VMCCLXXV.

Titus an. ii. Hic facundus & pius fuit. VMCCLXXVII.

Domitianus ann. xvi. Ioannes in Pathmos relegatur. VMCCXCIII.

Nerua an. i. Ioannes Ephesum redit. VMCCXCIIII.

Traianus ann. xviiii. Ioannes Apostolus requiescit. VMCCCXIII.

Adrianus an. xxi. Aquila interpres habetur. VMCCCXXX.

Antoninus pius ann. xxii. Valentinus & Marcion agnoscuntur. VMCCCLVI.

Antonius Verus an. xix. Catafrigarum hęresis oritur. VMCCCLXXV.

Commodus an. xiii. Theodotion tertius interpres habetur. VMCCCLXXXVIII.

Elius Pertinax an. i. Nihil habet historię. VMCCCLXXXVIII.

Seuerus an. xviii. Symmachus interpres quartus habetur. VMCCCCVII.

Antoninus Caracalla ann. vii. Quinta editio Hierosolymis inuenitur. VMCCCCXIIII.

Macrinus ann. i. Huius breuitas vitæ nihil gestorum habetur. VMCCCCXV.

Aurelius Antonius ann. iiii. Sabellij hæresis oritur. VMCCCCXIX.

Alexander ann. xiii. Origenes insignis habetur. VMCCCCXXXII.

Maximus an. iii. Iste Germanos vicit. VMCCCCXXXV.

Gordianus an. vi. Iste de Parthis & Persis triumphauit. VMCCCCXLI.

Philippus an. vii. Hic primus Christianus imperator fuit. VMCCCCXLVIII.

Decius an. j. Antonius monachus claruit. VMCCCCXLIX.

Gallus an. ii. Nouatus hæresim condit. VMCCCCLI.

Valerianus an. xv. Cyprianus martyrio coronatur. VMCCCCLXVI.

Claudius an. ii. Iste Gothos ab Illyrico expulit. VMCCCCLXVI.

Aurelianus an. v. Iste Christianos persequitur. VMCCCCLXXIIII.

Tatius ann. i. Huius breuitas vitę nihil habet historiæ. VMCCCCLXXV.

Probus an. vi. Manichæorum hæresis orta est. VMXCCCCLXXXI.

Carus an. ii. Iste de Persis triumphauit. VMCCCCLXXXIII.

Diocletianus ann. xx. Iste diuinis libris adustis martyria facit. VMDIII.

Galerius ann. ii. Huius breuitas vitæ nihil dignum historiæ contulit. VMDV.

Constantinus ann. xxx. Nicæna synodus congregatur. VMDXXXV.

Constantius an. xxiiii. Anthropomorphitarū hæresis oritur. VMDLVIII.

Iulianus annis ii. Hic ex Christiano paganus effectus est. VMDLXI.

Valentinianus ann. xiiii. Gothi hæretici effectus est. VMDLVI.

Iouinianus an. i. Iste iterum Christianus efficiuntur. VMDLXXVI.

Gratianus an. vi. Priscillianus agnoscitur. VMDLXXXII.

Valentinianus ann. vii. Hieronymus in Bethleem prædicatur. VDLXXXIX.

Theodosius ann. iii. Ioannes Anachoreta claruit. VMDXCII.

Arcadius an. xiii. Ioannes Chrysostomus floruit. VMDCV.

Honorius ann. xv. Augustinus Episcopus claruit. VMDCXX.

Theodosius an. xxvii. Nestori⁹ hæresiarches extitit. VMCXLVII.

Martianus ann. vi. Chalcedonensis synodus agitur. VMDCLIII.

Leo maior an. xvi. Ægyptus errore Dioscori languet. VMDCLXIX.

Zenō an. xvii. Acephalorum hęresis orta est VMDCLXXXVI.

Anasta-

Anastasius ann. xvii. Fulgentius Episcopus prædicatur. VMDCCXIII.

Iustinus an. vii. Acephalorum hęresis abdicatur. VMDCCCXXI.

Iustinianus xxix. an. Vvandali in Africa à Belisario extinguuntur. VMDCCLX,

Iustinus an. xi. Armenij fidem Christi suscipiunt. VMDCCLXXI.

Tiberius an. vii. Longobardi Italiam capiunt. VMDCCLXXVIII.

Mauritius ann. xxi. Gothi catholici effecti sunt. VMDCCXCIX.

Focas an. viii. Romani cæduntur à Persis. VMDCCCVI.

Eraclius an. xxvii. Residuum sextę ætatis tēpus Deo soli est cognitum. Colligitur omne tempus ab exordio mundi vsque in præsentem annum decimum gloriosissimū principis, qui est Eraclius. VMDCCCLVII. Huius quarto & quinto religiosissimi principis Sisebuti, in Hispania Iudæi baptizantur. Quarum decursus per generationes & regna: primus ex nostris Iulianus Africanus sub Imperatore Marco Aurelio Antonino, simplicis historiæ stilo elicuit. dehinc Eusebius Episcopus Cæsariensis: atque sanctę memorię Hieronymus presbyter, Chronicorum canonem multiplicem ediderunt, Historiam regnis simul & temporibus ordinatam. Dehinc alij atque alij inter quos pręcipuè Victor Turonensis ecclesiæ Episcopus recensitis priorum historiis gesta sequentium ætatum vsque ad consulatum Iustini iunioris imperatoris expleuit; Horum nos temporum summam ab exordio mundi ad Augusti Heraclij Imperatoris vel Sumptilani regis Gotorum, quanta potuimus breuitate notauimus tempora adiacente è latere descendente linea temporum cuius iudicio summa præterita seculi cognoscatur.

Sequentia habentur in quodam codice excuso ante titulum. De discretione temporum. *In manuscriptis verò exemplaribus non leguntur.*

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER VI.

CAPITA LIBRI SEXTI.

LIBER SEXTVS DE VETERI *& nouo testamento.*

Vetus *testamentum* ideo dicitur: quia veniente nouo cessauit: de quo Apostolus meminit dicens: Vetera transierunt. & ecce omnia facta sunt noua. Testamentum autē nouum ideo nuncupatur, quia innouat. Non enim illud discunt, nisi homines renouati ex vetustate per gratiam, & pertinētes iam ad testamentū nouū: quod est regnum cœlorum Hebræi autem vetus testamentum, Esdra auctore, iuxta numerum literarum suarum, viginti duobus libris accipiunt: diuidentes eos in *tres ordines, legis* scilicet, & *prophetarum*, & *agiographorum* ¶ *Primus ordo legis* in quinque libris accipitur: quorum primus est Beresith, quod est *Genesis*. secundus Veella semoth, quod est *Exodus*, tertius Vaicra, quod est *Leuiticus*. quartus Vaiedabber: quod est *Numeri*. quintus Elle-addebarim, quod est *Deuteronomium*. Hi sunt quinque li-

bri Moysi, quos Hebræi *Thorat* vocant, Latini legem appellant. Propriè autem *lex* appellatur: quæ per Moysen data est. ¶ Secundus est *prophetarũ*: in quo continentur libri octo, quorum primus Iosuæ Ben Nun: qui Latinè *Iesu Naue* dicitur, secundus Sophetim, quod est *Iudicum*, tertius *Samuel*, qui est Regum primus quartus Malachim, qui est *Regum* secundus, quintus *Esaias*, sextus *Ieremias*, septimus *Ezechiel*, octauus *Tarisra*: qui dicitur *duodecim prophetarum*: qui libri quia pro breuitate adiuncti sunt, pro vno accipiuntur. ¶ Tertius est ordo *agiographorum*, id est sancta scribentium: in quo sunt libri noué: quorum primus Iob, secundus *Psalterium*, tertius Misse, quòd est *Prouerbia Salomonis*, quartus Coheleth: quòd est *Ecclesiastes*, quintus Sir assirim, quod est *Cantica canticorum*. sextus *Daniel*. septimus, Dibre hiamin, quod est verba dierum: hoc est *Paralipomenon*: qui & *Chronicon*: qui in duos libros diuiditur. apud Græcos & Latinos. octauus *Esdras*: nonus *Hester*: qui simul omnes v. viij. & ix. fiunt xxij. sicut superius comprehensi sunt. Quidã autem *Ruth* & Rimoth, quod Latinè dicitur *Lamentatio Ieremiæ*, agiographis adiiciunt, & xxiiij. volumina testamenti veteris faciunt: iuxta viginti quatuor seniores, qui ante conspectum Domini assistunt. ¶ Quartus est apud nos ordo veteris testamenti, eorum librorũ qui in canone Hebraico non sunt. Quorum primus *Sapientiæ* liber est, secundus *Ecclesiasticus*. Tertius *Thobias*. Quartus *Iudith*. Quintus & sextus *Machabæorum*: quos licet Hebræi inter *apocrypha* separent, Ecclesia tamẽ Christi inter diuinos libros & honorat & prædicat. ¶ In nouo autem testamento duo sunt ordines. pri[illegible] in quo sunt Mathæus, Marcus, [illegible]es. secũdus *apostolicus*: in quo [illegible] quatuordecim epistolis. Petrus [illegible] Ioannes in tribus. Iacobus & Iudas in singulis, Actus apostolorum & Apocalypsis Ioannis. Summa autem vtriusque testamenti trifariè distinguitur, id est, in *historia*, in *moribus*, in *allegoria*. Rursus ista tria multifariè diuiduntur, id est, qui à Deo, quid ab angelis vel hominibus gestum dictúmque sit: quid à prophetis nuntiatum de Christo & corpore eius: quid de diabolo & membris eius: quid de veteri & nouo populo: quid de præsenti sæculo & futuro regno atque iudicio.

De scriptoribus & vocabulis sanctorum librorum. CAP. II.

Veteris testamenti secundum Hebræorũ traditionem hi perhibentur auctores. Primus *Moyses* diuinæ historiæ cosmographiam in quinque voluminibus edidit, quod Pentateuchum nominatur. *Pentateuchũ* autem à quinque voluminibus dicitur. πέντε enim Græcè quinque: τεῦχος volumen vocatur. *Genesis* liber inde appellatur, eo quòd exordium mundi & generatio seculi in eo cõtineatur. *Exodus* verò exitum ab Ægypto vel egressum populi Israel digerit: & ex ea causa nomen accepit. *Leuiticus* appellatur, eò quòd Leuitarum ministeria & diuersitatem victimarum exequitur, totúsque in eo ordo leuiticus annotatur. *Numerorum* liber vocatur, eo quòd in eo egressæ de Ægypto tribus dinumerantur, & quadraginta duarum per heremum mansionum in eo descriptio continetur. *Deuteronomium* Græco sermone appellatur: quod Latinè interpretatur. Secunda lex, id est repetitio & euangelicæ legis præfiguratio: quæ sic ea habet quæ priora sunt, vt tamen noua sint omnia, quæ in eo replicantur, *Iosue* liber nomen accepit à Iesu filio Naue: cuius historiam continet: scriptorem verò eius eundem Iosue Hebræi asseuerant: in cuius textu post Iordanis transitum regna hostium subuertuntur: terra populo diuiditur, & per singulas vrbes, viculos, montes, atque confinia Ecclesiæ cælestísque Hierusalẽ spiritualia regna præfigurantur. *Iudicum* nominantur à principibus populi: qui præfuerunt in Israel post Moysen & Iosue antequam Dauid & cæteri reges existerent. Hunc librum & Ruth edidisse creditur Samuel. *Liber Samuel* eiusdem Samuelis natiuitatem & sacerdotium & gesta describit, idcirco & ab eo nomen accepit. Et quamuis hic liber Saul & Dauid historiam contineat, vtrique tamen ad Samuel referuntur, quia ipse vnxit Saul in regnum, ipse Dauid in regem futurum. Cuius libri primam partem conscripsit idem Samuel, sequentia verò eius vsque ad calcem scripsit Dauid. *Malachim* proinde appellatur: eo quòd reges Iudæ & Israeliticæ gentis gestáque eorum per ordinem digerat temporum. Malachim enim Hebraicè, Latinè Regum interpretatur. Hunc librũ Ieremias primus in vnum volumen coegit. Nam antea sparsus erat per singulorum regum historias. *Paralipomenon* Græcè dicitur: quod prætermissorum vel reliquorum nos dicere possumus. quia ea quæ in lege vel in legum libris vel omissa vel non plenè relati sunt, in isto summatim & breuiter explicantur. *Librũ Iob* quidam Moysen scripsisse arbitrãtur: alij vnũ ex prophetis: nonnulli verò eundem Iob post plagam suæ passionis scriptorem fuisse existimant, arbitrantes, vt qui certamina spiritalis pugnæ sustinuit, ipse narraret quas victorias expediuit. Principia autem & fines libri Iob apud Hebræos prosaica oratione contexta sunt: media autem ipsius ab eo loco in quo ait: Pereat dies qua natus sum, vsque ad eum

ad eum locum: idcirco ego me reprehendo & ago pœnitentiam, omnia heroico metro discurrunt. *Psalmorum* liber Græcè psalterium, Latinè organum dicitur. Vocatus autem liber Psalmorum, quòd vno propheta canente ad psalterium, Chorus consonando respõderet. Titulus autẽ in psalmis Hebraicus Thehilim, quod interpretatur Volumen hymnorum. Auctores autem psalmorũ sunt quæ ponuntur in titulo, Moyses scilicet, & Dauid & Salomõ, Asaph, Ethã, Idithun & filij Core, Emã & reliquorũ: quo Esdras vno volumine cõprehendit. Omnes autẽ psalmos apud Hebræos metrico carmine cõsta[t] esse cõpositos. Nã in more Romani Flacci & Græci Pindari, nunc alij iãbo currũt; nũc elegiaco personant, nunc Sapphico nitẽt trimetro: vel tetra metro pede incedentes. *Salomon* filius Dauid regis Israel iuxta numerũ vocabulorũ suorũ tria volumina edidit: quorum primus est Hebraicè Misle: quẽ Græci *Parabolas*, Latini *Prouerbiorũ* nominãt, eo quòd in ipso sub cõparatiua similitudine figuras verborum & imagines veritatis ostenderit: Ipsam autẽ veritatem ad intelligendũ legentibus reseruauit. Secũdum librũ Coheleth vocauit, qui Græcè *Ecclesiastes* dicitur, Latinè Cõcionator: eo quòd sermo eius non specialiter ad vnum sicut in Prouerbiis, sed ad vniuersos generaliter dirigatur: docens omnia quæ in mundo cernimus caduca esse & breuia, & ob hoc minimè appetenda. Tertium librum Sirhasirim prænotauit: qui in Latinam linguã vertitur *Cãtica canticorum*: vbi per epithalamium carmẽ coniunctionem Christi & Ecclesiæ mysticè canit. Dictum autem Canticum canticorum, eo quòd omnibus canticis præferatur, quæ in scripturis sacris habentur: sicut quædã in lege dicuntur sancta, quibus maiora sunt, Sancta sanctorum. Horum autem trium librorũ carmina, hexametris & pentametris versibus apud suos composita perhibentur: vt Iosephus & Hieronymus scribunt. *Esaias* euangelista potius quàm propheta edidit librum suum: cuius omnis textus eloquentiæ prosa incedit: Canticum verò hexametro & pentametro versu discurrit. *Hieremias* similiter edidit librum suum cum threnis suis: quos nos Lamẽta vocamus: eo quòd in tristioribus rebus funeribúsq; adhibeantur, in quibus quadruplex diuerso metro cõposuit alphabetũ, quorũ duo prima quasi sapphico metro scripta sunt: quia tres versiculos qui sibi nexi sunt, & ab vna tantum litera incipiunt, heroicum coma cõcludunt. Tertium alphabetum trimetro conscriptum est: & à ternis literis iidem versus terni incipiũt. Quartum alphabetum simile primo & secundo habetur. *Ezechiel & Daniel* à viris quibusdam sapiẽtibus scripti esse perhibentur. quorũ *Ezechiel* principia & fines multis habet obscuritatibus inuoluta. *Daniel* verò claro sermone regna mũdi pronuntiat, & tẽpus aduentus Christi manifestissima prædicatione annotat. Hi sunt quatuor prophetæ qui maiores vocãtur: quia prolixa volumina condiderunt. *Liber autem duodecim prophetarũ* auctorum suorum nominibus prænotatur: qui propterea dicuntur minores, quia sermones eorũ breues sũt. Vnde & connexi sibimet inuicem in vno volumine continentur: quorum nomina sunt: *Oseas, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naũ, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias* & *Malachias*. *Esdra* liber auctoris sui titulo prænotatur, in cuius textu eiusdem Esdræ Neemiæque sermones pariter continentur. Nec quẽquã moueat, quòd vnus Esdræ dicitur liber: quia secundus, tertius & quartus non habentur apud Hebræos: sed inter apocryphos deputantur. *Hester librũ* Esdras creditur cõscripsisse. In quo eadem regina sub figura Ecclesiæ Dei populum à seruitute & morte eripuisse scribitur: atque interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, diei celebritas in posteros mittitur. *Liber sapientiæ* apud Hebræos nusquã est: vnde & ipse titulus græcam magis eloquentiã redolet. Hunc Iudæi Philonis esse affirmant, qui proinde Sapientiæ nominatur: quia in eo Christi aduentus qui est sapiẽtia Patris, & passio eius euidẽter exprimitur. *Librum autem Ecclesiasticum* certissimè Iesus filius Sirach Hierosolymita nepos Iesu sacerdotis magni composuit: cuius meminit Zacharias: qui liber apud Latinos propter eloquij similitudinem Salomonis titulo prænotatur: dictus autem Ecclesiasticus, eo quòd de totius ecclesiæ disciplina religiosæ conuersationis magna cura & ratione sit editus. Hic liber apud Hebræos reperitur: sed inter apocryphos habetur. *Iudith* verò & *Tobias* siue *Machabæorum libri*: quibus auctoribus scripti sint, minimè constat. Habent autem vocabula ex eorum nominibus quorũ gesta scribuntur. ¶ *Quatuor libros Euangeliorum*, quatuor Euangelistæ singulariter conscripserunt. Primus *Matthæus* cõscripsit Euangelium literis Hebraicis & sermonibus in Iudæa initiãs euãgelisare ab humana Christi natiuitate dicẽs: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham: significãs descendisse corporaliter ex semine patriarcharũ Christum; sicut promissum erat in prophetis per Spiritũ sanctum. Secũdus *Marcus* plenus spiritu sancto scripsit Euangelium Christi eloquio Græco in Italia secutus Petrum, vt discipulus. Is initium à spiritu prophetali fecit, dicens, Vox clamantis in deserto, parate viam Domino: & reliqua, vt ostẽderet Christũ post assumptionem carnis Euangeliũ prædicasse in mundo. Ipse enim Christus & propheta dictus est, si

cut scriptum est, Et prophetam in gentibus posui te. Tertius *Lucas* inter omnes Euangelistas Græci sermonis eruditissimus, quippe vt medicus in Græcia Euangelium scripsit Theophilo Episcopo, initians à sacerdotali spiritu, dicens. Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos quidam nomine Zacharias, vt manifestaret Christum post natiuitaẽ carnis & prædicationem Euangelij, hostiã fuisse effectum pro salute mundi. Ipse est enim sacerdos de quo dictum est in psalmis, Tu es sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedech. Vbi enim Christus aduenit sacerdotium Iudæorum obmutuit: lex & prophetia cessauit. Quartus *Iohannes* scripsit Euangelium vltimus in Asia; incipiens à Verbo, vt ostẽderet eundem saluatorem, qui pro nobis dignatus est nasci & pati: ipsum ante secula Dei verbũ esse: ipsum à cœlo venisse, & post mortem iterum ad cœlum remeasse. Hi sunt *quatuor Euangelistæ* quos per Ezechielẽ Spiritus sanctus significauit in quatuor animalibus. Propterea autẽ quatuor animalia, quia per quatuor mundi partes, fides Christianæ religionis eorum prædicatione disseminata est. Animalia autem dicta sunt: quia propter animam hominis per eos prædicatur Euangelium Christi. Nam & oculis plena erant intus & foris, quoniam præuidentur ea Euangelia quæ dicta sunt à prophetis, & quæ promiserant in priori tempore. Crura autẽ eorũ recta: quia nihil prauum in Euangeliis est & alas senas tegentes crura & facies suas: reuelata sunt enim quæ tegebantur in aduentu Christi. *Euangelium* autem interpretatur bona annuntiatio. Græcè enim εὖ bene. ἀγγελία dicitur annũciatio. Vnde & angelus nuncius dicitur. *Paulus Apostolus* suas scripsit epistolas quatuordecim, ex quibus nouem, septem ecclesiis scripsit, reliquas discipulis suis Timotheo, Tito, & Philemoni. Ad Hebręos autem epistola à plerisque Latinis eius esse incerta est, propter dissonantiam sermonis eãdémque alij Barnabã conscripsisse, alij à Clemente scriptam fuisse suspicantur. *Petrus* scripsit duas nominis sui epistolas, quæ catholicæ ideo nominantur, quia non vni tantum populo vel ciuitati, sed vniuersis gentibus generaliter scriptę sunt. *Iacobus* & *Iohãnes* & *Iudas* suas scripserunt epistolas. *Actus apostolorum* primordia fidei Christianæ in gentibus & nascentis ecclesiæ historiam digerit. Actuum apostolorum scriptorem Lucam esse affirmãt euangelistam; in quo opere nascentis Ecclesiæ infantia texitur, & apostolorum historia continetur. Vnde & actus apostolorum dicitur. *Apocalypsin* librum Iohannes Euangelista conscripsit, eo tempore quo ob euangelij prædicationem in insula Pathmos traditur relegatus. Apocalypsis autem ex Græco in Latinum reuelatio interpretatur. Reuelatio enim dicitur manifestatio eorum quę abscondita erant. iuxta quod & ipse Iohannes dicit, Apocalypsin Iesu Christi quam dedit illi Deus palã facere seruis suis. Hi sunt scriptores sacrorum librorũ. qui per Spiritũ sanctum loquentes in eruditionem nostram & præcepta viuendi, & credendi regulam conscripserunt. Pręter hæc & alia volumina *apocrypha* nuncupantur. *Apocrypha* autem dicta, id est secreta, quia in dubium veniunt. Est enim eorum occulta origo, nec patet Patribus ex quibus vsque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima & notissima successione peruenit. In iis apocryphis etsi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est in eis canonica auctoritas, quę rectè à prudentibus iudicantur non esse eorũ credenda, quibus ascribuntur. Nam multa & sub nominibus prophetarum, & recentiora sub nominibus apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine apocryphorum auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.

De bibliothecis interpretibus & interpretationibus librorum veteris Testamenti.

CAP. III.

Bibliotheca à Græco nomen accepit, eo quòd ibi recondantur libri. Nam βίβλιον librum, θήκη repositionem interpretatur. *Bibliothecam veteris testamẽti* Esdras scriba post incensam legem à Chaldæis, dum Iudæi regressi fuissent in Hierusalem, diuino afflatus spiritu reparauit, cunctáque legis ac prophetarũ volumina, quæ fuerunt à gentibus corrupta correxit, totúmque vetus testamentum in viginti duos libros constituit, vt tot libri essent in lege, quot & literæ habebantur. *Apud Græcos* autem *Bibliothecam* primus instituisse *Pisistratus* creditur, Atheniensiũ tyrannus, quam deinceps ab Atheniensibus auctã Xerxes incensis Athenis euexit in Persas, longóq; post tempore Seleucus Nicanor rursus in Græciam retulit. Hinc studiũ regibus vrbibusque cæteris natum est comparandi volumina diuersarum gentium, & per interpretes in Græcam linguã vertendi. dehinc magnus Alexander vel successores eius instruendis omnium librorum bibliothecis animũ intenderunt, maximè *Ptolemæus* cognomento *Philadelphus* omnis literaturæ sagacissimus, cùm studio bibliothecarum Pisistratum æmularetur, non solũ scripturas, sed etiam & diuinas literas in bibliothecam suam contulit. Nam septuaginta milia librorum huius temporibus Alexandriæ inuenta sunt.

De interpretibus. CAP. IV.

Hic etiam & ab Eleazaro pontifice scripturas petens veteris Testamenti, in Græcam vocem ex Hebraica lingua per

Septuaginta interpretes transferre curauit: quas in Alexandrina bibliotheca habuit. Siquidem singuli in singulis separati, ita omnia per Spiritum sanctum interpretati sunt, vt nihil in alicuius eorum codice inuentum esset, quod in cæteris vel in verborum ordine discreparet. Fuerunt & alij interpretes, qui ex Hebraica lingua in Græcum sacra eloquia transtulerunt. sicut *Aquila. Symmachus,* & *Theodotion.* sicut etiam & *Vulgaris* illa *interpretatio,* cuius autor non apparet: & ob hoc sine nomine interpretis. *Quinta editio* nuncupatur. Præterea *sextam* & *septimam editionē* Origenes miro labore reperit, & cum cæteris editionibus comparauit. *Presbyter* quoque *Hieronymus* trium linguarum peritus: ex Hebræo in Latinum eloquium easdem scripturas conuertit, eloquentérque transfudit. Cuius interpretatio merito cæteris antefertur. Nam est & verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior, atque vtpote Christiana interpretatione verior.

De eo qui primum Romam libros aduexit.
CAP. V.

ROmæ primus librorum copiam aduexit Æmilius Paulus, Perse Macedonum rege deuicto, deinde Lucullus è Pontica præda. Post hos Cæsar dedit Marco Varroni negotium causa maxime bibliothecæ construendæ. Primum autem Romæ bibliothecas publicauit. Pollio, Græcas simul atque Latinas, additis autorum imaginibus in atrio quod de manubiis magnificentissimum instruxerat.

Qui apud nos bibliothecas instituerunt.
CAP. VI.

APud nos quoque *Pamphilus Martyr,* cuius vitam Eusebius Cæsariensis conscripsit, Pisistratum in sacræ bibliothecæ studio adæquare primus contendit. Hic enim in bibliotheca sua prope triginta voluminum milia habuit. *Hieronymus* quoque atq; *Gennadius* ecclesiasticos scriptores toto orbe quærentes ordine prosecuti sunt, eorúmque studia in vno voluminis indiculo comprehenderunt.

Qui multa scripserunt.
CAP. VII.

MArcus Terentius Varro apud Latinos innumerabiles libros scripsit. Apud Græcos quoque *Caliterus* miris attollitur laudibus, quod tantos libros ediderit, quātos quisque nostrum aliena & scribere propria manu vix possit. De nostris quoq; apud Græcos *Origenes* in scripturarum labore tā Græcos quam Latinos operum suorum numero superauit. Denique Hieronymus sex milia librorum eius se legisse fatetur. Horum tamen omnium studia Augustinus ingenio vel sciētia sua vicit. Nam tanta scripsit, vt diebus ac noctibus non solùm scribere libros eius quisquam, sed nec legere quidem possit.

De generibus opusculorum.
CAP. VIII.

OPusculorum genera sunt tria. Primū genus excerpta sunt: quæ Græcè *scholia* nuncupantur, in quibus ea quæ videntur obscura vel difficilia, summatim ac breuiter perstringuntur. Secundum genus, *homeliæ* sunt, quas Latini verba appellant, quæ proferuntur in populis. Tertium, *tomi:* quos nos libros vel volumina nūcupamus. *Homeliæ* autem ad vulgus loquuntur: tomi verò, id est libri maioris sunt disputationis. *Dialogus* est collatio duorum vel plurimorum, quem Latini sermonem dicunt. Nam quos Græci dialogos vocant, nos sermones vocamus. *Sermo* autem dictus, quia inter vtrunque seritur. Vnde & in Virgilio, Multa inter se longo sermone serebant. *Tractatus,* est vnius rei multiplex expositio, eo quòd trahat sensum in multa, tentiendo, contractando secum. Differt autem sermo, tractatus, & verbum. *Sermo* enim altera eget persona, *tractatus* specialiter ad seipsum est: *verbum* autem ad omnes. Vnde & dicitur, Verbum fecit ad populum. *Commentaria* dicta quasi, cum mente. Sunt enim interpretationes, vt commenta iuris, commenta euangelij. Nam quicquid breuiter componitur commentarium dicitur, quod vero elongatur expositio nominatur. *Apologeticum* est excusatio, in quo solent quidam accusantibus respondere. In defensione enim aut negatione sola positum est, & est nomen Græcum. *Panagiricum* est licētiosum & lasciuiosum genus dicendi in laudibus regum, in cuius compositione homines multis mendaciis adulantur. Quod malum a Græcis exortum est, quorū leuitas instructa dicendi facultate & copia incredibili multas mendaciorum nebulas suscitauit. *Fastorum libri* sunt, in quibus reges vel consules scribuntur, a fascibus dicti, id est potestatibus. Vnde & Ouidij libri Fastorum dicuntur, quia de regibus & consulibus editi sunt. *Prœmiū* est initium dicendi. Sūt enim prœmia principia librorum, quæ ante causæ narrationem ad instruendum audientium aures coaptantur. Cuius nomen plerique latinitatis periti sine translatione posuerunt. Hoc autem vocabulum apud nos interpretatum, præfatio nuncupatur, quasi prælocutio. *Præcepta* sunt, quæ aut quid faciendum, aut quid non faciendum sit docent. Quid faciendum, vt Di-

lige Deum tuum: & honora patrem tuum,& matrem tuam. Quid non faciendum,vt, Non mœchaberis,non furtum facies. Similiter & gentilium præcepta vel iubent vel vetant. Iubent faciendum, vt Nudus ara, sere nudus. Vetant, vt Néve inter vites corilum sere,néve flagella, Summa pete. Primus autem præcepta apud Hebræos Moyses scripsit: apud Latinos Martius vates primus prȩcepta composuit. Ex quibus est illud, Postremus dicas, primus taceas. *Parabola* & *problemata* nominibus suis indicant altius se perscrutari oportere. Parabola quippe alicuius rei similitudinem per se gerit. quod licet sit vocabulum Græcum, iam tamen pro Latino vsurpatur. Et notum est quòd in parabolis quæ dicuntur per rerum similitudines, rebus de quibus agitur comparantur. *Problemata* autem quæ Latinæ appellantur propositiones, quæstiones sunt habentes aliquid quod disputatione soluendũ sit. *Quæstio* aut est quæsitio cùm quæritur, an sit, aut quid sit, aut quale sit. *Argumentum* verò dictum quasi argutum, vel quasi argutè inuentum, ad comprobandas res. *Epistolam* propriè Græci vocant, quod interpretatur Latinè missa. Antè cartæ & membranarum vsum, in dolatis ex ligno codicellis epistolarum colloquia scribebantur. Vnde & portitores earum *tabellarios* vocauerunt.

De ceris. CAP. IX.

CEra literarum materies paruulorum nutrices. Ipsæ dant ingeniũ pueris primordia sensus, quarum studium primi Græci tradidisse produntur. Græci enim & Tusci primùm ferro in ceris scripserunt. posteà Romani iusserunt, ne graphium ferreum quis haberet. Vnde & apud scribas dicebatur. *Ceram ferro ne cadito.* postea institutum est, vt in cera ossibus scriberent, sicut indicat Atta in satyra dicens, Vertamus vomerem in ceram mucronéque aremus Osseo. *Graphium* autem Græcè: Latinè *scriptorium* dicitur. Nam γραφὴ dicitur scriptura.

De cartis. CAP. X.

CArtarum vsum primum Ægyptus ministrauit, cæptum apud Memphiticam vrbem. Memphis namque ciuitas Ægyptiorum est. vbi cartæ vsus inuentus est primum, sicut ait Lucanus. Conficitur bibiola Mẽphitis carta papiro. *Bibulam* autem *papirum* dixit quòd humorem bibat. *Carta* autẽ dicta, quòd carptim papiri tegmen decerptum glutinatur. Cuius genera quàm plura sunt. Prima & præcipua *Augustea regia* maioris formæ in honorem Octauiani Augusti appellata secunda *Lybiana* ad honorem Lybiæ prouinciæ, tertia *hieratica* dicta, eo quòd ad sacros libros eligebatur, similis Augusteæ, sed subcolorata. Quarta *Teneotica* à loco Alexandriæ qui ita vocatur vbi fiebat. Quinta *Saltica* ab oppido Salo. sexta *Corneliana* à Cornelio Gallo præfecto Ægypti primùm cõfecta. septima *emporetica*, quod ea merces inuoluũtur, cùm sit scripturis minus idonea.

De pergamenis. CAP. XI.

PErgameni reges cùm carta indigerent, membranas primò excogitauerunt. Vnde & *pergamenarum* nomen hucusque tradente posteritate sibi seruatum est. Hæc & *membrana* dicuntur, quia ex membris pecudum detrahuntur. Fiebant autem primùm *coloris lutei*, id est crocei, postea verò Romæ *candida membrana* reperta sunt: quòd apparuit inhabile esse: quòd & facile sordescant, aciémque legentium lędant cum peritiores architecti neque aurea lacunaria ponenda in bibliothecis putent, neque pauimenta alia quàm eucaristeo marmore, quòd auri fulgor hebetat. & eucharisti viriditas reficiat oculos. Nam & qui nummulariam discunt, denariorum formis mirteos pannos subiiciunt, & gemmarum sculptores. scarabæorum terga quibus nihil est viridius subinde respiciunt. & pictores idem faciunt vt laborem visus corum viriditate recreent. *Membrana* autẽ aut *candida*: aut *lutea*: aut *purpurea* sunt. *Candida* naturaliter existunt. *Luteum membranum* bicolor est: quòd à confectore vna tingitur parte, id est crocatur. de quo Persius, Iam liber & positis bicolor membrana capillis. *Purpurea* verò inficiuntur colore purpureo in quibus aurum & argentum liquescens, patescat in literis.

De libris conficiendis. CAP. XII.

QVædam nomina librorum apud gentiles certos modulis conficiebantur. breuiore forma, carmina atque epistolæ. At verò historiæ maiore modulo scribebantur. & nõ solùm in carta vel membranis, sed etiam & in momẽtis elephantinis textilibúsque maluarum foliis atque palmarum. Cuius generis Cinna sic meminit, Hęc tibi areteis multum inuigilata lucernis Carmina, quæ ignes nouimus aereos, Leuis inaridulo maluæ descripta libello Persica vexi. munera nauicula. Circumcidi libros Siciliȩ primum increbruit. Nam initio pumicabantur. Vnde & ait Catulius, Cui dono lepidum nouum libellum Arido modo pumice expolitum?

De librorum vocabulis. CAP. XIII.

COdex multorum librorũ est: liber vnius voluminis. Et dictus codex, per translationem

lationem à corticibus arborum, seu vitium, quasi caudex: quòd in se multitudinem librorum quasi ramorum contineat. *Volumen*, liber est à voluendo dictus: sicut apud Hebræos volumina legis, volumina prophetarum. *Liber*, est interior tunica corticis quæ ligno cohæret, in qua antiqui scribebant. De quo Virgilius, Sic alta liber hæret in vlmo. Vnde & liber dicitur in quo scribimus: quia ante vsum cartæ membranorum libris arborum volumina fiebant, id est compaginabantur. Vnde & scriptores à libris arborum *librarios* vocauerunt.

De librariis & eorum instrumentis.

Cap. XIIII.

Librarios, constat ante *bibliopolas* dictos. Librum enim Græci *βίβλον* vocant. *Librarij* autem, idem & antiquarij vocantur: sed & librarij sunt qui & noua & vetera scribunt, *antiquarij* qui tantummodo vetera, vnde & nomen sumpserunt. A scribendo autem *scriba* nomen accepit: officium exprimens vocabuli qualitate. Instrumenta scribæ, *calamus* & *penna*. Ex his enim verba paginis infiguntur: sed *calamus* arboris est, *penna* auis, cuius acumen diuiditur in duo: in toto corpore vnitate seruata, credo propter mysterium, vt in duobus apicibus vetus & nouum Testamentum signaretur, quibus exprimitur verbi sacramentum sanguine passionis effusum. Dictus autem *calamus* quod liquorē ponat. Vnde & apud nautas *calare* ponere dicitur. *Penna* autem à pēdendo vocata, id est volando. Est enim, vt diximus, auium. *Folia* autem librorum appellata: siue ex similitudine foliorum arborum: seu quia ex *follibus* fiunt, id est, ex pellibus quæ de occisis pecudibus detrahi solent: cuius partes *pagina* dicuntur, eo quòd sibi inuicem compingantur. *Versus* autem vulgò vocati: quia sic scribebant antiqui sicut aratur terra. A sinistra enim ad dexteram primùm deducebant stilum: deinde conuertebantur ab inferiore & rursum ad dexteram versus: quos & hodie rustici versus vocant. *Scheda*, est quod adhuc emendatur, & necdum in libris redactum est, & est nomen Græcum, sicut & *tomus*.

De Canonibus Euangeliorum.

Cap. XV.

Canones *Euangeliorum*, Ammonius Alexandriæ Episcopus primus excogitauit, quem postea Eusebius Cæsariensis secutus plenius composuit. Quia ideò facti sunt: vt scire & inuenire possimus, qui reliquorum Euangelistarum similia aut propria dixerunt. Sunt autem numero decem, quorum *primus* continet numeros, in quibus quatuor eadem dixerūt: Matthæus, Marcus Lucas & Ioannes. *Secundus*, in quibus tres, Matthæus, Lucas Marcus. *Tertius*, in quibus tres, Matthæus, Lucas & Iohannes. *Quartus*, in quibus tres, Matthæus, Marcus, Iohannes, *Quintus*, in quibus duo, Matthæus, Lucas. *Sextus*, in quibus duo, Matthæus, Marcus. *Septimus*, in quibus duo, Matthæus Iohannes. *Octauus*, in quibus duo, Lucas, Iohannes. *Decimus*, in quibus singuli eorum propria quædam dixerunt: quorum expositio hæc est. Per singulos enim Euangelistas numerus quidam capitulis affixus adiacet, quibus numeris subdita est era quædam minio notata: quæ iudicat in quoto canone positus sit numerus, cui subiecta est era. Verbi gratia: Si est era prima: in primo canone; si secunda in secundo: si tertia in tertio, & sic per ordinem vsque ad decimum peruenies. Si igitur aperto quolibet Euangelio placuerit scire qui reliquorum Euangelistarum similia dixerunt, assumes adiacentem numerum capituli, & requires ipsum numerum in suo canone quem indicat, ibíque inuenies qui & quid dixerunt, & ita demùm in corpore inquisita loca, quæ ex ipsis numeris indicantur per singula Euangelia de eisdem dixisse inuenies.

De Canonibus Conciliorum.

Cap. XVI.

Canon autem Grecè, Latinè regula nuncupatur. *Regula* autem dicta, quòd rectè ducit, nec aliquando aliorsum trahit. Alij dixerunt regulam dictam vel quòd regat, vel quòd normam rectè viuendi præbeat, vel quia distortum prauúmque corrigat. *Canones* autem *generalium Conciliorum* à tēporibus Constantini cœperunt. In præcedentibus namque annis, persecutione feruente, docendarum plebeium minimè dabatur facultas. Inde Christianitas in diuersas hæreses est scissa: quia non erat licentia episcopis in vnum conuenire, nisi tempore supradicti Imperatoris. Ipse enim dedit facultatem Christianis liberè congregari. Sub hoc etiam sancti Patres in concilio Nicæno de omni orbe terrarum conuenientes: iuxta fidem Euangelicam & Apostolicam secundum post Apostolos tradiderunt symbolum. Inter cætera autem concilia quatuor esse scimus venerabiles synodos: quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor Euangelia, vel totidem paradisi flumina. Harum *prima Nicæna synodus* trecentorum octodecim episcoporum Constantino Augusto imperante peracta est. In qua Arianæ perfidiæ condemnata blasphemia, quam de inæqualitate sanctæ Trinitatis idem Arius asserebat: con-

substantialem Deo patri Deum filium eadem sancta synodus per symbolum definiuit. *Secunda* synodus centum quinquaginta patrum sub Theodosio seniore *Constantinopoli* congregata est, quæ Macedonium Spiritum sanctum Deum esse negantem, condemnans, consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum demonstrauit, dans symboli formam, quam tota Græcorum & Latinorum confessio in Ecclesiis prædicat. *Tertia* synodus *Ephesina prima*, ducentorum Episcoporum sub iuniore Theodosio Augusto edita est, quæ Nestorium duas personas in Christo asserentem iusto anathemate condemnauit: ostendens manere in duabus naturis, vnam Domini nostri Iesu Christi personam. *Quarta* synodus *Chalcedonensis* sexcentorum triginta sacerdotum sub Martiano principe habita est, in qua Eutychem Constantinopolitanum abbatem Verbi Dei & carnis vnam naturam pronuntiantem & eius defensorem Dioscorum quondam Alexandrinum Episcopum, & ipsum rursum Nestorium cum reliquis hæreticis vna Patrum sententia prædamnauit, prædicans eadem synodus Christum Dominum de virgine sic natum, vt in eo substantiam diuinæ & humanæ confiteamur naturæ. Hæ quatuor sunt synodi principales, fidei doctrinam plenissimè prædicantes: sed & si qua sunt concilia quæ sancti Patres spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore: quorum gesta in hoc opere condita continentur. *Synodus* autem ex Græco interpretatur comitatus vel cœtus. *Concilij* autem nomen tractum est ex Romano more. Tempore enim quo causæ agebantur, conueniebant omnes in vnum, communíque intentione tractabant. Vnde & concilium à communi intentione dictum. Nam *cilia* oculorum sunt. Vnde & *considium*, id est, consilium, d in s. literam transeunte. *Cœtus* verò conuentus est, vel congregatio à coeundo, id est, conueniendo in vnum. Vnde & conuentus est nuncupatus: sicut à conuentu cœtus vel concilium à societate multorum in vnum.

De cyclo Paschali.
Cap. XVII.

Paschalem *cyclum*, Hyppolitus Episcopus temporibus Alexandri Imperatoris primus conscripsit. Post quem probatissimi authores Eusebius Cæsariensis, Theophilus Alexandrinus, Prosper quoque natione Aquitanus atque Victorinus amplificatis eiusdem festiuitatis rationibus, multiplices circulos ediderunt. Cuius quidem rationem beatissimus Cyrillus Alexandriæ vrbis Episcopus in xcv. annos per quinquies decem nouies calculans: quoto Kalendas vel luna debeat paschalis solennitas celebrari, summa breuitate notauit. *Cyclus* autem vocatus, eo quod in orbe digestus sit & quasi in circulo dispositum ordinem complectatur annorum sine varietate, & sine vlla arte. Vnde factum est, vt cuiusque materiæ *carmina* simplici formitate facta *cyclica* vocarentur. Hinc & *laterculum* dictum, quòd ordinem habeat stratum annorum.

Primus cyclus decem Nouenalis.

B.Com.an ij.Idus	April.	xx.
C, vj.Kal.	April.	xvi.
Em. xvi.kal.	Maii	xvii.
C.vi.Idus	April.	xx.
B.C.ix.Kal.	April.	xv.
E.ii. Idus	April.	xvi.
C.ii.Non.	April.	xix.
E.viiii.Kal.	Maii	xx.
B.C.v.Idus	April.	xv.
C.ii.kal.	April.	xviii.
E.xii.Kal.	Maii	xix.
C.Non.	April.	xv.
B.C.v.Kal.	April.	xvii.
E.xvi.kal.	Maii	xvi.
C.xvi.Idus	April.	xxi.
C.ix Kal.	April.	xvii.
B.E.Idus	April.	xvii.
C.ii.Non.	April.	xx.
E.viii.kal.	Maii	xxi.

Secundus cyclus Luna.

		Luna
C.v.Idus	April.	xviii.
B.ii.kal.	April.	xx.
E.xii. kal.	kal.Maii	xxi.
C.Non.	April.	xvii.
C.v.Kal.	April.	xx.
B.E.xvi. kal.	Maii	xx.
C. kal.	April.	xvi.
E.xi.Kal.	Maii	xvii.
C.Idus.	April.	xx.
B.C.V. Kal.	April.	xv.
E.xv.kal.	Maii	xvi.
C.v.Idus	April.	xx.
C.viii. kal.	April.	xv.
B.Idus	April.	xv.
C.Non.	April.	xviii.
C.v.Kal.	April.	xxi.
E.iv.Idus	April.	xv.
B.C.kal.	April.	xvii.
E. xi.kal.	Maii	xviii.

Tertius cyclus luna.

		Luna.
C.viii.Idus.	April.	xv.
C.iv. Kal.	April.	[illegible]
B.xv.kal.	Maii	
C.v.Idus.	April.	

C.viij.Kal.	April.	xvij.
F.xviii.kal.	Maij	xviij.
B.C.Non.	April.	xx.
E.vii.Kal.	Maij	xxj.
C.viii.Idus	April.	xvii.
C.iiii.Non.	April.	xx.
B.E.xi.Kal.	Maij	xx.
C.viii.Idus	April.	xvi.
C.iiii.Kal.	April.	xix.
E.xiiii kal.	Maij	xx.
B.C.iiii.Non.	April.	xv.
C.viii.Kal.	April.	xviii.
E.xviii.Kal.	April.	xviii.
C.iii.Kal.	Maij	xix.
B.E.xiiii.Kal.	April.	xv.

Quartus cyclus lunæ.

		Lunæ.
C.iii.Idus	April.	xix.
C.vii Kal.	April.	xv.
E.xviii.kal.	Maij	xvi.
B.C.viii.Idus	April.	xviii.
C.iiii.Kal.	April.	xxi.
E.iii.Idus	April.	xv.
C.iii.Non.	April.	xviii.
B.E.x.Kal.	Maij	xviii.
C.xviii.Kal.	Maij	xxi.
C.iii.Kal.	April.	xvii.
E.xiii.Kal.	Maij	xviii.
B.C.iiii.Idus	April.	xx.
C.vii.Kal.	April.	xvi.
E.xvii.Kal.	Maij	xvi.
C.vii.Idus	April.	xx.
B.C.xi.Kal.	April.	xv.
E.iii.Idus	April.	xvi.
C.iii.Non.	April.	xix.
E.ix.Kal.	Maij	xx.

Quintus cyclus lunæ.

		lunæ.
B.C.vii.Idus	April.	xvi.
C.iii.kal.	April.	xix.
E.xiii.Kal.	Maij	xx.
C.ii.Non.	April.	xxi.
B.C.vii.kal.	April.	xvii.
E.xvii.Kal.	Maij	xix.
C.ii.Kal.	April.	xv.
E.xii.Kal.	Maij	xvi.
B.C.iii.Idus	April.	xviii.
C.iii.Non.	April.	xxi.
E.xvi.Kal.	Maij	xv.
C.vi.Idus	April.	xviii.
B.C.iii.Kal.	April.	xx.
E.xiii.Kal.	Maij	xxi.
C.ii.Non.	April.	xvii.
C.vi.Kal.	April.	xx.
B.E.xvii.Kal.	Maij	xx.
C.ii.Kal.	April.	xvi.
E.xii.Kal.	Maij	xvii.

A conditione mundi vsque adhuc nouissimum cycli annum computantur anni VMdccccxx. post cuius expletionem ad primum exordium recurrendũ. Antiquitus ecclesia pascha decima quarta luna cum Iudęis celebrabatur, quocunq; die occurreret. Quẽ ritum sancti Patres in Nicæna synodo prohibuerunt, constituentes non solùm lunam paschalem & mensem inquirere, sed etiam & diẽ resurrectionis Dominicæ obseruare: & ob hoc pascha à decima quarta luna vsque ad vigesimam primam extenderunt: ne dies Dominicus omitteretur. *Pascha* autem vocabulum non Græcum, sed Hebraicum est. nec à passione, quoniam πάσχειν Græcè dicitur pati: sed à transitu Hebræo verbo pascha appellatum est, eò quòd tunc populus Dei ex Ægypto transierit. Vnde & in Euangelio: Cùm vidisset, inquit Iesus, quòd venit eius hora vt transiret de mundo ad Patrem. Cuius nox ideò *peruigil* ducitur, propter aduentum regis ac Domini nostri, vt tempus resurrectionis eius nos non dormientes, sed vigilantes inueniat: cuius noctis duplex ratio est: siue quòd in eadem tunc vitam recepit cùm passus est, siue quòd postea eadem hora qua resurrexerit, ad iudicandum venturus est. Eo autem modo agimus pascha, vt non solùm mortẽ & resurrectionem Christi in memoriam reuocemus: sed etiam cætera quæ circa eum attestantur, ad sacramentorum significationem inspiciamus. Propter initium enim nouæ vitæ, & propter nouum hominem quẽ iubemur induere & exuere veterem: expurgamus vetus fermentum, vt simus noua conspersio: quoniam pascha nostrum immolatus est Christus. Propter hanc ergo vitæ nouitatẽ primus mensis nouorum in anni mensibus celebrationi paschali mysticè attributus est. Quòd verò tertiæ hebdomadæ die pascha celebratur, id est, qui dies occurrit à decima quinta luna vsque in vicesimam primam, hoc significat: quia in toto tempore seculi quòd septenario dierum numero agitur, nũc tertium tempus hoc sacramentum apparuit. Primum enim tempus est *ante legẽ*; secundũ *sub lege*: tertiũ *sub gratia*. Vbi iã manifestatũ est sacramentũ prius occultum in prophetico ænigmate: ideò & propter hæc tria seculi tempora resurrectio Domini triduana est. Quòd verò à quarta decima luna vsq; ad vigesimam primam per dies septem paschalis dies quæritur: hoc fit propter ipsum *numerum septenarium*, quo vniuersitatis significatio sæpe figuratur, quæ etiam ipsi ecclesiæ tribuitur propter instar vniuersitatis: vnde & Ioannes Apostolus in Apoc. vii. scribit ecclesiis. Ecclesia verò in ista adhuc mortalitate carnis constituta propter ipsam mutabilitatem, lunæ nomine significatur in Scripturis. Varia autem obseruantia opinionem pas-

chalis festiuitatis interdũ errorem gignit. Latini namque à tertio Non. Martij vsque in tert. Non. Aprilis primi mensis lunam inquirunt, & si decimaquarta luna die Dominico prouenerit, in alio die Dominico pascha pertrahunt. Græci primi mensis lunam ab octauo idus Martias vsque in diem nonarum Aprilium obseruant: & si decimaquarta luna die Dominico incurrerit, sanctum pascha celebrant. Huiusmodi igitur dissensio inter vtrosque paschalem regulam turbat. *Communis annus* dicitur qui tantùm lunationes, hoc est, dies cccliiij. habet. Dictus autem communis: quia sæpe duo coniuncti incedunt, vt inuicem se in paschali solennitate sequantur. Nã embolismus annus est semper solus. *Embolismus* annus est, qui tredecim menses lunares, i. ccclxiiij. dies habere monstratur. Ipse est annus sannus sancto Moysi diuinitus reuelatus, in quo iubentur ij qui longiùs habitant in secundo mense pascha celebrare. Embolismus autem nomen Græcum est, quod interpretatur Latinè superaugmentum, eò quòd expleat numerum annorum communium: quibus vndecim lunares dies deesse cernuntur. Embolismi autem anni & communes sic inueniuntur. Si enim à decima quarta luna paschæ præcedentis vsque ad decimam quartam sequentis ccclxiiij. dies fuerint, embolismalis ann⁹ est. si cccliiij. communis. *Bisextus* est post annos quatuor vnus dies adiectus. Crescit enim per singulos annos quarta pars assis, id est, duodecim horæ. At vbi quarto anno assem compleuerit, bisextilem annum facit. Dictus autem bisextus, quia bis sexies ductus assem facit: quod est vnus dies, sicut quadrantem propter quater ductum, quod est bisextus: quem super dierum cursum in anno sol facit: siue quòd nequeat annum subintroducere: nisi bisextæ nonas Mart. computaueris, hoc & prima die sex. non. Mart. & addito bis sexto alio die sexta non Mart. iteraueris. A sexto autem non. Mart. vsque in diem pridie Kal. Ianuarias in lunæ cursu bisextus apponitur, atque inde detrahitur. *Intercalares* autem *dies* idcirco vocantur: quia interponuntur, vt ratio lunæ solisque conueniat. Calare enim ponere dicitur: intercalare interponere. *Epactas* Græci vocant, Latini adiectiones annuas lunares, quæ per vndenarium numerum vsque ad tricenarium in se resoluantur. Quas ideò Ægyptij adiiciunt vt lunaris emensio rationi Solis æquetur. Luna enim iuxta cursum suum vigintinouem semis dies lucere dignoscitur, & fiunt in annum lunares dies cccliiij. remanent ad cursum anni solares dies vndecim, quas Ægyptij adiiciunt. Vnde & *adiectiones* vocantur: absque his nõ inuenies Lunam quota sit in quolibet anno & mense & die. Istæ epactæ semper xi. Kal. April. reperiuntur in eadem luna quæ fuerit eo die. Continentur autem circulo decemnouenali: sed cùm ad xxix. epactas peruenerit, qui est circulus decemnouenalis, iam sequenti anno non addes super vigintinouem, vndecim, vt decem annuncies detractis triginta, sed inde reuerteris vt vndecim pronuncies.

De reliquis festiuitatibus.

Cap. XVIII.

FEstiuitas dicta à festis diebus, quasi festiditas, eò quòd in eis sola res diuina fit. Quibus contrarij sunt fasti, in quib. ius fatur, i. dicitur. *Solennitas* à sacris dicitur, ita suscepta, vt mutari ob religionem non debeat: à solito, i. firmo atque solido nominata. *Celebritas* autem nominatur, quòd non ibi terrena, sed cœlestia tantùm agantur. *Pascha* festiuitatem omnium prima est, de cuius vocabulo iam superius dictum est. *Pentecoste* sicut & pascha apud Hebræos celebris dies est, quòd post quinque decades paschæ celebratur: vnde & vocabulum sumpsit. πέντε enim Græcè quinque in quo die secundum legem panes Propositionis de nouis frugibus offerebãtur. Cuius figuram annus iubileus in testamento veteri gessit: quæ nunc iterum per figurã repromissionis æternam requiẽ præfigurat. *Epiphania* Græcè, Latinè apparitio siue manifestatio vocatur. Eo enim die Christus sideris iudicio apparuit Magis adorandus. Quod fuit figura primitiæ credentiũ gentium. Quo die & dominici baptismatis sacramentum, & permutatæ in vinum aquæ factorum per dominum signorũ principia extiterunt. Duę sunt autẽ *epiphaniæ: prima*, in qua natus Christus pastoribus Hebręorum angelo nunciante apparuit: *secunda*, in qua ex gentium populis stella indice præsepis cunabula Magos adoraturos exhibuit. *Scenopegia* solẽnitas Hebræorum, de Græco in Latinum, tabernaculorũ dedicatio interpretatur: quæ celebratur à Iudæis in memoriam expeditionis, cùm ab Ægypto promoti in tabernaculis agebant, & ex eo scenopegia dicitur. σκηνὴ enim Græcè, Latinè tabernaculum dicitur. Quæ solennitas apud Hebræos Septembri mense celebrabatur. *Neomenia* apud nos Kalendæ, apud Hebræos autem (quia secundum lunarem cursum menses supputantur) & Græcè μήνη luna appellatur: inde neomenia, id est, noua luna. Erãt enim apud Hebręos ipsi dies Kalendarum ex legali institutione solemnes: de quibus dicitur in Psalmo: Canite initio mensis tuba, in die insigni solemnitas vestra.

Encania

Encænia autem est noua templi dedicatio, Græcè enim καινὸν dicitur nouum. Quando enim aliquid nouum dedicatur, encænia dicitur. Hanc dedicationis templi solennitatem Iudæi Octobri mense colebant. *Dies palmarum* ideo dicitur, quia in eo Dominus & saluator noster, sicut Propheta cecinit, Hierusalem tendens asello sedisse perhibetur. Tunc gradiens cum ramis palmarum multitudo plebeium obuiam ei clamauerunt: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel. Vulgus autem ideo diem hunc *Capitilauium* vocant: quia tunc moris est, lauandi capita infantium, qui vngendi sunt: ne obseruatione quadragesimæ sordidata, ad vnctionem accederent. hoc autem die symbolum competentibus traditur propter confinem Dominicæ paschæ solennitatem: vt qui iam ad Dei gratiam percipiẽdam festinant, fidem quam confitẽtur agnoscant. *Cœna Dominica* dicta est, eo quòd in illo die Saluator pascha cum discipulis suis fecerit, quod & vsque hodie sicut est traditum celebratur, sanctúmque in eo chrisma conficitur. *Sabbatum*, ab Hebræis ex interpretatione vocabuli sui requies nominatur: quod Deus in ipso, perfecto mundo, requieuisset. Siquidem & eo die requieuit in sepulchro Dominus: vt quietis illius mysteriũ confirmaret: quod Iudæis obseruandum in vmbra futuri præceptum est. Sed postquã Christus in sepultura sua eius figuram adimpleuit, obseruatio eius quieuit. *Dominicus dies* proinde vocatur: quia in eo resurrectionis Domini nostri gaudium celebratur. Qui dies non Iudæis, sed Christianis in resurrectionem Domini declaratus est, & ex illo cepit habere festiuitatem suam. Illis enim solum celebrandum sabbatum traditum est: quia erat ante requies mortuorum: resurrectio autem illius erat: qui resurgens à mortuis nõ moreretur. Postquam autẽ facta est talis resurrectio in corpore Domini, vt præiret in capite Ecclesiæ, quod corpus Ecclesię speraret in fine, iam dies Dominicus, id est octauus, qui & primus, celebrari cœpit.

De officiis. CAP. XIX.

Officiorum plurima sunt genera: sed præcipuum illud quod in sacris diuinísque rebus habetur. Officium autem ab efficiendo dictum, quasi efficium: propter decorem sermonis vna mutata litera: vel certè vt quisque illa agat, quæ nulli officiãt, sed prosint omnibus. *Vespertinum officium*, est in noctis initio vocatum, à stella vespere quæ surgit oriente nocte. *Matutinum* verò *officium*, est in lucis initio à stella lucifero appellatum, quæ inchoante manè oritur. Quorum duorum temporum significatione ostenditur, vt die ac nocte semper Deus laudetur. *Missa*, tempore sacrificij est: quando cathecumeni foras mittuntur, clamante leuita, *Si quis cathecumenus remansit, exeat foras.* & inde missa: quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur. *Chorus*, est multitudo in sacris collectus & dictus chorus, quòd initio in modum coronæ circa aras starent & ita psallerent. Alij chorum dixerunt à concordia, quæ in charitate consistit, quia si charitatem non habeat, respondere conuenienter non potest. Cùm autem vnus canit Græcè *monodia*, Latinè *sicinium* dicitur: cùm verò duo canunt, *bicinium* appellatur: cùm multi, *chorus*. Nam *chorea* ludicrum cantilenæ, vel saltationes classium sunt. *Antiphona*, ex Græco interpretatur vox reciproca: duobus scil. choris alternatim psallentibus ordine commutato: siue de vno ad vnum. quod genus psallendi Græci inuenisse traduntur. *Responsoria* Itali tradiderunt. Quod carmen inde *responsorios cãtus* vocãt, quòd alio desinẽte id alter respondeat. Inter responsorios autem & antiphonas hoc differt, quòd in *responsoriis* vnus versum dicit: in *antiphonis* autem versibus alternant chori. *Lectio*, dicitur, quia nõ cantatur vt psalmus vel hymnus: sed legitur tantùm. Illic enim modulatio, hîc sola pronunciatio quæritur. *Canticum*, est vox cantantis in lætitiam. *Psalmus* autem dicitur, qui cantatur ad Psalterium, quo vsum esse prophetam Dauid in magno mysterio prodit historia. Hæc autem duo in quibusdam Psalmorum titulis iuxta musicam artem alternatim sibi apponuntur. Nam *canticũ Psalmi* est id quod cùm organum modulatur, vox postea cantantis eloquitur. *Psalmus* verò canticũ quod humana vox præloquitur, ars organi modulantis imitatur. *Psalmus* enim à psalterio dicitur: vnde nec mos est ex alio opere eũ componi. Tres autem gradus sunt in cantando: *primus succentoris*: secũdus *incentoris*, tertius *accẽtoris*. *Diaplasma*, Hebræum verbum quidam esse volunt: quo significatur semper, id est, quòd illa quibus hoc interponitur sempiterna esse confirment. Quidam verò Græcum verbum existimant. quo significatur interuallũ psallendi: vt *psalma* sit quod psallitur: *diaplasma* verò interpositum in psallendo silentium: vt quemadmodum *sympsalma* dicitur vocum copulatio in cantãdo: ita *diaplasma* disiũctio earum, vbi quædã requies distinctæ cõtinuationis ostenditur. Vnde illud probabile est, non coniungendas sententias in psallendo, vbi diapsalma interposita fuerit: quia ideo interponitur vt conuersio sensuum vel personarum esse noscatur. *Hymnus*, est canticum laudantium, quod de Græco in Latinum interpretatur, pro eo, quod sit car-

men lætitiæ & laudis. Propriè autem hymni sunt continentes laudem Dei. Si ergo sit laus & non sit Dei, non est hymnus. si sit & laus & Dei laus & non cantetur, non est hymnus. Si ergo in laudem Dei dicitur, & cantatur, tunc est hymnus. Cui contrarium est *threnum*, quod est lamenti carmen & funeris. *Alleluia* duorum verborum interpretatio est, hoc est laus Dei, & est Hebræum. *Ia* enim vnum est de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur. *Amen* significat verè, siue fideliter, quod & ipsum Hebræum est. Quæ duo verba *amen* & *alleluia* nec Græcis, nec Latinis, nec barbaris licet in suam linguam omnino transferre: vel alia lingua annunciare. Nam quamuis interpretari possint: propter sanctiorem tamen autoritatem seruata est ab apostolis in iis propriæ linguæ antiquitas. Tantò enim sacra sunt nomina: vt etiam Iohannes in Apocalypsi referat se spiritu reuelante vidisse & audiuisse vocem cœlestis exercitus tanquam vocem aquarum multarum & tonitruum validorum dicentium: amen & alleluia: ac per hoc sic oportet in terris vtraque dici, sicut in cœlo resonant. *Osanna* in alterius linguæ interpretationem in toto transire non potest. O si enim saluifica interpretatur: anna interiectio est, motum animi significans sub deprecantis affectu. Integrè autem dicitur osianna: quod nos corrupta media vocali littera & elisa: dicimus osanna, sicut fit in versibus cùm scandimus. Litera enim prima verbi sequentis extremam prioris verbi veniens excludit, & dicitur Hebraicè osanna, quod interpretatur saluifica. subaudiendo vel populum tuum: vel totum mundum. *Offertorium*, tali ex causa sumpsit vocabulum. *Fertum* enim dicitur oblatio quæ alteri offertur, & sacrificatur à Pontificibus, à quo offertorium nominatur, quasi propter fertũ. *Oblatio*, vocatur: quia offertur. *Dona*, propriè Dei dicuntur: *munera* hominum. Nam *munera* dicuntur obsequia quæ pauperes diuitibus loco munerum soluunt. Ita *munus* homini datur: *donum* Deo. Vnde etiam in templis donaria dicimus. *Munera* autem vocantur: quia manibus vel accipiuntur, vel datur. Duo autem sunt quæ offeruntur, *donum & sacrificium*. *Donum*, dicitur quicquid argento auro que aut qualibet alia specie efficitur. *Sacrificium* autem est victima & quæcunque cremantur in ara, seu ponuntur. Omne autem quod Deo datur aut dedicatur, aut consecratur. *Quod dedicatur*: dicendo datur, vnde & appellatur. Vnde & errant qui *dedicationem* consecrationem putant significare. *Immolatio*, ab antiquis dicta, eo quòd in mole altaris posita victima cæderetur. Vnde & *mactatio* post immolationem est. Nunc autem immolatio panis & calici conuenit: libatio autem tantummodo calicis oblatio est. Hinc est illud: Et libauit de sanguine vuæ. sic & secularium quidam poetarum: Nunc, inquit, pateras libate Ioui —. *Libare* enim propriè fundere est. sumptumque nomen de Libero quodam qui in Græcia vsum reperit vitis. *Hostiæ*, apud veteres dicebantur sacrificia, quæ fiebant antequam ad hostem pergerent. *Victimæ* verò sacrificia, quæ post victoriam deuictis hostibus immolabantur. Et erant victimæ maiora sacrificia quàm hostiæ. Alij victimam dictam putauerunt: quia ictu percussa cadebat: vel quia vincta ad aras ducebatur. *Holocaustum* illud est, vbi totum igne consumitur quod offertur. Antiqui enim cùm maxima sacrificia administrarent, solebant totas hostias in sacrorum consumere flamma: & ipsa erant holocaustomata. ὅλον enim Græcè, totum dicitur. καῦσις incensio: & holocaustum totum incensum. *Cerimoniæ*, apud Latinos dicuntur sacra omnia, quæ apud Græcos Orgia vocantur. Propriè autem visum est doctoribus à carendo appellari *cerimonias*, quasi carimonias, eo quòd ea quæ in sacris diuinis offeruntur, in suo vsu carerent homines: quod etiam nomen in vsu est literarum sanctarum. Alij cerimonias propriè in obseruationibus Iudæorum credunt: abstinentiam scilicet quarundam escarum secundum veterem legem, eo quòd obseruantes careant his rebus, quibus se abstinuerint. *Sacrificium* dictum, quasi sacrum factum: quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicæ passionis: vnde hoc eo iubente corpus Christi & sanguinem dicimus, quòd dum sit ex fructibus terræ, sanctificatur, & fit sacramentum, operante inuisibiliter Spiritu Dei: cuius panis & calicis sacramentum Græci Eucharistian dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & sanguine Christi? Sacramentum, est in aliqua celebratione: cùm res gesta ita fit, vt aliquid significare intelligatur, quod sanctè accipiendum est. Sunt autem sacramenta, baptismũ & chrisma: corpus & sanguis Christi: quæ ob id sacramenta dicũtur: quia sub tegumẽto corporaliũ rerũ, virtus diuina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur: vnde & à secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur. Quæ ideò fructuosè penes Ecclesiam fiunt: quia sanctus in ea manens spiritus, eorundem latenter sacramentorum operatur effectum: vnde seu per bonos seu per malos ministros intra Dei Ecclesiam dispensentur: tamen quia Spiritus Sanctus mysticè illa viuificat: quæ quondam Apostolico in tempore, visibilibus apparebat operibus: nec bonorum meritis dispensatorum amplifi-

amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur, quia neque qui plantat est aliquid, neq. qui rigat, sed qui incrementũ dat Deus. Vnde & Græcè mysterium dicitur, quòd secretam & reconditam habet dispẽsationem. *Baptismum* Græcè, Latinè tinctio interpretatur, quæ idcirco tinctio dicitur, quia ibi homo spiritu gratiæ in melius immutatur, & lõgè aliud quàm erat, efficitur. Prius enim deformitate peccatorum fœdi eramus, in ipsa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum, vnde in Canticis scribitur canticorũ, Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Cuius mysterium non aliter nisi sub Trinitatis designatione, id est, Patris & Filij & Spiritus sancti cognominatione completur, dicente Domino ad apostolos, Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Sicut enim in tribus testibus stat omne verbum, ita hoc sacramentum cõfirmat ternarius numerus nominum diuinorum. Quod autem per aquam baptismũ datur, hęc ratio est. Voluit enim Dominus vt res illa inuisibilis, per congruens, sed profectò contractabile & visibile impenderetur elementum, super quod etiã in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut aqua purgatur exterius corpus, ita latẽter eius mysterio per Spiritum purificatur & animus. Cuius sanctificatio ita est. Inuocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cœlis. & medicatis aquis sanctificat eos de semet ipso & accipiũt v[illegible] [illegible] & in eis vt caro & anima de[illegible] [illegible] mandetur. *Chrisma* Græce [illegible] vnctio nominatur, ex cuius nomine [illegible] s dicitur, & homo post lauacrum sa[illegible] Nã sicut in baptismo peccatorũ [illegible], ita per vnctionem sanctifica[illegible] adhibetur, & hoc de pristina dis[illegible] qua vngi in sacerdotium & in regnũ [illegible], ex quo & Aaron à Moyse vnctus est. Quæ dum carnaliter fit, spiritualiter proficit, quomodo & in ipsa baptismi gratia, visibilis actus est quod in aqua mergimur, sed spiritualis effectus, quod delictis mundamur. Hoc significat illud vnguentum, quod peccatrix mulier super pedes, & ea quæ dicitur non fuisse peccatrix super caput Iesu fudisse scribitur. *Manus impositio* ideò fit vt per benedictionem aduocatus inuitetur Spiritus sanctus. Tunc enim ille paracletus post mundata & benedicta corpora libens à Patre descendit, & quasi super baptismi aquam tanquam super pristinam sedem recognoscens quiescit. Nam legitur quòd in principio aquis superferebatur Spiritus sanctus. *Exorcismus* Græcè, Latinè coniuratio siue sermo increpationis est aduersus diabolum vt discedat, sicut est illud in Zacharia: Et ostendit mihi Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei, & dixit Dominus ad Sathan: Increpet Dominus in te Sathan, & increpet Dominus in te qui elegit Hierusalem. Hoc est exorcismus increpare & coniurare aduersus diabolum, vnde sciendũ quod non creatura Dei in infantibus exorcizatur aut exsufflatur, sed ille sub quo sunt omnes qui in peccato nascuntur. Est enim princeps peccatorum. *Symbolum* per linguam Græcam signum vel cognitio interpretatur. Discessuri enim apostoli ad euangelizandum in gentibus, hoc sibi prædicationis signum vel indicium posuerunt. Continet enim confessionem Trinitatis, & vnitatem Ecclesiæ, & omne Christiani dogmatis sacramentum. Quod symbolum fidei & spei nostræ non scribitur in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus. *Oratio* petitio dicitur. Nam orare est petere, sicut exorare impetrare. Constat autem oratio loco & tempore. Loco, quia non vbique, cùm prohibeamur à Christo orare in publico, sed vbi opportunitas dederit, aut necessitas importauerit. Neque enim contra præceptum reputatur ab apostolis factum, quia in carcere audientibus custodibus orabant & canebant Deo. De tempore verò dictum est, sine intermissione orare, sed hoc in singularibus. Nam est obseruatio quarundam horarum communium, quæ diei interspacia signant, tertia, sexta & nona, Similiter & noctis. sed ideò orandi hæ horæ diuisæ sunt, vt si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat, quæ tempora in Scripturis inueniuntur. Primùm enim Sanctus spiritus congregatis discipulis hora tertia est infusus. Petrus qua die visionem communicationis in illo vasculo expertus est, sexta hora orandi gratia ascenderat. Idem etiam cum Iohanne hora nona templũ adiit quando claudum sanitate reformauit. Sed & Danielem legimus hæc tempora in oratione obseruasse, & vtique ex Israelis disciplina, vt ne minus quàm ter in die adoremus. Debitores enim sumus trium personarum, Patris & Filij & Spiritus sancti, exceptis vtique & aliis legitimis orationibus, quæ sine vlla admonitione debentur in ingressu lucis ac noctis siue vigiliarum, sed & cibum non prius sumere, quàm interposita oratione debemus. Priora enim habenda sunt spiritus refrigeria, quia priora cœlestia quàm terrena. Qui autem vult orationem suam volare ad Dominum, faciat illi duas alas, ieiunium & eleemosynam, & ascendet celeriter & exaudietur. *Ieiunium* est parsimonia victus abstinentiáque ciborum, cui nomen est inditum ex quadam parte viscerum tenui semper & vacua, quod vulgò ieiunum vocatur.

Vnde Ieiunij nomen creditur deriuatũ: quod sui inedia viscera vacua & exinanita existũt. *Ieiunium* autem & *statio* dicitur. *Statio* autẽ de militari exemplo nomen accepit, pro eo quòd nulla lætitia obueniens castris stationem militum rescindat. Nam lætitia libentius: tristitia sollicitius administrat disciplinam. vnde & milites nunquam immemores sacramenti magis stationibus parent. Discernunt autem quidam inter ieiunium & stationem. Nam *ieiunium* est indifferenter cuiuslibet diei abstinentia: non secundum legem, sed secundum propriam voluntatẽ: *statio* autem est obseruatio statutorum dierum vel temporum. dierum, vt quartæ feriæ & sextæ. ieiunium, ex veteri lege præceptum: de qua statione in Euangelio dixit ille: Ieiuno bis in sabbato, id est, quarta & sexta sabbati. Tẽporũ autem quæ legalibus ac propheticis institutionibus terminatis temporibus statuta sunt, vt ieiunium quarti, quinti, septimi, & decimi mensis, vel sicut in Euangelio dies illi, in quibus ablatus est sponsus, vel sicut obseruatio quadragesimæ, quæ in vniuerso orbe institutione apostolica obseruatur circa confinium Dominicæ passionis. His tertium genus quidam adiiciunt: qua *Xerophagiam* dicunt, abstinentiam scil. humentium ciborum. Vnde & nomen hoc datum, eò quòd siccis quidam escis vtantur. *Pœnitentia* appellata, quasi punientia, eò quòd ipse homo in se puniat pœnitendo quod malè admisit. Nam nihil aliud agunt quos veraciter pœnitet: nisi vt id quod malè fecerunt impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcit: cuius altum iustúmque iudicium nullus contemptor euadet. Perfecta est autem pœnitentia, præterita deflere & futura non admittere. Hæc secunda in similitudinem fontis est: vt si fortè impugnãte diabolo aliquod peccatum irrepserit, huius satisfactione purgetur. *Satisfactio* autem est causas peccatorum & suggestiones excludere & vltra peccatum non iterare. *Reconciliatio* verò est quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo, quando primum à gentilitate conuertimur: ita reconciliamur, quando post peccatum pœnitendo regredimur. *Exomologesis* Græco vocabulo dicitur, quod Latinè confessio interpretatur, cuius nominis duplex significatio est. Aut enim in laude intelligitur confessio sicut est: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ. aut dum quisque confitetur sua peccata ab eo indulgenda, cuius indeficiens est misericordia. Ex hoc ergo Græco vocabulo exprimitur & frequentatur exomologesis, qua delictum nostrũ Domino confitemur, non quidem vt ignaro, cuius cognitioni nihil occultum est, sed confessio est rei scil. eius quæ ignoratur professa cognitio. Vtile enim ac iocundum quisquam esse existimauerat, rapere, adulterari, furari, sed vbi hæc æternæ dãnationi obnoxia esse cognouit, cognitis iis, confitetur errorem. *Confessio* autem erroris, professio est desinẽdi: desinendum ergo à peccatis dum confessio est. Confessio autem antecedit, remissio sequitur. Cęterùm extra veniam est qui peccatum cognoscit nec cognitum confitetur. Itaque exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est, habitu atque victu, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animũ mœroribus deiicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare. *Letaniæ* autem Gręco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur rogationes. Inter letanias verò & exomologesin hoc differt, quòd *exomologeses* pro sola confessione peccatorum aguntur, *letaniæ* verò dicuntur propter rogandum Dominum & impetrandum in aliquo misericordiam eius. Sed nunc iam vtrumque vocabulum sub vna significatione habetur, nec distat vulgò vtrum letaniæ, an exomologeses dicantur. *Supplicationis* autem nomen quodammodo nunc ex gentilitate retinetur. Nam *feriæ* aut legitimæ erant apud eos, aut indictæ. *Indictæ* autem quia paupertas antiqua Romanorum ex collatione sacrificabat, aut certè de bonis damnaturum. Vnde *supplicia* dicuntur, supplicationes quę fiebant de bonis passorum supplicia. *Sacra* enim res de rebus execrandorum fiebant.

* *

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER VII.

CAPITA LIBRI SEPTIMI.

DE DEO. CAP. I.

BEATISSIMVS Hieronymus vir eruditissimus & multarum linguarum peritus Hebræorum nominum interpretationem primus in Latinam linguam conuertit. Ex quibus pro breuitate prætermissis multis, quædam huic operi adiectis interpretationibus interponenda studui. vocabulorum enim expositio satis indicat quid velint intelligi. Habent enim quædam ex propriis causis nominum rationem. In principio autem decẽ nomina ponimus, quibus, apud Hebręos Deus vocatur. Primum apud Hebræos Dei nomen *El* dicitur; quòd alij Deum: alij etymologiam eius exprimentes, ἰσχυρὸς, id est, fortem interpretati sunt: ideo quod nulla infirmitate premitur, sed fortis est, & sufficiens ad omnia perpetranda. Secundum nomen *Eloi* est. Tertium *Eloe*, quod vtrumque in Latinum Deus dicitur. Est autẽ nomen in Latinum: ex Græca appellatione translatũ. Nam Deus Græcè θεὸς dicitur quasi δέος, id est, timor: vnde tractum est nomen Deus, quòd eum colentibus sit timor. Deus autem propriè nomen est Trinitatis pertinens ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Ad quam Trinitatẽ etiã reliqua quæ in Deo infrà sunt posita vocabula referũtur. Quartum nomẽ Dei dicitur *Sabaoth*. quod vertitur in Latinũ exercituũ siue virtutũ de quo in Psalmo ab angelis dicitur: Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutũ. Sunt autẽ in huiusmodi ordinatione virtutes multæ, vt angeli, archangeli, principatus & potestates, cunctiq; cœlestis militiæ ordines: quorũ tamẽ ille Dominus est. Omnes enim sub ipso sunt, eiúsque dominatui subiacẽt. Quintũ nomẽ *Eliõ*, quod interpretatur in Latinum excelsus: quia supra cœlos est, sicut scriptũ est deo: Excelsus Dominus supra cœlos gloria eius. Excelsus autẽ dictus, pro valde celsus. Ex enim pro valde ponitur: sicut eximius, quasi valde eminens. Sextũ nomẽ *Eieie*, id est, qui est Deus. Deus enim solus, quia æternus est, hoc est, quia exordiũ nõ habet, essentiæ nomẽ verè tenet. Hoc enim nomen ad sanctum Moysen per angelũ est delatũ. Quærenti enim quod esset nomen eius, qui eũ pergere præcipiebat ad populũ ex Ægypto liberandũ, rẽspõdit: Ego sum qui sum: & dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos, tãquã in eius cõparatione qui verè est: quia incõmutabilis est, ea quæ commutabilia facta sunt, quasi non sint. Quod enim dicitur fuit, nõ est: & quod dicitur erit, nõdũ est. Deus autẽ esse tantũ nouit: fuisse & futurũ esse non nouit. Solus enim Pater cũ Filio & Spiritu S. veraciter est. Cuius essentiæ cõparatũ esse nostrũ, nõ esse est. Vnde & in colloquio dicimus: *Viuit Deus*: quia essẽtia vita viuit, quã mors nõ habet. Septimũ *Adonai*, qđ generaliter Dominus interpretatur, quod dominetur creaturę cũctæ, vel quod creatura omnis dominatui eius deseruiat. Dominus ergo & Deus vel quod domi-

netur omnib. vel quòd timeatur à cũctis. Octauũ *Ia*, quod in Deo tantũ ponitur: quod etiã in alleluia in nouissima syllaba sonat. Nonũ *Tetragrãmaton*, hoc est, quatuor literarũ, quod propriè apud Hebręos in Deo ponitur, ioth, he, vau, he, id est, duabus ia, ia, quæ duplicata ineffabile illud & gloriosum nomen Dei efficiũt. dicitur autẽ ineffabilis, nõ quia dici non potest, sed quia finiri sensu & intellectu humano nullatenus potest, & quia de eo nihil dignè dici potest, Ineffabilis est. Decimũ *Saddai*, id est, omnipotẽs. Vocatus autẽ omnipotẽs, eò quòd omnia potest, sed à faciendo quod vult, nõ à patiẽdo quod non vult. Quod si ea acciderẽt, nequaquã esset omnipotẽs. facit enim quicquid vult, & inde omnipotens. Dicũtur autẽ & alia quędã in Deũ substãtialiter nomina, vt immortalis, incorruptibilis, incõmutabilis, ęternus. Vnde & meritò cũctę præponitur creaturæ. *Immortalis* sicut de eo scriptũ est, Qui solus habet immortalitatem: quia in eius natura nulla est cõmutatio. Nam omnis mutabilitas nõ incõueniẽter mortalis dicitur, secũdũ quã & anima mori dicitur: nõ quia in corpus vel in aliquã alterã substantiã mutatur & vertitur, sed in ipsa sua substantia quicquid alio modo nũc est, aut fuit. secundũ id quod destitit esse quod erat, mortalis vtiq. deprehenditur, ac per hoc solus Deus dicitur immortalis, quia solus incõmutabilis. *Incorruptibilis* appellatur, quia corrumpi & dissolui nõ potest, nec diuidi. Quicquid.n. capit diuisionẽ & interitum capit. Ille nec diuidi potest, nec interire. Inde incorruptibilis est. *Incõmutabilis* est, quia sẽper manet & mutari nescit. Nec proficit: quia perfectus est, nec deficit quia ęternus. *Æternus* est, quia sine tẽpore est. Nõ enim habet initiũ neq. finẽ. Hinc & sempiternus, eò quòd sit semper ęternus. A quibusdã autẽ ęternus ab ęthere creditur dictus: quoniam cœlum sedes eius habetur. vnde est illud: *Cœlũ cœli Domino.* & hæc ista quatuor vnũ significãt. nã vna eadémq. res dicitur, siue dicatur ęternus Deus, siue immortalis, siue incorruptibilis, siue immutabilis. *Inuisibilis*, quia nunquã per substãtiã suã apparuit oculis mortalium Trinitas, nisi per speciẽ subiectæ creaturæ eiusdémq. corporeæ: Nã nemo potest ipsã maiestatẽ essentiæ Dei videre & viuere, sicut & dictũ est Moysi. vnde & Iohãnes in Epistola sua dicit: Deũ nemo vidit vnquã. Res est enim inuisibilis: ideóq. nõ oculo, sed corde quærẽdus est. *Impaßibilis* est, quia nullis perturbationibus afficitur: quibus fragilitas humana succũbit. Nõ enim attingunt eũ vllæ passiones vt libido, iracundia, cupiditas, dolor, mœror, inuidia, &c. quibus humana mens turbatur. Sed cum dicitur, Deus irasci, aut zelari, aut dolere, nostro vsu dicitur. Apud Deum enim perturbatio nulla est, apud quẽ tranquillitas summa est. *Simplex* autẽ dicitur siue non amittẽdo quod habet: seu quia non aliud est ipse, & aliud quod in ipso est: sicut in homine, cuius aliud est esse, aliud sapere. Nam & esse, quis potest, & sapiẽs non esse: Deus autẽ habet essentiã, habet & sapiẽtiam: sed quod habet hoc & est, & omnia vnus est: ac proinde simplex est: quia nõ in eo aliquid accidẽtis est, sed quod est & quod in ipso est, essẽtialiter est: excepto quod relatiuè ad quãcunque personã est. *Summè* bonus, quia incõmutabilis est. Creatura verò bonum, sed non summum est: quia mutabilis est. Et dũ sit quidam bonum, non tamen esse potest & summum bonum. *Incorporeus* autẽ vel incorporalis ideo dicitur Deus, vt spiritus credatur vel intelligatur esse, non corpus. Nã dum dicitur spiritus: eius significatur substantia. *Immensus*, quia cuncta concludit, sed omnia intra eius omnipotentiam coartãtur. *Perfectus* dicitur, quia nihil ei possit adiici. Attamen de consummatione alicuius facti perfectio dicitur. Deus autẽ qui nõ est factus, quomodo est perfectus? Sed hoc vocabulum de vsu nostro sumpsit humana inopia, sicut & reliqua verba, quatenus id quod ineffabile est, vtcunque dici possit: quoniã de Deo nihil dignè humanus sermo dicit, sicut sunt & alia. *Creator* dictus pro totius mundi rebus ab ipso creatis. Nihil enim est quod non originẽ à Deo traxerit. Ipse & vnus, quia diuidi non potest, vel quia nihil esse aliud potest, quod tantundem capiat potestatis. Hæc igitur quæ de Deo dicta sunt, ad totã pertinent Trinitatẽ propter vnã & coæternã substantiã, siue in Patre, siue in Filio eius Vnigenito in forma Dei, siue in Spiritu sancto, qui vnus & spiritus Dei Patris & Filij eius vnigeniti. ¶ Sunt autem & quædã *vocabula ex vsu nostro ad Deũ sumpta*: de mẽbris nostris: siue de inferioribus: & quia in propria natura inuisibilis & incorporeus est, pro efficiẽtiis tamen causarũ in ipso rerũ species ascribũtur, vt more locutionis nostrę facilius seipsum insinuet: vt quia omnia videt, dicatur *oculus*: propter quod audit omnia, dicatur *auris*. pro eo quod auertitur, *ambulat*: pro eo quod spectat, *stat*. Sic & in cæteris horũ similibus ab humanis mẽtibus trahitur similitudo ad Deum: sicut est *obliuiscens* & *memorans*. Hinc est quod & Propheta dicit: Iurauit Dominus exercituũ per animã suam: non quòd animã Deus habeat, sed hoc nostro narrat affectu. Nam & facies Dei in scripturis sanctis nõ caro, sed diuina cognitio intelligitur, eadem ratione qua per faciem conspecta quisque cognoscitur. Hoc enim in creatione dicitur Deo: Ostende nobis faciem tuam. ac si dicatur: Da nobis cognitionem tuam. Sic *vestigia Dei* dicuntur: quia nunc Deus per speculum agnoscitur, ad perfectum verò omni-

omnipotens reperietur, dum in futuro, facie ad faciem quibúsque electis præsentabitur, vt ipsam speciem contemplentur: cuius nunc vestigia comprehendere conantur. hoc est, quem videre per speculum dicuntur. Nam & situs & habitus locus & tempus in Deo non proprie, sed per similitudinem translatiuè dicuntur; quippe sedere super Cherubin dicitur, quod est ad situm: & Abyssus tanquam vestimentum amictus: quod est ad habitum. Et, anni tui non deficient, quod ad tempus pertinet. Et, Si ascendero in cælum, tu ibi es, quod ad locum manet. Nam & in Propheta, Plaustri portantis fœnum species ad Deum ducitur. Hæc & omnia per figurã Deus: quia nihil est horum ad proprietatem substantiæ eius.

De filio Dei. Cap. II.

MVltis etiam modis Christus appellari in scripturis inuenitur diuinis. Nam ipse Dei Patris *Vnigenitus filius* dum esset æqualis Patri, propter salutem nostram formã serui accepit. Proinde quædam nomina in illo ex diuinitatis substantia: quædam ex dispensatione susceptæ humanitatis assumpta sunt. *Christus* nanque à chrismate est appellatus, hoc est, vnctus. Præceptum enim fuerat Iudæis, vt sacrum conficerent vnguentum, quo perungi possent ij qui vocabantur ad sacerdotium vel ad regnum, & sicut nunc regibus indumentum purpurę insigne est regiæ dignitatis: sic illis vnctio sacri vnguenti nomen ad potestatem regiam conferebat: & inde Christi dicti à chrismate, quod est vnctio. Nam *chrisma* Græcè, Latinè vnctio nũcupatur: quæ etiam Domino nomen accommodauit facta spiritualis: qua spiritu vnctus est à Deo patre: sicut dicitur in Actibus apostolorum: Collecti sunt enim in hac ciuitate aduersus sanctum Filium tuum, quem vnxisti: non vtique oleo visibili, sed gratiæ dono, quod visibili significatur vnguento. Non est autem Saluatoris proprium nomen Christus, sed communis nuncupatio potestatis, dum enim dicitur Christus, commune nomen dignitatis est, dum *Iesus* Christus proprium est vocabulum Saluatoris. Christi enim nomen nusquam alibi omnino, nec in aliqua gente fuit, nisi tantùm in illo regno vbi Christus prophetabatur, & vnde venturus erat. *Messias* autem Hebraicè dicitur; Græcè Christus. Latina autem locutione vnctus. *Iesus* Hebraicè, Græcè σωτὴρ, Latinè autem salutaris, siue saluator interpretatur, pro eo quod cunctis gentibus salutifer venit. Etymologiam enim nominis huius etiam Euangelista significat, dicens, Vocabitur nomen eius Iesus, id est Saluator: quia ipse saluum faciet populum suum. Sicut enim Christus significat Regem: ita Iesus significat Saluatorem. Non itaque nos saluos facit quicunque rex, sed rex Saluator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat: sicut potuit quando voluit. *Emmanuel*, ex Hebræo in Latinum significat nobiscum Deus, scilicet, quia per virginem natus Deus hominibus in carne mortali apparuit, vt terrenis viam salutis ad cælum aperiret. Ad diuinitatis autem substantiam quæ pertinent, ista sunt, Dominus & Deus. *Deus* autem dictus propter vnitam cum Patre substantiam. *Dominus* autem, propter seruientem creaturam. *Deus* autem & *homo*, quia Verbum & caro. Vnde & *bis genitus* dicitur, siue quia Pater eum genuit sine matre in æternitate, siue quia mater sine patre in tempore. *Vnigenitus* autem vocatur secundum diuinitatis excellentiam, quia sine fratribus: *primogenitus* est secundum susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est: quibus esset primogenitus. *Omousios* Patri ab vnitate substantiæ appellatur. *Substantia* enim vel essentia Græcè οὐσία dicitur, ὅμως vnus. Vtrunque igitur coniunctum sonat vna substantia. Hoc autem vocatur *omousion*, quod est, Ego & Pater vnum sumus, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ. Quod nomẽ etsi scriptum in sanctis literis non inueniatur in assertione tamen totius Trinitatis defenditur: quia datur ratio vnde rectè dici ostendatur: sicut & Pater in illis libris nusquã *Ingenitus* legitur, sed tamen dicendus esse atque credendus non dubitatur. *Omousios* similis substantiæ: quia qualis Deus: talis est imago eius inuisibilis. *Principium*, eò quòd ab ipso sint omnia, & quia ante eum nihil. *Finis* vel quia dignatus est in fine temporum humiliter in carne nasci & mori: & iudiciũ nouissimum ipse suscipere: vel quia quicquid agimus ad illum referimus. Et cùm ad eum peruenerimus vltra quod quæramus non habebimus. *Os Dei* est: quia verbum eius est. Nam sicut pro verbis, quę per linguam fiunt sæpe dicimus, illa & illa lingua: ita & pro Dei verbo os ponitur, quia mos est vt ore verba formentur. *Verbum* autem ideo dicitur quia per eum omnia condidit siue iussit. *Veritas*: quia non fallit, sed tribuit quod promisit. *Vita*, quia creauit. *Imago Dei*, propter parem similitudinem Patris. *Figura* est, quia suscipiens formam serui, operum virtutúmque similitudinem, Patris in se imaginem atque immensam magnitudinem designauit. *Manus Dei* est, quòd omnia per ipsum facta sunt. Hinc & dextera propter effectum operis totius creaturæ, quæ per ipsum formata est. *Brachium*, quia ab ipso omnia continentur. *Virtus* pro eo quòd omnem potestatem Patris in semetipso habeat, & omnem cæli

ter æque creaturam gubernet, contineat atque regat. *Sapientia* pro eo quòd ipse reuelet mysteria scientiæ & arcana sapiëtiæ. Sed tamè cùm sit Pater & Filius & Spiritus sanctus sapientia & virtus & lux, propriè tamen iis nominibus Filius nuncupatur. *Splendor* autem appellatur propter quod manifestat. *Lumen*, quia illuminat. *Lux*, quia ad veritatem contemplandam cordis oculos reserat. *Sol*, quia illuminat omnes. *Oriens*, quia luminis fons & illustrator est rerum: & quòd oriri nos faciat ad vitam æternam. *Fons*, quia rerum omnium origo est, vel quòd satiat sitientes. Ipse quoque Α & Ω. *Alpha* enim literam nulla præcedit. Prima est enim literarum sicut & Filius Dei. Ipse enim se principium Iudæis interrogantibus esse respondit. Vnde & Iohannes in Apocalypsi, propriè ipsam literam ponens ait: Ego sum Α & Ω primus & nouissimus. *Primus*, quia ante eum nihil est. *Nouissimus*, quia nouissimum iudicium ipse suscipiet. *Mediator*, quia inter Deum & hominè medius constitutus est, vt hominem ad Deum perduceret: vnde & illum Græci *μεσίτην* vocant. *Paracletus* id est, aduocatus, quia pro nobis intercedit apud Patrem: sicut & de eo dicit Iohãnes: Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Paracletus autem Græcum est, quod Latinè dicitur aduocatus. Quod nomẽ & Filio & Spiritui sancto adscribitur. iuxta quod & Dominus in Euangelio ait: Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis. *Intercessor* autem ideo vocatur, quia pro culpa nostra remouenda curam gerit. & pro abluendis nostris criminibus curam impendit. *Sponsus* quia descendens è cælo, adhæsit Ecclesiæ, vt pace noui testamẽti essent duo in carne vna. *Angelus* dicitur propter annunciationem paternæ ac suę voluntatis. Vnde & apud Prophetam magni consilij angelus legitur, dum sit Deus, & Dominus angelorum. *Missus* dicitur, eò quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum: vnde & idem dicit, Ego à Patre exiui, & veni in hunc mundum. *Homo* autem dicitur, quia natus est. *Propheta*, quia futura reuelauit. *Sacerdos*, quia pro nobis hostiam se obtulit. *Pastor*, quia custos. *Magister*, quia ostensor. *Nazarenus* vero à loco. *Nazaræus* à merito, id est sanctus, siue mundus, quia peccatum non fecit. ¶ Siquidem & de aliis inferioribus rebus nominum species ad se trahit Christus, vt facilius intelligatur. Dicitur enim *Panis*, quia caro. *Vitis*, quia sanguine ipsius redempti sumus. *Flos*, quia electus. *Via*, quia per ipsum ad Deum imus. *Ostium*, quia per ipsum ad Deum ingredimur. *Mons*, quia fortis. *Petra*, quia firmitas est credentium. *Lapis* angularis, vel quia duos parietes è diuerso de circũcisione & præputio venientes in vnam fabricam Ecclesiæ iungit: vel quòd pacem in se angelis & hominibus facit. *Lapis offensionis*, quia veniens humilis offenderunt in eum increduli homines, & factus est petra scandali, sicut dicit Apostolus Iudæis quidem scandalum. *Fundamentum* autem ideo vocatur, quia fides in eo firmissima est, vel quia super eum catholica Ecclesia constructa est. Sed & Christus *Agnus*, pro innocentia. *Ouis*, propter patientiam. *Aries*, propter principatum. *Hœdus*, propter similitudinem carnis peccati. *Vitulus*, pro eo quòd pro nobis est immolatus. *Leo*, pro regno & fortitudine. *Serpens*, pro morte & sapientia. *Vermis*, quia resurrexit. *Aquila*, propter quod resurrectionem ad astra remeauit. Nec mirum si vilibus significationibus figuretur, qui vsque ad nostrarum passionum, seu carnis contumelias descendisse cognoscitur. Qui cùm sit coæternus Dei patris ante secula Filius, postquam venit plenitudo temporis, propter salutem nostram formam serui accepit, & factus est Filius Dei, hominis filius. Inde quædam de illo in scripturis sanctis, secundum formam Dei, quædam secũdum formam serui dicuntur. Quorum exempli gratia duo quædam commemorantur, vt singula ad singula referantur. Secundum formam Dei de seipso dixit: Ego & Pater vnum sumus: secundum formã serui, Quoniam Pater maior me est. Homines autem minus intelligentes quid pro quo dicatur, ea quæ propter formã serui dicta sunt, volunt transferre ad formam Dei, & rursus ea quæ dicta sunt, vt ad se inuicem personæ referantur, volunt nomina esse naturæ atque substantiæ, & faciunt errorem in fide. Sic autem Dei filio coniuncta est humana natura, vt ex duabus substãtiis fieret vna persona. Solus ergo homo pertulit crucem, sed propter vnitatem personæ & Deus dicitur pertulisse. Hic est quod scribitur, Si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, Filium ergo Dei crucifixum fatemur: non ex virtute diuinitatis, sed ex infirmitate humanitatis: non ex suæ naturæ permansione, sed ex nostra susceptione.

De Spiritu sancto. CAP. III.

Spiritus sanctus ideo prædicatur *Deus*, quia ex patre Filióque procedit, & substantiam eorum habet. Neque enim aliud de Patre procedere potuit, quàm quòd ipse est Pater. *Spiritus* sanctus autem dictus secundum id quod ad aliquid refertur spirans. *Spirans* vtique spiritus inspirans est, & ex eo appellatus spiritus est. Proprio autem modo quodã Spiritus sanctus secundum quod refertur ad Patrem & Filium quòd eorum spiritus sit. Nam & hoc nomen quod spiritus dicitur,

non

non semper secundum id quod refertur ad aliquid: sed secundum id quod aliquã naturã significat, intelligitur. Omnis enim incorporea natura spiritus in scripturis sacris appellatur. vnde non tantum Patri & Filio, & Spiritui sancto, sed omni rationali creaturæ & animæ hoc vocabulum congruit. Ideo igitur Spiritus Dei sanctus vocatur, quia Patris & Filij sanctitas est. Nam cum sit & Pater spiritus, & Filius spiritus, & Pater sanctus & Filius sanctus: propriè tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquam sanctitas coessentialis & consubstantialis amborum. *Spiritus sanctus* ideo *nõ dicitur genitus*, ne duo in Trinitate Filij suspicentur. Ideo *non prædicatur ingenitus* ne duo Patres in ipsa Trinitate credantur. *Procedens* autem dicitur testimonio Domini dicentis: Multa adhuc habeo quæ vobis loquar, sed non potestis illa modò audire. Veniet autẽ Spiritus veritatis, qui à Patre procedit & de meo accipiet: ille vobis indicabit omnia. His autem non solùm natura procedit, sed semper ad peragẽda diuinitatis opera indeficienter procedit. Hoc autem interest *inter nascentem Filium & procedentem Spiritum sanctum*, quod filius ex vno nascitur: Spiritus sanctus ex vtroque procedit, & ideo dicit Apostolus: Qui autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Spiritus sanctus ex opere etiam *angelus* intelligitur. dictum est enim de illo. Et quæ ventura sunt annunciabit vobis: & vtique angelus Græcè; Latinè nuncius interpretatur. Vnde & duo angeli apparuerunt Loth, in quibus Dominus singulariter appellatur, quod intelligimus Filiũ & Spiritum sanctum: nam Pater nunquã legitur missus. Spiritus sanctus quod dicitur *paracletus*, à consolatione dicitur. παράκλησις enim Græcè, Latinè consolatio appellatur. Christus enim eum apostolis lugentibus misit, postquam ab eorum oculis ipse in cœlum ascendit. *Consolator* enim tristibus mittitur, secundum illã eiusdem Domini sententiam, Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Ipse etiam dixit: Tum lugebunt filij sponsi, cùm ablatus ab eis fuerit sponsus. Item paracletus pro eo quod consolationem præstet animabus, quæ gaudium temporale amittũt. Alij paracletũ Latinè *oratorem* vel *aduocatũ* interpretantur. Ipse enim Spiritus sanctus dicit: Ipse docet. per ipsum datur sermo sapientiæ, ab ipso sancta scriptura inspirata est. Spiritus sanctus ideo *septiformis* nuncupatur, propter dona quæ de vnita eius plenitudine particulatim recipientes quique vt digni sunt consequi promerentur. Ipse enim Spiritus *sapientiæ & intellectus*, spiritus *cõsilij & fortitudinis*, Spiritus *scientiæ & pietatis*, spiritus *timoris Domini*. *Spiritus* autẽ *principalis* in Psalmo quinquagesimo legitur, vbi quia tertiò spiritus repetitur, nonnulli Trinitatem intellexerunt in Deum, quia scriptũ est: Deus spiritus est. Quod enim non est corpus, & tamen est, videtur restare vt spiritus sit. Intelligunt ergo ibi nonnulli Trinitatem significari: in spiritu principali Patrem: in Spiritu recto Filiũ: in Spiritu sancto, Spiritũ sanctum. Spiritus sanctus ideo *donum* dicitur, eò quòd datur. A dando enim donũ est nuncupatum. Notissimum est enim Dominũ Iesum Christum cum post resurrectionẽ à mortuis ascendisset in cœlũ, dedisse Spiritum sanctum, quo credentes impleti, linguis omnium gentium loquebantur. In tantũ autem donũ Dei est: in quantũ datur eis, qui per eum diligũt Deum. Apud se autẽ Deus est: apud nos autẽ, donum est, sed sempiternæ salutis Spiritus sanctus donum est. distribuens singulis gratiarũ dona prout vult. Nam & prophetias quib. vult impartit, & peccata quibus vult dimittit. Nã peccata sine Spiritu sancto nõ donantur. Spiritus sanctus inde propriè *charitas* nuncupatur: vel quia naturaliter eos à quibus procedit, coniungit, & se vnum cum eis esse ostendit: vel quia in nobis id agit, vt in Deo maneamus, & ipse in nobis. vnde & in donis Dei nihil maius est charitate: & nullum maius est donum Dei quàm Spiritus sanctus. Ipse est & *gratia*, quæ quia non meritis nostris, sed voluntate diuina gratis datur, inde gratia nũcupatur. Sicut autem vnicum Dei verbum propriè vocamus nomine sapientiæ cùm sit vniuersaliter & Spiritus sanctus & Pater ipse sapientia: ita Spiritus sanctus propriè nuncupatur vocabulo charitatis: cum sit Pater & Filius vniuersaliter charitas. Spiritus sanctus *Digitus Dei* esse in libris Euangeliorum apertissimè declaratur. Cùm enim vnus Euãgelista dixisset: In digito Dei eiicio dæmonia: alius hoc idem ita dixit. In spiritu Dei eiicio dæmonia. vnde & digito Dei scripta lex est, data die quinquagesimo ab occisione Agni, & die quinquagesimo à passione Domini venit Spiritus sanctus. Ideo autem digitus Dei dicitur, vt eius operatoria virtus cum Patre & Filio significetur, vnde & Paulus ait: Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult. Sic autem per Baptismum in Christo morimur & renascimur, ita Spiritu signamur, qui est Digitus Dei & spirituale signaculum Spiritus sanctus idcirco *in columbæ specie venisse* scribitur, vt natura eius per auem simplicitatis & innocentiæ declaretur. vnde & Dominus, Estote, inquit, simplices sicut columbæ. Hæc enim auis corporaliter ipso felle caret, habens tantùm innocentiam & amorem. Spiritus sanctus inde nomine *ignis* appellatur propter hoc quòd in actibus apostolorum per diuisionem linguarum vt ignis apparuit, qui & insedit super vnumquemque eorum. Propterea autem diuersarum linguarum gratiam apostolis do-

dit, vt idonei efficerentur fidelium eruditione populorum. Quòd verò supra singulos sedisse memoratur, id causæ est, vt intelligatur per plures non fuisse diuisus, sed mansisse in singulis totus, sicut verè ignib. mos est. Hanc enim naturam habet ignis accensus: vt quanti ad eum, quanti ad crinem purpurei splendoris aspexerint: tantis visum suæ lucis impertiat; tantis ministerium sui muneris tribuat, & nihilominus ipse in sua integritate permaneat. Spiritus sanctus nomine *aqua* appellatur in Euangelio, Domino clamante & dicēte, Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Euangelista autem exposuit vnde diceret. Secutus enim ait, Hoc autem dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eū, sed aliud est aqua sacramenti aliud aqua quæ significat spiritum Dei. Aqua enim sacramenti visibilis est aqua Spiritus sancti inuisibilis est. Ista abluit corpus, & significat quod fit in anima, per illum autem Spiritum sanctum ipsa anima mundatur & saginatur. Spiritus sanctus ideo *vnctio* dicitur, Ioanne apostolo testante, quia, sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquori, ita in principio superferebatur Spiritus sanctus aquis. Vnde & Dominus oleo exultationis, hoc est Spiritu sancto legitur fuisse vnctus: sed & Ioannes apostolus Spiritum sanctū vnctionem vocat dicens, Et vos inquit vnctionem quam accepistis ab eo permaneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omni re. Ipse enim Spir. S. vnctio est inuisibilis.

De eadem Trinitate. CAP. IV.

TRinitas appellatur, quod fiat totum vnū ex quibusdam tribus, quasi Triunitas, vt *memoria, intelligentia, & voluntas*, in quibus mens habet in se quandam imaginem diuinæ Trinitatis. Nam dum tria sint, vnum sunt: quia & singula in se manent, & omnia in omnibus. Pater igitur & Filius & Spiritus sanctus Trinitas & vnitas. Idem enim vnum, idē & *tria*. In natura *vnum*, in personis tria. *Vnum* propter maiestatis communionem. *tria* propter personarū proprietatem. Nam alius pater, alius filius, alius Spiritus S. sed *alius* quidem *non aliud*, quia pariter simplex, paritérque incommutabile bonum & coæternum. *Pater* solus non est de alio: ideo solus appellatur ingenitus. *Filius* solus de patre est natus: ideo solus dicitur genitus, *Spiritus S.* solus de patre & filio procedit: ideo solus amborum nuncupatur spiritus. ¶ In hac Trinitate, alia sunt appellatiua nomina, alia propria sunt. *Propria* enim sunt essentialia, vt Deus Dominus, omnipotens, incōmutabilis, immortalis. Et inde propria, quia ipsam substantiam significant, qua vnum sunt. *Appellatiua* verò pater & filius & Spiritus S. ingenitus, & genitus & procedens. Eadem & *relatiua*, quia ad se inuicem referuntur. Cùm enim Deus dicitur, essentia est, quia ad seipsum dicitur. Cū verò dicitur pater & filius & Spir. S. relatiuè dicuntur, quia ad se inuicem referūtur. Nam pater non ad seipsum, sed ad filium, relatiuè dicitur: quia est ei filius: sic & filius relatiuè dicitur, quia est ei pater, sic S. sanctus, quia est patris filiíque spiritus. His enim appellationib. hoc significatur, quòd ad se inuicem referuntur, non ipsa substantia qua vnū sunt. Proinde Trinitas in relatiuis personarū nominib. est, deitas non triplicatur, sed in singularitate est: quia si triplicatur, deorum inducimus pluralitatem. Nomen autem *deorum* in angelis & sanctis hominibus ideo pluraliter dicitur, propter quod non sint meritò æquales: De quib. psalmus, Ego dixi dij estis. De patre autem & filio & Spiritu S. propter vnam & æqualem diuinationem non nomen deorum sed Dei esse ostenditur: sicut ait Apostolus, Nobis tamē vnus Deus, vel sicut voce diuina dicitur, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, vt scilicet Trinitas sit, & vnus Dominus Deus sit. Fides apud Græcos de Trinitate hoc modo est vna *οὐσία*, ac si dicatur vna natura, aut vna essentia. Tres *hypostases*, quod resonat in Latinū vel tres personas, vel tres substantias. Nam latinitas propriè nō dicit de Deo nisi *essentiam, substantia* verò nō propriè dicit sed abusiuè: quoniam verè substantia apud Græcos persona intelligitur, non natura.

De Angelis. CAP. V.

ANgeli Græcè vocantur, Hebraicè dicūtur malooth: Latinè verò nuncij interpretantur, ab eo quòd Domini voluntatē populis nūtient. Angelorum autem vocabulum officij nomen est, non naturæ. semper enim spiritus sunt, sed cùm mittuntur vocātur angeli. Quib. ideo pictorū licentia pennas facit, vt celerē eorum in cuncta discursum significent, sicut & iuxta fabulas poetarum vēti pēnas habere dicuntur, propter velocitatē scilicet. Vnde scriptura sacra dicit, Qui ambulat super pennas ventorū. Nouē autē ordines esse angelorum sacræ scripturæ testantur, *i. angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubin & seraphin.* Quorum officiorū vocabula cur ita dicta sint interpretando exequimus. ¶ *Angeli* vocantur propter quòd de cœlis ad annūtiandū hominibus mittuntur. Angelus enim Græcè Latinè nūtius dicitur. ¶ *Archangeli* Græca lingua, Latina summi nuncij interpretantur. Qui enim parua vel minima annuntiant, angeli: qui verò summa, archangeli nuncupantur. Archangeli dicti quod primatum teneant inter angelos. *Ἀρχὰ* enim Græcè, Latinè principatus interpretatur. Sunt enim duces & principes, sub quorum ordine vnicuique angelorum

officia deputata sunt. Nam quia archangeli angelis præsunt, Zacharias propheta testatur dicēs: Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eũ, Curre, & loquere ad puerũ istũ dicens: Absq; muro habitabitur Hierusalē. Si enim in ipsis officiis angelorũ nequaquā potestates superiores inferiores disponerent, nullo modo hoc quod homini diceret angelus ab angelo cognouisset. Quidam autem archangelorum priuatis nominibus appellantur, vt per vocabula ipsa in opere suo quod valeant designetur. *Gabriel* Hebraicè in linguam nostram vertitur fortitudo Dei. Vbi enim potentia diuina vel fortitudo manifestatur: Gabriel mittitur. Vnde & eo tēpore quo erat Dominus nasciturus & triũphaturus de mundo Gabriel mittitur ad Mariam, vt illum annuntiaret, qui ad debellādas aereas potestates humilis venire dignatus est. *Michael* interpretatur quis vt Deus? Quando enim aliquid in mundo miræ virtutis fit, hic archangelus mittitur. Et ex ipso opere nomen est eius: quia nemo valet facere quod facere præualet Deus. *Raphael* interpretatur curatio, vel medicina Dei. Vbicunque enim curandi & medendi opus necessarium est, hic archangelus à Deo mittitur, & inde medicina Dei vocatur. Vnde & ad Tobiam idem archāgelus missus oculis eius curationem adhibuit, & cæcitate detersa visum eius restituit. Nominis enim interpretatione & angeli officium designatur. *Vriel* interpretatur ignis Dei, sicut legimus apparuisse ignem in rubo. Legimus etiam ignem missum desuper, & impleisse quod præceptum est. ¶ *Throni* autē, & dominationes, & principatus, & potestates, & virtutes, quibus vniuersam cælestem societatem Apostolus complectitur, ordines angelorum & dignitates intelliguntur, & pro hac ipsa distributione offitiorum alij throni, alij dominationes, alij principatus, alij potestates dicuntur pro certis dignitatib. quibus inuicē distinguuntur. ¶ *Virtutes* angelicæ quædam ministeria perhibentur, per quæ signa & miracula in mundo fiunt: propter quod & virtutes dicuntur. ¶ *Potestates* sunt, quibus virtutes aduersæ subiectæ sunt, & inde Potestatum nomine nuncupantur quia magni spiritus eorum potestate coercentur: ne tantum mundo noceant, quantum cupiunt. ¶ *Principatus* sunt hi: qui angelorum agminibus præsunt. Qui pro eo quod subditos angelos ad explendum ministerium diuinum disponunt, principatus vocabulum acceperunt. Nam alij sunt qui administrant, alij qui assistunt, sicut per Danielem dicitur. Milia milium ministrabant ei, & decies milies centena milia assistebant ei. ¶ *Dominationes* sunt ij, qui etiam virtutibus & principatibus præeminent: qui pro eo quod cæteris angelorũ agminibus dominantur, Dominationes vocantur. *Throni* sunt agmina angelorum, quia latino eloquio sedes dicuntur: & vocati Throni, quia illis conditor præsidet, & per eos iudicia sua decernit vel disponit. *Cherubin* autem & ipsæ sublimes cælorũ potestates, & angelica ministeria perhibentur: qui ex Hebræo in linguam nostrā interpretantur scientiæ multitudo. Sunt autē sublimiora agmina angelorũ qui pro eo quod vicinius positi diuina sciētia cæteris amplius sunt, Cherubin, hoc est, plenitudo scientiæ appellantur. Ipsa sunt duo illa animalia super propiciatorium arcæ facta ex metallo, propter significandam angelorum præsentiam, in quorũ medio ostenditur Deus. *Seraphin* quoque similiter multitudo angelorum est, qui ex Hebræo in latinum ardentes vel incēdentes interpretantur. Qui idcircò ardētes vocantur, quia inter eos & Deum nulli alij angeli consistunt: & ideo quãto vicinius corā Deo cōsistunt, tanto magis claritate diuini luminis inflāmantur. Vt ipsi velant faciem & pedes sedentis in throno Dei, & idcircò cætera angelorum turba videre Dei essentiā plenè nō valet: quoniam Seraphim eam tegit. Hæc igitur vocabula agminũ angelorũ ita sunt specialia ordinũ singulorũ, vt tamē sint ex parte cōmunia omniũ. Nam dũ Throni sedes Dei in quorũdam angelorum ordine specialiter designentur, tamē per Psalmistam, Qui sedes super Cherubin, dicitur. Sed ideò isti ordines angelorum priuatis nominibus appellantur: quia hoc ipsum officiũ in proprio ordine acceperũt. Et cũ sint omnibus communia, propria tamen hæc nomina suis ordinibus deputantur. Vnicuique etiam, sicut prædictum est, propria officia sunt iniuncta: quæ eos promeruisse in mundi cōstat exordio. Nā quia angeli & locis & hominib. præsunt, per prophetam testatur angelus dicens, Princeps regni Persarũ restitit mihi. Vnde apparet, nullum esse locum cui angeli non præsint. Præsunt enim & auspiciis operum omniũ. Hic est ordo vel distinctio angelorum: qui post lapsum malorum in cælesti vigore steterunt. Nam postquam apostatæ angeli ceciderũt, hi in perseuerantia æternæ beatitudinis solidati sunt. Vnde & post cæli creationē in principio reperitur. Fiat firmamentum, & vocatum est firmamentum cælum, nimirum ostendens: quod post ruinam angelorum malorum, hi qui permanserunt, firmitatem æternę perseuerantiæ consecuti sunt, nullo iam lapsum auersi, nulla superbia cadentes, sed firmiter in Dei amore & contemplatione manentes, nihil aliud dulce habentes, nisi eum à quo creati sunt. Quod autem duo Seraphim in Esaia leguntur, figuraliter veteris & noui testamenti significantiam

cationem ostendunt. Faciem verò & pedes operiunt Dei, quia præterita ante mundum, & futura post mundum scire non possumus: sed media tantùm eorum testimonia contẽplamur. Singuli senas alas habent, quia fabricam tantum mundi, quæ in sex diebus facta est, in præsenti seculo nouimus. Quod clamant ter sanctus alter ad alterum, Trinitatis in vna diuinitate demonstrant mysterium.

De hominibus qui quodam præsagio nomen acceperunt. CAP. VI.

PLerique primorum hominum ex propriis caussis originem nominum habent. Quibus ita prophetice indita sunt vocabula, vt aut futuris aut præcedentibus eorum caussis conueniant. In quibus tamen manente spiritali sacramento, nunc tantùm ad literam intellectum historię persequimur. Vbi autem etymologiæ interpretationem nõ attigimus: solam ipsam etymologiam in Latinum ponimus. Quod autem vnum nomen Hebraicum aliter atque aliter interpretatur: hoc secundum accentuum & literarum euenit diuersitatem, vt in variis significationibus nomina computentur. *Adam*, sicut beatus Hieronymus tradidit, homo siue terrenus: siue terra rubea interpretatur. Ex terra enim facta est caro, & humus hominis faciendi materies fuit. *Eua* interpretatur vita: siue calamitas, siue Væ vita: quia origo fuit nascendi, calamitas: & Væ, quia per præuaricationẽ causa extitit moriendi. A cadendo enim nomen sumpsit calamitas. Alij autem dicunt ob hoc etiam Euam vitam & calamitatem appellatam, quia sæpe mulier viro causa salutis est, sępe calamitatis & mortis origo, quod est Vę. *Cain* possessio interpretatur: vnde etymologiam ipsius exprimens pater eius ait: Cain, id est possedi hominem per Deum. Idem & lamentatio, eo quòd pro interfecto Abel interfectus sit, & pœnam sui sceleris dederit. *Abel* luctus interpretatur, quo nomine præfigurabatur occidendus. Idem & vanitas, quia citò solutus est atque subtractus. *Seth* interpretatur resurrectio, eo quòd post fratris interfectionem natus sit: quasi resurrectionẽ fratris ex mortuis resuscitaret. Idem & positio, quia posuit eum Deus pro Abel. *Enos* iuxta propriæ linguæ varietatem, homo vel vir dicitur. Et congruè hoc vocabulum habuit. De eo enim scriptum est: Tunc enim initium fuit inuocandi nomen Domini. licet plerique Hebræorum arbitrentur, quod tunc primùm in nomine Domini, & similitudine eius fabricata sunt idola. *Enoch* dedicatio. In ipsius enim nomine ciuitatem postea ædificauit Cain. *Cainan* lamentatio vel possessio eorum: sicut enim Cain possessio, ita deriuatum nomen, quod est Cainan, facit possessio eorum. *Matusalem* interpretatur mortuus est. euidens est etymologia nominis. quidam enim cũ patre translatum fuisse, & diluuium præteriisse putauerunt. Ob hoc signanter trãsfertur & mortuus est, vt ostenderetur nõ vixisse eum post diluuium: sed in eodem cataclismo fuisse defunctum. Soli enim octo homines in arca euaserunt diluuium. *Lamech* percutiens. Ipse enim percussit & interfecit Cain: quod etiam ipse postea perpetrasse vxoribus confitetur. *Noe* requies interpretatur, pro eo quòd sub illo omnia retrò opera quieuerunt post diluuium. Vnde & pater eius vocans nomen eius Noe dixit, Iste requiescere nos faciet ab omnibus operibus nostris. *Sem* dicitur nominatus, eo quòd nomen ex posteritatis præsagio accepit. Ex ipso enim Patriarchæ, & prophetæ & apostoli & populi Dei. Ex eius quoque stirpe, & Christus, cuius ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen in gentibus. *Kam*, calidus: quia ipse ex præsagio futuri cognominatus est. Posteritas enim eius eam terræ partem possedit, quæ vicino sole calentior est. Vnde & Ægyptus vsque hodie Ægyptiorum lingua kan dicitur. *Iafeth* latitudo. Ex eo enim populus gentium nascitur, & quia lata est ex gẽtibus multitudo credentium, ab eadem latitudine. Iafeth dictus est. *Kanaan*, filius Kan, interpretatur, motus eorum. Quod quid est aliud nisi opus eorum? Pro motu enim patris, id est pro opere eius maledictus est. *Arfaxat* sanans depopulationem. *Chus* Hebraicè Æthios interpretatur, à posteritate sui generis nomen sortitus. Ab ipso enim sunt propagati Æthiopes. *Nembroth* interpretatur tyrannus. Iste enim prior arripuit insuetam in populos tyrannidem, & ipse aggressus est aduersus Deum impietatis ædificare turrem. *Heber* transitus. Etymologia eius mystica est, quod ab eius stirpe transiret Dominus; nec perseueraret in eis, translata gentibus gratia. Ex ipso enim sunt exorti Hebræi. *Faleg* diuisio, cui pater propterea tale nomen imposuit, quia tunc natus est, quando per linguas terra diuisa est. *Thara* exploratio ascensionis. *Melchisedech* rex iustus. Rex, quia ipse postea imperauit. Salem iustus, pro eo quòd discernens sacramenta legis & Euangelij: non pecudum victimas, sed oblationem panis & calicis in sacrificium obtulit. *Loth* declinans. Factis enim Sodomorum non consensit, sed eorum illicita carnis incendia declinauit. *Moab* ex patre & totum nomen etymologiam habet. Concepit enim eum primogenita filia de patre. *Ammon* cuius causa nomen redditur filius populi mei: sic deriuatur, vt ex parte sensus nominis, ex parte ipse sit sermo. Ammi enim

enim à quo dicti sunt Ammanitæ, vocatur populus meus. *Sarai*. interpretatur princeps mea, eo quòd esset vnius tantummodo domus materfamilias. Postea causa nominis immutati ablata de fine litera dicitur Sara, id est princeps. Omnium quippe gentium futura princeps erat, sicut & Dominus pollicitus fuerat Abraham: Dabo tibi ex Sara filiũ, & benedicam ei, & erit in gentes, sed & reges populorum erunt ex eo. *Agar*, aduena vel conuersa. Fuit enim Ægyptia. *Cethura*, thymiama interpretatur. *Ismael*, interpretatur auditio Dei: sic enim scriptum est, Et vocauit nomen eius Ismael, qui a exaudiuit eum Deus. *Esau*, trinomius est & ex propriis causa variè nuncupatur. dicitur enim Esau, id est rufus ob coctionem rufæ lentis ita appellatus, cuius edulio primogenita perdidit. *Edom*: aut ob ruborem corporis dictus est, quod Latine sanguineus dicitur. *Seir* verò quod fuerit hispidus & pilosus: quoniam enim natus est, totus sicut pellis pilosus erat. atque ideo tribus nominibus appellatur, Esau, id est rufus, Edom, id est sanguineus. *Seir*: id est pilosus: quia non habuit lenitatem. *Rebecca*, patientia: siue quæ multum accepit. *Lia*, laboriosa vtique generando. Plurimos enim dolores quàm Rachel fecunditate pariendi experta est. *Rachel*, interpretatur ouis. pro ea enim Iacob pauit oues Laban. *Zelpha*, os hians. *Bala* inueterata. *Dina*, trásfertur in causam. Iurgii enim in Sichimis causa extitit. *Thamar* amaritudo pro viris mortuis. Eadem & cõmutãs. Mutauit enim se in habitũ meretricis, quando cum socero suo cõcubuit. *Phares*: diuisio, ab eo quod diuiserit membranulam secundarum diuersoris. Inde & Phares sortitus est nomen. Vnde & Pharisæi qui se quasi iustos à populo separabant, diuisi appellabãtur. *Zara*, frater eius in cuius manu erat coccinũ, interpretatur oriens, siue quia primus apparuit, siue quòd plurimi ex eo iusti nati sunt, vt in libro Paralipomenon continetur, Zara, id est oriens appellatus est. *Iob*, in Latinum vertitur dolens: & rectè: propter percussionẽ carnis & passiones dolorũ. Calamitates enim suas nominis etymologia præfigurauit. *Pharao*, nomẽ est nõ hominis sed honoris sicut & apud nos Augusti appellantur reges cum propriis nominibus censeantur. Exprimitur autem in Latinum Pharao denegans, eum vtique Deum, siue dissipator eius. Populi enim Dei fuit afflictor. *Iãnes* marinus, siue vbi est signũ eius. Cessit & defecit signum eius coram signis Moysi vnde & dixerunt Magi, Hic digitus Dei est. *Mambres*, mare pelliceum, siue mare in capite. Deniq; Moyses interpretatur sumptus ex aqua. Inuenit enim eum ad ripam fluminis expositum filia Pharaonis, quẽ colligens adoptauit filium sibi: vocauítque nomẽ eius Moyses, eo quòd de aqua sumpsisset eũ. *Aaron*, mons fortitudinis interpretatur, propter quòd thuribulum accipiẽs in medio superstitum & interemptorum obuiam stetit & ruinam mortis quasi quidam mons fortis exclusit. *Eleazar*, Dei adiutoriũm. *Balac* præcipitans siue deuorãs. *Balaam*, vanus populus. *Phinees*, ori parcens. transfixit enim pugione Zambri cum scorto Madianitide, & Dominí furorem placauit, vt parceret. *Zambri*, stella lacessiens vel amaricans. Propriè enim est nomen ab amaritudine vocatum: quòd peccando amaricauerit populum. *Raab*, latitudo vel fames siue impetus. *Iosue* interpretatur saluator. Ipse enim in figura Christi populum à deserto saluauit, & in terram repromissionis induxit. *Caleb*, quasi cor aut canis. *Othoniel*, tempus eius Deus, vel responsio Dei. *Aod*, gloriosus. *Barach*, fulgurans. *Debora*, Apis vel loquax. Apis, quia fuit ad bellum promptissima, dimicans aduersus Sisaram: quo perempto cecinit canticum: inde loquax. *Iahel*, ascensio. *Gedeon*, experimẽtum iniquitatis eorum. Frequentibus enim documentis informatus est quasi præsagio contra hostes futuram victoriam expediret: ex quo futuro experimento etymologiam nominis sumpsit. *Abimelech*, pater meus Rex. *Thola*, vermiculus vel coccinũ. *Iair*, illuminãs. *Iephte*. aperiẽs vel apertus. *Esebon*, cogitatio siue vinculum mœroris. *Abdo*, seruus eius. *Samson*, vel eorũ vel solis fortitudo. Fuit enim virtute clarus, & liberauit Israel de hostibus eorum. *Dalila* paupercula vel situla. *Booz* in fortitudine: siue in quo robur. *Noemi* quem interpretari possumus consolatã: eo quòd marito & liberis peregrè mortuis, nurũ Moabitidẽ in consolationem suã tenuit. *Ruth*, interpretatur festinans. Alienigena enim erat ex populo gẽtili: quæ relicta patria festinauit transire in terram Israel dicens socrui suæ, Quocunque perrexeris, pergã. *Anna*, gratia eius interpretatur, quia dum esset prius sterilis natura, postremò Dei gratia fecundata est. *Eli*, Deus meus. *Ofni*, discalciatus. Filius enim fuit Heli electus in ministerium sacerdotij: cuius amissionem suo expressit vocabulo. Apostolus enim ait, Calciati pedes in præparationem Euangelij pacis. Et propheta: Quàm speciosi pedes qui annunciant pacẽ! Iste ergo discalciatus interpretatur, vt eius nomine veteris Testamenti sacerdotium à veteri populo significaretur ablatum. *Phinees*, frater Ofni, os mutum interpretatur, quo significatur sacerdotii veteris & doctrinæ silentiũ. *Samuel*, nomen eius Deus. *Gessai*, in sole sacrificium vel incensum. *Saul*, petitio interpretatur. Notum est enim quomodo Hebræorũ populus cum sibi regem petierit & accepit, nomẽ nõ secundũ Deum: sed secundũ suã voluntatem.

Dauid, manu fortis interpretatur: vtique quia fortissimus in prelijs fuit. Ipse & desiderabilis in stirpe scilicet sua, de quo dixerat propheta, Veniet desideratus cunctis gentibus. *Salomō*, tribus nominibus fuisse perhibetur. Primum vocabulum eius *Salomon* dicitur, id pacificus, eo quod in regno eius pax fuerit. Secundum nomen *Idida*: eo quòd fuerit dilectus & amabilis Domino. Tertium vocabulum eius *Coeleth*, quòd Græcè appellatur Ecclesiastes, Latinè côcionator: quòd ad populū loqueretur, *Ionathas*, columbę donum. *Absalō*, patris pax per antiphrasim: eo quòd bellū aduersus patrem gessisset; siue quòd in ipso bello Dauid placatus fuisse legitur filio: adeo vt etiā magno cum dolore extinctum plãgeret. *Roboā*, latitudo populi, & ipsū per antiphrasin: quòd decem tribubus ab eo separatis, duæ tantùm ei relictę sunt. *Abia*, pater Dominus, vel pater fuit. *Asa*, tollens siue sustollens. *Iosaphat*, Domini iudicium. *Ioram*, qui est excelsus. *Achazias*, apprehendens Dominum. *Athalia*, tempus Domini. *Ioas*, spirans vel Domini robur. *Amasias*, populū tollens. *Osias*, fortitudo Domini. *Azarias*, auxilium Domini. *Ozias* autē ipse est qui & Azarias duplici nomine. Ipse est qui illicitum sibi sacerdotiū vendicare conatus, lepra in fronte percussus est. *Ioatham*, est perfectus. Pulchrā etymologiam nominis habet. Fecit enim rectū in cōspectu Domini, & portam tēpli ædificauit excelsam. *Achas*, apprehendēs. *Ezechias*, fortis Dominus. *Manasses*, obliuiosus. Permulta enim scelera & sacrilegia reliquerat, & oblitus fuerat Domini. *Amon*, fidelis vel honestus. *Iosias*, vbi est incensum Domini, propria etymologia nominis. Iste est enim qui simulachra cōbussit. *Ioachas*, robust⁹. *Ioachim*, vbi est preparatio. *Eliachim*, Dei resurrectio. *Iechonias*, præparatio Domini. *Sedechias* iustus Domini. *Ieroboam*, iudicatio siue causa populi, vel, vt quidā aiūt, diuisio interpretatur, pro eo quòd in regno eius diuisus sit populus Israel, & præcisus è regno stirpis Dauid. Diuisionis enim populi causa iste extitit. *Zambri*, psalmus, vel cāticum meum. *Amri*, crispās meus. *Achab*, frater patris. *Iezabel*, fluxus sanguinis: vel fluens sanguinem: sed melius vbi est sterquiliniū. Præcipitata enim deorsum comederant carnes eius canes; sicut prædixerat Helias, Et erunt, inquit, carnes Iezabel, sicut stercus super faciem terræ. *Ochozias*, apprehendens Deum *Iehu*, ipse, vel est. *Ioatham*, robustus *Sella*, vmbra eius vel peritio. *Manaen*, consolans. *Phaceas* aperiēs. *Nabuchodonosor*, prophetiæ lagunculæ angustæ, siue prophetans istiusmodi signum per somnium scilicet futurorum quod vidisse narratur, & Daniel interpretatus est, siue sessio in agnitione angustiæ pro iis qui in captiuitatem ab eo ducti sūt. *Zorobabel*, apud Hebræos ex tribus integris nominibus traditur esse compositus. *Zo* iste, *ro*, magister, *babel*, propriè Babylonium sonat: & efficitur nomen Zorobabel, iste magister de Babylone. In Babylone enim ortus est, vbi & princeps gentis Iudææ extitit.

De patriarchis. CAP. VII.

QVorundam patriarcharum etymologiæ notandæ sunt, vt sciemus quomodo suo vocabulo resonent. Nam plerique eorum ex causa propria nomina acceperūt. *Patriarcha* interpretatur patrum princeps. Ἀρχὴ enim Græce principatus est. *Abram*, primum vocatus est pater vidēs populum, propter Israelitas scilicet tantùm postea appellatus est Abraham, quod transfertur pater multarum gentium, quod erat adhuc per fidem futurū. Gentium autem non habetur in nomine, sed subauditur iuxta illud: Erit nomen tuum Abraham, quia pater multarum gentium posui te. *Isaac*, ex risu nomen accepit. Riserat enim pater; quando ei promissus est admirans in gaudio. Risit & mater, quando per illos tres viros promissus est, dubitans in gaudio. Ex hac ergo causa nomen accepit Isaac. interpretatur enim risus. Sciendū autem quod quatuor in veteri Testamento absque vllo velamine nominibus suis antequam nascerentur vocati sunt. Ismael, Isaac, Salomon, & Iosias. Lege scripturas. *Iacob*, supplantator interpretatur, siue quòd in ortu plantam nascentis fratris apprehenderit: siue quòd postea deceperit fratrē arte. Vnde Esau dixit: Iuste vocatū est nomē eius Iacob, supplantauit enim me ecce secūdo. *Israel*, vir vidēs Deum. Tunc enim hoc nomen accepit, quando tota nocte luctatus vicit in certamine angelū. & oriente lucifero benedictus est. Inde propter visionē Dei Israel appellatus est, sicut & ipse ait: Vidi Dominum & salua facta est anima mea. *Ruben*, interpretatur visionis filius. Sic enim quādo eum peperit Lia: vocauit nomē eius Ruben, dicens: Quia vidit Deus humilitatē mea: *Simeon*, interpretatur auditio Dei, Sic enim dixit Lia quando eum peperit, Quia exaudiuit me Deus. Leui additus. Dixit enim Lia quando peperit eum non ambigens de amore viri: Nunc mecum erit vir meus: quia peperit tres filios. *Iudas* cōfessio dicitur. Quādo enim eum peperit Lia, laudē Domino retulit dicens: *Nūc super hoc confitebor Domino.* & ob id vocatus est Iudas. A confessione itaque nomen eius dictum est: quod est gratiarum actio. *Issachar*, interpretatur merces. Hoc autem ideo, quia mandragoris filij Ruben introitum viri qui Racheli debebatur, adstipenerat Lia. Vnde & dum natus est, dixit Lia, Dedit Deus mercedem meā. *Zabulon*, interpretatur habitaculum. Sextum enim hunc filium genuerat Lia; propterea iam secura

secura dixit, Habitabit mecum vir meus. Vnde & filius eius vocatus est habitaculum. *Nephtalim* de conuersatione siue comparatione, causa nominis eius est. Vnde & dixit Rachel, cùm eum peperisset ancilla eius Bala: Habitare me fecit Deus habitationem cum sorore mea. *Dan* interpretatur iudicium. Bala enim dum eum peperisset, dixit Rachel domina eius: Iudicauit me Dominus, & exaudiens dedit mihi filium. Causam nominis expressit, vt ab eo quòd iudicasset Dominus, filio ancillæ iudicij nomen imponeret. *Gad* ab euentu siue procinctu vocatus est. Quando enim eũ peperit Zilpha, dixit domina eius Lia in fortuna, id est quod dicitur, in procinctu vel euentu. *Aser* beatus dicitur, dum enim peperisset eum Zilpha dixit Lia. Beata ego, & beatificant me mulieres, & ab eo quòd beata dicatur, ex etymologia nominis Beatum vocauit. *Ioseph* ab eo quòd sibi alium filium addi mater optauerat, vocauit augmentum. Hunc Pharao, *Cephaneth* appellauit, quod Hebraicè absconditor repertorum sonat, pro eo quòd obscura somnia releuauit, & sterilitatem prædixit. Tamen quia nomen ab Ægyptio ponitur, ipsius linguæ deberet habere rationem. Interpretatur ergo Cephaneth Ægyptio sermone Saluator mundi, eo quòd orbem terræ ab imminente famis excidio ipse liberaret. *Beniamin* interpretatur filius dextræ quod est virtutis. Dextra enim interpretatur Iamin. Mater quippe eius moriens vocauerat nomen eius Benoni, id est, filius doloris mei. Pater hoc mutauit, filium dextræ nominans. *Manasses* dictus ab eo quòd sit pater eius oblitus laborum suorum. Ita enim Hebraicè vocatur obliuio. *Ephraim* eo quòd auxerit eũ Deus, & ex hoc vocabulo in linguam nostram transfertur augmentum.

De prophetis. CAP. VIII.

QVos gentilitas vates appellat, hos nostri *prophetas* vocant, quasi præfatores; quia porrò fantur, & de futuris vera prædicunt. Qui autem à nobis prophetæ, in veteri testamento *videntes* appellabantur, quia videbant ea quæ cæteri non videbant, & prospiciebant ea, quæ in mysterio abscondita erant. Hinc est quòd scriptum est in Samuele, Eamus ad videntẽ. Hinc Esaias, Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Et Eyechiel, Aperti sunt cœli & vidi visiones Dei. Quorundam autem prophetarum nominum etymologiæ annotandæ sunt. Vocabula enim eorum satis ostendunt, quid in futuris factis dictísque suis prænunciassent. *Helias* interpretatur Dominus Deus. Ex futuri ergo præsagio sic vocatur. Nam dũ altercaretur in sacrificio cũm quadringentis sacerdotibus Baal, inuocato nomine Domini descendit de cœlo ignis super holocaustum. Quod cùm vidisset omnis populus cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus. Ex hac ergo causa tale prius nomen accepit; pro eo quòd per eum postea cognouerit populus Dominum Deum. Idem & fortis Dominus interpretatur: vel propter quòd interfecit eosdem sacerdotes, vel propter quòd Achab aduersitatem tolerauit. *Helisæus* Domini salus interpretatur. vocabulum autem idem ex futuri præsagio suscepit, denique & multas virtutes fecit, & famem pellens populum à morte saluauit. *Nathan*, dedit, siue dantis. *Isaias* interpretatur saluator Domini. Et meritò. Saluator est enim vniuersarum gentium, eiúsque sacramenta ampliùs quàm cæteri prædicat. *Ieremias* excelsus Domini, pro eo quòd dictum est ei: Constitui te super gentes & regna. *Ezechiel*, fortitudo Dei. *Daniel*, iudicium Dei, siue quia in presbyterorum iudicio sententiam diuinæ examinationis exhibuit, dum reperta eorum falsitate Susannam ab interitu liberauit, siue quod visiones & somnia quibus per signa quædam & ænigmata futura monstrabantur, sagaci mente discernens, aperuit. Hic & desideriorum vir appellatus est, quia panem desiderij non manducauit, & vinum concupiscentiæ non bibit. *Ozee* saluator aut saluans. Dum enim iram Dei in populum Israel ob crimen idololatriæ prophetasset, domui Iudæ salutem pronunciauit. Propter quod Ezechias rex Iuda, sublatis idolis quæ præcedentes leges consecrauerant, templum Domini purgasse ac purificasse monstratur. *Iohel* Dominus Deus siue incipiens Deo, vel fuit Dei. Hoc enim eius vocabulum resonatur, etymologia incerta. *Amos* populus auulsus. Prophetia enim eius ad populum fuit Israel, qui iam auulsus erat à Domino, & aureis vitulis seruiebat siue auulsus à regno stirpis Dauid. *Naum* germen siue consolator. Increpat enim ciuitatem sanguinum, & post euersionem illius consolatur. Sion dicens: Ecce super montes pedes euangelizantis & annunciantis pacem. *Abacuc* amplexans, quia vel ex eo quòd amabilis Domini fuit, vocatur amplexatio, vel quòd in certamen cum Deo congreditur, amplexantis, id est, luctantis sortitus est nomen. Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem iustitiæ prouocare: cur in rebus humanis & mundi istius tanta rerum versaretur iniquitas? *Michæas*, quis hic, vel quis iste? Cõminatur enim Samariæ ob causam simulachrorum illo modo de quo Helias dicit: Quis est iste inuoluens sententias? *Sophonias* speculum vel arcanum Domini interpretatur: vtrumque ad prophetas con-

uenit. Ipsi enim sciunt mysteria Dei. Vnde ad Ezechielem dicitur, Speculatorem te posui domui Israel. Et alibi, Non faciet Dominus quicquam, nisi reuelauerit seruis suis prophetis. *Abdias*, seruus Domini. Sicut enim Moyses seruus Domini & Apostolus seruus Christi: ita iste legatus ad gentes missus videt & prædicat quæ prophetali digna sunt ministerio & seruiture, inde seruus Domini. *Ionas* interpretatur columba siue dolens. Columba, pro gemitu quãdo in ventre ceti triduo fuit. Dolens autem vel propter tristitiam quam habuit de salute Niniuitarum, vel propter ederam subitò arescentem, cuius vmbraculo tegebatur contra solis ardorem. Ipse est & Amathi Sareptenitæ viduæ filius, vt Iudæi affirmant, quam resuscitauit Helias, matre postea ad eum dicente, Nunc cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est. Ob hanc causam ipsum puerum Amathi vocatum. Amathi enim ex Hebræo in Latinã linguam veritas dicitur, & ex eo quod verum Helias locutus est, ille qui suscitatus est, filius nuncupatus est veritatis. *Zacharias* memoria Domini. Septuagesimo enim anno desolationis templi completo, Zacharia prædicante memoratus est Dominus populi sui: iussuque Darij reuersus est populus Dei, & reædificata est vrbs, & templum. *Aggeus* in Latinum festiuus & lætus resonat. Destructum enim templum ædificandum prophetat, & post luctum captiuitatis regressionis lætitiam prædicat. *Malachias* interpretatur angelus Domini, id est, nuncius. Quicquid enim loquebatur, quasi à Domino essent mandata ita credebantur, & inde ita nomen eius Septuaginta transtulerunt dicentes, Assumptio verbi Domini super Israel in manu angeli eius. *Esdras* adiutor. *Neemias* consolator à Domino. Quodam enim præsagio futurorum nomina ista sortiti sunt. Fuerunt enim in adiutorium & consolationem omni illi populo redeunti ad patriam. Nam & templum Domini idem reædificauerunt, & murorum & turrium opus ipsi restaurauerunt. *Ananias* gratia Dei interpretatur. Idem & *Sidrac* lingua Chaldæa, quod interpretatur decorus meus. *Azarias* auxilium Domini. Idem & Abdenago, quòd in Latinum vertitur Seruiens taceo. *Misahel*, qui populus Domini. Ipse & Misac quod interpretatur risus vel gaudium. *Azia* frater meus. *Semeia* audiens Dominum. *Asap* congregans. *Ethan*, robustus, siue ascensus. *Idithun* transiliens eos, siue saliens eos. Quosdam enim inhærentes humo, curuatos in terram & ea quæ in imo sunt cogitantes, & in rebus transeuntibus spem ponentes, transiliuit canendo iste, qui vocatur transiliens. *Eman* accipiens vel formido eorum. *Barachia* benedictus Dominus, vel benedictus Domini. *Olda* districtio, siue diuerticulum. *Iudith* laudans, vel confitẽs Domino. *Hester* absconsa. *Zacharias* memoria Domini, ob hoc quia canit memoriale testamenti sui sancti. *Ioannes* Domini gratia, eò quod sit limes prophetiæ, prænuncius gratiæ, siue initium baptismatis, per quod gratia ministratur. Hi sunt prophetæ veteris nouique testamenti, quorum finis Christus, cui dicitur à Patre, Et prophetam in gentibus posui te. ¶ *Prophetiæ* autẽ *genera* sunt septem. Primũ genus *Ecstasis*, quod est mentis excessus, sicut vidit Petrus vas illud summissum de cœlo in stupore mentis cum variis animalibus. Secundum genus *visio*, sicut apud Esaiam dicentem: Vidi Dominũ sedentẽ super solium excelsum. Tertium genus *Sõnium*, sicut Iacob subnixam in cœlo scalam dormiẽs vidit. Quartum genus *per nubẽ*, sicut ad Moysen & ad Iob post plagam loquitur Deus. Quintum genus *Vox de cœlo*, sicut ad Abraham sonuit dicens, Ne iniicias manum tuam super puerum. Et ad Saulum in via; Saule Saule quid me persequeris? Sextum genus, *accepta parabola*, sicut apud Salomonem in Prouerbiis, & apud Balaam cùm euocaretur à Balac. Septimum genus *repletio sancti Spiritus*, sicut penè apud omnes prophetas. ¶ Alia *tria genera visionum* dixerunt esse. Vnum *secundum oculos corporis*, sicut vidit Abraham tres viros sub ilice Mambre, & Moyses ignem in rubo, & discipuli transfiguratum Dominũ in monte inter Moysen, & Heliam, & cætera huiusmodi. Alterum *secundũ Spiritũ quo imaginamur ea quæ per corpus sentimus*, sicut vidit Petrus discũ illum submitti de cœlo cum variis animalibus, & sicut Esaias Deum in sede altissima nõ corporaliter, sed spiritualiter vidit. Non enim Deum forma corporea circũterminat; sed quemadmodum figuratè, non propriè multa dicuntur, ita etiã figuratè multa monstrantur. Tertium autem genus visionis est, *quod neque corporeis sensibus, neque vlla parte animæ qua corporalium rerum imagines capiuntur, sed per intuitum mentis quo intellecta conspicitur veritas*; sicut Daniel præditus mente vidit quod Balthasar viderat corpore, sine quo genere illa duo vel infructuosa sunt, vel etiam in errorem mittunt. Omnia tamen hęc genera Spiritus sanctus moderatur. ¶ Habere autem prophetiam nõ solum bonus, sed etiam malus potest. Nam inuenimus Saulem regem prophetasse. Persequebatur enim sanctum Dauid, & impletus Spiritu sancto prophetare cœpit.

De apostolis. CAP. IX.

Apostoli missi interpretantur. Hoc enim eorum nomen indicat. Nam sicut Græcè

ἀπόστολοι

ἄγγελοι Latinè nuntij vocantur: ita Græcè Apostoli, Latinè missi appellantur. Ipsos enim misit Christus euangelizare per vniuersum mundum: ita vt quidam Persas Indósque penetrarent: docentes gentes, & facientes in nomine Christi magna & incredibilia miracula, vt attestantibus signis & prodigiis crederetur illis in iis quæ dicebant & viderant. Habent enim plerique eorum ex iis causas suorum vocabulorum. *Petrus* à petra nomen accepit, hoc est, à Christo super quem fundata est Ecclesia. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra nomen sortitus est: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur, ideóque ait Dominus: tu es Petrus & super hanc Petram, & cætera, quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei viui. deinde ei Dominus. Super hanc petrã, quam confessus es, ædificabo, inquit, Ecclesiã meã, Petra enim erat Christus super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. *Cephas* dictus, eo quod in capite sit constitutus Apostolorum. κεφαλὴ enim Græcè, caput dicitur, & ipsum nomen in Petro Syrum est. *Simon Bariona*, in linguam nostram sonat filius columbæ, & est nomen Syrum pariter & Hebræum. *Bar* quippe Syra lingua filius, *Iona* Hebraice columba, vtroque sermone dicitur bariona. Alij simpliciter accipiunt quod Symoni, id est Petrus filius sit Iohannis, iuxta illam interrogationem: Simon Iohannis diligis me? & volunt scriptorum vitio deprauatum, vt pro bar iohanna, hoc est filius Iohannis, bariona scriptum sit, vna detracta syllaba. Iohanna autem interpretatur Domini gratia. Et fuisse constat Petrum trinomium: *Petrum, Cephan, & Simon Barionam*. Simon autem Hebraicè interpretatur obediens. *Saulus*, Hebraico sermone tentatio dictus, eo quòd prius in tentatione Ecclesiæ sit versatus. Persecutor enim erat, & inde nomen habebat istud, quando persequebatur Christianos. Postea mutato nomine de Saulo factus est Paulus, quod interpretatur mirabilis siue electus. Mirabilis, vel quia multa signa fecit, vel quia ab oriente vsque ad occasum Euangelium Christi in omnibus gentibus prædicauit. Electus, sicut in Actibus Apostolorum Spiritus sanctus dicit: Segregate mihi Barnabam & Paulum ad opus ad quod elegi eos. Latino autem sermone. *Paulus* à modico dictus: vnde & ipse ait, Ego sum minimus Apostolorum omnium. Quando enim Saulus, superbus, elatus. quando Paulus, humilis & modicus. Ideo sic loquimur, pauló post videbo te, id est post modicum. Nam quia modicus factus, ipse dicit, Ego enim sum nouissimus Apostolorum, & Mihi minimo omnium sanctorum. Cephas autẽ & Saulus ideo mutato nomine sunt vocati, vt essent etiam ipso nomine noui, sicut Abrahã & Sara. *Andreas* frater Petri carne, & cohæres gratiæ, secundum Hebræam etymologiam interpretatur decorus, siue respondens, sermone autem Græco à viro virilis appellatur. *Ioannes*, quodam vaticinio ex merito nomine accepit. Interpretatur enim. In quo est gratia, vel Domini gratia. Amplius enim eum cæteris Apostolis dilexit Iesus. *Iacobus Zebedæi* à patre cognominatur, quem relinquẽs, cum Ioanne verũ patrem secuti sunt. Hi sunt filii tonitrui, qui etiam Boanerges ex firmitate & magnitudine fidei nominati sunt. Hic est Iacobus filius Zebedæi, frater Ioannis: qui post ascensionem Domini ab Herode manifestatur occisus. *Iacobus Alphæi*, ob distinctionem prioris cognominatus, qui dicitur filius Zebedæi, sicut iste filius Alphæi. Cognomentũ igitur ambo à patre sumpserunt. Iste est Iacobus minor, qui in Euangelio frater Domini nominatur, quia Maria vxor Alphæi soror fuit matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Euangelista cognominat: à patre siue à gẽtilitate familiæ, aut quacunque alia causa ei nomẽ imponens. Alphæus autem Hebræorum sermone in Latinum exponitur millesimus siue doctus. *Philippus*, os lampadarum, vel os manuum. *Thomas*, abyssus vel geminus, vnde Græcè Didymus appellatur. *Bartholomæus* filius suspendentis aquas, vt filius suspendentis me: Syrum est non Hebræum. *Matthæus*, in Hebræo donatus exprimitur. Idem & appellatus Leui ex tribu à qua ortus fuit. In Latino autem ex opere publicani nomen accepit, quia ex eis fuit electus, & in apostolatum translatus. *Simon Chananæus*, ad distinctionẽ Simonis Petri, de vico Galileæ Cana, vbi aquas Dominus mutauit in vinũ. Ipse est qui in alio Euangelista scribitur *Zelotes*. Cana quippe zelus interpretatur. *Iudas Iacobi*, qui alibi vocatur Lebbeus, figuratum nomen habet à corde: quod nos diminutiuè corculum possumus appellare. Ipse in alio Euangelista Thaddæus scribitur, quem ecclesiastica tradit historia missum Edessam ad Abgarũ regẽ. *Iudas Iscariotes*, vel à vico in quo ortus est, vel ex tribu Isachar vocabulũ sumpsit, quodã præsagio futuri in cõdemnationẽ sui. Isachar enim interpretatur merces, vt significaretur pretiũ proditoris, quo vendidit Dominũ, sicut scriptũ est. Et acceperunt mercedem meam, triginta argẽteos, &c. *Mathias* qui inter Apostolos sine cognomine solus habetur interpretatur donatus, vt subaudiatur pro Iuda. Ipse enim in locum eius electus est ab Apostolis, cùm pro duobus sors mitteretur. *Marcus* excelsus mandato. vtique propter Euangelium altissimi quod prædicauit. *Lucas* ipse consurgens, siue eleuans, eo quod eleuauerit per prædicationẽ Euangeliũ post alios.

Barnabas, filius Prophetæ vel consolationis.

De reliquis in Euangelio nominibus.

CAP. X.

MAria, illuminatrix siue stella maris. Genuit enim lumen mundi. Sermone autem Syro Maria domina nuncupatur, & pulchrè, quia Dominũ genuit. *Elizabeth*, Dei mei saturitas, vel Domini mei iuramentum. *Magdalena*, turris. *Martha*, irritans vel prouocans. Sermone autem Syro interpretatur dominãs. *Nathanael*, donum Dei, quia dolus, id est simulatio dono Dei in eo non fuit. *Zebedeus*, donatus, siue fluẽs iste. *Zacheus* iustus, siue iustificatus, siue iustificandus. Syrum est nomen non Hebræum. *Lazarus*, adiutus, eo quòd sit è morte resuscitatus. *Herodes*, pelliceus, gloriosus. *Chayphas*, inuestigator aut sagax, aut vomens ore. Iniquo enim ore suo iustum condemnauit, quamuis hoc mysterio prophetali annuntiasset. *Pontius*, declinans concilium vtrique Iudæorum. Accepta enim aqua lauit manus suas dicens: Innocens ego sum à sanguine huius iusti. *Pilatus*, os malleatoris, quia dum Christum ore suo & iustificat & condemnat, more malleatoris vtraque ferit. *Barraba*, filius magistri eorum, absque dubio Iudæorum magistri, qui est diabolus homicidiorum autor, qui vsque hodie regnat in eis.

De Martyribus. CAP. XI.

MArtyres Græca lingua, Latinè testes dicuntur: vnde & testimonia Græcè martyria nuncupantur. *Testes* autem ideò vocati sunt, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, & vsque ad mortem pro veritate certauerunt. Quia verò non testes (quod Latinè vtique possumus) sed Græcè martyres appellamus, familiarius Ecclesiæ auribus hoc Græcũ verbum sonat, sicut multa Græca nomina quæ pro Latinis vtimur.

¶ *Martyrum primus* in nouo Testamẽto *Stephanus* fuit: qui sermone Hebræo interpretatur norma, quòd prior fuerit in ministerio ad imitationem fidelium. Idem autem ex Græco sermone in Latinum vertitur coronatus, & hoc propheticè: vt quod sequeretur in re vaticinio quodam futuri prius in vocabulo resonaret. Passus est enim, & quod vocabatur accepit. Stephanus enim corona dicitur, humiliter lapidatus, sed sublimiter coronatus. ¶ *Dꝫ autem sunt martyrij genera*, vnũ *in aperta passione*, alterum *in occulta animi virtute*. Nam multi hostis insidias tolerantes, & cunctis carnalibus desiderijs resistẽtes: per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactauerunt, etiam pacis tempore martyres facti sunt: qui etiam si persecutionis tempus extitisset, martyres esse potuerunt.

De clericis.

CAP. XI.

CLerus, & *clericus* hinc appellatur, quia Mathias sorte electus est: quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Κλῆρος enim Græcè, sors vel hæreditas Latinè dicitur. Propterea ergo dicti sunt clerici, quòd de sorte sunt Domini, vel quia Domini partem habent. Generaliter autem clerici nuncupantur omnes qui in Ecclesia Christi deseruiũt, quorum gradus & nomina hæc sunt: *Ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolitus, subdiacon⁹, diaconus, presbyter, episcopus. Ordo episcoporum* quadripartitus est, id est *in patriarchis, archiepiscopis, metropolitis* atque *episcopis. Patriarcha*, Græca lingua summus pater interpretatur, quia primum, id est apostolicum retinet locum. & ideo quia summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut Romanus, Antiochenus, & Alexãdrinus. *Archiepiscopus*, Græcè dicitur summus episcoporum. Tenet enim vicem apostolicam, & præsidet tam metropolitanis quàm episcopis cæteris. *Metropolitani* autem à mensura ciuitatum vocantur. Singulis enim prouincijs præeminent, quorum autoritati & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt: sine quibus nihil reliquos episcopos agere licet. sollicitudo enim totius prouinciæ ipsis episcopis commissa est. Omnes autem superius designati ordines vno eodémque vocabulo episcopi nominantur, sed ideo priuato nomine quidam vtuntur propter distinctionem potestatum, quam singulariter acceperunt. *Patriarcha*, patrum princeps. Ἀρχὴ enim princeps. *Archiepiscopus* princeps episcoporũ, sicut metropolitanus à mensura ciuitatum. *Episcopatus* autem vocabulum inde dictum, quòd ille qui superefficitur, superintendat, curam scilicet gerens subditorum. Σκοπεῖν enim Græcè Latinè intendere dicitur. Episcopi autem Græcè Latinè speculatores interpretãtur. Nam speculator est præpositus in Ecclesia: dictus eò quod speculetur atque prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam. *Pontifex*, princeps sacerdotum est, quasi via sequentium. Ipse & summus sacerdos, ipse & pontifex maximus nuncupatur. Ipse enim efficit sacerdotes atque leuitas. ipse omnes ordines ecclesiasticos disponit. ipse quid vnusquisque facere debeat ostendit. Antea autẽ pontifices & reges erant. Nam maiorum hæc erat consuetudo, vt rex esset etiam sacerdos & pontifex. Vnde & Romani imperatores pontifices dicebantur. *Vates*, à vi mentis appellatus, cuius significatio multiplex est. Nam modò sacerdotem, modò prophetam significat, modò poetam. *Antistes*, sacerdos dictus ab eo quòd ante stat. Primus est enim in ordine Ecclesiæ, & supra se nullũ habet. *Sacerdos* autẽ

nomen

nomen habet compositum ex Græco & Latino, quasi sacrum dans. sicut enim rex à regendo, ita sacerdos à sacrificando vocatus est. Consecrat enim & sanctificat. Sacerdotes gentilium *flamines* dicebantur. Hi in capite habebant pileum, in quo erat breuis virga desuper, habens lanæ aliquid: quod cùm pro æstu ferre non possent, filo tantùm capita religare cœperunt. Nam nudis eos penitus capitibus incedere nefas erat. vnde à filo quo vtebantur, flamines dicti sunt: quasi filamines. verùm festis diebus filo deposito: pileum imponebant pro sacerdotij eminentia. *Presbyter* Græcè, Latinè senior interpretatur, non pro ætate vel decrepita senectute: sed propter honorem & dignitatem quam acceperunt, presbyteri nominantur. Vnde & apud veteres idē episcopi, & presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis: hoc est ætatis. Ideò autem & presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut & episcopi: qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, quia nec chrismate frontem signant, nec paracletum spiritum dant: quod solùm deberi episcopis lectio Actuum apostolorum demōstrat. *Leuitæ* ex nomine autoris vocati. de Leui enim Leuitæ exorti sunt, à quibus in templo Dei mystici sacramenti mysteria explebantur. Hi Græcè diaconi: Latinè ministri dicuntur, quia sicut in sacerdote consecratio: ita in diacono ministerij dispensatio habetur. *Hypodiaconi* Græcè: quos nos subdiaconos dicimus, qui ideò sic appellantur, quia subiacent præceptis, & officiis leuitarum: qui in Esdra Nathanei appellantur, id est in humilitate Domino seruientes: oblationes enim in templo Dei à fidelibus ipsi suscipiunt, & leuitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Nathinnei vocantur. *Lectores* à legendo & psalmistæ à psalmis canēdis vocati. Illi enim prædicant populis quid sequantur. isti canunt vt excitent ad compunctionē animos audientium. licet & quidam lectores ita miseranter pronuncient. vt quosdā ad luctum lamentationémque compellant. Idem etiam pronunciatores vocantur, quod porrò annuncient. Tanta enim & tam clara erit vox eorum, vt quanuis longè positorum aures adimpleant. *Cantor* autem vocatus, quia vocem modulatur in cantu. Huius duo genera dicuntur in arte musica, sicut ea docti homines Latinè dicere potuerunt; præcentor & succentor. *Præcentor*, qui vocem præmittit in cantu. *Succentor* autem qui subsequenter canendo respondet. *Concentor* autem dicitur qui consonat, qui autem non consonat, nec concinit, nec cantor, nec succentor erit. *Acolyti* Græcè, Latinè ceroferarij dicuntur à deportandis cereis quando Euangelium legendum est, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis & deportantur; non ad fugandas tenebras, dum sol eodē tempore rutilet: sed ad signum lætitiæ demōstrandum, vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur de qua in Euangelio legitur: Erat lux vera quæ illuminat, & cætera. *Exorcistæ* ex Græco in Latinum adiuratores siue increpantes vocantur. Inuocant enim super cathecumenos, vel super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini Iesu, adiurantes per eum, vt egrediatur ab eis. *Ostiarij*, id est ianitores qui inter Esdra custodes tēpli dicuntur seruorum Salomonis filij: qui in veteri testamento electi sunt ad custodiam templi, vt non ingrederetur eum immundus in omni re. dicti autem ostiarij, quòd præsint ostiis templi. Ipsi enim tenentes clauem, omnia intus extráque custodiunt, atque inter bonos & malos habentes iudicium, fideles recipiunt, respuunt infideles.

De monachis. CAP. XIII.

MOnachus Græca etymologia vocatur, eò quòd sit singularis. μονὰς enim Græcè singularitas dicitur. Ergo si solitarius interpretatur vocabulum monachi, quid facit in turba, qui solus est? Plura autem sunt genera monachorum. *Cœnobitæ*: quos nos in commune viuentes possumus appellare. Cœnobium enim plurimorum est. *Anachoritæ* sunt, qui post cœnobialem vitam deserta petūt & soli habitant per deserta: & ab eo quòd procul ab hominibus recesserunt, tali nomine nuncupantur, sed anchoritæ Heliam Ioannem, cœnobitæ apostolos imitantur. *Heremitæ* ij sunt, qui & anachoritæ, ab hominum conspectu remoti, heremum & desertas solitudines appetentes. Nam heremum dicitur quasi remotum. *Abba* autem Syrum nomen, significat in Latinum pater, quod Paulus Romanis scribens exposuit dicens: In quo clamamus abba pater, in vno nomine duabus vsus linguis. Dicit enim Abba Syro nomine patrem, & rursus Latinè nominat, id est, patrem.

De cæteris fidelium nominibus.

CAP. IV.

CHristianus quantū interpretatio ostendit, de vnctione dicitur siue de nomine autoris & creatoris. A Christo enim Christiani sunt cognominati, sicut à Iuda Iudæi. De magistri quippe nomine cognomen sectatoribus datum est. Christiani autem olim à Iudæis quasi ob opprobrium. *Nazareni* vocabantur, pro eo quòd Dominus noster atque saluator à vico quodam Galilææ Nazareus sit appellatus. Non se autem glorietur

Christianum qui nomē habet & facta nō habet. vbi autem nomen secutum fuerit opus: certissimè ille est Christianus, quia se factis ostendit Christianum, ambulans sicut & ille ambulauit, à quo & nomen traxit. *Catholicus* vniuersalis, siue generalis interpretatur. Nam Græci vniuersale καθολικὸν vocant. *Orthodoxus* est rectè credens, & vt credit rectè viuēs. ὀρθῶς enim Græcè rectè dicitur. δόξα gloria: hoc est vir rectæ gloriæ. Quo nomine non potest vocari qui aliter viuit quàm credit. *Neophytus* Græcè: Latinè nouellus & rudis, fidelis vel nuper renatus interpretari potest. *Catechumenus* dictus pro eo quòd adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptismum percepit. Nam κατηχούμενος Græcè auditor dicitur. *Competens* vocatur qui post instructionem fidei competit gratiam Christi, inde & à petendo competens vocatur. *Laicus*, popularis. λαὸς enim Græcè populus dicitur. *Proselytus*, id est aduena & circūcisus, qui miscebatur populo Dei. Græcum est.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER VIII.

CAPITA LIBRI OCTAVI.

De Ecclesia & synagoga. CAP. I.

ECCLESIA Græcum est quod in Latinū vertitur cōuocatio, propter quòd omnes ad se conuocet. *Catholica* vniuersalis, quasi καθ' ὅλον, id est, secūdum totum. Nō enim sicut cōuenticula hæreticorū in aliquibus regionum partibus coarctatur: sed per totum orbem terrarum dilatata diffunditur. Quod etiam Apostolus approbat ad Romanos dicens: Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo, siue quod in vnitate cunctos coniungit credentes. Hinc & vniuersitas ab vno cognominata est, propter quod in vnitatem colligitur. vnde Dominus in Euangelio. Qui mecum non colligit, spargit. Cur autem ecclesia cùm vna sit, à Ioanne septem scribuntur, nisi vt vna catholica septiformi plena spiritu designetur. sicut & de Domino nouimus dixisse Salomonem: Sapientia ædificauit sibi domum & excidit columnas vij. quæ tamen vij. vna esse non ambigitur, dicente Apostolo: Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis. ¶ Inchoauit autem Ecclesia à loco vbi venit de cœlo Spiritus sanctus, & impleuit vno loco sedentes. ¶ Pro peregrinatione autem præsenti Ecclesia, *Sion* dicitur, eo quòd ab huius peregrinationis lōgitudine promissionem rerum cælestiū speculetur: & idcirco Sion, id est speculatio nomē accepit. Pro futura verò patriæ pace Hierusalem vocatur. nam Hierusalem visio pacis interpretatur. Ibi enim absorpta omni aduersitate, pacem, quæ est Christus, præsenti possidebit obtuitu. *Synagoga* Græcè, Latinè congregatio dicitur, quod proprium nomen Iudæorum populus tenuit. Ipsorum enim propriè synagoga dici solet: quamuis & Ecclesia dicta sit. Nostram verò Apostoli nunquam synagogam dixerunt, sed super Ecclesiam: siue discernendi causa, siue quòd inter congregationem vnde synagoga, & conuocationem vnde Ecclesia nomen accepit distet aliquid, quòd scilicet congregari & pecora solent, quorum & greges propriè dicimus congregari. conuocari autem magis est vtentium ratione: sicut sunt homines.

De religione & fide. CAP. II.

DOgma à putando philosophi nominauerūt, id est, hoc puto esse verū, hoc puto esse bonum. Religio appellata, quòd per

eam vni Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum vinculo seruiendi. Quod verbum compositum est à religendo, id est, eligendo, vt ita Latinum videatur religio sicut eligio. Tria sunt autem quæ in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus perquiruntur, id est *fides, spes, charitas. In fide* quid credendum, *in spe* quid sperandum, *in charitate* quid sit amandum. *Fides* est, quia veraciter credimus id quod nequaquam videre valeamus. Nam credere iã non possumus quod videmus. Propriè autẽ nomẽ fidei inde est dictum, si omnino fiat quod dictũ est, aut promissum. Et inde fides vocata, ab eo quòd fit illud quod inter vtrosque placitum est, quasi inter Deum & hominem, hinc & fœdus. *Spes* vocata quòd sit spes progrediendi, quasi, est pes. vnde contrarium desperatio. deest enim ibi pes, nullá que progrediẽdi facultas est, quia dum quisque pũctum amat, futuram gloriam non superat. Charitas Græcè: Latinè dilectio interpretatur, quòd duo in se ligant. Nam dilectio à duobus incipit, quod est amor Dei & proximi. de qua Apostolus, Plenitudo, inquit, legis dilectio. Maior est autem hæc omnibus, quia qui diligit, & credit & sperat. Qui autem non diligit, quamuis multa bona faciat, frustra laborat. omnis autem dilectio carnalis non dilectio: sed magis amor dici solet. dilectionis autem nomen tantùm in melioribus rebus accipi solet.

De hæresi & schismate. CAP. III.

HÆresis Græcè ab electione vocatur, quòd scilicet vnusquisque id sibi eligat quod melius sibi esse videtur, vt philosophi Peripatetici, Academici, Epicurei & Stoici, vel sicut alij qui peruersum dogma cogitantes, arbitrio suo de Ecclesia recesserunt. Inde ergo hæresis dicta Græca voce, ex interpretatione electionis qua quisque arbitrio suo ad instituenda siue ad suscipienda quælibet ipse sibi eligit. Nobis verò nihil nostro ex arbitrio inducere licet: sed nec eligere quod aliqui de arbitrio suo induxerint. Apostolos autẽ Dei habemus autores: qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerẽt elegerũt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Itaque etiãsi angelus de cœlis aliter euangelizauerit: anathema vocabitur. *Secta* autẽ à sequendo & tenendo nominata. Nã sectas dicimus habitus animorũ, ac instituta circa disciplinã vel propositum quem tenendo sequuntur: longè alia in religionis cultu opinantes quàm cæteri. *Schisma* à scissura animorũ nomẽ accepit. Eodẽ. n. cultu eodẽmq; ritu credit vt cæteri. solo cõgregationis delectatur dissidio. Fit aũt schisma cùm dicũt homines, nos iusti sumus. nos sanctificamus immundos, & cætera similia. *Superstitio* dicta, eò quòd sit superflua, aut superstatuta obseruatio. Alij dicunt à senibus, quia multis annis superstites per ætatẽ delirant, & errant superstitione quadam, nescientes quæ vetera colant, aut quæ veterũ ignari asciscunt. Lucretius autem superstitionem dicit superstantium rerum, id est cœlestium & diuinorum quæ super nos stant: sed malè dicit. Hæreticorum autem dogmata, vt facilè possint agnosci, causas eorum vel nomina demonstrare oportuit.

De hæresibus Iudæorum. CAP. IV.

IVdæi, confessores interpretantur. Multos enim ex iis sequitur confessio: quos antea perfidia possidebat. *Hebræi*, trãsitores dicuntur. Quo nomine admonentur, vt de peioribus ad meliora transeant, & pristinos errores relinquant. *Pharisæi* & *Sadducæi* inter se contrarij sunt. Nam *Pharisæi* ex Hebræo in Latinum interpretantur Diuisi, eo quòd traditionum & obseruationum suarum quas illi δευτερώσεις vocant, iustitiam præferunt. vnde & diuisi vocantur à populo, quasi per iustitiam, *Saducæi*, interpretantur iusti. vendicant enim sibi quod non sunt: corporis resurrectionem negant, & animam interire cùm corpore prędicant. Hi quinque tantùm libros Legis recipiunt, prophetarum vaticinia respuũt. *Esnei*, dicunt ipsum esse Christum, qui docuit illos omnem abstinentiam. *Morbonei*, dicũt ipsum esse Christum, qui docuit illos in omni re sabbatizare. *Genistæi*, dicti eo quòd de genere Abrahæ esse se gloriantur. Nam cùm in Babyloniam venisset populus Dei, plerique relinquentes vxores suas, Babylonicis mulieribus adhæserunt, quidam autem Israeliticis tantùm coniugiis contenti vel ex eis geniti, dum reuersi essent de Babylonia, diuiserunt se ab omni populo & assumpserunt sibi hoc nomen iactantiæ. *Meristæi*, appellati, eo quòd separant Scripturas, non credentes omnibus prophetis, dicentes aliis & aliis spiritibus illos prophetasse. μέρος enim Græcè, Latinè pars dicitur. *Samaritæ* dicti, quòd legem solã custodiunt. Nam prophetas non recipiunt. *Hemerobaptistæ*, eo quòd quotidie vestimenta sua & corpora lauent.

De hæresibus Christianorum. CAP. V.

QVidam etiam hæretici, qui de Ecclesia recesserunt ex nomine autorum suorũ nuncupantur. quidam verò ex causis quas eligentes instituerunt. *Simoniaci* dicti à Simone magicæ disciplinæ perito, cui Petrus in Actibus Apostolorum maledixit, pro eo quòd ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecunia emere voluisset. Hi dicunt creatu-

UNIVERSITARIA

ram non à Deo, sed à virtute quadam superna creatam. *Menandriani* à Menādro magno discipulo Simonis nuncupati, qui mundum nō à Deo sed ab angelis factū esse asseruit. *Basilidiani* à Basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias passum Iesum abnegauit. *Nicolaitæ* dicti à Nicolao diacono Ecclesiæ Hierosolymorum, qui cum Stephano & cæteris cōstitutus est à Petro: qui propter pulchritudinem relinquēs vxorem dixerat, vt qui vellet ea vteretur, versa est in stuprum talis consuetudo, vt inuicem coniugia mutarentur. Quos Ioannes in Apocalypsi improbat dicens, Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum. *Gnostici* propter excellentiam scientiæ se ita appellare voluerunt. Animam naturam Dei esse dicunt, bonum & malum Deum suis dogmatibus fingunt. *Carpocratiani* à Carpocrate quodam vocantur: qui dixit Christum hominem fuisse tantùm, & de vtroque sexu progenitum. *Cherinthiani* à Cherintho quodam nuncupati. Hi inter cætera circumcisionem obseruant: mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros prædicant. Vnde & Græcè *Chiliastæ* Latinè *Milliastæ* sunt appellati. *Nazaræi* dicti, qui dum Christū qui à vico Nazaræus est appellatus filium Dei confiteantur, omnia tamen veteris legis custodiūt. *Ophitæ* à colubro nominati sunt. Coluber enim Græcè ὄφις dicitur. Colunt enim serpentem, dicentes ipsum in paradisum induxisse virtutis cognitionem. *Valentiniani* à Valentino quodam Platonico sectatore vocati, qui αἰῶνας, id est, secula quædam in originem Dei creatoris induxit: Christum quoque de virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eam quasi per fistulam transisse asseruit. *Apellitæ*, quorum Apelles princeps fuit, qui creatorem angelum nescio quem gloriosum superioris Dei faciens Deū legis Israel: illū igneū affirmans. *Apellitæ* quorum author Appelles, qui dixit Christum non Deum veritate, sed hominē in phantasia apparuisse. *Archōtiaci* à principibus appellantur, qui vniuersitatem quam Deus condidit, opera esse archangelorum defendunt. *Adamiani* vocati, quòd Adæ imitentur nuditatem. vnde & nudi orant, & nudi inter se mares fœminæque conueniunt. *Cainiani* proinde sic appellati, quoniā Cain adorant. *Sethiani* nomen acceperūt à filio Adam qui vocatus est Seth, dicentes eundem esse Christū. *Melchisedechiani* vocati, pro eo, quòd Melchisedech sacerdotem Dei, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur. *Angelici* vocati, quia angelos colunt. *Apostolici* hoc sibi nomen ideo præsumpserūt, quòd nihil possidentes propriū, nequaquam recipiant eos qui aliquid in hoc mundo vtūtur. *Cerdoniani* à Cerdone quodā nominati, qui duo contraria principia asserunt. *Martionistæ* à Martione Stoico philosopho appellati. qui Cerdonis dogma secutus, alterū bonū alterum iustum Deum asseruit, tanquam duo principia creatoris & bonitatis. *Artoteritæ* ab oblatione vocati: Panem enim & caseum offerunt, dicentes primis hominib. oblationem à fructibus terræ & à fructibus ouium fuisse celebratam. *Aquarij* appellati, eò quòd aquā solam offerunt in calice sacramenti. *Seueriani* à Seuero exorti, vinū non bibūt, vetus Testamentum & resurrectionem non recipiunt. *Tatiani* à Tatiano quodam vocati, qui & Encratitæ dicti, quia abominantur carnes. *Alogij* vocantur tanquam sine verbo. λόγος enim Græcè verbum dicitur. Deū enim verbū non credunt, respuentes Iohannis euangeliū & Apocalypsin. *Cataphrygiis* nomen prouinciæ Cataphrygia dedit, quia ibi extiterūt authores eorum Montanus & Prisca & Maximilla. Hi aduētum Spiritus sancti non in apostolis, sed in se traditum asserunt. *Cathari* propter munditiam ita se nominauerunt. Gloriantes enim de suis meritis, negant pœnitētibus veniam peccatorum, viduas si nupserint, tanquam adulteras damnant. Mundiores se cæteris prædicant. Qui nomē suū si cognoscere vellēt, mūdanos se potius quàm mūdos vocarent. *Pauliani* à Paulo Samosateno exorti sunt, qui dixit non semper fuisse Christum, sed à Maria sumpsisse initium. *Hermogeniani* ab Hermogene quodam vocati, qui materiā non natam introducens, Deo non nato eam comparauit, matrémq. elemētorum & deam asseruit, quos Apostolus improbat, elementis seruientes. *Manichæi* à quodam Persa extiterunt, qui vocatus est Manes. Hic Manes duas naturas & substantias introduxit, id est, bonā & malam, & animas ex Deo quasi ex aliquo fonte manare asseruit. Testamentum vetus respuit: Nouum ex parte recipit. *Anomiani*, id est, Latinè sine lege dicūtur. *Anthropomorphitæ* dicti, pro eo quòd simplicitate rustica Deū habere humana mēbra, quæ in diuinis libris scripta sunt, arbitrantur. ἄνθρωπος enim Græcè, Latinè homo interpretatur, ignorantes vocē Domini qui ait, Spiritus est Deus. Incorporeus est enim, nec mēbris distinguitur, nec corporis mole censetur. *Eraclitæ* ab Eraclio authore exorti. Monachos tantùm recipiunt, coniugia respuunt, regna cœlorum paruulos habere nō credunt. *Nouatiani* à Nouato Romæ vrbis presbytero exorti, qui aduersus Cornelium cathedram pōtificalem conatus inuadere, hæresim instituit, nolens apostatas recipere, & rebaptisans baptizatos. *Montani* hæretici dicti, quòd tempore persecutionis in montibus latuerunt, quā occasione à catholicæ Ecclesiæ corpore se diuiserunt.

Ebionitæ ab Ebione dicti: siue à paupertate. Christum enim per prophetam solum verum Iesum putant effectum. Vnde competenter Ebionitæ pro paupertate intelligentię compellati sunt. Hi semiiu dæi sunt, & ita tenent Euangelium, vt legem carnaliter seruent: aduersus quos Apostolus ad Galatas scribens inuehitur. *Fotiniani* à Fotino Gallogræciæ Sirmiæ episcopo nuncupati: qui Ebionitarum hæresim suscitans, asseruit Christum à Maria per Ioseph nuptiali coitu fuisse conceptum. *Ætiani* ab Ætio quodam nũcupati sunt. Hi offerre sacrificium pro defunctis spernunt. *Ætiani* ab Ætio quodam sunt vocati. Iidémque *Eunomiani*, ab Eunomio quodam dialectico Ætij discipulo: ex cuius nomine magis innotuerunt: dissimilem Patri asserentes Filium & Filio Spiritum sanctum. Dicunt etiam nullum imputari peccatum in fide manentium. *Origeniani* ab Origene authore exorti sunt, dicentes quòd non possit Filius videre Patrem: nec Spiritus sanctus Filium. Animas quoque in mundi principio dicunt peccasse, & pro diuersitate peccatorum de cælis vsque ad terras lapsas, diuersa corpora quasi vincula meruisse, eáque causa mundum factum fuisse. *Noetani* à quodam Noeto vocati, qui dicebant Christum eundem esse & Patrem, & Spiritum sanctum: ipsámque Trinitatem in officiorum nominibus non in personis accipiunt. Vnde & *Patripassiani* vocantur, quia Patrem passum aiunt. *Sabelliani* ab eodem Noeto pullulasse dicuntur: cuius discipulum perhibent fuisse Sabellium, ex cuius nomine maximè innotuerunt. Vnde & Sabelliani vocati sunt. Hi vnam personam Patris & Filij & Spiritus sancti astruunt. *Arriani* ab Arrio Alexandrino presbytero orti sunt, qui coæternum Patri Filium non agnoscẽs, diuersas in Trinitate substantias asseruit, contra illud quod ait Dominus, dicens: Ego & Pater vnum sumus. *Macedoniani* à Macedonio Constantinopolitano Episcopo dicti sunt, negantes Deum esse Spiritum sanctũ. *Apollinaristæ* ab Apollinare vocati sunt, dicentes, Christum corpus tantummodo sine anima suscepisse. *Antidicomaritæ* appellati sunt, pro eo quòd Mariæ virginitati contradicunt, asserentes eam post Christũ natum viro suo commixtam. *Metangismonitæ* ideo tale nomen acceperunt, quia ἄγγος vas dicitur. Asserunt enim esse in Patre Filiũ, tãquam vas minus inter vas maius. *Patriciani* à quodã Patricio nũcupati sunt, qui substantiã humanæ carnis à diabolo conditã dicunt. *Coluthiani* à quodam Colutho nominati, qui dicunt, Deum non facere malum, contra illud quod scriptum est: Ego Dominus creans mala. *Floriani* à Florino, qui econtrario dicũt Deum creasse mala, contra id quod scriptum est: Fecit Deus omnia bona. *Donatistæ* à Donato quodam Afro nuncupati, qui de Numidia veniens totam penè Africam sua persuasione decepit, asserens minorem Patre Filiũ, & minorem Filio Spiritum sanctum, & rebaptizãs catholicos. *Bonosiani* à Bonoso quodã Episcopo exorti produntur, qui Christum filium Dei adoptiuum non proprium asserũt. *Circumcelliones* dicti, eò quòd agrestes sunt, quos *Cotopitas* vocant supradictæ hæresis habentes doctrinam. Hi amore martyrij semetipsos perimunt, vt violenter de hac vita discedentes martyres nominẽtur. *Priscillianistæ* à Priscilliano vocati, qui in Hispania ex errore Gnosticorum & Manichæorum, permixtũ dogma composuit. *Luciferiani* à Lucifero Sirmiæ Episcopo, qui contra Episcopos catholicos, qui Cõstantij persecutione perfidiæ Arrianorum consentiẽtes erãt, & postea correcti redire in catholicã delegerunt, dãnantes, siue quod crediderant, siue quòd se credidisse simulauerant, quod Ecclesia catholica materno recipit sinu: tanquam Petrum post fletum negationis. Hanc illi matris charitatem superbè accipientes, eósque recipere nolẽtes à communione recesserunt, & cum ipso Lucifero authore suo, qui manè oriebatur cadere meruerũt. *Iouinianistæ* à Iouiniano quodam monacho dicti, asserentes nullam nuptarum & virginum esse distantiam, nullúmque inter abstinentes & simpliciter epulantes esse discrimen. *Eluidiani* ab Eluidio nominati, qui dicunt post natum Christum, alios Mariam filios de viro Ioseph peperisse. *Paterniani* à Paterno quodam exorti, qui inferiores corporis partes à diabolo factas opinantur. *Arabici* nuncupati, eò quòd in Arabia exorti sunt dicentes animam cum corpore mori, atque in nouissimo die vtrumque resurgere. *Tertullianistæ* dicti à Tertulliano presbytero Africanæ prouinciæ, ciuitatis Carthaginensis, animam immortalem esse, sed corpoream prædicantes, & animas hominum peccatorum post mortem in dæmones verti putantes. *Τεσσαρισκαιδεκατῖται* dicti, quòd xiiij. luna pascha cum Iudæis obseruandum contendunt. nam τέσσαρες quatuor, δέκα decem significat. *Nyctages* à somno nuncupati, quòd vigilias noctis respuant: superstitionem esse dicentes: iura temerare diuina, qui noctem ad requiẽ tribuit. *Pelagiani* à Pelagio monacho exorti. Hi liberum arbitrium diuinæ gratiæ anteponunt, dicentes sufficere voluntatem ad implenda iussa diuina. *Nestoriani* à Nestorio Constantinopolitano Episcopo nuncupati, qui beatam virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantummodo asseruit genitricem: vt aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis: neque vnum Christum in verbo Dei & carne credidit, sed separatum atque

seiunctim alterum filium Dei, & alterum hominis prædicauit. *Eutychiani* dicti ab Eutyche Constantinopolitano abbate, qui Christum post humanam assumptionem negauit existere de duabus naturis, sed solam in eo asseruit diuinam naturam esse. *Acephali* dicti, id est, sine capite, quem sequuntur hæretici. Nullus enim eorum repetitur author à quo exorti sint. Hi trium Chalcedonensium capitulorum impugnatores duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, & vnam in eius persona naturam prædicant. *Theodosiani* & *Gaianitæ*, à Theodosio & Gaiano appellati, qui temporibus Iustiniani principis in Alexandria populi peruersi electione vno die sunt ordinati Episcopi. Hi errores Eutychetis & Dioscori sequentes, Chalcedonense concilium respuunt: ex duabus vnam in Christo naturam asserunt, quã Theodosiani corruptam, Gaianitæ incorruptam contendunt. *Gnoitæ* & *Tritheitæ* à Theodosianis exorti sunt, ex quibus Gnoitæ ab ignorantia dicti: quia peruersitate à quo exorti sunt, id adiiciunt, quòd Christi diuinitas ignoret futura, quæ scripta sunt de die & hora nouissima: non recordantes Christi personam in Esaia loquentis, dies iudicii in corde meo. Thritheitæ verò vocati, quòd sicut tres personas in Trinitate, ita quoque tres astruunt deos esse; contra illud quod scriptum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, vnus est. Sunt & aliæ hæreses sine authore & sine nominibus: ex quibus aliæ triformem putant Deum esse: aliæ Christi diuinitatem passibilem dicunt; aliæ Christi de Patre natiuitati initium temporis dant, aliæ liberationem hominum apud inferos factam Christi descensione non credunt: aliæ animam imaginem Dei negant: aliæ animas conuerti in dæmones & in quæcunque animalia existimant, aliæ de mundi statu dissentiunt, aliæ innumerabiles mundos opinantur, aliæ aquam Deo coæternam faciunt, aliæ nudis pedibus ambulant, aliæ cũ hominibus non manducant. ¶ Hæ sunt hæreses aduersus catholicam fidem exortæ, & ab Apostolis & à sanctis Patribus vel Conciliis prædamnatæ: quæ dum in se multis erroribus diuisæ inuicem sibi dissentiunt, communi tamen nomine aduersus Ecclesiã Dei conspirant. Sed & quicunque aliter Scripturam sacram intelligit quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo conscripta est: licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus potest appellari.

De Philosophis gentium. CAP. VI.

PHilosophi Græca appellatione vocantur, qui Latinè amatores sapientiæ interpretantur. Est enim Philosophus qui diuinarum & humanarum rerum scientiam habet, & omnem bene viuendi tramitem tenet. Nomẽ Philosophorum primùm à Pythagora fertur exortum. Nam dum antea Græci veteres sophistas, id est, sapientes aut doctores sapientiæ semetipsos iactantius nominarent: iste interrogatus, quid profiteretur? verecundo nomine philosophum, id est amatorem sapientiæ se esse respondit, quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur. Ita deinceps posteris placuit: vt quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi vel aliis videretur excellere: nonnisi philosophus vocaretur. Iidem autẽ philosophi triplici genere diuiduntur; nam aut Physici sunt, aut Ethici, aut Logici. *Physici* dicti, quia de naturis tractant. Natura quippe φύσις Græcè vocatur. *Ethici*, quia de moribus disputant. Mos enim ἦθος apud Græcos appellatur. *Logici* autem, quia in naturis & moribus rationem adiungunt. Ratio enim Græcè λόγος dicitur. Diuisi sunt autem *Ethici* in hæresibus suis: habentes quidam nomina ex authoribus vt Platonici, Epicurei, Pythagorici: alii à locis conuenticulorum, & stationum suarum, vt Peripatetici, Stoici, Academici. *Platonici* à Platone philosopho dicti. Hi enim animarum creatorem esse Deum, corporum angelos asserunt: & post multos annorum circulos in diuersa corpora redire animas dicunt. *Stoici* à loco dicti. Porticus enim fuit Athenis, quam Pisianactia appellabant: in qua picta erant gesta sapientium, atque virorum fortium historiæ. In hac porticu sapientes philosophabantur, ex qua & Stoici dicti sunt. Græce enim porticus στοὰ dicitur. Hanc sectam primus Zeno instituit. Hi negant sine virtute effici quenquam beatum. Omne peccatũ vniforme esse asserunt, dicentes sic: Ille tam nocens erit, qui paleas furatus fuerit, quàm qui aurum: qui mergum occiderit, quàm qui equum. Non enim animal crimen, sed animus facit. Hi etiam animam cum corpore perire dicunt. Animam quoque virtutem continentiæ esse negant: affectant gloriam æternam, cum se fateantur non esse æternos. *Academici* appellati à villa Platonis academia Athenarum, vbi idem Plato docebat. Hi omnia incerta opinantur, sed sicut fatendum est multa incerta & occulta esse, quę Deus voluit excedere hominis intelligentiam: sic tamen plurima esse, quæ possint & sensus penetratione comprehendi. Hanc sectam Archesilaus Cyrenaicus philosophus reperit: cuius sectator fuit Democritus, qui dixit tanquam in puteo alto, ita vt nullus fundus sit: ita in occulto iacere veritatem. *Peripatetici* à deambulatione dicti, eò quòd Aristoteles author eorum deambulãs disputare solitus esset. Hi dicunt quandam particulam

culam animæ esse æternam: de reliquo magna ex parte mortalem. *Cynici* ab immunditia impudentiæ nuncupati. Contra humanã enim verecundiam in propatulo coire cum coniugibus eis mos erat: censentes licitũ honestũmque esse palàm cũ vxoribus concumbere, quia coniugium iustum est, publicè id prædicantes agendum esse, vt canes in vicis vel plateis. Vnde & a canibus, quorum vitam imitabantur, etiam vocabulum, noménque traxerunt. *Epicurei* dicti ab Epicuro quodam philosopho amatore vanitatis non sapientię, quem etiam ipsi philosophi porcũ nominauerunt: quasi volutans in cœno carnali, voluptatem corporis summum bonum asserens: qui etiam dixit nulla prouidentia diuina instructum esse aut regi mundum: sed originẽ rerum atomis, id est, insecabilibus, ac solidis corporibus assignauit: quorum fortuitis concursionibus vniuersa nascuntur & nata sint. Asserit tamen Deum nihil agere: omnia cõstare corporibus, animã nihil aliud esse quàm corpus. Vnde & dixit: Non ero postea quàm mortuus fuero. *Gymnosophystæ* nudi per opacas Indiæ solitudines perhibentur philosophari adhibentes tantùm genitalibus tegmina. γυμνὸς enim eò dictum est, quòd iuuenes nudi exercerentur in campo, vbi pudenda sola tantùm operiunt. Hi & à generando se cohibent. *Theologi* autem idem sunt qui & *Physici*, dicti autem *Theologi*: quoniam in scripturis suis de Deo dixerunt. quorum varia constat opinio, quid Deus esset dum quærerent. Quidam enim corporeo sensu nunc visibilẽ mundum ex quatuor elementis Deum esse dixerunt: vt Dionysius Stoicus. Alij verò spiritaliter intellexerunt mentem esse deum: vt Thales Milesius. Quidam animum in omnibus commanentem, & lucidum, vt Pythagoras. Quidam Deum sine tempore incõmutabilem, vel Plato. Quidam mentem solutã, vt Cicero. Quidam & spiritũ & mentem, vt Maro. Inuentum enim solummodo Deum non vt inuenerunt exposuerunt: quia euanuerunt in cogitationibus suis, Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Platonici quidem Deum curatorem & arbitrum & iudicẽ asserunt. Epicurei otiosũ & inexercitatũ. De mũdo autem Platonici affirmãt incorporalem. Stoici corporalem. Epicurus atomis. Pythagoras ex numeris. Eraclitus ex igne. Vnde & Varro ignem mundi animum dicit. proinde quòd in mũdo ignis omnia gubernet, sicut animus in nobis. Quam vanissimè: Qui cum est, inquit, in nobis, ipsi sumus: cùm exit, emorimur. Ergo & ignis cùm de mundo per fulgura proficiscitur, mundus emoritur. Hi philosophorũ errores etiam apud Ecclesiam induxerunt hæreses. Inde αἰῶνες & formę nescio quæ inde apud Arriũ Trinitas hominis, & apud Valentinum. Platonicus furor. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate, à Stoicis enim venerat, & vt anima interire dicatur, Epicurus obseruatur. & vt carnis resurrectio negetur, de vana omnium philosophorum schola sumitur: & vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est, & vbi quid de igneo Deo legitur, Eraclitus interuenit. Eadẽ materia apud hæreticos & philosophos volutatur, idem & retractatus implicatur.

De Poetis. CAP. VII.

POetæ vnde sint dicti, sic ait Tranquillus: Cùm primùm homines exuta feritate rationẽ vitæ habere cepissent, séq; ac deos suos nosse, cultum modicum, ac sermonẽ necessarium commenti sibi vtriusque magnificentiã ad religionẽ deorũ suorum excogitauerũt. Igitur vt templa illis domibus pulchriora, & simulacra corporibus ampliora faciebãt ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos putauerunt, laudésque eorũ & verbis illustrioribus & iocũdioribus numeris extulerunt. Id genus quia forma quadã efficitur, quæ ποιότης dicitur: poema vocitatũ est: eiúsque fictores, poetæ. *Vates* à vi mẽtis appellatos Varro auctor est: vel à viẽdis carminibus, id est, flectendis, hoc est, modulandis, & proinde poetæ Latinè vates olim, & scripta eorum vaticinia dicebantur, quòd vi quadã, & quasi vesania in scribẽdo cõmouerentur: vel quòd modis verba connecterent: Viere enim antiquis pro vincere ponentibus, etiam per furorem. *Diuini* eodem erant nomine: quia & ipsi quoque pleraque versibus efferebãt. *Lyrici* poetæ dicti ἀπὸ τοῦ λυρεῖν, id est, à varietate carminũ. Vnde & lyra dicta. *Tragœdi* dicti, quòd initiò canẽtibus præmiũ erat hircus, quẽ Græci τράγον vocant. Vnde & Horatius: Carmine qui tragico vilẽ certauit ob hircũ. Iã dehinc sequentes tragici multum honorem adepti sunt, excellentes in argumentis fabularũ ad veritatis imaginem fictis. *Comœdi* appellati siue à loco, quia circum pagos agebant, quos Græci κώμας vocant: siue à comessatione. Solebant enim post cibum homines ad eos audiendos venire. Sed comici priuatorum hominum prædicant acta, tragici verò res publicas & regũ historias. Item tragicorum argumenta ex rebus luctuosis sunt, comicorũ ex rebus lætis. Duo sunt autem genera comicorum, id est, veteres & noui. *Veteres*, qui & ioco ridiculares extiterũt, vt Plautus, Actius, Terentius. *Noui* qui & *Satyrici*, à quib. generaliter vitia carpuntur, vt Flaccus, Persius, Iuuenalis, & alij. Hi enim vniuersorum delicta corripiunt: nec vetabatur eis pessimum quenque describere: nec cuiuslibet peccata moresque reprehẽdere. Vnde & nudi pingẽ-

tur, eò quòd per eos vitia singula denudẽtur. *Satyrici* autem dicti siue quòd pleni sint omni facundia, siue à saturitate & copia. De pluribus enim simul rebus loquuntur, seu ab illa lance quæ plena diuersis frugum vel pomorum generibus ad templa gentilium solebat deferri, aut à satyris nomen dictum: qui multa habent, ea quæ per violentiam dicuntur. Quidam autem poetæ *Theologi* dicti sunt: quoniam de diis carmina faciebant. ¶ *Officiũ* autem *poetæ* in eo est, vt ea quæ verè gesta sunt in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conuersa transducat. Vnde & Lucanus in numero poetarum non ponitur, quia videtur historias composuisse non poema. ¶ *Apud poetas* autem *tres characteres* sunt *dicendi*: *vnus* in quo tantùm poeta loquitur, vt est in libris Virgilij Georgicorum. *Alius* dramaticus, in quo nusquam poeta loquitur, vt est in Comœdiis & Tragœdiis. *Tertius* mixtus, vt est in Æneide, Nam Poeta illic & introductæ personæ loquuntur.

De sibyllis. Cap. VIII.

Sibyllæ generaliter dicuntur omnes fœminæ vates lingua Græca. Nam σιὸς Æolico sermone Deum, βουλὴν Græci mentem nuncupant, quasi Dei mentem. Proinde igitur, quia diuinam voluntatem hominibus interpretari solebant, Sibyllę nominatę sunt, sicut enim omnis vir prophetans vel vates dicitur, vel propheta, ita omnis fœmina prophetans Sibylla vocatur. Quod nomen ex officio, non ex proprietate vocabuli est. *Decem* autem *Sibyllæ* à doctissimis auctoribus tradũtur fuisse: quarum *prima de Persis* fuit: secunda *Libyca*: tertia *Delphica* in templo Delphici Apollinis genita, quæ ante Troiana bella vaticinata est, eiúsque plurimos versus operi suo Homerus inseruit: quarta *Cimmeria* in Italia: quinta *Erythræa* nomine Erophyla in Babylone orta, quæ Græcis Iliũ petentibus vaticinata est periturã esse Troiam, & Homerũ mẽdacia scripturum. Dicta autem Erythręa, quia in eadem insula, eius inuenta sunt carmina: sexta *Samia*, quæ Samonota dicta est à Samo insula, vnde fuit cognominata: septima *Cumana* nomine Amalthea, quæ nouem libros attulit Tarquinio Prisco, in quibus erant decreta Romana conscripta. Ipsa est & Cumęa, de qua Virgilius: Vltima Cumęi venit iã carminis ætas. Dicta autem Cumana à ciuitate Cumis, quæ est in Campania, cuius sepulchrũ in Sicilia adhuc manet: octaua *Hellespontia* in agro Troiano nata, quæ scribitur Solonis & Cyri fuisse temporibus: nona *Phrygia*, quæ vaticinata est Ancyræ: decima *Tiburtina* nomine Albunea. Quarum omnia carmina efferuntur: in quibus de Deo & de Christo, & gentibus multa scripsisse manifestissimè cõprobantur. Celebrior autem inter cæteras ac nobilior Erythrea perhibetur.

De magis. Cap. IX.

Magorum primus *Zoroastes* rex Bactrianorum extitit, quem Ninus rex Assyriorum prælio interfecit, de quo Aristoteles scribit, quòd vicies centum millia versuum ab ipso condita indiciis voluminum eius declarentur. Hanc artem multa post secula *Democritus* ampliauit, quãdo & Hippocrates in medicinæ disciplina effloruit. Apud Assyrios autem magicæ artes copiosæ sunt, testante Lucano: quis noscere fibra Facta queat, quis prodat aues, quis fulgura cœli Seruet, & Assyria scrutetur sidera cura? Itaque hæc vanitas magicarum artium ex traditione angelorum malorum in tota terrarum orbe plurimis seculis valuit. Per quandam scientiam futurorum & infernorum, & inuocationes eorum inuenta sunt aruspicia, augurationes, & ipsa quæ dicuntur oracula & necromantia. Nec mirum de magorum præstigiis, quorum in tantum prodiêre maleficiorum artes, vt etiã Moysi simillimis signis resisterent, vertentes virgas in dracones: aquas in sanguinem. Fertur & quædam maga famosissima *Circe*, quæ socios Vlyssis mutauit in bestias. Legitur & de sacrificio, quod Arcades deo suo Lyceo immolabant, ex quo quicunque sumerent, in bestiarum formas conuertebantur. Hinc apparet, non esse in totum dubium quòd nobilis ille poeta scripsit de quadam fœmina, quæ magicis artibus excellebat: Hæc, inquit, se carminibus promittit soluere mẽtes. Quas velit, ast aliis duras immittere curas. Sistere aquam fluuiis, & vertere sidera retrò, Nocturnósque ciet manes, mugire videbis Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos. Quid plura? Si credere fas est, de Pythonissa: vt prophetæ Samulis animam de inferni abditis euocaret, & viuorum præsentaret conspectibus, si tamen animam prophetæ fuisse credamus, & non aliquam phantasmaticam illusionem Satanæ fallacia factã. Prudentius quoque de *Mercurio* sic ait: Traditur extinctas sumpto moderamine virgæ. In lucem reuocasse animas, Ast alios dãnasse neci. Et pòst paululum adiecit: Murmure nam magico tenues excire figuras, Atque sepulchrales scitè incantare fauillas. Vita itidem spoliare alios ars noxia nouit. *Magi* sunt qui vulgò malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi & elementa cõcutiunt, turbant mentes hominum, ac sine vllo veneni haustu violentia tantùm carminis interimunt. Vnde & Lucanus: Mens hausti nulla sanie polluta veneni Incantata perit.

Dæmonibus enim accitis audent ventilare, vt quisque suos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine vtuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum. *Necromantici* sunt: quorum præcantationibus videntur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respõdere. Νεκρὸς enim Græcè mortuus, μαντεία diuinatio nuncupatur: ad quos suscitandos, cadaueris sanguis adiicitur. Nam amare dæmones sanguinem dicunt. Ideóque quoties necromantia fit, cruor aqua miscetur, vt calore sanguinis facilius prouocentur. *Hydromantij* ab aqua dicti. Est enim hydromantia in aquæ inspectione vmbras dæmonum euocare, & imagines vel ludificationes eorum videre, ibique aliqua ab eis audire, vbi adhibito sanguine etiam inferos perhibentur suscitari. Quod genus diuinationis à Persis dicitur allatum. Varro dicit diuinationis quatuor esse genera, terram, aquam, aerem & ignem. Hinc *geomantiam*, *hydromantiam*, *aeromantiam*, *pyromantiam* dictam constat. *Diuini* dicti, quasi Deo pleni: diuinitate enim se plenos assimulant, & astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant. *Duo* sunt autem *genera diuinationis ars* & *furor*. *Incantatores* dicti sunt, qui artem verbis peragunt. *Arioli* vocati, propter quòd circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt: iísque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt. *Aruspices* nũcupati, quasi horarum inspectatores: dies enim & horas in agendis negociis operibúsque custodiunt, & quid per singula tempora obseruare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, & ex eis futura prædicunt. *Augures* verò sunt, qui volatus auium & voces intendunt, aliáque signa rerum vel obseruationes improuisas hominibus occurrẽtes. Iidem & auspices. Nam auspicia sunt quæ iter facientes obseruant. Dicta sunt autem *auspicia*, quasi auium aspicia: & auguria quasi auiũ garria: hoc est, auium voces & linguæ. Item *augurium* quasi auigerium quòd aues gerũt. *Duo* sunt *genera auspiciorum*: vnum ad oculos, alterum ad aures pertinens. *Ad oculos* scilicet volatus: *ad aures* vox auium. *Pythones* à Pythio Apolline dictæ, quòd is auctor fuerit diuinandi. *Astrologi* dicti, eò quod in astris augurantur. *Genethliaci* appellati propter natalium considerationem dierum. Geneses enim hominum per duodecim cœli signa describunt, siderúmque cursu nascentiũ mores, actus & euentus prædicare conantur, id est, quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui nascitur. Hi sunt qui vulgo *Mathematici* vocantur. cuius superstitionis genus *Constellationes* Latini vocant, id est, notationes siderum, quomodo se habeat cum quisque nascitur. Primum autẽ iidem stellarum interpretes magi nuncupabantur: sicut de his legitur qui Euangelio natum Christum annuntiauerunt. postea hoc nomine soli Mathematici. Cuius artis scientia vsque ad Euangelium fuit concessa, vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cælo interpretaretur. *Horoscopi* dicti, quòd horas natiuitatis hominum speculantur dissimili & diuerso fato. *Sortilegi* sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum inspectione futura promittunt. *Salisatores* vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum, seu triste significare prædicunt. Ad hæc omnia pertinent & *ligaturæ execrabilium remediorum*, quæ ars medicorũ condemnat, siue in præcantationibus, siue in caracteribus vel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis. In quibus omnib. ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda sunt à Christiano & omni penitus execratione repudianda atque damnanda. *Auguria* autem auium, Phryges primi inuenerunt. *Præstigium* verò Mercurius primus dicitur inuenisse. Dictum autem præstigium, quòd perstringat aciem oculorum. *Aruspicinæ* autem primus Etruscis tradidisse dicitur quidam Stages. Hic ex oris aruspicinam dictauit: & postea non apparuit. Nam dicitur fabulosè arante quodam rustico subito ex glebis exiliuisse & aruspicinam dictasse, qua die & mortuus est. Quos libros Romani ex Etrusca lingua in propriam mutauerunt.

De paganis. CAP. X.

Pagani ex pagis Atheniensium dicti, vbi exorti sunt. Ibi enim in locis agrestibus & pagis gentiles lucos idoláque statuerunt, & à tali initio vocabulum paganum sortiti sunt. *Gentiles* sunt qui sine lege sunt, & nondum crediderunt. dicti autem gentiles, quia ita sunt vt fuerunt geniti, id est, sicut in carne descenderunt sub peccato, scilicet idolis seruientes: & necdum regenerati. Proinde gentiles primitus nuncupabantur: ipsi dicuntur Græcè Ethnici. Ethnici enim ex Græco in Latinum interpretantur Gentiles. ἔθνος enim Græcè, gens, dicitur. Post fidem autem non debent vocari gentes, siue gentiles, hi qui ex gentibus credunt: sicut post fidem dici iam non potest Iudæus, testante Paulo apostolo, & dicente iam Christianis: Quoniam cùm gentes essetis, hoc est infideles. *Apostatæ* dicuntur, qui post baptismum Christi susceptũ ad idolorum cultum & sacrificiorum contag-

minationes reuertuntur. Eſt autem nomen Græcum.

De diis gentium.

Cap. XI.

Qvos autem pagani *deos* aſſerunt, homines olim fuiſſe produntur: & pro vniuſcuiuſque vita vel meritis coli apud ſuos poſt mortem cœperunt, vt apud Ægyptum Iſis: apud Cretam Iouis: apud Mauros Iuba: apud Latinos Faunus: apud Romanos Quirinus. Eodem quoque modo apud Athenas Minerua: apud Samum Iuno: apud Paphos Venus: apud Lemnos Vulcanus: apud Naxos Liber: apud Delos Apollo. In quorum etiam laudibus acceſſerunt poetæ, & compoſitis carminibus in cœlum eos ſuſtulerunt. Nam quorundam inuentiones artium cultu peperiſſe dicuntur, vt Eſculapio medicina, Volcano fabrica. Ab actibus autem vocantur, vt *Mercurius*, quòd mercibus præeſt: *Liber* à libertate. Fuerunt etiam & quidam viri fortes aut vrbium cõditores: quibus mortuis homines, qui eos dilexerunt, ſimulacra finxerunt: vt haberent aliquod ex imaginum contemplatione ſolatium: ſed paulatim hunc errorem perſuadentibus dæmonibus, ita in poſteris conſtat irrepſiſſe, vt quos illi pro ſola nominis memoria honorauerunt, ſucceſſores deos exiſtimarent atque colerent. ¶ *Simulachrorum vſus* exortus eſt, cùm ex deſiderio mortuorum conſtituerentur imagines vel effigies, tãquam in cælum receptæ pro quibus ſe terris dæmones colendi ſuppoſuerunt, & ſibi ſacrificari à deceptis & perditis perſuaſerunt. *Simulachra* autem à ſimilitudine nuncupata, eò quod manu artificis ex lapide aliáve materia eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur. Ergo ſimulacra, vel pro eo quòd ſunt ſimilia, vel pro eo quòd ſimulata atque conficta, vnde & falſa ſunt. Et notandum quòd Latinus ſermo ſit, & non Hebreus. Apud eos enim idolum ſiue ſimulacrum ſemel dicitur. Iudæi dicunt quod Iſmael primus ſimulacrum luto fecerit. Gentiles autem primum Prometheum ſimulacra hominum de luto finxiſſe perhibent: ab eóque natam eſſe artem ſimulacra & ſtatuas fingendi. Vnde & poetæ ab eo homines primum factos eſſe confingunt figuratè propter effigies. Apud Græcos autem Cecrops ſub quo primùm in arce oliua orta eſt, & Athenienſium vrbs ex Mineruæ appellatione nomen ſortita eſt. Hic primus omnium Iouem appellauit, ſimulacra reperit, aras ſtatuit, victimas immolauit: nequaquam iſtiuſmodi rebus in Græcia vnquam viſis *Idololatria* idolorum ſeruitus ſiue cultura interpretatur. Nam λατρεία Græcè, Latinè ſeruitus dicitur: quæ quantum ad veram religionem attinet, nonniſi vni & ſoli Deo debetur. Hanc ſicut impia ſuperbia, ſiue hominum, ſiue dæmonũ ſibi exhiberi vel iubet vel cupit: ita pia humilitas vel hominũ vel angelorũ ſanctorum ſibi oblatam recuſat, & cui debetur oſtendit. *Idolum* autem eſt ſimulacrum quod humana effigie factum & conſecratum eſt: iuxta vocabuli interpretationẽ. εἶδος enim Græcè formam ſonat, & ab eo per diminutionem idolum deductum: quod apud nos formulam facit. Igitur omnis forma vel formula idolum ſe dici expoſcit. Inde *idololatria* omnis circa idolum famulatus & ſeruitus. Quidam verò Latinè ignorantes, Græcè imperitè dicunt idolum ex dolo ſumpſiſſe nomen, quòd diabolus creaturæ cultum diuini nominis inuexit. *Dæmonas* à Græcis dictos aiunt, quaſi δαήμονας id eſt peritos ac rerum præſcios. Præſciunt enim futura multa, vnde & ſolent reſponſa aliqua dare. Ineſt enim illis cognitio rerum pluſquàm infirmitati humanæ: partim ſubtilioris ſenſus acumine, partim experientia longiſſimæ vitæ: partim per Dei iuſſum angelica reuelatione: hi corporum aereorum natura vigent. Ante tranſgreſſionem quidem cæleſtia corpora gerebant. Lapſi verò, in aeream qualitatem conuerſi ſunt: nec aeris illius puriora ſpatia, ſed iſta caliginoſa tenere perpeſſi ſunt, qui eis quaſi carcer eſt vſque ad tempus iudicij. Hi ſunt præuaricatores angeli: quorum princeps diabolus eſt. *Diabolus* Hebraicè dicitur deorſum fluens: quia quietus in cæli culmine ſtare contempſit: ſed ſuperbiæ pondere deorſum corruens cecidit, Græcè verò diabolus criminator vocatur, vel quòd crimina quæ ipſe inlicit ad Deum referat: vel quia electorum innocentiam criminibus accuſet fictis. vnde & in Apocalypſi voce angelica dicitur: proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum qui accuſabat illos in conſpectu Dei noſtri die ac nocte. Satanas in Latinum ſonat aduerſarius ſiue tranſgreſſor. Ipſe enim eſt aduerſarius, qui eſt veritatis inimicus, & ſemper ſanctorum virtutibus contrà ire nititur. Ipſe & tranſgreſſor quia præuaricator effectus in veritate quâ conditus eſt, non ſtetit. Idem & tentator, quia tentandam iuſtorum innocentiam poſtulat, ſicut in Iob ſcribitur. *Antichriſtus* appellatur, quòd contra Chriſtum venturus eſt, non quomodo quidam ſimplices intelligunt, Antichriſtum ideo dictum, quòd ante Chriſtum venturus ſit, & poſt eum veniat Chriſtus. Nõ ſic, ſed antichriſtus Græcè dicitur, quod eſt Latinè contrarius Chriſto. ἀντὶ enim Græcè in Latinum contra ſignificat. Chriſtum enim ſe mentietur dum venerit, & contra eum dimicabit, & aduerſabitur ſacramentis Chriſti, vt veritatis eius euangelium ſoluat. Nam & templum Hieroſolymis reparare, & omnes veteris legis ceremonias reſtaurare tentabit.

Sed &

Sed & ille Antichristus est qui negat esse Dominum Christum. Contrarius enim Christo est. Omnes enim qui exeunt de Ecclesia & ab vnitate fidei præciduntur, & ipsi Antichristi sunt. *Bel*, idolum Babylonicum est, quod interpretatur vetus. fuit enim hic Belus pater Nini primus rex Assyriorum, quem quidam Saturnum appellant: quod nomen & apud Assyrios & apud Afros postea cultum est: vnde & lingua Punica Bal Deus dicitur. Apud Assyrios autem Bel vocatur, quadam sacrorum suorum ratione & Saturnus & sol. *Beelfegor*, interpretatur simulacrum ignominiæ. Idolum enim fuit Moab cognomento *Baal*, super montem *Fegor*: quem Latini *Priapum* vocant, deum hortorum. Fuit enim de Lapsaco ciuitate Hellesponti, de qua pulsus est & propter virilis membri magnitudinem in numerum deorum suorum eum Græci transtulerunt, & in nomine sacrauerunt hortorum: vnde & dicitur præesse hortis, propter eorum fœcunditatem. *Beelzebub*, idolum fuit Accaron, quod interpretatur vir muscarum. Zebub autem musca vocatur. Spurcissimum igitur idolum, ideò vir muscarum vocatur, propter sordes idololatriæ: siue propter immunditiem. *Belial*, sine iugo. Belial Hebraicè bel dicitur, idolum Niniuitarum. *Behemoth*, ex Hebræa voce in Latinam linguam animal sonat: propter quod de excelsis ad terrena cecidit, & pro merito suo vt animal brutum effectus sit. Ipse est Leuiathan, id est, serpens de aquis, quia in huius seculi mari, volubili versatur astutia. Leuiathan autem interpretatur additamentorum eorum: quorum scilicet, nisi hominum: quibus in paradiso semel per culpam præuaricationis intulit mortem, & hanc vsque ad æternam mortem quotidie persuadendo adducit vel extendit. Quædam autem nomina deorum suorum gentiles per vanas fabulas ad rationes Physicas conantur traducere: eáque in causis elementorum composita esse interpretantur: sed hoc à poetis totum fictum est, vt Deos suos ornarent aliquibus figuris: quos perditos ac dedecoris infamia plenos fuisse: historiæ confitentur. Omnino enim fingendi locus vacat, vbi veritas cessat. *Saturnus*, origo deorum & totius posteritatis à paganis designatur. Hunc Latini à satu appellatum ferũt, quasi ad ipsum satio omnium pertineat rerum, vel à temporis longitudine quod saturetur annis. Vnde eum Græci κρόνος nomẽ habere dicunt, id est, tempus, quòd filios suos fertur deuorasse, hoc est annos, quos tempus produxerit in se reuoluit, vel eo quod semina vnde oriuntur iterum redeunt. Hunc Cœli patris abscidisse genitalia dicunt quia nihil in cœlo de seminibus nascitur. Falcem tenet, inquiunt, propterea agriculturam significandam: vel propter tempora & annos quòd in se redeant, vel propter sapientiam quod intus acuta sit. In aliquibus autèm ciuitatibus Saturno liberos suos gentiles immolabant: quia Saturnum poetæ liberos suos deuorasse solitum tradiderunt. Iouis fertur à iuuando dictus, & Iupiter, quasi iuuans pater, hoc est, omnibus præstans. Hunc & priuato titulo Iouem optimum dixerunt, dum fuisset incestus in suis: impudicus in extraneis, quem modò taurum fingunt propter Europæ raptum: fuit enim in naui, cuius insigne erat taurus, modò Danaes per imbrem aureum appetisse concubitum: vbi intelligitur pudicitiam mulieris ab auro fuisse corruptam: modò in similitudinem aquilæ fuisse, propter quod puerum ad stuprum rapuerit: modò serpentem, quia reptauerit, & cygnum, quia cantauerit. Et ideò nõ figuræ istæ sunt: sed plana de veritate scelera: vnde turpe erat tales deos credi, quales homines esse non debeant. *Ianum* dicunt, quasi mundi vel cœli mensium ianuam: duas Iani facies faciunt, propter orientem & occidentem. Cùm verò faciunt eum quadrifrontem, & Ianum geminum appellant, ad quatuor mundi partes hoc referunt, vel ad quatuor elementa siue tempora. Sed dum hoc fingunt, monstrum non deum faciunt. *Neptunum*, aquas mundi prædicant, & dictus ab eis Neptunus, quasi nube tonans. *Vulcanum*, volunt ignem: & dictus Vulcanus quasi volans candor, vel quasi volicanus, quod per aerem volet. Ignis enim de nubibus nascitur. Vnde etiam Homerus dicit eum præcipitatum de aere in terras: quod omne fulmen de aere cadit. Idcircò autem Vulcanus de fœmore Iunonis fingitur natus, quòd fulmina de imo aere nascuntur. Claudus autem dicitur Vulcanus, quia per naturam nunquam est rectus ignis, sed quasi claudus eiusmodi speciem motúmque habet. Ideò autem in fabrorum fornace eundem Vulcanum auctorem dicunt, quia sine igne nullum metalli genus fundi extendíque potest. *Pluton* Græcè, Latinè *Diespiter*, vel *Ditis pater*, quem alij *Orcum* vocant, quasi receptorem mortium. Vnde & orca nuncupatur vas quod recipit aquas. Ipse & Græcè *Charon*. *Liberum*, à liberamento appellatum volunt, quod quasi mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur, quod idem Liber muliebri & delicato corpore pingitur. Dicunt enim mulieres ei attributas, & vinum propter excitandam libidinem. Vnde & frons eius pampino cingitur: sed ideò coronam viteam & cornu habet, quia cùm gratè & moderatè vinum bibitur, lætitiam præstat: cùm vltra modum, excitat lites:

id est, quasi cornua dat. Idem autem & *Lyæus*, ἀπὸ τοῦ λύειν, quod multo vino membra soluantur. Iste & Græcè Διόνυσος à monte Indiæ Niso, vbi dicitur esse nutritus. Cæterùm est Nisa ciuitas, in qua colitur idem & Liber, vnde & Nisæus dictus est. *Mercurius*, sermonē interpretatur. Nam ideò Mercurius quasi medius currens dicitur appellatus, quòd sermo currat inter homines medius. Ideò & ἑρμῆς Græcè, quòd sermo vel interpretatio, quæ ad sermonem vtique pertinet ἑρμηνεία dicitur. Ideò & mercibus præesse, quia inter vendentes & ementes sermo fit medius. Qui ideò fingitur habere pennas, quia citius verba discurrunt. Vnde & velox & errans inducitur: alas enim eius in capite & in pedibus, significare volucrem fieri per aera sermonem. Nuncium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata enunciantur. Ideò autem hunc furti magistrum dicunt, quia sermo animos audientium fallit. Virgam tenet qua serpentes diuidit, id est, venena. Nam bellantes ac dissidētes interpretum oratione sedantur: vnde & secundum Liuium legati pacis *Caduceatores* dicuntur. Sicut enim per feciales bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. *Hermes* Græcè dicitur ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας Latinè interpres, qui ob virtutem multarúmque artium scientiam Trimegistus ter maximus nominatus est. Cur autem eum capite canino fingunt, hæc ratio dicitur, quòd inter omnia animalia canis sagacissimum genus & perspicax habeatur. *Martem*, deum belli esse dicunt, & Martem appellatum: quia per viros pugnatur, vt sit Mars quasi mas. licet & tria sunt genera consuetudinum, sicut Scytharum: vbi & fœminæ & viri in pugnam eunt. Amazonum, vbi solæ fœminæ: Romanorum aliorúmque gentium, vbi soli mares. Item Martē dicunt quasi effectorem mortiū. Nam à Marte mors nuncupatur. Vnde & adulterum dicunt, quia belligerantibus incertus est. Quòd verò nudo pectore stat, vt bello se quisque sine formidine cordis obiiciat. Mars autē apud Græcos Gradiuus dicitur, eo quod in bello gradū inferant qui pugnant, aut quod impigre gradiantur. *Apollinem*, quamuis diuinatorem & medicum vellent, ipsum tamen solem etiam dixerunt, quasi solum. Ipsum Titanē, quasi vnum ex Titanis, qui aduersum Iouem bellū non fecit. Ipsum Phœbum, quasi ephebū, hoc est adolescentem. vnde & sol puer pingitur, eo quòd quotidie oriatur, & noua luce nascatur. *Pythium* quoque eundem Apollinem vocari aiunt à Pythone immensæ molis serpente: cuius non magis venena quàm magnitudo terrebat. Hunc Apollo sagittarum ictibus sternens nominis quoque spolia reportauit, vt Pythius vocaretur. Vnde & ob hoc insigne victoriæ Pythia sacra celebranda constituit. *Dianam* quoque sororem eius similiter lunam & viarum præsidem aiunt. Vnde & virginem volunt, quod via nihil pariat, & ideò ambo sagittas habere finguntur, quod ipsa duo sidera de cœlo radios vsque ad terras emittunt. Dianā autem vocatam quasi Duanā, quòd luna die ac nocte appareat. Ipsā & *Lucinā* asseuerant, eo quòd luceat. Eandem & *Triuiam*, quod tribus fingatur figuris. de qua Virgilius: – Tria virginis ora Dianę, quia eadem luna, eadem Diana & eadem *Proserpina* vocatur. Sed cùm luna fingitur: Sublustri splendet amictu. Cùm succincta iacit, calamos. Latonia virgo est: Cùm subnixa sedet solio, Plutonia coniunx. *Latonia* autem Diana, eo quòd Latonia fuerit filia, *Cererem*, id est, terram à creandis frugibus asserunt dictam: appellantes eam nominibus plurimis. dicunt etiam eam & *Opem*, quòd opere melior fiat terra. *Proserpinam*, quòd ex ea proserpant fruges. *Vestam*, quòd herbis vel variis vestita sit rebus, vel à vi sua stando: Eandem & *Tellurē* & *Matrem Magnam* fingunt turritam cum tympana & gallo, & strepitu cymbalorum. Matrem vocatam, quòd plurima pariat: magnam, quòd cibū gignat: almā, quia vniuersa animalia fructibus suis alit. Est enim alimentorum nutrix terra, quòd simulachrū eius cum claui fingitur: quia tellus hyeme clauditur, Vere aperitur, vt fruges nascantur. Quod tympanū habet significari volunt orbem terræ. Quòd curru vehitur, dicitur, quia ipsa est terra quæ pendet in aere. Quòd sustinetur rotis: quia mundus rotatur & volubilis est. Quòd leones illi subiiciunt mansuetos, vt ostendant, nullum genus esse terræ tam ferum, quòd non subigi possit, aut superari ab ea. Quod in capite turritam gestat coronam, ostenditur superpositas terræ ciuitates, quasi insignitas turribus constare. Quòd sedes finguntur circa eam: quia cùm omnia moueantur, ipsam non moueri. Quod Corybantes eius ministri cum strictis gladiis esse finguntur, vt significetur, omnes pro terra sua debere pugnare. Quod gallos huic deæ, vt seruirent fecerunt, significant qui semine indigeant, terram sequi oportere. In eo quippe omnia reperiri. Quod se apud eam iactant, præcipitur, inquiunt, vt qui terram colunt, ne sedeant: semper enim esse quod agant. Cymbalorum autem æreorum sonitus: ferramentorum crepitus in colendis agris: & ideo ære, quod terram antiqui colebant ære, prius quàm ferrum esset inuentum. Eandem *Vestam* & *ignem* esse perhibent: quia terram ignem habere non dubiū est: vt ex Ætna Vulcanóque datur intelligi. Et ideo *virginem* putant, quia ignis inuiolabile sit elementum: nihilque nasci pos-

possit ex eo: quippe qui omnia quæ arripuerit absumat. Ouidius in Fastis: Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam, Nataque de flamma corpora nulla vides. propterea & virgines ei seruire dicũtur, eò quòd sicut de virgine: ita nihil ex igne nascatur. *Iunonem* dicunt quasi ianonem, id est, ianuã, pro purgationib. fœminarum, eò quòd quasi portas matrum natorum pandat, id est, nubentium maritis. Sed hoc philosophi. Poetæ autem Iunonem Iouis asserunt sororem & coniugem: ignem enim & aerem Iouem: aquam & terram Iunonẽ interpretantur, quorum duorum permixtione vniuersa gignuntur. Et *sororem* dicunt, quòd mundi pars est. *Coniugem*, quòd commixta corda tundit. Vnde & Virgilius: Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther Coniugis in gremiũ descendit. *Minerua* apud Græcos ἀθήνη dicitur, id est, fœmina. Apud Latinos autem Mineruam vocatam, quasi deam & munus artiũ variarum. Hanc enim inuentricem multorũ ingeniorum perhibent, & inde eam artem & rationem interpretantur, quia sine ratione nihil potest contineri. Quæ ratio, quia ex solo animo nascitur, animumque putant esse in capite & in cerebro: ideò eam dicunt de capite Iouis esse natam: quia sensus sapientis qui inuenit omnia in capite est. In cuius pectore ideò caput Gorgonis fingitur, quòd illic est omnis prudentia quæ cõfundit alios & imperitos ac saxeos comprobat: quod & in antiquis Imperatorum statuis cernimus in medio pectore loricæ, propter insinuandam sapientiã & virtutem. hæc Minerua & *Tritonia* dicitur. Triton enim Africæ palus est, circa quam fertur virginali apparuisse ætate: propter quod Tritonia nuncupata est. Vnde & tantò procliuius dea credita est: quantominus origo eius innotuit. *Pallas* autem dicta vel ab insula Pallene in Thracia, in qua nutrita est: vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, id est, ab hastæ concussione, vel quòd Pallantem gigantem occiderit. *Venerem* exinde dicunt nuncupatam, quòd sine vi fœmina esse virgo non desinat. Hanc Græci ἀφροδίτην vocant propter spumam sanguinis generantem. ἀφρὸς enim Græcè spuma vocatur. Quod autẽ fingunt Iouem Saturno Cœlo patri genitalia abscidisse: & sanguinẽ fluxisse mare, atque ex spuma maris concreta Venus nata est: illud aiunt, quòd per coitum salsi humoris substantia est. & in de ἀφροδίτην Venerem dici, quia coitus spuma est sanguinis, quæ ex succo viscerum liquido salsoque constat. Ideò autem Venerem, Vulcani dicunt vxorem, quia Venereum officium non sine calore consistit. vnde & frigidus in Venerem senior. Nam Saturnus dicitur Cœlo patri virilia amputasse, quæ in mare cadentia Venerem creauerunt. Ideò fingitur, quia nisi humor de cœlo in terram descenderit, nihil creatur. *Cupidinem* vocatum ferunt propter amorem. Est enim dæmon fornicationis. Qui ideò alatus pingitur; quia nihil amantibus leuius, nihil mutabilius inuenitur. Puer pingitur, quia stultus & irrationabilis amor. Sagittam & facem tenere fingitur. Sagittam, quia amor cor vulnerat: facẽ, quia inflammat. *Pan* dicunt Græci, Latini Syluanum: deum rusticorum, quem in naturæ similitudinem formauerunt: vnde Pan dictus est, i. omne. Fingunt enim eum ex vniuersali elementorũ specie. Habet enim cornua in similitudinem radiorũ solis & lunæ. Distinctam maculis habet pellẽ propter cœli sidera. Rubet eius facies, ad similitudinem ætheris. Fistulam septem calamorum gestat, propter armoniam cœli in qua septem sunt soni & septem discrimina vocum. Villosus est, quia tellus est conuestita & agitur ventis. Pars eius inferior fœda est, propter arbores & feras & pecudes. Caprinas vngulas habet, vt soliditatem terræ ostendat, quem volunt rerum & totius naturæ deũ: vnde & Pan quasi omnia dicunt. *Isis* lingua Ægyptiorum terra appellatur: quem Isin volunt esse. Fuit enim Isis regina Ægyptiorum Inachi regis filia, quæ de Græcia veniens Ægyptios literas docuit, & terras colere instituit, propter quòd & terram eius nomine appellauerunt. *Serapis* omnium maximus Ægyptiorum Deus. Ipse est Apis rex Argiuorum qui nauibus transuectus in Ægyptum, cùm ibidem mortuus fuisset. Serapis appellatus est, propterea quia arca in qua mortuus ponitur, quam Sarcophagum vocant, σορὸς Græcè dicitur, & ibi eum venerari sepultum ceperũt, priusquam templum eius esset instructum, velut σορὸς Apis Sorapis primo, deinde vna litera commutata Serapis dictus est. *Apis* fuit apud Ægyptios Taurus Serapi consecratus, & ab eo ita cognominatus: quem Ægyptus ad instar numinis colebat, eò quod de futuris daret quædam manifesta signa. Apparebat enim in Memphis. Quem centum antistites prosequebantur & repente velut lymphatici præcinebant. Huius capitis imaginem sibi in heremo videri fecerunt. *Fauni* à fando velut ἀπὸ τῆς φωνῆς dicti, quòd voce non signis ostendere viderentur futura. In lucis enim consulebantur à paganis, & responsa illis non signis, sed vocibus dabant. *Genium* dicunt, quòd quasi vim habet omnium rerum gignendarum, seu à gignendis liberis: vnde & geniales lecti dicebantur à gentibus, qui nouo marito sternebantur. ¶ Hæc & alia sunt gentilium fabulosa figmenta, quæ interpretata sic habentur, vt ea non intellecta damnabiliter tamen ado-

rent. ¶Fatum autem dicunt esse quicquid dij fantur: quicquid Iupiter fatur. A fando igitur fatum dicunt, id est, à loquendo. Quòd nisi hoc nomē iam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinare: rationabiliter possemus à fando fatum appellare. Nō enim abnuere possumus esse scriptum in literis sanctis: Semel locutus est Deus: duo hæc audiui, &c. Quod enim dictum est, semel locutus est; intelligitur immobiliter, hoc est incommutabiliter est locutus, sicut nouit incōmutabiliter omnia quę futura sunt, & quæ ipse facturus est. Tria autem fata fingunt in colo & fuso, digitísque fila ex lana torquentibus, propter tria tempora: præteritum, quod in fuso iam netum atque inuolutum est: præsens, quod inter digitos nentis traiicitur: futurum, in lana quæ colo implicata est: & quod adhuc per digitos nentis ad fusum tanquam præsens ad præteritum traiiciendum est. *Parcas* dicunt κατ' ἀντίφρασιν appellatas, quod minimè parcant. Quas tres esse voluerunt: vnā, quæ vitam hominis ordiatur: alteram, quæ contexat: tertiam, quæ rumpat. Incipimus enim cùm nascimur: sumus, cùm viuimus: desinimus cùm interimus. *Fortunam* à fortuitis nomen habere dicunt, quasi deam quandam res humanas variis casibus & fortuitis illudētem: vnde & cæcam appellant, eò quòd passim in quoslibet incurrens sine vllo examine meritorum, & ad bonos & ad malos venit. Fatum autem à fortuna separant: & *fortunam* quasi sit in his quę fortuitu veniunt, nulla palàm causa. *Fatum* verò appositum singulis & statutum aiunt. *Aiunt & tres furias fœminas crinitas* serpentibus, propter tres effectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, & interdum cogunt ita delinquere, vt nec famæ nec periculi sui respectum habere permittant. Ira quæ vindictam cupit: cupiditas quæ desiderat opes: libido quæ appetit voluptates. Quæ ideò furiæ appellantur: quòd stimulis suis mentem feriant, & quietam esse non sinant. *Nymphas* deas aquarum putant, dictas à nubibus. Nam ex nubibus aquæ: vnde deriuatum est, nymphas aquarum deas, quasi numina lymparum. Ipsas autem dicunt & Musas, quas & nymphas, nec immeritò. Nam aquæ motus musicen efficit. Nympharum apud gentiles varia sunt vocabula. Nymphas quippe montium *Oreades* dicunt: syluarum, *Dryades*: fontium, *Hamadryades*: camporum, *Naiades*: maris, *Nereides*. *Heroas* dicūt à Iunone traxisse nomen, Græce enim Iuno ἥρα appellatur. Et ideò nescio quis filius eius secundum Græcorū fabulā ἥρως fuit nuncupatus: hoc videlicet velut mysticum significante fabula, quòd aer Iunoni deputetur, vbi volūt heroas habitare. Quo nomine appellant alicuius meriti animas defunctorum, quasi ἀερῶας, id est, viros aerios & cœlo dignos propter sapientiam & fortitudinem. *Penates* gentiles dicebant omnes deos, quos domi colebant. Et penates dicti quòd essent in penetralibus, id est, in secretis. Hi dij quomodo vocabantur, vel quæ nomina habuerint ignoratur. *Manes* dicunt deos mortuorum, quorum potestatem inter lunam & terram asserūt, à quibus & mane dictum existimant, quos putant ab aere, qui manus, id est, rarus est, manes dictos: siue quia latè manant per auras: siue quia mites sunt in manibus, contrario nomine hoc appellantur. Apuleius autem ait eos κατ' ἀντίφρασιν dici manes, hoc est, mites ac modestos, cùm sint terribiles & immanes: vt *Parcas*, vt *Eumenides*. *Laruas* ex hominib. factos dæmones aiunt, qui meriti mali fuerint. Quarū natura esse dicitur, terrere paruulos, in angulis garrire tenebrosis. *Lamias* quas fabulæ tradūt infantes corripere ac laniare solitas, à laniando specialiter dictas. *Pilosi* qui Græcè *panita*. Latinè incubi appellantur, siue *inuui* ab ineundo passim cum animalibus. Vnde & *incubi* dicuntur ab incumbendo, hoc est, stuprando. Sæpe enim improbi existūt etiā mulieribus, & earum peragunt cōcubitum, quos dæmones Galli *Dusios* nuncupant, quia assiduè hanc peragunt immunditiam. Quem autem vulgò *incubonem* vocant, hunc Romani *Faunum ficarium* dicunt, ad quem Horatius dicit: Faune Nympharum fugientium amator, Per meos fines & aprica rura, Lenis incedas. Hunc alij Satyrum vocant.

ISIDORI

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER IX.

CAPITA LIBRI NONI.

De linguis gentium. CAP. I.

LINGVARVM *diuerſitas* exorta eſt in ædificatione turris poſt diluuium. Nam prius quàm ſuperbia turris illius in diuerſos ſignorum ſonos humanam diuideret ſocietatem, vna omnium nationum lingua fuit, quæ Hebræa vocatur, qua Patriarchæ & prophetæ vſi ſunt non ſolùm in ſermonibus ſuis, verumetiam in literis ſacris. Initio auté quot gentes, tot linguæ fuerunt, deinde plures gentes quàm linguæ, quia ex vna lingua multæ gentes ſunt exortæ. *Linguæ* autem dictæ in hoc loco pro verbis, quæ per linguam fiunt, genere locutionis illo, quo is qui efficit per id quod efficitur nominatur, ſicut os dici ſolet pro verbis, ſicut manus pro literis. ¶ *Tres* autem ſunt *linguæ ſacræ.* Hebræa, Græca, Latina, quæ toto orbe maximè excellunt. His enim tribus linguis ſuper crucé Domini à Pilato fuit cauſa eius ſcripta. Vnde & propter obſcuritatem ſanctarum ſcripturarum harum trium linguarum cognitio neceſſaria eſt, vt ad alteram recurratur, ſi quam dubitationem nominis vel interpretationis ſermo vnius linguæ attulerit. ¶ *Græca* autem *lingua* inter cæteras gentium clarior habetur. Eſt enim Latinis & omnibus linguis ſonantior; cuius varietas in quinque partibus diſcernitur. Quarum *prima* dicitur κοινὴ, id eſt, mixta, ſiue communis, qua omnes vtuntur. Secunda *Attica*, videlicet Athenienſis, qua vſi ſunt omnes Græciæ auctores. Tertia *Dorica*, quã habẽt Ægyptij & Syri. Quarta *Ionica.* Quinta *Æolica*, qua ſe Æoles locutos dixerũt, & ſunt in obſeruatione Græcę linguę eiuſmodi certa diſcrimina. Sermo enim eorũ ita eſt diſpartitus. ¶ *Latinas* autem *linguas quatuor eſſe* quidã dixerũt, id eſt, Priſcã, Latinam, Romanam, Miſtam. *Priſca* eſt qua vetuſtiſſimi Italiæ ſub Iano & Saturno ſunt vſi incondita, vt ſe habeant carmina Saliorum. *Latina*, quam ſub Latino & regibus Tuſciæ cæteri in Latio ſunt locuti, ex qua fuerunt duodecim tabulæ ſcriptæ. *Romana* quæ poſt reges exactos à populo Romano geſta eſt, quam Næuius, Plautus, Ennius, Virgilius poetæ, ex oratoribus Gracchus & Cicero cæteri effuderunt. *Mixta*, quæ poſt imperium latius promotum ſimul cum moribus & hominibus in Romanam ciuitatem irrupit, integritatem verbi per ſolœciſmos & barbariſmos corrumpens. ¶ Omnes autem Orientis gentes in gutture linguam & verba collidũt, ſicut Hebræi & Syri. Omnes mediterraneæ gentes in palato ſermones feriunt, ſicut Gręci & Aſiani. Omnes occidentis gentes verba in dentibus frangunt, ſicut Itali & Hiſpani. ¶ Syrus & Chaldæus, vicinus Hebræo eſt in ſermone, conſonans in pleriſque & literarum ſono. Quidam autem arbitrantur linguam ipſam eſſe Chaldæam, quia Abrahã de Chaldæis fuit. Quòd ſi hoc recipitur, quomodo in Daniele Hebręi pueri linguam quam nouerant doceri iubentur? ¶ Omnem autem linguam vnuſquiſque hominum ſiue Græcam, ſiue Latinam, ſiue cæterarum gentium aut audiendo poteſt tenere, aut legendo, aut ex præceptore accipere. Cùm autem omnium

linguarum scientia difficilis cuiquam sit: nemo tamen tam desidiosus est, vt in sua gente positus suæ gẽtis linguam nesciat. Nam quid aliud putandus est nisi animalium brutorum deterior? Illa enim propriæ vocis clamorem exprimunt; iste deterior, qui propriæ linguæ caret notitia. ¶ Cuiusmodi autem lingua locutus est Deus in principio mundi cùm diceret: Fiat lux, difficile est inuenire. Nondum enim erant linguæ. Item qua lingua insonuit postea exterioribus hominum auribus, maximè ad primum hominẽ loquens, vel ad prophetas: vel dum corporaliter insonuit vox dicentis Dei: Tu es filius meus dilectus, vbi à quibusdam creditur illa lingua vna & sola quæ fuit antequam esset linguarum diuersitas. In diuersis autem gentibus creditur quòd eadem illis lingua Deus loquatur, qua ipsi homines vtuntur, vt ab eis intelligatur. Loquitur autem Deus hominibus non per substantiam inuisibilem: sed per creaturam corporalem, per quam & hominibus apparere voluit, quando locutus est. Dicit autem Apostolus: Si linguis hominum loquar & angelorum, vbi quæritur: Qua lingua angeli loquãtur: non quòd angelorum aliquæ sint linguæ, sed hoc per exaggerationẽ dicitur. Item quæritur, qua lingua in futurum homines loquãtur, nusquam reperitur. Nam dicit Apostolus: Siue linguæ cessabunt. Ideo autem prius de linguis ac deinde de gentibus posuimus, quia ex linguis gentes, non ex gentibus linguæ exortæ sunt.

De gentium vocabulis.

CAP. II.

GENS est multitudo ab vno principio orta: siue ab alia natione secundum propriam collectionem distincta, vt, Græciæ, Asiæ. Hinc & gentilitas dicitur. Gens appellata propter generationem familiarum, id est, à gignendo: sicut natio à nascendo. Gentes autem à quibus diuisa est terra quindecim sunt: *de Iaphet* triginta & vna, *de Cham* viginti septem, *de Sem* quinque, quę fiunt septuaginta tres, vel potius vt ratio declarat, septuaginta duæ, totidémque linguæ, quæ terris esse cœperunt, quæque crescendo prouincias & insulas impleuerunt. ¶ Filij Sem quinque, singulariter gentes singulas procrearunt. Quorum primus Elam, à quo Elamitæ principes Persidis, secundus Assur, à quo *Assyriorum* pullulauit *imperium*, tertius Arfaxat, à quo *Chaldæorum gens* exorta est, quartus Lydi, à quo *Lydij*, quintus Aram, à quo *Syri*, quorum metropolis fuit Damascus. Filij Aram nepotes Sem quatuor Hus & Vl, & Gether & Mesa. Hus *Traconitidis* conditor, qui inter Palæstinam & Cœlosyriam tenuit principatum, vnde fuit Iob secundum quod scriptum est, Vir erat in terra Hus nomine Iob, secundum Vl, à quo *Armenij*. tertius Gether, à quo *Carmenij* siue *Carij*. quartus Mesa, à quo sunt ij qui vocantur *Meones*. Posteritas Arfaxat, filij Sem, Heber nepos Arfaxat, à quo *Hebræi* sunt. Iectan filius Heber, à quo *Indorum* gens orta est. Sale filius Iectan, à quo *Bactriani*, licet eos alij Scytharum exules suspicentur. Ismael filius Abraham, à quo *Ismaelitæ*, qui nunc corrupto nomine *Saraceni*, quasi à Sara, & *Agareni* ab Agar. Nabaioth filius Ismael, à quo *Nabathei*, qui ab Euphrate in mare rubrum habitant. Moab & Ammon filij Loth, à quibus *Moabitæ* & *Ammonitæ*, Edom filius Esau, à quo *Idumæi*. Hæ sunt gentes, quæ de Sem stirpe descendunt, possidentes terram meridianam, ab ortu Solis vsque ad Phœnices. ¶ Filij Cham quatuor, à quibus ortæ sunt gentes hæ, Chus à quo progeniti *Æthiopes*. Misraim à quo *Ægyptij* perhibentur exorti. Phut à quo *Lybij*. Vnde & Mauritaniæ fluuius vsque ad præsens dicitur Phut, omnísque circa eum *regio Phutensis*. Chanaan, à quo *Afri* & *Phœnices* & *Chananæorum decem gentes*. Item ex nepotibus Cham filij Chus, nepotes Cham sex. Filij Chus Saba, Euilat, Sabata, Rema, Saba & Cusa. Saba à quo progeniti & appellati *Sabæi*, de quibus Virgilius, Solis est thurea virga *Sabæis*. Euila, à quo *Getuli* in parte remotioris Aphricę heremo cohærentes. Sabata, à quo *Sabateni*, qui nunc *Astabari* nominantur. Rema verò & Saba & Cusa paulatim antiqua vocabula perdiderunt, & quæ nunc à veteribus habeant ignoratur. Filij Rema, Saba & Dadan. Hic autem Saba per schin literam scribitur in Hebræo, ille autem superior Saba per samech, à quo appellantur *Sabæi*, interpretatur autem nunc Saba *Arabia*. Dadan à quo gens est Æthiopiæ in occidentali plaga. Filij Misraim Labin, à quo *Lybij*, qui quondam Phuthei vocantur. Cesloim, à quo *Philistim*, quos veteres ἀλλοφύλους, nos modò corruptè Palæstinos vocamus. Cæteræ sex gentes ignotæ sunt, quæ bello Æthiopico subuersæ vsque ad obliuionem præteritorũ nominũ peruenerũt. Filij Chanaã vndecim, ex quo Chananæorum decem gentes; quorũ terram iis expulsis Iudæi possederunt. Quorum primogenitus Sidon, à quo *Sidones*. Vnde & vrbs eorum in Phœnice Sidon vocatur. Secundus Eth, à quo *Ethei*. tertius Iebus à quo *Iebusæi*, quorũ fuit Hierusalem. Quartus Amorræus, à quo *Amorræi*. Quintus Iergeseus, à quo *Iergesæi*. Sextus Euæus, à quo *Euæi*. Ipsi sunt *Gabaonitæ*, à ciuitate eorum Gabaon, qui supplices venerunt ad Iosue. Septimus Arachæus, qui *Arcas* condidit *oppidum* contra Tripolim in radicibus Libani situm. Octauus Aseneus, à quo *Asenei*. Nonus Aradius, à quo *Aradij*,

Aradij, qui & Aradum insulam possederunt angusto freto à Phœnicis littore separatam. Decimus Amarcus, à quo Syriæ nobilis ciuitas quæ vocatur *Cœlis*. Vndecimus Amathe⁹. Hæ sunt gentes de stirpe Cham, quæ à Sidone vsque ad Gaditanũ fretum omnem meridianam partem tenent. ¶ Item tribus Filiorum Iaphet. Filij autem Iaphet septem nominantur: Gomer, ex quo *Galatæ*, id est galli. Magog, à quo arbitrantur *Scythas* & *Gothos* traxisse originem. Maday, à quo *Medos* existere putant. Iauan, à quo *Iones*, qui & Greci. Vnde & mare Ionium. Tubal à quo *Iberi*, qui & *Hispani*, licet quidam ex eo & Italos suspicentur. Moloch, ex quo *Cappadoces* sunt. Vnde & vrbs apud eos vsque hodie Maleca dicitur. Tyras, à quo *Thraces*, quorum non satis immutatum vocabulum est quasi Traces. Filij Gomer nepotis Iaphet. Ascanaz, à quo *Sarmatæ* quos Græci *Reginos* vocant. Rifan, à quo *Paphlagones*. Gotorna, à quo sunt *Phryges*. Filij Iauan Elisa, à quibus Græci *Helisæi*, qui vocantur *AEolides*. Vnde & lingua quinta Græcè Æolis appellatur. Tarsis, à quo *Cilices*, vt Iosephus arbitratur. Vnde & metropolis ciuitas eorũ Tarsis dicitur. Cethim, à quo *Cithei*, id est *Cyprij*, à quibus hodiéque vrbs Scithia nominatur. Dodanim à quo *Rhodij*. ¶ Hæ sunt gẽtes de stirpe Iaphet, quæ a Tauro monte ad aquilonem mediam partem Asiæ, & omnem Europam vsque ad Oceanum Britannicũ possident, nomina & locis & gentibus relinquentes, de quibus postea immutata sunt plurima, cætera permanent vt fuerunt. Nam multarum gẽtium vocabula partim manserunt: ita vt hodiéque appareat vnde fuerant deriuata, sicut ex Assur Assyrij, ex Heber Hebræi: partim verò temporis vetustate ita mutata sunt, vt vix homines doctissimi antiquissimas historias perscrutãtes: nec omnium sed aliquarum ex istis origines gentium potuerint reperire. Nam quòd ex filio Cham qui vocabatur Misraim, Ægyptij sunt exorti, nulla hoc resonat origo vocabuli: sicut nec Æthiopum qui dicuntur ad eum filium Cham pertinere qui Chus appellatus est. Et si omnia considerentur, plurima tamen gentium mutata, quàm manentia vocabula apparẽt: quibus postea nomina diuersa, diuersa dedit ratio. Nanque *Indi* ab Indo flumine dicti sunt qui ab occidentali parte eos includit. *Seres* à proprio nomen sortiti sunt, gens ad orientem sita, apud quos de arboribus lana contexitur. De quibus est illud: Ignoti facie, sed noti vellere Seres. *Gangaridæ* populi sunt inter Assyrios Indósque inhabitãtes circa Gangem fluuium. Vnde etiam Gangaridæ nuncupati sunt. *Hircani* dicti sunt: à silua Hircana, vbi sunt plurimæ tigres. *Bactriani* Scythæ fuerunt qui suorum factione à sedibus suis pulsi iuxta Bactron orientis fluuium consederunt, ex cuius vocabulo & nomen sortiti sunt. Huius gentis rex fuit Zoroastes inuẽtor magicæ artis. *Parthi* quoq; & ipsi à Scythis originem trahunt. Fuerũt enim eorũ exsules, quod etiam vocabulo eorum manifestatur. Nã Scythico sermone exsules *Parthi* dicũtur. Hi similiter vt Bactriani domesticis seditionib. Scythia pulsi, solitudines iuxta Hircaniam primum furtim occupauerunt: deinde pleraque finium etiã virtute obtinuerũt. *Assyrij* ab Assur filio Sem vocati, gens potentissima, quæ ab Euphrate vsque ad Indorum fines omnem in medio tenuit regionem. *Medi*, à rege suo cognominati putantur. Namque Iason Peliaci regis frater, à Peliæ filiis Thessalia pulsus est cum Medea vxore sua, cuius fuit priuignus Medus rex Atheniensium: qui post mortẽ Iasonis orientis plagã perdomuit, ibique Mediã vrbem cõdidit, gentémque Medorum nomine suo appellauit. Sed inuenimus in Genesi quòd Madai auctor gentis Medorum fuit, à quo & cognominati, vt superius dictum est. *Persæ* à Perseo rege sunt vocati, qui è Græcia in Asiam transiens, ibi barbaras gentes graui diuturnóque bello perdomuit. nouissimè victor nomen subiectæ genti dedit. Persæ autẽ ante Cyrum ignobiles fuerunt, & nullius inter gentes loci habebantur. Medi semper potentissimi fuerunt. *Casdai* qui nunc *Chaldæi* vocantur, à Caseth filio Nachor fratris Abrahæ cognominati sunt. *Sabæi* dicti ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, quod est supplicare & venerari, quia diuinitatem per ipsorum thura veneramur. Ipsi sunt & *Arabes* qui in montibus Arabiæ sunt: qui vocantur *Libanus* & *Antilibanus* vbi thura colliguntur. *Syri* à Surim vocati perhibentur: qui fuit nepos Abraham ex Cethura: quos autem veteres Assyrios, nunc nos vocamus Syros, à parte totum appellantes. *Hebræi* vocati sunt ab Heber: qui pronepos fuit Sem. *Israelitæ* verò ab Israel filio Isaac. Nam patriarcham Hebræorum constat fuisse Israel: à quo duodecim tribus Iudæorũ Israelis vocabulũ sortiti sunt. Iudæis autẽ scissura decem tribuum nomina imposuit. Nam anteà *Hebræi* siue Israelitæ nuncupabantur. Ex quo autem in duo regna populus Dei diuisus est, tũc duæ trib. quæ de stirpe Iuda reges habebant, Iudæorum nomen sortitæ sunt. Reliqua pars decem tribuũ quæ in Samaria sibi regẽ constituit ob populi magnitudinem pristinũ nomen retinuit Israel. *Samaritanorum gens* sũpsit exordiũ ab Assyriis, qui trãsmigrati habitauerũt in Samaria: qui Latinè interpretãtur custodes, eo quòd captiuato Israel isti in terra regionis eorum ad custodiam collocati sunt. Phœnix Cathmi frater de Thebis Ægyptiorum in Syriã profectus, apud Sidonẽ re-

gnauit, eósque populos ex suo nomine *Phœnices*, eámque prouinciã Phœniciam nuncupauit. *Sidones* autẽ à ciuitate quæ vocatur Sidõ traxisse vocabulũ perhibẽtur. *Saraceni* dicti, vel quia ex Sara genitos se prædicent, vel sicut gentiles aiunt, quòd ex origine Syrorũ sint quasi Syriginæ. Hi peramplam habitant solitudinẽ. Ipsi sunt & Ismaelitæ, vt liber Geneseos docet, quòd sint ex Ismaele. Ipsi Cedar à filio Ismaelis. Ipsi *Agareni* ab Agar, qui vt dixim⁹, peruerso nomine Saraceni vocantur, quia ex Sara se genitos gloriantur. *Philistei* ipsi sunt Palæstini, quia p literã sermo Hebræus non habet: sed pro eo Græco vtũtur. Inde Philistei pro Palæstinis dicuntur, ciuitate vtiq; sua. Iidem & Allophili, id est alienigenæ, ob hoc quia semper fuerũt inimici Israel, & lõgè ab eorũ genere & societate separati. *Chananei* appellati de Chanaan filio Chã: quorũ terrã Iudæi possederunt. Ex cuius origine fuit Emor pater Sichen, à quo Amorrei sunt nũcupati. *AEgyptij* ab Ægypto quodã suo rege vocati sunt. Nam antea *Aerij* dicebantur. Interpretantur autẽ lingua Hebraica *AEgyptij* affligentes, eò quòd afflixerint Dei populũ priusquam diuino auxilio liberarẽtur. *Armenius* ex Thessalia vnus de numero ducum Iasonis qui ad Colchos profecti sunt: recollecta multitudine quę amisso rege Iasone passim vagabatur, Armeniam condidit, gentíque ex suo vocabulo nomen dedit. *Limes* est *Persicus*: qui Scythas ab eis diuidit, Scythia cognominata à quodam limite Scythiæ, à quo perhibentur vocati, gẽs antiquissima semper habita. Hi Parthos Bactrianósque, fœminæ autem eorum Amazonum regna cõdiderunt. *Massagetæ* ex Scytharũ origine sũt. Et dicti Massagetæ quasi graues, id est fortes Getæ. Nam sic Liui⁹ argentũ graue dicit, id est, *massas*. Hi sunt qui inter Scythas atque Albanos septentrionalibus iugis inhabitãt. *Amazones* dictæ sunt, seu quòd simul viuerẽt sine viris quasi ἅμα ζῶσαι. siue quòd adustis dexterioribus mammis essẽt, ne sagittarũ iactus impediretur quasi ἄνευ μάζου. Nudabant enim quam adusserãt mãmam. Has Titianus vnimammis dicit. Nã hoc est Amazõ, quasi ἄνευ μάζου id est sine mamma. Has iam non esse constat: quòd earũ gentes partim ab Hercule, partim ab Achille, vel ab Alexandro vsq; ad internecionẽ deletæ sunt. In partib. Asiaticæ Scythiæ gẽtes quæ posteras se Iasonis credunt albo crine nascũtur ab assiduis niuib. & ipsius capilli color gẽti nomẽ dedit, & inde dicuntur *Albani*. Horũ glauca oculis, id est picta inest pupilla: adeò vt nocte plusquam die cernant. Albani autem vicini Amazonibus fuerũt. *Vgnos* antea *Hunnos* vocatos, postremo à rege suo *Abares* appellatos dicũt, qui prius in vltima Mœotide inter glacialem Tanaim & Massagetarum immanes populos habitauerunt. Deinde pernicibus equis Caucasi rupibus feras gẽtes Alexãdri claustra cohibente ruperunt: & orientẽ viginti annis tenuerunt captiuũ. & ab Ægyptiis atq; Æthiopibus annuũ vectigal exegerunt. Troianorum *gens* antea *Dardana*, à Dardano rege nominata. Nã Dardanus & Iasius fratres è Græcia profecti: ex iis Iasius ad Thraciam, Dardanus ad Phrygiam peruenit, ibíque primus regnauit. Post quem filius eius Ericthonius, deinde nepos eius Tros, à quo *Troiani* nũcupati sũt. *Galatæ* Galli esse noscũtur, qui in auxilium à rege Bithiniæ euocati, regnũ cum eo peracta victoria diuiserunt: sícque deinde Græcis admixti primùm *Gallogræci*: nunc ex antiquo gallorũ nomine Galatæ nuncupantur. *Græci* ante *Thessalli* à Thessalo, postea à Græco rege *Græci* sunt nũcupati. Nã Gręci propriè Thessali sunt. *Lapithas* autẽ gentẽ Thessaliæ fuisse aiunt, circa Penion amnẽ olim inhabitantẽ, à Lapitha Apollinis filia nuncupatos. *Sicyonij* Græci sunt nũcupati, à Sicyonio rege. Hi primùm Agialei vocabantur, à rege Agialio, qui primus Sicyoniis imperauit, à quo & Agialea ciuitas nuncupata est, quæ nunc Peloponnesus à Pelope rege suo vocãtur. Ipsi sunt & Arcades, ab Arcade rege Iouis & Calystæ filio dicti. *Danai* à Danao rege vocati. Iidẽ & Argiui ab Argo conditore cognominati. Postquam autẽ rex Græcorum Apis mortuus est, huic filius Argus successit in regnum, & ex eo Argiui vocati sunt, qui etiã ab eis post obitũ vt Deus haberi cepit, templo & sacrificio honoratus. *Achæi* qui & *Achiui* ab Acheo Iouis filio dicti. *Pelasgi* nominati, quia cùm velis pansis verno tẽpore aduenisse Italiã visi sunt, vt aues. Primò. n. eos Varro Italiam appulisse cõmemorat. Græci verò Pelasgos à Ioue & Larissæ filio perhibent dictos. *Myrmidones* fuerũt Achillis socij: Dolopes Pyrrhi. dicti autem Myrmidones propter astutiam quasi μύρμηκες, id est formicæ. Eratostenes autem dicit dictos Myrmidones à Myrmidone duce Iouis & Eurimedusæ filio. *Cecropi* Atheniensium regi successit Agranus, cuius filia Athis nomen & regioni & genti dedit. Et ex ea Attici cognominati, qui sunt Athenienses. Ion vir fortis ex suo nomine eosdem Athenienses vocauit *Iones*. *Macedones* à nomine Macionis regis antea Emaci nuncupati sunt: postea Macedones dicti à Macedone rege Deucalionis materno nepote. *Epirotæ* à Pyrrho Achillis filio prius Piride dicto, postea verò à Pyrrho rege ad Italiam transire præsumpserunt. Dorus Neptuni & Ellopis filius fuit, vnde *Dori* & originem & nomen ducunt. Sunt autem pars Græciæ gentis, ex quibus etiam cognominata est tertia lingua Græcorum quæ Dorica appellatur.

Lacedæmones

Lacedæmones à Lacedæmone Semelæ filio dicti. Hi diu perseuerantes in bello cõtra Messenios veriti ne diuturnitate prælij prolis spẽ perderẽt: præceperũt, vt virgines eorũ cũ iuuenib. domi relictis cõcũberent, sicq; ex promiscuo virginũ & maritorũ cõcubitu iuuenes de incertis parẽtibus nati sunt, & ex nota materni pudoris *Spartani* vocati sunt. Nam ipsos esse Spartanos quos Lacedæmones. *Thraces* ex filio Iaphet qui vocatus est Tiras & orti & cognominati, vt superius dictum est perhibentur. licet gentiles eos ex moribus ita dictos existiment, quòd sint truces. Sæuissimi enim omniũ gentiũ fuerũt, vnde & multa de iis fabulosa memorantur: quòd captiuos diis suis litarent, & humanum sanguinem in ossibus capitum portare soliti sunt. De quibus Virgilius: Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum: quasi crudelium & auarorũ *Istrorũ gens* originẽ à locis ducit: qui missi ad Argonautas persequendos, vt à ponto intrauerũt Istrum fluuium à vocabulo amnis quo à mari recesserant, appellati sunt. *Romani* à Romuli nomine nuncupati qui vrbem Romam condidit, gentique & ciuitati nomen dedit. Hi antè à Saturno *Saturni*, à Latino *Latini* vocati sunt. Nam Latinus Italiæ rex fuit qui ex suo nomine Latinos appellauit, qui postea Romani nuncupati sunt. Hi & *Quirites* dicti, quia Quirinus dictus est Romulus, quòd sẽper hasta vtebatur, quæ Sabinorũ lingua *quiris* dicitur, *Italus* quoque & Sabinus, & Sicanus, fratres fuerũt ex quibus nomina populis imposita & regionibus sunt. Nam ab Italo *Itali*, à Sabino *Sabini*, à Sicano *Sicani*: qui & *Siculi*, cognominati sunt, iidem & *Sicilienses*. *Tusci* Italiæ gens est à frequentia sacrorum, & thuris vocata, id est ἀπὸ τῶ θύειν. *Vmbri* Italiæ genus est: sed Gallorum veterum propago: qui Apenninũ montem incolũt, de quibus historiæ perhibent quòd tempore aquosæ cladis imbribus superfuerint, & ob hoc ὀμβρίους Græcè nominatos. *Marsi* gens Italiæ dicta à comite Liberi Marsia: qui vsum illis vitium ostendit, & ob hoc illi statuam fecerunt, quam postea Romani victis Marsis tulerunt. Marsos autem Græci Tuscos vocant quasi ὀφιέχους: quòd multos serpẽtes habeant, & ὄφις serpens dicatur. illæsos autem esse carminum maleficiis. inhabitant autem plagam Apennini montis simul cũ Vmbris. *Gothi* à Magog filio Iaphet nominati putantur, de similitudine vltimæ syllabæ. quos veteres magis Getas quam Gothos vocauerunt: gens fortis & potentissima, corporum mole ardua, armorum genere terribilis, de quibus Lucanus, Hinc Dacus premat inde Getes occurrat Iberis. *Daci* autem Gothorum soboles fuerunt, & dictos putant Dacos quasi dagos, quia de Gothorum stirpe creati sunt. De quibus ille, Ibis Arctos procul vsque Dagos. *Bessi* barbari fuerunt: qui à multitudine boũ sic vocati credũtur. De quibus quidam: Qui colit terræ medio vel ille Diuitis multo boue pilleatus Accola ripæ. *Gipedes* pedestri prælio magis quàm equestri sunt vsi, & ex hac causa ita vocati. *Sarmatæ* patentibus *campis* armati inequitabant prius quàm eos Lentulus Danubio prohiberet, atque inde ob studium armorum Sarmatæ nuncupati existimantur. Lanus fluuius fertur vltra Danubium, à quo *Alani* dicti sunt, sicut & populi habitantes iuxta Lemanũ fluuiũ *Alemani* vocantur: De quibus Lucanus, Deseruere cauo tentoria fixa Lemãno: *Longobardos* vulgo ferunt nominatos à prolixa barba & nunquam tonsa. Vandelicus amnis ab extremis Galliæ erumpens, iuxta quem fluuium habitasse, & ex eo traxisse nomen *Vandali* perhibentur. *Germanicæ* gentes dictæ, quòd sint immania corpora, immanésque nationes sæuissimis duratæ frigoribus, qui mores ex ipso cœli rigore traxerunt, ferocis animi & semper indomiti: raptu venatúque viuentes. Horũ plurimæ gentes variæ armis, discolores habitu, linguis dissonæ, & origine vocabulorum incertæ, vt *Tolerates, Sansi, Variquadi, Tũgri, Marcomanni, Bruteri, Camasi: Blangianæ, Tubãtes*, quorũ immanitas barbariæ etiam in ipsis vocabulis horrorem quendam significat. *Sueui* pars Germanorum fuerunt in fine Septentrionis, quibus Lucanus. Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos. Quorũ fuisse centum pagos & populos multi tradiderũt. Dicti autem *Sueui* putantur à monte Sueuo, qui ab ortu initium Germaniæ facit, cuius loca incoluerunt. *Burgundiones* quondam à Romanis subacta interiore Germania per castrorũ limites positi à Tiberio Cæsare in magnam coluerũt gentem, atq. ita nomẽ ex locis sumpserũt: quia crebra per limites habitacula constituta, burgos vulgò vocant. Hi postea rebelles effecti Romanis: plusquam octoginta milia armatorũ ripæ Rheni fluminis insederunt, & nomen gentis obtinuerũt. *Saxonum gens* in oceani maris littoribus & paludibus inuiis sita, virtute atque agilitate habilis. Vnde & appellata, quod sit durum & validissimum genus hominum & præstans cæteris piraticis. *Franci* à quodam proprio duce vocari putantur. Alij eos à feritate morũ nuncupatos existimant. Sũt enim in illis mores inconditi, naturalísque ferocitas animorũ. *Britones* quidam Latinè nominatos suspicantur: eo quòd bruti sint. gens inter oceanum interfuso mari quasi extra orbem posita. de quibus Virgilius, Toto diuisos orbe Britannos. *Scotti* propria lingua nomen habent à picto corpore, eo quòd aculeis ferreis cum atramento variarum figurarum stigmate annotentur. *Galli* à candore corporis nun-

cupati sunt. γάλα enim Græcè lac dicitur. Vnde & Sibylla sic eos appellat: cùm ait de iis, Tunc lactea colla Auro innectuntur. Secundum diuersitatem enim cœli, & facies hominum & colores & corporum quantitates & animorum diuersitates existunt. Inde Romanos graues, Græcos leues, Afros versipelles, Gallos natura feroces atque acriores ingenio peruidemus, quod natura climatũ facit. Galli autem Senones antiquitus *Xenones* dicebantur, quod Liberum hospitio recepissent, postea x in s literam commutata est. Vacca oppidum fuit iuxta Pyrenæum, à quo sunt cognominati *Vaccei*, de quibus creditur dixisse poeta: Latéque vagantes Vaccei. Hi Pyrinæi iugis peramplam montis habitant solitudinem. Idem & *Vascones* quasi Vaccones c in s literam demutata. quod genus Pompeius edomita Hispania, & ad triũphũ venire festinans de Pyrinæ iugis deposuit, & in vnũ oppidum cõgregauit. Vnde & *Conuenarum* vrbs nomen accepit. Hispani ab Ibero amne primũ Iberi, postea ab Hispalo *Hispani* cognominati sunt. *Gallicij* à candore dicti finguntur, vnde & galli. Reliquis enim Hispaniæ populis candidiores existunt. Hi Græcã sibi originem asserunt. Vnde & naturali ingenio callent, Siquidem post finem Troiani belli Teucrum morte Aiacis fratris inuisum patri Telamoni dum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse ferunt, ibíque vrbẽ nomine antiquæ patriæ Salaminam condidisse, inde ad Galliciam profectus expositis sedibus ex loco nomen genti dedisse. *Astures* gẽs Hispaniæ vocati, eo quòd circa Isturam flumen septem montibus siluísque crebris inhabitent. *Cantabri* gẽs Hispaniæ à vocabulo vrbis, & Iberi amnis, cui insidunt, appellati. Horum animus pertinax & magis ad latrocinandum, & ad bellandum, vel ad perpetiendum verbera semper parati. *Celtiberi* ex Gallis Celticis fuerunt, quorũ ex nomine appellata est regio Celtiberia. Nã ex flumine Hispaniæ Ibero vbi consederant, & ex Gallis qui Celtici dicebantur, mixto vtroque vocabulo Celtiberi nũcupati sunt. *Afri* appellati ex vno ex posteris Abrahæ, qui vocabatur Afer: qui dicitur duxisse aduersus Libyã exercitũ, & ibi victis hostibus consedisse, eiúsque posteros ex nomine ataui & Afros & Africam nuncupasse. *Pœni* autem Carthaginenses sunt à Phœnicibus nũcupati: qui cũ Didone profecti sunt. *Tyrij* verò à Tyria vrbe Phœnicum nuncupati, de qua profecti sunt, & in Africæ littus venerunt. *Getuli* Getæ dicuntur fuisse, qui ingenti agmine à locis suis nauibus conscendẽres loca Syrtiũ in Libya occupauerũt: & quia ex Getis venerant, deriuato nomine Getuli cognominati sunt. Vnde & opinio est apud Gothos, ab antiqua cognatione Mauros consanguinitate propinquos sibi vocare. Africam autem initio habuere *Libyes*. deinde *Afri*, post hæc *Getuli*, postremũ *Mauri* & *Numides*. *Mauri* & *Numidæ*, vt Afri putant, sic sũpserunt exordiũ & vocabulũ. Nam postquam in Hispania Hercules interiit: & exercitus eius cõpositus ex variis gentibus amisso duce passim sibi sedes quæreret ex eo numero Medi & Persæ & Armenij nauibus in Africã trãsuecti proxima maris loca occupauerẽ: sed Persæ dũ materiã in agris pro cõstruẽdis domiciliis nõ inuenirent, & ignara lingua cõmerciũ prohiberet: per patẽtes agros & diuersas solitudines vagabantur, & à pabulationib. vagabũdis semetipsos propria lingua *Numides* appellauerũt, id est sine oppido vagos & errantes. Medi autem cũ Libyis se miscuerunt; qui proximam Hispaniã inhabitabant, quorũ nomẽ paulatim Libyes corruperũt, barbarã lingua *Mauros* propter Medos appellantes: licet Mauri ob colorem à Græcis nominentur. Græci enim nigrum μαυρὸν vocant. Æstifero quippe calore afflati atri coloris speciẽ ducunt. *Massilia* ciuitas Africæ est, non longè ab Athlante & hortis Hesperidũ: à qua ciuitate *Massilij* exorti sunt: quos nos corruptè *Massulos* vocamus, de quibus Virgilius, Hic mihi Massiliæ gentis mõstrata sacerdos. *Gaulali* gentes sunt à meridie vsque oceanum hesperium peruagantes. His nomen gauloen insula dedit quæ est iuxta Æthiopiã, vbi nec serpens nascitur, nec viuit. *Garamantes* populi Africæ propè Cyrenas inhabitantes, à Garamante rege Apollinis filio nominati: qui ibi ex suo nomine Garama oppidum condidit. Sunt autem proximæ gentes Æthiopum, de quibus Virgilius, Extremi Garamantes. Extremi autem, quia sæui & à consortio humanitatis remoti. *Hesperij* verò sunt qui circa Hispaniam commorantur. Nam Hispania Hesperia dicitur. *Aethiopes* dicti à filio Chã qui vocatus est Chus, à quo originem trahũt. Chus enim Hebraicè Æthiops interpretatur. Hi quondam ab Indo flumine consurgentes, iuxta Ægyptum inter Nilum & oceanum in meridie sub ipsa solis vicinitate consederunt, quorum tres sunt populi. Hesperi, Garamantes & Indi. Hesperi sunt occidentis, Garamantes tripolis, Indi oriẽtis. *Traglodita* gens Æthiopum: ideò nuncupati, quòd tanta celeritate pollent, vt feras cursu pedum assequantur. *Pamphagi* & hi in Æthiopia sunt: quibus esca est, quicquid mandi potest & omnia fortuitu gignentia, vnde & appellati. *Ichthyophagi* quòd venando in mari valeant, & piscibus tantùm alantur. Hi post Indos montanas regiones tenent, quas subactas Alexander magnus piscibus vesci prohibuit.

Anthro-

Anthropophagi gens asperrima sub regione Siricum sita: qui quia humanis carnibus vescuntur, ideo anthropophagi nominantur. Itaque sicut his, ita & ceteris gentibus per secula aut à regibus, aut à locis, aut à moribus: vel ex quibuslibet aliis causis immutata vocabula sunt: ita vt prima origo nominis eorũ temporum vetustate nõ pateat. Iam verò his qui Antipodæ dicuntur, eo quòd contrarij esse vestigiis nostris putantur: vt quasi sub terris positi aduersa pedibus nostris calcẽt vestigia, nulla ratione credendum est, quia nec soliditas patitur, nec centrum terræ, sed neque hoc vlla historiæ cognitione firmatur. sed hoc poetæ quasi ratiocinãdo coniectant. *Titanas* autem quosdam in Græcia ferunt fuisse robustos & excellentes viribus populos, quos ferunt fabulę ab irata contra deos terra ad eius vltionem creatos. Vnde & *Titanes* dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, id est ab vltione, quòd quasi vlciscendæ matris Terræ causa in deos armati exstiterẽt: quos fabulæ à Ioue bello fuisse superatos atque extinctos fingunt, propter quòd è cælo iactis fulminibus interierunt.

De regnis & militiæ vocabulis.

Cap. III.

Regnum à regibus dictum. Nam sicut reges à regendo vocati: ita regnum à regibus. Regnum vniuersæ nationes suis quæque habuere temporibus, vt Assyrij, Medi, Persæ, Ægyptij, Græci, quorum vices sors tẽporum ita volutauit, vt alterum altero solueretur. Inter omnia autem regna terrarum duo regna cæteris gloriosiora traduntur, Assyriorum primò, deinde Romanorum, vt tẽporibus & locis inter se ordinata atq; distincta. Nam sicut illud prius & hoc posterius: ita illud in oriente & hoc in occidente exortum est: denique in illius fine huius initium confestim fuit. Regna cætera, cæteríque reges velut appendices istorum habentur. *Reges* à regendo. Sicut enim *sacerdos* à sanctificãdo: ita & rex à regendo, non autẽ regit qui non corrigit. Rectè igitur faciendo regis nomẽ tenetur, peccãdo amittitur. Vnde & apud veteres tale erat prouerbium. Rex eris si rectè facias, si non facias non eris. *Regiæ virtutes* pręcipuę *duæ, iustitia & pietas.* Plus autem in regibus laudatur pietas. Nam iustitia per se seuera est. *Consules* appellati à consulendo, sicut reges à regendo, & sicut leges à legendo. Nam cũ Romani regum superbam dominationem non ferrent, annua imperia, binósque consules sibi fecerunt. Nam fastus regius non beniuolentia consulentis, sed superbia dominantis erat. Hinc ergo cõsules appellari, vel à consulendo ciuibus, vel à regendo cuncta consilio. Quos tamen ideo mutandos per singulos annos instituerunt, vt nec insolẽs diu maneret, & moderatior citò succurreret. Inde autẽ duo pares, quia vnus rem ciuilem, alter rem militarem administrabat. Regnauerũt autem annis ccccLxvij. *Proconsules* subiecti erant consulibus & dicti proconsules, eo quòd vice cõsulis fungerentur. sicut procurator curatoris, id est actoris. *Exconsules* autem dicti, quòd iã à cõsulatu exierint siue discesserint pacto vicis suæ anno. *Dictatores* quinto anno post reges expulsos Romani sibi creauerunt, dũ gener Tarquinij ad iniuriam soceri vindicandã, ingentem aduersus Romã collegisset exercitum. Hi quinquennij temporis imperio vtebantur. Plus enim erant honore quàm consules, qui annuas potestates tenebant. Et dicti dictatores quasi principes & præceptores. Vnde & magistri populi nominabantur. Vnde & edicta dicuntur. *Cæsarum* nomen à Iulio cepit: qui bello ciuili commoto primus Romanorum singularem obtinuit principatum. Cæsar autem dictus quod à cælo mortuæ matris suæ vtero prolatus eductúsque fuerit. vel quod cum cesarie natus sit, à quo & imperatores sequentes Cæsares dicti: eo quòd comati essent. Qui enim exsecto vtero eximebantur; cæsones & cæsares appellabantur. *Iulius* autem dictus qui ab Iulo Æneæ filio originem duxit, vt confirmat Virgilius, Iulius à magno demissum nomen Iulo. *Imperator* autem nomen apud Romanos eorum tantum fuit prius, apud quos summa rei militaris consisteret, & ideo imperatores dicti ab imperãdo exercitibus, sed dum diu duces titulis imperatoris fungerentur, senatus censuit, vt Augusti Cæsaris hoc tantum nomen esset, eo quod is distingueretur à cæteris gentium regibus: quod & sequentes Cesares hactenus vsurpauerunt. ¶Solet enim fieri: vt primi regis nomen etiam reliqui possideant, sicut apud Albanos ex Siluij nomine omnes reges Albanorum *Siluij* appellati sunt, sicut & apud Persas *Arsacidæ.* apud Ægyptios *Ptolemæi.* apud Athenienses *Cecropidæ.* ¶*Augustus* ideo apud Romanos nomen imperij est, eo quòd olim augerẽt rempublicam amplificando. Quod nomen primò senatus Octauiano Cæsari tradidit, vt quia auxerat terras, ipso nomine & titulo consecraretur. Dum autem idem Octauianus, iam Cęsar & imperator appellaretur vel Augustus: postea verò dum ludos spectaret, & pronunciatum esset illi à populo vt vocaretur & *Dominus*, statim manu vultúque auerso indecoras adulationes repressit, & Domini appellationem vt homo declinauit, atque in sequenti die omnem populum grauissimo edicto corripuit, Dominúmque se posthac appellari ne à liberis quidem suis permisit. Fuit enim filius

Actiæ, quæ nata est de sorore Iulij Cæsaris. *Reges* autem ob hanc causam apud Græcos βασιλεῖς vocantur, quòd tanquam bases populum sustinent. Vnde & bases coronas habẽt. Quanto enim quisque magis præponitur: tanto amplius pōdere laborum grauatur. *Tyranni* Græcè dicuntur iidem Latinè & reges. Nam apud veteres inter regem & tyrãnum nulla discretio erat: vt, Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyrãni. *Fortes* enim reges tyranni vocabantur. Nam tiro fortis. de quibus Dominus loquitur: Per me reges regnant & tyranni per me tenent terram. Iam postea in vsum accidit tyrannos vocari pessimos, atque improbos reges, luxuriosæ dominationis cupiditatem & crudelissimam dominationem in populis exercentes. *Princeps* & dignitatis modo significatur & ordinis, sicut est illud Virgilianum, Princeps ardentem coniecit lampada Turnus, pro, primus. Dictus autem princeps à capiendis significatione, quòd primùm capiat: sicut municeps ab eo quò munia capiat. *Dux*, dictus eo quòd sit ductor exercitus: sed non statim quicunque principes vel duces sunt, etiã reges dici possunt. In bello verò melius ducem nominari conuenit quàm regem. Nam hoc nomen exprimit in prælio ducentem. Vnde Virgilius, ducis Euandri: Salustius, Quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum. Non dixit in ore consulis. *Monarchæ* sunt qui singularem possident principatum, qualis fuit Alexander apud Græcos, & Iulius apud Romanos. Hinc & monarchia dicitur. μόνος quippe singularitas Græco nomine, ἀρχὴ principatus est. *Tetrarchæ* sunt quartam partem regni tenẽtes. Nam τέτταρα quatuor sunt: qualis fuit apud Iudæam Philippus. *Patricij* inde vocati sunt pro eo quòd sicut patres filiis, ita prouideant reipublicæ. Præfecti dicti, quòd prætoria potestate præsint. *Prætores* iidem qui & præfecti, quasi præpositores. *Præsides* verò dicti, quia alicuius loci tutelam præsidialiter tenent. *Tribuni* vocati, quòd militibus sine plebibus iura tribuunt. *Chiliarchæ* sunt qui mille præsunt militibus, quos nos millenarios appellamus, & est nomen Græcum. *Centuriones* dicti eo quòd centum præsunt militibus, sicut quinquagenarij qui sunt in capite quinquaginta militum, sicut decani ab eo quòd militibus decem præferuntur. *Miles* dictus, quia mille erant antè in numero vno, vel quia vnus est ex mille electus. Romulus autem primus ex populo milites sumpsit & appellauit. Liber verò primus militiæ ordinem docuit. *Miles* autem *ordinarius* dicitur, aut extraordinarius. *Ordinarius* est qui per ordinem militat, nec adhuc aliquem consecutus est gradum honoris. est enim gregarius, id est humilis militiæ. *Extraordinarius* est, qui ob virtutem promouetur ex ordine. *Emeriti* dicuntur veteranij solutique militia, qui iam in vsu prælij non sunt, quia mereri militare dicitur, à stipendiis scilicet quæ merentur. Iidem & veterani dicuntur, quia iam in vsu prælij non sunt, sed post multos militiæ labores quietis suffragium consequuntur. *Equestres milites* dicti, eo quòd equo sedeãt. Item militat ille in equestri ordine. *Tirones* dicuntur fortes pueri quod ad militiã deligantur, atque armis gerendis habiles existunt. Hi enim non ex sola professione natiuitatis, sed ex aspectu & valetudine corporis æstimantur. Vnde & tirones dicti, qui antequam sacramento probati fuerint, milites non sunt. Romanæ autem militiæ fuit mos puberes primo exerceri armis. Nam decimosexto anno tirones militabant, quo etiam solo sub custodibus agebant, de quibus Virgilius, Et primo flore iuuentus. *Seruos* sanè nunquam militasse constat, nisi seruitute deposita, excepto Hannibalis tempore, cùm post Cannense prælium in tanta necessitate fuissent Romani, vt ne liberandorum quidem seruorum daretur facultas. *Desertores* vocati eo quòd desertis militaribus officiis euagantur. Hi in alios numeros militiæ nomen dare prohibẽtur, sed si non magni temporis culpam contraxerint, cæsi numeris suis restituuntur, sed & qui deserunt exercitum ad hostes transeuntes, & ipsi desertores vocantur. *Conscripti milites* dicuntur, quia in tabulis conferuntur ab eo qui eos ducturus est, sicut transcripti vocantur, cũ de alia in aliam legionẽ transeũt, & inde transcripti, quod nomina dant, vt trãscribantur. *Optiones* dicti quòd sint electi. Nã aptare eligere est, sicut & illud, Optauitque locum regno, id est eligit. *Excubitores* dicuntur, pro eo quòd excubias semper agunt. Sunt enim ex numero militum & in porticibus excubant propter regalem custodiam. *Excubiæ* autem diurnæ sunt, *vigiliæ* nocturnæ. Vnde & *vigiles*. *Velites* erant apud Romanos genus militiæ, à velitando vocati. Lecti enim agilitate iuuenes cum armis suis post terga equitum consedebant, & mox cùm ad hostes ventum esset, equis desiliebant, & continuo pedites ipsi ex alia parte, equitibus per quos aducti fuerant dimicãtibus, hostem perturbabant. Ab his ergo velitibus elephanti quondam Hannibalis retro acti cùm regi iam à suis non possent, fabrili scalpro inter aures adacto necabantur. *Castra* sunt vbi miles steterit. dicta autem castra quasi casta, eo quòd illic castraretur libido. Nam nunquam iis intererat mulier. *Militia* autem à militibus dicta, aut à multis, quasi multicia, quasi negotium multorum, aut à mole rerum quasi moletia. *Legio* sex milium armatorum est, ab electo vocata quasi lecti, id est armis electi, pro-

cti, pro-

cti, propriè autẽ Macedonum phalanx, Gallorum caterua, nostra legio dicitur. Legio autẽ habet sexaginta centurias, manipulos triginta: cohortes duodecim: turmas ducentas. *Centuria* est pars exercitus in centenos milites diuisa. Vnde & qui iis præsunt, centuriones dicuntur. *Succenturiati* sunt, non qui in primis, sed in secunda centuria sunt, quasi sub prima centuria: tamen stricti etiam ipsi & in speculis positi in bello sunt, vt si prima defecerit, isti quos sub se diximus laborantib. primis subueniant. Vnde & ad insidiandum ponitur succenturiatus, quasi armis dolosis instructus. *Manipulus* ducentorum est militũ, Manipuli autem dicti sunt milites, siue quia bellum primo manu incipiebant, siue quòd antequam signa essent, manipulos sibi, i. fasciculos stipulæ, vel herbæ alicuius pro signis faciebant, à quo signo manipulares milites cognominati sunt. De quib. Lucanus, Conuocat armatos extemplo ad signa maniplos. Turma triginta equites sunt. Romani enim equites in vna tribu trecenti fuerunt. De singulis enim centuriis deceni dabantur, & fiebat turma. Cohors quingentos milites habet. ¶ *Tria* sunt *militiæ genera*, sacramentum, euocatio, coniuratio. *Sacramentum*, in quo post electionem iurat, vnusquisque miles se non recedere à militia, nisi post completa stipendia, i. militiæ tempora, & hi sunt qui habent plenam militiam. Nam vigintiquinque annis tenentur. *Euocatio*, dum ad subitum bellum non solum milites, sed & cæteri euocantur. Vnde etiam consul solebat dicere: Qui rempublicam saluam esse vult, me sequatur. *Coniuratio*, quæ fit tumultu, quando vicinum vrbis periculum singulos iurare nõ patitur: sed repente colligitur multitudo & tumultuosa in ira conflatur. Hæc & *tumultuatio* dicitur. ¶ *In acie* autem *istæ* ferè *formæ sunt*. Exercitus, classis, nodus, cuneus, alæ, cornua, agmen: quæ formas & nomina ab ipsis reb. de quib. translata sunt imitantur. *Acies* dicta, quòd ferro armata sit, & acumine gladiorum. *Exercitus* multitudo ex vno genere, ab exercitatione belli vocata. *Classes* dictæ propter diuisionem exercitus, qui postea manipuli dicti sunt. Vnde & Virgilius: Classib. hic locus hic acies certare solebant. Nam postea & classica nauium dicta. *Nodus* propriè est densa peditum multitudo, sicut turma equitum. Nodus autem dictus, pro difficultate quòd vix possit resolui. *Cuneus* est collecta in vnũ militum multitudo. Vnde propter quòd in vnũ coit ipsa coitio in vnum, cuneus nominatus est, quasi conneus, eo quòd in vnum omnes coguntur. *Alæ* in exercitu triginta equites esse dicuntur. Alæ autem equites ob hoc dicti, quia tegunt pedites alarum vice. *Cornua* vocantur extremitas exercitus, quòd intorta sit. *Agmen* dicitur cùm exercitus iter facit, ab agendo vocatum, i. eundo. Plautus, Quo te agis & ipse? Est enim exercitus ambulans. Nã agmen dicitur, quod in longitudine directũ est, quale solet esse cùm exercitus portis procedit: quicquid fuerit aliud, abusiuè dicitur.

De ciuibus.

CAP. IV.

DE imperiis militiæq; vocabulis ex parte dictum est, deinceps *ciuium nomina* summatim subiungimus. *Ciues* vocati, quòd in vnum coeuntes viuant, vt vita communis & ornatior fiat & tutior. *Domus* vnius familiæ habitaculum est, sicut vrbs vnius populi, sicut orbis domicilium totius generis humani est. Est autem domus genus familiæ, siue coniunctio viri & vxoris. Incipit autẽ à duob. & est nomen Græcum. Nam δώματα Græci tecta vocant. Nam *familia* est, liberi ex liberis legibus suscepti, à femore. *Genus* autem à gignendo & progenerando dictũ: aut à diffinitione certorum prognatorum vt nationes, quæ propriis cognationibus terminatæ, gentes appellantur. *Populus* est humanæ multitudinis iuris consensu, & concordi communione sociatus. Populus autem eo distat à plebibus, quod populus vniuersi ciues sunt, cõnumeratis senioribus ciuitatis. *Plebs* autẽ reliquũ vulgus sine senioribus ciuitatis. *Populus* ergo tota ciuitas: vulgus vero plebs est. *Plebs* autẽ dicta à pluralitate. maior est enim numerus minorum quàm seniorũ. *Populus* verò à Græco dicitur, quasi πολιτῶν ἀθροισμὸς, i. ciuium cœtus. Vnde & populus dictus est. Græcè autẽ populus dicitur λαὸς à lapidib. Vulgus est passim inhabitans multitudo, quasi quisq. quod vult. *Tribus* dicuntur tanquam curiæ & congregationes distinctæ populorum, & vocatæ tribus ab eo quod in principio Romani trifariè fuerunt à Romulo dispertiti. in senatorib. militibus, & plebibus. Quæ tamen tribus nunc multiplicatæ nomen pristinum retinẽt. *Senatui* nomen ætas dedit, quòd seniores essent. Alij à sinendo dictos accipiunt senatores: Ipsi enim agendi facultatem dabant. *Senatusconsultus* à consulendo & tractando est dictus: quòd sic fit, vt consulat & nocere non possit. *Patres* autem, vt dicit Salustius, à curæ similitudine vocati sunt. Nam sicut patres filios suos: ita illi rempublicam alebant. *Patres conscripti*, quia dum Romulus decem curias senatorum elegisset: nomina eorum præsente populo in tabulas aureas contulit, atque inde patres conscripti vocati. *Primi ordines senatorum* dicuntur *illustres*, secundi *spectabiles*, tertij *clarissimi*. Iam inferius quartum aliquod genus non est. Quamuis autem

senatoria quisque origine esset, usque ad legitimos annos eques Romanus erat, deinde accipiebat honorem senatoriæ dignitatis. *Censores* apud Romanos veteres erant. Est enim censor, nomen dignitatis iudicialis. Censere enim iudicare est. Itẽ censores sunt patrimoniorum iudices, à censu æris appellati. *Iudices* dicti quasi ius dicentes populo, siue quod iure disceptent. Iure autem disputare, est iuste iudicare. Non est autem iudex, si non est iustitia in eo. *Præsides* rectores sunt prouinciæ: dicti eo quòd præsunt. *Prætores* autem quasi præceptores ciuitatis & principes. Idem & quæstores quasi quæsitores, eo quòd quæstionib. præsunt. Consilium enim & causa apud eos est. *Proceres* sunt principes ciuium vel ciuitatis, quasi procedes quod ante omnes honore præcedant. Vnde & capita trabium quæ eminent extra parietes proces dicuntur, eo quod primo procedant. Hinc autem ad primores facta translatio: quòd à cætera multitudine proeminent. *Tribuni* dicti, eo quod plebi iura vel opem tribuunt. Constituti sunt autem sexto anno post reges exactos. Dum enim plebs à senatu & consulibus premeretur: tunc ipsi tribunos quasi proprios iudices & defensores creauit: qui eorum libertatem tuerentur, & eos aduersus iniuriam nobilitatis defenderẽt. Vnde & defensores dicti, eo quòd sibi plebem commissam contra insolentiam improborum defendant. At contrà nũc quidam euersores non defensores existunt. *Numerarij* vocati sunt qui publicum nummum ærariis inferunt. *Functi*, ab eo quòd fungantur honore & officio aliquo dicti. Hinc & defunctos mortuos dicimus, qui compleuerunt vitæ officia: nihil enim iam faciunt. *Municipes* sunt in eodem municipio nati: ab officio munerum dicti, eo quòd publica munia accipiunt. Munia enim officia sunt, vnde & immunes dicuntur, qui nullum gerũt officium. *Municipales* originales ciues & in locum officium gerentes. *Decuriones* dicti quòd sint de ordine curiæ. Officiũ enim curiæ administrãt. Vnde non est decurio qui summam non intulit, vel curiam participauit. *Curiales* autem idem & decuriones. Et dicti curiales, quia ciuilia munera procurant & exequuntur. *Principales* magistratus & duumuirales curialium officiorum ordines sunt. Principales dicti quòd præsint magistratibus. *Magistratus* vero quod maiores sint reliquis officiis. *Duumuirales* autem qui super duos viros habent potestatem. *Tabellio* vocatus, eo quòd sit portator tabellarum. Idem *exceptor*, idem & *scriba publicus*, quia ea tantum quæ gestis publicantur scribit. *Burgarij* à burgis dicti, quia crebra per limites habitacula constituta burgos vulgò vocant. Vnde & *Burgundionum gentis nomen* inhæsit: quos quondam subacta Germania, Romani per castra disposuerunt, atque ita ex locis nomen sumpserunt. *Collegiati* dicuntur quod ex eorũ collegio custodiisq; dependentur qui facinus aliquod commiserunt. Est enim sordidissimum genus hominum patre incerto progenitum. *Priuati* sunt extranei ab officiis publicis, est enim nomẽ magistratum habẽti contrarium, & dicti priuati, quòd sint ab officiis curiæ absoluti. *Mercenarij* sũt, qui seruiunt accepta mercede, iidem & *Barones* Græco nomine, quòd sint fortes in laborib. Βαρὺ enim dicitur grauis: quòd sit fortis: Cui contrarius est leuis & infirmus. *Publicani* appellantur conductores vectigalium fisci vel rerum priuatarum, siue quia vectigalia publica exigunt, vel quia per negotia seculi lucra sectantur. Vnde & cognominati sunt. *Villicus* propriè villæ gubernator est. Vnde & à villa villicus nomen accepit. Interdum autem villicus non gubernationem villæ sed dispensationem vniuersæ domus, Tullio interpretante significat, quod est vniuersarum possessionum & villarum dispensator. *Actores* idem & curatores ab agendo & curando vocati. *Procuratores* verò, eo quòd vice curatoris funguntur: quasi propter curatores: sicut proconsul pro consule. *Coloni* sunt cultores aduenæ, dicti à cultura agri. Sunt enim aliunde venientes, atque alienum agrum locatum tenentes, ac debentes conditionem genitali solo propter agri culturam sub dominio possessoris, pro eo quòd iis locatus est fundus. Coloni autem quatuor modis dicuntur. Nam coloni aut Romani sunt, aut coloni Latini, aut coloni auxiliares, aut coloni ruris priuati. *Inquilini* vocati quasi incolentes aliena. Non enim habent propriam sedem: sed in terra aliena inhabitant. Differt autem inter inquilinum & aduenam. *Inquilini* enim sunt qui emigrant, & non perpetuò permanent. *Aduenæ* autem vel incolæ aduentitij perhibentur, sed permanentes: & inde incolæ, quia iam habitatores sunt, ab incolendo. *Indigenæ* sunt inde geniti, & in eodem loco nati, vbi inhabitant. *Incola* autem non indigenam, sed aduenam indicat. *Peregrini* dicti eo quòd ignorantur eorum parentes à quibus orti existunt. Sunt enim de longinqua regione. *Vrbani* vocabantur qui Romæ habitabant. Qui verò in cæteris locis, oppidani. Nam sola vrbs, Roma, cætera oppida. *Famuli* sunt ex propria seruorum familia orti. *Serui* autem vocabulum inde traxerunt, quòd hi qui iure belli possent occidi à victoribus, conseruabantur: & serui fiebant à seruando scilicet serui appellati. *Ancillæ* à sustentaculo vocatæ. ἀγκὼν enim Græcè cubitus dicitur. Vnde & anconem *dicimus*.

Manci-

Mancipium est quicquid manu capi subdiq; potest, vt homo, equus, ouis. Hæc enim animalia statim vt nata sunt, mãcipium esse putantur. Nam & ea quæ in bestiarum numero sunt, tunc videntur mancipium esse, quando capi siue domari ceperint. *Ingenui* dicti qui in genere habent libertatem, non in facto, sicut liberti. Vnde & eos Græci εὐγενεῖς vocant, quòd sint boni generis. *Libertus* autem vocatus quasi liberatus. Erat enim prius iugo seruitutis addictus. Libertorum autem filij apud antiquos libertini appellabantur, quasi de libertis nati. Nunc verò libertinus aut à liberto factus, aut possessus. *Manumissus* dicitur, quasi manu emissus. Apud veteres enim, quando manu mittebant, alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant. Vnde & manumissi dicti, eo quòd de manu mitterentur. *Dedititij* primùm à deditione sunt nuncupati. *Deditio* enim dicitur, quando se victi aut vincendi hostes victoribus tradũt, quibus hæc origo nominis fuit. Dum quondam aduersus populum Romanum serui armis sumptis dimicassent, victi se dederunt, comprehẽsique varia turpitudine affecti sunt. Ex his quidam postea à Dominis manumissi propter suppliciorum notas quas manifestè perpessi sunt, ad dignitatem ciuium Romanorum non peruenerunt. *Latini* ante Romã conditam apud Latinos fiebant, nunquã per testamentum, sed per epistolam libertatem sumentes. Inde quia per testamentum nõ fiebant: nec ex testamento aliquid capere, nec suos hæredes facere poterant, ciues Romani postea sub consulibus per testamenta in vrbe Romana effecti sunt. Dicti autem *ciues Romani* quia in testamento liberi effecti in numerum Romanorum ciuium rediguntur. His primùm aditus erat in vrbe Roma commorari, cæteris autem libertis prohibebatur, ne vel in vrbe Roma, vel intra septimum ab vrbe milliarium commanerent.

De affinitatibus & gradibus. CAP. V.

H*Æredibus* nomẽ imposuit cẽsus æris. Soluit enim tributũ auctoris. In hoc enim vocabulo prima successio est *hæreditatis* & generis, vt sunt filij & nepotes. *Prohæres* est qui loco hæredis fingitur: quasi pro hærede. Est enim aut institutus aut substitutus. *Pater* est à quo nascitur initium generis: Itaque is *paterfamiliàs* vocitatur. *Pater* autem dictus eo quòd patratione peracta filium procreet. Patratio enim est rei Venereæ consummatio. Lucretius. Et bene patra patrum. *Genitores* autem à gignendo, & parentes quasi parientes. Iidem & *creatores*. *Crementum* enim est semen masculi, vnde animalium & hominum corpora concipiuntur. Hinc creatores parentes dicuntur. *Mater* dicitur quòd exinde efficiatur aliquid. Mater enim est quasi materia: nam pater causa est. *Paterfamiliàs* autem dictus, quòd omnibus in familia sua positis seruis tanquam pater filijs patria dilectione consulit, seruorúmque conditionem à filiorum affectu non discernit: sed quasi vnum membrum amplectitur. Hinc enim exortũ est nomen patrisfamiliàs. Qui autem dominatur in seruis, hoc se nomine nequaquam reputent appellari. *Materfamiliàs* inde vocatur, quia per quandam iuris solennitatem in familiam transit mariti. Tabulæ enim matrimoniales instrumenta emptionis suæ sunt. Aliàs sicut *matrona* est mater primi pueri, id est quasi mater nati: ita *materfamiliàs* illa est, quę plures enixa est. Nam familia ex duobus esse incipit. *Auus* patris pater est, ab æuo dictus est, id est ab antiquitate. *Proauus* aui pater est, quasi prope auum. *Abauus* proaui pater, iam longè ab auo. *Atauus* abaui pater. *Tritauus* ataui pater: quasi tetrauus, id est quantus supra abauum. Sed tritauus vltimum cognationis nomen est. *Familia* autem *oritur* à patre: *terminatur* in tritauo. *Filius* & *filia* à familia dicti sunt, ipsi enim primi in ordine nascẽtium existunt. Vnde & Cornelia familia stirps ipsa omnis à Cornelio orta. *Familia* autem à femore. *Femur* enim genus est & stirps ostenditur. Nam familia pro seruis abusiue nõ propriè dicitur. *Stirps* ex longa generis significatione vocatur. *Gnatus* dictus quasi generatus. Vnde & per g scribitur. *Soboles* eo quòd substitutio sit generis. Quadripartitus est autem ordo filiorum ita: Vnigenitus, primogenitus, medius, nouissimus. *Vnigenitus* quòd sit vnicus, nec ante, nec pòst vllus. *Primogenitus* ante quem nullus. *Medius*, inter omnes. *Nouissimus*, post omnes. Idem & *minimus* à monade. Nouissimus autem propter quòd nouus: quia cæteri præcedendo antiquiores existũt. ¶ *Quatuor* etiã *modis filij* appellantur, natura, imitatione, adoptione, doctrina. *Natura*, veluti dicũtur filij Abrahę Iudæi. *Imitatione*, vt ipsius Abrahæ fidem imitantes ex gentibus, dicente Euangelio, Potẽs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ vel sicut eosdem Iudæos Dominus filios esse dicit diaboli, à quo non nominati, vel nati, sed quem fuerant imitati. *Adoptione* quoque, quod humana consuetudine nulli licet nescire, vel sicut nos Deo non natura sed adoptione dicimus, Pater noster qui es in cælis. *Doctrina*, sicut Apostolus filios suos appellat eos quibus Euangelium prædicauit. Filij autem ideò in legibus *liberi* appellãtur, vt isto vocabulo secernantur à seruis: quia sicut seruus in potestate domini, sit filius in potestate est patris. Inter etiam filios fit *emancipatio*, vt sit liber a patre: sicut fit seruo *manumissio*, vt sit liberatus à domino.

Item *liberi* dicti, quia ex libero sunt matrimonio orti. Nam filij ex libero & ancilla seruilis conditionis sunt. Semper enim qui nascitur deteriorem parentis statum sumit. *Naturales* autem dicuntur ingenuarum concubinarum filij, quos sola natura genuit non honestas coniugij. iidem & *pueri* à pube. *Adoptiuus* filius est, qui aut patre iusto, aut auo, aut proauo, cuius potestate per mancipationes est traditus in alienam potestatem, quia vtriusque fert nomen, vt Flauius Æmilius, vel Scipio Paulus. *Gemini* sunt non duo tantùm simul nati; sed & plures. De geminis autem vno abortiuo. alter qui legitimè natus fuerit, *Vopiscus* nominatur. *Posthumus* vocatur eo quòd post humationem patris nascitur, id est post obitum. Iste & defuncti nomē accepit. Sic enim lex voluit vt qui de defuncto nascitur, defuncti nomine appelletur. *Nothus* dicitur qui de patre nobili & matre ignobili gignitur, sicut ex concubina. Est autem hoc nomen Græcum, & in latinitate deficit. Huic contrarius est *spurius*, qui de matre nobili & patre ignobili nascitur. Item spurius patre incerto matre vidua genitus, velut tantùm spurij filius, quia muliebrem naturam veteres spurium vocabant, velut ἀπὸ τοῦ σπόρου, hoc est, seminis, non patris nomine. Eosdem & *Fauonios* appellabant, quia quædam animalia Fauonio spiritu hausto concipere existimantur. Vnde & ij qui non sunt de legitimo matrimonio, matrē potiùs quàm patrem sequuntur. Latinè autem *spurij* quasi extra puritatem, id est, quasi immundi. *Nepos* est qui ex filio natus est. dictus autem nepos quasi natus post. Primùm enim filius nascitur. deinde nepos. Gradus enim substitutionis est. Hinc & *posteritas*, quasi postera ætas. Nepos autem vtriusque sexus est. Nam vt *neptis* dicamus in iure est, propter discretionem successionis admissam. *Pronepos* est qui ex nepote conceptus natúsque. Et dictus pronepos, quasi natus porrò pòst. Ex hoc quoque gradu incipit vocari & progenies, quasi porro post geniti, nam filij & nepotes non sunt progenies, quia non est in eis longa posteritas. Sicut autē inferiùs longè editi *progenies* dicuntur, ita superius proaui atauíque *progenitores* appellantur, quasi porrò generantes. *Pronepos* dictus quia propè nepotem. *Abnepos*, quia seiungit ab nepote. Est enim inter illū & nepotem pronepos. *Adnepos* abnepotis filius. *Trinepos* adnepotis filius, quia post nepotē quartus in ordine est, quasi tetranepos. Minores autem non dicimus nisi quorum graduum deficit nomen: vtputa filius, nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos. Vbi isti gradus defecerint, meritò iam dicimus, post patris aui proaui abaui, tritauíque vocabulum.

De agnatis & cognatis. Cap. VI.

AGnati dicti eo quòd accedant pro natis, dū desunt filij. Qui ideò priùs in gente agnoscuntur, qui veniūt per virilis sexus personas: veluti frater eodē patre natus, vel fratris filius nepos, vel ex eo item patruus propinquitate cognationis. *Cognati* dicti, quia sunt & ipsi propinquitate cognationis coniuncti. Qui inde post agnatos habentur, quia per fœminini sexus personas veniūt: nec sunt agnati, sed aliàs naturali iure cognati. *Proximus*, propter proximitatē sanguinis appellatus. *Consanguinei* vocati, eo quòd ex vno sanguine, id est ex vno patris semine nati sūt. Nā semen viri spuma est sanguinis, ad instar aquæ in scopulos collisæ, quæ spumam candidam facit, vel sicut vinum nigrum quod in calice agitatum spuma albentem reddit. *Fratres* dicti, eo quòd sint ex eodem fructu, id est ex eodē semine nati. *Germani* verò de eadem genitrice manantes: non, vt multi dicunt, de eodem germine, qui tantùm fratres vocātur. Ergo *fratres* ex eodem fructu, *germani* ex eadem genitrice manantes. *Vterini* vocati, eo quòd sint ex diuersis patribus, & vno vtero editi. Nā vterus tantū mulieris est. ¶ *Quatuor* autem *modis fratres dicuntur* in diuinis scripturis, natura, gente, cognatione, affectu. *Natura*, vt Esau & Iacobus, Andreas & Petrus, Iacobus & Iohannes. *Gente*, vt omnes Iudæi fratres inter se vocantur: vt in Deuteronomio, Si autem emeris fratrem tuum qui est Hebræus. Et Apostolus, Optabam, inquit, ego Anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. Porrò *cognatione* fratres vocantur, qui sunt de vna familia, id est, patria, quas Latini paternitates interpretantur, cùm ex vna radice multa generis turba diffunditur, vt in Genesi dixit Abraham ad Loth, Non sit rixa inter me & te, & inter pastores tuos & pastores meos, quia omnes fratres nos sumus. Et certè Loth non erat frater Abrahæ, sed filius fratris eius Aram. Quarto modo *affectu* fratres dicti, qui in duo scinduntur, spiritale & commune. Spiritale quo omnes Christiani fratres vocantur vt, Ecce quàm bonum, & quàm iucūdum habitare fratres in vnum. Item commune, cùm omnes homines ex vno patre nati patri inter nos germanitate coniungimur, Scriptura loquente, dicite iis, qui oderunt vos, fratres nostri vos estis. *Germana* ita intelligitur vt germanus eadem genitrice manans. Soror autem vt frater. Nam *soror* est ex eodem semine dicta, quòd sola cum fratribus in sorte agnationis habeatur. Fratrum filij *patrueles* dicti, eo quòd patres eorum germani fratres inter se fuerunt. *Consobrini* verò

voca-

vocati, qui aut ex sorore & fratre, aut ex duabus sororibus sunt nati : quasi consororini. *Fratrueles*, autem materteræ filij sunt. *Sobrini* consobrinorum filij. *Tius* Græcum nomen est. *Patruus* frater patris est : quasi pater alius. Vnde & decedente patre pupillum prior patruus suscipit, & quasi filium lege tuetur. *Auunculus* est matris frater, cuius nomen formam diminutiui habere videtur: quia ab auo venire monstratur. *Amita* est soror patris quasi altera mater. *Soror* est qui filiam dedit. *Gener*, est qui filiam duxit. Gener autem dictus, quòd asciscatur ad augendum genus. *Socer* autem & socrus quòd generum vel numerum sibi associauit. *Vitricus* autem qui vxorem ex alio viro filium aut filiam habentem duxit. Et dictus vitricus quasi nutricius, quòd à matre superducatur nouus. *Priuignus*, est qui ex alio patre natus est, & priuignus dici putatur: quasi priuigenus: quia prius genitus. Vnde & vulgo antenatus. Vocabula autem à gente hæc videntur declinata genitor genitrix, agnati agnatæ cognati cognatæ, progenitores progenitrices, germani germanæ.

In quibusdam exempl. hæc adiiciuntur.

* Hæc consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, vsque ad vltimum gradum subtraxerit, & propinquitas esse desierit: eam rursus lex matrimonij vinculo repetit, & quodammodo reuocat fugientem. Ideo autem vsque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.

Item de prædictis affinitatibus.

AVctor mei generis *pater* mihi est, ego illi filius aut filia. Patris mei pater, mihi *auius* est, ego illi nepos, aut neptis. Patris mei auus mihi *proauus* est : ego illi pronepos aut proneptis. Patris mei proauus : mihi *abauus* est, ego illi abnepos aut abneptis. Patris mei abauus, mihi *atauus* est, ego illi adnepos aut adneptis. Patris mei atauus mihi *tritauus* est, ego illi trinepos aut trineptis.

De patruis.

PAtris mei frater mihi *patruus* est ego, illi fratris filius aut filia. *Patrui* mei pater mihi *patruus magnus* est. ego illi filij fratris filius aut filia. *Patrui* mei, auus, mihi *propatruus* est, ego illi filij aut nepos aut neptis. *Patrui* mei proauus mihi *adpatruus* est : ego illi nepotis aut neptis filius aut filia.

De amitis.

MAtris meæ soror mihi *amita* est, ego illi fratris filius aut filia. *Amita* meæ mater, mihi *auita magna* est, ego illi filiæ fratris filius aut filia. *Amitæ* meæ auia mihi *proamita* est, ego illi neptis filius aut filia, *Amita* meæ proauia mihi *abamita* est, ego illi neptis, nepos, aut neptis.

De auunculis.

MAtris meæ frater mihi *auunculus est*, ego illi sororis filius aut filia. *Auunculi* mei pater mihi *auunculus magnus* est, ego illi sororis filius aut filia. *Auunculi* mei auus mihi *proauunculus* est, ego illi neptis filius aut filia.

De materteris.

MAtris meæ soror mihi matertera est, ego illi sororis filius aut filia. *Matertera* meæ soror mihi *matertera magna* est, ego illi sororis nepos aut neptis. *Auia* meæ soror mihi *abmatertera* est. ego illi pronepos sororis aut pronepotis. *Proauia* meæ soror mihi *promatertera* est, ego illi neptis filius aut filia.

Stemmata dicuntur
cati faciunt in genere
num partiuntur, vt pu-
ille auus, ille agnatus,

ramusculi quos aduo-
cùm gradus cognatio-
ta ille filius, ille pater,
& cæteri quorum figuræ
hæ sunt.





tritauic pater & m. 7
tritaui pater & m 7
Tripatruus Tritamita 7
Tritauus 6
Tritauia 6
triauculus trimatertera. 7
adpatrui adamitæ filij 7
adpatruus adamita 6
adauus 5
adauia 5
adauunculus admatertera. 6
adauunculi admatert. filij. 7
abpatrui abamitæ nepotes 7
abpatrui abamitæ filius 6
abpatru⁹, abamita 5
abauus 4
abauia 5
abauunculus abmatertera. 5
abauũculi abmatertæ filij 6
abauunculi abmat. nepot. 7
ꝓpatrui proamitæ nepot. 7
ꝓpat. ꝓamitę pronepotes. 6
ꝓpatrui proamitæ filij 5
propatruus proamita. 4
Proauus 3
PROAVIA 3
Proauunculus Promatertera. 4
ꝓauũc promatertera filij 5
ꝓauũc. pro matert. nepotes 6
proauũc promater. pronepotes 7
ꝓpatruorũ amitarũve ꝓnepot 7
ꝓpatruorũamitarũve nepot. 6
ꝓpatruorũamitarũve filii 5
ꝓpatruelis amitinus 4
ꝓpatru⁹ ꝓamita magna. 3
AVVS 2
AVIA 3
auũcul. matertera magna 3
propri⁹ sobrin⁹. propria sobrina 4
Sobrin sobrinæ filij 5
Sobrini Sobrinæ nepot. 6
Sobrini Sobrinæ pronepotes. 7
Fratris patrui amitinę nepotes. 7
Patrui amitani pronepotes. 6
amitani nepotes. 5
Propatrui amitani filij 4
Frater Soror patruelis amita. 3
Patruus Amita. 2
PATER
MATER
Auunculus Matertera 2
Consobrinus Consobrina. 3
Consobrini Consobrinæ filii 4
Consobrini Consobrinæ nepot. 5
Consobrini cõsob. pronepotes 6
Sobrini Sobrini Trinepotes. 7
1 Fili⁹ 2 nepos 3 ꝓnepos 4 abnepos 5 adnepos 6 trinepotis filij 7 trinepotis nepos.
1 Filia 2 neptis. 3 ꝓneptis. 4 abneptis 5 adneptis 6 trineptis filiæ. 7 trineptis neptis

STEMMATA STIRPIS HVMANÆ.

Hæc consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, vsque ad vltimũ gradum substra-ſit, & propinquitas esse desierit, eam rursus lex hæc, matrimonij vinculo reperto, & quodã modo reuocat fu-ntem. Ideo autem vsque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut sex ætatibus mũ generatio, & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.

De coniugiis. CAP. VIII.

Vir ſexum ſignificat, non coniugium, niſi adieceris, vir eius. *Maritus* verò etiam ſine adiectione coniugem ſonat, & à mare maritus, quaſi mas. Eſt enim nomen primæ poſitionis, quod facit in diminutione maſculus: in deriuatione maritus. *Sponſus*, à ſpondendo vocatus. Nam ante vſum tabellarum matrimonij cautiones ſibi inuicem emittebant, in quibus ſpondebant ſe inuicem conſentire in iura matrimonij, & fideiuſſores dabant. Vnde admiſſum eſt vt ſponſum dicamus virum, à ſpondendo & ſponſam ſimiliter. Cæterùm propriè ſpondere, velle eſt. Ergo ſponſus non quia promittit, ſed quia ſpondet & ſponſores dat. *Arrabo*, dicta quaſi arra bona. Quod enim datur pro coniugio, bene datur: quia coniugium bonum eſt. Quod verò cauſa fornicationis aut adulterij, malum eſt: idcirco arrabo non eſt. Dicta autem arra à re pro qua traditur. Eſt autem arra non ſolum ſponſio coniugalis, ſed etiam pro qualibet promiſſa re data, vt compleatur. *Proci*, nuptiarum petitores, à procando, id eſt, petendo dicti. *Pronuba*, dicta, eo quòd nubentibus præeſt: quæque nubentem viro coniungit. Ipſa eſt & *paranympha*. Nam *nympha* ſponſa in nuptiis, & nympha pro lautionis officio, quod ad nomen nubentis alluditur. *Coniuges*, appellati propter iugum quod imponitur matrimoniis coniungendis. Iugo enim nubentes lugubri ſolent: propter futuram concordiam, ne ſeparentur. Coniuges autem veriùs appellantur à prima deſponſationis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus ſicut Maria Ioſeph coniunx vocatur, inter quos nec fuerat nec futura erat carnis vlla commixtio. *Nuptæ* dictæ, quod vultus ſuos velent: tranſlatum nomen à nubibus, quibus tegitur cælum. Vnde & *nuptiæ* dicuntur, quòd ibi primùm nubentium capita velātur. *Obnubere* enim, cooperire eſt. Cuius cōtraria *innuba*, hoc eſt, innupta, quæ adhuc vultum ſuum non velat. *Vxores*, vocatæ quaſi vnxiores. Moris enim erat antiquitus, vt nubentes puellæ ſimul venirent ad limen mariti, & poſtes antequam ingrederentur, ornarentur laneis vittis, & oleo vngerentur. Et inde vxores dictæ, quaſi vnxiores: quæ ideo vetabantur limina calcare, quod illic ianuæ & coeunt & ſeparentur. *Matrona*, eſt quę iam nupſit, & dicta matrona, quaſi mater nati, vel quia iam mater fieri poteſt: vnde & matrimonium dictum. Diſtinguitur autem inter matronam, matrem & matremfamiliâs. Nam matronæ, quia iam in matrimonium conuenerunt: matres, quia genuerunt, matresfamiliâs, quia iam per quandam iuris ſolennitatem in familiam mariti tranſierunt. *Monogamus* dictus, quia vni tantùm nupſit. Μόνον enim apud Græcos vnum dicitur: γάμοι nuptiæ interpretantur. *Bigamus* autem & trigamus à numero vxorum vocatus, quaſi à duabus vel tribus mulieribus. *Vidua* vocata, quòd cum *viro vno* fuerit, nec circa conſortium alterius viri poſt mortem coniugis primi adhæſerit. Nam quæ alteri poſt mortem prioris viri nupſerint, viduæ non dicuntur. Item vidua dicta, quòd ſola ſit, nec circa conſortium alterius viri coniugalia iura cuſtodiat. Fratris vxor *fratriſſa* vocatur. Mariti frater *leuir* dicitur. Duorum inter ſe fratrum vxores *ianitrices* vocantur: quaſi eandem ianuam terentes, vel per eandem ianuam iter habentes. Viri ſoror *glos* appellatur. Sororis vir ſpeciale nomen non habet, nec vxoris frater. *Matrimonium*, eſt nobilium iuſta conuentio & conditio. *Coniugium*, eſt legitimarū perſonarum inter ſe coeundi & copulandi nuptiæ. Coniugium eſt dictum, quia coniuncti ſunt, vel à iugo quo in nuptiis copulantur, ne reſolui aut ſeparari poſſint. *Connubium* autem non à nupta, ſed à nubendo formatum; dicitur autem connubium cùm æquales in nuptias coeunt, vtputa ciues Romani, pari vtrique dignitate. Connubium autem nō eſt, cùm ciuis Romanus cum Latina iungitur. Quoties autem connubium non eſt, filij patrem non ſequuntur. *Hymenæus*, dicitur à quodam Hymenæo, qui prius proſperè vſus eſt nuptiis, vel ἀπὸ τοῦ ὑμένος, quæ membranæ virginitatis eſt clauſtrum. *Contubernium*, eſt ad tempus coeundi conuentio, vnde & tabernaculum quod modò huc, modò illuc præfigitur. *Repudium*, eſt quod ſub teſtimonium teſtium vel præſenti vel abſenti mittitur. *Diuortium*, eſt quotieſcunq; diſſoluto matrimonio, alter eorum alteras nuptias ſequitur. Diuortium autem dictum à flexu viarum, hoc eſt, via in diuerſa tendens. *Fribolum*, eſt cùm eo animo ſeparantur, vt rurſum ad ſe inuicē reuertantur. Nam fribolum eſt velut quaſſæ mentis & effluxæ, nec ſtabilis. Propriè autem fribola vocantur fictilia vaſa inutilia. ¶ *Tres* autem *ob cauſas ducitur vxor. prima* eſt *cauſa prolis*, de qua legitur in Geneſi, & benedixit eos, dicens, Creſcite & multiplicamini, ſecunda cauſa *adiutorij*, de qua ibi in Geneſi dicitur, Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile, tertia cauſa *incontinentia*. Vnde dicit Apoſtolus, vt, Qui ſe nō continet, nubat. ¶ *In eligendo marito quatuor ſpectari ſolent. Virtus, genus, pulchritudo, ſapientia*. Ex his ſapientia potentior eſt ad amoris effectum. Refert hæc quatuor Virgilius de Ænea, quòd his Dido impulſa eſt in amorem eius. Pulchritudine, Quem ſeſe ore ferens. Virtute, Quàm forti pectore & armis. Oratione, Heu quibus ille iactatus fa-

tis, quę bella exhausta canebat. Genere, Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum. ¶ Item in re eligenda vxore: quatuor res impellunt hominem ad amorem: pulchritudo, genus, diuitiæ, mores. Melius tamen est si in ea mores quærantur, quàm pulchritudo. Nunc autem illæ quæruntur, quas aut diuitiæ, aut forma, non quas probitas morum commendat. ¶ Ideo autem fœminæ sub viri potestate consistunt, quia leuitate animi plerunque decipiuntur. Vnde & æquum erat eas viri auctoritate reprimi. Proinde & veteres voluerunt fœminas innuptasq; uamuis perfectæ ætatis essent, propter ipsam animi leuitatem, in tutela consistere.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM.

LIBER XII.

De quibusdam vocabulis nominum per alphabetum distinctis.

ORIGO quorundam nominum, id est, vnde veniat, non penè omnibus patet. Proinde quædam noscendi gratia operi interiecimus. Licet origo nominum vnde veniat à philosophis eam teneat rationem, vt per denominationem homo ab humanitate, sapiens à sapientia nominetur, quia prius sapientia, deinde sapiens: tamen claret alia specialis in origine quorundam nominum causa: sicut homo ab humo, vnde propriè est appellatus. Ex quibus exempli gratia quædam in hoc opere posuimus.

A

HEros, vir fortis & sapiens. *Auctor*, ab augendo dictus. Auctorem etiam fœmineo genere dici non posse existimant. Nam quædam sunt, quæ in fœminino flecti non possunt, vt cursor. *Actor*, ab agendo. *Alumnus*, ab alendo vocatus; licet & qui alit, & qui alitur, alumnus dici potest, id est, & qui nutrit, & qui nutritur: sed meliùs tamen qui nutritur. *Amicus*, per deriuationem, quasi animi custos. dictus autem propriè amicus ab amo, id est, catena charitatis: vnde & amici quod teneant. *Amator* turpitudinis, quia amore torquetur libidinis. *Amabilis* autem, quòd sit amore dignus. *Amasius*, eo quòd sit pronus ad amorem. *Astutus*, ab astu vocatus, qui est callidi & cauti nominis, qui possit sine periculo fortiter aliquid facere. *Argutus*, quia argumentum citò inuenit in loquendo. *Acer*, in vnamquamque formam vegetus ac nimius. *Alacer*, à velocitate & cursu, quasi diceret aliger. *Armiger*, quòd arma gerat. *Alacris*, lætus: alacriter gestiens & nullius rei nouitate turbatus. *Agilis*, ab agendo aliquid celeriter: sicut docilis. *Æmulus*, eiusdem rei studiosus, quasi imitator & amabilis. Aliàs inimicus inuenitur. *AEquus*, est secundum naturam iustus dictus, ab æqualitate, hoc est ab eo quòd sit æqualis: vnde & æquitas appellata, ab æqualitate quadam scilicet. *AEquæuus*, ab eo quòd sit alteri æqualis æuo, id est, coætaneus. *Arrogans*, eo quòd multum rogetur, & ille multum fastidiosus sit. *Audax*, propriè pro arrogante ponitur. *Animosus*, eo quòd sit animus & viribus plenus. *Animatus*, quasi animo auctus, & quasi animo firmatus. *AElatus*, pro eo quòd seipsum super mensuram suam eleuet: dum magnus sibi videtur de his quæ agit. *Attollens*, quòd se eleuet & erigat. *Ambitiosus*, quòd honores ambiat. *Auidus* dictus ab auendo: auere enim cupere est: Hinc & auarus. Nam quidam auarum esse dixerunt, progredi vltrà quàm sufficit. *Auarus* ex eo dictus, quòd sit auidus auri, & nunquam opibus expleatur: & quantum plus habuerit, tantum plus cupiat: Flacci super hoc concordante sententia: qui ait, Semper auarus eget: & Sallustius, Quòd neque auaritia copia, neque inopia minuatur. *Amarus*, à sapore translatum nomen habet. Est enim insuauis, nec nouit quenquam ad consortium suum aliqua inuitare dulcedine. *Adulter*, violator maritalis pudoris, eo quòd alterius torum polluit.

Anceps,

Anceps huc illúcque fluctuans ac dubius istud aut illud capiat, & in qua parte declinet anxius. *Atrox*, quòd sit tetris moribus. *Abstemius* à temeto, id est, vino, quasi abstinens à vino. *Ablactatus*, quòd sit à lacte ablatus. *Æger*, quòd agatur infirmitate, vel tristitia ad tempus. *Ægrotus*, quòd sit æger frequentius, sicut iratus & iracundus. *Ærumnosus* à rumine dictus, quòd per inopiam miser factus esuriat & sitiat. *Auspex*, eo quòd auium auspicia intendat, sicut auceps, quòd aues capiat. *Astrosus* ab astro dictus, quasi malo sidere natus. *Ænormis*, eo quòd normam & mensuram excedat. *Abactor* est fur iumentorum & pecorum, quem vulgò abigeum vocant, ab abigendo scil. *Atratus*, & *Albatus*, ille à veste nigra: iste ab alba. *Aduena*, eo quòd aliunde adueniat. *Alienigena*, qui ex alia gente genitus est: & non ex ea vbi est. Item alienigena, quòd alienæ regionis sit, & non eius vbi est. *Accola*, eo quòd aduenians terram colat. *Agricola* à colendo agro, sicut syluicola. *Assecla*, eo quòd sequatur aliquem lucri causa. *Assiduus* dicebatur apud antiquos, qui assibus ad ærarium expensum conferendis præerat, & in negociis quoque publicis frequens: vnde & per s, non per d scribendum est. *Apparitor* nominatus, quòd appareat & videatur, & præsto sit ad obsequium. *Attentus*, vt aliquid audiens teneat. *Attonitus*, veluti furore quodam instinctus atque stupefactus: dictus attonitus à tonitrui strepitu: quasi tonitruo stupefactus & vicino fulgore, aut à tactu proximus. *Allectus* quòd sit palàm electus. *Abactus*: quòd sit ab actu remotus. *Abortiuus*, eo quòd non oriatur, sed aboriatur & excidat. *Adoptiuus*, quia est palàm adoptatus in filium. *Ambo* ab eo quod ἄμφω, nomen de Græco Latinum factum, littera tertia demutata. *Alius* de multis dicitur: alter verò de duobus dicitur. *Æquimanus* appellatus, qui vtraque manu gladio incunctanter vtatur.

B

BEatus dictus quasi bene auctus, scilicet ab habendo quod velit, & nihil patiendo quod nolit. Ille autem verè beatus est, qui & habet omnia quæ vult bona, & nihil vult mali. Ex his enim duobus beatus homo efficitur. *Bonus* à venustate corporis creditur dictus: postea & ad animum translatum nomen est. Eum autem dicimus bonum, cui non præualet malum: eúmque optimum, qui peccat minimum. *Benignus* est vir sponte ad benefaciendum paratus & dulcis alloquio. Non autem multum distat benignus à bono, quia & ipse ad benefaciendum videtur expositus. Sed in eo differt, quia potest bonus esse & tristior, & bene quidem facere & præstare quod poscitur; non tamen suauis esse nouit consortio. Benignus autem sua cunctos nouit inuitare dulcedine. *Beneficus* à benefaciendo alteri dictus. vnde & beneficentia vocatur, quæ proximo prodest. *Beniuolus* quia bene vult. Non tamen dicimus beneuolus sicut nec maleuolus. Sæpe enim ex duabus partibus compositum nomen, aut priorem aut sequentem literam corrumpit. Nam beneuolentia absurdum sonat. *Blandus*, dulcis & inuitans ad familiaritatem sui. *Brutus* quasi obrutus, quia sensu caret. Est enim sine ratione, sine prudentia. Vnde & ille Iunius Brutus ex sorore Tarquinij Superbi genitus, cùm eundem casum timeret in quem frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam ab auunculo fuerat occisus, vtilè temporis simulauit stultitiam. Vnde etiam Brutus est cognominatus, dum vocaretur Iunius. *Balbus* à balando potiùs quàm loquendo dictus. Verba enim non explicat. Inde & *blesus*, quia verba frangit. *Bucco* garrulus, quòd cæteros oris loquacitate, non sensu exsuperet. *Biliosus*, quòd semper sit tristis, ab humore nigro, qui bilis vocatur. *Baburrus*, stultus, ineptus. *Biothanatus*, quòd est bis mortuus. θάνατος enim Græco sermone mors dicitur.

C

CLarus à Cœlo, quòd splendeat. Vnde & clara dies, pro splendore cœli. *Celsus* à cœlo dictus, quòd sit sublimis & altus, quasi cœlestis. *Castus* primùm à castratione nuncupatus: postea placuit veteribus etiam eos sic nominari, qui perpetuam libidinis abstinentiam pollicebantur. *Cœles* dictus, quia iter sibi facit ad cœlum. *Cœlebs*, connubij expers, qualia sunt nomina in cœlo, quæ absque coniugibus sunt. Et cœlebs, dicitur, quasi cœlo beatus. *Cœlicola*, eo quòd cœlum colat: est enim angelus. *Continens* non solùm in castitate dicitur, sed & in cibo & potu: in ira quoque & vexatione mentis & detrahendi libidine. Et continens dicitur, quòd se à multis malis abstineat. *Clemens*, misericors ab eo quòd eluat, id est, protegat & tueatur: sicut solet patronus clientem. *Concors* à coniũctione cordis appellatus. Nam sicut consors dicitur, qui sortem iungit: ita ille concors dicitur, qui corde iungitur. *Concionator*, multitudinis allocutor. *Consolator*, vnius allocutor. Et inde dictus consolator, quòd soli se applicat cui loquitur, & solitudinem leuat alloquio suo. Hinc & solatium. *Consultus* est qui consulitur, cui contrarius est inconsultus; qui non accipit consilium. *Constans* dictus, quòd vndique stat: nec in aliquam partem declinari potest. *Confidens* quòd sit in cunctis fiducia plenus. Vnde & Cecilius: Si confidentiam

habes, confide omnia. *Cautus* à cauendo dictus. *Callidus* fraudulentus, quia celare nouit, & malè peritus. *Callidum* autem veteres non pro astuto tantùm, sed etiam pro astutè docto ponebant. Huc & versutum, ab eo quòd animum citò vertat. *Cupidus* à cupiendo multum, id est, accipiendo vocatus. *Clamosus*, quasi calamosus à calamo, scilicet quòd sonet. *Calũniator* falsi criminis accusator, à caluendo, id est, frustrando & decipiendo dictus. *Calculator* à calculis, id est, lapillis minutis, quos antiqui in manu tenentes numeros componebant. *Compilator* qui aliena dicta suis permiscet: sicut solent pigmentarij in pila diuersa mixta contundere. Hoc scelere quondam accusabatur Mantuanus ille vates, cùm quosdam versus Homeri transferens suis permiscuit: & cùm compilator veterum ab æmulis diceretur, ille respondit: Magnarum esse vitium clauam Herculi extorquere de manu. *Contumax* ab eo quòd contemnat. *Chromaticus*, quia non confunditur, nec colorem mutat. Græcè enim χρῶμα color vocatur. *Contumeliosus*, quia velox est & tumet in verbis iniuriæ. *Contentiosus* ab intentione vocatus, qui non ratione aliqua, sed sola pertinacia vindicat. *Contemptibilis*, vel quia contemptui habilis, vel quia contemptus & vilis, id est, sine honore. *Crudelis* hoc est, crudus, quem Græci ὠμὸν appellant per translationẽ, quasi non coctus nec esui habilis. Est enim asper & durus. *Carnifex* quòd carnem afficiat. *Cruciarius*, eò quòd sit cruce dignus. *Collega* à colligatione societatis & complexu amicitiæ dictus. *Coætaneus* quasi compar ætatis. *Complex*, qui vno peccato vel crimine alteri est applicatus ad malum: ad locum verò nunquam complicem dicimus. *Consors*, eo quod ad eum pars pertinet bonorum. Nam sortem veteres pro parte ponebant. Consors ergo quòd sit communis sorte, sicut dissors dissimilis sorte. *Celer* appellatus à celeritate, quia quod vsus exigit velocius facit. *Confinialis* ab eo quòd sit genere vel loco affinis. *Colonus* à colonio, vel ab agro colendo dictus. *Curator* quòd curam ferat pueris, qui adhuc eius ætatis sunt, vt negotia sua satis administrare non possint. *Cognitor* à cognoscendo causam dictus. *Clientes* prius colentes dicebantur, à colendis patronis. *Captus*, captiuus dicitur, quasi capite diminutus ingenuitatis: fortuna enim ab eo excedit: vnde & à viris peritis capite diminutus dicitur. *Columis* à columna vocatus, eo quòd erectus & firmissimus sit. *Comptus* à coma dictus, quòd sit formosus capillis, vel quia comam nutrit. *Calamistratus* à calamistro, id est, acu ferreo in calami similitudine facto, in quo crines obtorquentur, vt crispi sint: quem in cinere calefacere solent qui capillos crispant, vt calamistrati sint. *Corpulentus* quòd sit corpore validus & lentis carnibus. *Crassus* à sagina corporis à creando carnes. *Comessor* à comedendo satis. Est enim gulæ ac ventri immoderatè deditus: *Caupo* pessimus de vino aquam faciens. *Candidus*, canus dictus candore, & candidus quasi candor datus. Studio enim accedit candor. Nam album vocari, naturæ est. *Clodus*, curuus, crispus. *Cæcus* appellatus quòd careat visu. Est enim luminibus amissis. Cæcus est qui vtroque oculo non videt. *Caducus* à cadendo dictus, id est, lunaticus, eo quòd certo lunæ tempore patiatur. *Confusus* à confessione sceleris appellatus. Inde & confusio. *Conuulsus* dicitur, cui sua, vi aliqua aliqua adimuntur. Vnde & conuulsa nauis, cuius eminentia vi tempestatis adimitur: vnde & Virgilius: Vix septem conuulsæ vndis, quasi mutilatæ. *Consumptus* totus sumptus & deuoratus. *Conciliatrix* ob societatem flagitiosæ consensionis dicta, eo quòd intercurrat, alienumque nundinet corpus. Hanc etiam & lenonem vocant. *Circumforanus*, qui aduocationum causa circum fora & conuentus vagatur. *Colligatus. Carpentarius.*

D

Dominus per deriuationem dictus, quòd domui præsit, & cunctæ familiæ dominetur. *Disertus*, doctus à differendo dictus: dispositè enim differit. *Doctus* à docendo, inde & doctor. *Docilis* non quòd sit doctus, sed quia doceri potest: est enim ingeniosus, & ad discendum aptus. *Discipulus* à disciplina dictus: disciplina autem à discendo vocatur. dispensator vocatur cui creditur administratio pecuniarum. Et ideo dispensator, quia prius qui dabant pecuniam, non numerabant eam, sed appendebant. *Diues* ab ære vocatus, vel diu vescens. *Decorus*, perfectus, à decem dicitur. *Decens*, compositus, à numero decem dictus. Hinc & decorus & decibilis. *Directus*, eo quòd in rectum vadit. *Dilectus* à diligentia. Hæc sunt enim signa diligendi. *Delibutus*, de oleo vnctus, vt athletæ solent, vel in cereumate pueri. Hinc & delibutum gaudio, id est, perfusum vel plenum. *Delicatus* quòd sit delitiis pastus: viuens in epulis & nitore corporis. *Defessus*, semper infirmus, quasi diu fessus. *Debilis*, quòd per bilem factus sit fragilis. Bilis enim humor est afficiens corpus. *Decolor*, quòd desit illi color. *Desperatus* vulgò vocatur malus ac perditus, nec iam vilius prosperę spei. Dicitur autem per similitudinem ægrotorum, qui affecti & sine spe deponuntur. Consuetudo autem erat apud veteres, vt desperati ante ianuas suas collocarentur, vel

vel vt possent à transeuntibus fortè curari, qui aliquando simili laborauerant morbo. *Degener* aut ignobilis, aut quòd sit impari genere, aut si dum sit optimo genere natus, inhonestè tamen viuit. *Decrepitus*, quòd morti sit propior, & quasi ad mortis tenebras crepat sicut crepusculum tempus noctis. Alij dicunt decrepitum, nō qui senectute auulsus est, sed qui iam crepare desierit, id est, loqui cessauerit. *Depreciatus* ab eo quod sit vilis, nec aliquo precio dignus. *Dirus* præparcus & teter, quasi diuina ira in id actus. Nam dirum dicitur, quòd diuina refertur ira. Aliàs dirus, magnus. *Dehiscens* valde hiscens. Hic enim *De* augentis est, vt deamare, desiderare. *Despiciens* eo quòd deorsum aspiciat, vel contemptui habeat. *Dolosus*, insidiosus vel malignus, ab eo quod deludat. Vt enim decipiat, occultam malitiam blandis sermonibus ornat. *Dubius*, incertus, quasi duarum viarū. *Delator* dictus, eo quod detegat quod latebat. *Dilator*, quia differt ad proferendum. *Desidiosus*, tardus, piger, à desidendo vocatus, id est, valde sedēdo. Idem & residuus à residēdo. de, enim hîc augentis est. *Delirus* mēte defectus per ætatem ἀπὸ τοῦ λήρου vel quòd à recto ordine & quasi à lira aberret. *Lira* enim est orationis genus, cum agricolæ facta semente dirigunt sulcos, in quos omnis seges decurrit. *Demens* idem qui amens, id est, sine mente, vel quòd diminutionem habeat mentis. *Desipiens*, eo quòd minùs sapere incipit, quàm solebat. *Damnatus* & damnabilis: quorū prior iam addictus est, sequens potest addici. *Degulator*, quòd gulæ sit deditus.

E

E*Loquens*, profusus eloquio. *Exertus* in loquendo expeditus. *Exerere* enim proferre vel expedire est. *Eruditus*, quia non rudis, sed iam doctus. *Expertus*, multum peritus. *Ex* enim hic pro valde ponitur. *Expers* vero, qui est extra peritiam & intellectum. *Exornatus*, valde ornatus: *Ex*, enim pro valde ponitur: sicut excelsus, quasi valde celsus. *Eximius*, quasi valde eminens. *Efficax* dictus, quia nullam difficultatem habet in qualibet re facienda. Hinc & efficiens à faciendo dictus. *Exspes* quòd sine spe. *Expers* quia extra partem: caruit enim parte. *Exsors*, quia extra sortem est. *Exsul* quia extra solum situm est: quia trans solum missus: aut extra solum vagus. Nam *exulare* dicuntur qui extra solum eunt. *Extorris*, quia extra terram suam est, quasi ex terris. Sed propriè extorris, cùm vi expulsus sit: & cum terrore solo patrio eiectus: & extorris, ex terra sua pulsus. *Exterris*, extra terram: aut extra terminos suos, quia exterretur. *Exterminator* non ille, qui vulgo dicitur ἐξόριστος, sed qui deiicit & expellit à terminis ciuitatis. *Exterminatus*, ab eo quòd sit extra terminos suos eiectus. Sic & externus eo quòd sit alienæ terræ. *Egens* & egenus, sine gente & sine genere, indigens. *Exiguus*, multum egens. Ex enim pro valde ponitur. *Exilis*, tenuis, quod possit quamuis per angustum exire. *Exesus* quasi percomesus. Est enim aridus, tenuis & exilis. *Exhaustus*, quia consumptus est & inanis effectus. *Exanguis*, quòd sit extra sanguinem. *Exanimis* est mortuus. Exanimis autem & exanimus dicimus, sicut vnanimus & vnanimis: inermus, inermis: & hoc nostro arbitrio subiacet. *Exustus* dicitur, de quo nihil superest, quasi valde vstus. Ex enim pro valde ponitur. *Exosus* ab odio dictus. Nam antiqui & odi dicebant & osus sum. Hinc est exosus, quo vtimur, licet iam osus non dicamus. *Effractor*, quòd sit expugnator claustrorum. *Exitiosus*, eo quòd multis exitio sit. *Executor*, ab exequendo. Idem & exactor. *Efferatus*, mente ferina effectus, & vltra humanum modum excedens. *Effrenatus*, ab eo quòd sit præceps & pronus, & sine freno rationis. *Eunuchus* Græcum nomen est, quod est spado. Horum quidam coeunt, sed tamen virtus in semine nulla est. Liquorem enim habent & emittūt, sed ad gignendum inanem atque inualidum. *Effœta*, quòd sit frequenti fœtu exhausta. Partus enim eam assiduus debilem reddit.

F

F*Acundus* dictus, quia facilè fari possit. *Facetus*, qui iocos & lusus gestis & factis cōmendat, a faciēdo dictus. *Frugalis* à fruge nominatus, id est, à fructu vel parsimonia, siue, vt alij volunt, à modestiæ temperantia. *Fœnerator* qui pecuniam deponit apud debitorē, quasi fœnoris actor; nam fœnus pecunia est. *Fœnerator* autē Latinè dicitur, & qui dat mutuum, & qui accipit. *Flamines*, pontifices idolorum. *Felix* dicitur, quæ felicitatem dat, felix qui accipit, & felix per quem datur felicitas, vt felix tempus, felix locus. *Fidelis* pro eo quod fit ab eo id quod dicit, vel promittit bonum. *Facilis* à faciendo, nec tardus. *Firmus*, vnde & formosus. *Fortis*, quia fert aduersa, vel quæcunque acciderint, siue à ferro, quod sit durus, nec molliatur. *Formosus* à forma dictus. Formum enim veteres calidum & feruens dixerunt. Feruor enim sanguinem mouet, sanguis pulchritudinem. *Fœdus* nomen habet ab hirco & hœdo, f litera addita. Hunc veteres in graui significatione ponebant, vt, Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes. *Fragilis* dictus, eo quòd facilè frangi possit. *Fessus*: quasi fissus, nec iam integer salute, est autem generale. Dicimus enim fessus animo, vt Terentius, Fessus valde te-

ſedit: & feſſus corpore, quod magis eſt proprium, & feſſus rerum à caſu venientium. *Fatigatus*, quaſi fatis agitatus. *Formidoloſus* à formo, id eſt, ſanguine dictus, cùm ſe à cute vel à præcordio fugiens contrahit ſanguis. Nam timor ſanguinem gelat, qui coactus gignit formidinem: vnde eſt illud, Gelidúſque coit formidine ſanguis. Formidoloſus autem cùm ſit timidus, & timendum ſignificat. *Fatuus* ideo exiſtimatur dictus, quia neque quod fatetur ipſe neque quod alij dicunt intelligit. Fatuos originem ducere quidam putant à miratoribus Fatuæ Fauni vxoris fatidicæ, eóſque primùm Fatuos appellatos, quòd præter modum obſtupefacti ſunt vaticiniis illius vſque ad amentiam. *Fautor* ab eo quòd faueat & conſentiat. *Fictor* appellatus à fingendo & componendo aliquid, ſicut qui capillos mulierum linit & pertractat, vngit & nitidat. *Fallax* quod fando, id eſt, loquendo decipiat. *Feruidus*, iracundus. Ira enim inflammat. *Frendens*, quòd minando frangat dentes & comprimat fremens. *Ferox*, ab eo quòd feritatem exerceat, vt beſtia. *Fur* à furendo vel furuo dictus eſt, id, à fuſco. Nam nocturno vtitur tempore. *Facti ſum* inter opprobria cùm ſeditioſũ accipi volumus: cùm verò gratioſum ac potentem & quaſi magnæ factionis. *Facinoroſus* à facti commiſſo nominatus: facit enim quòd alteri noceat. *Flagitioſus*, eo quòd frequentius flagitet atque oppetat libidinem. *Furcifer* dicebatur olim, qui ob leue delictum cogebatur à dominis, ignominiæ magis quàm ſupplicij cauſa, furcam circa viam ferre, prædicans peccatum ſuum, & monere cæteros nequid ſimile peccarent. *Futilis*, vanus, ſuperfluus, loquax. Et eſt metaphora à vaſis fictilibus, quæ caſſa & rimoſa non tenent ea, quæ inieceris. *Fornicarius*, & Fornicatrix eſt, cuius corpus publicum & vulgare eſt. Hæc ſub arcuatis proſternebatur, quæ loca fornices dicuntur: vnde & fornicariæ. Virgilius: Atque aduerſo fornice. *Fœcunda* à fœtu dicta, quaſi fœtu abunda. Eſt enim partu frequens. *Fœta*, prægnans. *Flens*, quaſi lachrymis fluens. *Fugitiuus*, nemo rectè dicitur, niſi qui dominum fugit. Nam ſi paruulus puer à nutrice vel à ſcholis diſceſſerit, fugitiuus non eſt.

G

GLorioſus à frequentia claritatis dictus, pro c g litera commutata. Glorioſus à laurea dictus, quæ datur victoribus. *Gnarus*, ſciens, cui contrarius eſt ignarus, neſciens. *Grauis*, venerabilis. Vnde & contemptibiles leues dicimus. Grauis pro conſilio & conſtantia dictus, quia non leui motu diſſilit, ſed fida conſtantiæ grauitate conſiſtit. *Grandæuus*, quòd ſit grandis æuo. *Gratus*, gratiam ſeruans. Sed gratus tantùm animo: gratiſſimus & animo & corpore dicitur. *Gratificus*, ab eo quòd gratis faciat bonum. *Gratioſus*, quod plus vnicuique quàm meretur, tribuit. *Garrulus* propriè dicitur, qui vulgò verboſus appellatus accedente lætitia nec valens, nec volens tacere: ſumptum nomen à graculis auibus, quæ importuna loquacitate ſemper ſtrepunt, nec vnquam quieſcunt. *Ganeo*, luxurioſus & tanquam in occultis locis & ſubterraneis, quæ ganea Græci vocant. *Glutto* à gula, id eſt, guloſus.

H

HVmilis quaſi humo accliuis. *Honorabilis*, quaſi honore habilis, hoc eſt, aptus. *Honeſtus*, quòd nihil habeat turpitudinis. Nam quid honeſtas, niſi honor perpetuus, id eſt, quaſi honoris ſtatus? *Humanus*, quòd habeat circa homines amorem & miſerationis affectum. Vnde humanitas dicta, qua nos inuicem tuemur. *Habilis*, quod ſit ad habendum commodus atque aptus. *Honoroſus* plus eſt quàm honoratus, ſicut ſceleroſus plus eſt quàm ſceleratus. *Hirſutus*, ab eo quod ſit hirtus & pilis horridus. *Hypocrita* è Græco ſermone, in Latinum ſimulator interpretatur. Qui dum intus malus ſit, bonum ſe palàm oſtendit. ὑπὸ enim falſum, κρίσις iudicium interpretatur. Nomen autem Hypocritæ tractum eſt à ſpecie eorum, qui in ſpectaculis contecta facie incedunt: diſtinguentes vultum cæruleo minióque colore & cæteris pigmentis, habentes ſimulacrum oris lintea, gipſata & vario colore diſtincta nonnunquam, & collum & manus creta perungentes, vt ad perſonæ colorem peruenirent, & populum dum in ludis agerent, fallerent, modò in ſpecie viri, modò in fœminæ, modò tonſi, modò criniti anili & virginali, cæteráque ſpecie ætate ſexúque diuerſo vt fallant populum dum in ludis agunt. Quæ ſpecies argumenti tranſlata eſt, in iis qui falſo vultu incedunt, & ſimulant quod non ſunt. Nam hypocritæ dici non poſſunt, ex quo foras exierint. *Humatus* quod ſit humo tectus. i. ſepultus.

I

INgenioſus dictus, quod intus vim habeat gignendi quamlibet artem. *Inuentor*, dictus, quòd in ea quæ quærit, venit. Vnde & ipſa quæ appellatur inuentio, ſi verbi originem retractemus, quid aliud reſonat, niſi quia inuenire eſt in id venire quod quæritur? *Interpres*, quòd inter partes medius ſit duarum linguarum dum transfert. Sed & qui inter Deum quem interpretatur, & homines, quibus diuina

diuina indicat mysteria, interpres vocatur. *Iuridicus*, quia Legum iura dicit. *Indolis* propriè est imago quædam futuræ virtutis. *Iustus* dictus, quia iura custodit, & secundum legem viuit. *Innox*, quòd non noceat. *Innocuus*, cui nocuum non sit, sed apud veteres vtrunque indifferens est. *Hilaris* Græcum est nomen. *Iocundus*, eo quòd sit semper iocis aptus & hilaritate ac frequentia, sicut iracundus. *Iocosus*, iocis vsus. *Inclytus* Græcum nomen est. Nam κλυτὸν Græci gloriosum vocant. *Illustris* nomen notitię est, quòd clareat multis splendore generis, vel sapientiæ, vel virtutis, cui contrarius est obscurè natus. *Incolumis* à columna nomen habet, quasi erectus, fortis & stabilis. *Immarcessibilis*, incorruptus & sempiternus, quòd sit sine maceratione & languore. *Intemeratus*, incorruptus & nulla temeritate violatus. *Infirmus* quia sine forma. *Imbecillis*, quasi sine baculo fragilis & inconstans. *Inanis*, leuis. *Inconstans*, quia non est stabilis, & quod placet ei, rursus displicet. *Iactans* vel *arrogans* est, qui maiorum institutis non acquiescit: sed propriam quandam viam iustitiæ & sanctitatis inquirit. *Iracundus* dictus, qui accenso sanguine in furorem compellitur. πῦρ enim flamma dicitur, & ira inflammat. *Incentor*, ab eo quòd incendat atque inflammet. Incentor, quia praua suggestione ad vitia cor aliorum succendit, & persuadendo inflammat. *Inexpiabilis*, quòd nunquam expietur, nunquam purgetur. *Inlaudabilis*, non quia laudatus non sit, sed quia laudari non meruit. *Iratus*, ira actus. *Impius*, quia sine pietate religionis est. *Iniquus* propriè dictus, quia non est æquus, sed inæqualis. Inter pium autem & iniquum hoc distare nonnunquam solet, quia omnis impius iniquus, non tamen omnis iniquus est impius. Impius nanque pro infideli ponitur, & dictus impius, quod sit à pietate religionis alienus. Iniquus verò dicitur pro eo quod non est æquus, sed prauis operibus maculatur: ne Christianitatis nomine censeatur. *Inimicus*, quia non est amicus, sed aduersarius. Duæ autem res inimicos faciunt, fraus & terror. Terror quod timent. Fraudis malũ, quod passi sunt. *Inuidus* dictus ab inuidendo felicitati alterius. *Inuidiosus* est, qui ab alio patitur inuidiam. *Inuisus*, odiosus, ab inuidia & zelo dictus. *Intestabilis*, cuius testimonium non valet, & quòd dixerit, irritum improbatumque sit. *Infamis*, non bone famæ. *Improbus* dictus quòd instat etiam prohibenti. *Importunus*, inquietus: quia non habet portum id est, quietem. Vnde & importuni, quasi in naufragium citò feruntur. *Infrenis* est, qui frenis nõ regitur, vt Numidæ infreni. *Infrendens* propriè est inter se comprimens dentes. Nam & frendere significat dentibus frangere: vnde nefrendes infantes qui nec dum dentes habent. *Ingluuiosus* à gula & voracitate dictus. *Ingloriosus*, quod sit sine gloria, id est, sine triumphis. Itẽ inglorius immemor gloriæ. *Informis*, ingens, nõ quod nõ habeat formã, sed quod vltra formam magnitudinem habeat. *Inueteratus*, eo quòd sit multi veterisque vsus in malitia. *Immanis*, quia non bonus, sed crudelis & terribilis. *Manum* enim bonum dicitur. Vnde κατ' ἀντίφρασιν, dij manes, minimè boni. *Immunis*, minimè munificus, vt est in prouerbio veteri: Immunem ciues odêre sui. Item immunis, qui non facit munia, id est, officio non fungitur. Est enim omni priuilegio vacuus. *Indemnis*, eo quòd sine damno viuat, & sine vlla culpa atque periculo. *Iners*, sine arte, & ob hoc ne operis quidem vllius. *Inermis*, vel sine armis, vel sine viribus. Nam semper arma pro viribus accipiuntur. *Ignauus*, ignauus viæ: id est, rationis & vitæ. *Ignarus*, non gnarus, id est, inscius vel sine naribus. Olfecisse enim veteres, scisse dicebant. Ignarus autem duo significat, vel qui ignorat, vel qui ignoratur. *Immemor*, qui oblitus est: perdit enim memoriam. *Inscius*, quia sine scientia est. *Idiota*, imperitus, Græcum est. *Imperitus*, sine peritia. *Inconsultus* ab eo quòd non accipiat consilium. Item incõsultus, quia est sine consilio & inscius rerum atque ignarus. *Ineptus*, apto contrarius est, quasi inaptus. *Inops*, qui sine terra est: opem enim terram intelligimus, quia opem fert fructificando. Alij inopem intelligunt non sepultum, inhumatum, cui nec animam manè habenti surrexit tumulus. *Ignobilis*, eo quod sit ignotus & vilis, & obscuri generis: cuius nec nomen quidem scitur. *Ircosus*, quia sudore corporis fœtido putet. *Ignotus*, ignobilis, vel ex improuiso veniens. *Improuisus* dictus, eo quòd subito fit: & non porrò antè visus. *Index*, proditor ab indicando. *Indigena* vocatus, quòd inde genitus sit, id est, in eodem loco natus. *Imprudens*, eo quòd ab eo pudor & pudicitia procul abest. *Impudicus* à pudore vocatus. Pudorem enim fetorem dicunt. *Incestus*, propter illicitam cõmixtionem vocatus, quasi incastus, sicut qui virginem sacram vel affinitatis suæ proximam stuprauerit. *Internecida* est, qui falsum testamentum fecit, & ob id hominem occidit. *Inficiator*, negator, quia non fatetur, sed contra veritatem mendacium nititur. *Impostor*, interceptor propriè dicitur, qui inter duos de medio tollitur. *Insidiosus*, quòd insidiatur. Nã propriè insidere est dolosè aliquẽ expectare. Vnde & insidię cognominatę sunt. *Incincta*, id est, sine cinctu: quia præcingi fortiter vterus permittit. *Inuestis*, id est, sine veste: nondum enim habet stolam, quod est signum maritalis virginitatis. *Iscurra* vocatur, quia causa escæ quemlibet consectatur.

K

K*Atholicus* vniuersalis: Græcum enim nomen est. *Kharus* Græcum nomen est: sicut & *Kharitas*. vnde & eucharistia sacrificium, id est, bona gratia.

L

L*Vculentus* ab eo quòd sit lingua clarus, & sermone splendidus. *Lector* dicitur à legendo, id est, percurrendo. Vnde & nauis dicitur legere quicquid transit. Nam legit, transit, præterit, vt, -- Crebris legimus freta concita terris. Item lector à colligendo animo quæ legit, quasi collector: sicut illud, Qui legitis flores. *Loquax* non est eloquens. *Latus* à latitudine. *Locuples*, quasi locis plenus, & possessionum plurimarum possessor, quemadmodum docet Tullius in lib. 2. de Republica, multa quæ editione ouium & boum, quòd tunc res erat in pecoribus & in locorum possessionibus: ex quo pecuniosi locupletes vocabantur. *Liberalis* dictus ab eo, quòd libenter donet, nec murmuret. *Largus*, abundans, affluens. *Longus*, à linea dictus, propter quòd sit porrectus. *Longæuus*, quasi longi æui & tẽporis. *Longanimis* siue magnanimus eo quòd nullis passionibus perturbatur, sed ad vniuersa sustinenda patiens est. Cui contrarius est *pusillanimus*, angustus, & in nulla tribulatione subsistens, de quo scribitur: Pusillanimis vehementer insipiens. *Leuis* ob inconstantiam vagationis appellatur, quia leui motu mẽtis nunc ista, nunc illa desiderat. *Lubricus* ab eo quòd labitur. *Labens* interdum velox, vt, Labere nympha polo, & Labere pennis. Cursu enim lapsus celerior est. *Latro* insessor est viarum à latendo dictus; meliùs autem latro est, quasi latero, qui à latere insidiatur viæ. *Lanista*, gladiator, id est, carnifex Tusca lingua appellatus, à laniendo scilicet corpora. *Lacessitor* per translationem dictus à canibus, vel à feris quæ solent lacerando prouocare. *Leno*, conciliator stupri, eo quòd mentes miserorũ blandiat, & deliniendo seducat. *Libidinosus* ab eo, quòd facit quod libet. Libidinosus à Libero, qui puellarum corpore pingitur. *Luxuriosus*, solutus in voluptates: vnde & membra loco mota, luxa dicuntur. *Lascium*, quod sit luxus. i. solutus & vanus. *Lymphaticus*. quòd aquam timeat, quem Græci ὑδροφόβαν vocant. lymphaticus propriè dicitur, qui vitium ex aqua contrahit: cuius vitium est huc atque illuc currere, aut à fluore aquæ sumpto vitio. Sed poetæ iam hoc genus nominis pro furiosis vsurpant. *Luridus*, quòd sit pallidus, à loro dictus: quòd huiusmodi habeat cutem. *Leprosus* à pruritu nimio ipsius scabiei dictus: vnde & per p. scribi dicitur. *Luscus* quod lucem ex parte sciat: sicut lusciosus, qui vesperè nihil videt. Luscos coclites dixerunt antiqui: vnde & Cyclopas coclites legimus dictos, qui vnum oculum habuisse perhibentur. *Lotus*, lautus, id est, mundus. *Lupa* meretrix à rapacitate vocata, quòd ad se rapiat miseros & apprehendat.

M

M*Isericors*, à compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortitus est: & hinc appellata miseria, quòd miserum cor faciat dolentis alienam miseriam. Non autem occurrit vbique hæc etymologia: nam est in Deo misericordia sine vlla cordis miseria. *Mactus*, magis auctus gloria, & est nomen mactum à sacris. Quoties enim thus aut vinum super victimam fundebatur dicebant, mactus est taurus vino vel thure, hoc est cumulata est hostia & magis aucta. *Munificus* dictus, vel quia alicui munera multa dat: vel quia munus suum. i. officium quod debet adimplet. sic & munifex, quia munera fert. *Magnanimus* ab eo quod sit magni animi & magnæ virtutis. Cui contrarius pusillanimis. *Magnificus* autẽ à magna faciendo vocabulum traxit. *Mansuetus*, mitis vel domitus, quasi manu assuetus. *Modestus* à modo dictus & temperie: nec plus quicquam nec minus agens. *Mitis*, lenis & mansuetus & cedens improbitatibus, & ad sustinendam iniuriam tacens quasi mutus. *Mutus*, quia vox eius non est sermo, nisi mugitus: vocalem enim spiritum per nares quasi mugiẽs emittit. *Memor*, vel qui memoriam tenet, vel qui memoria tenet. *Magister* maior in statione: nam sic Græcè statio dicitur. *Minister* minor in statione, siue quia officium debitũ manibus exequitur. *Minor*, minimus: à numero monas, quod post eum non sit alter. *Maximus* aut meritis, aut ætate, aut honore, facundia, aut virtute, aut omnibus magis eximius. *Modicus*, paruus, sed abusiuè, cæterũ arbitrabilis. *Moderatus* à modo scilicet & temperamento. *Mediocris*, quod modicum illi sufficiat. *Miser* propriè, eo quòd omnem felicitatem amiserit. Secundum autem Ciceronem propriè mortuus; qui in Tusculanis miseros mortuos vocat, propter quòd iam amiserunt vitam. *Miserabilis*, quòd sit miseriæ habilis. *Mæstus* naturaliter tristis, non casu. Est enim à natura mentis & animi: vnde & mœstus. *Mendicus* dictus, quia minus habet vnde vitam degat, siue quia mos erat apud antiquos os claudere egenum, & manum extendere, quasi manu dicere. *Mendax*, quòd mentem alterius fallat. *Malignus*, quia malitiæ votum vel opus peragit. *Malus* appellatus à nigro felle, quod Græci μέλαν dicunt: vnde & melãcholici appellantur homines qui ad conuersationem humanam refugiunt, & amicorum charorum suspecti sunt. *Malitiosus* deterior malo, quia frequenter malus: à malo autem peior dicitur, à bono melior. *Melior* dictus, quia

quia mollior:non durus aut ferreus:nam melius quasi mollius. *Minax* à facie oculorum quando furiosè ardescunt, vt videns amplius pertimescat. *Minator* est monitor,sed monitor dicitur cum prænunciat bona:minator cũ prænunciat aduersa. *Mulcator*,eo quòd blandis verbis mulceat ad declinandum animum. translatio à mulso, id est,quod acceptum lenire solet fauces dolentis, aut oppletum sordibus stomachũ. *Metatores* appellantur,qui castra designant, à metiendo scil. Lucanus, Hesperios audax veniat metator in agros. *Mollis*,quòd vigorem sexus,eneruati corporis dedecore,& quasi mulier emolliatur. *Macer* à Macie: & macies à macia, eo quòd immoderata libido macros faciat. *Mancus*, manu ancus,vel manu cassus. *Moribundus* morienti similis:sicut vitabundus viuẽti similis.Quando enim dicimus,mortuus est,verè moriturus est:moribundus autem non verè,sed verè similis morienti est. *Meretrix* dicta,eo quòd precium libidinis mereatur. Inde & meritoriæ tabernæ:nam & milites cũ stipendia accipiũt,mereri dicũtur. *Morio* à mortevocatus, eo quòd nõ vigeat intellectu. *Mullo* dictus à mulis,eo quòd præsidet iisdẽ vehiculis. *Manifestum* dicitur, quod in manu est promptũ.

N

NObilis non vilis, cuius & nomen & genus scitur. *Nubilis* ad nubendũ habilis. *Nemo* ab homine tractũ est, id est, ne homo, quod est pro nullo. *Nullus* autem, quasi ne vllus. *Nihili* compositũ est ex nil & hilo.Hilum autem Varro ait significare medullam eius ferulæ quam Græci asphodelõ vocant, & sic dici apud nos nihilum, quomodo apud Græcos oydegry. *Nequam* à malo plerique distinguũt:alium perniciosum: alium nugacem existimantes,vt ait Monatius: Hic adolescens nequam non malus,id est,nugax,non perniciosus. Alij confundunt,quasi vtrunque vnũ idémq; significet. *Nequaquam*,eo quòd nec quicquam sit, id est, ex eo quòd nihil sit, veteres esse dictum voluerunt. *Neuter* neque iste,neque ille,quasi dicat,nec vterq;. *Nefarius*,non dignus farre, quo primo cibi genere vita hominum sustentabatur. *Nefandus*,id est,nec nominandus quidem. *Nuncius* enim & qui nunciat & quod nunciatur,id est,ἄγγελος ἢ ἀγγελία, sed nuncius ipse homo genere masculino: id verò quod nunciat genere neutro,vt hoc nuncium, & hæc nuncia. *Nazaræus*,id est,sanctus Dei.Nazaræus olim dicebatur qui sanctam comam nutriebat,& nihil contaminatum conspiciebat, abstinens se à vino omníque sicera,quæ mẽtem ab integra sanitate peruertit. *Nugas* autem Hebræum nomen est. Ita enim in Prophetis est expositum,vbi dicit Sophonias : Nugas, qui à lege recesserunt, vt nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matrem.

Nugigerulus appellatus,ab eo quòd sit garrulus turpis nuncius. *Negligens*, quasi nec legens. *Nepos* dictus à genere quodam scorpionũ,qui natos suos consumit, excepto eo, qui dorso eius insederit: nam rursus ipse qui seruatus fuerit consumit patrem: vnde homines qui bona parentum per luxuriam consumũt, nepotes dicuntur. Hinc quoque nepotatio pro luxuria ponitur, qua certè quæque res consumuntur. *Niger*,quasi nubiger: quia non serenus,sed fusco coopertus est. Vnde & nubilum diem,tetrum dicimus.

O

ORthodoxus rectæ gloriæ. *Orator* ab ore vocatus, à perorando nominatus. i. dicendo. nam orare dicere est. *Obaudiens*, ab aure,eo quòd audiat imperantem. *Ospes*,quòd inferat ostiis pedes. *Ospes* facilis,apertus & ostio patens.vnde & ospitalis homo dicitur. *Osor* inimicus ab odio dictus : sicut amator ab amore, & est generis communis, *Odibilis*,odio habilis. *Obsitus*,obsessus, id est, vndique insidiis conuallatus. *Obscenus* impuræ libidinis,à vitio obscuro dictus. *Obtunsus*,hebetior & obtusior,quasi ex omni parte tunsus. *Obnixus*,contranisus & conabundus. *Obnoxius*, quia obligatus est nexibus culpæ. *Oblectator*, quasi cum lacte & fraude, vt Terentius: Nisi me lactasses amantem. vnde & oblectare dictum est. *Obtrectator*, malignus, & qui obstringillando officiendóque non sinat quempiam progredi & augescere. *Orbus*,quòd liberos non habeat,quasi oculis amissis. *Opifex*, quod opus faciat aliquid. *Opilio*,custos ouium quasi ouilio.

P

PRudens, quasi porrò videns. perspicax enim est, & incertorum præuidet casus. *Pauens* dictus à pauendo: pauere enim feriri est:percutitur enim & tolerat. *Perfectus*,cui nihil iam adiici potest. Huic nomini apud Grammaticos comparatio non adiicitur,quia si dixeris:illa perfectior est: iste perfectus nõ erit. *Pulcher* à specie cutis dictus, quod est rubens pellis: postea transiit hoc nomen in genus.Nam pulchritudo hominis aut in vultu est,vt: Os humerósque Deo similis. aut in capillis,vt:Namque ipse decoram Cæsariem aut in oculis,vt : Lætos oculis afflarat honores.aut in candore,vt : Quale manus addunt ebori decus,aut in lineamentis,vt: Te multò plus figura & lineamenta hospitis delectabant, aut in proceritate, vt Turnus:

Vertitur in mediis, & toto vertice supra est. *Pellex* à pelliciendo. *Perspicax* splendidus, eo quòd perluceat. *Perpetuus*, perennis. *Perennis* ab eo quòd sit perpetuus annis. *Præsul* vocatus, quia præest solicitudine. *Præpositus* appellatus, eo quòd sit subiectorũ ac famulantium ordinator vel rector. *Patroni* à patribus dicti sunt, quòd huiusmodi affectum clientibus exhibeant, vt quasi patres illos regant. *Pædagogus*, cui paruuli assignãtur: Græcum nomẽ est, & est compositum ab eo quòd pueros agat, i. doceat, & lasciuientem refrenet ætatem. *Præsens* dictus, quòd sit præ sensibus, id est, coram oculis, qui sensus sunt corporis. *Prior*, quòd primus sit in ordine: & primus quasi præminens. *Primus*, posterior, postremus. *Potens*, rebus latè patens: vnde & potestas, quòd pateat illi quaquà velit, & nemo intercludat, nullus obsistere valeat. *Præopimus*, præ cæteris opibus copiosus. *Pecuniosus* Tullius primùm eos dictos refert, qui plurimam habuissent pecuniam; id est, pecora. Ita enim antiqui eos appellabant. paulatim autem per abusionem nomen ad aliud deuolutum est. *Peruicax* propriè dicitur, qui in proposito suo ad victoriam perseuerat. Antiqui enim viciam dicebant, quam nos victoriam: credo quòd inde dicatur herba * vitia, id est, victorialis. *Pernix* à pernitendo tractum est, id est, in conatibus perseuerando. Alij pernicem velocem intelligunt pedibus. Nam pernicitas pedum est, vt: Pernicibus ignea plantis: sicut celeritas pennarum est, vt: Celerique fuga sub sidera lapsæ. *Piger*, quasi pedibus æger. Est enim tardus ad incedendum: quod nomen per vsum transiit ad animum. *Pernox*, peruigilans nocte, perseuerans. *Pertinax*, impudenter tenens, quasi pertinens. *Petulans* nunc quidem pro audace & improbo ponitur: olim autem acerbi flagitatores, & propriè argentariorũ coactorum pueri, quod precia rerum crebrius & asperius exigebant: à petendo petulantes vocati sunt. *Procax* propriè idem quod petax. Nã procari est petere: vnde & nuptiarum petitores proci dicuntur. *Prodigus* sumptuosus atque consumptor, qui omnia porro agit & quasi proiicit. *Profugus* propriè dicitur qui procul à sedib. suis vagatur, quasi porro fugatus. *Peregrinus* longè à patria positus sicut alienigena. *Proiectus* quasi longè & procul iactus, sicut & produxit, quasi porro illum duxit, & prouocauit, quasi porro illum vocauit. *Proiectus* quasi porro iectus ac proiectatus, vnde: proiectáque saxa Pachyni, id est porro iactata. *Proscriptus* cuius bona palam & apertè, describuntur, bonísque fisci agglomerantur. *Præscriptus* ordinem significat, sicut & præscriptiones apud Iurisconsultos. *Procinctus* expeditus & armatus, vnde & in procinctu, id est, cum belli causa arma sumebant. *Præcinctus* eo quòd ante se ponat aliquid quo præcingitur. Vnde & de Domino dictum est, Præcinctus linteo, lauit pedes discipulorum suorum. *Prædo* est qui populando alienam inuadit prouinciam Prædo ab abigendo prędas dictus, & prædo qui prædam habet. *Prædator* est cui de præda debetur aliquid. *Plagiator* ἀπὸ τ πλαγίε, id est obliquo, quòd non certa via gradiatur, sed pelliciendo dolis. *Pirata* sunt prædones maritimi ab incendio nauium transeuntium, quas capiebant dicti. Nam πῦρ ignis est. *Pugillator*, qui de manu in manum nummorum aliquid subtrahit. *Peculator* pro eo quòd sit pecuniæ publicæ defraudator. *Proditor* pro eo quod detegit. Item proditor perditor: vt, Vnius ob iram Prodimur. *Perfidus* quia fraudulentus est & sine fide, quasi perdens fidem. *Periurus*, quia properè iurat, id est malè iurat. Periurus autem in verbo r, non habet. Nam peiero & deiero dicimus. *Præuaricatus* malè fidei aduocatus, & qui vel in accusando nocitura, vel in defendendo profutura prætereat, aut inutiliter dubiéque ponat mercedis gratia, siue corruptus. Cicero, Quid enim tam præuari[illegible], id est validè varum. *Pellax* dolosus & fallax, à pelle, id est vultu. Foris enim vt fallat arridet, sed nequitiam intus gerit. *Profanus* quasi porro à fano. Sacris enim illi non licet interesse. *Patricida* propriè dicitur interfector parentis, quamuis quidam veteres hunc parenticidam dixerint, qui hominem occiderat, quoniam patricidium & homicidium in quocunque intelligi possit, cum sint homines hominibus pares. *Persecutor* non semper pro malo intelligitur, vnde Persecutor, perfectè secutor. *Publicanus* est qui vectigalia publica exigit, vel qui per publica negocia seculi lucra sectatur, vnde & cognominatus est. *Peccator* pellicè id est meretrice vocatus, quasi pelicator, quod nomen apud antiquos tantùm flagitiosum significabat, postea transiit hoc nomen in appellationem omnium iniquorum. Peccator item à pectoris caterua cognominatus, pro eo quòd inibi occulta delictorum conduntur. *Prostituta* meretrices à prosedẽdo in meritoriis, vel in fornicibus. *Pellex* apud Græcos propriè dicitur, à Latinis concuba vel concubina. Dicta autem à fallacia, id est versutia sub dolositate vel mendacio. *Procurus* quasi per longum curuus. *Pauidus* est quem vexat trepidatio mentis. habet enim cordis pulsationem, cordis motum. nam pauere ferire est, vnde & pauimentum. *Petra* autem & rupes a duritia saxorum nominantur. *Pusillanimis*, pusillo animo. *Petulcus* dictus ab appetendo, vnde etiam & meretrices petulcas vocamus.

Pisinnus

Pisinnus à pusione dictus. *Productus*, quasi porro ductus. *Pellicanus* vir sanctus solitudini deditus.

Q

Qvæstor, à quærendo dictus, quasi quæsitor. *Quæstuosus* querimoniosus. *Querulus* quia querelam infert. *Quietus* quòd sit ipse sibi animo securus neminem tangens.

R

Religiosus ait Cicero à relegendo appellatos, qui retractant, & quasi relegunt ea quæ ad cultum diuinum pertineant. Hi sunt dicti religiosi ex religendo tanquam ex eligendo eligentes, ex diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. *Ratiocinator* dictus vir magnus; quia de omnibus rebus quas esse mirabiles constat, possit reddere rationem. *Retractator* repetitor, nam retractare, est repetere quod omiseras. *Resipiscens* eo quod mẽtem quasi post insaniam recipiat, aut quia resipit qui sapere desierat. Castigat enim seipsum de inertiæ, & confirmat animum suum ad rectius videndum: cauens ne iterum corruat. *Repentinus* à repente. Repente autem & aduerbium & nomen potest esse. *Robustus* fortis, validus, à fortitudine roboreæ arboris appellatus. *Rapidus* velox pedibus. *Raptor* eo quod corruptor. Inde & rapta eo quod corrupta est. *Reus* à re de quo obnoxius est, & reatus à reo est nuncupatus. *Reus* maiestatis primùm dictus qui aduersus rempublicam aliquid egisset, aut quicunque hostibus consensisset. Dictus autem reus maiestatis, quia maius est lædere patriam quàm ciuem vnũ. Postea autem & hi rei maiestatis dicti sunt: qui aduersus maiestatem principis egisse viderentur, vel qui leges inutiles reipublicæ contulerant, vel vtiles abrogauerant. *Rixosus* à rictu canino dictus. Semper enim ad contradicendum paratus est, & iurgio delectatur & prouocat cõtendendũ. *Rusticus* dictus quod rus operetur, id est terram.

S

Sapiens dictus à sapore, quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dinoscẽtiam rerum atque causarum, quod vnum quod dinoscat, atque sensu veritatem discernat. Cui contrarius est insipiens quod sit sine sapore, nec alicuius discretionis vel sensus. *Studiosus*, quasi studiis curiosus. *Sanctus* veteri consuetudine appellatus, eo quòd hi qui purificari volebãt, sanguine hostiæ tangebantur & ex hoc sancti nomen acceperunt. *Sincerus* quasi sine corruptione, cui contrarius est insincerus, vitiatus, corruptus. *Supremus* summus, ab eo quod super emineat. Vnde & supremas partes dicim⁹. *Sublimis* ab altitudine vocatus honoris. nam propriè sublime dicitur, quod in alto est, vt

Sublimémque ferens ad sidera cœli.

Speciosus à specie vel aspectu: sic formosus à forma. *Solers* quod sit sollicitus in arte & vtilis. Solers enim apud antiquos dicebatur: qui erat omni bona arte instructus. Terentius,

Adolescentem solertem dabo.

Superstitiosos ait Cicero appellatos, qui totos dies precabantur, & immolabant, vt sibi sui liberi superstites essent. *Solicitus* quasi solers & citus atque inrequietus. *Sedulus* familiare verbum Terentij: hoc est sine dolo, aliàs assiduus. *Sodales* dicuntur, qui ad symbolum conuenire consueuerunt, quasi suadentes, aliàs quasi sedales. Ipsi & socij dicuntur propter periculi & operis societatem, quasi in vna caliga, & vno vestigio manentes. *Stultus* ebetior corde, sicut quidam ait, Ego meipsum stultum esse existimo: fatuum esse non opinor, id est obtusis quidem sensibus: non tamen nullis. Stultus est, qui per stuporem non mouetur iniuria, sæuitiam enim præfert, nec vltus est, nec vlla ignominia commouetur ad dolorem. *Segnis*, id est sine igne, ingenio carens. Se autem sine significat, vt Sedulus sine dolo. *Securus* quasi sine cura, id est frigus, per quod inutiles accipimus. *Stupidus* sæpius stupens. *Superbus* dictus, quia vult peruideri quàm est: Qui enim vult supergredi quod est, superbus est. *Susurro* de sono locutionis appellatus, quia non in facie alicuius: sed in aure loquitur de altero, detrahendo. *Seditiosus*, qui dissensionem animorum facit, & discordias gignit: quam Græci *διάστασιν* dicunt. *Seuerus* quasi satis verus, tenet enim sine pietate iustitiam. *Simulator* dicitur à simulacro. Gestat enim similitudinem eius quod non est ipse. *Suasor* decipiens, id est in suam sortem trahens. *Scrupulosus* animi minuti & asperi. Scrupo enim est arena durior. *Sacrilegus* dicitur ab eo quod sacra legit, id est furatur. *Sicarius* vocatur, qui ad perpetrandum scelus telis armatus est. Sica enim gladius est à secando vocatus. *Sæuus* sinister atque peruersus à peruersitate. Est enim pessimi & crudelis animi. *Scenicus*, qui in theatro agit. Theatrum enim scena est. *Scorta* quæ à Græcis *σκύτια* vocabantur: quo defricantur pelles, quibus corruptela fit. *Spurcus* quod sit impurus. *Scelerosus*, sceleribus plenus, vt lapidosus locus & arenosus. Plus est autem scelerosus quàm sceleratus. *Sator* seminator, vel pater à semine. *Scurra*, qui sectari solet quẽpiã cibi gratia. A sequẽdo ergo inde scurras cõstat appellatos. Idẽ assecla: à sequendo. *Satelles*, quod adhæreat alteri, siue à laris custodia. *Suffectus*, in loca alterius suppositus, quasi suffactus. Vnde & consulem suffectum dicimus eum, qui pro alio substituitur. *Secundus*, quia secus pedes: & tractus est sermo à sequentibus seruis pedissequis. Vnde &

secunda fortuna dicitur, quod secundum nos est, id est prope nos. Inde & res secundæ, id est prosperæ. Secundæ, autem à sequendo sunt dictæ. *Stipulator* promissor. Stipulari enim promittere est, ex verbis iurisperitorum. *Sanus* à sanguine, quia sine pallore est. *Sospes* salutis hospes. *Salus* à sale nomen accepisse putatur. *Subtilis* ab extenuatione dictus. *Sequester* dicitur, qui certantibus medius interuenit, qui apud Græcos ὁ μέσος dicitur, apud quem pignora deponi solent. Quod vocabulum à sequendo factum est, quòd eius qui electus sit, vtraque pars fidem sequatur. *Sessilis*, quod non videtur stare: sed sedere. *Surdus* à sordibus humoris aure conceptis, & quãuis multis casibus accedat, nomen tamen æger prædicto vitio retinet. Siccus quòd sit exsiccatus, siue per antiphrasin, quòd sit sine succo. *Sepultus* dictus, eo quòd sit sine palpitatione vel sine pulsu, id est sine motu. *Sagio* ab exigendo dictus. *Sutor* à suendis pellibus nominatur. *Subulcus* porcorum pastor, sicut bubulcus à cura boum.

T

TVtor qui pupillum tuetur, hoc est intuetur, de quo in consuetudine vulgari dicitur, quid me mones? Et tutorem & pædagogum olim obrui. *Testes* dicti quod testamento adhiberi solent sicut signatores quòd testamentum signent. *Tetricus mons* in Sabinis asperrimus. Vnde & tristes homines tetricos dicimus. *Taciturnus* in tacendo diurnus. *Trutinator* examinator ex iudicij libra perpendẽs recta, translatione à trutina, quæ est gemina ponderum lancis. *Tristis*, tenax, nummi cupidior, quòd teneat. Interdum & pertinax. *Truculentus*, toruus, terribilis, eo quòd sit toruo vultu & turbulento aspectu, vt torua leæna, & Cernimus astantes nequicquam lumine toruo. *Turbidus*, terribilis. *Teter* ab obscura tenebrosáque vita. *Teterrimus* pro fero dixerunt, vt Ennius, Tetrósque elephantes. *Terribilis*, quia timoré habet & timetur. *Tergiuersator*, quod animum quasi tergum vertat huc & illuc, nec facilè qualis sit intelligitur. *Temulentus* à temeto, id est vino dictus. *Timidus* quòd timeat diu, id est à sanguine, nam timor sanguinem gelat, qui coactus gignit timorem. *Turpis* quòd sit informis & torpeat.

V

VIr à Virtute. *Vtilis* ab vtendo bene sua, vel quòd bene quid vti possit, sicut docilis quod doceri possit. *Verus* à veritate, hinc & verax maior est veritas quàm verus; quia non est veritas à vero, sed verus à veritate descendit. *Veridicus*, quia verum dicit, & veritatis assertor est. *Verecundus*, quia verum factum erubescit. *viridis*, vi & succo plenus. *Venustus* pulcher, à venis, id est sanguine *Viuens*, id est viuus. *Varius*, quasi non vnius viæ, sed incertæ, mixtæque sententiæ. *Versutus*, eo quòd eius mens in quolibet actu ad quamlibet fraudem facilè vertitur, vnde & versutia dicitur contorta sententia. Plautus, Versutior est quàm rota figularis. *Vilis* à villa, nullius enim vrbanitatis est. *Versipellis* eo quòd in diuersa vultum & mentem vertat. Inde & versutus & callidus. *Violentus*, quia vim infert. *Vecors* mali cordis & malæ conscientiæ. *Vagus*, quasi sine via. *Vanus* à Venere etymologiam trahit. Item vanus, inanis, falsus, eo quòd sine memoria euanescat. *Vesanus* porro sanus. *Vinolentus*, qui & satis bibit & difficile inebriatur. *Vexatus*, id est portatus, ab eo quòd est veho. vexo vecto, vt, Vexasse sit portasse. *Veneficus* eo quòd venenũ mortis causa parauit, aut pręstitit, aut vendidit. *Vector* quasi vehitor. Est autẽ vector & qui vehit & qui vehitur. *Venator*, quasi venabulator, à venatione scilicet qua bestias premit. Quatuor autem sunt venatorum officia, *Vestigatores*, indagatores, alatores, & pressores.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XI.

CAPITA LIBRI VNDECIMI.

De homine & partibus eius. CAP. I.

NATVRA dicta est ab eo quòd nasci aliquid faciat. Gignendi enim & faciendi potens est. Hanc quidam Deũ esse dixerunt, à quo omnia creata sunt & existunt. *Genus*, à gignẽdo dictum, cui deriuatiuum nomen à terra ex qua omnia gignuntur. γῆ enim Græcè terra dicitur. *Vita* dicta propter vigorem, vel quòd vim teneat nascẽdi atque crescendi. Vnde & arbores vitam habere dicuntur, quia gignũtur & crescunt. *Homo*, dictus quia ex humo factus est, sicut dicitur in Genesi, Et creauit Deus hominem de humo terræ. Abusiuè autẽ pronunciatur ex vtraque substantia totus homo, id est ex societate corporis & animæ. Nã propriè homo ab humo. Græci verò hominẽ ἄνθρωπον appellauerunt: eo quòd sursum spectet sublevatus ab humo ad contemplationẽ artificis sui. Quod Ouidius poeta designat cũ dicit, Pronáque cùm spectent animalia cætera terram, Os homini sublime dedit cælumque videre iussit, & erectos ad sidera tollere vultus. Qui ideò erectus cælũ aspicit, vt Deũ quærat, non vt terram intendat, velut pecora quæ natura prona & ventri obedientia finxit. *Duplex* est autẽ *homo*: interior & exterior. *Interior* homo anima, *exterior* homo corpus. *Anima* autem à ventis nomen accepit, eo quod ventus sit. Vnde & ventus Græcè ἄνεμος dicitur, quòd ore trahentes aërem viuere videamur: sed apertissimè falsum est, quia multo priùs gignitur anima quàm cõcipi aër possit: quia iam in genitricis vtero viuit. Nõ est ergo aër anima, quod quidam putauerunt, qui non potuerunt incorpoream eius cogitare naturam. *Spiritum* idem esse quod animam Euangelista pronunciat dicens, Potestatẽ habeo ponendi animam meam & rursus potestatem habeo sumendi eã. De hac quoque ipsa Domini anima passionis tempore memoratus Euangelista ita protulit, dicens, Et inclinato capite emisit spiritum. Quid est enim emittere spiritum, nisi quòd animam ponere? sed anima dicta propter quod viuit, spiritus autem vel pro spirituali natura, vel pro eo quod spiret in corpore. Item *animum* idẽ esse quod animam: sed *anima* vitæ est, *animus* cõsilij. Vnde dicũt philosophi etiam *sine animo vitam manere, & sine mente animam durare*. vnde & *amentes*. nam *mentem* vocari volunt vt sciat: *animum* vt velit. *Mens autem vocata* quòd emineat in anima, vel quòd meminit. Vnde & immemores amentes, quapropter non anima, sed quod excellit in anima mens vocatur, tanquam caput eius vel oculus. Vnde ipse homo secundum mentem imago Dei dicitur. Ita autem hæc omnia adiuncta sunt animæ, vt vna res sit. Pro efficiẽtiis enim causarum diuersa nomina sortita est anima. Nã & *memoria* mens est, vnde & *immemores* amẽtes. dum ergo viuificat corpus, *anima* est. dũ scit, *mens* est, dum vult, *animus* est. dum recolit, *memoria* est. dum rectum iudicat, *ratio* est. dum spirat, *spiritus* est. dum aliquid sentit *sensus* est. Nam inde animus sensus dicitur pro iis quæ sentit. vnde & sententia nomen accepit. *Corpus*, dictũ pro eo quòd corruptũ perit, Solubile n. atque mortale est, & aliquãdo soluendum. *Caro* autẽ à creando est appellata. *Crementum* enim semen masculi, vnde animalium & hominum corpora con-

cipiantur. Hinc & parentes creatores vocantur. *Caro* autem ex quatuor elementis compacta est, nam terra in carne est, aer in alitu, humor in sanguine, ignis in calore vitali. Habent verò in nobis elementa suam quæque partem, quibus quid debetur compage resoluta. *Caro* autem & *corpus* diuersa significant. In carne semper corpus est, non semper in corpore caro, nam caro est quæ viuit, idem & corpus. Corpus quod non viuit, id est non caro. Nam corpus dicitur aut quod post vitam mortuum est, aut sine vita est conditum. Interdum & cum vita corpus, & non caro, vt herba, & lignum. ¶ *Sensus corporis* quinque sunt, visus, auditus, odoratus gustus & tactus. Ex quibus duo aperiuntur, & clauduntur semper, & duo patentes sunt. *Sensus dicti*, quia per eos anima subtilissimè totum corpus agitat vigore sentiendi. Vnde & *præsentia* nuncupantur, quòd sint præ sensibus, id est præ oculis, quæ præsto sunt oculis. *Visus*, est qui à philosophis humor vitreus appellatur. Visum autem fieri quidam asseuerant, aut externa æcherea luce, aut interno spiritu lucido per tenues venas à cerebro venientes, atque penetratis tunicis in aerem exeuntes, & tunc commixtione similis materiæ visum dantes. Visus dictus quòd viuacior sit cæteris sensibus, ac præstantior siue velocior, ampliúsque vigeat, quantum memoria inter cætera mentis officia. Vicinior est enim cerebro vnde omnia manant, ex quo fit, vt ea quæ ad alios pertinent sensus, videre dicamus, veluti cùm dicimus: Vide quomodo sonat, vide quomodo sapit, sic & cætera. *Auditus*, appellatus quòd voces hauriat, hoc est aere verberato sonos suscipiat, *Odoratus*, quasi aeris odore attractus, Tacto enim aere sentitur, sic & olfactus quod odoribus afficiatur. *Gustus*, à gutture dictus, *Tactus*, eo quòd pertractet & tangat, & per omnia membra vigorem sensus aspergat. Nam tactu probamus quicquid cæteris sensibus iudicare non possumus. duo autem tactus genera sunt: nam aut extrinsecus venit quod feriat, aut intus in ipso corpore oritur quod sentiatur. Vnicuique autem sensui propria natura data est. Nam quod videndum est, oculis capitur, quod audiendum auribus: mollia & dura tactu æstimantur, sapor gustu, odor naribus ducitur. ¶ Prima pars corporis caput, datúmque illi hoc nomen eo quòd sensus omnes & nerui inde initium capiant, atque ex eo omnis vigendi causa oritur. Ibi enim omnes sensus apparent. Vnde ipsius animæ quæ consulit corpori quodammodo personam gerit. *Vertex*, est ea pars qua capilli capitis colliguntur, & in qua cæsaries vertitur, vnde & nuncupatur. *Caluaria*, ab ossibus caluis dicta, per defectionem, & neutraliter pronuntiatur. *Occipitium*, capitis pars posterior, quasi contra capitium, vel quòd sit capitis retrorsum. *Capilli* vocati quasi capiti pili, facti vt decorem præstent & cerebrum aduersus frigus muniant atque à sole defendant. *Pili* autem dicti à pelle qua prodeunt, sicut & pilum dicitur à pila, vbi pigmentum contunditur. *Cæsaries*, à cædendo vocata, ideóque tantum virorum est. Virum enim tonsum esse decet: mulierem non decet. *Comæ*, sunt propriè non cæsi capilli, & est Græcus sermo. Nam comas Græci à secando nominant, vnde & κείρειν tondere dicunt. Vnde & *cirri* vocantur quod etiam idem Græci mallonem vocant. *Crines*, propriè mulierum sunt. Dicti autem crines eo quòd vittis discernantur. Vnde & *discriminalia* dicunt, à quibus diuisi religantur. *Tempora*, sunt quæ caluariæ dextra læuáque subiacent. Quæ ideo sic nuncupantur, quia mouentur, ipsáque mobilitate quasi tempora quibusdam interuallis mutantur. *Facies*, dicta ab effigie. ibi est enim facta tota figura hominis & vniuscuiusque personæ cognitio. *Vultus* verò dictus, eo quòd per eum voluntas ostenditur animi, secundum voluntatem enim in varios motus mutatur, vnde & differunt sibi vtraque: nam facies simpliciter accipitur de vniuscuiusque naturali aspectu. Vultus autem animorum qualitates significant. *Frons*, ab oculorum foraminibus nominata est. Hæc imago quædam animi mentis motum specie sua exprimit, dum vel læta vel tristis est. *Oculi* vocati, siue quia eos ciliorum tegmina occultant; ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, siue quia lumen occultum habent, id est secretum, vel intus positum. Hi inter omnes sensus viciniores animæ existunt. in oculis enim omne mentis iudicium est, vnde & animi perturbatio vel hilaritas in oculis apparet. Oculi autem idem & lumina. Et dicta lumina quòd ex eis lumen manat, vel quod ex initio sui clausam teneant lucem, aut extrinsecus acceptam visui præponendo refundat. *Pupilla*, est medius punctus oculi in quo vis est videndi, vbi quia paruæ imagines nobis videntur: propterea pupillæ appellantur. Nam paruuli pupilli dicuntur. Hanc plerique pupillam vocant. vocatur autem pupilla quòd sit pura atque impolluta, vt sunt puellæ. Physici dicunt easdem pupillas quas videmus in oculis, morituros ante triduum non habere, quibus non visis certa est desperatio. *Circulus* verò quo à pupilla partes albæ oculi separantur discreta nigredine corona dicitur, quòd rotunditate sui ornent ambitum pupillæ. *Voluos* autem quidam appellant ipsos vertices oculorum ex similitudine valuarum. *Palpebræ*, sunt sinus oculorum, à palpitatione dictæ, quia super mouentur. Concurrunt enim

enim inuicem, vt assiduo motu reficiant obtutum. Munitæ sunt autem vallo capillorum, vt & apertis oculis si quid inciderit repellatur, & somno conniuentibus tanquam inuoluti quiescant latentes. In summitate autem palpebrarum locis quibus se vtræque clausæ contingunt extant admoti ordine seruato capilli, tutelam oculis ministrantes, ne irruẽte sorde facile iniurias excipiant, & ex eo noceantur, vt pulueris vel cuiusquam crassioris materiæ arceant contactum: aut ipsum quoque aerem concidendo mitificent, quòd tenuem atque serenum faciant visum. *Lacrymas* quidam à laceratione mentis putant dictas, alij existimant ideò quòd Græci δακρύα vocant. *Cilia* sunt tegmina quibus cooperiũtur oculi, & dicta cilia quòd celent oculos, teganturque tuta custodia. *Supercilia* dicta, quia superposita sunt ciliis, quæ idcirco pilis vestita sunt, vt oculis munimenta pretendant, & sudorem à capite defluentem depellat. *Intercilium* verò est medium illud inter supercilia quod sine pilis est. *Genæ* sunt inferiores oculorum partes, vnde barbæ inchoant. Nam Græcè γένειον barbæ. Hinc & genę quòd inde incipiant gigni barbæ. *Malæ* sunt eminentes sub oculis partes, ad protectionem eorum suppositæ. Vocatæ autem malæ siue quòd infra oculos promineant, in rotunditatem, quã Græci μῆλα appellant, siue quòd sint super maxillas. *Maxillæ* per diminutionem à malis, sicut paxillus à palo, taxillus à talo. *Mandibulæ* sunt maxillarum partes, ex quo & nomen factum. *Barbam* veteres vocauerunt quòd virorum sit, non mulierum. *Aurium* inde dictum nomen à vocibus hauriendis, vnde & Virgilius, vocémque his auribus hausi. Aut quia vocem ipsam Græci αὐδὴν vocant, ab auditu. Per immutationem enim litteræ aures, quasi audes nuncupatæ sunt. Vox enim repercussa per anfractus earum sonum facit quo sensum excipiant audiendi. *Pinnula* summa pars auris ab acumine dicta. Pinnum enim antiqui acutum dicebant, vnde & bipennis & pinna. *Nares* idcirco nominantur, quia per eas vel odor vel spiritus manare non desinit, quia nos odore admonent, vt norimus aliquid & sciamus. Vnde econtrà inscij ac rudes ignari dicuntur. Olfecisse enim veteres scisse dicebant. Terentius, Ac non totis sex mensibus prius olfecissent quàm ille quicquam ceperit. *Narium* recta pars, propter quod æqualiter sit in longitudine & rotunditate porrecta, columna vocatur: extremitas eius, pirula à formula pomi piri. Quæ verò dextra leuáque sunt, pinnulæ ab alarum similitudine: medium autem interfinium. *Os* dictum quòd per ipsum quasi per ostium & cibos intus mittimus, & spiritum foris proiicimus, vel quia ibi ingrediuntur cibi, & inde egrediuntur sermones. *Labia* à lambendo nominata. quòd autem superius est, labium dicimus, quod inferius eo quòd grossius sit, labrum. Alij virorum labra, mulierum labia dicunt. *Lingua* à lingendo cibum putat Varro nomen impositum. Alij quòd per articulatos sonos verba ligat. Sicut enim plectrum cordis, ita lingua illiditur dentibus & vocalem efficit sonum. *Dentes* Græci ὀδόντας vocant, & inde in Latinum nomen trahere videntur. Horum primi *præcisores* dicuntur, quia omne quod accipitur ipsi priùs incidunt. Sequentes *canini* vocantur, quorum duo in dextra maxilla, & duo in sinistra sunt. Et dicti canini, quia ad similitudinem caninorum existunt, & canis ex ipsis ossa frangit, sicut & homo, & quod non possunt priores præcidere, illis tradunt, vt confringant. Hos vulgus pro longitudine & rotunditate *colomellos* vocant. Vltimi sunt *molares*, qui concisa à prioribus atque confracta subigunt, & molunt, atque immassant. Vnde & molares vocati sunt. Dentium autem numerum discernit qualitas sexus. Nam in viris plures, in fœminis pauciores existunt. *Gingiuæ* à gignendis dentibus nominatæ. Factæ autem sunt, etiam ad decorem dentium: ne nudi horrori potius, quàm ornamento existerent. *Palatum* nostrũ sicut cœlum sursum est positum, & inde palatum à polo per deriuationem: sed & Græci similiter palatum οὐρανὸν appellant, eo quòd pro sui concauitate cœli similitudinem habeat. *Fauces* à fundendis vocibus nominatæ, vel quòd per eas famur voces. *Arteriæ* vocatæ, siue quòd per eas à pulmone aer, hoc est spiritus fertur, seu quòd arctis & angustis meatibus spiritum vitalem retineant, vnde vocis sonos emittunt: qui soni vno modo sonarent, nisi linguæ motus distantias vocis efficeret. *Toles* Gallica lingua dicuntur: quas vulgò per diminutionem *tusillas* vocant, quæ in faucibus turgescere solent. *Mentum* dictum quòd inde mandibulæ oriantur, vel quòd ibi iungantur. *Gurgilio* à gutture nomen trahit, cuius meatus ad os & nares pertendit: habens viam qua vox ad linguam transmittitur: vt possit verba collidere. Vnde & *garrire* dicimus. *Rumen* proximum gurgulioni, quo cibus & potio deuoratur. Hinc bestiæ quæ cibos reuocant ac remandunt: ruminare dicuntur. *Sublinguium* operculum gurgulionis, quasi parua lingua, quòd foramen linguæ recludit operítve. ¶ *Collum* dictum, quòd sit rigidum & rotundum, vt columna, baiulans caput & sustentans, quasi capitolium: cuius anterior pars gula vocatur, posterior ceruix. *Ceruix* autem vocata, quod per eam partem cerebrum ad medullam spinæ dirigitur, quasi cerebri via. Veteres autem plurali tan-

tùm numero ceruices dicebant: primus Hortensius ceruicem singulariter dixit. Ceruix autem numero singulari membrum ipsum significat. Nam pluraliter contumaciam sæpè demonstrat. Cicero in Verrinis. Prætorem tu accuses, frangere ceruices. ¶ *Humeri* dicti, quasi armi, ad distinctionem hominis à pecudibus mutis, vt hi humeros, illi armos habere dicuntur. nam propriè armi quadrupedum sunt. *Ala* summi humeri pars posterior. ¶ *Brachia* à fortitudine nominata, βαρὺ enim Græcè graue & forte significat. In brachiis enim tori lacertorum sunt, & insigne musculorum robur existit. Hi sunt tori, id est musculi: & dicti tori, quòd illi viscera torta videantur. *Cubitus* dictus, quòd ad cibos sumendos in ipso cubamus. *Vlna* secundum quosdam vtriusque manus extensio est, secundum alios cubitus, quod magis verum est, quia Græcè ὠλένος, cubitus dicitur. *Alæ* sub brachia sunt appellatæ, eò quòd ex eis in modum alarum motus brachiorum inchoet quas quidam ascillas vocant, quòd ex his brachia *cillantur*, id est, mouentur, vnde & oscilla dicta ab eo, quòd cillantur, id est. moueantur ora. Nam *cillere* est mouere. Hos quidam *subhircos* vocant, propterea quod in plerisque hominibus hircorum fœtorem reddãt. *Manus* dicta, quòd sit totius corporis munus. Ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia, atque dispensat: per eam accipimus & damus. Abusiuè autem manus etiam ars vel artifex, vnde & manus precium dicimus. *Dextra* vocatur à dando, ipsa enim pignus pacis datur, ipsa fidei testis atque salutis adhibetur, & hoc est illud apud Tullium; Fidem publicam iussu senatus dedi, id est, dextram. Vnde & Apostolus dicit, Iacobus & Ioannes dextras dederunt mihi & reliqua. *Læua*, quòd aptior sit ad leuandum. Sinistra autem vocata, quasi sine dextra, siue quòd rem fieri sinat. A sinendo enim sinistra est nuncupata. *Palma* est manus expansis digitis, sicut palma ab expansis palmæ ramis. *Digiti* nuncupati, vel quòd decem sunt; vel quia decenter iuncti existunt. Nam habent in se & numerum perfectum & ordinem decentissimum. Primus pollex vocatur, eò quòd inter cæteros virtute polleat & potestate. Secundus index & salutaris, seu demonstratorius, quia eo ferè salutamus atque ostendimus. Tertius impudicus, quod plerunque per eum probri insectatio exprimitur. Quartus anularis, eo quòd in ipso anulus geritur. Idem & medicinalis, quòd eo trita collyria à medicis colliguntur. Quintus auricularis, pro eo quòd eo aurem scalpimus. *Vngulas* ex Græco vocamus. Illi enim has ὄνυχας dicunt. ¶ *Truncus* media pars corporis à collo vsque ad inguina. De quo Nigid. Caput collo vehitur, truncus sustinetur coxis & genibus cruribúsque. *Thorax* à Græcis dicitur anterior pars trunci à collo vsque ad stomachum, quam nos dicimus arcam, eo quòd ibi arcanum sit, id est, secretum, quo ceteri arcentur. Vnde & arca & ara dicta, quasi res secreta, cuius eminentes pulpę mamillæ dicuntur. Inter quas pars illa ossea pectus dicitur, dextra leuáque costæ. *Pectus* vocatũ quòd sit pexum inter eminentes mamillarũ partesq; vnde & pectinem dicimus, quòd pexos capillos faciat. *Mamillæ* vocatæ, quia rotundæ sunt, quasi malæ, per diminutionem scilicet. *Papillæ* capita mammarum sunt; quas infantes sugentes comprehendunt. Et dictæ papillæ quòd eas infantes quasi pappant dum lac sugunt: proinde mamilla est omnis eminentia vberis: papilla verò breue illud vnde lac trahitur. *Vbera* dicta, vel quia lacte vberta: vel quia vuida humore scilicet lactis in more vuarum plena. *Lac* vim nominis à colore trahit, quòd sit albus liquor: λευκὸς enim Græcè album dicunt, cuius natura ex sanguine commutatur. nam post partum si quid sanguinis nondum fuerit vteri nutrimento consumptũ, naturali meatu fluit in mammas, & earũ virtute albescẽs lactis accipit qualitatem. ¶ *Cutis* est quæ in corpore prima est appellata, quòd ipsa corpori superposita incisionem prima patitur. Cutis enim Græcè incisio dicitur: eadem & pellis quòd externas iniurias corporis tegendo pellat, pluuiásque & ventos solisque ardores perferat. *Pellis* autem mox detracta, subacta iam corium dicitur. *Corium* autem per deriuationem caro appellatur, quòd eo tegatur: sed hoc in brutis animalibus proprium est. *Pori* corporis Græco nomine appellantur, qui Latinè propriè spiramenta dicuntur, eo quòd per eos viuificus spiritus exterius ministretur. *Aruina* est pinguedo cuti adhærens. *Pulpa* est caro sine pinguedine, dicta quòd palpitet: resilit enim sæpe. Hanc plerique & viscum vocant, propter quod glutinosa sit. *Membra* sunt partes corporis. *Artus* quibus colligantur membra, ab artando dicti. *Nerui* Græca appellati deriuatione: quos illi νεῦρα vocant, alij Latinè vocatos neruos putant, eo quòd per artuũ coniunctiones inuicem his inhæreant. Maximam autem virium substantiam neruos facere certissimum est. Nam quantò fuerint densiores: tantò propensius augescere firmitatem. *Artus* enim dicti, quòd colligati inuicem neruis artentur. id est, stringantur: quorum diminutiua sunt articuli. Nam artus dicimus membra maiora, vt brachia; articulos minora membra, vt digitos.

Compagia capita sunt ossium: dicta eo quod sibi

sibi compacta neruis velut glutino quodam adhæreant. *Ossa* sunt corporis solidamenta. In his enim positio omnis robúrque subsistit. Ossa autem ab vsto dicta, propter quòd cremarentur ab antiquis, siue, vt alij putant, ab ore, quod ibi pateant. Nam vbique cute viscerebúsque obtecta celantur. *Medullæ* appellatæ, quòd madefaciant ossa, irrigant enim & confortant. *Vertibula*, sunt summæ ossium partes nodis crassioribus conglobatæ: dictæ ita, eo quòd ad inflexionem membrorum illa vertantur, *Cartilagines*, ossa mollia & sine medulla, quòd genus auriculæ & narium discrimen & costarum extremitates habent, siue opercula ossium quæ mouentur. Et dictæ cartilagines, quòd leni attritu carent dolore dum flectuntur. *Costas*, appellari quidam putant, quòd ab ipsis interiora custodiantur, vt tota mollicies ventris vallata seruetur. *Latus*, qui iacentibus nobis latet. Est enim læua pars corporis, dextro autem lateri habilior motus: læua fortior, & oneri ferendo accommodatior. Vnde & læua nuncupata, quòd aptior sit ad leuandum aliquid & portandum. Ipsa enim gestat clypeum, ensem, pharetram & reliqua onera, vt expedita sit dextera ad agendum. *Dorsum*, est à ceruice vsque ad renes. dictum autem dorsum, quòd sit superficies durior corporis in modum saxi, fortis ad portandum & ad perpetiendum. *Terga*, quia in ea supini iacemus in terra: quod solus homo potest. Nam muta animalia tantùm in ventre, aut in latere iacent. Vnde & in animalibus terga abusiue dicuntur. *Scapula*, scandendo dicitur. *Interscapilium*, spacium quod inter scapulas est, vnde & nominum. *Palæ*, sunt dorsi dextra leuáque eminentia membra, dicta quod in luctando eas preminus, quòd Græci παλαίειν dicunt. *Spina*, est iunctura dorsi, dicta eo quòd habeat radiolos acutos, cuius iuncturæ spondilia appellantur, propter partem cerebri quæ fertur per eos longo tractu ad cæteras corporis partes. *Sacra spina*, est ima perpetuæ spinæ quam Græci ἱερὸν ὀστοῦν vocant quoniam primùm infante concepto nascitur, ideóque & hostia. id primùm à gentilibus diis suis debatur, vnde & spina sacra dicitur. *Renes*, ait Varro dictos, quòd riui ab his obscæni humoris nascantur. Nam venæ & medullæ tenuem liquorem desudant in renibus, qui liquor rursus à renibus calore Venereo resolutus decurrit. *Lumbi*, ob libidinis lasciuiam dicti, quia in viris causa corporeæ voluptatis in ipsis est, sicut in vmbilico mulieribus. Vnde & ab Iob in exordio sermonis dictum est, Accinge sicut vir lumbos tuos: vt in iis esset resistendi præparatio, in quibus libidini est vsitata dominandi occasio. *Vmbilicus*, est medius locus corporis: dictus quòd sit ibi vmbo iliorum. Vnde & *vmbo* appellatur locus in medio clypei, à quo pendet. Ex eo enim infans in vtero pendet, ex eo etiam & nutritur. *Ilium* Græco sermone appellatum, quòd ibi obuoluamus nos. Græcè enim εἰλύειν obuoluere dicitur. *Clunes*, vocatæ, quod sint iuxta colum: quod est longa ω. *Nates*, quod in ipsis innitimur dum sedemus. Vnde & conglobata est in eis caro, ne prementi corporis mole ossa dolerent. *Genitalia* corporis partes sunt: vt nomen ipsum docet: à gignenda sobole acceperunt vocabulum, quod his procreatur & gignitur. Hæc & pudenda pro verecundia siue à pube. Vnde & indumento operiuntur. dicuntur autem ista & inhonesta, quia non habent eam speciem decoris, sicut membra quæ in promptu locata sunt. Idem & *veretrum*, quia viri est tantùm, siue quòd ex eo vitus emittitur. Nã vitus propriè dicitur humor fluens à natura viri. *Testiculi*, per diminutionem à testibus dicti, quorum numerus incipit à duobus. Hi enim semen calamo ministrant, quod ab spinæ medulla & renibus & lumbis suscipiunt ad gratiam procreandi. *Viscus*, est pellis in qua testiculi sunt. *Posteriora* vero vocata, quod retro sunt & à vultu auersa, ne dum aluum purgamus inquinaremus aspectum. *Meatus* inde appellatus, quia per eum meant, id est egerũtur stercora. *Fœmora* dicta sunt, quod ea parte à fœmina sexus viri discrepet. Sunt autem ab inguinibus vsque ad genua. *Fœmina* autẽ per deriuationem fœmorũ partes sunt, quibus in equitãdo tergis equorum adhæremus. Vnde & præliatores olim *sub fœminibus equos amisisse* dicebãtur. *Costa*, quasi cõiunctę axes. In ipsis enim fœmora mouentur, quorum concaua vertebra vocantur, quia in eis capita fœmorũ vertuntur. *Suffragines*, quia subtus frangũtur, id est, flectuntur, nõ suprà sicut in brachiis. *Genua*, sunt cõmissiones femorũ & crurũ, & dicta genua, eo quòd in vtero sint genis opposita. Cohærent enim sibi ibi, & cognata sunt oculis lacrymarũ indicibus & misericordiæ. nam à genis genua dicitur, denique cõplicatum gigni formaríque hominẽ dicunt, ita vt genua sursum sint quibus oculi formãtur, vt caui & recõditi fiãt. Ennius, Atque genua cõprimit arta gena. Inde est quod homines dum ad genua se prosternunt, statim lacrymantur. Voluit enim eos natura vterũ maternũ rememorari, vbi quasi in tenebris cõsedebant, antequam ad lucẽ peruenirẽt. *Crura* dicta, quia in iis currimus & gressum facimus. Sunt autem sub genibus vsque ad suras. *Tibia* vocatę, quasi tubæ. Sunt enim longitudine & specie similes. *Talus*, dictus à tolo. Nam tolus est eminens rotunditas: vnde & fastigium templi rotundi tolus vocatur. Talus autem sub

crure est, sub talo, calcanei. *Pedes*, ex Græca etymologia nomen sortiti sunt. Hos enim Græci πόδας dicunt, quia alternis motibus solo fixi incedunt. *Planta*, à planitie nuncupatæ, quia non rotundæ, vt in quadrupedibus, ne stare non possit bipes homo, sed planæ atque longiores formatæ sunt, vt stabile corpus efficerēt. Sunt autem plantæ anteriores partes, quæ etiā ex multis ossibus constant. *Calcis*, prima pars plantæ, à callo illi nomen impositum, quo terram, hinc & calcaneus *Solum*, inferior pars pedis, dictum quia eo terræ vestigia imprimimus, sed & solum dicitur omne quod aliquid sustinet, quasi solidum, vnde & terra solum quòd cuncta sustineat. & solum pedis quòd totam corporis molem portat. ¶ *Viscera* non tantùm intestina dicimus, sed quicquid sub corio est, à visco quod est inter cutem & carnem. Item viscera vitalia, id est circumfusa cordis loca, quasi viscosa, eo quòd ibi vita, id est anima continetur. Item viscera capita neruorum ex sanguine & neruis copulata. Eadem lacerti siue mures, quia sic in singulis membris corporis loco sunt, vt sit in media parte totius corporis cor, appellantúrque à nomine similium animalium sub terra delitescentium. Nam inde *musculi* à murium similitudine, iidem etiam & *tori*, quòd illic viscera torta videantur. *Cor*, à Græca appellatione deriuatum, quòd illi καρδίαν dicunt, siue à cura. In eo omnis solicitudo, & scientiæ causa manet. Quod ideo pulmoni vicinum est, vt cùm ira accenditur, pulmonis humore temperetur. Huius duæ arteriæ sunt, de quibus sinistra plus sanguinis habet, dextra plus spiritus, vnde & dextro brachio pulsum inspicimus. *Præcordia* verò sunt loca cordi vicina, quibus sensus percipitur, & ducta præcordia, eo quòd ibi sit principium cordis & cogitationis. *Pulsus* vocatus quod palpitet, cuius iudicio aut infirmitatem intelligimus, aut salutem. Huius duplex est motus, aut simplex, aut compositus. Simplex est qui ex vno saltu constat, compositus est qui ex pluribus motibus inordinatus & inæqualis existit, qui motus certa habent spacia, dactylicum percussum quandiu sine vitio sunt. Si quando verò citatiores sunt, vt δορκαδίζοντες, aut leniores vt μυρμηκίζοντες, mortis signa sunt. *Venæ*, dictæ, eo quòd viæ sint natantis sanguinis, atque riui per corpus omne diuisi, quibus vniuersa membra irrigantur. *Sanguis*, ex Græca etymologia nomen duxit, quòd vegetetur & sustentetur, & viuat. Sanguis autem est dum in corpore est, effusus verò cruor dicitur. Nam cruor vocatus eo quod effusus decurrit, vel ab eo quod currendo corruat. Alij autem cruorem interpretantur sanguinem corruptum qui emittitur. Alij aiunt vocatum sanguinem quod suauis sit. Sanguis autem non est integer, nisi in iuuenibus. Nam dicunt physici minui sanguinem per ætatem. vnde & in senibus tremor est. Propriè autem sanguis animæ possessio est. Inde genas lacerare in luctu mulieres solent, vnde & purpureæ vestes & flores purpurei mortuis præbentur. *Pulmo*, ex Græco trahit vocabulum. Græci enim pulmonem πνεύμονα vocant, eo quòd cordis flabellum sit, in quo πνεῦμα, id est spiritus inest, per quod & agitantur & mouentur, vnde & pulmones vocati sunt. Nam Græcè πνεῦμα spiritus dicitur, qui flando & agitando aërem admittit & recipit, à quo mouentur pulmones, & palpitant, & adaperiendo se, vt flatum capiant, stringendo, vt eiiciant. Est enim organum corporis. *Iecur*, nomen habet, eo quòd ignis ibi habeat sedem, qui in cerebro subuolat. Inde ad oculos, cæterósque sensus, & membra diffunditur, & calore suo ad se succum ex cibo tractum vertit in sanguinem, quem ad vsum pascendi nutriendíque singulis membris præbet. In iecore autem persistit voluptas & concupiscentia, iuxta eos, qui de physicis disputant. *Fibræ*, iecoris sunt extremitates, sicut extremæ partes foliorum in vitibus, siue quasi linguæ eminentes. Dictæ autem fibræ: quod apud gentiles in sacris ad Phœbi aras ferebantur ab ariolis, quibus oblatis atque succensis responsa acciperent. *Splen* dictus à supplemento, ex contraria parte iecoris ne vacua existerent, quem quidā etiam risus causa factum existimant. Nam splene ridemus, felle irascimur, corde sapimus, iecore amamus. Quibus quatuor elementis constantibus integrum est animal. *Fel*, appellatū quod sit folliculus gestans humorem qui vocatur bilis. *Stomachus*, Græcè os vocatur, eo quod ostium ventris sit, & cibū excipiat, atque in intestina transmittat. *Intestina* dicūtur, eo quòd corporis interiore parte cohibentur, quæ idcirco longis nexibus in circulorum ordinata sunt modum, vt susceptas escas paulatim digerant, & super additis cibis nō impediantur. *Omentum*, membranum quod continet intestinorum maiorem partem, quod ἐπίπλοον Græci vocant. *Disseptum*, intestinum quod discernit ventrem & cætera intestina à pulmone vel corde. *Cæcum* intestinum, quod sit sine foramine & exitu, quod Græci τυφλὸν ἔντερον dicunt. *Ieiuna*, tenue intestinum, vnde & ieiunum dicitur. *Venter* autem, & aluus, & vterus inter se differunt. Venter est qui acceptos cibos digerit, & apparet extrinsecus, pertingitq; à pectore ad inguina, & dictus venter quod per totum corpus vitæ alimenta transmittat. *Aluus*, est quæ cibū recipit, & purgari solet. Sallustius, Simulans sibi aluum purgari. Et vo-

Et vocatur aluus quòd abluatur, id est purgetur. Ex ipsa enim sordes stercorum defluunt. *Vterum* solæ mulieres habent in quo concipiunt, ad similitudinem cauliculi. Tamē autores vterum pro vtriusque sexus ventre plerunque ponunt, nec poetæ tantummodo, sed & cæteri. Vocatus autem vterum, quòd duplex sit, & ab vtraque in duas se diuidit partes, quæ in diuersum diffusæ ac replexæ circumplicantur in modum cornuum arietis, vel quòd internus impleatur fœtu. Hinc & vter quod aliquid extrinsecus habuerit, vt membra & viscera. *Aqualiculus* autem propriè porci est, hinc ad ventrem translatio. *Matrix* dicitur quòd fœtus in ea generetur, semen enim receptū confouet, confotū corporat, corporatum in membra distinguit. *Vulua* vocata quasi valua ventris, id est ianua, vel quòd semen recipiat, vel quòd ex ea fœtus procedat. *Vesica* quasi vas aquæ, quia sicut vas aqua, ita de renibus vrina collecta completur, & humore distenditur. Cuius vsus in volucribus non habetur. *Vrina* autem dicta, siue quòd vrat, siue quòd ex renibus egeritur. Cuius iudicio & salus & ægritudo futura monstratur. Qui humor vulgo lotium dicitur, quòd eo lota, id est munda vestimenta efficiantur. *Semen* est quod iactu summittur, aut terra aut ab vtero ad gignendum vel fructus vel fœtus. Est enim liquor ex cibi & corporis decoctione factus, ac diffusus per venas atque medullas, qui inde desudatus in modum sentinæ concrescit in renibus eiectúsque per coitum & in vtero mulieris susceptus calorem quodammodo viscerum, & menstruali sanguinis irrigatione formatur in corpore. *Menstrua* superuacuus mulierum sanguis. Dicta autem menstrua propter circuitum lunaris luminis, quo solet hoc venire profluuium. Luna enim Græcè μήνη dicitur, hæc & muliebria nuncupantur. Nam mulier solum menstruale est animal. Cuius cruoris contactu fruges non germinant, acescunt musta, moriuntur herbæ, amittunt arbores fructus, rubigo ferrum corrumpit, nigrescunt æramenta. Si qui canes inde ederint, in rabiem efferuntur. Glutinum asphalti quod nec ferro, nec aquis dissoluitur pollutum cruore ipso sponte dispergitur. Post plurimos autem dies menstruos ideo semen non est germinabile, quia iam non est menstrualis sanguis à quo perfusum irrigetur. Tenue semen locis muliebris non potest adhærere. Labitur enim nec habet vim adhærendi. Similiter & crassum vim non habet gignendi, quia muliebri sanguini miscere se non potest propter nimiam sui spissitudinem. Hinc & steriles mares & fœminas dicunt fieri, vel per nimiam seminis vel sanguinis crassitudinem, vel propter nimiam raritatem. ¶ Primùm autem aiunt cor hominis fingi, quòd in eo sit & vita hominis & sapientia: deinde quadragesimo die totum corpus expleri: quod ex abortionibus, vt fertur, collectum est. Alij fœtus à capite sumere dicunt exordium. Vnde & in auium fœtibus primum oculos fingi in ouis videmus. *Fœtus* autem nominatus, quòd adhuc in vtero foueatur. Cuius secundæ dicuntur *folliculus* qui simul cum infante nascitur, continétque eum: dictus ita, quia eum cùm editur, sequitur. ¶ Nasci autem patribus similes aiunt, si paternum semen validius sit: matribus si matris, hac ratione similes exprimi vultus. Qui autem vtriusque parentis figuram reddunt, æqualiter mixto paterno maternóque semine concipiuntur, auorum proauorum similes fieri, quia sicut in terra multa semina occulta, ita & in hominibus semina celantur, figuras parentum reddituro. ex paterno autem semine puellas nasci, & ex materno pueros: quia omnis partus constat duplici semine: cuius pars maior cùm inualuerit, occupat similitudinem sexus. ¶ In corpore nostro *quædam tantùm vtilitatis causa* facta sunt: vt viscera quædam *& vtilitatis & decoris*, vt sensus in facie, & in corpore manus ac pedes. quorum membrorum & vtilitas magna est, & species decentissima. *Quædam tantùm decoris*, vt mamillæ in viris, & in vtroque sexu vmbilicus. *Quædam discretionis*, vt in viris genitalia, barba prolixus, pectus amplum: in mulieribus læues genæ & angustum pectus: ad concipiendos autem & portandos fœtus renes & latera dilatata. Quod ad hominem, & ad partes attinet corporis ex parte dictum est, nunc ætates eius subiungamus.

De ætatibus hominis. CAP. II.

GRadus ætatis sex sunt, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, grauitas atque senectus. Prima ætas *infantia* est pueri nascentis ad lucem, quæ porrigitur in septem annis. Secunda ætas *pueritia*, id est pura & necdū ad generandum apta, tendens vsque ad decimumquartum annum. Tertia *adolescentia* ad gignendū adulta, quæ porrigitur vsque ad vigesimumoctauum annū. Quarta *iuuentus* firmissima omnium ætatū, finiens in quinquagesimo anno. Quinta ætas *senioris*, id est grauitas, quæ est inclinatio à iuuentute in senectutem: nondū senectus: sed iam nondum iuuentus, quia senioris ætas est quā Greci πρεσβύτην vocant. Nam senex apud Græcos non presbyter, sed γέρων dicitur. Quæ ętas à quinquagesimo anno incipiens septuagesimo terminatur. Sexta ætas est *senectus*, quæ nullo annorū tempore finitur: sed post illas quinq; ætates quantuncunque vitę est, senectuti deputa-

tur. *Senium* autem pars est vltima senectutis, dicta quòd sit terminus sextæ ætatis. In his ergo sex spaciis philosophi vitam descripserunt humanam, in quibus mutatur & currit, & ad mortis terminum peruenit. Pergamus ergo breuiter per prædictos gradus ætatis etymologias earum in homine demonstrantes. *Infans* dicitur homo primæ ætatis; dictus autem infans, quia adhuc fari nescit, id est loqui non potest. Nondum enim bene ordinatis dentibus, minus est sermonis expressio. *Puer* à puritate vocatus: quia purus est, & nec dum lanuginem florémque genarum habens. Hi sunt *ephebi*, id est à Phæbo dicti, necdum viri, sed adolescentuli læues. *Puer* autem *tribus modis dicitur*, pro *natiuitate*, vt Esaias, Puer natus est nobis. Præ *ætate*, vt octennis, decennis. Vnde est illud, Iam puerile iugū tenera ceruice regebat. *Pro obsequio* & fidei puritate, vt Dominus ad prophetam, Puer meus es tu, noli timere, dum iam Ieremias longè pueritiæ excessisset annos. *Puella* est paruula quasi pupilla. Vnde & pupillos, non pro conditione: sed pro ætate puerili vocamus. *Pupilli* autem dicti, quasi sine oculis, hoc est à parentibus orbi. Hi autem verè pupilli dicuntur: quorum parentes antè discesserunt, quàm ab eis nomen acciperent. Cæteri orbi vocantur orphani, id est qui & pupilli. illud enim Græcum est, hoc Latinum. Nam & in Psalmo vbi legitur, Pupillo tu eris adiutor. Græcus habet ὀρφανῷ. *Puberes* pube, id est à pudendis corporis nuncupati, quòd hæc loca tunc primùm lanuginem ducunt. Quidam autem ex annis pubertatem existimant: id est eum puberem esse qui quatuordecim annos expleuerit, quāuis tardissimè pubescat. Certissimum autem puberem esse, qui & ex habitu corporis pubertatem ostendat & generare iam possit. *Puerperæ* sunt quæ annis puerilibus pariunt. Vnde & Horatius, Laudatur primo prole puerpera nato. Et dictæ puerperæ, vel quòd primo partu grauātur, vel quòd primùm pueros pariant. *Adolescens* dictus, eo quòd sit ad gignendum adultus, siue à crescere & augeri. *Iuuenis* vocatus, quòd iuuare posse incipiat, vt in bubus iuuenci, cùm à vitulis discesserint. Est enim iuuenis in ipso ætatis incremento positus, & ad auxilium paratus. Nam iuuare hominis est opus aliquid conferentis. Sicut autem xxx. perfectæ ætatis est annus in hominibus: ita in pecudibus ac iumentis tertius robustissimus. *Vir* nuncupatus quòd maior in eo vis est, quàm in feminis. Vnde & *virtus* nomen accepit: siue quòd vi agat fœminam. *Mulier* verò mollitie tanquam mollier detracta litera, vel mutata appellata est mulier. Vtrique enim fortitudine & imbecillitate animorum vel corporum separantur. Sed ideò virtus maxima viri, mulieris minor, vt patiens viro esset, scilicet ne fœminis repugnantibus libido cogeret viros aliud appetere, aut in alium sexum proruere. Dicitur igitur mulier secundum fœmineum sexū, non secundùm corruptionem integritatis: & hoc ex lingua sacræ Scripturæ. Nam Eua statim facta de latere viri sui, nondum contacta à viro, mulier appellata est, dicente scriptura. Et formauit eam in mulierem. *Virgo* à viridiore ætate dicta est: sicut virga & vitula. Aliàs ab incorruptione, quasi virago: quod ignoret fœmineam passionem. *Virago* vocata, quia vt vir agit, hoc est opera virilia facit & masculini vigoris est. Antiqui enim fortes fœminas ita vocabant. Virgo autem non rectè virago dicitur si non viri officio fungatur. Mulier verò si virilia opera facit, rectè virago dicitur, vt Amazones. Quæ verò nunc fœmina, antiquitus vira vocabatur, sicut à seruo serua: sicut a famulo famula ita à viro vira. Hinc & virginis nomen quidam putant. *Fœmina* verò à partibus fœmorum dicta, vbi sexus species à viro distinguitur. Alij Græca etymologia fœminam ab ignea vi dictam putant: quia vehementer concupiscit. Libidinosiores enim viris fœminæ sunt, tam in mulieribus, quàm in animalibus. Vnde nimius amor apud antiquos fœmineus vocabatur. *Senior* est adhuc viridior. Ouid. in sexto libro Senior. Inter iuuenémque senémque. Terentius, Qui viri iure sumus. *Adolescentior* non vtique magis est adolescens, sed minus, vt *senior*. minus est sene, vbi comparatiuus gradus minus significat à positiuo. Ergo senior non satis, sicut *iunior* inter iuuenem & senem, sicut pauperior inter ditem & pauperem. *Senes* autem dictos quidam putant à sensus diminutione, eo quòd iam præ vetustate desipiant. Nam physici dicunt homines stultos esse frigidioris sanguinis, prudentes calidi. Vnde & senes in quibus iam friget, & pueri in quibus necdum calet, minus sapiunt. Inde est quod conuenit sibi infantum ætas & senum. Senes enim per nimiā ætatem delirant, pueri per lasciuiam & infantiam ignorant quid agant. Senex autem tantùm masculini generis est, sicut anus fœminini. Nam anus dicitur sola mulier. *Anus* autem appellata à multis annis quasi annosa. Nam si cōmune esset nomen, cur diceret Terentius, senem mulierem? Hinc & vetula, quia vetusta. Sunt autem à sene *senectus*, ita ab anu *anilitas* nominata est. *Canities* autem vocata à candore, quasi candicies. Vnde est illud, Florida iuuentus, lactea canities prout diceret candida. *Senectus* autem multa secum & bona affert & mala. Bona, quia nos à potentissimis dominis liberet, voluptatibus imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia. Mala autem quia

quia senium miserrimum est, debilitate & odio. Subeunt enim morbi tristísque senectus. Nam duo sunt quibus minuuntur corporis vires: senectus & morbus. *Mors* dicta quòd sit amara, vel à Marte qui effector mortium: siue mors à morsu primi hominis quo ille pomi esu mortem meruit. *Tria* sunt autem *genera mortis*, acerba, immatura, naturalis. *Acerba* infantium: *immatura* iuuenum: *matura*, id est naturalis, senum. *Mortuus* autem ex qua parte orationis declinetur incertum est. Nam sicut ait Cæsar, ab eo quòd est morior in participio præteriti temporis, in Tus exire debuit, per vnum scilicet, u, non per duo. Nam vbi geminata est littera, nomen est participium, vt futurus, arduus. Conuenienter itaque factū est, quemadmodum id quod significat, nō potest agendo: ita & ipsum nomen non possit loquendo declinari. Omnis autem mortuus aut funus est aut cadauer. *Funus* est si sepeliatur. Et dictū funus à funibus accensis: quos ante feretrum papiris cera circumdatis ferebant. *Cadauer* autem est si insepultum iacet. Nam cadauer nominatum à cadendo, quia iam stare non potest. Quod dum portatur, exequias dicimus: crematum, reliquias, conditum, iam sepultum. Corpus autem à consuetudine dicitur, vt illud, Tū corpora luce carentum. *Defunctus* vocatus, quia compleuit vitæ officium. Nam dicimus defunctos officio, qui officia debita compleuerunt, vnde & honorib. functos. Hinc ergo defunctus, quod ab efficio sit vitæ depositus: siue quòd sit diē functus. *Sepultus* autem dictus, eo quòd iam sine pulsu & palpitatione est, id est sine motu. *Sepelire* autem est condere corpus. Nam *humare* obruere dicimus, hoc est humum iniicere.

De portentis. CAP. III.

PORtenta esse ait Varro, quæ contra naturam nata videntur: sed non sunt contra naturam, quia diuina voluntate fiunt, cùm voluntas creatoris cuiusque conditæ rei natura sit. Vnde & ipsi gentiles Deū modò Naturam, modò Deū appellant. Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura. Portēta autē & ostenta monstra atque prodigia ideo nuncupantur: quòd portendere atque ostendere, monstrare atque prædicere aliqua futura videntur. Nam *portenta* dicta perhibentur à portendendo, id est præostendendo. *Ostenta* autem, quòd ostēdere quicquam futurum videantur. *Prodigia*, quod porro dicant, id est futura prædicent. *Monstra* verò à monitu dicta, quòd aliquid significandum demonstrent, siue quod statim monstrent quid appareat, & hoc proprietatis est: abusione tamen scriptorum plerumque corrumpitur. Quædam autem portentorum creationis in significationibus futuris constitutæ videntur. Vult enim Deus interdum ventura significare per aliqua nascentium noxia: sicut & per somnos, & per oracula, quibus præmoneat & significet quibusdam vel gentibus vel hominibus futuram cladem, quod plurimis etiam experimentis probatum est: vt in temporibus Xerxis regis. Tunc quippe vulpes ex equa creata, dissolui regnum eius portendit. Alexandro ex muliere monstrum creatum est: quod superiores corporis partes hominis sed mortuas habuerit: inferiores diuersarum bestiarum, sed viuentes: significasse repentinam regis interfectionem, superuixerant enim deteriora melioribus. Sed monstra quæ in significationibus dantur, non diu viuunt, sed continuò vt nata fuerint occidunt. Inter portentum & portentuosum differt. Nam *portenta* sunt, quę transfigurantur, sicut fertur in Vmbria mulierem peperisse serpentem. Vnde Lucanus, Matrémque suus conterruit infans. *Portentuosa* verò leuem sumunt mutationem. Exempli causa, cum sex digitis nati. *Portenta* igitur vel *portentuosa existunt alia magnitudine totius corporis*, vltra communē hominum modum, quantus fuit Tition in nouem iugeribus iacens, Homero testante: alia, *paruitate totius corporis*, vt Nani, vel quos Græci pygmæos vocant, eo quòd sint statura cubitales. Alij *magnitudine partium*, veluti capite informi, aut superfluis membrorum partibus, vt bicipites & trimani: vel Schinodôtes, quibus gemini procedūt dētes. Alij *à defectu partiū*, in quibus altera pars plurimū deficit ab altera, vt manus à manu vel pes à pede. Alij *à discissione*, vt sine manu, aut capite generata: quos Græci steriosos vocant. Alia *per numeria*: quando solum caput, aut crus nascitur. Alia *quæ in parte transfigurantur*: sicut qui leonis habent vultum, vel canis, vel taurinū caput, aut corpus, vt ex Pasiphae memorant genitum Minotaurū, quod Græci ἑτερομορφίαν vocant. Alia *quæ ex omni parte transfigurantur* in alienæ creationis portentū: vt ex muliere vitulum dicit historia generatum. Alia *quæ sine transfiguratione mutationē habent locorū*, vt oculos in pectore vel in fronte, aures supra tempora: vel sicut Aristoteles tradidit, quendam in sinistra parte iecur, in dextera parte splen habuisse. Alia *secundū connaturationem* vt in alia manu digiti plures connaturati & cohærentes reperiuntur, in alia minus siue in pedibus. Alia *secundum immaturam & intemperatam creationem*, sicut ij qui dentati nascūtur, siue barbati, vel cani. Alia *complexu plurimarum differentiarum*, sicut illud quod prædiximus in Alexandro multiforme portētum. Alia *commixtione generis*, vt ἀνδρό[illegible]οι & ἑρμαφρόδιτοι vocantur. *Hermafrodita* autem nuncupati, eo quòd eis vterque sexus ap-

pareat. ἑρμῆς quippe apud Græcos Mercurius est. ἀφροδίτη Venus nuncupatur. Hi dextram mamillam virilem, sinistram muliebrem habentes vicissim coeundo, & gignunt, & pariunt. ¶ Sicut autē in singulis gentibus quędā monstra sunt hominū; ita in vniuerso genere humano quædā monstra sunt gentiū, vt gigantes, cynocephali, cyclopes, & cætera. *Gigantes* dicti iuxta Græci sermonis etymologiam, qui eos γηγενεῖς existimāt, id est terrigenas, eo quod fabulose parens terra immensa mole & similes sibi genuerit. γῆ enim terra appellatur. γένος genus, licet & terræ filios vulgus vocet: quorum genus incertum est. Falso autem opinantur quidam imperiti de scripturis sanctis, præuaricatores angelos cum filiabus hominum ante diluuium concubuisse, & exinde natos gigantes, id est nimium grandes & fortes viros, de quibus terra completa est. *Cynocephali* appellantur, eo quòd canina capita habeant, quósque ipse latratus magis bestias, quàm homines confitetur. Hi in India nascuntur. *Cyclopes* quoque eadem India gignit, & dicti cyclopes, eo quod vnum oculum in fronte media habere perhibentur. Hi & ἀγριοφάγιται dicuntur: propter quod solas ferarum carnes comedunt. *Lemnias* in Libya credunt truncos sine capite nasci, & os & oculos habere in pectore. Alios sine ceruicibus gigni, oculos habentes in humeris. In vltimo autem orientis monstruosæ gentium facies scribuntur. *Aliæ sine naribus*, æquali totius oris planitie, informes habentes vultus. *Aliæ labro subteriori adeò prominenti*, vt in solis ardoribus totam ex eo faciem contegant dormiētes. *Aliis concreta ora* esse, modico tantùm foramine calamis venarum potum haurientes. *Nonnulli sine linguis* esse dicuntur, inuicem pro sermone vtentes nutu siue motu. *Panotios* apud Scythiam esse ferunt tam diffusa aurium magnitudine, vt omne corpus ex eis cōtegant. πᾶν enim Græco sermone omne, ὦτα aures dicuntur. *Artabatitæ* in Æthiopia proni, vt pecora ambulare dicuntur: quadragesimum æui annum nullus supergreditur. *Satyri* homuciones sunt aduncis naribus, cornua in frontibus habent, & caprarum pedibus similes: qualem in solitudine Antonius sanctus vidit. Qui etiam interrogatus à Dei seruo respondisse fertur dicens: Mortalis ego sum vnus ex accolis heremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos Satyrósque colit. Dicuntur quidam & syluestres homines, quos nonnulli Faunos ficarios vocant. *Sciopodum* gens fertur esse in Æthiopia singulis cruribus & celeritate mirabili: quos inde σκιόποδας Græci vocant, eò quod per æstum in terra resupini iacentes, pedum suorum magnitudine adumbrentur. *Antipodes* in Libya plantas versas habent post crura & octenos digitos in plantis. *ἱππόποδες* in Scythia sunt, humanam formam & equinos pedes habentes. In India feruntur esse gentem, quæ μακρόβιοι nuncupantur duodecim pedum staturam habentes. Est & gens ibi statura cubitalis, quos Græci à cubito *pygmæos* vocant, de qua suprà diximus. Hi montana Indiæ tenent, quibus est vicinus oceanus. Perhibent & in eadem India esse gentem fœminarum *quæ quinquennes concipiunt*, & octauum vitæ annum non excedunt. Dicuntur autem & alia hominum fabulosa portenta quæ non sunt, sed ficta: & in causis rerum interpretantur, vt *Gerionem* Hispaniæ regem triplici forma proditum. Fuerunt enim tres fratres tantæ concordiæ, vt in tribus corporibus, quasi vna anima esset. *Gorgones* quoque meretrices crinitas serpentibus, ferunt, quæ aspicientes se conuertebant in lapides, habentes vnum oculum quo inuicem vtebantur. Fuerunt autem tres sorores vnius pulchritudinis, quasi vnius oculi, quæ ita inspectores suos stupescere faciebant, vt verterent eos putarentur in lapides. *Serenas* tres fingunt fuisse ex parte virgines, ex parte volucres habentes alas & vngulas: quarum vna voce, altera tibiis, tertia lira canebat. Quæ illectos nauigantes suo cantu in naufragia trahebant. Secundum veritatem autem meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam ad egestatem deducebant, iis fictæ sunt inferre naufragia. Alas autem habuisse & vngulas, quia amor & volat & vulnerat. Quæ inde in fluctibus commorasse dicuntur, quia fluctus Venerem creauerunt. *Scillam* quoque ferunt fœminam capitibus succinctam caninis, cum latratibus magnis, propter fretum Siculi maris, in quo nauigantes verticibus in se concurrentium vndarum exterriti, latrare, existimant vndas, quas sorbentis æstus vorago collidit. Fingunt & monstra quædam irrationabilium animantium, vt *Cerberum inferorum canem* tria capita habentem, significantes per eum tres ætates, per quas mors hominem deuorat, id est, infantiam, iuuentutem & senectutem. Quem quidam ideo dictum Cerberum putant, quasi sit κρεοβόρος, id est, carnem vorans. Dicunt & *Hydram* esse serpentem cum nouem capitibus, quæ Latinè scedra dicitur, quod vno cæso tria capita excrescebant. Sed constat hydram locum fuisse euomentem aquas, vastantem vicinam ciuitatem, in quo vno clauso meatu multum erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exussit, & sic aquæ clausit meatus. Nam hydra ab aqua dicta est: huius mentionem facit Ambrosius in similitudinem hæresium dicens: Hęresis enim velut quædam hydra fabularum, vulneribus suis creuit: & dum sæpe reciditur, pullulat, igni debita incendióque

cendióque peritura. Fingunt & *Chimæram trif. rmem* bestiam, ore leonem, postremis partibus draconem, media capreā. Qua quidē Physiologi non animal, sed Ciliciæ montem esse aiunt, quibusdam locis leones & capreas nutrientem, quibusdam ardentem, quibusdā plenum serpentibus. Hunc Bellerophontes habitabilē fecit, vnde Chimæram dicitur occidisse. *Centauris*, id est hominibus equo mixtis species vocabulū dedit, quos quidā fuisse equites Thessalorum dicūt, sed quòd discurrentes in bello velut vnum corpus equorum & hominum viderentur, inde Centauros fictos asseruerunt. Porrò *Monocentaurum* nomen sumpsisse ex tauro & homine, qualē bestiam dicunt fabulosè in Labyrintho inclusam fuisse. De qua Ouidius: Semibouémque virum, semiuirúmque bouem. *Onocentaurus* autem vocatur, eò quòd media pars hominis species: media asini esse dicatur, sicut & Hypocentauri quòd equorum hominúmque in eis natura coniuncta fuisse putatur.

De transformatis. CAP. III.

Scribuntur autem & quædam monstruosæ hominum *transformationes* & commutationes *in bestias*, sicut de illa maga famosissima *Circe*, quæ socios quoque Vlyssis *mutasse fertur in bestias*: & de Arcadibus, qui sorte ducti, transnatabant quoddam stagnum atque ibi *conuertebantur in lupos*. Nam & Diomedis socios *in volucres* fuisse conuersos, nō fabuloso mendacio, sed historica affirmatione confirmant. Sed & quidam asserunt *Strigas ex hominibus fieri*. Ad multa enim latrocinia figuræ sceleratorum mutantur, & siue magicis cantibus, siue herbarum veneficio, totis corporibus in feras transeunt. Siquidem & per naturam pleráque mutationem recipiunt: & corrupta in diuersas species transformantur: sicut *de vitulorum carnibus putridis apes*: sicut *de equis scarabei*: *de mulis locustæ*: *de cancris scorpiones*. Ouidius: Concaua littorei si demas brachia cancri: Scorpius exibit, caudáque minabitur vnca.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER XII.

CAPITA LIBRI DVODECIMI.

De pecoribus & iumentis. CAP. I.

Omnibus animantibus Adam primus vocabula indidit, appellans vnicuique nomen ex præsenti institutione, iuxta conditionem naturæ cui seruiret. Gentes autem vnicuique animalium ex propria lingua dederunt vocabula. Non autem secundum Latinam linguam atque Græcam aut quarumlibet gentium barbararum nomina illa imposuit Adam: sed illa lingua quæ ante diluuium omnium vna fuit, quæ Hebræa nuncupatur. Latinè autem *animalia* siue *animantia* dicta, quòd animentur vita, & moueantur spiritu. *Quadrupedia* vocata, quia quatuor pedibus gradiuntur: quæ dum sint similia pecoribus, tamen sub cura humana non sunt. vt cerui, damæ onagri, &c. sed neque bestiæ sunt, vt leones: neque iumenta, vt vsus hominum iuuare possit. *Pecus* dicimus omne quod humana lingua & effigie caret. Propriè autem pecorum nomen iis animalibus accommodari solet, quæ sunt aut ad vescendum apta, vt oues & sues: aut vsui hominum commoda, vt equi & boues. Differt autem inter pecora & pecudes, nam veteres cōmuniter in significatione omnium animalium *pecora* dixerunt. *Pecudes* autem tantùm illa animalia quæ eduntur quasi pecudes. Generaliter autem animal *pecus* à pa-

scendo vocatur. *Iumenta* nomina inde traxerunt, quòd nostrum laborem vel onus suo adiutorio subuectando vel arando iuuent. Nam bos carpenta trahit, & durissimas terræ glebas vomere vertit. Equus & Asinus portant onera, & hominum in gradiendo laborem temperant. Vnde & iumenta appellantur ab eo quòd iuuent homines. Sunt enim magnarum virium animalia. Easdem quoque *armenta*, vel quòd sint apta armis, id est, bello: vel quòd his in armis vtimur. Alij armenta tantùm boues intelligunt ab arando, quasi aramenta. Discretio est autem inter armenta & greges: nam *armenta* equorum & boum sunt: *greges* verò caprarum & ouium. *Ouis* molle pecus lanis, corpore inerme, animo placidum, ab oblatione dictum, eo quòd apud veteres in initio non tauri, sed oues in sacrificio mactarentur. Ex iis quasdam *bidentes* vocant, eo quòd inter octo dentes duo altiores vocant: quas maximè gentiles in sacrificium offerebant. *Veruex*, vel à viribus dictus, quòd cæteris ouibus sit fortior, vel quòd sit vir. i. masculus, vel quòd vermem in capite habeat: quorum excitari pruritu, inuicem se concutiunt, & pugnantes cum magno impetu feriunt. *Aries* vel ἀπὸ τοῦ ἄρεως, id est à Marte vocatus: vnde apud nos in gregibus masculi mares dicuntur: siue quòd hoc pecus à gentilibus primùm aris est immolatum. Aries quòd aris imponeret. Vnde est illud: -- Aries mactatur ad aram. *Agnum* quanquam & Græci vocant ἀπὸ τοῦ ἁγνός, quasi pium. Latini tamen ideò hoc nomẽ habere putãt, eò quòd præ cæteris animantibus matrem agnoscant: adeò vt etiam si in magno grege errauerit, statim balatu recognoscat vocem parentis. *Hœdi* ab edendo vocati. Parui enim pinguissimi sunt, & saporis iocundi: vnde & edere: inde & edulium vocatur. *Hircus* lasciuum animal, & petulcum & feruens semper ad coitum: cuius oculi ad libidinem in transuersum aspiciunt: vnde & nomen traxit. Nam hirci sunt oculorum anguli secundum Suetonium: cuius natura adeò calidissima est, vt adamantem lapidem, quem nec ignis, nec ferri domare valet materia, solus huius cruor dissoluat. Maiores hirci *cinisi* dicuntur à fluuio Cinese in Lybia, vbi grandes nascũtur. *Capros & capras* à carpendis virgultis quidam dixerunt. Alij quòd carpent aspera. Nonnulli à crepitu crurum: vnde eas *capreas* vocitatas quæ sunt capræ agrestes, quas Græci pro eo quòd acutissimè videant, ἀπὸ τοῦ ὀξὺ δέρκεσθαι, dorcadas appellauerunt. Morantur enim in excelsis montibus, & quamuis de longinquo, vident tamẽ omnes qui veniũt. Eædem autem & *capreæ*: eædem *ibices* quasi auices, eò quòd ad instar auium ardua & excelsa teneant, & in sublimibus inhabitent, ita vt de sublimitate vix humanis obtutibus pateãt: vnde & meridiana pars *ibices aues* vocat, quæ Nili fluentis inhabitant. Hæc itaque animalia, vt diximus, in petris altissimis commorantur vt si quando ferarum vel hominum aduersitatem persenserint, de altissimis saxorum cacuminibus sese præcipitantes in suis se cornibus illæsa suscipiunt. *Cerui* dicti ἀπὸ τῶν κεράτων, id est, à cornibus, κέρατα enim Græcè cornua dicuntur. Hi serpentium inimici cùm se grauatos in infirmitate persenserint, spiritu narium eos extrahunt de cauernis: & superata pernicie veneni eorum pabulo reparantur. Dictamnũ herbam ipsi prodiderunt. Nam & pasti excutiunt acceptas sagittas. Mirantur autem sibilum fistularum. Erectis auribus acutè audiunt, summissis nihil. Si quando immensa flumina vel maria transnatant, capita clunibus præcedentium superponunt, sibíque inuicem succedentes nullum laborem ponderis sentiunt. Τραγέλαφοι, à Græcis nominati, qui dum eadem specie sint, vt cerui: villosos tamen habent armos, vt hirci, & menta promissis hirsuta barbis, qui non alibi sunt quàm circa Phasidem. *Hinnuli* filij sunt ceruorũ, ab innuere dicti: quia ad nutum matris absconduntur. *Damula* vocata, quòd de manu effugiat: timidum animal & imbecille: de quo Martialis: Dente tuetur aper, defendunt cornua ceruum. Imbelles damæ, quid nisi præda sumus? *Lepus* quasi leuipes, quia velociter currit. Vnde & Græcè pro cursu λάγως dicitur velox est enim animal & satis timidum. *Cuniculi* genus agrestiũ animaliũ, dicti quasi caniculi, eo quòd canum indagine capiantur, vel excludantur ab speluncis. *Sus* dicta, quòd pascua subigat, id est, terra subacta escas inquirat. *Verres*, quòd grandes habeat vires. Porcus, quasi spurcus. Ingurgitat enim se cœno, luto immergit, limo illinit. Horatius: Et amica luto sus. hinc etiam spurcitia vel spurius nuncupatur. Porcorum pilos *setas* vocamus, & setas à sue dictas: à quibus & *sutores* vocantur, quòd ex setis suant, id est, consuant pelles. *Aper* à feritate vocatus, ablata e litera, & subrogata p. Vnde & apud Græcos σῦς ἄγριος, id est, ferus dicitur. Omne enim quod ferum est & immite abusiuè agreste vocamus. *Iuuencus* dictus, eo quòd iuuare incipiat hominum vsus in excolenda terra, vel quia apud Gentiles Ioui semper vbique iuuencus immolabatur, nunquam taurus. Nam in victimis etiam ætas considerabatur. *Taurus* Græcum nomen est sicut & bos. Indicis tauris color fuluus est, volucris pernicitas, pilis in contrarium versis, caput circumflectunt flexibilitate qua volunt, tergi duricia omne telum respuunt immiti feritate. *Bouem* Græci βοῦν dicunt. Hunc Latini *tritonem* vocant, eo, quòd terram terat, quasi terioné: Neuius,

Trionem

Trionem hic moderatur rusticus. Cuius latitudo pellium à mento ad crura, palearia dicuntur, à pelle ipsa, quasi pellearia, quod est generositatis in boue signum. Boum in sociis eximia pietas. Nam alter alterum inquirit cum quo ducere collo aratra consueuit, & frequenti mugitu pium testatur affectum si forte defecerit. *Vacca* dicta, quasi boacca. Est enim ex qualitate nobilium nominum: sicut leo leæna, draco dracæna. *Vitulus & vitula*, à viriditate vocati sunt, id est ætate viridi, sicut virgo. *Vitula* autem parua est & nondum enixa. Nam enixa, *iuuenca* est aut *vacca*. *Bubali* vocati per deriuationem, quòd sint similes boum: adeò indomiti, vt præ feritate iugum ceruicibus nō recipiant. Hos Africa procreat. *Vri* agrestes boues sunt in Germania, habentes cornua in tantum protensa, vt regiis mensis insigni capacitate ex eis gerulæ fiant. *Camelis* causa nomen dedit, siue quòd quando onerantur, vt breuiores & humiles fiant, accumbant, quia Græci χαμαὶ humile & breue dicunt: siue quia curuus est dorso. Camor enim verbo Græco curuum significat. Hos licet & aliæ regiones mittant, sed Arabia plurimos. Differunt autem sibi. Nam Arabici bina tubera in dorso habent: reliquarum regionum singula. *Dromeda* genus est camelorum, minoris quidem staturæ, sed velocioris. Vnde & nomen habet. Nam δρόμος Græcè cursus velocitas appellatur. Centum & amplius millia vno die pergere solet. Quod animal sicut bos & ouis & camelus ruminat. *Ruminatio* autem dicta est à rumine eminente gutturis parte: per quam dimissus cibus à certis animalibus reuocatur. *Asinus & asellus* à sedendo dictus, quasi assedus: sed hoc nomen quod magis equis conueniebat, ideo hoc animal sumpsit: quia priusquam equos caperent homines, huic præsidere cœperunt. Animal quippe tardum & nulla ratione renitens, statim vt voluit sibi homo substrauit. *Onager* interpretatur asinus ferus. ὄνον quippe Græci asinum vocant: ἄγριον ferum. Hos Africa habet magnos, id est, indomitos, & in deserto vagantes. Singuli autem fœminarum gregibus præsunt. Nascentibus masculis zelant, & testiculos eorum morsu detruncant: quod tamen celantes matres eos in secretis locis occultant. *Asini Arcadici dicti*, quòd ab Arcadia primum vecti sint magni & alti. Minor autem asellus agro plus necessarius est, quia & laborem tolerat, & negligentiam propemodum non recusat. *Equi* dicti, eo quod quando quadrigis iungebantur, æquabantur, paresque forma & similes cursu copulabantur. *Caballus* à cauando dictus, propter quod gradiens vngula impressa terram concauet, quòd reliqua animalia non habent. Inde & sonipes quod pedibus sonat. *Viuacitas equorum* multa: exultant enim in campis, odorantur bellum, excitantur sonitu tubæ ad prælium: voce accensi ad cursum prouocantur. dolent cùm victi fuerint: exultant cùm vicerint. Quidam hostes in bello sentiunt, adeò vt aduersarios morsu petant. Aliqui etiam proprios dominos recognoscunt: obliti mansuetudinis, si mutentur: aliquid præter dominum nullum dorso recipiunt. Interfectis vel morientibus dominis multi lachrymas effundunt. Solius equi est propter hominem lachrymari, & doloris affectum sentire. Vnde & in centauris equorum & hominum natura permixta est. Solent enim ex equorum mœstitia vel alacritate euentum futurum dimicaturi colligere. Ætas longæua equis Persicis, Vngaricis, Epiroticis ac Siculis: in annis vltra quinquaginta: breuior autem Hispanis ac Numidis & Gallicis, frequens opinio est. *In generosis equis*, vt aiunt veteres, *quatuor spectantur*: forma, pulchritudo, meritum, atque color. *Forma* vt sit validum corpus & solidum robore, conueniens altitudo, latitudo, latus longum substrictius, maximæ & rotundæ clunes, pectus latè patens, corpus omne musculorum densitate nodosum, pes siccus, & cornu concauo solidatus. *Pulchritudo*, vt sit exiguum caput, & siccum, pelle propè ossibus adhærente, aures breues & acutæ, oculi magni, nares patulæ, & erecta ceruix, coma densa & cauda, vngularum soliditatis fixa rotunditas. *Meritum*, vt sit animo audax, pedibus alacer, trementibus membris, quod est indicium fortitudinis: quíque ex summa quiete facilè concitetur: vel excitata festinatione non difficilè teneatur. Motus autem equi in naribus intelligitur: virtus in membris trementibus. *Color* hic præcipuè spectandus: *badius aureus*, *roseus*, *mirteus*, *ceruinus*, *giluus*, *glaucus*, *scutulatus*, *canus*, *candidus*, *albus guttatus*, *niger*. Sequenti autem ordine, *varius* ex nigro badióque distinctus: reliquis *varius* color, vel *cinereus* deterrimus. *Badium* autem antiqui vadium dicebant, quòd inter cætera animalia fortius vadat. Ipse est & *spadix* quem phœnicatum vocant: & dictus spadix à calore palmæ, quam Siculi *spadicam* vocant. *Glaucus* verò est veluti pictos oculos habens: & quodam splendore perfusos. Nam *glaucum* veteres dicebant album. *Giluus* autem *melinus* color est subalbidus. *Guttatus*, albus nigris interuenientibus punctis. *Candidus* autem & albus inuicem sibi differunt. Nam albus cum quodam pallore est: candidus verò, niueus & pura luce perfusus. *Canus* dictus, quia ex candido colore & nigro est. *Scutulatus* vocatus propter orbes quos habet candi-

dos inter purpureos. *Varius*, quòd vias habeat colorum imparium. Qui autem albos tantùm pedes habent, petali appellantur: qui frontem albam, calidi. *Ceruinus* est, quem vulgò gauranem dicunt. *Æranem* idem vulgus vocat, quòd in modum Ærei sit coloris. *Mirteus* autem est pressus in purpura. *Dosinus* autem dictus, quòd sit color eius de asino: idem & *cinereus*. Sunt autem hi de agresti genere orti: quos *equiferos* dicimus, & proinde ad vrbanam dignitatem transire non possunt. *Mauron* niger est. *Nigrum* enim Græci μαῦρον vocant. *Mannus* verò equus breuior est, quem vulgò, *brunitum* vel *brunitium* vocant. *Veredos* antiqui dixerunt, quòd veherent rhedas, id est, ducerent; vel quòd vias publicas currant: per quas & rhedas ire solitum erat. *Equorum tria* sunt *genera*: vnum *generosum*, preliis & oneribus aptum: alterum *vulgare* atque *gregarium* ad vehendum, non ad equitandum aptum: tertium ex permixtione diuersi generis ortum, quod etiam *bigenerum* dicitur: quia ex diuersis nascitur, vt mulus. *Mulus* autem à Græco tractum vocabulum habet, Græcè enim quod iugo pistorum subactus, tardas molendo ducat in girum molas. Iudæi asserunt quòd Ana abnepos Esau equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, vt mulorum inde noua contra naturam animalia nascerentur. Onagros quoque admissos esse ob hoc ad asinas: & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerentur. Industria quippe humana diuersum animal in coitu coëgit: sícque adulterina commixtione genus aliud reper... : sicut & Iacob contra naturam colorum similitudines procurauit. Nam tales fœtus oues illius concipiebant, quales vmbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Denique & hoc ipsum in equarum gregibus fieri fertur, vt generosos obiiciant equos visibus concipientium, quo eorum similes concipere & creare possint. Nam & columbarum dilectores depictas ponunt pulcherrimas columbas eisdem locis, quibus illæ versantur, quo rapiente visu similes generent. Inde est quòd quidam grauidas mulieres iubent nullos intueri turpissimos animalium vultus, vt cynocephalos & simias, ne visibus occurrentes similes fœtus pariant. Hanc enim fœminarum dicunt esse naturam, vt quales prospexerint, siue mente conceperint in extremo voluptatis æstu dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim animal in vsu Venereo formas extrinsecus intus transmittit, eorúmque satiata typis rapit species eorum in propriam qualitatem. In animantibus *bigenera* dicuntur, quæ ex diuersis nascuntur; vt *mulus* ex equa & asino: *burdo* ex equo & asina: *hibrida* ex apris & porcis: *titirus* ex oue & hirco: *musino* ex capra & ariete. Est autem dux gregis.

De bestiis. CAP. II.

BEstiarum vocabulum propriè conuenit leonibus, tigribus, pardis, & vulpibus, canibúsque & simiis & cæteris quæ vel ore vel vnguibus sæuiunt, exceptis serpentibus. *Bestiæ autem* dictæ à vi qua sæuiunt. *Feræ* appellatæ, quòd naturali vtantur libertate, & desiderio suo ferantur. Sunt autem liberæ earum voluptates, & huc atque illuc vaganur, & quo animus duxerit eò feruntur. *Leonis* vocabulum ex Græca origine inflexum est in Latinum. Græcè enim λέων vocatur, & est nomen nothum, quia ex parte corruptum. *Leæna* verò totum Græcum est, sicut & dracæna. Vt autem leæna lea dicatur, vsurpatum est à poetis. Leo autem Græcè, Latinè rex interpretatur, eò quòd sit princeps omnium bestiarum: Cuius genus trifarium dicitur. E quibus breues ac iuba crispa, imbelles sunt: longi & coma simplici acres. Animos eorum frons & cauda indicat. Virtus eorum in pectore: firmitas in capite. Septi autem à venatoribus terram contuentur, quo minus conspectis venabulis terreantur. Rotarum timent strepitus, sed ignis magis. Cùm dormierint vigilant oculi: cùm ambulant cauda sua cooperiunt vestigia sua, ne eos venator inueniat. Cùm genuerint catulũ, tribus diebus & trib. noctib⁹ catulus dormire fertur. tunc deinde patris fremitu vel rugitu veluti tremefactus cubilis locus, suscitare dicitur catulum dormientem. Circa hominem leonum natura est benigna, vt nisi læsi nequeant irasci. Patet enim eorum misericordia exemplis assiduis. Prostratis enim parcunt: captiuos obuios repatriare permittunt: hominem non nisi in magna fame interimunt. De quibus Lucretius: Scymnique leonum, &c. *Tigris* vocata propter volucrem fugam. Ita enim nominant Persæ & Medi sagittam. Est enim bestia variis distincta maculis, virtute & velocitate mirabilis: ex cuius nomine flumen Tigris appellatur, quòd is rapidissimus sit omnium fluuiorum. Has magis Hircania gignit. *Panther* dictus siue quòd omnium animalium amicus sit, excepto dracone, siue quia & sui generis societate gaudet, & ad eandem similitudinem quicquid accipit reddit. πᾶν enim omne dicitur. Bestia est hæc minutis orbiculis superpicta, ita

picta, ita vt oculatis ex fuluo circulis, nigra vel alba distinguatur varietate. Hæc semel omnino parturit, cuius causæ ratio manifesta est. Nam cùm in vtero matris coaluere catuli, maturíque ad nascendum viribus pollent, odiunt temporum moras. Itaque oneratam fœtibus vuluam tanquam obstantem partui vnguibus lacerant, effundit illa partum seu potius dimittit, dolore cogente. Ita postea corruptis & cicatricosis sedibus genitale semen infusum non erit acceptum, sed irritum resilit. Nam Plinius dicit animalia cum acutis vnguibus frequenter parere non posse. Vitiantur enim intrinsecus se mouentibus catulis. *Pardus* secūdus post Pantherē est, genus varium & velocissimum, & præceps ad sanguinem. Saltu enim ad mortem ruit. *Leopardus* ex adulterio leænæ & pardi nascitur, & tertiam originem efficit, sicut & Plinius in naturali historia dicit, leonem cum parda, aut pardum cum leæna concumbere, & ex vtroque coitu degeneres partus creari, vt mulus ex equa & asino. *Rinoceros* à Græcis vocatus, Latinè interpretatur in nare cornu. Idem & monoceros, id est, vnicornis, eo quòd vnum cornu in media fronte habeat pedum quatuor, ita acutum & validum, vt quidquid impetierit, aut ventiler, aut perforet. Nam & cū elephante sæpe certamen habet, & in ventre vulneratum prosternit. Tantæ autem est fortitudinis, vt nulla venantium virtute capiatur, sed, sicut asserunt qui naturas animalium scripserunt, virgo puella præponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita caput ponit, sicque soporatus velut inermis capitur. *Elephantem* Græci à magnitudine corporis vocatum putant, quòd formam montis præferat. Græcè enim mons elefio dicitur. Apud Indos autem à voce *barro* vocatur. Vnde & vox eius *barritus* dicitur, & dentes eius *ebur*. Rostrum autem *promoscida* dicitur, quo ille pabulum ori admouet, & est angui similis, vallo munitus eburneo. Hos *boues Lucanos* vocabant antiqui Romani, boues, quia nullum animal grandius videbant. Lucanos, quia in Lucania illos primus Pirrhus in prælio obiecit Romanis. Nam hoc genus animantis in rebus bellicis aptum est. In eis enim Persæ & Indi ligneis turribus collocatis, tanquam de muro iaculis dimicant. Intellectu autem & memoria multa vigent. Gregatim incedunt, motu quo valent salutant homines, murē fugiunt; auersi coeūt. Quando autem parturiunt, in aquis vel insulis dimittunt fœtus, propter dracones, quia inimici sunt & ab eis implicanti necantur. Biennio autem portant fœtus, nec amplius quàm semel gignunt, nec plures, sed tantùm vnum. Viuunt autē annos trecētos. Apud solā Africam & Indiam elephanti prius nascebantur: nunc sola eos India gignit. *Gryphes* vocatur, quòd sit animal pennarum & quadrupes. Hoc genus ferarum in Hyperboreis mōtibus nascitur. omni parte corporis leones sunt: alis & facie aquilis similes, equis vehementer infesti. Nam & homines viuos discerpunt. *Cameleon* nō habet vnum colorem, sed diuersa varietate cōspersus, vt pardus. Dictus autem ita, eo quòd cameli similitudinem habet & leonis: huius cameleontis corpusculū ad colores quos videt facillima conuersione variatur, quod animalium aliorum non est ita ad conuersionem facilis corpulentia. *Cameleonpardus* dictus, quòd dum sit vt pardus albis maculis superaspersus, collo equo similis, pedibus bubalis, capite tamen camelo est similis: hunc AEthiopia gignit. *Lynx* dictus, quia in luporum genere numeratur: bestia maculis distincta terga, vt pardus, sed similis lupo. Vnde & ille λύκος, iste lynx. Huius vrinam conuerti in duritiem pretiosi lapidis dicunt, qui *Ligurius* appellatur, quòd & ipsos lynces sentire, hoc documento probatur. Nā egestum liquorem arenis inquantum potuerint, contegunt, inuidia quadam naturæ, ne talis egestio transeat in vsum humanū. Lynces dicit Plinius. Secundus extra fœtum vnū non admittere. *Castores* à castrādo dicti sunt, Nam testiculi eorum apti sunt medicaminibus, propter quod cùm præsenserint venatorem, ipsi & se castrant & morsibus vires suas amputant. De quibus Cicero in Scauriana, redimunt se à parte corporis, propter quod maximè expetuntur. Iuuenalis: - Qui se, Eunuchum ipse facit, cupiēs euadere damnum Testiculi -. Ipsi sunt & *Fibri*, qui etiam *Pontici canes* vocantur. *Vrsus* fertur dictus, quòd ore suo formet fœtus, quasi orsus. Nam aiunt eos informes generare partus, & carnem quandam nasci, quam mater lambendo in membra componit. Vnde est illud: Sic format lingua fœtum cùm protulit vrsa. Sed hoc immaturitas partus facit, denique tricesimo die generat. Vnde euenit, vt præcipitata fœcunditas informis procreetur. Vrsorū caput inualidum: vis maxima in brachiis & in lumbis. Vnde interdum erecti insistunt. *Lupus* Græca deriuatione in linguam nostram transfertur. Lupos enim illi λύκους dicunt: λύκος autē Græcè à morsibus appellatur, quòd rabie rapacitatis quæque inuenerit, trucidet. Alij lupos vocatos aiunt, quasi leopos, quòd quasi leoni, ita sit illi virtus in pedibus: vnde quicquid pede presserit, non viuit. Rapax autem bestia & cruoris appetens. de quo rustici aiunt, vocem hominem perdere si eum prior lupus viderit. Vnde & subitò tacenti dicitur, Lupus in fabula. Certè si se prius visum senserit, deponit feritatis audaciam. Lupi toto anno non amplius quàm duodecim diebus

coeunt: famem diu portant, & post longa ieiunia multum deuorant. Lupos Æthiopia mittit ceruice iubatos, & tantum varios, vt nullum colorem dicant illis abesse. *Canis* nomen Latinum, Græcam etymologiam videtur habere. Græcè enim κύων dicitur: licet eum quidam à canore latratus appellatum æstiment, eo quòd insonet: vnde & canere. Nihil autem sagacius canibus. Plus enim sensus cæteris animalibus habent. Námque soli sua nomina recognoscunt: dominos suos diligunt: dominorum tecta defendunt: pro domino suo se morti obiiciunt: voluntarie cum domino suo ad prædam currunt: corpus domini sui etiam mortuum non relinquunt. Quorum postremò naturæ est, extra homines esse non posse. In canibus duo sunt spectanda, aut fortitudo, aut velocitas. *Catuli* abusiuè dicuntur quarumlibet bestiarum filij. Nam catuli propriè canum sunt, per diminutionem dicti. *Lycisci* autem dicuntur, vt ait Plinius, canes nati ex lupis & canibus, cùm inter se fortè miscentur. Solent & fœminæ canes noctu in syluis alligatæ admitti ad bestias tygres, à quibus insiliri & nasci ex eodem fœtu canes adeò acerrimos & fortes, vt in complexu leones prosternant. *Vulpes* dicta, quasi volupes. Est enim volubilis pedibus, & nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit, fraudulentum animal, insidiísque decipiens. Nam dum non habuerit escam, fingit mortem: sicque descendentes, quasi ad cadauer volucres rapit & deuorat. *Simia* Græcum est nomen, i. pressis naribus. Vnde & Simias dicimus, quod suppressis naribus sint, & facie fœda, rugis turpiter follicantibus: licet & capellarum sit pressum habere nasum. Alij simias Latino arbitrantur sermone vocatas, eo quod multa in eis similitudo humanæ rationis sentitur: sed falsum est. Hæ elementorum sagaces noua luna exultant, media & caua tristantur. Fœtus quos amant ante se gestant, neglecti circa matrem hærent. Harum genera quinque sunt, ex quibus *cercopitheci* caudas habent. *Simia* enim cum cauda est, quam quidam cruda vocant. *Sphingæ* villosæ sunt comis, mammis prominentibus, dociles ad feritatis obliuionem. *Cynocephali* & ipsi similes simiis, sed facie ad modum canis, vnde & nuncupati. *Satyri* facie admodum grata & gesticulatis motibus inquieti. *Callithrices* toto penè aspectu à cæteris distant. Sunt enim in facie producta barba, & lata cauda. *Leontophonos* bestia modica, & ex eo ita vocata, quia capta exuritur, eiúsque cinere aspersæ per compita semitarum leones necant, si quantuluncumque ex illis sumpserint. *Histrix* animal in Africa erinacij simile, vocatum à spinarum stridore, quas tergo laxatas emittit, vt canes insequentes vulneret. *Enhydros* bestiola ex eo nuncupata, quod in aquis versetur, & maximè in Nilo. Quæ si inuenerit dormientem crocodilum, volutat se in lutum primum, & intrat per os eius in ventrem, & carpens omnia interiora eius, exit viua de visceribus crocodili, ipso mortuo. Hinc ἰχνεύμων Græcè vocatus, eò quòd odore suo & salubria ciborum & venenosa prodentur. De quo Dracontius ait; Prædicit suillus vim cuiuscunque veneni. *Suillus* autem à setis est nuncupatus. Hic etiam serpentes insequitur, qui cùm aduersus aspidem pugnat, caudam erigit, quam aspis max ille obseruat quasi minantem, ad quam cùm vim suam transfert, decepta corripitur. *Musio* appellatus, quòd muribus infestus sit. Hunc vulgus *captum* à captura vocant. Alij dicunt quòd captat, id est, videt. Nam tanto acute cernit vt fulgore luminis noctis tenebras superet. Vnde & à Græcis venit *catus*, id est, ingeniosus, ἀπὸ τοῦ καίεσθαι. *Furo* à furuo dictus, vnde & *fur*. Tenebrosos enim & occultos cuniculos effodit, & eiicit prædam quam inuenerit. *Melo*, quòd sit rotundissimo membro, vel quòd fauos petat, & assiduè mela captet.

De minutis animantibus. CAP. III.

MVS pusillum animal, Græcum illi nomen est, quicquid vero ex eo trahitur Latinum fit. Alij dicunt mures quòd ex humore terræ nascuntur. Nam mus terra, vnde & humus. His in plenilunio iecur crescit, sicut quædam maritima augentur, quæ rursus decrescente luna deficiunt. *Sorex* Latinum est, eo quòd rodat, & in modum serræ præcidant. Antiqui autem soricem, *saricem* dicebant, sicut & clodum *claudum*. *Mustella* dicta, quasi mus longus. Nam telum à longitudine dictum. Hæc ingenio subdola, in domibus vbi nutrit catulos suos, transfert mutatque sedem. Serpentes etiam muréique persequitur. *Duo* autem sunt *genera mustelarum*. Alterum enim *syluestre* est distans magnitudine quod Græci ἰκτίδας vocant, alterum *in domibus oberrans*. Falsò autem opinantur, qui dicunt mustelam ore concipere, aure effundere partum. *Musaraneum*, cuius morsu aranea moritur. Est in Sardinia animal perexiguum, araneæ forma, quæ *solifuga* dicitur, eo quòd diem fugiat. In metallis argentariis plurima est, occulto reptans, & per imprudentiam supersedentibus pestem facit. *Talpa* dicta, quòd sit damnata cæcitate perpetua tenebris. Est enim absque oculis, semper terram fodit, & humum egerit, atque radices sub frugibus comedit, quam Græci ἀσπάλακα vocant. *Glires* dicti sunt, quia pingues eos efficit somnus. Nam *gliscere* dicimus crescere. Hyeme enim tota dormiunt & immobiles quasi

quaſi mortui iacent, tempore æſtiuo reuiuiſcunt. *Ericius*, animal ſpinis coopertũ, quod exinde dicitur nominatum, eo quòd ſubrigit ſe quando ſpinis ſuis clauditur, quibus vndique protectus eſt contra inſidias. Nam ſtatim vt aliquid ſenſerit, primùm ſe ſubrigit, atque in globum conuerſus, in ſua ſe arma recolligit. Huius prudentia quædam eſt. Nam dum abſciderit vuam de vite, ſupinus ſeſe volutat ſuper eam, & ſic eam exhibet natis ſuis. *Grillus*, nomen à ſono vocis habet. Hic retro ambulat, terram terebrat, ſtridet noctibus, venatur eum formica circumligata capillo in cauernam eius coniecta, efflata prius puluere ne ſe abſcondat. Ita formicæ complexibus trahitur. *Formica* dicta, eo quod ferat micas farris, cuius ſolertia multa. Prouidet enim in futurum, & præparat in æſtate quòd hyeme comedat. In meſſe autem eligit triticum: hordeum non tangit. Dum pluit ei ſuper frumentum, totum eiicit. *Dicuntur in Æthiopia eſſe formicæ ad canis formam*, quæ arenas aureas pedibus eruunt, quas cuſtodiunt ne quis auferat, captãtes ad necem perſequuntur. *Formicoleon*, ob hoc vocatus, quia eſt vel formicarum leo, vel certè formica pariter & leo. Eſt enim animal paruum formicis ſatis infeſtum, quòd ſe in puluere abſcondit, & formicas frumenta geſtantes interficit. Proinde autem leo & formica vocatur, quia aliis animalibus vt formica eſt: formicis autem vt leo eſt.

De ſerpentibus.
Cap. IV.

ANguis vocabulum omnium ſerpentium genus, quod plicari & contorqueri poteſt. Et inde anguis, quòd anguloſus & nunquam ſit rectus. Angues autem apud gentiles pro geniis locorum erant habiti ſemper: vnde & Perſius. Pinge duos angues pueri: ſacer eſt locus. *Colubrum*, conſtat ab eo dictum, quòd colat vmbras, vel quòd in lubricos tractus flexibus ſinuoſis labatur. Nam *lubricum* dicitur quicquid labitur dum tenetur, vt piſcis & ſerpens. *Serpens* autem nomen accepit, quia occultis acceſſibus ſerpit: non apertis paſſibus, ſed ſquamarum minutiſſimis niſibus repit. Illa autem quæ quatuor pedibus nituntur, ſicut lacerti & ſtelliones, non ſerpentes ſed *reptilia* nominantur. Serpentes autem reptilia ſunt, quia ventre & pectore reptant. Quorum tot venena, quot genera: tot pernicies, quot ſpecies: tot dolores, quot colores habentur. *Draco*, maior cunctorum ſerpentium, ſiue omnium animantium ſuper terram. Hunc Græci δράκοντα vocant. Vnde & deriuatum eſt in Latino vt diceretur draco, quia ſæpè à ſpeluncis abſtractus fertur in aerem, concitatúrque propter eum aër. Eſt autem criſtatus ore paruo: & artis fiſtulis per quas trahit ſpiritum, & linguam exerit. Vim autem non in dentibus, ſed in cauda habet, & verbere potius quàm rictu nocet. Innoxius autem eſt à venenis: ſed ideo huic ad mortem faciendam venena non eſſe neceſſaria, quia ſi quem ligauerit, occidit. A quo nec elephas tutus eſt ſui magnitudine corporis. Nam circa ſemitas deliteſcens per quas elephanti ſolito gradiuntur: crura eorum nodis illigat, ac ſuffocatos perimit. Gignitur autem in Æthiopia & India, in ipſo incendio iugis æſtus. *Baſiliſcus*, Græcè, Latine interpretatur regulus, eo quòd rex ſerpẽtium ſit: adeò vt eũ videntes fugiant, quia olfactu ſuo eos necat: nam & hominem, vel ſi aſpiciat, interimit. Siquidem ad eius aſpectum nulla auis volans illæſa tranſit: ſed quamuis procul ſit, eius ore combuſta deuoratur. A muſtelis tamen vincitur, quas illic homines inferunt cauernis, in quibus deliteſcit. Itaque ea viſa fugit, quem illa perſequitur & occidit. Nihil enim parens ille rerum ſine remedio conſtituit. Eſt autem longitudine ſemipedalis: albis maculis lineatus. *Reguli* autem, ſicut ſcorpiones, arentia quæque ſectantur, & poſtquam ad aquas venerint, ibíque aliquem momorderint, ὑδροφόβους & lymphaticos faciunt. *Sibilus* idem eſt qui & regulus. Sibilo enim occidit antequam mordeat vel exurat. *Vipera* dicta, quòd vi pariat. Nam cùm venter eius ad partum intumuerit, catuli non expectantes naturæ maturam ſolutionem, ſed corroſis eius lateribus vi erumpunt cum matris interitu, Lucanus: Viperei coeunt abrupto corpore nati. Fertur autem quòd maſculus ore inſerto viperæ ſemen expuat. Illa autem ex voluptate libidinis in rabiem verſa, caput maris ore receptum præcidit. Ita fit vt parens vterque pereat, maſculus dum coit, fœmina cùm parturit. Ex vipera autem paſtilli fiunt, qui θηριακοὶ vocantur à Græcis. *Aſpis* vocata, quòd morſu venena immittat & aſpergat: ἰὸς enim Græci venenum dicunt, & inde aſpis quòd morſu venenato interimat. Huius diuerſa genera & ſpecies & diſpares effectus ad nocendum: fertur enim aſpis cùm ceperit pati incantatorem, qui eam quibuſdam carminibus propriis euocat, vt eam de cauerna educat: illa autem cùm exire noluerit, vnam aurem ad terram premit, alteram cauda obturat & operit: atque ita voces illas magicas non audiens, non exit ad incantantem. *Dipſas*, genus eſt aſpidis, quæ Latinè ſitula dicitur, quia quem momorderit, ſiti perit. *Hypnalis*, genus aſpidis dicta, quòd ſomno necat. Hanc ſibi Cleopatra appoſuit, ac ita morte quaſi ſomno ſoluta eſt. *Hæmorrhois aſpis* nuncupatur, eo quòd ſanguinem fudet qui ab eo morſus

fuerit : ita vt dissolutis venis, quicquid vitæ est per sanguinem euocet.. Græcè enim sanguis αἷμα dicitur. *Prester aspis*, semper ore patenti & vaporante currit. Cuius poeta sic meminit: Oráque distendens auidus fumantia prester, Hic quem percusserit, distenditur, enormíque corpulentia necatur. Extuberatum enim putredo sequitur.. *Seps*, tabificus aspis, qui dum momorderit hominem, statim eum consumit : ita vt liquefiat totus in ore serpentis. *Cerastes*, serpens dictus, eo quòd in capite cornua habeat similia arietum: Κέρατα enim Græci cornua vocant: sunt autem illi quadrigemina cornicula: quorum ostentatione, veluti esca, illiciens sollicitata animalia perimit. Totum enim corpus arenis tegit: nec vllum indicium sui præbet, nisi ex ea parte qua inuitatas aues vel animalia capit. Est enim flexuosus plus quàm alij serpentes, ita vt spinam non habere videatur. *Scitalis*, serpens vocatus, eo quòd tanta præfulget tergi varietate, vt notarum gratia retardet aspicientes: & quia reptando pigrior est, quos assequi non valet miraculo sui stupentes capit. Tanti autem feruoris est, vt etiam hyemis tempore exuuias corporis feruentis exponat. De quo Lucanus: Et scitale sparsis etiam nunc sola pruinis Exuuias positura suas ⟝. *Amphibæna* dicta, eo quòd duo capita habeat: vnum in loco suo : alterum in cauda, currens ex vtroque capite, tractu corporis circulato. Hæc sola serpentium frigori se committit: prima omnium procedens. De qua Lucanus: Et grauis in geminum vergens caput amphisibæna. Cuius oculi lucent veluti lucernæ. *Enhydris*, coluber in aqua viuens. Græci enim ὕδωρ aquam vocant. *Hydros*, aquatilis serpens, à quo icti obturgescunt, cuius quidam morbum *Boam* dicunt, eo quòd fimo bouis remedietur. *Hydra* draco multorum capitum: qualis fuit in Lerna palude prouinciæ Arcadiæ : hæc Latinè exedra dicitur, quod vno cæso tria capita excrescant, sed hoc fabulosum est. Nam constat Hydram lacum fuisse euomentem aquas, vastantem vicinam ciuitatem, in quo, vno meatu clauso, multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exussit: & sic aquæ clausit meatus. Nam Hydra ab aqua dicta est. *Chelydros*, serpens, qui & chersydros dicitur, quia & in aquis & in terris moratur. Nam χέρσον dicunt Græci terram, ὕδωρ aquam: hic per aquam labitur, terram fumare facit: quem sic Macer describit: Seu terga exspirant spumantia virus: Seu terram fumat, qua teter labitur anguis. Et Lucanus. Tractíque via fumante Chelydri. Semper enim directus ambulat. Nam si torserit se dum currit, statim crepat. *Natrix*, serpens aquam veneno inficiens. In quocunque enim fonte fuerit, veneno eum immiscet: de quo Lucanus, Et Natrix violator aquæ ⟝. *Cencris*, serpens inflexuosus, qui semper iter rectum efficit. De quo Lucanus : Et semper recto lapsurus limite Cencris. *Parias*, serpens qui semper in cauda ambulat, & sulcum facere videtur. De quo idem Lucanus : Quo contemptus iter cauda sulcare Parias. *Boas*, anguis Italiæ immensa mole : persequitur greges armentorum & bubalos, & plurimo lacte irriguis vberibus se innectit & surgens interimit : atque inde à boum populatione Boas nomen accepit. *Iaculus*, serpens volans. De quo Lucanus: Iaculíque volucres. Exiliunt enim in arboribus, & dum aliquod animal obuium fuerit, iactant se super illud & perimunt. Vnde & Iaculi dicti sunt. In Arabia autem serpentes sunt cum alis, quæ Sirenæ vocantur, quæ non solùm plus currunt equis, sed etiam volare dicuntur: quorum tantum virus est, vt morsum ante mors insequatur, quàm dolor. *Obites* dicta, quòd colorem arenæ habeat. De qua poeta: Quàm paruis maculis Teusanus obites Concolor exustis atque indiscretus arenis Admotus. *Seps*, exigua serpens, quæ non solùm corpus, sed & ossa veneno consumit. Cuius poeta sic meminit: Ossaque dissoluens cum corpore tabificus Seps. *Dipsas*, serpens tantæ exiguitatis fertur, vt cùm calcatur non videatur. Cuius venenum antè extinguit quàm sentiatur, vt facies præuenta morte, nec tristitiam induat morituri. De quo poeta: Signiferum iuuenem Tyrrheni sanguinis Aulum Torta caput retrò dipsas calcata momordit, Vix dolor aut sensus dentis fuit ⟝. *Salpinga*, serpens est, quæ non videtur. *Cacula*. dicta, eo quòd parua sit, & non habeat oculos. *Centupeda*, à multitudine pedum dicta. *Brucus* est, cuius penè totum corpus in ventre colligitur. *Lacertus*, reptilis genus est, vocatus ita, quòd brachia habeat. Genera lacertorum plura, vt botrax, salamandria, saura, stellio. *Botrax* dicta, quod ranæ habeat faciem. Nam Græci ranam βάτραχον vocant. *Salamandra* vocata, quod contra incendia valeat: cuius inter omnia venenata vis maxima est. Cætera enim singulos feriunt, hæc plurimos pariter interemit: nam si arbori irrepserit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ea ederint, occidit, quæ etiam si in puteum cadat, vis veneni eius potantes interficit. Ista contra incendia repugnans, ignes sola animalium extinguit. Viuit enim in medijs flammis sine dolore & consumptione, & non solùm quia non vritur, sed extinguit incendium. *Sauria* lacertus, qui quando senescit, cæcantur oculi eius, & intrat in foramen parietis aspicien-

aspicientis contra Orientem, & orto sole intendit & illuminatur. *Stellio* de colore nomē habet inditum. Est enim tergore pictus lucentibus guttis in modum stellarum. De quo Ouidius, Aptúmque colori. Nomen habet, variis stellatus corpore guttis. Hic autē scorpionibus adeò contrarius traditur, vt viso eo pauorem iis afferat & torporem. Sunt & alia genera serpentium, vt *Admedita Elephantia, Camædracontes*. Postremò quantus nominum, tantus mortium numerus. ¶ Omnes autem serpentes natura sua frigidi sunt, nec percutiunt, nisi quando calescunt. Nam quādo sunt frigidi, nullum tangunt. Vnde & venena eorum plus die quā nocte nocent. Torpent enim noctis algore, & meritò, quia frigidi sunt nocturno rore. In se enim adducunt vaporem corporis gelidæ pestes, & natura frigidæ. Vnde & hyeme in nodos torquentur æstate soluuntur. Inde est, quòd dum quicquam serpentium veneno percutitur, primū obstupescit: & postea vbi in illo calefactum ipsum virus exarserit, statim & hominem extinguit. *Venenum* autem dictum, eò quòd per venas vadit. Infusa enim pestis eius per venas vegetatione aucta discurrit, & animam extinguit. Vnde non potest venenum nocere, nisi hominis tetigerit sanguinem, Lucanus, Noxia serpentum est admixto sanguine pestis. Omne autem venenum frigidum est, & ideo anima quæ ignea est, fugit venenū frigidum. In naturalibus bonis, quæ nobis & irrationabilibus animantibus videmus esse cōmunia, viuacitate quadam sensus serpēs excellit. Vnde & legitur in Genesi: Serpens autem erat sapientior omnibus pecoribus terræ. Dicit autem Plinius: Si creditur, quòd serpentis caput etiam si cum duobus euaserit digitis, nihilominus viuit. Vnde & totum corpus obiicit pro capite ferientibus. *Anguibus* vniuersis hebes visus est. Raro in aduersum contuentur, nec frustrà, cùm oculos non in fronte habeant, sed in temporibus, adeò vt citius audiant quàm aspiciant. Nullum autem animal in tanta celeritate linguam mouet, vt serpens: adeò vt triplicem linguam habere videatur cùm vna sit. Serpentium vda sunt corpora: adeo vt quacunque eunt, viā humore designent. Vestigia serpentium talia sunt, vt cum pedibus carere videantur: costis tamen & squamarum nisibus crepant: quas à summo gutture vsque ad imam aluum parili modo dispositas habent. Squamis enim quasi vnguibus, costis quasi cruribus innituntur. Vnde si in qualibet corporis parte ab aluo vsque ad caput ictu caput aliquo collidatur debilis reddita cursum habere non possit: quia vbicunque ictus ille inciderit, spinam soluit, per quam costarum pedes & motus corporis agebantur. Serpentes autem diu viuere dicuntur, adeò vt deposita vetere tunica, senectutem deponere, atque in iuuentutem redire perhibeantur. Tunicæ serpentum *exuuiæ* nuncupantur, eo quòd iis quando senescunt sese exuunt, quibus exuti in iuuentutem redeunt. Dicuntur autem *exuuiæ & induuiæ*, quia exuuntur & induuntur. ¶ Pythagoras dicit de medulla hominis mortui quæ in spina est, serpentem creari, quod etiā Ouidius in Metamorphos. libris commemorat, dicens: Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro Mutari, credant humanas angue medullas. Quòd si creditur, meritò euenit, vt sicut per serpentem mors hominis: ita per hominis mortem serpens. Fertur autem quòd serpens hominem nudum non sit ausus attingere.

De Vermibus. CAP. V.

VErmis est animal quod plerunque de carne vel de ligno, vel de quacunque re terrena sine vllo concubitu gignitur: licet nonnunquam & de ouis nascantur, vt scorpio. Sunt autē *vermes* aut *aeris*, aut *aquæ*, aut *terræ*, aut *carnium*, aut *frondiū*, aut *lignorū*, aut *vestimentorum*. ¶ *Aranea* vermis *aeris*: ab aeris nutrimento cognominata quæ exiguo corpore longa fila deducit: & telæ semper intenta nunquam desinit laborare, perpetuū sustinens in suo labore suspendium. ¶ *Sanguisuga* vermis *aquatilis*, dicta quia sanguinē sugit. Potantibus enim insidiatur, eúmque illabitur faucibus, vel vbi vspiam adhæserit, sanguinem haurit: & cùm nimio cruore maduerit, id euomit quod hausit, vt recentiorē denuò sugat. ¶ *Scorpio* vermis *terrenus*, qui potius vermibus ascribitur quàm serpētibus: animal armatum aculeo: & ex eo Græcè vocatum, quòd cauda figat: atque arcuato vulnere diffundat venena. Proprium autem est scorpionis, quòd manus palmam non feriat. *Cantaridæ* vermis terren⁹, qui humano corpori statim vt fuerit applicatus, sui adustione vesicas efficit plenas humore. *Multipes* vermis terrenus, ex multitudine pedum vocatus qui contra ictum contractus in globū complicatur. Nascitur sub petris ex humore & terra. *Limax* vermis limi dictus, quòd in limo, vel de limo nascatur: vnde & sordidus semper & immundus habetur. ¶ *Bombyx* vermis *frondium*: ex cuius textura bombycinum conficitur. Appellatur autem hoc nomine ab eo quod euacuetur dū fila generat, & aer solus in eo remaneat. *Eruca* frondium vermis oleribus vel pampinis inuoluta: ab erodendo dicta, cuius meminit Plautus, Imitatus nequam bestiam & maleficam inuolutam in pampino. Implicat se eadem: nec aduolat vt locusta, vt huc il-

lúcque discurrens, semipasta dimittat, sed permanet perituris frugibus & tardo lapsu pigrísque morsibus vniuersa consumit. ¶ *Teredonas* Græci vocant *lignorum* vermes, eò quòd terendo edant. Hos nos *Termites* dicimus. Ita enim apud Latinos ligni vermes vocantur, quos tempore importuno cæsę arbores gignunt. ¶ *Tinea* vermis *vestimentorum* dicta, quòd teneat, & eoúsque insedeat quò erodat. Inde pertinax dicitur, eò quòd in eandem rem identidem vrgeat. ¶ *Vermes* carnium, hemicraneus, lumbricus, ascaridæ, costi, pediculi, pulices, lendes, tarmus, ricinus, vsia, cimex. *Hemicraneus* vermis capitis vocatur. *Lumbricus* vermis intestinorum, dictus quasi lumbicus, quia labitur, vel quòd in lũbis sit. *Ascaridæ*, costi. *Pediculi* vermes cutis à pedibus dicti. Vnde & pediculosi dicuntur, quibus pediculi in corpore efferuescunt. *Pulices* verò vocati sũt, quòd ex puluere magis nutriantur. *Tarmus* vermis est lardi. *Ricinus* vermis est canis, vocatus eo quòd hæret ĩn auribus canum. κύων enim Græcè canis est. *Vsia* vermis est porci, appellata quia vrit. Nã vbi momorderit, adeò locus ardet, vt statim ibi vesicæ fiant. *Cimex* de similitudine cuiusdam herbæ vocatus, cuius fetorẽ habet. Propriè autem *vermis* in carne putrefacta nascitur: *tinea* in vestimentis: *eruca* in olere: *teredo* ĩn ligno: *tarmus* in lardo. ¶ Vermis nõ vt serpens apertis passibus vel squamarum nisibus repit, quia non est illi spinæ rigor vt colubri, sed in directum corpusculi sui partes gradatim porrigendo contractas, contrahendo porrectum motum explicat: sícque agitatus perlabitur.

De piscibus. CAP. VI.

Pisces dicti, vnde & pecus, à pascendo scilicet. *Reptilia* ideò dicuntur hæc quæ natant, eo quòd reptandi habeant speciem & naturam, quamuis se in profundum immergant, tamen in natando repunt. Vnde & ait Dauid: Hoc mare magnũ & spaciosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus. A'μφίβια sunt quædam genera piscium, dicta eò quòd ambulandi in terris vsum & natandi in aquis officium habeant. A'μφὶ enim Græcè vtrunque dicitur, id est, quia in aquis & in terris viuunt, vt Phocæ, Crocodili, Hippopotami, hoc est, equi fluuiales. ¶ Pecoribus autem & bestiis & volatilibus ante homines nomina imposuerunt, quàm piscibus, quia prius visa sunt & cognita. Piscium verò postea cognitis generibus nomina instituta sunt, aut ex similitudine terrestrium animalium aut ex specie propria, siue moribus, seu colore, vel figura, aut sexu. *Ex similitudine terrestrium*, vt ranæ, leones, & vituli, & nigri merulis, & parui diuerso colore, collo & dorso picti; & turdi albo varij, & cætera quæ sibi iuxta species terrestrium animalium nomina vindicarunt. *Ex moribus terrestrium* vt canes in mari à terrenis canibus nuncupati, quòd mordeant. Et lupi, quòd improba voracitate alios persequantur. *A colore* vt vmbri, quia colore vmbræ sunt: & aurata, quia in capite auri colorem habent, & varij à varietate, quos vulgo tructas vocat. *A figura*, vt orbis, quia rotundus est, totúsque in capite constat, vt solia, quòd sit instar calciamentorum soliis. *A sexu*, vt musculus, quòd sit balenæ masculus. Eius enim coitu concipere bellua hæc perhibetur. Hinc & musculi cochlearum, quorum lacte concipiunt ostreæ. *Balenæ* autem sunt immensæ magnitudinis bestiæ, ab emittendo & fundendo aquas vocatæ. Cæteris enim bestiis maris altius iaciunt vndas. βάλλειν enim Græcè emittere dicitur. *Cete* dicta τὸ κῆτος καὶ τὰ κήτη, hoc est, ob immanitatem. Sunt enim ingentia genera beluarum æqualia montium corpora, qualis cetus excepit Ionam: cuius aluus tantæ magnitudinis fuit, vt instar obtineret inferni, dicente propheta, Exaudiuit me de ventre inferni. *Equi marini*, quòd prima parte equi sunt, postrema soluuntur in piscem. *Boccas* dicunt etiam boues marinos, quasi boucas. *Cerulei* à colore appellati. Nam cœruleum est viride cum nigro, vt est mare. *Delphines* certum habent vocabulum, quòd voces hominum sequantur; vel quòd ad symphoniam gregatim conueniant. Nihil in mari velocius istis. Nam plerunque salientes naues transuolant. Quando autem præludunt in fluctibus, & vndarum motibus saltu præcipiti feruntur, tempestates significare videntur. Hi propriè Simones nominantur. Est & Delphinum genus in Nilo dorso serratò, qui crocodilos tenera ventrium secantes interimunt. *Porci marini*, qui vulgò vocãtur *suilli*, qui dũ escam quærunt, more suis terram sub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis immergant, pastum non colligunt. *Corui* à cordis voce dicti, quia grunniunt pectore, suáque voce proditi capiuntur. *Thynni* nomen Græcum habent. Hi ingrediuntur Veris tempore, intrant dextro latere, læuo exeunt. Hoc inde creduntur facere, quòd dextris oculis acutius videant, quàm sinistris. *Gladius* dicitur eo quòd rostro mucronato sit, & ob hoc naues perfossas mergit. *Serra* nuncupatur, quia serratam cristam habet, & subternatans nauem secat. *Scorpio* dictus, quia lędit dum manu tollitur. Tradũt enim decem cancris cum ocimi manipulo alligatis, omnes qui ibi sunt scorpiones ad

nes ad eum locum congregari. *Aranta*, genus piscis, dictus quòd aure feriat. Habet enim stimulos, de quibus percutit. *Crocodilus*, à croceo colore dictus, gignitur in Nilo, animal quadrupes in terra, & in aquis valens, longitudine plerunque viginti cubitorum, dentium & vnguium immanitate armatum, tantáque cutis duritia, vt quamuis fortium ictus lapidum tergo repercussus, non sentiat. Nocte in aquis, die in humo quiescit: oua in terra fouet: mascula & fœmina vices seruant. Hunc pisces quidam serratam habentes cristam tenera ventrium desecantes interimũt. Solus ex animalibus superiorem maxillam mouere dicitur. *Hippopotamus* vocatus, quod sit equo similis dorso, iuba, & hinnitu, rostro resupinato aptinis dentibus, cauda tortuosa, vngulis binis, die in aquis commoratur: nocte segetes depascitur, & hunc Nilus gignit. *Pagrum*, quem Græci *fagrum* ideò nuncupant, quòd duros dentes habeat, ita vt ostreis in mari alatur. *Dentrix*, pro multitudine & granditate dentium dictus. *Lepus*, à similitudine capitis nuncupatur. *Lupum*, vt dictum est, auiditas appellauit, piscem in captura ingeniosum: denique rete circumdatus fertur arenas arare cauda, atque ita conditus transire rete: *Mullus* vocatus, quòd mollis atque tenerrimus: cuius cibo tradunt libidinem inhiberi: oculorum autem aciem hebetari: homines verò à quibus sæpe pastus est, piscem olent. Mullus in vino necatus, hi qui inde biberint, tædium vini habent. Mugilis nomen habet, quòd sit multum agilis: Nam vbi dispositas senserint piscatorum insidias, confestim retrorsum rediens ita transilit rete, vt volare piscem videas. *Melanurus*, eo quòd nigram caudam habeat, & nigras pennas, & in corpore lineas nigras. μέλαν enim Græci nigrum vocant. *Glaucus*, à colore dictus, eo quòd albus sit. Græci enim λευκὸν dicunt. Hic æstate rarò apparet nisi tantum in nubilo. *Timallus*, ex flore nomen accepit. *Timum*, quippe flos appellatur: nam dum sit specie gratus, & sapore iocundus, tamen sicut flos flagrat, & corpore odores aspirat. *Escarus* dictus, eo quòd solus escam ruminare perhibetur: denique alij pisces non ruminant. Tradunt autem hunc ingeniosum etiam. Námque inclusum nassis, non fronte erumpere, nec infestis luminibus caput inserere, sed aduersum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum redire, quem luctatum eius si fortè alius escarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adiuuare nisus erumpentis. *Sparus*, à lancea missili accepit nomen, quòd eiusdem figurę sit. Terrestria enim prius inuenta sunt, quàm marina. Nam sparus est telum rusticanum missile, à spargendo dictum. *Au-stralis* piscis, siue quia aquarum vndam suo ore suscipit: siue quia tunc hic piscis oritur, quo tempore tendere in occasum Pleiades ceperint. *Amio*, saxatilis dextra sinistráque lateribus virgis puniceis perpetuis, aliísque discoloribus designatur: dictus amio, quia non capitur nisi hamo. *Echeneis* paruus & semipedalis pisciculus: nomen sumpsit, quòd nauem adhærendo retineat. Ruant licet venti, & sæuiant procellæ, nauis tamen quasi radicata in mari stare videtur, nec moueri, non retinendo, sed tantummodo adhærẽdo. Hunc Latini Moram appellauerunt, eo quòd cogat stare nauigia. *Vranoscopus*, vocatur ab oculo quem in capite habet, à quo semper suprà intendit. *Milago* nominatus, quia euolat super aquam. Quoties autem cernitur extra aquam volitans, tempestates mutari designat. *Squamatus* dictus, quòd sit squamis acutis. Vnde & eius cute lignum politur. Ciuitas Syriæ quæ nunc Tyrus dicitur, olim Sarra vocabatur à pisce quodam qui illic abundat, quem lingua sua *sar* appellant: ex quo deriuatum est, huius similitudinis pisciculos *sardas sardinásque* vocari. *Halec*, pisciculus ad liquorẽ salsamentorum idoneus: vnde & nuncupatus. *Aforus*, pisciculus qui propter exiguitatem hamo capi non potest. *Anguilla*, similitudo anguis dedit nomẽ: origo eius ex limo. Vnde & quando capitur adeo lenis est, vt quanto fortius presseris, tanto citius elabatur. Ferunt autem & orientis fluuium Gangen anguillas tricenis pedibus gignere. Anguillæ vino necatæ, qui ex eo biberint, tædium vini habent. *Draco* marinus aculeos in branchiis habet ad caudam spectantes, qui dum percusserit, quaqua ferit venenum fundit, vnde & vocatus. *Muranam* Græci μύραιναν vocant, eò quòd complicet se in circulos. Hanc fœminini tantum sexus esse tradunt & concipere à serpente: ob id à piscatoribus tanquam à serpente sibilo euocatur & capitur. Ictu autem fustis difficulter interimitur, ferula protinus: animam in cauda habere certum est. Nam capite percusso vix eam interimi, cauda statim exanimari. *Congrus* polypus. Id est, multipes: plurimos enim nexus habet. Iste ingeniosus hamum appetens brachiis complectitur, non morsu: nec prius dimittit, quàm escam circumroserit. *Torpedo* vocata, eò quòd corpus torpescere faciat, si eam quisquam viuentem tangat. Narrat Plinius Secundus: Ex Indico mari torpedo etiam procul & è longinquo, vel si hasta virgáque attingatur, quamuis prævalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces pedes alligari. Tanta enim vis eius est, vt etiam aura corporis sui afficiat membra. *Sepia* dicitur, quia sæpius interclusa facilius capitur. In coeundo obscœnum genus ore enim conci-

pit sicut vipera. Cuius atramenti tanta vis est, vt lucernæ additum, Æthiopes videri ablato priori lumine quidam tradunt. *Lulligo*, tradunt in Oceano Mauritaniæ, non procul à Lixo flumine tantam multitudinem lulliginum euocari ex aqua, vt etiam naues dimergere possint. ¶*Conchæ* & *Cochleæ* hac ex causa vocatæ, quia deficiente luna cauantur, id est, euacuantur. Omnium enim clausorum maris animalium atque concharum incremento lunæ membra turgescent, defectu euacuantur. Luna enim cùm in augmẽto fuerit, auget humorem: cùm verò in defectum venerit, humores minuuntur. Hoc enim Physici dicunt. Conchæ autem primæ positionis nomen: cochleæ verò per diminutionem quasi conculę. Concharũ multa genera sunt, inter quas & *margaritifera* quæ *celoe* dicuntur, in quarum carne preciosus calculus solidatur. De quibus tradunt ij qui de animantium scripsere naturis, eo quòd nocturno tẽpore littora appetunt, & ex cælesti rore margaritas concipiunt: vnde & celoe nominantur. *Murex*, cochlea est maris, dicta ab acumine & asperitate, quæ alio nomine conchilium nominatur, propter quod circumcisa ferro lachrymas coloris purpurei emittat, ex quibus purpura tingitur: & inde ostrum appellatum, quòd hæc tinctura ex testæ humore elicitur. *Cancri* vocantur, quia conchæ sunt crura habentes: inimica ostreis animalia. Eorum enim carnibus viuunt, miro ingenio. Nam quia valida testa eius aperiri non potest, explorat quando ostrea claustra testarum aperiat: tunc cancer latenter lapillum iniicit, atque impedita conclusione ostreæ carnes erodit. Tradunt quidam à decem cãcris cũ ocimi manipulo alligatis, omnes qui ibi sunt scorpiones ad eum locum coituros. Duo autem sunt *genera cancrorum, fluuiales* & *marini*. *Ostrea* dicta est à testa, quibus mollities interior carnis munitur. Græci enim testã ὄστρακα vocant. Ostrea autẽ neutro, carnes eius fœminino dicuntur genere. *Musculi* sunt, vt prædiximus cochleæ, à quorum lacte concipiunt ostreæ, & dicti musculi, quasi masculi. *Pelorides*, à Pelore promontorio Siciliæ, vbi abundant, cognominatæ sunt. Vnde Virgilius dicit, Ecce autẽ Boreas angusta ab sede Pelori. *Vngues* à similitudine humanarũ vnguiũ dictæ. *Testudo* dictus, eo quòd tegmine testæ sit adopertus in cameræ modum. Sunt autẽ quatuor genera, *terrestres, maritimæ, lutariæ*, id est in ceno & paludibus viuentes. Quartum genus *fluuiales*, quæ in dulci aqua viuunt. Tradunt quidã, quod incredibile est, tardius ire nauigia, testudinis pedem dextrum vehentia. *Echinus* à terrestri echino nomen traxit, quem vulgus Erycium vocat, cuius testa duplex, spinis aculeata in modum castanearum: quando adhuc opertæ de arboribus cadunt. Caro eius mollis & minio similis. *Vrìs*, tribus modis dicitur, vt testudo, ac pelorus, & cochlea. Nam & quod edimus & vbi caro inest: vtrunque dicitur pelorus. *Ranæ*, à garrulitate vocatæ: eo quòd circa genitales strepunt paludes & sonos vocis importunis clamoribus reddunt. Ex iis quædam *aquaticæ* dicuntur, quædam *palustres*, quædam *rubetæ*, ob id quia in vepribus viuunt, grandiores cunctarum. Aliæ *calamitates* vocantur, quoniam inter arundines fruticésque viuunt, minimæ omnium & viridissimæ, mutæ & sine voce sunt. *Agredulæ*, ranæ paruæ in sicco vel agris commorantes, vnde & nuncupatæ. Negant quidam canes latrare, quibus in offa rana viua fuerit data. *Sfongia*, à fingere. i. nitidare & extergere dicta. Afranius, Accedo ad te vt te tibi ceruicem fingam linteo, id est extergam. Cicero. Et fingebatur fungiis sanguis, id est extergebatur. Animal autem esse docetur cruore inhærente petris. Vnde & dum absciditur, sanguinem remittit: Nam alia sunt viuentia in aquis & discurrunt, vt pisces, alia sunt fixa, vt ostreę, echini, sfungiæ. Ex his alias mares dici, eo quod tenues sunt fistulæ spissioresque: alias fœminas, quæ maioribus fistulis sunt ac perpetuis: alias duriores, quas Græci appellant τράγους, & nos hircosas dicere possumus ob asperitatem sui. Mollissimum genus earum penicilli vocantur, eo quòd apertæ sint ad oculorum tumores, & ad extergendas lippitudines vtiles. Candidæ sfungiæ cura fiunt. Per æstatem enim ad solem sternuntur, & sicut cera punica candorem bibunt. ¶Animalium omnium in aquis viuentium nomina cxliij. Plinius ait, *diuisa in generibus, belluarum, serpentium communis terræ & aquæ: cancrorum, concharum, locustarum, peloridum, polyporum, solearum, lacertorum, & lulliginum*, & his similia, ex quibus multa quodam naturæ intellectu temporum suorum ordinem cognoscunt, quædam verò in suis locis mutatione vagantur. ¶In piscibus autem fœminis *aliæ commixtione masculi concipiunt, & pariunt* catulos, aliæ *ponunt oua sua* sine masculi commixtione suscepta, quæ idem insequens sui seminis iactu perfunduntur, & quæ hoc munere fuerint afflata, fiunt generabilia, quæ vero perfusa non fuerint, sterilia perseuerant, aut putrescunt.

De auibus.

CAP. VII.

VNum nomen auiũ, sed genus diuersum. Nam sicut species sibi differũt, ita & naturæ diuersitate. Nã *aliæ simplices* sunt, vt columbæ: aliæ *astutæ*, vt perdix: aliæ *ad manum se*

sub-

subiiciunt, vt accipiter: *aliæ reformidant*, vt garamantes: *aliæ hominum conuersatione delectantur*, vt hirundo: *aliæ in desertis secretā vitam degunt*, vt turtur: *aliæ solo semine reperto pascuntur*, vt anser: *aliæ carnes edunt, & rapinis intendunt*, vt miluus: *aliæ incolæ quæ manent in locis semper*, vt strutio: *aliæ aduetitiæ*, quæ propriis temporibus reuertūtur, vt ciconiæ & hirundines: *aliæ congregæ*, id est gregatim volātes, vt sturni & coturnices: *aliæ solivagæ*, id est solitariæ propter insidias deprædandi, vt aquila, accipiter & quæcunque ita sunt: *aliæ vocibus strepunt*, vt hirundo: *aliæ cantus edunt* dulcissimos, vt cygnus & merula: *aliæ verba & voces hominum imitantur*, vt psitacus & pica. Sed & alia sicut genere, ita & moribus innumerabilia. Nam volucrum quot genera sint, inuenire quisquam non potest. Neque enim omnes Indiæ & Æthiopiæ atque Scythiæ deserta penetrare potuit, qui eorum genus vel doctrinas nosset. *Aues* dictæ, eo quòd vias certas non habeant: sed per auia quæque discurrant. *Alites* quòd alis alta intendant, & ad sublimia remigio alarum conscendant. *Volucres* à volando. nam inde volare, inde & ambulare dicimus. *Vola* enim dicitur media pars pedis siue manus, & in auibus vola pars media alarum, quarum motu pennæ agitantur, inde & volucres. *Pulli* dicuntur omnium auium nati, sed & animaliū quadrupedum nati pulli dicuntur, & homo paruus pullus. Recentes ergo nati pulli dicūtur, eo quòd polluti sunt. Vnde & vestis nigra pulla dicta est. *Alæ* sunt in quibus pennæ per ordinem fixæ volandi exhibent vsum. Vocatæ autem alæ, eo quòd his aues complexos alant & foueant pullos. *Penna* à pendendo, id est à volando dicta. vnde & pendere. *Volucres* enim pennarum auxilio mouentur, quando se aeri mandant. *Pluma* quasi piluma. Nam sicut pili in quadrupedum corpore, ita pluma in auibus. ¶ *Auium* nomina multa *à sono vocis* constant esse composita, vt grus, coruus, cygnus, pauo, miluus, vlula, cuculus, graculus, &c. Varietas enim vocis eorum docuit homines quid nominarentur. Aquila *ab acumine oculorum* vocati. Tanti enim contuitus esse dicitur, vt cùm super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus: de tanta sublimitate pisciculos natare videat: ac tormenti instar descendens raptam prædā pennis ad littus pertrahat. Nam & cōtra radium solis fertur obtutum non flectere, vnde & pullos suos vngue suspensos radiis solis obiicit, & quos viderit immobilem tenere aciem, vt dignos genere conseruat, si quos verò flectere obtutū, quasi degeneres abiicit. *Vultur* à volatu tardo nominata putatur. Magnitudine quippe præpetes volatus non habet. Harū quasdam dicunt concubitu non misceri, & sine copula concipere & generare, natósque earum penè vsque ad centum annos procedere. Vultures autem sicut & aquilæ etiam vltra maria cadauera sentiunt. Altius quippe volantes multa quæ montium obscuritate celantur, ex alto illi conspiciunt. *Gradipes* apud Græcos vocatur auis apud nos tarda, eo quòd graui volatu detenta, nequaquā, vt cæteræ volucres attollitur velocitate pennarum. *Grues* verò nomen de propria voce sumpserunt, tali enim sono susurrant. Hę autem dum properant vnam sequuntur ordine literato. De quibus Lucanus. Et turbata perit dispersis litera pennis. Exclusa autem petunt quò faciliùs videant quas petant terras. Castigat autem voce quæ cogit agmen. At vbi raucescit, succedit alia. nocte autem excubias diuidunt, & ordinem vigiliarum per vices faciunt, tenentes lapillos suspensis digitis, quibus somnos arceant: quod cauendum erit clamor indicat. Ætatem in illis color prodit. Nam senectute nigrescunt. *Ciconiæ* vocatæ à sono quo crepitant, quasi cicaniæ: quem sonū oris potius esse constat, quàm vocis, quia eum quatiente rostro faciunt. Hæ veris nunciæ, societatis comites, serpentium hostes, maria transuolant, in Asiam collecto agmine pergunt. Cornices duces eas præcedunt, & ipsæ quasi exercitus prosequuntur. Eximia illis circa filios pietas. Nam adeò nidos impensius fouent, vt assiduo incubitu plumas exuant. Quantum autem temporis impenderint in fœtibus educandis, tantùm & ipsæ inuicem à pullis suis alūtur. *Olor* auis est quam Græci κύκνον appellant. Olor autem dictus, quòd sit totus plumis albus. Nullus enim meminit cignum nigrum: ὅλος enim Græcè totum dicitur. *Cygnus* autē à canēdo est appellatus, eo quòd carminis dulcedinem modulatis vocibus fundit. Ideò autē suauiter eum canere dicunt, quia collū longum & inflexū habet, & necesse est eluctantem vocem per longum & inflexuosum iter varias reddere modulationes. Ferunt in Hyperboreis partibus præcinētibus citharedis olores plurimos aduolare, aptéque admodum concinere. Olores autē Latinum nomē est. Nam Græcè cycni dicūtur. Nautæ verò sibi hanc bonam prognosiam facere dicūt, sicut ait Æmilius: Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales. Hūc optant nautæ, quia se non mergit in vndas. *Strutio* Græco nomine dicitur, quod animal in similitudine auis pennas habere videtur: tamen de terra altius non eleuatur. Oua sua fouere negligit: sed proiecta tantummodo fotu pulueris animantur. *Ardea* vocata, quasi ardua, id est, propter altos volatus. Lucanus, Quódque ausa volare Ardea. Formidat enim imbres, & super nubes euolat, vt procellas nubium sentire non possit. Cùm autē altius vo-

lauerit, ſignificat tempeſtatem. Hanc multi Tantalũ nominant. *Phœnix* auis Arabię, dicta quòd colorem Phœniceum habeat, vel quòd ſit in toto orbe ſingularis & vnica. Nam Arabes ſingularem & vnicam Phœnicem vocãt. Hæc quingentis vltra annis viuens, dũ ſe viderit ſenuiſſe, collectis aromatum virgultis, rogũ ſibi inſtruit, & conuerſa ad radium ſolis alarum plauſu voluntarium ſibi incendiũ nutrit, ſícque iterum de cineribus ſuis reſurgit. *Cynomolgus* & ipſa Arabiæ auis, proinde ita vocata, quòd in excelſis nemoribus texit nidos ex fructicibus cinnami: & quoniã non poſſunt ibi conſcendere homines propter ramorũ altitudinem & fragilitatem, eoſdẽ nidos plumbatis appetunt iaculis, ac ſic cinnamia illa deponunt, & preciis amplioribus vẽdunt: eo quòd cinnamum illud magis quàm alia mercatores probẽt. *Pſitacus* in Indiæ littoribus gignitur, colore viridi, torque puniceo, grandi lingua & cæteris auibus latiore. Vnde & articulata verba exprimit, ita vt ſi eam nõ videris, hominẽ loqui putes. Ex natura autem ſalutat dicens, aue, vel χαῖρε. Cętera nomina inſtitutione diſcit. Hinc eſt illud: Pſitacus à vobis aliorum nomina diſcam, Hoc didici per me dicere, Cæſar aue. *Halcyon* pelagi volucris dicta, quaſi ales oceana, eo quòd hyeme in ſtagnis oceani nidos faciat, pullóſque educit: qua excubante fertur extento æquore pelagus ſilentibus ventis continua ſeptem dierum tranquillitate miteſcere, & eius fœtibus educandis obſequiũ ipſa rerũ natura præbere. *Pellicanus* auis Ægyptia habitans in ſolitudine Nili fluminis, vnde & nomen ſumpſit. Nam Canopus Ægyptus dicitur. Fertur, ſi verum eſt, eam occidere natos ſuos, eóſque per triduum lugere, deinde ſeipſam vulnerare, & aſperſione ſui ſanguinis viuificare filios. *Stymphalidæ* aues à Stymphalidibus inſulis appellatæ, vbi plurimũ abũdant, aduerſus quas Hercules ſagittis eſt vſus. Sunt enim pelagi volucres in inſulis habitantes. *Diomedias aues* à ſociis Diomedis appellatas, quos ferunt fabulæ in eaſdem volucres fuiſſe cõuerſos, forma fulicę ſimiles, magnitudine cygnorum, colore candido, duris & grandibus roſtris. Sunt autem circa Apuliam in inſula Diomedia inter ſcopulos littorum & ſaxa volitantes, iudicant inter ſuos & aduenas. Nam ſi Græcus eſt propius accedunt & blandiũtur: ſi alienigena, morſu impugnant & vulnerant lacrymoſis quaſi vocibus dolentes vel ſuam mutationẽ, vel regis interitum. Nam Diomedes ab Illyriis interẽptus eſt. Hę aues Latinè Diomediæ dicuntur. Græci eas ἐρῳδίους dicũt. *Memnonides aues* Ægyptiæ appellatæ à loco vbi Mẽnon periit. Nam cateruatim aduolare dicuntur ex Ægypto ad Iliũ iuxta Memnonis ſepulchrum, & proinde eas Ilieſes Mẽnonias vocãt. Quinto autẽ anno ad Iliũ veniũt, & cùm biduo circumuolauerint, tertia die ineuntes pugnã viciſſim ſe vnguibus roſtríſque dilacerant. *Hercinię aues* dictæ ab Hercinio ſaltu vbi naſcũtur, quarũ pennæ adeò per obſcura emicant, vt quãuis nox obtenta denſis tenebris ſit, ad præſidium itineris dirigendi latè interluceant, curſúſque viæ pateat indicio plumarum fulgentiũ. *Onocrotalon* Græci vocant roſtro longo. Quorũ duo genera ſunt, aliud aquatile, aliud ſolitudinis. *Ibis* auis Nili fluminis quæ ſemetipſam purgat, roſtro in anum aquam fondens. Hæc ſerpentiũ ouis veſcitur, ex eis eſcam gratiſſimã nidis ſuis deportans. *Meropes* eoſdem & gaulos, qui parentes ſuos recondere atque alere dicuntur. *Coredulus* genus volatilis eſt, quaſi cor edẽs. *Monedula*, quaſi monetula, quę cùm aurum inuenit, aufert & occultat. Cicero pro Valerio Flacco, Nõ plus aurũ tibi quàm monedulæ committendũ. *Veſpertilio* pro tẽpore nomẽ accepit, eo quòd lucem fugiẽs crepuſculo veſpertino circunuolat, præcipiti motu acta, & tenuiſſimis brachiorũ mẽbris ſuſpẽſa, animal murium ſimile, non tam voce reſonans quàm ſtridore, ſpecie quoque volatilis, ſimul & quadrupes, quòd in aliis auibus reperiri non ſolet. *Luſcinia* auis inde nomen ſumpſit, quòd cantu ſuo ſignificare ſolet diei ſurgentis exortũ, quaſi lucinia. Eadẽ & acredula, de qua Cicero in Prognoſticis, Et matutinos exercet acredula cantus. *Vlula auis* ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, id eſt à planctu & luctu nominata, Cùm.n.clamat, aut fletum imitatur aut gemitũ. Vnde apud augures ſi lamentetur triſtitiam tacens oſtendere fertur proſperitatem. *Bubo* à ſono vocis compoſitũ nomen habet, auis feralis, onuſta quidem plumis, ſed graui ſemper detẽta pigritia: in ſepulchris diu noctúq. verſatur, & ſemper cõmoratur in cauernis. de qua Ouidius, Fœdáque ſit volucris venturi nuntia luctus, Ignauus bubo dirum mortalibus omen. Denique apud augures malum portendere fertur. Nam cùm in vrbe viſa fuerit ſolitudinem ſignificare dicunt. *Noctua* dicitur pro eo quòd nocte circũuolat, & per diẽ non poſſit videre. Nam exorto ſplẽdore ſolis viſus illius hebetatur. Hãc autẽ inſula Cretẽſis non habet: & ſi veniat aliũde, ſtatim moritur. Noctua autẽ non eſt bubo nã bubo maior eſt. *Nycticorax* ipſa eſt noctua quia noctem amat. Eſt.n. auis lucifuga, & ſolẽ videre non patitur. *Strix* nocturna auis habẽs nomẽ de ſono vocis, Quando enim clamat ſtridet. de qua Lucanus: Quod trepidus bubo, quòd ſtrix nocturna queruntur. Hæc auis vulgò *Amma* dicitur, ab amando paruulos, vnde & lac præbere dicitur naſcẽtibus. *Coruus* ſiue *corax* nomen à ſono gutturis habet, quod voce coracinet. Fertur hæc auis

auis quòd editis pullis escam plenè non præbeat, priusquam in iis per pennarum nigredinem similitudinem proprij coloris agnoscat. Postquàm verò eos tetros plumis aspexerit, in toto agnitos abundantius pascit. Hic prior in cadaueribus oculū petit. *Cornix* annosa auis apud Latinos Græco nomine appellatur, quam aiunt augures hominum curas significationibus augere, insidiarum vias mōstrare, futura prædicere. Magnum nefas hæc credere, vt Deus consilia sua cornicibus mandet. Huic inter multa auspicia tribuunt etiam pluuias portendere vocibus. vnde est illud, Tunc cornix plena pluuiam vocat improba voce. *Graculus* à garrulitate nuncupatus, nō, vt quidam volunt, pro eo quòd gregatim volent, cùm sit manifestum ex voce eum nuncupari. Est autem loquacissimum genus & vocibus importunū. *Picæ* quasi poeticæ, quòd verba in discrimine vocis exprimant, vt homo. Per ramos enim arborum pendulæ importuna garrulitate sonantes, & si linguas in sermone nequeunt explicare, sonum tamen humanæ vocis imitantur, de qua cōgruè quidam ait, Pica loquax certa dominum te voce saluto. Si me non videas, esse negabis auem. *Picus* à Pico Saturni filio nomen sumpsit, eo quod ea in auspiciis vtebantur. Nam ferunt hanc quiddam habere diuinum: illo indicio, quòd in quacunque arbore nidificauerit, clauus vel quicquid aliud fixum fuerit, diu hærere non possit quin statim excidat, vbi illa insederit. iste est picus martius, nam alia est pica. *Pauo* nomen de sono vocis habet, cuius caro tam dura est, vt putredinem vix sentiat, nec facilè coquatur, de quo quidam sic ait, Miraris quoties gemmantes explicat alas, Si potes hunc sæuo tradere iure coco. *Phasianus* à Phaside insula Græciæ vnde primùm asportatus est, appellatus. Testatur id vetus distichon illud, Argiua primùm sum trāsportata carina. Ante mihi notum nil nisi Phasis erat. *Gallus* à castratione vocatus. Inter cæteras enim aues huic soli testiculi adimuntur. Veteres enim abscisos gallos vocabant. sicut autem à leone *leæna*, & à dracone *dracæna*, ita à gallo *gallina*. Cuius membra fuerint quidam, si auro liquescenti misceantur, consumit. *Anas* ab assiduitate natandi aptum nomen accepit. Ex quo genere quædam germanæ dicuntur, quòd plus cæteris nutriant. *Anseri* nomen anas dedit per deriuationem, vel à similitudine, vel quòd & ipsa natandi frequentiam habeat. Iste vigilias noctis assiduitate clangoris testatur. Nullum autem animal ita odorem hominis sentit, vt anser: vnde & clangore eius Gallorum ascensus in Capitolio deprehensus est. *Fulica* dicta, quòd caro eius leporinam sapiat. λάγως enim lepus dicitur, vnde & apud Græcos λάγως dicitur. Est enim auis *stagnensis*, habens nidum in medio aquę vel in petris quas aquæ circundant, maritimóque semper delectatur profundo. Quæ dum tempestatē persenserit, fugiens in vado ludit. *Mergus* ab assiduitate mergendi nomen habet. Sæpe autē dimisso in profundum capite aurarum signa sub fluctibus colligunt, & præuidentes æquoris tempestatem cum clamore ad littora tendunt. Nam in pelago iam grauissimam esse tempestatem constat, cùm ad littora mergi confugerint. *Accipiter* auis animo plus armata quam vngulis, virtutem maiorē in minore corpore gestans. Hinc ab accipiendo, id est à capiendo nomen sumpsit. Est enim auis rapiendis aliis auibus auida, idcóque vocatur accipiter, id est raptor. vnde & Paulus Apostolus, Sustinetis enim si quis vos accipit. vt enim diceret, si quis rapit, dixit si quis accipit. Fertur autem accipitres circa pullos suos impios esse. Nam dum viderint eos posse tentare volatus: nullas eis prebēt escas, sed verberant pennis & à nido præcipitant: atque à tenero compellunt ad prędam ne fortè adulti pigrescant. *Capus* Italia lingua dicitur à capiendo. Hunc nostri *falconem* vocāt, eo quòd incuruis digitis sit. *Miluus* mollis viribus & volatu, quasi mollis auis, vnde & nuncupatur, rapacissimus tamen, & semper domesticis auibus insidiatur. *Ossifragus* vulgo appellatur auis quæ ossa ab alto dimittit, & frangit. Vnde & à frangendo ossa nomē accepit. *Turtur* de voce vocatur auis pudica, & semper in montium iugis, & in desertis solitudinibus commorans. Tecta enim hominum & conuersationem fugit, & commoratur in siluis. Quæ etiam hyeme deplumata in truncis arborum concauis habitare perhibetur. Cuius contrario columba hospitia humana diligit, domorum semper blanda inhabitatrix. *Columbæ* dictæ, quòd earum colla ad singulas conuersationes colores mutent, aues māsuetæ, & in hominū multitudine conuersantes, ac sine felle, quas antiqui *Venerias* nūcupabant, eo quòd nidos frequentent, & osculo amorem concipiant. *Palumbes*, eo quòd sint fartæ, à pabulo quas vulgus titos vocant, auis casta ex moribus appellatur, quòd comes sit castitatis. Nam dicitur quòd amisso corporali consortio solitaria incedat, nec carnalem copulam vltra requirat. *Perdix* de voce nomen habet, auis dolosa atque immunda. Nam masculus in masculū consurgit & obliuiscitur sexum libido ipsa præceps. Adeò autem fraudulenta, vt alteri oua diripiens foueat: fraus fructum non habet. Denique dum pulli propriè vocem genitricis audierint, naturali quodam instinctu, hanc quæ eos fouit relinquunt, & ad eandē quæ genuit reuertūtur. *Coturnices* à sono vocis dictæ, quas Græ-

ci ὄρτυγας vocant, eo quòd primum visæ fuerint in Ortygia insula. Hę adueniendi habēt tempora. Nā æstate depulsa maria trāsmeant. *Ortygeometra* dicitur auis quæ gregem ducit, eam terræ propinquantem accipiter videns rapit, ac propterea cura est vniuersis ducem sollicitare externi generis, per quam caueant prima discrimina. Cibos gratissimos habent semina venenata, quàm ob causam veteres vesci interdixerunt. Solum enim hoc animal sicut & homo caducum patitur morbum. *Vpupam* Græci appellant, eò quòd stercora humana consideret, & fetenti pascatur fimo, auis spurcissima, cristis extātibus, galeata, semper in sepulcris & humano stercore commorans. Cuius sanguine si se quisquam inunxerit, dormitum pergens, dæmones suffocantes se videbit. *Tucos*, quos Hispani *cuculos* vocāt, à propria voce constat nominatos. Hi veniēdi tempus habent, miluorum scapulis suscepti, propter breues & paruos volatus ne per longa aeris spacia fatigati deficiant. Horum saliuæ cicadas gignunt, oua passeris nido reperta comedit & sua obiicit, quæ ille suscepta & fouet & nutrit. *Passeres* verò sunt minuta volatilia, à paruitate vocata, vnde & pusilli & parui. *Merula* antiquitus medula vocabatur, eo quòd moduletur. Alij merulam vocatam aiunt, quia sola volat, quasi mera volās. Hæc cum in omnibus locis nigra sit: in Achaia candida est. *Hirundo* dicta quòd cibos non sumat residens, sed in aere capiat escas & edat, garrula auis, & per tortuosos orbes & flexuosos circuitus peruolans, & in nidis construendis educandísque fœtibus solertissima, habens etiam quiddam præscium, quod lapsura deserat, nec appetat culmina, aliis quoque auibus non impetitur, nec vnquam præda est, maria transuolat, ibíque hieme commoratur. *Turdi* à tarditate dicti: hyemis enim cōfinio se referūt. *Turdela* quasi minor turdus, cuius stercore viscū generari putatur. Vnde & prouerbium apud antiquos erat, Malum sibi auem cacare. *Furfurio* vocatus, quòd prius farre in farinam redacto pasceretur. *Ficedulæ* dictæ quòd ficos magis edant. Quòd panditur versiculo veteri illo, Cùm me ficus alat, cùm pascar dulcibus vuis, Cur potius nomen non dedit vua mihi? *Carduelis* quòd spinis & cardibus pascitur, vnde etiam apud Græcos ἀκανθὶς dicta est, ab ἀκάνθοις, id est spinis quibus alitur. *Augures* autem dicunt & in gestu, & in motu, & in volatu, & in voce auiū signa esse constituta. *Oscines* aues vocant quæ ore cantúque auspicium faciunt, vt coruus, cornix, picus. *Alites* quę volatu ostendere futura videntur, quæ si aduersæ sunt, inhibæ dicuntur, quòd inhibeant, id est vetent: si prosperæ præpetes, & ideò præpetes, quia omnes aues priora petunt volantes. *Tertiam* faciunt speciem auguriorum in auibus quam communem vocant, ex vtroque commixtam, id est cùm aues ex *ore & volatu auguria* faciūt: sed fides non habet. ¶ Omnium autem genera volucrum bis nascuntur. Primùm enim oua gignuntur, inde calore materni corporis formantur & animantur. ¶ *Oua* autem dicta ab eo quòd sint vuida. Vnde & vua eo quod intrinsecus humore sit plena. Nam humidum est quod exterius humorem habet, vuidum quod interius. Quidam autem putant ouum Græcam habere originem nominis. Isti autem dicunt ὠὰ v litera ablata. ¶ Oua autem quædam inani vento concipiuntur: sed non sunt generabilia nisi quæ fuerint concubitu masculino concepta, & seminali spiritu penetrata. ¶ Quorum vim tantam dicunt vt lignum perfusum ouo non ardeat, ac ne vestis quidem contrà aduratur. Admixta quoque calce glutinare fertur viri fragmenta.

De minutis volatilibus. CAP. VIII.

Apes dictæ, vel quòd se pedibus inuicem alligent, vel pro eo quòd sine pedibus nascantur. Nam postea & pedes & pennas accipiunt. Hę solertes in generandi mellis officio, assignatas incolunt sedes, domicilia inenarrabili arte componunt, ex variis floribus fauum condunt, textísque ceris innumera prole castra replent, exercitum & reges habent, prælia mouent, fumum fugiunt, tumultu exasperantur. Has plerique experta sunt nasci de boum cadaueribus. Nam pro his creandis, vitulorum occisorum carne verberant, vt ex putrefacto cruore vermes nascantur, qui postea efficiūtur apes. Propriè autem *apes* vocātur ortæ de bobus, sicut *crabrones* de equis: *fuci* de mulis, *vespæ* de asinis. *Castros* Græci appellant: qui in extremis partib. fauorū maiores creantur: quos aliqui reges putant, dicti quòd castra ducant. *Fucus* est maior ape, crabrone minor. Dictus autem fucus quòd alienos labores edat, quasi focus. Depascitur enim quod non laborauit. de quo Virgilius, Ignauum fucos pecus à præsepibus arcet. *Crabrones* vocati à cabo, id est caballo, quòd ex his creentur. sicut autem crabrones nascūtur de equorum carnibus putridis: ita ex eis iterū sæpe nascuntur scarabei, vnde & cognominati sunt. *Tauri* vocātur scarabei terrestres ricino similes. *Buprestis* animal est in Italia paruum: simillimū scarabeo, longipedum. Fallit inter herbas bouem maximè. vnde & nomen habet, deuoratúmq; tacto felle ita inflāmat, vt rumpat. *Cicendula* scarabeorum genus est, eò quòd gradiens vel volans lucet. *Blattæ* à colore nuncupatæ, siquidem & comprehensæ

prehensæ manum tingunt, vnde *blatteum colorem* ducunt. Hoc autem animal lucem videre non patitur, contrarium muscæ. Nam *musca* lucipeta, & *blatta* lucifuga est. Per noctem enim tantum ambulat. *Papiliones* auiculæ sunt: quæ maximè abundant florentibus maluis, quíque vermiculos stercore suo faciunt nasci. *Locusta* quòd pedibus sit longis, veluti hasta, vnde & eam Græci tam maritimam quam terrestrem, hastago, appellãt. *Cicada* ex cuculorum nascuntur sputo, hæ in Italia apud Reginos multæ sunt, nec vsquam alibi. *Musca* ex Græco venit, sicut & mus. Hę sicut & apes necatæ in aqua, aliquoties post vnius horæ spacium reuiuiscunt. *Cinomya* Græcè vocatur, id est musca canina. Nam κύων, Græcè canis vocatur. *Culex* ab aculeo dictus, quòd sanguinem sugat. Habet enim in ore fistulam, in modum stimuli, qua carnem terebrat: vt sanguinem bibat. *Cyniphes* muscæ minutissimę sunt, sed aculeis permolestę, quibus tertia plaga superbus populus Ægyptiorum cæsus est. Oestrum animal armentis aculeis permolestum. Oestrum autem Græcum est: quod Latinè asilus, vulgo tabanus vocatur. *Bibiones* sunt qui in vino nascuntur, quos vulgò *mustiones* à musto appellant. vnde & Afranius, Cũ ad me expectas & fabulari incipis, ex ore in oculis tuis bibiones inuolant. *Gurgulio* dicitur, quia penè nihil aliud est nisi guttur.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XIII.

CAPITA LIBRI DECIMITERTII.

Præfatiuncula in librum sequentem.

IN hoc libello quasi in quadam breui tabula quasdam cæli causas, sitúsque terrarum & maris spacia annotauimus, vt in modico lector ea percurrat, & compendiosa breuitate etymologias eorum causásque cognoscat.

De mundo. Cap. I.

MVNDVS est cælum, terra, mare, & quæ in eis sunt opera Dei, de quo dicitur, Et mundus per ipsum factus est. Mundus Latinè à philosophis dicitur, quòd in sempiterno motu sit, vt cælum, sol, luna, aer, maria. Nulla enim requies eius elementis concessa est; ideóque semper in motu est. Vnde & animalia Varroni videntur elementa, quoniam per semetipsa, inquit, mouentur. Græci verò nomen *mundo* de ornamento accommodauerunt, propter diuersitatem elementorum, & pulchritudinem siderum. Appellatur enim apud eos κόσμος, quod significat ornamentum. Nihil enim mundo pulchrius oculis carnis aspicimus. ¶ *Quatuor* autem esse constat *climata mundi*, id est plagas, Orientem, Occidentem, Septentrionem & Meridiem. *Oriens* ab exortu solis nuncupatus. *Occidens* quod diem faciat occidere & interire. Abscondit enim lumen mundo & tenebras superinducit. *Septentrio* autem à se-

ptem stellis axis vocatur quæ in ipso reuolutæ rotantur. Hic propriè & vertex dicitur, eo quòd vertitur, sicut ait poeta, Vertitur interea cælum. *Meridies*, vel quia ibi sol faciat medium diem quasi medidies, vel quia tunc purius micat æther. *Merum* enim purum dicitur. ¶ *Ianuæ cæli duæ* sunt, *Oriens* & *occasus*. nam vna porta sol procedit, alia se recipit. ¶ *Cardines* autem *mundi* duo, *septentrio* & *meridies*, in ipsis enim voluitur cælum.

De atomis. CAP. II.

ATomos philosophi vocant quasdam in mundo corporum partes tam minutissimas, vt nec visui pateant, nec τομὴν, id est sectionem recipiant, vnde & ἄτομοι dicti sunt. Hi per inane totius mundi irrequietis motibus volitare, & huc atque illuc ferri dicuntur, sicut tenuissimi pulueres, qui infusi per fenestras radiis solis videntur, ex iis arbores & herbas & fruges omnes oriri, & ex iis ignẽ & aquam, & vniuersa gigni atque constare quidam philosophi gentium putauerunt. Sũt autem *atomi* aut *in corpore*: aut *in tempore*, aut *in numero*: aut *in litera*. *In corpore* vt lapis. Diuides eum in partes & partes ipsas diuides in grana, veluti sunt arenæ, rursúmque ipsa arenæ grana diuide in minutissimum puluerem: donec si possis peruenias ad aliquam minutiam quæ iam non sit quæ diuidi vel secari possit. Hoc est atomus in corporibus. *In tempore* verò, sic intelligitur atomus. Annum verbi gratia diuides in mẽses: menses, in hebdomadas, hebdomadas in dies: dies, in horas, adhuc partes horarum admittunt diuisionẽ quousque peruenias ad tantùm temporis punctum, & quandam momenti stillam, vt per nullam morulam produci possit, & ideo iam diuidi non potest, hoc est atomus temporis. *In numeris*, vtputa octo diuiduntur in quatuor: rursum quatuor in duo: deinde duo in vnum. Vnus autem atomus est, quia insecabilis est, sic & in litera. nam orationem diuidit in verba: verba autem in syllabas: syllabam autem in literas. Litera pars minima atomus est: nec diuidi potest. *Atomus* ergo est, quod diuidi non potest, vt punctus in geometria. Nam τομὴ Græcè sectio dicitur, ἄτομον, quod secari nequit.

De elementis. CAP. III.

YΛην Græci rerum quandam primam materiam dicunt: nullo prorsus modo formatam, sed omnium corporalium formarum capacem, ex qua visibilia hæc elementa sunt. vnde & ex eius deriuatione vocabulum acceperunt. Hanc ὕλην Latini materiam appellauerunt, ideo quia omne informe vnde aliquid faciendum est semper materia nuncupatur. Proinde & eam poetæ *syluam* nominauerunt. Nec incongruè, quia materiæ syluarum sunt. Græci autem elemen ta στοιχεῖα nuncupant, eo quòd sibi societatis concordia & communione quadam conueniant. Nam sic ea inter se naturali quadam ratione iuncta dicuntur, vt modò originem ab igne repetentes vsque ad terram, modò à terra vsque ad ignem, vt ignis quidem in aera desinat, aer in aqua densetur, aqua in terram crassescat, rursúsque terra diluatur in aquam, aqua arescat in aerem, aer in ignem extenuetur. Quapropter omnia elementa omnibus constat inesse: sed vnum quodque eorum ex eo quod amplius habet accepisse vocabulum. ¶ Sunt autem diuina prouidentia propriis animantibus distributa, nam cælum angelis, aerem volucribus, mare piscibus, terram hominibus, cæterísque animantibus creator ipse impleuit.

De cælo. CAP. IV.

COelum vocatum est, eo quòd tanquam cælatum vas impressa lumina habeat stellarum veluti signa. Nam *cælatum* dicitur vas quod signis eminentioribus refulget: distinxit enim eum Deus claris luminibus, & impleuit: solis scilicet & lunæ orbe fulgenti & astrorum micantium splendentibus signis, adornauit. Alias autem à superiore cælando. Hoc autem Græcè οὐρανὸς dicitur ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν, id est à videndo, eo quòd aer perspicuus sit, & ad speculandum purior. Cælum autem in Scripturis sanctis ideo *firmamentum* vocatur, quòd sit cursu siderum & ratis legibus fixisque firmatum. Interdum & *cælum* pro *aere* accipitur, vbi venti & nubes, procellę & turbines fiunt. Lucretius, Cœlum quod dicitur aer. Et Psalmus Volucres cæli appellat: cùm manifestum sit aues in aere volare: & nos in consuetudine hunc aerem cœlum appellamus, nam cùm de sereno vel nubilo quærimus, aliquando dicimus: qualis est aer? aliquando, quale est cœlum.

De partibus cœli. CAP. V.

AEther locus est in quo sidera sunt, & significat eum ignem, quia toto mundo in alterum separatus est. Sanè æther est ipsum elementum: αἴθρα verò splendor ætheris, & est sermo Græcus. *Sphæra* cœli dicta, eo quòd species eius in rotundum formata sit: sed & quicquid tale est à volubilitate Sphæra à Gręcis dicitur, sicut & pilæ quibus ludunt infantes. Nam philosophi dicunt cœlum in Sphæræ figuram vndique esse conuexum: omni

omnibus partibus æquale, concludēs terram in media mundi mole libratam. Hoc moueri dicunt, & motu eius sidera in eo fixa ab oriente vsque ad occidentem circuire, septentrionibus breuiores giros iuxta cardinem peragentibus. *Axis* est septentrionis linea recta, quæ per mediam pilam Sphæræ tendit, & dicta axis, quòd in eo Sphæra vt rota voluitur, vel quia ibi plaustrum est. *Cardines* extremæ partes sunt axis, & dicti cardines, eo quòd per eos vertitur cœlum. *Poli* sunt circuli qui currunt per axem. Horū alter est *septentrionalis*, qui nūquam occidit, appellatúrque *Boreus*: alter *australis* qui nūquam videtur, & *austronothus* dicitur. & dicti *poli* quòd sint axium circuli ex vsu plaustrorum, à poliendo scilicet nominati, sed polus Boreus semper videtur: Austronothus nunquam: quia dextra cœli altiora sunt, pressa Austri. *Cōuexa* extrema cœli sunt, à curuitate dicta. Nam conuexum curuum est & inclinatum, & in modū circuli flexum. *Lacteus circulus* via est quæ in Sphæra videtur, à candore dicta, quia alba est: quam aliqui dicunt viam esse quam circuit sol, & ex splendoris ipsius transitu ita lucere.

De circulis cæli. CAP. VI.

HAbitatio ista *circulorum* distincta *Zonis*, quasdam partes temperie sua incolere permittit, quasdam negauit, enormitate frigoris aut caloris. *Zonæ* autem ipsę quinque sunt, quæ ideo zonæ vel circuli appellantur, eo quòd in circumductione Sphærę existūt. Quorū *primus circulus* ideo *arcticus* appellatur, eo quod inter eum Arcturi signa inclusa perspiciuntur, quæ à nobis in vrsarum speciem ficta septentriones appellantur. *Secundus circulus* ex eo τροπικὸς θερινὸς dicitur, quia in eo circulo sol aquilonis finibus æstatem faciens vltra eū circulum non transit, sed statim reuertitur, & inde tropicus appellatur. *Tertius circulus* ἰσημερινὸς, qui à Latinis ideo æquinoctialis appellatur, eo quòd sol cùm ad eum orbem peruenerit, æquinoctium facit: ἡμέρα enim Latinè dies dicitur atque nox quo circulo dimidia sphæræ pars constituta prospicitur. *Quartus circulus* antarcticus vocatur: eo quòd contrarius sit circulo quem arcticon nominamus. *Quintus circulus* χειμερινὸς τροπικὸς: qui à Latinis hiemalis siue brumalis appellatur, ideo quia cùm sol ad eum circulum peruenit, hiemem iis qui ad Aquilonem sunt facit, æstatem autem iis, qui in Austri partibus cōmorantur. *Zodiacus autem circulus est*, qui duodecim continet signa, ἀπὸ τῶν ζώων, id est ab animalibus, ita dictus.

De aere & nube. CAP. VII.

AEr est inanitas plurimum habēs admixtum raritatis quàm cætera elementa, de quo Virgilius, Longum per inane secutus. Aer dictus ἀπὸ τοῦ αἴρειν, ab eo quòd ferat terrā, vel ab eo quòd feratur. Hic autem partim ad cælestem, partim ad terrenam materiam pertinet. Nam ille subtilis, vbi ventosi ac procellosi motus non possunt existere, ad cœlestem pertinet partem, iste verò turbulentior, qui exhalationibus humidis corporescit, terrę deputatur, quique ex se multas species reddit. nam commotus ventos facit, vehementius concitatus, ignes & tonitrua: contractus, nubila: conspissatus, pluuiam: congelantibus nubibus niuem: turbulentius congelantibus densioribus nubibus, grandinem: distentus, serenum efficit. nam *aerem densum* nubem esse constat: *nubem rarefactam & solutam*, aerem: *Nubes* dictę ab obnubendo, id est operiendo cœlum, vnde & *nupta* quòd vultus suos velēt, vnde & *Neptunus* quòd nubat, id est mare & terram tegat. *Nubes* autem aeris densitas facit. *Venti* enim aerem conglobant, nubémque faciunt, vnde est illud, Atque in nubem cogitur aer.

De tonitruo. CAP. VIII.

TOnitruum dictum quòd sonus eius terreat. nam tonus, sonus. Qui ideo interdum tam grauiter concutit omnia, ita vt cœlū discidisse videatur, quia cùm procella vehementissimi venti nubibus se repēte immiserit: turbine inualescente, exitúmque quærente: nubē quam excauauit impetu magno proscindit, ac sic cum horrendo fragore defertur ad aures. Quòd mirari quis nō debet, cum vesicula quamuis parua, magnum tamē sonitum displosa emittat. Cum tonitruo aurē simul & *fulgura* exprimit; sed illud celerius videtur, quia clarum est: hoc autem ad aures tardius peruenit. Lux autem quæ apparet ante tonitruum, alibi *fulgor* vocatur. Quæ vt diximus, ideo ante videtur, quia clarum est lumen, tonitruum autem ad aures tardius peruenit.

De fulminibus. CAP. IX.

FVlgur & *fulmen* ictus cœlestis iaculi à feriendo dicti. *Fulgere* enim ferire est ac percutere. *Fulmina* autem collisa nubila faciunt, nam omnium ictū collisio ignē creat, vt in lapidibus cernimus, vel attritu rotarum, vel in filuis arborū: simili modo in nubibus ignis, vnde & prius nubila sunt, deinde ignes, Ex vento autem & igne fulmina certum est in nubibus fieri & impulsu ventorum emitti. Ideo autem fulminis ignē vim habere maiorem ad penetrandum, quia subtilioribus elementis factus est, quàm noster, id est qui nobis in vsu est. Tria sunt autem eius nomina, fulgur, fulgor, & fulmen. *Fulgur*, quia tangit:

fulgor, quia incendit & vrit: *fulmen*, quia findit, ideo & cùm trinis radiis pinguntur.

De arcu & nubium affectibus.

CAP. X.

ARcus *cœlestis* dictus à similitudine curuati arcus. *Iris* huic propriũ nomen est. Et dicitur iris quasi aeris, id est quòd per aerem ad terras descendit. Hic autem à sole resplendet dum cauæ nubes ex aduerso radium solis accipiunt, & arcus speciem fingunt, cui varios colores illa dat res, quia aqua tenuis, aer lucidus, & nubes caligantes irradiata ista varios creãt colores. *Pluuiæ* dictæ, quòd fluãt quasi fluuiæ. Nascuntur enim de terræ & maris anhelitu, quæ, cùm altius eleuatæ fuerint, aut solis calore resolutæ, aut vi ventorũ cõpressæ stillantur in terris. *Nimbus* est densitas nubis intempesta & obscura, & inde nimbus à nube. Sunt autem nimbi repentinę & præcipites pluuiæ. nam pluuias vocamus lentas & iuges quasi fluuias, & quasi fluentes. *Imbres* autẽ & ad nubes & ad pluuias pertinent: dicti à Græco vocabulo quòd terram inebrient ad germinandum. Ex his enim cuncta creantur. vnde & Lucretius, Ex igni terra atque anima nascuntur & imbri. est autem nomen Græcum. *Grando* appellata, quòd forma eius granorum similitudinem habeat. Hæc autem ventorum rigore durantur in nube, ac solidantur in niuem, ruptóque aere soluuntur. *Nix* à nube vnde venit. *Glacies* à gelu & aqua quasi gelacies, id est gelata aqua. *Gelu* autem quòd eo stringatur tellus. γῆ quippe terra dicitur. Tunc autem maiori gelu stringitur terra, cùm fuerit nox serena. *Pruina* est matutini temporis frigus: quòd inde pruinæ nomẽ accepit, quia sicut ignis vrit. πῦρ enim ignis, vrere verò & ad solem & ad frigus pertinet. Nam vno sermone duo diuersa significantur, pro eo quòd vnum effectum habent. Similis enim est vis & caloris & frigoris, vnde & vtraque saxa rumpunt. Nam & calor vrit vt est, Vritur infœlix Dido. Item frigus vrit vt est, Aut boreæ penetrabile frigus adurat. *Ros* Græcum est quod illi δρόσος dicunt. Alij ros putant dictũ, quia rarus est nõ spissus, vt pluuia. *Nebula* inde dicta, vnde & nubila, ab obnubendo, hoc est operiendo terram, siue quòd nubes volans faciat. Exhalãt enim valles humidæ nebulas & fiunt nubes, inde nubilum, inde niues. Nebulæ autem ima petũt cùm serenitas est, summa, cùm nubilum. *Caligo* vmbra est de spissitudine aeris effecta. Et dicta caligo, quòd maximè aeris calore gignatur. *Tenebræ* dicũtur quòd teneant vmbras. Nihil enim sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicũtur: sicut silentium non aliqua res est: sed vbi sonus non est, silentium dicitur; sic tenebræ non aliquid sunt: sed vbi lux non est, tenebræ dicuntur. *Vmbra* est aer carens sole. dictum autem quòd fiat cùm solis obiicimur radiis. Est autẽ mobilis & certa, & ex solis circuitu, & ex motu ventorum. Nanque quoties mouetur in sole, nobiscum moueri videtur: quia vbi quoquo loco à radiis solis obsistimus, proinde illi lumen auferimus. sicque ingredi nobiscum vmbra, & gestus nostros videtur imitari. *Lux* ipsa substantia: lumen quod à luce manat, id est candor lucis. sed hoc confundunt autores.

De ventis. CAP. XI.

VEntus aer commotus & agitatus: & pro diuersis partibus cœli, nomina sortitur diuersa. dicitur autem ventus, quòd sit vehemens & violentus. Vis enim eius tanta est, vt non solùm saxa & arbores euellat, sed etiã cęlum terrámque conturbet, maria commoueat. *Ventorũ quatuor principales spiritus* sũt. Quorum primus ab oriente *Subsolanus*, à meridie *Auster*, ab occidente *Fauonius*, à septentrione *eiusdem nominis ventus* aspirat habens geminos hinc inde ventorum spiritus. *Subsolanus* à latere dextro *Vulturnũ* habet, à lęuo *Eurum*, *Auster* à dextris *Euroaustrũ*, à sinistris *Austroafricũ*, *Fauonius* à parte dextra *Africũ*, à læua *Corũ*. Porro *Septentrio* à dextris *Circiũ*, à sinistris *Aquilonem*. Hi duodecim vẽti mũdi globum flatibus circumagunt. Quorũ nomina propriis ex causis signata sunt. Nam *Subsolanus* ventus, eo quòd sub ortu solis nascatur. *Eurus*, eo quòd ab Eoo flat: id est ab oriente. Est enim *Subsolano* coniũctus. *Vulturnus*, quòd altè tonat: de quo Lucretius, Altitonans Vulturnus & Auster fulmine pollens. *Auster* ab hauriendo aquas vocatus, vnde & crassum aerẽ facit, & nubila nutrit. Hic Græcè νότος appellatur, propter quod interdũ corrumpat aerem. Nam pestilentiã quæ ex corrupto aere nascitur, Auster flans in reliquas regiones transmittit: sed sicut Auster pestilẽtiam gignit, sic Aquilo repellit. *Euroauster* dictus, quòd ex vna parte habeat Eurũ: ex altera Austrum. *Austroafricus*: quòd iunctus sit hinc inde Austro & Africo. Ipse & *Libanotus*, quòd sit ei Libs hinc & inde Notus. *Zephirus* Græco nomine appellatus, eo quòd flores & germina eius flatu viuificentur. Hic Latinè *Fauonius* dicitur propter quòd foueat quæ nascuntur. vnde est illud, Et zephiro putris se gleba resoluit. Austro autem flores soluũtur, zephiro fiunt. *Africus* à propria regione vocatus. In Africa enim initiũ flandi sumit. *Corus* est qui ab occidente æstiuo flat. & vocatur Corus, quòd ipse ventorum circulũ claudat, & quasi chorum facit. Hic antea *Caurus* dictus, quem pleriq; *Argesten* dicunt, non vt imprudẽs vulgus *Agreste*. *Septentrio* dictus, eo ꝙ à circulo septẽ stellarũ consurgit: quæ vertẽte se mũdo resupinato capite ferri vidẽtur. *Circius* dictus, eo quòd Coro sit iũctus. Hunc Hispa-

Hispa-

Hispani *Gallicum* vocant, propter quòd eis à parte Galliæ flat. *Aquilo* dictus, eo quòd aquas stringat & nubes dissipet. Est enim gelidus ventus & siccus. Idem & Boreas, qui ab Hyperboreis montibus flat. Vnde enim origo eiusdem venti est, vnde & frigidus. Natura enim omnium septentrionalium ventorũ frigida & sicca est: australium humida & calida. ¶ Ex omnibus autem ventis duo cardinales sunt, *Septentrio* & *Auster*. ¶ *Etesiæ* autem flabra Aquilonis sunt, quibus nomen inditũ est, quod certo anni tẽpore flatus agere incipiũt. ἐνιαυτὸς enim Græce, annus Latinè dicitur. Hæc autem cursum rectum à Borea in Ægyptum ferunt: quibus Auster contrarius est. ¶ *Duo sunt* autem extra hos vbique *spiritus magis quàm venti*, aura & altanus. *Aura* ab aere dicta, quasi aerea, quòd lenis sit motus aeris. Agitatus enim aer auram facit, vnde & Lucretius: Aereas auras. *Altanus* qui in pelago est per deriuationem ab alto, id est mari vocatus. Nam altus est flatus in ripis quem diximus auram. Nam aura terræ est. ¶ *Turbo* est volubilitas vẽtorum, & turbo dictus à terra quoties ventus consurgit, & terram in circuitum mittit. *Tempestas* aut pro tempore dicitur, sicut vbique historiographi solent, dum dicunt, ea tempestate: aut ab statu cæli, quia magnitudine sui multis diebus oritur. Verno autem & autumnali tempore quàm maximæ fiunt tempestates; quando nec plena est æstas, nec plena hyems: vnde medium & confine vtriusque tẽporis ex coniunctione aerum contrariorum efficiuntur tempestates, *Fragor* à fractarum rerum nominatus est sonitu: quia sicca quæque & arida frangit facilè. *Procella* ab eo quòd percellat, id est percutiat & euellat. Est enim vis venti cum pluuia. Procellæ enim aut aut de fluminibus aut de ventis fiunt. Nihil autem velocius ventis. vnde & propter celeritatem tam ventos quam fulmina alata fingunt poetæ, vt Alatis viribus Austri.

De aquis. CAP. XII.

AQua dicta quòd superficies eius ęqualis sit. Hinc & æquor appellatum, quia æqualiter sursum est. ¶ Duo autem sunt validissima vitæ humanæ elementa ignis & aqua. vnde grauiter damnantur quibus ignis & aqua interdicitur. ¶ Aquarum elementum cæteris omnibus imperat. Aquæ enim cælum temperant, terram fecundant, aerem exhalationibus suis incorporant, scandunt in sublime, & cælum sibi vendicant: quid enim mirabilius aquis in celo stantibus? Parum sit in tantam peruenisse altitudinem: rapiunt & secum piscium examina: effusæ, omniũ in terra nascentium causa fiunt. Fruges gignunt, arbores frutices herbásque producunt, sordes detergunt, peccata abluunt, potum cunctis animantibus tribuunt.

De diuersitate aquarum. CAP. XIII.

AQuarum natura multa est diuersitas. Aliæ enim *salis*, aliæ *nitri*, aliæ *aluminis*, aliæ *sulphuris*, aliç *bituminis*, aliç *curam morborum adhibentes*. Nam iuxta Romam Albulæ aquæ *vulneribus medentur*. In Italia fons Cicer, *oculorum vulnera* curat. In Æthiopia lacus est quo perfusa *corpora velut oleo nitescũt*. Zamæ fons in Africa, *canoras voces facit*. Ex Clitorio lacu Italiæ qui biberint, vini tædiũ habent. In Chio insula fontem esse dicũt, *quo hebetes fiunt*. In Bœotia duo fontes alter *memoriam*: alter *obliuionem affert*. Cizici fõs, *amorẽ Veneris tollit*. Bœotiæ lacus furialis est: de quo qui biberit *ardore libidinis exardescit*. In Campania sunt aquæ, quæ *sterilitatem feminarum*, & virorum *insaniam abolere* dicitur. In Æthiopiæ fonte rubro qui biberit *lymphaticus fit*. Lechnus fons Arcadiæ *abortus fieri non patitur*. In Sicilia fontes sunt duo, quorum vnus *sterilem fœcundat*: alter *fœcundam sterilem faciat*. In Thessalia duo sunt flumina: ex vno bibentes *oues nigras fieri* ferunt: ex altero *albas*, ex vtroque *varias*. Clitumnus lacus in Vmbria *maximos boues gignit*. Reatinis paludibus *iumentorum vngulas indurari* dicunt. In Asphaltite lacu Iudææ *nihil mergi potest* quicquã animã habens. In India Siden vocatur stagnũ, in quo *nihil innatat, sed omnia mergũtur*. At contrà in Alce lacu per Porcidamum *omnia fluitant, nihil mergitur*. Marsidæ fons in Phrygia *saxa generat*. In Achaia aqua profluit è saxis Stix appellata, quòd ilico *potata interficit*. Celonum stagnũ Siciliæ *tetro odore abigit proximantes*. Fõs est in Africa circa templũ Ammonis qui *humoris nexibus humũ stringit. Fauillas etiã in cespitẽ solidat*. Fons Iob in Idumęa *quater in anno colorẽ mutasse dicitur*, id est puluerulentum, sanguineum, viridem, & limpidum trinis mensibus in anno tenẽs ex his vnum colorem. In Troglodytis lacus est, *ter in die fit amarus* & *deinde toties dulcis*. Fõs Siloa ad radicẽ mõtis Siõ: non iugibus aquis, sed *incertis horis diebúsque ebullit*. In Iudæa quondã riuus *sabbatis omnibus siccabatur*. In Sardinia fontes calidi *oculis medentur: fures arguunt*. Nã cæcitate detegitur eorum facinus. In Epiro esse ferũt fontẽ, in quo *faces extinguuntur accẽsæ: & accẽduntur extinctæ*. Apud Garamãtes fontẽ esse aiũt ita *algentem die*, vt non bibatur: ita *ardentem nocte*, vt non tangatur. Iã verò in multis locis aquæ manant perpetim *feruentes*, tanta vi vt balnea calefaciant. Quædam enim terrç sunt quæ multum sulphuris & aluminis habent: Itaque cùm per venas calentes aqua frigida venit vicino sulphuris calore cõtacta excandescit: nec talis ab origine effluit, sed permutatur dum venit. Sulphur enim aluménque

ſecum ferunt aquæ, vtranque materiam igne plenam mariſque motibus incaleſcentem.

De maris nomine. Cap. XIV.

MAre eſt aquarum generalis collectio, Omnis enim congregatio aquarum ſiue ſalſę ſint, ſiue dulces, abuſiuè maria nuncupantur, iuxta illud, Et congregationes aquarum vocauit maria. Propriè autem *mare* appellatum: eo quòd aquæ eius amaræ ſint. *Æquor* autem vocatum, quia æqualiter ſurſum eſt: & quamuis aquæ fluctuantes velut montes erigantur: ſedatis rurſus tempeſtatibus adæquantur. Altitudo enim maris diuerſa eſt: indiſcreta tamen dorſi eius æqualitas. Ideo autem mare incrementum non capere, cùm omnia flumina & omnes fontes recipiat, hęc cauſa eſt: partim, quòd influentes vndas ipſa magnitudo eius nõ ſentiat; deinde quòd amara aqua dulce fluentum conſumat, vel quòd ipſæ nubes multum aquarum ad ſe attrahant, ſiue quòd illam partim venti auferãt, partim ſol exſiccet, poſtremum quòd per occulta quædam terræ foramina percolatur, & ad caput omnium fonteſque reuolutum recurrat: Maris autem certum non eſſe colorem: ſed pro qualitate vẽtorum mutari. Nam modò flauum eſt, modò luculentum, modò atrum.

De Oceano. Cap. XV.

OCeanum Græci & Latini ideo nominant eo, quòd in circuli modo ambiat orbẽ: ſiue à celeritate, eo quòd ocyus currat. Item quia vt cælum purpureo colore nitet. Oceanus quaſi ὠκεανός. Iſte eſt qui oras terrarum amplectitur, alterniſque æſtibus accedit atque recedit. Reſpirantibus enim in profundum ventis aut remouet maria, aut reſorbet. Quique à proximis regionibus diuerſa vocabula ſumpſit: vt Gallicus, Germanicus, Scythicus, Caſpius, Hircanus, Athlanticus, Gaditanus. Nam *Gaditanum fretum* à Gadibus dictum vbi primò ab Oceano maris magni limen aperitur. Vnde & Hercules cùm Gadibus perueniſſet, columnas ibi poſuit, ſperans illic eſſe orbis terrarum finem.

De mediterraneo mari. Cap. XVI.

MAre *magnum* eſt quod ab occaſu ex Oceano fluit, & in meridiem vergit, deinde ad ſeptentrionem tendit. Quòd inde magnum appellatur, quia cætera maria in comparatione eius minora ſunt. Iſtud eſt *mediterraneum*: quia per mediam terram vſque ad orientem perfunditur, Europam & Africam Aſiámque diſterminans: Cuius primæ partis ſinus, qui Hiſpaniis perfunditur, *Ibericus & Balearicus* appellatur. Deinde *Gallicus*, qui Narbonenſem prouinciam alluit. Mox *Liguſticus*, qui iuxta Genuam vrbem eſt proximu. Poſt hæc *Tyrrhenus* qui Italiam attingit. quem Græci Ionium, Itali inferum vocant. Deinde *Siculus*, qui à Sicilia vſque ad Cretam vadit. Deinde *Creticus*, qui in Pamphiliam & Ægyptum pertendit. Inde *Helleſpontus*, qui in ſeptentrionem retorquens anfractibus magnis iuxta Græcias & Illyricum in anguſtias ſeptem ſtadiorum ſtringitur: quo Xerxes ponte nauibus facto in Græciam commeauit. ibi eſt Abydos. Inde diffuſus ab æquore patente rurſus ſtringitur & facit *Propontidem*, qui mox in quingentos paſſus coarctatur, fitque *Boſphorus Thracius*, quo Darius copias traſportauit. Inde Ponticus ſinus ampliſſimus à tergo *Meotidis paludis*, quod mare ex multitudine fluminum dulcius quàm cætera, nebuloſúmque & breuius eſt, vnde & *Ponticum vocatum*: quòd ſit breuius, atque præter phocas & thymos atque delphinos, alias belluas maiores non patitur. ¶Sicut autem terra dum vna ſit, pro diuerſis locis variis appellatur vocabulis: ita & pro regionibus hoc mare magnum diuerſis nominibus nuncupatur. Nam Ibericum & Aſiaticum *à prouinciis* dictum: *ab inſulis*, Balearicum, Siculum, Creticum, Cyprium Ægeum, Carpatiũ. Nam inter Tenedum & Chium, ſaxum eſt in mari potius quàm in inſula, quod vi[?]entibus procul capræ ſimile creditur, quam αἶγα nuncupant, vnde & Ægeum mare eſt dictum, ſic & Carpatium mare inter Ægyptum & Rhodum ab inſula Carpatho illic poſita. *A gentibus* Gallicum, Auſonium, Dalmaticum, Liguſticum. Ab oppidis Argolicon, Corinthium, Tyrium, Adriaticum. Nã Adria quædam ciuitas Illyrico mari proxima fuit, quæ Adriatico mari nomen dedit. *A poſitione cæli*, vt ſuperum & inferum, quòd ſit oriens ſuperior, occidens inferior. Eſt autem Tuſcum & Adriaticum. *A memoria regis*, vt Ionium. Io quippe rex fuit Græciæ, vnde Iones Athenienſes. Hoc mare & Tyrrhenum dictum: ſiue quòd Tuſcia aliquid eſt Tyrrhenum, ſiue à Tyrrhenis nautis qui ſe in hoc mare præcipitauerunt. Et ſciendum Ionium ſinum eſſe immenſum, ab Ionia vſque ad Siciliam, & huius partes eſſe Adriaticum, Achaicum & Epiroticum, *A moribus accolarum*, alibi Euxinus, Axenus antea appellatus eſt. *A caſibus hominum* qui ceciderunt in mari, vt Helleſponticũ, Icarium, Myrteum. Nã Myrteum mare dictum à Myrtili lapſu, quòd illic ab Oenomao præcipitatus ſit. Icarus verò Cretenſis, vt fabulæ ferunt, altiora petens, pennis ſolis calore ſolutis mari in quo cecidit nomẽ impoſuit. Frixus quoque, cum Helle ſorore ſua fu-

sua fugiens insidias nouercales, conscendit nauem signum arietis habentem, qua liberatus est. Helles autem soror eius perpessa naufragium decidit in mare, & mortua Hellesponto mari nomen dedit. *Ab ordine* fluenta Propontidis. Nam dictũ Propontum, quia pontum præuenit. Idem & à *transitu vel angustis meatibus boum* Bosphorus. Ægyptium autem pelagus Asiæ datur, Gallicum Europæ, Africum Libyæ. His vt quæque proxima sunt, venerunt in partes. *Pelagus*, autem est latitudo maris sine littore & portu. Græco nomine ἀπὸ τῦ πλαγίε, hoc à latitudine dictũ, vnde & plagia, eo quòd sint importuosa.

De finibus maris. CAP. XVII.

Sinus, dicuntur maiores recessus maris, vt in mari magno *Ionius*: in Oceano, *Caspius*, *Indicus*, *Persicus*, *Arabicus*, qui & *mare rubrũ*, qui Oceano inscribitur. *Rubrum* autem *mare* vocatum, eo quòd sit roseis vndis infectum: non talem naturam habet, qualem videtur ostendere, sed vicinis littoribus vitiatur gurges atque inficitur, quia omnis terra quę circumstat pelago rubra est & sanguineo colori proxima. Ideóque inde minium acutissimum excerpitur, & alij colores quibus pictura variatur. Ergo cùm terra habeat hanc naturam: fluctibus subinde diluitur, & quicquid adhæsum est, in colorem cadit. Ob hoc etiam in iis littoribus gemmæ rubræ inueniuntur. Lapillus enim huiusmodi humo inuolutus cùm inter arenas attritus est, & terræ colorem habet & maris. Hoc mare in duos scinditur sinus. Ex iis qui ab oriente est *Persicus* appellatur, quia ora illius Persæ inhabitant. Alter verò *Arabicus* dicitur, quòd sit circa Arabiam.

De æstibus & fretis. CAP. XVIII.

Æstus, ad Oceanum pertinet: fretum ad vtrumque mare. Nam æstus est maris accessus vel recessus, id est inquietudo, vnde & æstuaria per quæ mare vicissim tam accedit quàm recedit. *Fretum* autem appellatum, quòd ibi semper mare ferueat. Nam fretum est angustum & quasi feruens mare, ab vndarum feruore nominatum, vt Gaditanum vel Siculum. Nam freta dicta Varro ait, quasi feruentia, & motum feruoris habentia. *Fretum Siciliæ* quod Rhegium dicitur. Salustius ex tali causà vocari scribit dicens, Italiæ olim Siciliam coniunctam fuisse, & dum esset vna tellus, medium spacium aut per humiditatem abruptum est aquis, aut per angustiam scissum. Et inde ῥήγιον nominatum, quia Græcè abruptum hoc nomine nuncupatur. Est autẽ arctissimum trium millium spatio Siciliam ab Italia diuidens, fabulosis infame mõstris, quibus hinc inde Scilla & Charibdis ostenditur. *Scillam* accolæ saxum in mari imminens appellant, simile celebratæ formę procul visentibus. Vnde & monstruosam speciẽ fabulæ illi dederunt, quasi formam hominis, capitibus succinctam caninis, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere. *Charibdis* dicta, quòd gurgitibus occultis naues absorbeat. Est enim mare verticosum, & inde ibi laniata naufragia profundo emergunt. Ter autem in die erigit fluctus, & ter absorbet. Nam accipit aquas, vt vomat: vomit, vt rursus accipiat. *Sirtes* autem sunt onerosa in mari loca. Sirtes autem Salustius à tractu vocari dicit, quod omnia ad se trahant, & appropinquantes vadoso mari hæreant. Hæ autem ad mare Ægyptium vicinæ sunt, & pariter admiscentur. *Vada* verò sunt per quæ in mari vel in fluminibus homines vel animalia pedibus vadant: quæ Virgilius Breuia appellat, Græci βραχέα.

De lacis & stagnis. CAP. XIX.

Sunt & quædam maria quæ non miscentur Oceani fluctibus aut mari magno, & dicũtur lacus & stagna. *Lacus*, est receptaculum in quo aqua retinetur, nec miscetur fluctibus vt lacus Asphalti, lacus Benacus & Larius, & cæteri quos Græci λιμνας, id est stagna vocãt. Nam fontes labuntur in fluuiis: flumina in freta discurrunt. Lacus stat in loco, nec profluit. Et dictus lacus quasi aquæ locus. *Lacus Asphaltites*, idem & mare mortuum vocatũ, propter quod nihil gignit viuum, nihil recipit ex genere viuentium. Nam neque pisces habet, neque assuetas aquis & lætas mergẽdi vsu patitur aues: sed & quæcunque viuentia mergenda tentaueris: quacunque arte dimersa statim resiliunt: & quamuis vehementer illisa confestim excutiuntur: sed neq; ventis mouetur resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur. neque nauigationis patiẽs est, quia omnia vita carẽtia in profundũ mergũtur: nec materiã vllam sustinet, nisi quæ bitumine illustratur. Lucernã accensam ferunt supernatare: extincto lumine demergi. Hoc & mare Salinarũ dicitur, siue lacus Asphalti, id est, bituminis, & est in Iudęa inter Hierico & Zoaran. Longitudo vsque ad Zoaras Arabiæ, dirigitur stadiis septingẽtis octoginta: latitudo stadiis centũ quinquaginta vsque ad vicinia Sodomorũ. *Lacus Tiberiadis*, ab oppido Tiberiade vocatus, quod quondã Herodes in honorẽ Tiberij Cæsaris condidit. Est autem in Iudæa omnibus lacis salubrior, & ad sanitatem corporum quodammodo efficacior. *Genesar lacus*, amplissimus in Iudæa longitudine centum quadraginta extenditur stadiis, latitudine quadraginta diffundi-

tur, crispantibus aquis: auram non ventis, sed de seipso sibi excreans. Vnde & Genesar dicitur Græco vocabulo, quasi generans sibi auram. denique per diffusiora spatia lacus frequentibus auris spirantibus agitatur. Vnde & purior haustus eius, & ad potandum dulcis & habilis. *Benacus lacus*, Italiæ in Venetia, de quo fluuius nascitur Mincius, qui lacus magnitudine sui tempestates imitatur marinas. *Lucrinus* & *Auernus lacus* Campaniæ sunt. *Lucrinus* autem dictus, quia olim propter copiam piscium vectigalia magna præstabat. *Auernus* autem lacus vocatus, quia aues ibi superuolitare non possent. Nam antea siluarum densitate sic ambiebatur, vt exhalantis inde per angustias aquæ sulphureæ fetor grauissimus superuolantes aues halitu suo necaret. Quam rem Augustus Cæsar intelligens, deiectis siluis ex pestilentibus amœna reddidit loca. Lacus autem idem & *stagnum* vbi immensa aqua conuenit. Nam dictum est stagnū, ab eo quòd illic aqua stet, nec decurrat.

De abysso. CAP. XX.

ABySSVS, profunditas aquarum impenetrabilis: siue speluncæ aquarū latentium, de quibus fontes & flumina procedunt, vel quæ occultè subtereunt. vnde & abyssus dictus. Nam omnes aquas siue torrentes per occultas venas ad matricem abyssum reuertuntur. *Fluctus*, dicti quòd flatibus fiant. Ventorum enim impulsu agitatæ aquæ fluctuant. *Aqua*, est statiua & sine motu æqualis. *Vnda* verò eminens liquor, qui semper in motu est. Lucretius, *Aerias vndas*, id est motus, & corpus illud quod resfluctuat. Nam nec vnda per se aqua est: sed aqua in motu quodam & agitatione quasi abeundo & redeundo vnda vocata. *Latex* propriè liquor fontis est. Et dictus latex quòd in venis terræ lateat. *Gutta*, est quæ stat: stilla, quæ cadit. Hinc & stillicidiū, quasi stilla cadens. *Stiria* enim Græcum est, id est gutta, inde fit diminutiuum, vt dicimus stilla: dum autem stat aut pendet de tectis vel arboribus, quasi glutinosa est: dum ceciderit, stilla est. *Spuma* dicta eo quòd spuatur. sordes enim sunt vndarum. vnde & multum, & ea quæ coguntur spuma purgantur. Hinc & sputum.

De fluminibus. CAP. XXI.

FLuuius, est perennis aquarum decursus, à fluendo perpetim dictus. Propriè autem *flumen* ipsa aqua *fluuius* cursus aquæ. Prius autem flumē quàm fluuius, id est, prior aqua quàm decursus. *Duo sunt fluminum genera*: vnū *torrens*: alterū *viuū*, de quo Virgilius, donec me flumine viuo, Abluero —. *Torrens*, est aqua veniens cum impetu. Dictus autem torrens, quia pluuia crescit, siccitate torrescit, id est, arescit, de quo Pacuuius, Flammeo vapore torrens torret. Cui Greci ab hyeme nomen dederunt, nos ab æstate: illi a tempore quo succressit, non à tempore quo siccatur. *Amnis*, fluuius est nemore ac frondibus redimitus, & ex ipsa amœnitate amnis vocatur. *Decursus*, propriè finis cursus, siue aquarum sit, seu quarumlibet rerum. *Riui* dicti, quod deriuentur ad irrigandum, id est inducendū aquas in agris. Nam *irrigare* inducere est. *Gurges*, propriè locus altus in flumine. *Puteus*, est locus defossus ex quo hauritur aqua, à potatione dictus. *Fons*, caput aquæ est nascentis, quasi fundēs aquas. ¶ Quidam autem fluuiorum propriis ex causis nomina acceperunt: ex quibus nonnulli nominandi sunt qui in historiis celebres memorantur. *Geon*, fluuius de paradiso exiens atque vniuersam Æthiopiam cingens, vocatus hoc nomine quod incremento suæ inundationis terram Ægypti irriget: γῆ enim Græcè, Latinè terram significat. Hic apud Ægyptios Nilus vocatur, propter limum quem trahit qui efficit fœcunditatē. Vnde & *Nilus* dictus est quasi νέαν ἰλὺν trahens. Nam antea Nilus Latinè Melo dicebatur. Apparet autem in Nilide lacu, de quo in meridiem versus excipitur Ægypto, vbi Aquilonis flatibus repercussus aquis retro luctantibus intumescit, & inundationem Ægypti facit. *Ganges*, fluuius, quem *Physon* scriptura sacra nominat, exiens de paradiso pergit ad Indiæ regiones. Dictus autem Physon, id est, caterua, quia decem fluminibus magnis sibi adiunctis impletur & efficitur vnus. *Ganges* autem vocatus à Gangaro rege Indiæ. Fertur autem Nili modo exaltari, & super Orientis terras erumpere. *Tigris* fluuius Mesopotamiæ de paradiso exurgens, & pergens contra Assyrios, & post multos circuitus in mare mortuum influens. Vocatur autem Tigris propter velocitatem instar bestiæ Tigridis, nimia pernicitate currētis. *Euphrates* fluuius Mesopotamiæ de paradiso exurgens, copiosissimus gemmis, qui per mediam Babyloniam influit: hic à frugibus vel ab vbertate nomen accepit. Nam Hebraicè Euphrata fertilitas interpretatur. Mesopotamiam enim in quibusdam locis ita irrigat, sicut Nilus Alexandriam. Salustius autem autor certissimus asserit, Tigrim & Euphratem vno fonte manare in Armenia, qui per diuersa euntes longius diuiduntur spacio medio relicto multorum milium; quæ tamen terra quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. Ex quo Hieronymus animaduertit, aliter de paradisi fluminibus intelligendum. *Indus*, fluuius orientis, qui à rubro mari accipitur. *Hidaspes*, fuit Medorum rex antiquissimus, ex quo amnis orientis nomen accepit, qui nunc Hidaspes dicitur, de quo Lucanus:

Vastis

Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hidaspen. Et, quâ Medus Hidaspes Accedit pelago, Phœbi surgentis ab igne. Qui dum sit fluuius Persarum, dicitur tamen contra orientem decurrere. *Araris* fluuius Germaniæ. De quo Virgilius: aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim. Currit enim Tigris per Parthiam & Assyriam. *Bactrus* fluuius orientis à rege Bactro vocatus fertur, à quo & Bactriani, & vrbs eorum. *Choaspis* fluuius Persarum, vocatus eorum lingua, quòd miram aquæ dulcedinē habeat: adeò vt Persici reges quamdiu inter ripas Persidis fuerunt, sibi ex eo pocula vendicarint. Ex hoc amne quidam Cygnum Ciliciæ fluuium deriuari existimant. *Araxis* amnis Armeniæ, qui ab vno monte cū Euphrate diuersa specie oritur, dictus quòd rapacitate cuncta prosternat. Vnde & cum Alexander eum transgredi vellet ponte fabricato, tanta vi inundauit vt pontem dirueret. Hic breuibus interuallis ab Euphratis ortu caput tollit: ac deinde Caspium fertur in mare. Fluuius Scythiæ qui vocatur *Orontes* iuxta Antiochiæ muros decurrens, qui à solis ortu oriens non longè ab vrbe mari conditur, quem de originis suæ tractu orientem veteres Latinè appellauerunt. Cuius fluentis ex ipso impetu frigidioribus, & zephiris assiduè ibi spirantibus, tota ciuitas momentis propè omnibus refrigeratur. *Iordanis* Iudææ fluuius, à duobus fōtibus nominatus: quorum alter vocatur Ior, alter Dan. His igitur procul à se distantibus in vnum alueum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur. Nascitur autem sub Libano monte, & diuidit Iudæam & Arabiam, qui per multos circuitus iuxta Iericho in mare Mortuum influit. *Eusis* Caucaseis montibus fusus cum pluribus aliis in Euxinum se præcipitat mare. Vnde & nūcupatur. *Cydnus* amnis Ciliciæ, à Tauro monte progrediens, miram aquarum habens suauitatem, & quicquid candidum est, Cydum gentili lingua Siri dicunt. Vnde cydnus amni huic nomen datum, quia tumet æstate quando niues soluūtur: reliquis anni temporibus tenuis est & quietus. *Ilias* fluuius Asiæ. *Pactolus* fluuius Asiæ, arenas aureas trahens: de quo Virgilius, Pactolúsque irrigat auro. quem pro aurato fluore alij Chrysoroam vocant. *Erinus* fluuius Asiæ, qui Smirnæos secat campos, & ipse fluctibus aureis & arenis plenus, à quo Smirna vocata est. *Meander* amnis Asiæ flexuosus, qui recurrentibus ripis inter Asiam & Ionium præcipitatur in sinum, qui Miletum diuidit & Prienen. Meander autem vocatus, quòd sit flexuosus: & nunquam currat rectus. De quo Ouidius, Quíque recuruatus ludit Meander in vndis. *Tanus* fuit rex Scytharum primus, à quo Tanais fertur fluuius nuncupatus, qui ex Riphæis syluis veniens, dirimit Europam ab Asia inter duas mundi partes medius currens, atque in Pontum fluens. *Inachus* Achaiæ amnis, Argolicos irrigans campos, quem rex Inachus à se nominauit, qui exordium Argiuæ genti primus dedit. Ibi est & Erimantus ab Erimanto monte dimissus. *Padus* Italiæ fluuius à iugis alpium fusus, ex tribus fontibus oritur: ex quibus vni vocabulum est Padus, qui diffusus in modum stagni amnem sinu dirigit, à quo & Padus est nuncupatus. Hic à Græcis *Eridanus* cognominatur, ab Eridano Solis filio, quem Phaetontem dicunt, qui fulmine percussus in eodem fluuio deiectus est, & extinctus. Augetur autem ex ortu Canis liquescentibus niuibus, & cum accessione triginta fluminum circa Rauennam in Adriaticum mare defertur. *Tiberis* Italiæ fluuius à Tiberino rege Albanorum dicitur appellatus, qui in hunc fluuiū cecidit, de exitu suo nomen dedit. Nam anteà *Albola* antiquum nomen à colore habuit, quòd niuibus albus sit. Ipse est autem *Tibris*, qui & *Tiberis*, sed Tiberis in quotidiano sermone: *Tibris* in versu dicitur. *Danubius* Germaniæ fluuius vocari fertur à niuium copia, quibus magis augetur. Iste est qui in Europa plus omnibus famam habet. Idem & *Ister*, quia dum per innumeras vadit gentes, mutat & nomen, & maiores sibi ambigendo colligit vires. Oritur à Germanicis iugis & occidentalibus partibus barbarorum, pergens contra orientem: sexaginta in se fluuios recipit: septem ostiis in Pontum influit. *Rhodanus* Galliæ fluuius ab oppido Rhodo cognominatus est, quē coloni Rhodiorum vocauerunt, qui rapido concitus cursu, Tyrrheni æquoris freta scindens, non modicum sæpe nauigantium facit periculum, dum inter se maris fluctus & amnis fluenta decertant. *Rhenus* à Rhodani societate fertur vocatus: quoniam cum eodem ex vna prouincia oritur. Est autem Germaniæ fluuius inter tres Europæ maximos fluuios computatos, qui à iugo Alpium vsque in Oceani profunda cursus suos dirigit. *Iberus* amnis qui quondam totius Hispaniæ nomen dedit. *Mineus* fluuius Galliciæ nomen à colore pigmenti sumpsit, qui in eo plurimus inuenitur: *Durius* à Græcis quasi Doricus cognominatus. *Tagum* fluuium Carthago Hispaniæ nuncupauit, ex qua ortus procedit, fluuius arenis aureis copiosus, & ob hoc cæteris fluuiis Hispaniarum prælatus. *Betis* fluuius, qui & Beticæ prouinciæ nomen dedit: de quo Martialis: Betis oliuifera crinem redimite corona, Aurea qui nitidis vellera tingit aquis, eò quòd ibi lanæ pulchro colore tinguntur. Betis autem dictus, eò quòd humili solo decurrat. βαθὺ enim Græci hu

mile vel mersum vocant. Quædam autem flumina in diluuio soluta mole terrarũ præclusa sunt: quædam verò quæ non erant abissi, tunc præruptis meatibus eruperunt.

De diluuiis. CAP. XXII.

Diluuium dictum, quòd aquarum clade omnia quę inundauerit deleat. *Primum diluuium* extitit sub Noe, quando hominum sceleribus offensus omnipotens, toto orbe contecto, deletis cunctis, vnum spacium cœli fuit ac pelagi. Cuius hactenus indicium videmus in lapidibus, quos in remotis montibus conchis & ostreis concretos, sæpe etiam cauatos aquis visere solemus. *Secundum diluuium* fuit in Achaia, Iacob patriarchæ, & Ogigi temporibus, qui Eleusinæ conditor & rex fuit, noménque loco & tempori dedit. *Tertium diluuium* in Thessalia Moysi vel Amphictyonis temporibus, qui tertius post Cecropem regnauit. Cuius temporibus aquarũ diluuies maiorem partem populorum Thessaliæ absumpsit: paucis per refugia montium liberatis: maximè in monte Parnaso, in cuius circuitu Deucalion tunc regno potiebatur: qui tunc ad se ratibus cõfugientes susceptos, per gemina Parnasi iuga fouit & aluit. A quo propterea genus hominum Grecorum fabulæ ex lapidibus reparatum ferunt, propter hominum insitam cordis duritiam. ¶ Sed & flumina cùm in solitis aucta imbribus vltra consuetudinem, vel diuturnitatem, vel magnitudinem redundant, multáque prosternunt, & ipsa diluuium dicuntur. Sciendum autem flumina cùm super modum crescunt, non tantùm ad præsens inferre damna, sed etiam & aliqua significare futura.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER XIV.

CAPITA LIBRI DECIMIQVARTI.

De Terra. CAP. I.

TERRA est in media mundi regione posita, omnibus partibus cœli in modum centri æquali interuallo cõsistens, quæ singulari numero totum orbem significat: plurali verò singulas partes, cui nomina diuersa dat ratio. Nam terra dicta à superiori parte, qua teritur: humus ab inferiore vel humida terra, vt sub mari: tellus autem, quia fructus eius tollimus: hæc & *Ops* dicta, eò quòd opem fert frugibus. Eadem & arida, ab arando & colendo vocata. Propriè autem terra ad distinctionem aquæ, arida nuncupatur: sicut Scriptura ait: *Quia vocauerit Deus terram, aridam.* Naturalis enim proprietas siccitas est terræ, Nam vt humida sit, hoc aquarum affinitate sortitur. Cuius *motum* alij dicunt ventum esse in concauis eius, qui motus eam mouet Salustius, Venti per cõcaua terræ præcipitati rupti aliquot montes tumulíque sedere. Alij aquam dicunt generalem in terris moueri, & eas simul concutere, sicut vas, vt dicit Lucretius. Alij σεισίχθονα eandem terram vocant: cuius plerunque latentes ruinæ superposita cuncta concutiunt. *Terræ* quoque *hiatus* aut motu aquæ inferioris fit, aut crebris tonitruis, aut de concauis terræ erumpentibus ventis.

De Orbe. CAP. II.

ORbis à rotunditate circuli dictus, quia sicut rota est. Vnde breuis etiam rotella *orbiculus* appellatur. Vndique enim Oceanus circũfluens eius in circulo ambit fines. ¶ Diuisus est autem trifariè. Ex quibus vna pars Asia: altera Europa: tertia Africa, quæ & Libya

Libya nuncupatur. Quas tres partes orbis veteres non æqualiter diuiserint. Nam *Asia* à meridie per orientem vsque ad septentrionem peruenit. *Europa* vero à septentrione vsque ad occidentem: atque inde *Africa* ab occidente vsque ad meridiem. Vnde euidenter orbem dimidium duæ tenent Europa & Africa: alium verò dimidium sola Asia: sed ideo istæ duæ partes factæ sunt, quia inter vtramque ab Oceano mare magnum ingreditur, quod eas intersecat. Quapropter si in duas partes orientis & occidentis orbem diuidas, Asia erit in vna: in altera verò Europa & Africa.

De Asia. CAP. III.

ASia, ex nomine cuiusdam mulieris appellata, quæ apud antiquos imperium tenuit Orientis. Hæc in tertia orbis parte disposita, ab oriente ortu Solis à meridie Oceano, ab occiduo nostro mari finitur: à septentrione Mæotide lacu & Tanai fluuio terminatur. Habet autem prouincias multas & regiones quarum breuiter nomina & situs expediam: sumpto initio à paradiso. *Paradisus*, est locus in orientis partibus constitutus, cuius vocabulum ex Græco in Latinum vertitur, hortus. Porro Hebraice Edem dicitur, quod in nostra lingua deliciæ interpretatur. Quod vtrunque iunctum facit hortum deliciarum. Est enim omni genere ligni & pomiferarum arborum consitus, habens etiam lignum vitæ. Non ibi frigus, non æstas: sed perpetua aeris temperies. E cuius medio fôs prorumpens totum nemus irrigat: diuiditúrque in quatuor nascentia flumina: cuius loci post peccatum hominis aditus interclusus est. Septus est enim vndique romphea flamma, id est, muro igneo accinctus, ita vt eius tum cælo penè iungatur incendium. Cherubin quoque, id est, angelorum præsidium arcendis spiritibus malis super romphéæ flagrantiam ordinatum est, vt homines flammæ, angelos verò malos angeli boni submoueant, ne cui carni vel spiritui trãsgressionis aditus paradisi pateat. *India* vocata ab Indo flumine quod ex parte occidẽtali clauditur. Hęc à meridiano mari porrecta vsq. ad ortũ Solis, & à septentrione vsque ad montem Caucasum peruenit, habens gẽtes multas & oppida: insulam quoque Taprobanã gẽmis & elephãtis refertam Chrysen & Argyren auro argentóque fœcundas, vtilem quoq. arboribus foliis nunquam carentẽ. Habet & fluuios Gangen & Nidan & Hypanen illustrantes Indos. Terra Indiæ Fauonij spiritu saluberrima, in anno bis metit fruges: vice hyemis & æstatis Etesias patitur. Gignit autem tincti coloris homines, elephantes ingentes, monocerõn bestiam, psitacum autem, ebenũm quoque lignum, & cinnamomum, & piper, & calamũ aromaticum. Mittit & ebur lapides quoque preciosos, berillos, chrysophrasios & adamãtẽ, carbũculos, lychnites, margaritas, & vniones, quibus nobilium fœminarũ ardet ambitio. Vbi sunt & mõtes aurei, quos adire propter dracones, & gryphas, & immensorũ hominũ monstra impossibile est. *Parthia* ab Indiæ finibus vsque ad Mesopotamiã generaliter nominatur. Propter inuictã enim virtutẽ Parthorum, & Assyria & reliquæ proximæ regiones in eius nomẽ trãsierũt. Sunt enim ea Aracusia, Parthia, Assyria, Media & Persia: quæ regiones inuicem sibi coniunctæ initium ab Indo flumine sumunt. Tigri clauduntur, locis montuosis & asperioribus sitę, habentes fluuios Hydaspen & Arben. Sunt enim inter se finibus suis discretæ, nomina à propriis authoribus ita trahentes. *Aracusia* ab oppido suo nuncupata. *Parthiã*, Parthi à Scythia venientes occupauerunt, eámque, ex suo nomine vocauerunt. Huius à meridie rubrũ mare est, à septentrione Hircanum salum: ab occidua Solis plaga, Media. Regna in ea octodecim sunt, porrecta à Caspio littore vsque ad terras Scytharum. *Assyria* vocata ab Assur filio Sem, qui eam regionẽ post diluuium primus incoluit. Hæc ab ortu Indiam: à meridie Mediam tangit: ab occiduo, Tigrim, à septentrione montem Caucasum vbi portæ Caspię sunt. In hac regione primus inuentus est vsus purpuræ: inde primum crinium & corporum vnguenta venerũt, ac odores quibus Romanorũ atq. Græcorũ effluxit luxuria. *Media* & *Persia*, à regibus Medo & Perso cognominatæ, qui scilicet easdem prouincias bellando aggressi sunt. Ex quibus Media ab Occasu transuersa Parthia regna amplectitur: à septẽtrione Armenia circũdatur: ab Ortu Caspios videt: à meridie Persiam. Huius terra Medicam arborem gignit, quam alia regio minimè parturit. Sunt autẽ Mediæ duæ, maior & minor. *Persida*, tendens ab ortu vsq. ad Indos: ab occasu rubrum mare habet: ab aquilone verò Mediam tangit: ab austro Armeniã, quæ Persidę annectitur, quibus est Susa oppidum nobilissimum. In Persia primùm orta est ars magica, ad quam Nemroth gigas post cõfusionem linguarũ abiit, ibíque Persas ignem colere docuit. Nam omnes in illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua El dicitur. *Mesopotamia*, Græcam etymologiam possidet: quòd duobus fluuiis ambiatur. Nam ab oriente Tigrim habet, ab occiduo Euphratem: incipit autem à septentrione inter montem Taurum & Caucasum: cuius à meridie sequitur Babylonia, deinde Chaldæa, nouissimè Arabia εὐδαίμων. *Babylonia* regionis caput Babylon

vrbs est, à qua nuncupata, tam nobilis, vt Chaldæa & Assyria & Mesopotamia in eius nomen aliquando transferiar. *Arabia* appellata, id est, sacra. Hoc enim significare interpretatur, eo quòd sit regio thurifera, odores creans. Hinc eam Græci εὐδαίμονα, nostri beatam nominauerunt. In cuius saltibus, & myrrha & cinamomum prouenit. Ibi nascitur auis Phœnix, Sardonix gemma, ἶρις, Molochites & Pæderos ibi inueniuntur. Ipsa est Saba appellata, à filio Chus, qui nuncupatus est Saba. Hæc autem angusto terræ tractu ad orientem versus ad Persicum sinum extenditur, cuius septentrionalia Chaldæa claudit: Occasum, sinus Arabicus. *Syriam*, Syrus quidam perhibetur indigena à suo vocabulo nũcupasse. Hæc ab oriente, fluuio Euphrate: ab occasu, mari nostro & Ægyptio terminatur, habẽs à septentrione Armeniam & Cappadociam: à meridie sinum Arabicum. Situs eius porrectus in immensam longitudinem, in lato angustior. Habet enim in se prouincias Commagenam, Phœniciam, & Palæstinam: cuius pars est Iudæa absque Sarracenis, & Nabatheis. Commagena prima prouincia Syriæ à vocabulo Commagæ vrbis nuncupata, quæ quondam ibi metropolis habebatur. Huius est à septentrione Cappadocia: ab ortu Mesopotamia: à meridie Syria: ab occasu mare magnum. Phœnix Cadmi frater de Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus, apud Sydonem regnauit, eámque prouinciam ex nomine suo Phœniciam appellauit. Ipsa est vbi Tyrus est, ad quam Esaias loquitur. Habet autem ab oriente Arabiam: à meridie mare rubrum. *Palæstina*, prouincia Philistinam vrbem metropolim habuit, quæ nunc dicitur Ascalon: ex qua ciuitate omnis circa eam regio Palæstina est nuncupata. Huius ab oriente mare rubrum occurrit: à meridiano latere Iudæa excipitur: à septentrionali plaga Tyriorum finibus clauditur: ab occasu Ægyptio limite terminatur. *Iudæa*, regio Palestinæ ex nomine Iudæ appellata: ex cuius tribu reges habuit. Hæc prius Chanaan dicta est, à filio Cham. siue à decem Chananæorum gentibus: quibus expulsis eandem terram Iudæi possederunt. Initium longitudinis eius à vico Arsa vsque ad vicum Iuliaden porrigitur: in quo Iudæorum pariter & Tyriorum habitatio communis est. Latitudo autem eius à monte Libani vsque ad Tiberiadis lacum extenditur. In medio autem Iudææ ciuitas Hierosolyma est, quasi vmbilicus regionis totius terræ: variarum opum diues, frugibus fertilis, aquis illustris, optima balsamis. Vnde secundum elementorum gratiam æstimauerunt Iudæi eam promissam patribus terram fluentem lacte & melle: cùm hinc illis Deus resurrectionis prærogatiuam pollicetur. *Samaria*, regio Palęstinæ ab oppido quodam nomen accepit quod vocabatur Samaria: ciuitas quõdã regalis in Israel quę nunc ab Augusti nomine Sebastia nuncupatur. Hęc regio inter Iudęã & Galilæã media iacet: incipiens à vico, cui nomen est Eleas, deficiens in terra Agrabat. Situs eius natura consimilis, nec vllo differens à Iudæa. *Galilæa*, regio Palestinæ vocata, quòd gignat cãdidiores homines qua Palæstina. Hęc autem duplex est, superior & inferior: sibi tamen cõnexę, Syrię & Phœniciæ adhærentes. Terra earum opima & ferax & fructibus satis fœcunda. *Pentapolis* regio in confinio Arabię & Palæstinę sita. Dicta à quinque ciuitatibus impiorum, quæ cęlesti igne consumptę sunt: terra amplius olim à Hierosolymis vberrima: nunc autem deserta atque exusta. Nam pro scelere incolarum de cęlo descendit ignis, qui regionem illã in cineres ęternos dissoluit. Cuius vmbra quędã & species in fauillis & arboribus ipsis etiam adhuc videtur. Nascuntur enim ibi poma virentia sub tanta specie maturitatis, vt edendi desiderium gignant. Si carpas fatiscunt ac resoluuntur in cinerem, fumúmque exhalãt, quasi adhuc ardeant. *Nabathea*, regio à Nabath filio Ismael nuncupata. Iacet autẽ inter Iudæam & Arabiam: & surgens ab Euphrate in mare rubrum porrigitur, & est pars Arabiæ. *Aegyptus*, quę prius Ærea dicebatur, ab Ægypto Danai fratre postea ibi regnante nomen accepit. Hæc ab oriente Syriæ ac mari rubro coniuncta, ab occasu Libyam habet: à septentrione mare magnum: à meridie verò retrorsus recedit, pertendens vsque ad Æthiopiam: regio cæli imbribus insueta & pluuiarum ignara. Nilus solus eam circumfluens irrigat, & inundatione sua fœcundat: vnde & ferax frugibus multam partem terrarum frumento alit: cęterorum quoque negotiorum adeò copiosa, vt impleat necessariis mercibus omnem etiam orbem terrarum. Finis Aegypti *Canopta* à Canope Menelai gubernatore sepulto in ea insula, quæ Libyę principium & ostium Nili facit. *Seres*, oppidum orientis: à quo & genus sericum & regia nuncupata est. Hæc à Scythico Oceano & mari Caspio ad Oceanum orientalem inflectitur, nobilibus ferè illis frondibus: à quibus vellera decerpuntur, quæ cæteris gentibus Seres ad vsum vestium vendunt. *Bactria*, regioni proprius amnis Bactrus vocabulũ dedit. Partes eius quę planæ sunt, propansis iugis ambiuntur: quę aduersæ sunt, Indi fluuij fontibus terminantur. Reliqua includit Ochus fluuius. Mittit Bactria fortissimos camelos nunquam atterentes pedes. *Scythia* sicut & *Gothia* à Magog filio Iaphet

fertur

fertur cognominata: cuius terra olim ingens fuit: nam ab oriente India: à septentrione per paludes Mæotides inter Danubium & Oceanum vsque ad Germaniæ fines porrigebatur. Postea verò minor effecta à dextra orientis parte qua Oceanus Syricus tenditur vsque ad mare Caspium, quod est ad occasum: dehinc à meridie vsque ad Caucasi iugum deducta est: cui subiacet Hircania, ab occasu habens pariter gentes multas propter terrarum infœcunditatem latè vagantes. Ex quibus quædam agros incolunt, quædã portentuosæ ac truces carnibus humanis & eorum sanguine viuunt. Scythiæ plures terræ sunt locupletes: inhabitabiles tamen plures: nam dum in plerisque locis auro & gemmis affluãt gryphorum immanitate accessus hominum rarus est. Smaragdis autem optimis hæc patria est. Cyaneus quoque lapis & crystallus purissimus Scythiæ est. Habet & flumina magna Oscoron, Phasiden atque Araxen. *Hircania* dicta à sylua Hircana, quæ Scythiæ subiacet, habens ab oriente mare Caspium: à meridie Armeniam: à septentrione Albaniam: ab occasu Iberiam. Est autem sylua aspera, copiosa immanibus feris, tigribus, pantherísque ac pardis. de qua Virgilius: Hircanæque admorunt vbera tigres. *Albania* à colore populi nuncupata, eo quòd albo crine nascantur. Hæc ab oriente sub mari Caspio surgens, per ora Oceani septentrionalis vsque ad Mæotides paludes per deserta & inculta extenditur. Huic terræ canes ingentes sunt, tantæque feritatis, vt tauros premant, leones perimant. *Armenia* nuncupata ab Armeo Iasonis Thessali comite, qui amisso rege Iasone collecta multitudine eius, quæ passim vagabatur, Armeniam cepit, & ex suo nomine nuncupauit. Sita est inter Taurum & Caucasum à Cappadocia vsque ad Caspium mare protensa, habens à septentrione Ceraurios montes, ex cuius collibus Tigris nascitur: & id cuius montibus arca post diluuium resedisse perhibetur. Duplex est autem Armenia superior & inferior: sicut duæ Pannoniæ. *Hiberia* regio Asiæ est, prope Pontum Armeniæ iuncta. In hac herbæ tincturæ vtiles nascuntur. *Cappadociam* vrbs propria nominauit. Hæc in capite Syriæ sita, ab oriente Armeniam tangit: ab occasu, Asiam minorem: ab aquilone, mare Cimmericum: & Hemiscirios campos, quos habuêre Amazones, à meridie verò, Taurum montem cui subiacet Cilicia & Isauria vsque ad Cilicum sinum, qui spectat contra insulam Cyprum. Terra eius ante alias nutrix equorum. Halys amnis per eam fluit, qui quondam Lydiæ regna disiunxit à Persis. *Asia minor* ab Oriente Cappadocia cingitur, ab aliis partibus vndique mari circundatur. Nam à septentrione Pontum Euxinum habet, ab occasu Propontidem, à meridie Ægyptium mare. Habet prouincias Bithiniam, Phrygiam, Galatiam, Lydiam, Cariam, Pamphiliam & Hisauriam, Liciam atque Ciliciam. Prima Asiæ minoris *Bithinia* in Ponti exordio ad Solis orientis partem, aduersa Thraciæ iacet, multis antea nominibus appellata. Nam prius Bericia dicta, deinde Migdonia, mox à Bithinio rege Bithinia nuncupata. Ipsa est & maior Phrygia. Nicomedia vrbs in ea est, vbi Hannibal fugiens veneni haustu animam exhalauit. *Galatia* dicta à priscis Gallorum gentibus à quibus extitit occupata. Nam Galli in auxilium à rege Bithiniæ euocati, regnum cum eo peracta victoria diuiserunt, sícque deinde Græcis admixti, primùm Gallogræci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ dicuntur, & eorum regio Galatia nuncupatur. *Phygia* dicta à Phrygia Europis filia. Hæc *Dardania* à Dardano Iouis filio dicta. De quo Homerus ait, Quem primum genuit cœlesti Iupiter arce. Hic enim profectus de Corintho ciuitate primus venit in Phrygiam. Est autem regio *Troadis* superiecta ab Aquilonis parte Galatiæ, à meridiana, vicina est Lycaoniæ, ab oriente Lydiæ adhæret, ab occidente Hellesponto mari terminatur. Huius regio Troia est, quam ex suo nomine appellauit Tros Troianorũ rex Ganimedis pater. *Duæ* sunt autem *Phrygiæ*, maior & minor. *Maior Phrygia* Smirnam habet. *Minor* verò Ilium, Licaoniam, *Cariam* Hermus fluuius discernit à Phrygia. *Lydia* sedes antiqua regum, quam Pactoli vnda extulit in diuitias, torrentibus aureis. hæc antea Mæonia dicebatur, quæ dum pro breuitate duos fratres reges Lydum & Tyrrhenum ferre non posset, hinc ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus loca Galliæ occupauit, & Tyrrheniam nuncupauit. Lydia autem à Lydo regis fratre, qui in prouincia remanserat, cognominata est. Coniungitur ab occidente minori Phrygiæ, ab ortu Smirnam vrbem habet, quam Helles fluuius cingit, cuius campos Pactolus, & Hermus circumfluunt, arenis aureis ditissimi. *Isauria* ex situ loci perhibetur cognominata, quod vndique aurarum aperta flatibus pateat. Metropolim vrbem Seleuciam habet. *Cilicia* à Cilice quodam nomen traxit, quem ortũ Phœnice dicunt, antiquiorem Ioue fuisse asserunt. Plurima iacet campis, recipiens ab occiduo Lyciam, à meridie mare Persicum, à tergo montis Tauri iuga. Hanc Cygnus amnis intersecat, matrem vrbium habet Tarsum. In ea & Coriscos oppidum est, vnde crocum plurimum & optimum venit, spiramine flagrantior & colore pulchrior auro. *Lycia* nuncupata, quòd ab oriente ad-

iuncta Ciliciæ sit. Nam habet ab ortu Ciliciam: ab occasu & meridie mare: à septentrione Cariam. Ibi est mons Chimera, qui nocturnus æstibus ignem exhalat: sicut in Sicilia Ætna & Neseuus in Campania.

De Europa.

CAP. IV.

POst Asiam ad Europam stilus vertendus est. *Europa* quippe Agenoris regis Libyæ filia fuit, quam Iouis ab Africa raptam Cretam aduexit, & tertiam partem orbis ex eius nomine appellauit. Iste auté est Agenor Libyæ filius, ex qua & Libya, id est, Africa fertur cognominata. Vnde apparet prius Libyã accepisse vocabulum, postea Europam. Europa autem in tertiam parté orbis diuisa, incipit à flumine Tanais, descendens ab occasu per septentrionalem Oceanum vsque ad fines Hispaniæ, cuius pars orientalis & meridiana à Ponto consurgens, tota mari magno coniũgitur, & in insulis Gadibus finitur. ¶ Prima Europæ regio *Scythia* inferior, quæ à Mæotidis paludibus incipiens, inter Danubium & Oceanum septẽtrionalem vsque ad Germaniam porrigitur: quæ terra generaliter propter barbaras gẽtes, quibus inhabitatur, barbarica dicitur. Huius pars prima *Alania* est, quæ ad Meotidas paludes pertingit. Post hãc *Dacia*, vbi & *Gothia*: deinde *Germania*, vbi plurimam partem Sueui incoluerũt. *Germania* post Scythiam inferiorem à Danubio inter Rhenum fluuium Oceanúmque conclusa, cingitur à septentrione & occasu Oceano, ab ortu verò, Danubio: à meridie Rheno flumine dirimitur: terra diues virium, ac populis numerosis & immanibus. Vnde & propter fœcunditatem gignendorum populorũ, Germania dicta est. Gignit aues hircinas, quarum pennæ noctu perlucent. Bisontes quoque feras & vrsos atque alces parturit. Mittit & gẽmas, crystallum, & succinum, callaicũ quoq. viridem, & ceraunĩũ candidum. *Duæ* sunt autem *Germaniæ, superior* iuxta septentrionalem Oceanum: *inferior* circa Rhenũ. ¶ Prouincias autem quas Danubius à Barbarico ad mediterraneum mare seclusit: prima est *Mesia*, à messium prouentu vocata. Vnde eam veteres Cereris horreum nuncupabant. Hæc autem ab oriente ostiis Danubij iungitur, ab Euro verò, Thraciæ: à meridie Macedoniæ ab occasu Histriæ copulatur. Post Mesiam autem *Pannonia* est. Inde *Noricus ager* frigidus, & parcius fructuosus. Post quem *Rheticus* ferax frugibus, qui excipit Galliam Belgicam.

¶ *Thraciæ* Tyras Iaphet filius veniens nomen dedisse perhibetur. Alij à sæuitia incolarum Thraciam appellatam dixerunt. Huic ab Oriente Propontis & vrbs Constantinopolis opposita est, à septentrione verò Ister obtendit, à meridie verò Ægæo mari adhæret, ab occasu Macedonia illi subiacet. Cuius regionem olim Bessorum populus Messagetę, Sarmatæ, Scythæ, & aliæ plurimę nationes incoluerunt. Ampla est enim, ideóque plurimas continuit gentes. Ebrum fluuium Thracia fundit, qui etiam gentes barbarorum plurimas tangit. ¶ *Græcia* à Græco rege vocata, qui cunctam eam regionem regno incoluit. Sunt autem prouinciæ Græciæ vii, quarum prima ab occidente *Dalmatia*, inde *Epirus*, inde *Hellas*, inde *Thessalia*, inde *Macedonia*, inde *Achaia*, & duæ in mari *Creta* & *Cyclades*. *Illiricum* autem generaliter omnis Græcia est. *Dalmatiam* à Delmi maxima eiusdem prouincię ciuitate traxisse nomen existimant. Adhæret ab oriente Macedoniæ, à septentrione, Misiæ, ab occasu Histria terminatur, à meridie verò Adriatico sinu clauditur. *Epirus* à Pyrrho Achillis filio cognominata; cuius pars Chaonia, quæ ante Mollosia dicta est, à Molosso filio Pyrrhi, quem de Andromacha habuit. Sed postquam occisus est Pyrrhus Orestis insidiis. Andromacham Helenus suscepit, tenuítque regnum priuigni qui successerat patri, à quo Molossia dicta est pars Epiri, quam Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominauit, quasi ad solatium fratris extincti. *Hellas* dicta à rege Hellene Deucalionis & Pyrrhæ filio, à quo & priùs Græci Hellenes nuncupati. A rege Hellene sunt. Ipsa est & Attica terra Attia priùs dicta. Nam Grætius quidam Græciæ indigena fuit, ex cuius filia Attis nomine Attica terra vocata est. *Hæc* inter Macedoniam & Achaiam media iacet, Arcadiæ à septentrionali parte coniuncta. Ipsa est & vera Græcia, vbi fuit Atheniensis ciuitas mater liberalium literarum philosophorum nutrix, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius. In ea est & Maratonius campus opinione quondam prælij cruentissimus. Hellades autem duæ sunt prouinciæ *Bœotia* & *Peloponensis*. *Bœotia* autem dicta hac ex causa. Dum Cadmus Agenoris filius Europam sororem à Ioue raptam ex præcepto genitoris quæreret nec reperiret, patris iram formidans exilium elegit. Nam bouis fortè conspectæ secutus vestigia, amplexus est sedem vbi recubauerat, sícque locum de nomine bouis Bœotiam nominauit, vbi & Thebas vrbem construxit, in qua olim ciuilia bella detonuerunt, & vbi nati sunt Apollo & Hercules maior ille Thebanus. Eadem est Aonia vocata, à fonte quodam Apollini & Musis consecrato, qui in eadem Bœotia est. *Peloponensis* secunda pars

Helladis à Pelope regnata atque vocata. *Thessalia* à Thessalo rege cognominata, quæ ad meridianam plagam Macedoniæ coniuncta est, cuius à tergo Pieria est. Multa in Thessalia flumina & oppida: inter quæ præcipuè Thessalonica & Thebæ. Ibi est mons Parnassus quondam Apollini consecratus. Thessalia patria Achillis, & origo Lapitarum fuit, de quibus fertur, quod hi primò equos frenis domuerunt. vnde & Centauri dicti sunt. In Thessalia primùm solidi aurei facti sunt: domandorum quoque equorum vsus primũ repertus est. *Macedonia* in exordio ab Emathio rege Emathiæ nomen erat, sed Macedo Deucalionis maternus nepos postquam ibi accepit principatum, mutauit vocabulum, Macedoniámque à suo nomine dixit. Est autem confinis ab oriente Ægeo mari: à meridie Achaiæ: ab occasu Dalmatiæ: à Septentrione Misiæ: patria Alexandri Magni, & regio aureis venis argentóque opima. Lapidem quem peranitem vocant, ista gignit. Mons Olympus in ea est. qui excellenti vertice tantus attollitur, vt in cacumine eius nec nubes nec venti sentiãtur. *Achaia* ab Acheo rege & vrbs & prouincia appellata. Hæc penè insula est. Nam absque Septentrionali parte qua Macedoniæ iungitur, vndique septa est mari. Ab oriente enim habet Mirteum mare: ab Euro Creticum: à meridie Ionium: ab Africo & occasu Cassiopas insulas: à sola septẽtrionali parte Macedoniæ vel Atticæ terræ adiungitur. Huius caput est vrbs Corinthus Græciæ decus. Inachus est Achaiæ fluuius. *Arcadia* sinus Achaiæ est, vt platani folium, inter Ionium & Ægeum mare exposita. quam Arcas Iouis & Calistæ filius, Pelasgis in ditionem redactis, ex suo nomine Arcadiam nuncupauit. Ipsa est & Sicyonia à Sicyone rege, à quo & regnum Sicyoniorum est dictum. Habet autem Arcadia fluuium magnum Erimantum: Asbeston quoque lapidem, qui semel accensus nunquam extinguitur. Candidissimæ etiam merulæ ibi nascuntur. ¶ *Pannonia* ab Alpibus Apenninis est nuncupata, quibus ab Italia secernitur: regio verò fortis & solida duobus satis acribus fluuiis Drabo Sabóque vallata. Coniungitur autẽ cum Norico & Rhetia, habens ab oriente Misiam: ab Euro Istriam: ab Africo verò alpes Apẽninas: ab occasu Galliam Belgicam: à septentrione Danubij fontem, vel limitem, qui Germaniam Galliámque secernit. ¶ Istriam Ister amnis vocauit, qui eius terrã influit. Ipse est Danubius. Habet autem Istria à septentrione Pannoniam. ¶ *Italia* olim à Græcis populis occupata, magna Græcia appellata est: deinde à regis nomine *Saturnia*, mox & Latium dicta, eò quòd idem Saturnus à Ioue sedibus suis pulsus ibi latuerit: postremò ab Italo Siculorum rege ibi regnante, *Italia* nuncupata est. Cuius situs lõgitudine amplius quàm latitudine à Circio in Eurum extenditur: meridie Tyrrheno mari. ab Aquilone Adriatico clauditur: ab occiduo Alpium iugis finitur: terra in rebus omnibus pulcherrima: soli fertilitate, pabuli vbertate gratissima. Habet lacus Benacum, Auernum, atque Lucrinum: fluuios, Eridanum & Tiberim, & tepẽtes fõntibus Baias. Gignit gemmas Serciten, Ligurium, & corallium: Boam quoque serpentem, lyncem feram, & Diomedias aues. Italia autem & Hispania idcirco. *Hesperiæ* dictæ, quòd Græci Hespero stella nauigent, & in Italia & in Hispania, duæque hac ratione discernuntur. Aut enim Hesperiam solam dicis, & significas Italiam: aut addis vltimam, & significas Hispaniam, quia in fine occidentis est. *Tuscia* pars Italię: Vmbria verò pars Tusciæ. Tuscia autẽ à frequentia sacrorũ & thuris vocata ἀπὸ τοῦ θυάζειν. *Vmbriam* verò historiæ narrant, eò quòd tempore aquosæ cladis imbribus superfuerit, & ob hoc Vmbria Græcè cognominata. Est enim in iugis Apennini montis sita, in parte Italiæ iuxta meridiem. *Hetruria* pars Italiæ dicta, quòd eius fines tendebantur vsque ad ripam Tiberis, quasi ἕτερος ὅρος. Nam ἕτερος alter, ὅρος finis vocatur. Romæ enim finis antea vnam tantùm Tiburis ripam tenebat. Alij *Etruriam* ab Etrusco principe putant. Itẽ & *Tyrrhenia* à Tyrrhene Lidij fratre, qui ex sorte cum populi parte de Mæonia venit ad Italiam. Hæc est & *Tuscia*, sed Thusciã dicere non debemus, quia nusquã legimus. Thuscia autem à frequentia sacrificij & thuris dicta est ἀπὸ τοῦ θύειν. Illic & aruspicinam dicunt esse repertam. *Apulia* est vbi Brundusiũ sitũ est, quam Etholi secuti Diomedem ducẽ cõdiderunt. *Campania* habet terras hyeme atque æstate vernantes. Sol ibi mitis, temperies grata, aer purus & blandus. ¶ *Gallia* à candore populi nuncupata est: γάλα enim Græcè lac dicitur. Montes enim & rigor cœli ab ea parte Solis ardorem excludunt, quo fit vt cãdor corporum non coloretur. Hanc ab oriente alpium iuga tuentur: ab occasu Oceanus includit: à meridie prærupta Pyrenæi: à septẽtrione Rheni fluenta atque Germania: cuius initium Belgica finis Aquitania est, regio gleba vberi ac pabulosa ad vsum animantium apta, fluminibus quoque & fontibus irrigua, perfusa duobus magnis Rheno & Rhodano fluuiis. *Belgis* autem ciuitas est Galliæ à qua Belgica prouincia dicta est. *Cisalpina*, quia citra alpes. *Transalpina*, id est trans alpes, contra Septentrionem. *Rhetia* verò quòd sit iuxta Rhenum. *Aquitania* autem ab obliquis aquis Ligeri fluminis appellata, quia ex plurima partę

terminus eius est, eámque penè in orbe cingit. ¶ *Hispania* prius ab Ibero amne Iberia nũcupata. Postea ab Hispano Hispania cognominata est. Ipsa est & vera Hesperia, ab hesperia stella Occidentali dicta. Sita est autẽ inter Africam & Galliam, à Septẽtrione Pyrenæis montibus clausa: à reliquis partibus vndique mari conclusa salubritate cœli æqualis, omnium frugum generibus fœcunda, gemmarum, metallorúmque copiis ditissima. Interfluunt eam flumina magna, Betis Mineus, Iberus & Tagus aurum trahens vt Pactolus. Habet prouincias sex, *Taraconensẽ, Carthaginẽsem, Lusitaniam, Galiciam, Beticã,* & transfreta in regione Africæ *Tingitaniam,* *Duæ* sunt *Hispaniæ, Citerior,* quæ in Septentrionali plaga à Pyrenæo vsque ad Carthaginem porrigitur: *Vlterior,* quæ in meridiem à Celtiberis vsque ad Gaditanum fretum extenditur. Citerior autem & vlterior dicta, quasi citra & vltra: sed citra, quasi circa terras: & vltra, vel quòd sit vltima, vel quòd non sit post hanc vlla, hoc est, alia terra.

De Lybia. CAP. V.

LIbya dicta, quòd inde Libs flat, hoc est, Africus. Alij aiunt Epaphum Iouis filium, qui Memphim in Ægypto condidit, ex Cassiota vxore procreasse filiam Libyam, quæ postea in Africa regnum possedit. Cuius ex nomina terra Libya est appellata. *Africam* autem nominatam quidam inde existimant, quasi apricam, quòd sit aperta cœlo vel Soli, & sine horrore frigoris. Alij dicunt Africam appellari ab vno ex posteris Abrahæ de Cethura, qui vocatus est Afer, de quo suprà meminimus. Incipit autem à finibus Ægypti pergens iuxta meridiem per Æthiopiam vsque ad Athalantem montem. A septentrionali verò parte, mediterraneo mari coniuncta clauditur, & in Gaditano freto finitur, habens prouincias *Libyã Cyrenensem, Pentapolim, Tripolim, Bizantiũ Carthaginẽ, Numidiam, Mauritaniam Stifensem, Mauritaniam Cæsariensem, Mauritaniam Tingitanam,* & circa Solis ardorem *Æthiopiam.* ¶ *Libya Cyrenensis* in parte Africæ prima est, à Cyrene vrbe metropoli, quæ est in eius finibus nuncupata. Hinc ab oriente Ægyptus est: ab occasu Sirtes maiores & Troglodytæ: à septentrione mare Lybicum: à meridie Æthiopia, & barbarorum variæ nationes, & solitudines inaccessibiles, quæ etiam basiliscos serpentes creant. ¶ *Pentapolis* Græca lingua à quinque vrbibus nuncupata, id est, Berenice, Ceutria, Apollonia, Ptolomais, ex quibus, Ptolomais, & Berenice à regibus nominatæ sunt. Est autem Pentapolis Libyæ Cyrenensi adiuncta, & eius finibus deputata. ¶ *Tripolitanam* quoque prouinciam Græci lingua sua designant de numero trium magnarum vrbium: Occa, Tabracæ, Leptis magnæ: hæc habet ab oriente Sirtes maiores & Troglodytas, à septentrione mare Adriaticum: ab occasu Byzantium: à meridie Getulos & Garamantes vsque ad Oceanum Æthiopicum pertendentes. ¶ *Bizanzena* regio ex duabus nobilissimis vrbibus nomen sortita est, ex quibus vna Adrumetus, vocatur, altera Bizantium. Hæc sub Tripoli est, patens passuum ducenta vel amplius millia, fœcũda oleis, & glebis ita præpinguis vt iacto ibi semine, incremento penè centesimo fruges renascantur. ¶ *Zeugis* vbi *Carthago* magna. ipsa est & vera Africa inter Bizantium & Numidiam sita, à septentrione mari Siculo iuncta, & à meridie vsque ad Getulorum regionem porrecta: cuius proxima quæque frugifera sunt: vlteriora autem bestiis & serpentibus plena, atque onagris magnis in deserto vagantibus. ¶ *Getulia* autem Africæ pars mediterranea est. ¶ *Numidia* ab incolis passim vagantibus sic vocata, quòd nullam certam haberent sedem. Nam lingua eorum incertæ sedes & vagæ, Numidiæ dicuntur. Incipit autem à flumine Amisiga, & Zeugitanum limitem desinit: habens ab ortu sirtes minores: à septentrione mare quod intendit Sardiniam: ab occasu Mauritaniam Sitifensem: à meridie Æthiopum gentes. regio campis præpinguis. Vbi autem syluestris est, feras educat, vbi iugis ardua, equos & onagros procreat: eximio etiam marmore prædicatur, quod Numidicum dicitur. Habet vrbes præcipuas Hipponen, Regium & Susicadam. ¶ *Mauritania* vocata à colore populorum, Græci enim nigrum μαῦρον vocant. Sicut enim Gallia à candore populi, ita Mauritania à nigredine nomen sortita est. Cuius prima prouincia Mauritania Sitisensis est, quæ Sitisi habet oppidum: à quo & vocabulum traxisse regio perhibetur. ¶ *Mauritania* verò *Cæsariensis* coloniæ, Cæsariæ ciuitas fuit, & nomen prouinciæ ex ea datum. Vtræque igitur sibi coniunctæ ab oriente Numidiam habent: à septentrione mare magnum: ab occasu flumen Maluam: à meridie montem Astrixim, qui discernit inter fœcundam terram & arenas iacentes vsque ad Oceanum. ¶ *Mauritania Tingitana* à Tingi metropolitana huius prouinciæ ciuitate vocata. Hæc vltima Africæ exurgit à montibus vij, habens ab oriente flumẽ Maluam: à septentrione fretum Gaditanum: ab occiduo Oceanum Athlanticum: à meridie, Gaulalum gentes vsque ad Oceanum hesperium pererrantes. regio gignens feras, simias, dracones, & struthiones. Olim etiam &

tiam &

tiam & elephantis plena fuit, quos sola nunc India parturit. ¶ *Garamantis* regionis caput Garama oppidum fuit. Est autem inter Cirenensem & Aethiopiam, vbi est fons qui friget calore diei, & calet frigore noctis. ¶ *Aethiopia* dicta à calore populorum, quos Solis vicinitas torret. Denique vim sideris prodit hominum color: est enim ibi iugis æstus. Nã quicquid eius est sub meridiano cardine est. Circa occiduum autem montuosa est, arenosa in medio, ad orientalem verò plagam deserta: cuius situs ab occiduo Athlãtis montis ad orientem vsque in Aegypti fines porrigitur: à meridie Oceano: à septentrione Nilo flumine clauditur: plurimas habens gentes, diuerso vultu & monstruosa specie horribiles. Ferarum quoque & serpentium referta est multitudine. Ibi quippe Rhinoceros bestia: & camelopardus, basiliscus, dracones ingentes, ex quorum cerebro gemmæ extrahũtur. Iacynthus quoque & chrysoprassus ibi reperiuntur. Cinamomũ ibi colligitur. *Duæ* sunt autem *Aethiopiæ*, vna circa solis ortum: altera circa occasum in Mauritania. ¶ Extra tres autem partes orbis, *Quarta pars trans Oceanum* interior est in meridie, quæ Solis ardore nobis incognita est, in cuius finibus antipodes fabulosè inhabitare produntur. ¶ Proxima autem Hispaniæ Mauritania est, deinde Numidia: inde regio Carthaginensis, post quę, Getuliam accipimus, postea Aethiopiam inde loca exusta Solis ardoribus. ¶ Sciendum sanè quòd quædam prouinciæ primùm de nomine auctoris appellatæ sunt: postea à prouincia gentis nomen est factum. Nam ab Italo Italia & rursus ab Italia Italus, & sic vtimur ipso nomine gentis, quomodo fuit ipsum nomen auctoris: vnde deriuatum est nomen prouinciæ. Ex quo accidit ex vno homine nominari & ciuitatem & regionem & gentem. *Prouinciæ* autem ex causa vocabulũ acceperunt. Principatus namque gentium qui ad alios reges pertinebant, cùm in ius suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones prouincias appellauerunt. *Patria* autem vocata, quòd communis sit omnium, qui in ea nati sunt. *Terram* autem significari, vt prædiximus, elementum: *terras* verò singulas partes, vt Africa, Italia. Eadem & loca. Nam *loca*, & terræ spatia in orbe terrarũ, multas in se continent prouincias, sicut in corpore locus est pars vna multa in se continens membra: sicut & domus multa in se continens cubicula; sic terra & loca dicuntur terrarum spatia, quorum partes sunt prouinciæ, sicut in Asia, Phrygia; in Gallia, Rhetia, in Hispania, Betica. Nam Asia locus est; prouincia Asiæ Phrygia. Troia regio Phrygiæ; Iliũ ciuitas Troiæ. Itẽ *regiones* partes sũt prouinciarum, quas vulgus cõuentus vocat; sicut in Phrygia Troia: sicut in Gallicia Cãtabria, Asturia. A rectoribus autem regio nuncupata est: cuius partes territoria sunt. *Territoriũ* autem vocatum, quasi *tauritorium, tritum bobus & aratro. Antiqui* enim sulco ducto, possessionem & territorium limites designabãt.

De insulis. CAP. VI.

INsulæ dictæ, quòd in salo sint, id est, in mari. Ex iis, quoque & notissimæ & maximę, quas plurimi veterum solerti studio indagauerunt, notandæ sunt. *Britannia* Oceani insula interfuso mari toto orbe diuisa, à vocabulo suæ gentis cognominata. Hæc aduersa Galliarum parte ad prospectum Hispaniæ sita est, circuitus eius quadragies octies septuaginta quinque millia; multa & magna flumina in ea, fontes calidi, metallorum larga & varia copia. Gagates lapis ibi plurimus & margaritæ. *Thanatos* insula Oceani freto Gallico à Britannia est, varia, tenuis, separata frumentariis campis & gleba vberi. Dicta autẽ Thanatos, a morte serpentum, quos dum ipsa nescia, asportata inde terra quoque gentium vecta sit, angues ilico perimit. *Thyle* vltima insula Oceani inter septentrionalem & occidentalem plagam vltra Britanniam, à Sole nomen habens, qui in ea æstiuum solstitium sol facit, & nullus vltra eam dies est. Vnde & pigrum & concretum est eius mare. *Orchades* insulæ Oceani vltra Britanniam positæ numero octoginta tres, quarum duodecim desertæ sunt, tredecim coluntur. *Scotia* eadem & *Ibernia proxima* Britanniæ insula, spacio terrarum angustior, sed situ fœcundior. Hæc ab Africo in Boream porrigitur, cuius partes priores Iberiam & Cãtabricum Oceanum intendunt. Vnde & Ibernia dicta. Scotia autem quòd ab Scotorum gentibus colitur appellata. Illic nullus anguis, auis rara, apis nulla, adeò vt aduectos inde pulueres seu lapillos siquis alibi sparserit inter aluearia, examina fauos deserant. *Gades* insula in fine Beticæ prouinciæ sita, quæ dirimit Europam ab Africa, in qua Herculis columnæ visuntur, & vnde Tyrrheni maris faucibus Oceani æstus immittitur. Est autem à continenti terra centum viginti passibus diuisa, quam Tyrij à rubro profecti mare occupantes in lingua sua Gades, id est, septam nominauerunt, pro eo quòd circumsepta sit mari. Nascitur in ea arbor similis palmæ, cuius gummi infectum vitrum. Ceraunium gemmam reddit. *Fortunatæ insulæ* vocabulo suo significant omnia fere bona, quasi felices & beatæ fructuum vbertate. Sua enim aptè natura preciosarum poma syluarum parturiũt. Fortuitis vitibus iuga collium vestiuntur. Ad herbarum vicem messis & olus vulgò est

Vnde gentilium error & secularia carmina poetarum propter soli fœcũditatem easdem esse paradisum putauerunt. Sitæ sunt autem in Oceano contra læuam Mauritaniæ occiduo proximæ, & inter se interiecto mari discretæ. *Gorgones* insulæ Oceani obuersæ promontorio quod vocatur Hesperuceras, quas incoluerunt Gorgones fœminæ aliti pernicitate, hirsuto & aspero corpore, & ex iis insulæ cognominatæ. Distant autem continenti tria bidui nauigatione. *Hesperidum insulæ* vocatę à ciuitate Hesperide, quæ fuit in fine Mauritaniæ. Sunt enim vltra Gorgones sitę sub Athlanteum littus in intimis maris finibus, in quarum hortis fingunt fabulę draconem peruigilem aurea mala seruantem. Fertur ibi esse maris æstuarium adeò sinuosis lateribus tortuosum, vt visentibus procul lapsus angueos imitetur. *Chryse & Argyre* insulę in Indico Oceano sitę, adeò fœcundę copia metallorum, vt plerique eas auream superficiem & argenteam habere prodiderint, vnde & vocabula sortita sunt. *Taprobana* insula Indiæ subiacens ad Eurum, ex quo Oceanus Indicus incipit, patens in longitudine octingentis septuaginta quinque millibus passuum, in latitudine sexcentis xxv. millibus stadiorum. Scinditur amne interfluo, tota margaritis repleta & gemmis. Pars eius bestiis & elephantis repleta est: partem verò homines tenent. In hac insula dicunt in vno anno duas esse æstates & duas hyemes, & bis locum vernare floribus. *Telos* insula est Indię ferens omni tempore folia. Hucusque insulæ Oceani. ¶ Item, insulæ quæ ab Hellesponto vsque ad Gades in mari magno constitutæ sunt. *Cyprus* insula à ciuitate Cypro quæ in ea est, nomen accepit: ipsa est & Paphos Veneri consecrata in Carpathio mari, vicina Austro, famosa quondam diuitiis, & maximæ æris. Ibi enim prima huius metalli inuentio & vtilitas fuit. *Creta* insula Græciæ pars est iungens contra Pelopõnensem. Hæc primũ à temperie cæli *Macaronesum* siue μακάρων νῆσος appellata est: deinde Creta dicta a Crete quodam indigena, quem aiunt vnum Cretarum fuisse à quibus Iupiter ibi absconditus est enutritus. Est autem insula Græciæ inter ortum & occasum longissimo tractu porrecta, à septentrione Græciæ æstibus, ab Austro Ægyptiis vndis perfusa. Fuit autẽ quondam centum vrbibus nobilis. vnde & hæc Hecatompolis dicta est. Prima etiam hæc insula remis & sagittis claruit. prima literis iura finxit. equestres turmas docuit. Studium musicum ab Idæis dactylis in ea ceptum: capris copiosa, ceruis eget, lupos & vulpes aliáque ferarum noxia nusquam gignit, serpens ibi nullus, & noctua nulla; & si inueniatur, statim moritur. Larga est autem vitibus & arboribus. Dyctamnus herba in Creta nascitur & Alimus, quæ admorsa diurnam famem prohibet. Phalangos autem venenatos gignit & lapidem qui Idæus dactylus dicitur. *Abydos* insula in Europa super Hellespontum posita, angustior & periculoso mari separata & ἄβυδος Græcè dicta, quòd introitus Hellesponti maris, in quo Xerxes pontem ex nauibus fecit, & in Græciam transiit. *Coos* insula adiacens prouinciæ Atticæ, in qua Hippocrates medicus natus est, quę vt Varro testis est, arte lanificij prima in ornamento fœminarum inclaruit. *Cyclades* insulæ antiquitus Gręcię fuerunt, quas inde Cyclades autumant dictas, quod licet spaciis longioribus à Delo protectæ, in orbem tamen circa Delum sitæ sint. Nam orbem κύκλον Græci loquuntur. Quidam verò, non quod in orbem digestæ, sed propter scopulos, qui circa eandem sunt, dictas putant Cyclades. Hę in Hellesponto inter Ægeum & Malelum mare constitutę circundantur etiam pelago Mirtoo. Sunt autem omnes numero quinquaginta tres, tendentes à Septentrione in meridiem millia quingenta, ab oriente in occasum millia ducenta, metropolis earum *Rhodus*. *Delos* insula in medio Cycladum sita, Et dicta Delos fertur, quòd post diluuium quod Ogygij temporibus notatur, cum orbẽ multis mensibus continua nox inumbrasset, ante omnes terra radiis Solis illuminata est, sor itáque ex ea nomen, quòd prima manifestata sit visibus. Nam δῆλον Græci manifestum dicunt. Ipsa est & Ortygia, eo quod primum ibi visæ sunt coturnices aues, quas Græci ὄρτυγας vocant. In hac insula Latona enixa est Apollinem & Dianam. Delos autem & ciuitas dicitur, & insula. *Rhodos* Cycladum prima ab oriente, in qua rosæ capitolium dicitur esse inuentum, dum ibi ciuitas conderetur, ex quo & vrbs & insula Rhodos est appellata. In hac vrbe Solis Colossus fuit æreus lxx. cubitorum altitudine. Fuerunt & alij centum numero in eadem insula Colossi minores. *Tenedos* vna ex Cycladibus ad septẽtrionem sita, in qua olim ciuitas à Tene quodam condita est. Vnde nomen vrbis illius, vel potius insulæ fuit. Nam Tenes iste infamatus, vel quòd cum nouerca sua concubuisset, fugiens in hanc insulam, vacuam cultoribus obtinuit. Vnde & Tenedos insula dicta est, sic Cicero, Tenen ipsum, cuius ex nomine Tenedos nominatur. *Carpathos* vna ex Cycladibus in meridie posita contra Ægyptum, à qua Carpathium mare appellatum est, vocata propter celerem fructuum maturitatem. Est enim inter Ægyptum & Rhodum. Ex hac insula dicuntur & Carpasiæ naues magnæ & spatiosæ. *Cytherea* insula vna ex Cycladibus à parte occidua sita, cuius Porphyris an-

ris antea nomen fuit. Citherea autem vocata, quod ibi Venus orta sit: *Icaria* insula vna de Cycladibus, quæ Icario mari nomen dedit. Hæc inter Samum & Miconium procurrentibus saxis inhospitalis est, & nullis finibus portuosa. Dicitur autem Icarum Cretensẽ ibi naufragio interiisse, & de exitu hominis impositum nomen loco. *Naxos* insula à Dionysio dicta, quasi Dionaxos, quod fertilitate vitium vincat cæteras: est autem à Delo nouemdecim millia passuū separata, ex qua olim Iouis fertur aduersus Titanas fuisse profectus. *Melos* ex numero Cycladum, vna omnium insularū rotundissima, vnde & nuncupata. Historia dicit ex Iasone natum fuisse Philomelum & Plutum: ex Philomelo Pareamium genitum: qui de suo nomine *Paron* insulam & oppidum appellauit. prius autem Minoia, deinde Paros dicta. De qua Virgilius: Niueúmque Paron. Gignit enim marmor candidissimum, quod Parium dicunt. Mittit & Sardan lapidem marmoribus quidem præstantiorem, & inter gemmas vilissimum. *Chios* insula Syra lingua appellatur, eò quod ibi mastix gignitur. Syri enim masticẽ *Chion* vocant. *Samos* insula est in mari Ægeo, vbi nata est Iuno: ex qua fuit Sibylla Samia, & Pythagoras Samius, à quo philosophię nomen inuentum est. In hac insula reperta prius fictilia vasa traduntur. Vnde & vasa Samia appellata sunt. *Sicilia* à Sicano rege Sicania cognominata est: deinde à Siculo Itali fratre Sicilia. Prius autem Trinacria dicta propter tria ἄκρα, id est, promontoria, Pelorum, Pachinum, & Lilibæum. Trinacria enim Græcum est, quod Latinè, triquetra dicitur, quasi in tres quadras diuisa. hæc ab Italia exiguo freto discreta, Africum mare prospectans, terris frugifera, auro abundans: cauernis tamen & fistulis penetrabilis, ventísque & sulphure plena. Vnde & ibi Ætnæ monti extant incendia: in cuius freto Scilla est & Charibdis, quibus nauigia aut absorbentur aut colliduntur. Fuit autem quondam patria Cyclopum, & postea nutrix tyrannorum frugum fertilis, ac primùm terris omnibus commissis seminibus aratro proscissa. Principem vrbium Syracusas habet: fontem Aretusam, & Alphæum fluuium magnorum generatorem equorum. In ea insula primùm est inuẽta comœdia. Achaten lapidem ipsa primùm ex Achate flumine edidit. Parturit & mare eius corallum: gignit & sales Agrigentinos in igne solubiles, crepitantes in aquis. Omnis ambitus eius clauditur stadiorum trium millium. Salustius autem dicit Italiæ coniunctam Siciliam fuisse: sed medium spacium impetu maris diuisum & per angustiam scissum. *Tapsum* insula, stadiis decem à Sicilia remota iacens & planior, vnde & nuncupata. de qua Virgilius, Tapsúmque iacentem.

¶ *Aeoliæ insulæ Siciliæ*, appellatæ ab Æolo Hippotæ filio: quem poetæ finxerunt regem fuisse ventorum: sed vt Varro dicit, rector fuit istarum insularum: & quia ex earū nebulis & fumo futuros prædicebat flatus ventorum, ab imperitis visus est ventos sua potestate retinuisse. Eædem *insulæ* & *Vulcaniæ* vocantur, quòd & ipsæ sicut Ætna ardeant. Sunt autem nouem habentes propria nomina: quarum primam *Liparus* quidam Liparen vocauit, qui eam ante Æolum rexit. Altera *Hiera* vocatur, quòd sit collibus eminentissimis: reliquæ verò, id est, *Strongyle, Didyme, Ericusa, Phenicusa, Euonymos, Ericodes, Phacicodes*: quæ quoniam nocte ardent, *Aeoliæ* siue *Vulcaniæ* dicuntur. Ex iis quædam ab initio non fuerunt, quædam postea mari editæ vsque nunc permanent.

¶ *Stœchades* insulæ Massiliensium sexaginta millium spacio à continenti in fronte Narbonensis prouinciæ, quà Rhodanus fluuius in mare exit. Dictæ autem Græcè Stœchades, quasi opere in ordinem sint positæ.

¶ Sardis Hercule procreatus cum magna multitudine à Libya profectus *Sardiniam* occupauit, & ex suo vocabulo insulæ nomen dedit. Hæc in Africo mari facie vestigij humani, in oriente quàm occidente latior prominet: fermè paribus lateribus, quæ in meridiem & septentrionem vertunt: ex quo ante commercium à nauigantibus Græcorum ἴχνος appellata est. Terra patet in longitudine millia cxl. latitudine xl. In ea neque serpens gignitur, neque lupus, sed solifuga tantùm, animal exiguum hominibus perniciosum. Venenum ibi quoque non nascitur, nisi herba per scriptores plurimos & poetas memorata, apiastro similis, quæ hominibus rictus contrahit, & quasi ridentes interimit. Fontes habet Sardinia calidos, infirmis medelam præbentes: furibus cæcitatem si sacramento dato oculos aquæ eius tetigerint. ¶ *Corsicæ* insulæ exordium incolæ Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis. Nam quædam Corsa nomine Ligus mulier, cùm taurum ex grege, quem prope littora regebat transnatare solitum, atque per interualla corpore aucto remeare videret: cupiens scire incognita sibi pabula, taurum à cæteris digredientem vsque ad insulam nauigio prosecuta est. Cuius regressu insulæ fertilitatem cognoscentes Ligures, ratibus ibi profecti sunt, eámque nomine mulieris auctoris & ducis appellauerunt. Hæc autem insula Grecè κύρνη dicitur, à Cyrno Herculis filio habitata, de qua Virgilius: Cyrnia Taxos. Diuiditur autem à Sardinia xx millium freto, cincta Ligustici æquoris sinu ad prospectum Italiæ. Est autem

multis promontoriis angulosa, gignens lætissima pabula & lapidem, quem Catochiten Græci vocant. *Ebolus* insula Hispaniæ dicta quòd à zonis non procul sit, quasi ebozos. Nam lxx. stadiis ab ea distat, cuius terrã serpentes fugiunt. Huic contraria est Colubraria, quæ referta est anguibus. *Barbares* insulę Hispaniæ duæ sunt, Aphrosiades, & *Gymnasides*, maior & minor, Vnde & eas vulgus Maioricam & Minoricam nuncupant. In iis primùm insulis inuenta est funda qua lapides emittuntur, vnde & Baleares dictæ: βάλλειν enim Græcè emittere dicitur: vnde & ballista quasi missa, & fundibulum. Virgilius: Balearis verbere fundæ.

De Promontoriis. CAP. VII.

Communc est insulis, vt promineant. Inde & loca earum *promontoria* dicuntur. Sic Sallustius de Sardinia: In Oriente latior prominet quàm in Occidente. *Sigæum promontorium* Asiæ, vbi Hellespontus apertius dilatatur. Dictum autem Sigæum propter Herculis taciturnitatem, quia prohibitus hospitio à Laomedonte Troianorum rege, simulauit abscessum, & inde contra Troiam cum silentio venit, quod dicitur σιγή. *Maleum promontorium* Græciæ, quod intrat mare, & per millia quinquaginta protenditur, vbi vnda ita sæua est, vt prosequi nauigantes videatur. Hoc autem promõtorium à Maleo rege Argiuorum nomen accepit. *Pelorum promontorium* Siciliæ respiciens ad Aquilonem, secundum Salustium, dictum à gubernatore Hannibalis illic sepulto. *Pachinum promontorium* Siciliæ Austrum spectans ab aeris crassitudine dictum. Nam παχὺς est pinguis & crassus. Austro enim perflatur. *Lilybæum promontoriũ* Siciliæ, Solis occasum intendens: vocatum ab eiusdem nomine ciuitatis, quæ ibi est sita, *Borio promontorium* Numidię vocatum, eo quòd Aquilonem intendat. Hoc Hippone regium postea dictum, pro eo quòd sit æquore interruptum. *Calpis* Hispaniæ promontorium.

De cæteris terræ vocabulis. CAP. VIII.

Montes sunt tumores terrarum altissimi dicti, quòd sint eminentes. Quidam autem propriis ex causis vocati sunt, ex quibus notandi sunt qui opinione maximi celebrãtur. *Mons Caucasus* ab India vsque ad Taurũ porrectus, pro gentium & linguarum varietate quoquo versum vadit, diuersis nominibus nuncupatur. Vbi autem ad orientem in excelsiorem consurgit sublimitatem: propter niuium candorem Caucasus nuncupatur. Nã orientali lingua Caucasum significat candidum: id est, niuibus dẽsissimus candidantem. Vnde & cum Scythæ qui eidem monti iunguntur, Casim vocauerunt. Casim enim apud eos candor siue nix dicitur. Mons *Taurus* à plerisque idem vocatur qui & Caucasus. *Libanus* mons Phœnicum altissimus, cuius meminerunt prophetæ: dictus à thure, quia ibi colligitur. cuius ea pars quæ est super eum ad orientalem plagam respiciens, Antilibanus appellatur, id est, contra Libanum. *Ararath* mons Armeniæ in quo arcam historiæ post diluuium resedisse testantur. Vnde & vsque hodie ibidem lignorum eius videntur vestigia. *Acroceraunij montes* propter altitudinem, & fulminum iactus vocati sunt. Gręcè enim κεραυνὸς fulmen dicitur. Sunt autem inter Armeniam & Iberiam. incipientes à portis Caspiis vsque ad fontem Tigridis fluuij. *Hyperborei montes* Scythiæ dicti, quòd supra, id est vltra eos flat Boreas. *Riphæi montes* in capite Germaniæ sunt à perpetuo ventorum flatu nominati. Nam ῥιπὴ Græcè impetus & ὁρμὴ dicitur, ἀπὸ τοῦ ῥίπτειν. *Olympus Mons* Macedoniæ nimium præcelsus, ita vt sub illo nubes esse dicantur. De quo Virgilius, Nubes excedit Olympus. Dictus autẽ Olympus, quasi ὁλολάμπρος, id est quasi cœlum. Hic mons Macedoniam diuidit à Thracia. *Athos mons* Macedoniæ, & ipse altior nubibus, tantóque sublimis, vt in Lemnum vmbra eius pertendat, quæ ab eo lxxvj. millibus separatur. *Parnassus mons* est Thessaliæ iuxta Bœotiam, qui gemino vertice est erectus in cœlum. Hic in duo finditur iuga Cirra & Nisa. vnde & nuncupatus, eo quod in singulis iugis colebantur Apollo & Liber. Hæc iuga à duobus fratribus Cithæron & Helicon appellantur. Nam Helicon dictus ab Helicone fratre Cithæronis. Item *Ceraunij sunt montes* Epiri à crebris dicti fulminibus: Græcè enim fulmen κεραυνὸς dicitur. *Apenninus* mons appellatus, quasi alpes *Pœninæ*: quia Hannibal veniens ad Italiã easdẽ alpes aperuit, vnde & Virgilius, Alpes immittit apertas. Has enim Hannibal post bella Hispaniæ aceto rupit. Iuuenalis, Et mõtem rupit aceto. Et indè loca ipsa quæ rupit Apenninæ alpes vocantur. *Mons Ætna* ex igne & sulphure dictus: vnde & Gehenna. Cõstat autem hunc ab ea parte qua Eurus & Africus flat, habere speluncas plenas sulphuris, & vsque ad mare deductas: quæ speluncæ recipientes in se fluctus ventũ creant, qui agitatus ignem gignit ex sulphure, vnde fit quod videtur incendium. *Pirenæus* & ipse à crebris fulminum ignibus nuncupatus. Græcè enim ignis πῦρ vocatur, Iste est qui inter Galliã atque Hispaniam quasi de industria munimentum interiacet. *Solurius* à singularitate dicitur, quòd omnibus Hispaniæ montibus solus altior videatur, siue quòd oriente sole antè radius eius in eo quàm ipse cernatur, qui *Calpes* mons in vltimis finibus Oceani, dirimit

dirimit Europam ab Africa, quem Athlantis finem esse dicunt, de quo Lucanus, Hesperiā Calpen: summúmque impleuit Athlantem. *Athlas* Promethei frater fuit & rex Africæ, à quo astrologiæ artem, prius dicunt excogitatam. idcóque dictus est sustinuisse cælum. Ob eruditionē igitur eius disciplinę & scientiam cæli nomen eius in montem Africæ deriuatum est: qui nunc Athlas cognominatur, qui propter altitudinem suam quasi cęli machinam atque astra sustentare videtur. *Alpes* autem propriè montes Gallię sunt, de quibus Virgilius, Aerias alpes. Et dicendo aerias, verbum expressit à verbo. Nam Gallorum lingua alpes montes alti vocantur. Hæ sunt enim quæ Italiæ murorum exhibent vicem. *Colles* sunt præeminentiora iuga montiū, quasi colla. *Iuga* autem montium ex eo appellata sunt: quòd propinquitate sui iungantur. *Tumulus* est mons breuis, quasi tumens tellus. Item tumulus terra congesta, vbi nulla memoria est. *Valles* sunt humilia loca, quasi vulsa. Hinc & conualles, depressa loca terrarum inter montes. *Campus* est terrarum planities. Dictus autem campus quod breuis sit pedibus, nec erectus vt montes: sed patens & spatio suo porrectus & iacens. vnde & Græcè πεδίον dicitur. Sumpsit autem nomen ex Græca etymologia. χαμαὶ enim Græci humi dicunt. *Solum* est omne quod sustinet, à soliditate dictum scilicet. vnde & de mari Virgilius ait, Sub tractúmque solum. *Saltus* sunt vasta & syluestria loca, vbi arbores exiliunt in altū. *Fauces* sunt angustorum locorum aditus inter arduos montes loca angusta & breuia, dicta à faucium similitudine, quasi foces. *Cōfrages* loca in qua vndique venti currunt, ac saxa frangunt: vt Neuius ait: In montes vbi venti frangebant locum. *Scabra* sunt loca situ aspera. Vnde & scabies dicitur, à corporis asperitate. *Lustra* obscura latibula ferarum & luporum cubilia sunt, vnde & lupanaria lustra dicuntur, per contrarium videlicet, quia parum lustrantur. *Lucus* est locus densis arboribus septus, soli lucem detrahens. Potest & à collucendo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religionem Gentilium cultúmque fiebant. *Deserta* vocata quia non seruntur, & ideo quasi deseruntur: vt sunt loca siluarum & montium, contraria vberrimarum terrarū quæ sunt vberrimæ glebæ. *Deuia* sunt loca secreta & abdita quasi extra viam. Ipsa sunt & inuia. Inde & auiaria secreta loca. & à via remota: aut tantùm adibilia auibus. Vnde est illud, Inculta rubent auia baccis. *Amœna* loca Varro dicta ait, eo quòd solum amorem præstent, & ad se amanda alliciant. Verrius Flaccus. quòd sine munere sint, nec quicquā in his officij, quasi amunia, hoc est, sine fructu, vnde nullus fructus exsoluitur. Inde etiā nihil præstantes, immunes vocantur. *Aprica* loca quæ sole gaudent, quasi ἄνευ φρίκης, id est, sine frigore: siue quòd sint aperto cælo. *Opaca verò loca* quasi operto cælo, aprico cōtraria. *Lubricum* dici constat locum ab eo quòd ibi quis labitur: & lubricum dicitur, nō quòd labitur, sed in quo labitur. *Æstiua* sunt loca vmbrosa, quibus per æstatem vitant pecora solis ardorem. Statius, Et vmbrosi patuere æstiua Lycæi. *Naualia sunt loca* vbi naues fabricantur. Hoc & textrinum vocatur. *Portus* autem locus est ab accessu ventorum remotus, vbi hiberna opponere solēt. Et portus dictus à deportandis commerciis. Hūc veteres à baiulandis mercibus baias vocabant, illa declinatione à baia baias, vt à familia familias. *Litus*, est terra aquæ & mari vicina. Et dictum litus, quia fluctu eliditur, vel quòd aqua alluitur, Cicero in Topicis, Litus est quod fluctus alludit. *Circumluuium* locus quem aqua circumluit. Alluuium consumptio riparū ex aquis. *Margo* est pars cuiuslibet loci, vt puta maris, vnde & nomen accepit. *Maritima* quasi maris intima. *Ostia* ab ingressu & exitu fluminis dicta in mari. *Continens* perpetua terra, nec vllo mari discreta, quem Græci ἤπειρον vocant.

De inferioribus terræ.

Cap. IX.

Specus est fossa sub terra quę prospici potest. σπηλαῖα Græcè, spelunca Latinè. *Spiracula* appellata omnia loca pestiferi spiritus quem Græci χαρώνεια appellant, vel Acherōtea. Etiam Varro spiraculū dicit huiuscemodi locū, & spiracula ex eo dicūtur loca, quæ terra spiritū edit. *Hiatus* præruptio terræ profunda, quasi hiatus. Proprie autē hiatus est hominis oris apertio, translata à feris, quarū auiditas oris adapertione monstratur. *Profundum* propriè quasi cuius porro sit fundus. Abusiuè autem profundū vel sursum vel deorsum dicitur. vt Maria ac terras cælúmq; profundū. *Barathrum* nimiæ altitudinis nomē est, & dictum baratrū quasi vorago atra, scilicet à profunditate. *Erebus* inferorum profunditas atque profussus. *Styx* ἀπὸ τῆς στυγνότητος, id est à tristitia dicta, eo quòd tristes faciat, vel quòd tristitiā gignat. *Cocytus* locus inferi. Cocytus autem nomē accepit Græca interpretatione, à luctu & gemitu. *Tartarus* vel quia illic omnia turbata sunt ἀπὸ τοῦ ταράττειν, vel quod verius ἀπὸ τῆς τρίζεως, id est à timore frigoris, quod est algere, scilicet quia luce soléque caret. Nam neque illic vapores sunt, qui ex solis luce gignuntur, neque flatus qui eiusdem motib. incitantur, sed perpetuus stupor. ταρταρίζειν enim horrere & tremere apud Græcos

legitur. Illic enim erit fletus & stridor dentium. *Gehenna* est locus ignis & sulphuris, quem putant ita nominatum à valle idolis consecrata, quæ est iuxta murum Hierusalē, repleta olim cadaueribus mortuorum. Ibi enim Hebræi filios suos immolabant dæmonibus, & appellabatur locus ipse Gehennon. Futuri ergo supplicij locus vbi peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo designatur. Duplicem autem esse gehennam & ignis & frigoris in Iob legimus. *Inferus* appellatur eo quòd infra sit. Sicut autem secūdum corpus si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia grauiora: ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora, vnde & in Græca lingua origo nominis quo appellabatur inferus: ex eo quòd nihil suaue habeat, resonare perhibetur. Sicut autem cor animalis in medio eius est, ita & infernus in medio terræ esse perhibetur. Vnde & in Euangelio legimus, In corde terræ. Philosophi autem dicunt quòd inferi pro eo dicantur, quòd animæ hinc illinc ferantur.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI ORIGINVM, SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XV.

CAPITA LIBRI QVINTIDECIMI.

De ciuitatibus. Cap. I.

De autoribus conditarum vrbium plerunque dissensio inuenitur: adeò vt nec vrbis quidem *Romæ* origo diligenter possit agnosci. Nam Salustius dicit: vrbem Romam sicuti ego accepi condidere atque habitauere in initio Troiani, & cum iis Aborigines. Alij dicunt ab Euandro, secundum quod Virgilius dicit, Tunc rex Euandrus Romanæ conditor arcis. Alij à Romulo, vt Ennius, His nata auspiciis illa inclita Roma. Si igitur tantæ ciuitatis certa ratio non apparet, non mirum si in aliarum opinione dubitatur. Vnde nec historicos nec commentatores varia dicentes imperitè cōdemnare debemus, quia antiquitas ipsa creauit errorem. Sanè quasdam de quibus aut Sanctæ scripturæ, aut historiæ gentium certā originem referunt, paucis admodum verbis retexere oportet. Primus ante diluuiū Cain ciuitatem *Enoch* ex nomine filij sui in India condidit: quam vrbem sola multitudine suæ posteritatis impleuit. Primus post diluuionē Nembroth gigas *Babylonem* vrbem Mesopotamiæ fundauit. Hanc Semiramis regina Assyriorum ampliauit, murúmque vrbis bitumine & cocto latere fecit. Vocabulum autem sumpsit à confusione: eo quòd ibi cōfusæ sint atque permixtæ linguæ ædificantium turrim. Iudæi asserunt Sem filium Noe, quē dicunt Melchisedech, primum post diluuium in Syria condidisse vrbem *Salem*: in qua regnum fuit eiusdem Melchisedech. Hanc postea tenuerunt Iebusæi: ex quibus & sortita est vocabulum Iebus: sicque duobus nominibus copulatis, Iebus & Salē, vocata est Hierusalem, quæ postea à Salomone Hierosolyma quasi Ierosolomonia dicta est. Hæc & corruptè à poetis Solima nūcupata est, & postea ab Ælio Adriano *Elia* vocitata est. Inde ipsa est & *Sion*, quę Hebraicè speculatio interpretatur, eo quòd in sublimi constructa sit, & de longè venientia contempletur. Hierusalem autem pacifica in nostro sermone transfertur. Oppida nobilia, qui vel quæ constituerunt. Dionysius, qui & Liber pater, cùm Indiam victor præambulasset, *Nisam* vrbem ex suo nomine iuxta Indū fluuium condidit, & quinquaginta milibus hominum impleuit.

Medus autem Egæi filius *Mediam* construxit. vnde & regio eius Mediæ nomen sortita est. *Persipolim*, vrbem caput Persici regni Perseus Adiæ filius condidit formosissimam confertissimámque opibus, à quo & Persida dicta est. *Ctesiphontem* quoque parti apud Parthiam condiderunt, in æmulationem Babyloniæ vrbis. *Susis*, oppidum Persidæ aiunt Memnonis fratrem constituisse. Dictum autem Susis quod immineat Susæ fluuio. Ibi est regia Cyri, lapide candido & vario cum columnis aureis, & lacunaribus gemmísque distincta, continens etiam simulacrum cæli, stellis micantibus præsignatum, & cætera humanis mentibus incredibilia. *Bactrum*, oppidum Bactriani condiderunt ex proprio amne illud cognominantes, qui Bactrus vocatur. *Carra* ciuitas Mesopotamiæ trans Edissam condita à Parthis, vbi quondam Romanus est cæsus exercitus, & Crassus dux captus. *Edissam* vrbem Mesopotamiæ condidit Nembroth filius Chus postquam de Babylone migrauit, in qua & regnauit, quæ antè Iare cognominata est. Ipse construxit & Calamie quæ postea verso nomine à Seleuco rege dicta est Seleucia. *Philadelphiam* vrbem Arabiæ condidit Kaphaim: gens antiquissima, quam interfecerunt filij Loth. *Seleucus*, vnus ex pueris Alexãdri post mortem eiusdem Alexandri occupato regno orientis vrbem in Syria condidit, eánque ex Antiochi patris sui nomine *Antiochiam* nuncupauit, & Syriæ caput instituit. Ipse quoque *Laodiciam* & *Seleuciam*: ipse *Apamiam* & *Edissam* vrbem construxit. *Damascus*, Syriæ condita [illegible] à Damasco dispensatore Abrahæ filio. Hæc antea in omni Syria tenuit principatum. Necdum enim efflorebant ibi Antiochia, Laodicia, & Apamia: quas vrbes post Alexandrum constructas esse cognoscimus. Hic est Damascus quem Abrahã futurum sibi hæredem dixerat, antequam esset illi promissus Isaac. *Gazam*, oppidum Palestinæ cõdiderunt Euæi, in qua habitauerũt Cappadoces pristinis cultoribus interfectis. Vocata autem Gaza, eo quòd ibi Cambyses rex Persarum thesauros suos posuit, cùm bellum Ægyptiis intulisset Persarum enim lingua thesaurus Gaza nominatur. Philistim vrbem condiderunt Allophili, ipsa est *Ascalon*, de qua superius memorauimus: nũcupata ex nomine Cesloim, qui fuit nepos Cain & filius Mistraim. *Dor* vrbs fuit quondam potẽtissima, & versa vice *Stratonis turris*: postea ab Herode rege Iudææ in honorem Cæsaris Augusti Cæsarea nuncupata In qua Cornelij domum Christi vidit Ecclesia, & Philippi ediculas, & cubiculum quatuor virginũ prophetarũ. *Ioppe*, oppidum Palæstinę maritimũ. Idẽ Palæstini ædificauerunt, vbi saxum ostenditur, quod vinculorum Andromediæ adhuc vestigia retinet: cuius beluæ forma eminentior elephãtis fuit. *Iericho*, à Iebusæis condita traditur: à quibus & nomen traxisse perhibetur. hanc subuertit Iesus. Postquam instruxit aliam Ozam de Bethel ex tribu Ephraim. Sed & hæc eo tempore quo Hierusalem oppugnabatur à Romanis, propter perfidiam ciuium capta atque destructa est. postquã tertia ædificata est vrbs, quæ vsque hodie permanet. *Sichem*, Samarię vrbem, quę Latinè & Grecè Sicima vocatur, ædificauit Emor, appellauítque eam nomine Sichem filij sui. Ipsa est nũc Neopolis ciuitas Samaritanorũ. *Bethel*, vrbẽ Samariæ condiderunt Iebusæi: quæ prius vocabatur Luz, sed postquam dormiens ibi Iacob vidit scalam innitentem cęlo & dixit, Verè hæc domus Dei est & porta cæli: hac ex causa nomen locus accepit Bethel: id est domus Dei. Quando autem ibi ab Ieroboam vituli fabricati sunt, vocata est Bethauen id est domus idoli, quæ antea vocabatur domus Dei. *Bethleem Iuda*, ciuitas Dauid, quæ mundi genuit saluatorem, à Iebusęis condita fertur, & vocata primùm Effrata. Quando autem Iacob ibi pecora sua pauit, eidem loco Bethleẽ nomen quodam vaticinio futuro imposuit, quòd domus panis interpretatur, propter eũ panem qui ibi de cælo descendit. *Ebron*, ciuitas Iudææ, quæ quondam vocabatur Arbe, condita est à gigantibus ante septem annos quam ab eis Tanis vrbs Ægypti conderetur. Ipsa est Arbe à numero ita vocata, quòd ibi tres patriarchæ sepulti sunt, & quartus Adam. Ipsa est Mambre vocata: ex vno amico Abrahæ. *Samariam*, à qua omnis regio quæ circa eam fuit, nomen accepit. Sennacherib rex Assyriorum construxit, vocauitque Samariam, id est, custodiam, quam quando Israel transtulit, ibi constituit. Hanc obsidione captam Antiochus solo coequauit. Quam postea Herodes à fundamẽtis instaurans, in honorem Augusti, Augustã, id est Sebastiam Græco sermone vocauit. Ibi sepulti sunt Helisęus & Abdias Prophetæ, & quo maior inter natos mulierem non fuit Baptista Ioannes. *Tiberiadem* vero Herodes alius in Iudæa in nomine Tiberij Cæsaris condidit. *Tyrus*, vrbs Phœnicum condita à Phœnicibus fuit. Hæc est ciuitas, ex qua aurum regi Salomoni deferebatur, in qua optima purpura tingitur. Vnde & Tiria dicitur nobilis purpura. Phœnices à Rubro mari profecti, *Sidonem* vrbem opulentissimam condiderunt: quam à piscium copia Sidon appellauerunt, Nam piscem Phœnices *Sidon* vocant. Ipsi etiam *Tyrum* in Syria: ipsi *Vticam* in Africa, *Hipponem*, *Leptim*, aliásque vrbes in ora maritima condiderunt. Ipsi *Thebas* in Bœotia duce Cadmo: ipsi po-

ſtremò in vltima orbis tendentes vrbem in Oceano condiderunt, eámque lingua ſua Gades nominauerunt. Nam mos erat antiquus Phœnicum gentis, cum multis ſimul mercandi cauſa à domo proficiſci, & cùm incolarum animos commercio rerum iis antè incognitarum ſibi conciliaſſent, loca quæ condendis vrbibus idonea videbantur capere. Ex iis profecta & Dido in litus Africæ vrbem condidit, & *Carthadam* nominauit, quod Phœnica lingua exprimit ciuitatem nouam. mox ſermone verſo Cartago eſt dicta hanc Scipio deleuit. Quæ autem nunc eſt, poſtea à Romanis eſt condita. Cartago autem antea *Birſa*, poſtea *Tyrus* dicta eſt, deinde Cartago. *Memphim*, ciuitatem Aegypti ædificauit Epaphus Iouis filius, cùm in ſecunda Aegypto regnaret. Hæc eſt vrbs in qua charta naſcitur, vbi etiã optimi mathematici fuerunt. Nam hanc vrbem magicis artibus deditam, priſtini vſque ad præſens tempus veſtigia erroris oſtendũt. *Tanis*, Metropolis Aegypti, vbi Pharao fuit, & Moyſes cuncta ſigna fecit, quæ in Exodo ſcribuntur. Hanc conſtruxiſſe perhibentur Titanes, id eſt gigantes, & ex ſuo nomine nuncupauerunt. *Aeliopolis* vrbs Aegypti, quæ Latinè interpretatur ſolis ciuitas, ſicut lxx. interpretes arbitrantur. Aedificata eſt autem à filiis Iſrael, in qua Phutifares ſacerdos fuit, cuius meminit Ezechiel. *Vrbem Alexandrinam* condidit Alexander magnus, cuius & nomen detinet. Hanc enim idem in terminis regionis Africæ & Aegypti conſtituit, & caput eſſe regionis Africæ & Aegypti iuſſit. Interiacet autem inter Aegyptum & mare: quaſi clauſtrum, importuoſa. Hæc eſt vrbs Aegypti, poſtea verſa in Alexandriam. *Thebas Aegyptias* condidit Cadmus, quæ inter Aegyptias vrbes numero portarum nobiliores habentur, ad quàs commercias Arabes vndique ſubuehunt. Hinc regio Aegypti Thebais dicta eſt. Thebæ autem & Bœotię ſunt & Aegyptiæ, vno tamen auctore ſunt conditæ. *Ptolemais* & *Berenice* à regibus Aegyptiis nominatæ à quibus & ædificatæ fuerunt. *Cæſaream Cappadociæ*, Philippus in honorem Cæſaris ædificauit. *Tarſum Ciliciæ*, Danaes proles Perſeus ædificauit. de qua ciuitate Paulus Apoſtolus, Natus, inquit, Tarſo Ciliciæ. Quidam etiam locus Indiæ Tarſus vocatur. *Seleuciam Iſauriæ* condidit Seleucus: qui & Antiochiam. Ilus autem Apollinis filius in Phrygia *Ilium* condidit. Amazones *Epheſum* in Aſia conſtruxerunt. Theſeus verò Smirnam conſtruxit, quæ Homero poetæ patria extitit, & Smirna vocata, quòd eius campos Ermus fluuius ſecat. *Dioſcoriam*, Colchorum vrbem Amphitus & Circius aurigæ Caſtoris & Pollucis fabricauerunt, ex eorum nomine eam cognominantes. Nam Caſtor & Pollux Græcè Διόσκουροι appellantur. *Nicomedia* à Nicomedo rege Bithiniæ ædificata eſt. *Bithinia*, condita à Phœnice, quæ primùm Mirandina vocabatur. *Conſtantinopolim*, vrbem Thraciæ Conſtantinus ex nomine ſuo inſtituit, ſolam Romę meritis & potentia adæquatam. Hęc condita primùm à Pauſania rege Spartanorum, & vocata *Byzantium*, vel quòd tantùm pateat inter Adriaticum mare & Propontidem, vel quòd ſit receptaculum terrę mariſque copiis. Vnde & eam Conſtantinus aptiſſimam condere iudicauit, vt receptaculum ſibi terra marique fieret. Vnde & nunc Romani imperij ſedes & totius caput eſt orientis: ſicut & Roma occidentis. *Epirus*. Thraciæ condita eſt à Pyrrho & cognominata. *Athenas*, in Hellade Cecrops condidit, & ex ſuo nomine cecropiam nominauit: hanc Amphion qui in Gręcia tertius poſt cecropem regnauit, Mineruę ſacrauit, & nomen ciuitati Athenas dedit. Nam Minerua Græcè Ἀθήνη dicitur. vnde & Mineruam Gręci inuentricem multarum artium aſſerunt, quia & literæ & artes diuerſorum ſtudiorum, & ipſa Philoſophia veluti templum Athenas habuerunt. *Corinthum*, in Achaia condidit Corinthus Oreſtis filius. Hanc Græci Corintheam vocant, hoc eſt, adminiſtrationem reipublicæ. *Thebas Bœotiæ*. Cadmus veniens à Phœnicibus condidit, Thebis Aegyptiis prius ab eo conſtructis. *Mycenas* Lacedęmonia condita à Lacedæmone Semele filio. *Sparta* à Sparto filio Phoronei vocata: qui fuit filius Inachi. Ipſam autem eſſe Spartam, quam & Lacedæmoniam ciuitatem, atque inde Lacedæmonios Spartanos dici. *Achaia*, ab Achæo conſtructa. Pelops qui apud Argos regnauit. *Peloponenſem vrbem* condidit. *Cecrops* in inſula Rhodo. *Rhodum* ędificauit. Carparus *Coum*. Acos Tifonis filius *Paphum*. Angæus Licurgi filius, *Samum*. Dardanus autem cõdidit *Dardaniam*. *Theſſalonicam* Theſſalus Græci filius ædificauit, in qua etiam regnauit. *Brunduſiũ*, conſtruxerunt Græci. Brundiſium autem dictum eſt Græcè, quòd *brunda* caput cerui dicatur: ſic eſt enim vt & cornua videantur: & caput & lingua in poſitione ipſius ciuitatis. In Italia autem à Iano *Ianiculum*: à Saturno *Saturnia* atque *Latium* conditum, eò quòd ibi fugiens latuiſſet, cognominatũ. Ab Hercule in Cãpania *Pompeia*, qui victor ex Hiſpania pompam boum duxerat. Aeneas autem poſt excidium Troiæ in eandem Italiam veniens, ab vxoris nomine *Lauiniam* condidit. Aſcanius verò relicto Lauiniæ nouercæ ſuæ regno, *Albam longam* ædificauit. Alba autem vocata propter colorem ſuis, longa, quia longum oppidum eſt, iuxta prolixi-

prolixitatem collis in quo positum est. Ex hac etiam vrbe reges Albanorum appellari cœperunt. *Capuam* Capis Siluius rex Albanorum construxit, appellatam nomine cõditoris, licet & sint qui dicant à capacitate eam Capuã dictam, quòd eius terra omnem vitæ fructum capiat: alij, à locis campestribus in quibus sita est. Est autem caput vrbium Campaniæ, inter tres maximas Romam, Cartaginémque numerata: ex qua & prouincia Italiæ Campania dicta est. Romulus cùm interfecto apud Albam Amulio, auum Numitorem in regnum constituisset, in eum locum vbi nunc Roma est deuenit: ibíque sedes posuit, mœnia construxit, vrbémque ex nomine suo *Romam* vocauit. Hanc autem antè Euander dicitur condidisse, vt est illud, Tunc pater Euander Romanæ conditor arcis. Ancus Martius ex filia Numæ Pompilij natus, hic vrbem in exitu Tiberis condidit, quæ & peregrinas merces exciperet, & hostem moraretur, quam ab ipso situ *Ostiam* appellauit. Galli quidam intestina discordia & assiduis dissensionibus suorum permoti, sedes nouas quærentes Italiam profecti sunt: sedibúsque propriis Tuscis expulsis, *Mediolanum* atque alias vrbes condiderunt. Vocatum autem Mediolanum, ab eo quòd ibi sus in mediolanea perhibetur inuenta. Historiis placet à Messappo Græco *Mesappiæ* datam originem, versa post modum in nomen Calabriæ, quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominauerat. Manto Tiresiæ filia post interitum Thebanorum dicitur delata in Italiam *Mantuam* condidisse. Est autem in Venetia quæ Gallia Cisalpina dicitur. Et Mãtua dicta, quòd manes tuetur. *Parthenopea* à Parthenope virgine quadam illic sepulta, Parthenopia appellata: quòd oppidum postea Augustus *Neapolim* esse maluit. Ad promontorium Leucatem in quo tractu Apollinis templum fuit, bellum Augustus contra Antonium gessit. Quo victo, vrbem in Actiaco sinu condidit: quam à victoria *Nicopolim* appellauit. Palantus Partheniorum dux *Parthenios* constituit. Taras Neptuni filius fuit, à quo *Tarentũ* ciuitas & cõdita appellata est. Cùm Cyrus maritimas vrbes Græciæ occuparet, & Phocenses ab eo expugnati omnibus angustiis premerẽtur, iurauerunt vt profugerent quàm longissimè ab imperio Persarum, vbi ne nomen quidem eorum audirent: atque ita in vltimos Galliæ sinus nauibus profecti, armísque se aduersus Gallicam feritatem tuentes, *Massiliam* condiderunt, & ex nomine ducis nuncupauerunt. Hos Varro trilingues esse dicit: quòd & Græcè loquantur, & Latinè & Gallicè. *Narbonam* & *Arelatum* & *Pictauium* coloni proprij condiderunt. *Burdegalim* appellatam ferunt, quòd *Burgos* Gallos primùm colonos habuerit: quibus antea cultoribus impleta est. *Terraconam* in Hispania Scipiones construxerunt: ideò caput est Terraconensis prouinciæ. *Cæsaraugusta* Terraconensis Hispaniæ oppidum à Cæsare Augusto & situm & nominatum loci amœnitate & delitiis præstantius ciuitatibus Hispaniæ cunctis, atque illustrius, florens sanctorum martyrum sepulturis. Afri sub Hannibale maritima Hispaniȩ occupantes, *Carthaginem Spartiariam* construxerunt, quæ mox à Romanis capta & colonia facta, nomen etiam prouinciæ dedit. Nunc autem à Gothis subuersa atque in desolationem redacta est. *Saguntum* Græci ex insula Zacyntho profecti in Hispaniam condiderunt: quam Afri postea bello impetitam deleuerunt. *Emeritam* Cęsar Augustus ædificauit, postquam Lusitaniam & quasdam Oceani insulas cepit: dans ei nomẽ ab eo quòd ibi milites veteranos constituisset. Nam emeriti dicuntur veterani, solutíque à militia. *Vlyssipona* ab Vlysse condita & nuncupata: quo loco sicut historiographi dicunt, cœlum à terra, & maria disiunguntur à terris. *Hispalim* Cæsar Iulius condidit, quam ex suo nomine, & Romæ vrbis vocabulo *Iuliam Romulam* nuncupauit. *Hispalis* autem à situ cognominata est, eo quòd in solo palustri suffixis profundo palis locata sit: ne lubrico atque instabili fundamento caderet. *Gades* oppidum à Pœnis conditum: qui & Carthaginem Spartariam condiderunt. *Septa* oppidum à montibus septem: qui à similitudine fratres vocati Gaditano imminent freto. *Tingis* ciuitas & *Lixus* Anteus auctor est, quem Hercules fertur luctæ certamine superatum interfecisse. Lix autem à Lixo flumine Mauritaniȩ nuncupata, vbi antea regia fuit & Sala quòd immineat Salæ flumini. *Cæsaream* Mauritaniæ oppidum Iuba rex Maurorum in honorem Cæsaris Augusti condidit: quam ex eius nomine Cæsaream appellauit: sicut Herodes aliam Cæsaream in Palestina, quæ nunc est vrbs clarissima. *Icosium* Cæsariensis Mauritaniæ oppidum, Hercule illic transeunte, viginti à comitatu eius discedentes construxerunt. Hanc ne quis imposito à se nomine priuatim gloriaretur, de cõdentium numero vrbi Icosio nomen est datum. Cyrene regina fuit Libyæ quæ ex suo nomine *ciuitatem Cyrenem* condidit: ex qua & Libyam Cyrenensem vocauit.

De ædificiis publicis.

CAP. II.

Ciuitas est hominum multitudo societatis vinculo adunata, dicta à ciuibus, id est ab

incolis ipſis vrbis, pro eò quòd plurimorum conſciſcat & contineat vitas. Nam vrbs ipſa mœnia ſunt: ciuitas autem non ſaxa, ſed habitatores vocantur. ¶ Tres autem ſunt ſocietates familiarum, vrbium, gentium. *Vrbs* vocata ab *orbe*, quòd antiquæ ciuitates in orbe fiebant: vel *ab vrbo* parte aratri quo muri deſignabantur, vnde eſt illud, Optauítque locum regno & concludere ſulco. Locus enim futuræ ciuitatis ſulco deſignabatur, id eſt aratro. Cato, *Qui vrbem* inquit, *nouam condit, Tauro & vacca aret, vbi arauerit, murum faciat: vbi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat & portet, & portam vocet.* Ideò autem vrbs aratro circundabatur diſpari ſexu iuuencorum, propter commixtionem familiarum, & imaginem ſerentis, fructúmque reddentis. Vrbs autem aratro conditur: aratro vertitur. Vnde Horatius, Imprimerétque muris hoſtile aratrum. *Oppidum* quidam ab oppoſitione murorum dixerunt: alij ab opibus recondendis: eo quòd ſit munitum, alij quòd ſit in eo conuentus habitantium, & opem det mutuam contra hoſtem. Nam primùm homines tanquam nudi & inermes, nec contra beluas præſidia habebant, nec receptacula frigoris & caloris, nec ipſi inter ſe homines ab hominibus ſatis erant tuti. Tandem naturali ſolertia ſpeluncis ſilueſtribúſque tegumentis tuguria ſibi & caſas virgultis arundinibúſque contexuerunt, quò eſſet vita tutior, ne iis qui nocere poſſent aditus eſſet. Hæc eſt origo oppidorum, quæ quòd opem darent, idcircò oppida nominata dixerunt. Oppidum autem magnitudine & mœnibus diſcrepat à vico, & caſtello & pago. Ciuitates autem aut *coloniæ*, aut *municipia*, aut *vici*, aut *caſtella*, aut *pagi* appellantur. *Ciuitas* propriè dicitur quam non aduenæ, ſed eodem innati ſolo condiderũt. Ideóque vrbes à proprijs ciuibus conditæ, ciuitates non coloniæ nuncupantur. *Colonia* verò eſt quæ defectu indigenarum nouis cultoribus adimpletur. Vnde & Colonia à cultu agri eſt dicta. *Municipium* eſt quod manente ſtatu ciuitatis ius aliquod minoris aut maioris officij à principe impetrat. Dictum autem municipium à muniis, id eſt officiis, quòd tantùm munia, id eſt tributa dedita, vel munera reddant. Nam liberales & famoſiſſimæ cauſæ, & quæ ex principe proficiſcuntur, ibi non aguntur. Hæc enim ad dignitatem ciuitatum pertinent. *Vici* & *caſtella* & *pagi* ij ſunt, qui nulla dignitate ciuitatis ornantur, ſed vulgari hominum cõuentu incoluntur, & propter paruitatem ſui maioribus ciuitatibus attribuuntur. *Vicus* autem dictus à vicinis tantùm habitatoribus, vel quòd vias habeat tantùm ſine muris. Eſt autem ſine munitione murorum, licet & vici dicantur ipſæ habitationes vrbis. Dictus autẽ vicus, eo quòd ſit vice ciuitatis, vel quòd vias habeat tantùm ſine muris. *Caſtrum* antiqui dicebant oppidum loco altiſſimo ſitum, quaſi caſam altam: cuius pluralis numerus caſtra, diminutiuum caſtellum eſt: ſiue quòd caſtrabatur licentia inibi habitantium, ne paſſim vaga noſtri pateret. *Pagi* ſunt apta ædificiis loca inter agros habitantibus. Hæc & conciliabula dicta, à conuentu & ſocietate multorum in vnum. *Competa* ſunt vbi vſus eſt conuentus fieri ruſticorum, & dicta competa quia multa loca in agris eodem competunt, & quò conuenitur à ruſticis. *Suburbana* ſunt circumiecta ciuitatis ædificia, quaſi ſub vrbe. *Mœnia* ſunt muri ciuitatis, dicti ab eo quòd muniant ciuitatem, quaſi munimenta ciuitatis, id eſt tutamenta. *Munium* autem dictum, quaſi manu factum: ſic & *muri* à munitione dicti, quaſi muniti: eo quòd muniant & tueantur interiora vrbis. *Mœnia* autem duplicem habent ſignificationem. Nam interdum mœnia abuſiuè dici ſolent omnia ædificia publica ciuitatis vt, Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis. Propriè autem mœnia ſunt tantùm muri. *Murus* autem turribus propugnaculíſque ornatur. *Turres* vocatæ quòd teretes ſint & longæ. *Teres* enim eſt aliquid rotundum cum proceritate, vt columna. Nam quanuis quadratæ aut latæ cõſtruantur, procul tamen videntibus rotundæ exiſtimantur, ideò quia omne cuiuſque anguli ſimulachrum per longum aeris ſpacium euaneſcit atque conſumitur, & rotundũ videtur. *Propugnacula* pinnæ murorum ſunt dicta, quia ex his propugnatur. *Promurale* verò eo quòd ſit pro munitione muri. Eſt enim murus proximus ante murum. *Porta* dicitur: quia poteſt vel importari vel exportari aliquid. Propriè autem porta aut vrbis aut caſtrorum vocitatur, ſicut ſuperiùs dictum eſt. Vicus, vt prædictum eſt, ipſę habitationes vrbis ſunt, vnde & vicini dicti. Viæ ipſa ſpatia anguſta quæ inter vicos ſunt. *Plateæ* perpetuæ ac latiores ciuitatum viæ ſunt: iuxta proprietatem linguæ Græcæ à latitudine nuncupatæ. πλάτος enim Græci latum dicunt. *Quintana* pars plateæ quinta eſt: qua carpentum progredi poteſt. *Cloaca* dictæ, quòd iis percolantur aquæ. Has primùm Romę feciſſe dicunt Tarquinium Priſcum, vt quotiens pluuiarum inundatio exiſteret, per eas aquæ extra ciuitatem emitterentur, ne maximis perpetuíſque tempeſtatibus planitiem vel fundamenta vrbium ſtrages aquarum ſubuerteret. *Imbuli*, vel quia ſub volumine ſunt, vel quia ſub iis ambulant. Sunt enim porticus hinc inde platearum. *Forus* eſt exercendarum litium locus à fando dictus, ſiue à Phoroneo rege, qui primus Græcis leges dedit. Hæc loca & proroſtra vocantur, ideò quòd

quod ex bello Punico captis nauibus Carthaginensium, rostra ablata sunt, & in foro Romano præfixa, vt essent huius insigne victoriæ. *Curia* dicitur, eo quòd ibi cura per senatum de cunctis administretur. *Prætorium*, eo quòd ibi prætor sedeat ad discutiendum. *Gymnasium* generalis est exercitiorum locus. Tamen apud Athenas locus erat vbi discebatur philosophia, & sapientiæ exercebatur studium. Nam γυμνάσιον Græcè vocatur, quod Latinè exercitium dicitur, hoc est meditatio. Sed & balnea, & loca cursorum & athletarum gymnasia sunt, eo quòd illic omnes in suæ artis studio exercitentur. *Capitolium*, Romæ vocatum, eo quòd fuerit Romanæ vrbis & religionis caput summum. Alij aiunt, cùm Tarquinius Priscus Capitolij fundamenta Romæ aperiret, in loco fundamenti caput hominis literis Tuscis notatum inuenit, & proinde Capitolium appellauit. *Arces*, sunt partes vrbis excelsæ atque munitę. Nam quæcunque tutissima vrbium sunt, ab arcendo hostem arces vocantur. Vnde & arcus & arca. *Circum*, Romani dictum putant à circuitu equorum, eo quòd ibi circum metas equi currant. *Theatrum* autem à spectaculo nominatum, ἀπὸ τῆς θεωρίας quòd in eo populus stans desuper atque spectans, ludos scenicos contemplaretur. *Amphitheatrum* verò vocatum, quòd ex duobus sit theatris compositũ. Nam amphitheatrum rotundum est, theatrũ verò ex medio amphitheatri est, semicirculi figuram habens. *Labyrinthus*, est perplexis parietibus ædificium, qualis est apud Cretam à Dedalo factus, vbi fuerit Minotaurus inclusus: in quo si quis introierit sine glomere lini, exitum inuenire non valet. Cuius ædificij talis est situs, vt aperientibus fores, tonitruum intus terribile audiatur. Descenditur centenis vltra gradibus, intus simulacra & monstriferæ effigies, in partes diuersas transitus innumeri per tenebras, & cætera ad errorem ingredientium facta, ita vt de tenebris eius ad lucem venire impossibile esse videatur. Quatuor sunt labyrinthi. Primus *Aegyptius*: secundus *Creticus*: tertius *in Lemno*: quartus *in Italia*, omnes ita constructi, vt dissoluere eos nec vlla secula quidem possint. ¶*Pharus*, turris est maxima: quam Græci & Latini in commune ab ipsius rei vsu Pharũ appellauerint: eo quòd flammarum indicio longè videatur à nauigantibus, qualem Ptolemæus iuxta Alexandriam construxisse octingentis talentis traditur. Vsus eius est nocturno nauiũ cursui ignes ostendere, ad pronuncianda vada, portúsque introitus, ne decepti tenebris nauigantes in scopulos incidant. Nam Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus habet. Hinc igitur in portubus machinas ad prælucendi ministerium fabricatas pharos dicunt. Nam φῶς lux est, ὁρᾶν videre. Vnde & lucifer Græcè φωσφόρος appellatur. *Cocleæ*, sunt altæ & rotundæ turres, & dictæ cocleæ, quasi cycleæ, quòd in eis tanquam per circulum orbémque conscendatur, qualis est Romæ clxxxv. pedibus. *Thermæ*, appellatæ quòd caleant. Græci enim θερμὸν calorem vocant. Balnæis verò nomen inditum à leuatione mœroris. Nam Græci βαλανεῖον dixerunt, quòd anxietatem animi tollat. Hæc & gymnasia dicuntur, quia ibi athletæ vncto corpore & perfricato manibus exercitantur. Nam γυμνάσιον Græcè, Latinè exercitium dicitur. γύμνης vero nudus. *Apodyterium*, vbi lauantium vestimenta ponuntur, ab exuendo dictum, ἀποδύειν enim Gręcè exuere dicitur. *Propina*, græcus sermo est, quę apud nos corruptè popina dicitur. Est autem locus iuxta balnea publica, vbi post lauacrũ à fame & siti reficiuntur. Vnde & propina & propinare dicitur. Πεῖνα enim Græcè famem significat, eo quòd hic locus famem tollat. *Taberna*, olim vocabantur ædiculæ plebeiorum paruæ & simplices in vicis, axibus, & tabulis clausæ, vnde & tabernariæ, quòd ibi soleant consedere. dictæ autem tabernæ quòd ex tabulis ligneis erant constructæ: quę nunc etsi non speciem: nomen tamen pristinum retinent. *Macellum* dictum, quòd ibi mactentur pecora, quæ mercantibus venundantur. *Mercatum* autem à commercio nominatum. Ibi enim res vendere vel emere solitum est, sicut & telonium dicitur, vbi merces nauium & nautarum emolumenta redduntur. Ibi enim vectigalis exactor sedet, precium rebus impositurus, & voce à mercatoribus flagitans. *Carcer* est à quo prohibentur exire, & dictus carcer à coercendo. Hinc Fronto, Vt pergræcari potius amœnis locis, quàm coerceri carcere videretur.

De habitaculis. CAP. III.

HAbitatio, ab habitando vocata, vt Habitare casas. *Domus*, ex Græca appellatione vocata. Nam δώματα Gręci tecta dicunt. Est autem domus vnius familię habitatio: sicut vrbs vnius populi: sicut orbis, domicilium totius generis humani. Omne ædificium antiqui *ædem* appellauerunt. Alij ædem ab ædendo quidem sumpsisse nomen existimant, dantes exemplũ de Plauto, Si vocassem vos in ædem ad prandium. Hinc & ædificiũ, eo quòd fuerit prius ad edendum factum. *Aula*, domus est regia siue spaciosum habitaculum, porticibúsque quatuor conclusum. *Atrium*, magna ædes est, siue amplior & spaciosa domus, & dictũ est atrium eo quod addantur ei tres porticus extrinsecus. Alij atrium quasi ab igne & ligno atrum dixerũt.

Atrum enim fit ex fumo. *Palatium*, à Palante principe Arcadum dictum: in cuius honore Arcades Palanteum oppidum construxerunt, & regiam in ipsius nomine conditam palatium vocauerũt. *Thalamum*, hac ex causa vocatum ferunt. Cùm enim raptæ fuissent à Romanis Sabinæ, ex quibus cum vna ante alias specie nobilis cum magna omnium admiratione raperetur, Talamoni duci eam oraculo respõsum est dari: & quoniam hę nuptiæ feliciter cesserant, institutum est, vt in omnibus nuptiis thalami nomen iteretur. Ægyptij quoque lingua sua loca in quibus nubentes succedunt & incubant, thalamum nominant. *Cœnaculum*, dictum à communione vescendi: vnde & cœnobium, congregatio. Antiqui enim publicè & in commune vescebantur, nec vllius conuiuium singulare erat, ne in occulto deliciæ luxuriam gignerent. *Triclinium*, est cœnaculum, à tribus lectulis discumbentium dictum. Apud veteres enim in loco vbi conuiuij apparatus exponebatur, tres lectuli strati erant, in quibus discumbentes epulabantur. Κλίνη enim Græcè lectus vel accubitus dicitur, ex quo confectum est, vt triclinium diceretur. *Cella*, dicta quòd nos occultet & celet. *Cubiculum* verò, quòd eo cubemus, ibique dormientes requiescamus. *Cubile* autem cubandi locus est. *Secessus* quòd sit locus secretus, id est sine accessu. *Diuersorium* dictum, eo quòd ex diuersis viis ibi cõueniatur. *Hospitium*, sermo Græcus est: vbi quis ad tempus hospitali iure inhabitat, & iterum inde transiens migrat. Inde & metatum, quia mutatur. Vnde & legitur, & Castra metati sunt pro mutauerunt. Non enim illic permanet exercitus, sed pertransit. *Mœniana*, dicta sunt quòd maneamus. Mœnianus collega Crassi in foro proiecit materias, vt essent loca in quibus spectantes insisterent, quæ ex nomine eius mœniana appellata est. Hæc & solaria, quia patent soli: post hæc alij lapide, alij materia ædificare porticibus mœniana, & foribus, & domibus adiecerunt. *Tabulata*, olim ligneæ domus fiebant. Inde nomen permanet tabulatorum. *Apogeum*, est constructum sub terris ædificium, quod nos antrium vel speluncam dicimus. *Solarium*, quòd soli & auræ pateat, qualis fuit locus in quo Dauid Bersabeam lauantem aspexit & adamauit. Cùm Hierosolymam Antiochus obsideret, Hircanus princeps Iudæorum reserato Dauid sepulcro, tria millia auri talenta inde abstraxit: ex quibus ccc. Antiocho dedit, vt obsidionem relinqueret, atque vt facti inuidiam demeret, fertur ex reliqua pecunia instituisse primus *Xenodochia*, quibus aduentum susciperet pauperum & peregrinorum, vnde & vocabulum sumpsit. Nam ex Græco in Latinam ξενοδοχεῖον peregrinorum susceptio nuncupatur. Vbi autem ægrotantes de plateis colliguntur: νοσοκομεῖον Græcè dicitur: in quo consumpta languoribus atque inediis miserorum membra fouentur.

De ædificiis sacris. Cap. IV.

SAcra sunt *loca*, diuinis cultibus instituta, vtpote ea in quibus altaria litantibus de more pontificibus consecrantur. *Sancta* iuxta veteres exteriora templi sunt. *Sancta* autem sanctorum locus templi secretior, ad quem nulli erat accessus, nisi tantùm sacerdoti. Dicta autem *Sancta sanctorum*, quia exteriori oraculo sanctiora sunt, vel quia sanctiorum comparatione sanctiora sunt, sicut Cantica canticorum, quia cantica vniuersa præcellunt. Sanctum autem à sanguine hostiæ nuncupatum. Nihil enim sanctum apud veteres dicebatur, nisi quod hostiæ sanguine esset consecratum aut conspersum. Item sanctum quod extat esse sancitum. *Sancire* autem est confirmare & irrogatione pœnæ ab iniuria defendere, sic & leges sanctæ, & mores sancti esse dicuntur. *Propitiatorium*, oraculum inter duo Cherubin. Et dictum, propitiatorium quasi propitiationis oratorium. Propitiatio enim placatio est. *Oracula*, dicta eo quòd inde responsa redduntur, & oracula ab ore. *Penetralia*, secreta sunt oraculorum, & penetralia dicta ab eo quod est penitus, hoc est penè intus. *Oratorium*, orationi tantùm est consecratum, in quo nemo aliud agere debet, nisi ad quod est factum, vnde nomen accepit. *Monasterium* vnius monachi, id est solitarij habitatio. *Cœnobium*, ex Græco & Latino videtur esse compositum. Est enim habitaculum plurimorum in commune viuentium. κοινὸν enim Græcè commune dicitur. *Templi*, nomen generale, pro locis enim quibuscunque magnis antiqui templa dicebant. Et templa dicta quasi tecta ampla. Sed & locus designatus ad orientem, à contemplatione templum dicebatur. Cuius partes quatuor erant: antica ad ortum, postica ad occasum, sinistra ad septentrionem, dextra ad meridiem spectans, vnde & quando templum construebant, orientem spectabant æquinoctialem, ita vt lineæ ab ortu ad occidentem missæ fierent partes cæli dextra sinistra æquales, vt qui consuleret ac deprecaretur rectum aspiceret orientem. *Fana*, dicta à Faunis quibus templa error gentilium construebat, vnde consulentes dæmonium, responsa audirent. *Delubra*, veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingressum diluebantur, & appellati delubra à diluendo. Ipsa nunc sunt ædes cum sacris fontibus in quibus fideles

fideles regenerati purificantur, & bene quodam præsagio delubra sunt appellata. Sunt enim in ablutionem peccatorum. Fons autem in delubris locus regeneratorum est, in quo septem gradus in Spiritus sancti mysterio formantur, tres in descensu, & tres in ascẽsu. Septimus verò is est qui & quartus, id est similis Filio hominis: extinguens fornacem ignis, stabilitatem pedum, fundamentum aquæ, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. *Basilicæ* prius vocabantur regum habitacula vnde & nomen habent. Nã βασιλεὺς rex, & basilicæ regiæ habitationes. Nũc autem ideò diuina templa basilicæ nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus & sacrificia offerũtur. *Martyrium* locus martyrum Græca deriuatione, eo quòd in memoriam martyris sit constructum, vel quòd sepulchra sanctorum ibi sint martyrũ. *Aram* quidam vocatam dixerunt, quòd incensæ ibi victimæ ardeant. Alij aras dicunt à precationibus, id est, quas Græci ἀρὰς vocant, vnde contrà imprecatio satura dicitur. Alij volunt ab altitudine aras: sed malè. *Altare* autem ab altitudine constat esse nominatum, quasi alta ara. *Pulpitum* quòd in eo lector vel psalmista positus in publico conspici à populo possit, quò liberius audiatur. *Tribunal*, eo quòd inde à sacerdote tribuantur præcepta viuendi. Est enim locus in sublimi constitutus, vnde vniuersa exaudiri possint. Aliàs tribunal à tribubus denominatum: quòd ad illum tribus conuocentur. *Analogium* dictum quòd sermo inde prædicetur. Nam λόγος Græcè sermo dicitur: quòd & ipsum altius situm est.

De repositoriis. CAP. V.

SAcrarium propriè est locus templi in quo sacra reponuntur: sicut donarium est in quo collocantur oblata, sicut lectisternia dicuntur, vbi homines sedere consueuerunt. Ab inferendis ergo & deportandis sacris sacrarium nuncupatur. *Donaria* verò eo quòd ibi dona reponantur, quæ in templis offerri consueuerunt. *Aerarium* vocatum, quia priùs æs signatum ibi recondebatur. Hoc enim olim in vsu erat auro argentóque nondum signato, ex quorum metallis quanuis postea facta fuisset pecunia, nomen tamen ærarij permansit ab eo metallo vnde pecunia initium sumpsit. *Armarium* locus vbi quarumcunque artium instrumenta ponuntur. *Armamentorium* verò vbi tãtùm tela armorum. Vnde Iuuenalis, Quicquid habent telorum armamentaria cœli. Dicta autem vtraque ab armis, id est brachiis quibus exercentur. *Bibliotheca* est locus vbi reponuntur libri. βίβλος enim Græcè liber, θήκη repositorium dicitur. *Promptuarium* dictum eo quòd inde necessaria victui promuntur, id est, proferuntur. *Cellarium* quòd in eo colligantur ministeria mensarum: vel quæ necessaria victui supersunt. Inter promptuarium autem & cellarium hoc interest, quòd cellarium est paucorum dierum, promptuarium verò temporis longi. *Apotheca* autem vel horrea à Græco verbum ex verbo repositoria vel reconditoria dici possunt, eo quòd in iis homines elaboratas fruges reponunt. Vnde & ἀποθήκην Greco sermone repositam rei copiosam substantiam appellamus.

De operariis. CAP. VI.

ERgasterium locus est vbi opus aliquod fit. Græco enim sermone ἐργάζομαι operor significat. *Ergastula* quoque & ipsa à Græco vocabulo nuncupantur, vbi deputantur noxij ad aliquod opus faciendum, vt solent gladiatores & exules qui marmora secant, & tamen vinculorum custodiis alligati sunt. *Gynæcium* Græcè dictum, eo quod ibi conuentus fœminarum opus lanificij exercendum conuenit. Mulier enim Græcè γυνὴ nuncupatur. *Pistrinum* quasi pilistrinum, quia pilo antea tundebant granum. Vnde & apud veteres non molitores, sed pistores dicti sunt quasi finsores, à findendis granis frumenti: molæ enim nondum vsus erat, sed granum pilo tundebant: vnde Virgilius, Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo. *Clibanus* fornax à cliuo dictus, ab eo quòd in erectione sit collectus. *Cliuum* enim ascensum dicimus siue flexuosum. *Furnus* per deriuationem à farre dictus, quoniam panis ex eo factus ibi coquitur. *Torcular* dictum, eo quòd ibi vuæ calcentur, atque exortæ exprimantur. *Forus* est locus vbi vua calcatur, dictus quòd ibi feriatur vua, vel propter quod ibi teratur pedibus. Vnde & calcatorium dicitur: sed hoc nomen multa significat. Prima species fori, locus est in ciuitate ad exercendas nundinas relictus. Secunda, vbi magistratus iudicare solet. Tertia, quam suprà diximus, quam calcatorium nominamus. Quarta, spacia plana in nauibus, de quibus Virgilius, Laxátque fores. Lacus dictus quòd ibi decurrit frugum liquor.

De aditibus. CAP. VII.

ADitus ab eundo dictus, per quem ingredimur & admittimur. *Vestibulum* est vel aditus domus priuatæ, vel spatium adiacens ædibus publicis. Et vestibulum dictum, eo quòd vestiuntur fores, aut quòd aditum recto vestiat, aut à stando. *Porticus* quòd transitus sit magis quàm ad standum

sita sit, quasi porta, & porticus eo quod sit aperta. *Ianua* à Iano quodam appellatur, cui gentiles omne introitum vel exitum sacrauerunt: Vnde Lucanus, Ferrea Belligeri compescat limina Iani. Est autem primus domus ingressus: cætera intra ianuam ostia vocantur. Generaliter quidem ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum, siue ostium, quia ostendit aliquid intus. Alij aiunt ostium appellari, quia hostem moratur. Ibi enim aduersarius nos obiicimus. hinc & Ostia Tiberina, quia hostibus sunt opposita. *Fores & valuæ* claustra sunt. Sed fores dicuntur quæ foras: valuæ quæ intus reuoluuntur, & duplices complicabilésq; sunt: sed generaliter vsus vocabula ista corrumpit. *Claustra* ab eo quòd claudantur dicta. *Fenestræ* sunt quibus pars exterior angusta & interior diffusa est, quales in horreis videmus dictæ, eo quòd lucem fænerentur. Lux enim Græcè φῶς dicitur: vel quia per eas intus positus homo foras videt. Alij fenestram putant dictam, eo quòd domus lucem ministrat, compositum nomen ex Græco Latinóque sermone. φῶς enim Græcè lux est. *Cardo* est locus in quo ostium vertitur: & semper mouetur, dictus ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd quasi cor hominem totum, ita ille cuneus ianuam regat ac moueat. Vnde & prouerbiale est, In cardine rem esse. *Limina* ostiorum dicta, eò quòd transuersæ sunt, vt limes, & per ea sicut in agro aut introeatur, aut foris eatur. *Postes & antes* quasi post & ante stantes. Et antes quia ante stant, vel quia antea ad eas accedimus priusquam domum ingrediamur. Postes eo quòd post ostium stent.

De partibus ædificiorum.

CAP. VIII.

F*Vndamentum* dictum quòd fundus sit domus. Idem & cementũ à cedendo dictum, quòd crasso lapide surgat. *Paries* nuncupatus, quia semper duo sunt pares, vel à fronte, vel à latere. Siue enim tetragonum siue hexagonum sit, qui se conspiciunt ex pari erunt. Aliter enim structura facta deformis est. *Parietinas* dicimus quasi parietum ruinas. Sunt enim parietes stantes sine tecto & sine habitantibus. *Angulus* quòd duos parietes in vnum coniungat. *Culmina* dicta sunt, quia apud antiquos tecta tegebãtur culmo, vt nunc rustica. Hinc tecti summitas culmen dicitur. *Cameræ* sunt volumina introrsum respicientia appellatæ à curuo, καμπύλον enim Græcè curuum est. *Laquearia* sunt quæ camerã subtegunt & ornant: quæ & lacunaria dicuntur. Principaliter autem lacus dicitur: vt Lucilius, Resultant ædésque lacúsque. Cuius diminutio lacunar facit: vt Horatius, Neque aureum mea renidet in domo lacunar. Inde fit alia diminutio lacunariũ, & per ἀντίστοιχον laquearium facit. *Absida* Græco sermone, Latine interpretatur lucida, eo quòd lumine accepto per arcum resplendeat. Sed vtrum absida an absidem dicere debeamus, hoc verbi genus ambiguum quidam doctorũ existimãt. *Testudo* est camera templi obliqua. nam in modum testudinis veteres templorum tecta faciebant: quæ ideò sic fiebant, vt cœli imaginem redderet, quod constat esse conuexũ. Alij testudinem volunt esse locum in partem atrij aduersum veniẽtibus. *Arcus* dicti quòd sint arta conclusione curuati. ipsi & fornices. *Pauimenta* originem apud Græcos habent elaborata arte picturæ. *Litostrota* paruulis crustis ac tessellis tinctis in varios colores. vocata autem pauimenta, eò quod pauiantur, id est cædantur. Vnde & pauor, quia cædit cor. *Ostracus* est pauimentum testaceum, eo quod fractis testis calce admixta feriatur. Testam enim Græci ὄστρακα dicunt. *Compluuium* dictum, quia aquæ partes quę circa sunt eò conueniant. *Tessellæ* sunt è quibus domicilia sternuntur, à tesseris nominata, id est quadratis lapillis per diminutionem. *Bases* fulturę sunt columnarum, quæ à fundamento consurgunt, & superpositæ fabricæ sustinent pondus. Bases autem nomen petræ est fortissimæ Syro sermone. ¶ *Columnæ* pro longitudine & rotũditate vocatæ, in quibus totius fabricę pondus erigitur. Antiqua ratio columnarum erat altitudinis, tertia pars latitudinis. Genera rotundarum quatuor: *Doricæ, Ionicæ, Tuscanicæ, Corinthea*, mensura grossitudinis & altitudinis inter se distantes. Quintum genus est earum quæ vocantur *Atticæ*, quaternis angulis aut amplius, paribus laterum interuallis. *Capitolia* dicta, quòd sint columnarum capita: sicut super collum, caput. *Epistilia* sunt, quæ super capitella columnarum ponuntur: & est Grecum, id est supermissa. *Tegulæ* quòd tegãt ædes, & *imbrices*, quòd accipiant imbres. *Lateres & Laterculi*, quòd lati formentur circũdatis vndique, quatuor tabulis. *Canalis* ab eo quòd caua sit in modum cannæ. Sanè canalem melius genere fœminino quam masculino proferimus. *Fistulæ* aquarum sunt dictæ, quòd aquas fundant, & emittant. Nam στέλλειν Græcè mittere est. Formæ earum pro magnitudine aquæ & capacitatis modo fiunt.

De munitionibus.

CAP. IX.

M*Vnitum* vel *munimentum* dictum, quia manu est factũ. *Cohors* vocata, vel quod coarctet cuncta quæ interius sunt, id est conclu-

concludat, vel quòd coerceat obiectu suo extraneos, & adire prohibeat. *Vallum* est quod mole terræ erigitur, vt custodia prætêdatur. dictum autem vallum à vallis. Nam *valli fustes* sunt, quibus vallum munitur. Et valli dicti, quòd figantur & euellantur. *Interualla* spacia sunt inter capita vallorum, id est stipitum quibus vallum fit, vnde & cætera quoque spacia dicuntur, à stipitibus scilicet. *Agger* est cuiuslibet rei aceruatio, vnde fossæ aut valles possunt repleri. Agger propriè dicitur terra aggesta, quæ vallo facto propius ponitur, sed abusiuè & muros & munimenta omnia aggerem dicimus. *Maceriæ* sunt parietes longi, quibus vineæ aliquæ clauduntur. Longum enim Græci μακρὸν dicunt. *Formatum* siue *formatium* in Africa vel Hispaniæ parietes de terra appellant, quomodo in forma circumdatis duabus vtrinque tabulis infertiuntur verius quàm instruuntur. Æuis durant incorrupti, ventis, ignibus, omni cemento fortiores. *Sepes* munimenta satorum sunt, vnde & appellatæ. *Caulæ* munimenta ouium, vel sepimenta ouilium. Est enim Græcum nomen c detracta. Nam Græci αὐλὰς vocant animalium receptacula.

De tentoriis. CAP. X.

TAbernacula tentoria sunt militum, quibus in itinere solis ardores tempestatésque imbrium frigorisque iniurias vitant. Dicta autem tabernacula, quòd cortinæ distentæ funibus, tabulis interstantibus appenderêtur, quæ tentoria sustinerent. *Tentorium* vocatum, quod tendatur funibus & palis, vnde & hodie prætendere dicuntur. *Papiliones* vocantur à similitudine paruuli animalis volantis, quod maximè abundat florêtibus maluis. Hæ sunt auiculæ quæ lumine accenso conueniunt & circa volitantes ab igne proximo interire coguntur.

De sepulcris. CAP. XI.

SEpulchrum à sepulto dictum. Prius autem quisque in domo sua sepeliebatur. Postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viuentium contracta inficerentur. *Monumentum* ideo nuncupatur, eo quòd mentem moneat ad defuncti memoriã. Cũ enim nõ videris monumentũ, obliuisceris mortuum. Hoc est illud quod scriptum est, Excidit tanquam mortuus à corde. Cùm autem videris, monet mentem & ad memoriam te reducit, vt mortuum recorderis. Monumenta itaque & memoriæ, pro mentis admonitione dictæ. *Tumulus* dictus quasi tumês tellus. *Sarcophagus* Græcũ nomen est, eo quòd ibi corpora assumatur, σάρξ enim Græcè, caro, φαγεῖν comedere dicitur. *Mausolea* sunt sepulchra seu monumenta regum, à Mausoleo rege Ægyptiorum dicta. Nam eo defuncto vxor eius miræ magnitudinis & pulchritudinis sepulchrum extruxit, in tantum vt vsque hodie omnia monumenta preciosa ex eius nomine mausolea nuncupentur. *Pyra est* genus sepulchrorum quadratum & fastigiatum vltra omnem celsitudinem quæ fieri manu possit, vnde & mensuram vnam vmbratum egressæ nullam habere vmbram dicuntur. Tali autem ædificio surgunt, vt à lato incipiant & in angusto finiantur, sicut ignis. πῦρ enim dicitur ignis, has Ægyptus habet. Apud maiores enim, potentes aut sub montibus aut in montibus sepeliebantur. Inde tractum est, vt super cadauera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.

De ædificiis rusticis. CAP. XII.

CAsa est agreste habitaculum palis atque virgultis, arundinibúsque contextum, quibus possint homines tueri à vi frigoris, vel caloris iniuria. *Tugurium* casula est, quam faciunt sibi custodes vinearum ad tegimen sui quasi tegurium, siue propter ardorem solis & radios declinandos siue vt inde homines vel bestiolas, quæ insidiari solent natis frugibus, abigant. Hanc rustici *capannam* vocant: quod vnum tantum capiat. *Tescua* quidam putant esse tuguria, quædam loca prærupta & aspera. *Magalia* ædificia Numidarum agrestium oblonga incuruis lateribus recta, quasi nauium carinæ sint: siue rotunda in modum furnorũ. Et magalia dicta, quasi magaria, quia *Magar* Punici nouam villam dicunt, vna litera commutata l pro r magaria, tuguria.

De agris. CAP. XIII.

AGer Latinè appellari dicitur, eo quòd in eo agatur aliquid. Alij agrum ex Greco nominari manifestius credunt. Vnde & villa Græcè χωρίον dicitur. *Villa* à vallo, id est aggere terræ nũcupata, quòd pro limite constitui solet. *Possessiones* sunt agri latè patentes publici priuatique: quos initio non mãcipatione, sed quisque vt potuit occupauit. atque possedit, vnde & nuncupati. *Fundus* dictus, quòd eo *fundatur* vel stabiliatur *patrimoniũ*. Fundus autem, & vrbanum ædificiũ & rusticum intelligendum est. *Prædium* quòd ex omnibus *patrisfamiliàs maxime prævidetur*, id est apparet, quasi præuidiũ, vel quòd antiqui agros, quos bello ceperant, vt *præda* nomine habebant. ¶ Omnis autem ager, vt Varro docet, quadrifariam diuiditur. Aut enim *aruus* est ager, id est sationalis: aut *consitus*, id est aptus arboribus: aut *pascuus*, qui herbis tãtum,

& animalibus vacat: aut *florens*, quòd sunt horti apibus congruentes & floribus. Quod etiam Virgilius in quatuor libris Georgicorum secutus est. *Rura* veteres incultos agros dicebant, id est siluas & pascua, agrum verò qui colebatur. Nam rus est quo mel, quo lac, quo pecus haberi potest. Vnde & rusticus nominatur. hæc agrestium prima & otiosa fœlicitas. *Seges* ager est in quo seritur. vnde & Virgilius, Illa seges demum votis respondet auari Agricolæ. *Cõpascuus* ager dictus, qui à diuisoribus agrorum relictus est ad pascendum communiter vicinis. *Alluuius* ager, est quem paulatim fluuius in agrum reddit. *Arcifinius* ager dictus est, quia certis linearum mensuris continetur: sed arcentur fines eius obiectu fluminum, montium, arborum vnde & in iis agris nihil subcisiuorum interuenit. *Noualis* ager est primum proscissus, siue qui alternis annis vacat, nouandarum sibi virium causa. Noualia enim semel cum fructu erant, & semel vacua. *Squalidus* ager quasi excolidus, eo quòd iã à cultura exierit, sicut exconsul, quod à consulatu discesserit. *Vliginosus* ager est semper vuidus. Nam vuidus dicitur, qui aliquando siccatur. Vligo enim humor terræ naturalis est, ab ea nunquam recedens. *Subsiciua* sunt propriè quæ de materia præcidens sutor quasi superuacua abiicit. Inde & subsiciui agri, quos in pertica diuisos recusãt, quasi steriles vel palustres. Itẽ subcisiua, quæ in diuisura agri non efficiunt centurias, id est iugera cc. *Area* dicitur tabularum æqualitas. dicta autem area à planicie atque æqualitate, vnde & ara. Alij aream vocatam dicunt, quòd pro triturandis frugibus eradatur, vel quòd non triturentur in ea nisi arida. *Pratum* est cuius fœni copia armenta tuentur, cui veteres Romani nomen indiderunt ab eo quòd protinus sit paratum: nec magnum laborem culturæ desideret. Prata autem sunt quæ secari possunt. *Paludes* dictæ à Pale pastorali dea, quòd paleam, id est pabula nutriant iumentorum.

De finibus agrorum. Cap. XIIII.

Fines dicti, eo quòd agri funiculis sunt diuisi. Mensurarum enim lineæ in terrarum partitione tenduntur, vt dimensionis æqualitas teneatur. *Limites* appellari antiquo verbo transuersi. Nam transuersa omnia antiqui lima dicebant: à quo & limina ostiorũ per quę foris & intus itur: & limites quòd per eos foras in agros eatur. Hinc & *limus* vocabulum accepit, cingulum quo serui publici cingebãtur obliqua purpura. *Termini* dicti, quòd terræ mensuras distinguunt atque declarant. His enim testimonia finium intelliguntur, & agrorum intentio & certamen aufertur. ¶ *Limites maximi* in agris sunt duo, *cardo & decumanus*. *Cardo* qui à septentrione directus à cardine cœli est: nam sine dubio cœlum vertitur in septentrionali orbe. *Decumanus* est qui ab oriente in occidentem per transuersum dirigitur. qui pro eo quòd formam X faciat, decumanus est vocatus. Ager enim bis diuisus figuram numeri denarij efficit. *Area* ab arcendo vocata. *Fines* enim agri custodit, eósque adire prohibet. *Trifinium* dictum, eo quòd trium possessionũ fines astringit. Hinc & *quadrifinium*, quod quatuor. Reliqui limites angustiores & inter se distant imparibus interuallis & nominibus designatis.

De mensuris agrorum.

Cap. XV.

Mensurà est quicquid pondere, capacitate, longitudine, altitudine, animóque finitur. Maiores itaque *orbem* in partibus: *partes*, in prouinciis: *prouincias* in regionibus: *regiones*, in locis: *loca*, in territoriis: *territoria*, in agris: *agros*, in centuriis: *centurias*, in iugeribus: *iugera*, in climatibus: deinde *climata* in *actus*, *perticas*, *passus*, *gradus*, *cubitos*, *pedes palmos*, *uncias*, & *digitos* diuiserunt: Tanta enim fuit eorũ solertia. *Digitus* est minima pars agrestium mensurarum. Inde vncia habẽs digitos tres. *Palmus* autem quatuor habet digitos: *pes* sedecim digitos: *passus* pedes quinque: *pertica* passus duos, id est, decem pedes. *Pertica* autẽ à portãdo dicta, quasi portica. Omnes autem præcedentes mẽsuræ in corpore sunt, vt palmus, pes, passus, & reliqua: sola pertica portatur. Est enim decem pedum ad instar calami in Ezechiele templum mensurãtis. *Actus* est minimus, latitudine pedum quatuor, longitudine cẽtum sexaginta. *Climata* quoque vndique versum habent sexaginta pedes. *Actus quadratus* vndique finitur pedibus centũ viginti. Hunc Betici arapennẽ dicunt, ab arando scilicet. *Actus duplicatus* iugerum facit: & ab eo quod est iunctum, iugeri nomen accepit. *Iugerum* autem constat longitudine pedũ ducentorum quadraginta, latitudine centum viginti. *Actum* prouinciæ Beticæ rustici agrũ vocant. *Porcam* iidem Betici triginta pedum latitudine, & octoginta lõgitudine definiunt. Sed porca est quod in arãdo extat. *Lyra* quod defossum est. At Galli *candetum* appellant in areis vrbanis spacium centum pedum, quasi centetum. In agrestibus autem pedum CL: quod aratores candetũ vocãt. Porrò *stadialis ager* habet passus cxxv. id est, pedes DCXXV. cuius mensura octies computata miliare facit, quod constat quinque millibus pedum. *Centuria* autem ager est ducentorum iugerum, qui

rum, qui apud antiquos è centum iugeribus vocabatur: sed postea duplicata est, noménque pristinum retinuit. In numero enim centuriæ multiplicatæ sunt: nomen mutare non potuerunt.

De itineribus. CAP. XVI.

MEnsuras *viarum* nos *milliaria* dicimus, Græci *stadia*, Galli *leucas*, Ægyptij *signes*, Persæ *parasangas*. Sunt autem propriè quæque spacia. *Milliarium* mille passibus terminatur: & dictum milliarium, quasi mille adium, habens pedes quinque millia. *Leuca* finitur passibus quingentis. *Stadium* octaua pars milliarium est, constans passibus cxxv. Hoc primum Herculem statuisse dicũt, eúmque eo spacio determinasse, quod ipse sub vno spiritu confecisset: ac proinde stadium appellasset, quod in fine respirasset, simúlque stetisset. *Via* est, qua potest ire vehiculum: & via dicta à vehiculorum incursu. Nam duos actus capit, propter euntium & venientium vehiculorum occursum. Omnis autem via aut publica est, aut priuata. *Publica* est quæ in solo publico est, qua iter actus populo patet. Hæc autem ad mare, aut ad oppida pertinet. *Priuata* est quæ vicino municipio data est. *Strata* dicta, quasi vulgi pedibus trita. Lucretius: Stratáque iam vulgi pedibus detrita viarum. Ipsa est & *delapidata*, id est, lapidibus strata. Primùm autem Pœni dicuntur lapidibus vias strauisse: postea Romani eas per omnem penè orbem disposuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs esset ociosa. *Agger* est media stratæ eminentia, coacervatis lapidibus strata, ab aggere, id est, coacervatione dicta, quam historici viam militarem dicunt: vt, Qualis sæpe viç deprensus in aggere serpens: *Iter* vel itus est via, qua iri *ab homine* quaqua versum potest. Iter autem & itiner diuersam habent significationem: *Iter* enim locus est transitu facilis. vnde & appellamus itum. *Itiner* autem est itus longæ viæ: & ipse labor ambulandi, vt quò velis peruenias. *Semita* itineris dimidium est, à semi itu dicta. Semita autem hominum est: callis ferarum & pecudum. *Callis* est iter pecudum inter montes angustum & tritum à callo pecudum vocatum, siue callo pecudum perduratum. *Tramites* sunt transuersa in agris itinera, siue recta via, dicti quòd transmittant. *Diuortia* sunt flexus viarum, hoc est, viæ in diuersa tendentes: eadem *diuerticula* sunt, hoc est, diuersæ ac diuisæ viæ: siue semitæ transuersæ, quæ sunt alteræ viæ. *Biuium*, quia duplex est via. *Competa*, quia plures in ea competunt viæ, quasi *triuia*, *quatriuia*. *Ambitus* inter vicinorum ædificia locus, duorum pedum & *semipedis* ad circumeundi facultatem relictus, & ab ambulando dictus. *Orbita* vestigium carri, ab orbe rotæ dicta. Porrò *actus* quo pecus agi solet. *Cliuosum* iter flexuosum. *Vestigia* sunt pedum signa primis plantis expressa, vocata quòd iis viæ præcurrentium inuestigentur, id est, cognoscantur.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XVI.

CAPITA LIBRI DECIMISEXTI.

De pulueribus & glebis terræ.

Cap. I.

PVLVIS dictus, quòd vi venti pellatur. Tollitur enim eius flatu nec resistit: nec stare nouit sicut ait propheta: Tãquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. *Limus* vocatus, quòd leuis sit. *Cænum* est vorago luti. *Cinis* ex incendio dicitur ab eo enim fit. *Fauilla*, quòd per ignem effecta sit. Nam φῶς ignis est. *Gleba* quòd globus sit. Pulueris enim collectione compingitur, & in vno glomere adunatur. Terra autem ligata gleba est, soluta puluis. *Labina* eo quòd ambulãtibus lapsum inferat, dicta per deriuationem à labe. *Lutum* vocatum quidã per antiphrasin putant, quòd non sit mundum: nam omne lotum mundũ est. *Volutabra* appellata, quòd ibi apri voluentur. *Vligo* sordes limi vel aquæ sunt. *Sabulum* leuissimum terræ genus. *Argilla* ab Argis vocata: apud quos primùm ex ea vasa cõfecta sunt. *Creta*, ab insula *Creta* vbi melior est. *Creta Cimolia* cãdida est à Cimæa Italiæ insula dicta: quarum altera vestimentorum preciosos colores emollit: & confricato sulphure quodam nitore exhilarat: altera gemmis nitorem præstat. *Creta argentaria* & ipsa candida appellata, eo quòd nitorem argento reddat. *Terra Samia* à Samo insula dicta, glutinosa & candida, & linguæ lenis: medicamẽtis & vasculis necessaria. *Puluis Puteolanus* in Puteolanis Italiæ colligitur collibus, opponitúrque ad sustinenda maria fluctúsque frangendos. Nam mersus aquis protinus lapis fit, vndísque cotidie fortior effectus in saxum mutatur, sicut argilla igne in lapidem vertitur. *Sulphur* vocatum, quia igne accenditur. πῦρ enim ignis est. Nã vis eius in aquis feruentibus sentitur, nec alia res facilius accenditur. Nascitur in insulis Æolis inter Siciliam & Italiam, quas ardere dicunt. Inuenitur & in aliis locis effossum. Huius genera quatuor. *Vnum* quod foditur translucet & viret, quo solo ex omnibus medici vtuntur. *Alterum* quod appellant glebam vsibus tantùm fullonum familiare. *Tertium* liquor est, vsus eius ad lanas suffiendas, quia candorẽ mollitiémque præstat. *Quartum* ad licinia conficienda maximè aptum. Sulphuris tanta vis est, vt morbos comitiales deprehendat nitore suo impositis ignibus in calice vini, prunáque sudira circumferens exardescentibus repercusso pallorem dirum velut defunctorum effundit.

De glebis ex aqua. Cap. II.

BItumen in Iudæa de lacu Asphaltite emergit, cuius glebas supernatantes, nautæ scaphis appropinquantes colligunt. In Syria autem limus est passim à terra exæstuans. Spissantur autem vtraque & dẽsitate coeunt. & vtraque Græci πισσάσφαλτον appellant. Natura eius ardens & igni cognata, & neque aqua neque ferro rumpitur, nisi solis muliebribus inquinamentis: vtilis ad compages nauium. *Alumen* vocatum à lumine, quod lumen coloribus præstat tingendis. Est autẽ salsugo terræ, efficitúrque hyeme ex aqua & limo, & æstiuis solibus maturatur. Huius species duæ sunt, liquidum & spissum. *Sal* quidã dictum putant, quòd in igne exiliat. Fugit enim ignem dum sit igneus, sed naturam sequitur, quia ignis & aqua semper inter se inimica sunt. Alij sal à salo & sole vocatum existimant: nam *aquis maris sponte gignitur*, spuma in extremis littoribus vel scopulis derelicta & sole decocta. Sunt & *lacus & flumina & putei è quibus hauritur*. Dehinc in salinis ingestus sole siccatur, sed & fluminum densantur in sale, amne reliquo sub gelu fluente. *Albi quoque detractis arenis colligitur*, crescens cum lunæ noctibus: nam in Cyrenea Ammoniacus sub arenis inuenitur. Sunt & montes *natiui salis*, in quibus ferro cæditur vt lapis renascens maius: tantæ alibi duritiæ, vt muros domósque massis salis faciant, sicut in Arabia. In natura quoque salis differẽtiæ sunt. Nam alibi suauis, alibi salsissimus: *commune sal* in igne crepitat. *Tragasæum* nec crepitat in igne nec exilit. *Agrigentinus* Siciliæ flammis patiens in aqua exilit, in igne fluit contra naturam. Sunt & colorum differentiæ. Memphiticus *rufus* est: in parte quadam Siciliæ *purpureus*, vbi Ætna mons est. Item in eadem Sicilia in Pachyno adeo *splendidus & lucidus*, vt imagines reddat. In Cappadocia *crocinus* effoditur. ¶ Sal si natura necessaria est ad omnẽ escam. Fulmentis enim saporem dat, excitat auiditatem, & appetitum in omnib. cibis facit. Ex eo quippe omnis victus, delectatio & summa hilaritas. Hinc & salis nomen accepisse putatur. Nihil enim vtilius sale & sole. Denique cornea videmus corpora nauticorum. Quinetiam pecudes, armenta, & iumenta sale maximè prouocantur ad pastum: multum largiores lacte, multóque gratiores casei dote. Corpora etiam sal astringit, siccat & alligat. Defuncta etiam à putrescendi labe vindicat, vt durent. *Nitrum* à loco sumpsit vocabulum. Nascitur enim in oppido vel regione Ægypti Nitria, ex quo & medicinæ fiunt, & sordes corporum vestiúmque lauantur. Huius natura nõ multum à sale distat. Habet enim virtutem salis & similiter oritur canescẽtibus littoribus siccitate. *Aphronitrum* Græcè, Latinè spuma nitri est. de quo quidam ait, Rusticus es, nescit quid Græco nomine dicat, Spuma vocor nitri, Græ-

ti, Græcus est aphronitrũ. Colligitur autem in Asia in speluncis distillans, & hinc siccatur sole. Optimum putatur, si minimè fuerit ponderosum & maximè fricabile, colore pene purpureo. *Chalcanthum* dictum, quia chalcidis est timum, id est, flos: vnde & apud Latinos aeris flos appellatur. Fit autem nũc multis in regionibus: olim in Hispaniæ puteis vel stagnis id genus aquæ habentibus, quam decoquebant, & in piscinas ligneas fundebant, appendentes super eas restes lapillis extentas, quibus limus in similitudinem vitreis acinis adhærebat: sicque electum siccabatur diebus xxx. Fit autem nunc aliubi in speluncis, quod liquidè collectum dehinc diffusum in quosdam solidatur botros: fit & in scrobibus cauatis, quarum de lateribus decidentes guttę coalescunt: fit & salis modo, ex flagrantissimo sole. Adeò autem constrictæ virtutis est, vt in leonum & vrsorum ora sparsum tãtam vim habeat ad stringendum vt non valeant mordere. In codice quodam manuscripto ante vocabulum aphronitrum habentur hęc: Nam sicut salem in littore maris feruor conficit Solis, durando in petram aquas marinas, quas maior vis ventorum vel ipsius maris feruor in littora vlteriora proiecerit: ita in Nitria, vbi ęstate pluuię prolixiores tellurem infundunt, aduritur sideris ardor tantus, qui ipsas pluuiales per latitudinem arenarum concoquat in petram: sali quidẽ vel glaciei aspectu simillimã, sed nihil rigidi rigoris, nil salsi saporis habentem, quæ tamen iuxta naturam salis in caumate durare atq; nubiloso aere fluere ac liquefieri solet. Hanc indigenæ sumentes seruant, & vbi opus fuerit, pro lauamento vtuntur. Vnde Iudææ peccanti dicit propheta: Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua, dicit Dominus. Crepitat autem in aqua, quomodo calx viua, & ipsa quidem disperit, sed aquam lauationi aptam reddit.

De lapidibus vulgaribus. Cap. III.

LApis à terra tanquam densior etiam vulgo discernitur. Lapis autem dictus, quòd lædat pedem. Lapis mollis est & sparsus. *Saxa* hærent & à montibus exciduntur. Petra, Græcũ est. *Silex* est lapis durus, eò quòd exiliat ignis, ab eo dictus. *Scopulus* à saxo eminenti, quasi à speculando dictus: siue a regimento nauium. ἀπὸ τοῦ σκέπειν. *Spelea* Græcè, spelunca Latinè. Est autem rupis cauata *Crepido* extremitas saxi abrupti; vnde & crepido vocata, quòd sit abrupti saxi altitudo, sicut hæret pedi pes densus, vnde & vocatur. *Cautes* aspera saxa in mari dictæ à cauendo, quasi cauatæ. *Murices* petræ in littore similes muricibus viuis, acutissimæ & nauibus perniciosæ. *Icon* saxum est, quod humanæ vocis sonũ captans, etiam, verba loquentium imitatur. εἰκών autem Græcè, Latinè imago vocatur, eò quòd ad vocem respondens alieni efficitur imago sermonis: licet hoc quidem & locorũ natura eueniat, ac plerunque conuallium. *Calculus* est lapillus terrę admixtus, rotundus atque durissimus, & omni puritate leuissimus: Dictus autem calculus, quòd sine molestia breuitate sui calcetur: cui contrarius est scrupus, lapillus minutus & asper: qui si inciderit in calciamentum, nocet, & molestia est animo: vnde & molestiam animi dicimus scrupulum: hinc & scrupea saxa, id est, aspera. *Cos* nomen accepit, quòd ferrum ad incidendum acuat, Cos enim Græco sermone incisio nominatur. Ex his aliæ aquariæ sunt: aliæ oleo indigent in acuendo, sed oleum lenem, aquariæ aciem acerrimã reddunt. *Pumex* vocatur, eò quod spumę densitate concretus fiat, & est aridus, cãdore paruus: tantámque naturã refrigerandi habens, vt in vase missus, musta deferuere desinant. *Rudos* artifices appellãt lapides contusos & calci admixtos, quos in pauimentis faciendis superfundunt: vnde & rudera dicuntur. *Gipsum* cognatum calci est, & est Græcum nomẽ: plura eius genera: Omniũ autem optimum *lapis specularis*. Est enim signis ædificiorum & coronis gratissimus. *Calx viua* dicta, quia dũ sit tactu frigida, intus occultum continet ignem. Vnde & perfusa aqua statim latens ignis erumpit. Natura eius mirum aliquid facit. Postquã enim arserit, aquis incenditur, quibus solet ignis extingui, oleo extinguitur, quo solet ignis accendi. Vsus eius structuris fabricæ necessarius. Nam lapis lapidi nõ potest adhærere fortius, nisi calce cõiunctus. Calx è lapide albo & duro melior structuræ, ex molli, vtilis tectoriis. *Arena* ab ariditate dicta, non adhærendo in fabricis, vt volunt quidam. Huius probatio, si manu impressa stridat, aut si in vestem candidã sparsa nihil sordis relinquat.

De lapidibus insignioribus.

Cap. IV.

MAgnes lapis Indicus ab inuẽtore vocatus. Fuit autẽ in India primũ repertus. Clauis crepidarũ, baculíque cuspidi hærẽs cũ armẽta idẽ Magnes pasceret, postea & passim inuẽtus. Est autẽ colore ferrugineus, sed probatur cũ ferro adiunctus eius fecerit raptum. Nã adeò apprehendit ferrũ, vt catenã faciat annulorũ. Vnde & eũ vulgus ferrũ viuum appellat. Liquorẽ quoque vitri, vt ferrũ trahẽre creditur, cuius tanta vis est (vt refert beatissimus Augustinus) quòd quidam eundem

Magnetem lapidem tenuerit sub vase argenteo, ferrúmque super argentum posuerit: deinde subtermouēre manu cum lapide ferrum cursu desuper mouebatur. Vnde factum est, vt in templo quodam simulachrum ex ferro pendere in aere videretur. Est quippe & alius in Æthiopia Magnes, qui ferrum non ambit, sed respuit. Omnis autem Magnes tanto melior est, quanto magis cœruleus. *Gagates* lapis primùm inuētus est in Sicilia: Gagatis fluminis fluore reiectus. Vnde & nominatus, licet in Britannia sit plurimus. Est autem niger, planus, lenis & ardens igni admotus. Fictilia ex eo scripta non delentur: incensus serpentes fugat: dæmoniacos perdit, virginitatem deprehendit: mirum quia accēditur aqua, oleo restinguitur. *Asbeston* Arcadiæ lapis, ferrei coloris: ab igne nomen sortitus, eo quòd accensus semel, nunquam extinguitur. De quo lapide mechanicum aliquid humana ars molita est: quòd gentiles capti sacrilegio mirarentur. Denique in templo quodam fuisse Veneris fanum dicunt, ibique candelabrum & in eo lucernam sub diuo sic ardentem, vt eam nulla tempestas nullus imber extingueret. *Pyrites* Persicus lapis fuluus aeris simulans qualitatem, cuius plurimus ignis: siquidem facilè scintillas emittit: hic tenentis manum si vehementius prematur adurit: propter quod ab igne nomen accepit. Est alius Pyrites vulgaris, quem viuum lapidem appellant, qui ferro vel lapide percussus scintillas emittit, quæ excipiuntur sulphure vel aliis fūgis vel foliis, & dicto celerius præbet ignem. Hunc vulgus focarem petram vocat. *Selenites* Latinè lunaris interpretatur, eo quòd interiorem eius candorem cum luna crescere atque deficere aiunt. Gignitur in Perside. *Dionysius* lapis fuscus & rubentibus notis sparsus. Vocatur autem ita, quia si aquæ mixtus conteratur, vinum flagrat: & quod in illo mirum est, ebrietati resistit. *Thracius* niger & sonorus: nascitur in flumine, cuius nomen est pontus in Equitia. *Phrygius lapis* ex loco traxit vocabulum. Nascitur enim in Phrygia, colore pallidus, mediocriter grauis. Est autem gleba pumicosa. Vritur ante à vino perfusus, flatúsque follibus donec rubescat: ac rursus vino dulci intingitur, trinis vicibus, tingendis tantùm vestibus vtilis. *Syrius lapis* à Syria, vbi reperitur appellatur: hic integer fluctuari traditur: comminutus mergi. *Arabicus* similis est ebori sine vlla macula. Hic defricatus ad cutem, succum demittit croco similem. *Iudaicus* lapis albus est, atque in schemate grandis scripturis sub inuicem modulatus, quas Græci γραμμάτ appellant. *Samius* à Samo insula, vbi reperitur, vocatus, & est grauis & candidus, poliendi aurū vtilis.

Memphitis vocatus à loco Ægypti, & est gemmantis naturæ. hic tritus, atque in iis quæ vrenda & secanda sunt ex aceto illinitus ita obstupescere facit corpus, vt non sentiat cruciatum. *Sarcophagus* lapis dictus, eo quòd corpora defunctorum condita in eo infra quadraginta dies absumuntur. σάρξ enim Græcè caro dicitur, φάγειν comedere. Nascitur autem in Troade, fissilique vena scinditur. Sunt & eiusdem generis in Oriente saxa, quæ etiam viuentibus alligata, erodunt corpora. *Aemathites* appellatus, eo quòd cute resolutus in colorem veniat sanguinis. Est autem admodum liuidius. Est & ferrugineus. Nascitur in vltima Ægypto, Babylonia & Hispania. *Androdamantus* colore niger, pondere & duritia insignis, vnde & nomen traxit, præcipuus reperitur in Africa. Trahere autem in se argentum vel æs dicitur, quique attritus vt hæmathites in colorem redigitur sanguinis. *Iscistos* inuenitur in vltima Hispania croco similis cum leui fulgore, facilè friabilis. *Amiantos* appellatus à veteribus, eo quòd si ex ipso vestis fuerit contexta, contra ignem resistat, & igni imposita non ardeat, sed splendore accepto nitescat, & est scissi aluminis similis: veneficiis resistens omnibus, specialiter magorum. *Batrachites* similis est testæ laminosæ scissibilis. *Galactites* colore cinereus, gustu suauis, sed ideo sic vocatus, quòd quiddam de se lacteum attritus dimittat. *Obsius* lapis niger est translucidus, & vitri habens similitudinem. Ponitur in speculis parietum propter imaginum vmbras reddendas. Gemmas multi ex eo faciunt: nascitur in India & in Samo Italiæ. *Mytridas* lapis Euphratis Sole repercussus coloribus micat variis. *Aethides lapides* reperiuntur in nidis aquilarum: aiunt binos inueniri, marem & fœminam: nec sine iis parere aquilas. Horum masculus durus similis gallæ, subrutilus: fœmineus verò pusillus ac mollis. Alligati, partus celeritatem faciunt: etiam à quibus vuluæ excidunt, nisi citò parturientibus auferantur. *Phengites* Cappadociæ lapis, duritia marmoris candidus atque translucens: ex quo quondam templum constructum est àquodam rege foribus aureis, quibus clausis claritas intus diurna erat. *Emites* eboris similis, in quo Darium conditum fertur, Parióque similis candore & duritia, minus tamen ponderosus, qui Porus vocatur. *Ostracites* vocatus, quòd similitudinem testæ habeat, vsus eius est pro pumice. *Melantes* lapis dictus, eo quòd melleum & dulcem succum emittat. *Ismirus* lapis asper & indomitus, & omnia atterens, ex quo gemmæ teruntur. *Chrysites* colore similis ocreæ, inuenitur in Ægypto.

Amnites, similis nitro, sed durior: gignitur in Ægypto & Arabia: qui nascitur in Æthiopia veluti viridis, sed lacteus, cùm resoluitur, remordens vehementer. *Coranus* albus est, duriórque Pario, *Melotius* veluti viridis & grãdis inuenitur in Ægypto. *Tusculanus* à loco Italiæ dictus, dissilire igne traditur. *Sauinus* lapis fuscus addito oleo etiam lucere fertur. Est & quidam viridis lapis vehementer igni resistens. *Sifnius* mollis & candidus, excalefactus oleo nigrescit atque durescit. *Lapides* quoque *medicinalium mortariorum* & *pigmẽtorũ* vsibus apti. *Edesius* præcipuus & inde *colaticus*. *Thebaicus* quoque & *basanites* lapides vel, ex sese remittẽtes, *Specularis* lapis vocatus est, quòd vitri more transluceat: repertus primùm in Hispania citeriore & circa Segobricam vrbem. Inuenitur enim sub terra & effossus exciditur, atque finditur in quamlibet tenues crustas.

De marmoribus.

CAP. V.

Post lapidum genera veniamus ad *marmora* Nam inter *lapides* & *marmora* differentia Nam *marmora* dicuntur eximij lapides, qui maculis & coloribus commendãtur. Marmor sermo Græcus est à viriditate vocatus, & quamuis postea & alij colores inueniãtur: nomen tamen pristinum à viriditate retinuerunt. *Marmorum colores* & *genera* innumerabilia sunt. Non tamen omnia è rupibus exciduntur, sed multa sub terra sparsa sunt preciosissimi generis, sicut *Lacedæmonium* viride cunctis hilarius: repertũ prius apud Lacedæmones vnde & vocabulum traxit. *Ophites* serpentiũ maculis simile est, vnde & vocabulũ sumpsit: duo eius genera, molle cãdidum, nigrum durum. *Augustum & Tiberium* in Ægypto Augusti & Tiberij primũ principatu reperta sunt. Differentia eorum est ab Ophite: cùm illud, vt prædiximus, serpentium maculis sit simile: hæc maculas diuerso modo colligunt. Nã Augusteum vndatim est crispum in vertice: Tiberium sparsa non conuoluta canitie. *Purpurites* ex Ægypto, est rubens, candidis interuenientibus punctis. Nominis eius causa quòd rubeat vt purpura. *Basanites* ferrei coloris sine duritia. Vnde & nomen ei datum est: inuentus in Ægypto & Æthiopia. *Alabastrites* lapis candidus, intertinctus variis coloribus, ex quo Euangelici illius vnguenti vasculũ fuit. Cauant enim hunc ad vasa vnguentaria: quoniam optimè seruare incorrupta dicitur. Nascitur circa Thebas Ægyptias & Damascum Syriæ, cæteris candidior, probatissimus verò in India. *Parius* candoris eximij *Ligdinus* cognomento. hic apud Paron insulam nascitur, vnde & Parius nuncupatus. Magnitudo eius quæ lances craterásque non excedat. vnguentis & ipse aptus. *Coralliticus* in Asia repertus, mensuram nõ vltra cubitos binos candore proximo eboris ad quandam similitudinem è diuerso niger. *Alabandicus* terræ suæ nomine nuncupatus, purpuræ aspectu similis. Iste in oriente igni liquatur, atque ad vsum vitri funditur. *Thebaicus* intertinctus aureis guttis inuenitur in parte Ægypti ascriptus coticulis ad terenda collyria quadã vtilitate naturali conueniens. *Sienites* circa Sienem vel Thebas nascitur, trabes ex eo fecêre reges. *Marmora* autẽ *quæ in officinis* sunt, rupibus gignuntur: ex quibus istæ Sienites diuersi coloris maculis distinctus est, cuius primùm vsum insulæ Cyclades dederunt. *Lesbius* liuidior est paulò hoc, sed & ipse diuersi coloris maculas habent. *Corintheus* Ammoniacæ guttæ similis cum varietate diuersorum colorum. Corintho primùm repertus, ex eo columnæ ingentes limináque fiunt ac trabes. *Charisteum* viride, optimum nomen ab aspectu habens, eo quòd gratum sit iis qui gemmas sculpunt: eius enim viriditas reficit oculos. *Numidicum* marmor Numidia mittit, ad cutem succum dimittit, croco similem, vnde & nomen accepit, non crustis, sed in massa & liminum vsu aptum. *Luculleum* marmor nascitur in Choo insula, cui Lucullus consul nomen dedit, qui delectatus illo primùm Romam inuexit, solúmque penè hoc marmor ab amarore nomen accepit. Est & *Limensis τίφρα* appellatus à colore cineris, cuius lapidis alligatio contra serpentes laudatur. *Ebur* à *barro*, id est, elephante dictum. Horatius, Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?

De gemmis. CAP. VI.

Post marmorum genera gemmæ sequuntur, quæ multum auro decorum tribuunt venustate colorum. Primordia earum à rupe Caucasi. Fabulæ ferunt, Prometheum primũ fragmentum saxi eiusdem inclusisse ferro ac digito circumdedisse, iísque initiis cœpisse *anulum* atque *gemmas*. Genera gemmarum innumerabilia esse tradũtur, è quibus nos ea tantùm quæ principalia sunt siue notissima annotabimus. *Gemmæ* vocatæ, quòd instar gũmi transluceant. *Pretiosi lapides* ideo quia carè valent, siue vt à vilibus discerni possint, seu quòd rari sint. Omne enim quod rarum est, magnum & pretiosum vocatur, sicut & in Samuelis volumine legitur, Et sermo Domini preciosus erat in Israel, hoc est, rarus.

De viridioribus gemmis.

CAP. VII.

Omnium gemmarũ virentium. *Smaragdus* principatum habet, cui veteres ter-

tiam post margaritas & vniones tribuunt dignitatem. Smaragdus à nimia viriditate dicitur. Omne enim satis viride Smaragdum dicitur. Nullis enim gemmis vel herbis maior hoc austeritas est. Nam herbas virentes frondésque exuperat: inficiens circa se viriditate repercussum aerem. Sculpentibus quoq; gemmas nulla gratior oculorum refectio est. Cuius corpus si extentum fuerit, sicut speculum, ita imagines reddit. Quippe Nero Cæsar gladiatorum pugnas in smaragdo spectabat. Genera eius duodecim, sed nobiliores *Scythici*, qui in Scythica gente reperiuntur. Secundum locum tenent *Bactriani*. Colliguntur enim in commissuris saxorum flante Aquilone. Tunc enim tellure deoperta intermicant, quia iis ventis arenæ maximè mouentur: Tertium *Ægyptij* habent. Reliqui in metallis ærariis inueniuntur, sed vitiosi. Nam aut ære aut plumbo aut lapillamentis vel salis similes notas habent. *Smaragdi* autē mero & viridi proficiunt oleo, quamuis natura imbuātur. *Chalcosmaragdus* dicta, quòd viridis sit: & turbida, aeris venis. Hæc in Ægypto vel Cypro insula nascitur. *Prasius* proviridante colore dictus, sed vilis. Cuius alterum genus sanguineis punctis abhorret. Tertium distinctum virgulis tribus cādidis. *Berillus* in India gignitur, gentis suæ lingua nomē habens, viriditate similis smaragdo, sed cum pallore. Politur autem ab Indis in sexangulas formas, vt hebetudo coloris repercussione angulorum excitetur. Aliter politus non habet fulgorem. Genera eius nomen *Chrysoberillus* dictus, eo quòd pallida eius viriditas in aureum colorem resplendeat: & hunc India mittit. *Chrysoprassus* Indicus est, colore porri succum referens, aureis interuenientibus guttis, vnde & nomen accepit, quem quidam Berillorum generis indicauerunt. *Iaspis* de Græco in Latinum viridis gemma interpretatur. Est autem smaragdo subsimilis & crassi coloris. Species eius xvij. Volunt autem quidam Iaspidem gemmam, & gratiæ & tutelæ esse gestantibus, quòd credere non fidei, sed superstitionis est. *Topazion* ex virenti genere est omníque colore resplendens: inuenta primùm in Arabiæ insula, in qua Troglodytæ prædones fame & tempestate fessi cùm herbarum radices effoderent, eruerunt. Quæ insula postea quæsita nebulis cooperta, tandem à nauigantibus inuenta est. Sed ob hoc locus & gemma nomen ex causa accepit. Nam τοπάζειν Troglodytarum lingua significationem habet quærendi. Est autem amplissima gemmarum: eadem sola nobilium limam sentit: genera eius duo. *Callaica* colore viridis, sed pallens & nimis crassa, nihil iocundius auriū decens, vnde & appellata. Nascitur in India vel Germania in rupibus gelidis, oculi modo extuberans. *Molochites* spissius virens & crassior quàm smaragdus, à colore maluæ nomen accepit: in reddendis laudata signis. Nascitur in Arabia: *Heliotropium* viridi colore & nubilo stellis puniceis superspársa cum sanguineis venis. Causa nominis de effectu lapidis est. Nam deiecta in labris æneis radio Solis mutat sanguineo repercussu. Extra aquā autē speculi modo Solem excipit, deprehenditque defectus eius subeuntem lunam ostendens. Magorum impudentiæ manifestissimū in hoc quoque exemplum est, quod admixta herba Heliotropio quibusdam additis præcantationibus gerentem conspici negent. Gignitur in Cypro & Africa, sed melior in Æthiopia. *Sagda* gēma prasini coloris apud Chaldæos. Cuius tanta vis est, vt permeantes naues è profundo petat, & carinis ita tenaciter adhæreat, vt nisi abrasa parte ligni vix separetur. *Myrrhites* dicta est, quòd in eo myrrhæ color est: Compressus autem vsque ad colorem nardi spirat suauitatem aromatis. Reperitur in Arabia vel Ægypto myrrhæ coloris & odoris, vnde & nomen accepit. *Melichloros* bicolor ex vna parte viridis: ex altera mellisimilis. *Choaspites* à flumine Persarum dicta est, ex viriditate fulgoris aurei.

De rubris gemmis.

Cap. VIII.

Corallius gignitur in mari, forma ramosus colore viridis & maximè rubens: baccæ eius vel viæ candidæ sub aqua & molles: detractæ confestim durantur & rubescunt, tactúque protinus lapidescunt. Itaque occupari euellíque retibus solet, aut acri ferramento præcidi: qua de causa corallius vocitatur. Quātum autē apud nos margaritū Indicum pretiosum est, tantū apud Indos corallium. Hunc Magi fulminib. resistere affirmāt, si creditur. *Sardius* dicta, eo quòd primùm reperta sit à Sardis. hæc rubrū habet colorē marmoribus præstans: sed inter gemmas vilissima: Genera eius quinque, *Onyx* appellata, quod habeat in se permixtū candorem in similitudinem vnguis humanæ. Græci enim vnguē ὄνυχα dicūt. Hanc India & Arabia gignit: distant autē inuicē. Nam Indica igniculos habet albis cingentibus zonis: Arabica autē nigra est cum cādidis zonis, genera eius quinque. *Sardonix* ex duum nominum societate vocata est. Est enim ex onychis candore & Sardo. Constat autem tribus coloribus; subterius nigra, medio candido, superius mineo. Hæc sola in signando nihil ceræ euellit. Reperitur autem apud Indos & Arabes detecta torrentibus. Genera eius quinque. *Hæmathites* rubore sanguineus ac propterea Hæmathites vocatum

ὑμα quippe fanguis eſt. Gignitur in Æthiopia quidem, ſed principalis in Arabia & in Africa inuenitur. De qua promittunt Magi quiddam ad coarguendas barbarorum inſidias. *Succinus*, quem appellãt Græci ἤλεκτρον, fului cereíque coloris, fertur, arboris ſuccus eſſe: & ob id ſuccinum appellari. Electrum autem vocari fabuloſa argumentatio dedit. Namque Phaetõte fulminis ictu interempto ſorores eius luctu mutatas in arbores populos, lachrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem: & electrum appellatum, quoniam ſol vocitatus ſit ălectron plurimi poetæ dixerunt. Conſtat autem non eſſe ſuccum populi, ſed pineæ arboris. Nam accenſus tedæ nidore flagrat. Naſcitur autem in inſulis Oceani ſeptentrionalis ſicut gummi, denſatúrque vt cryſtallum rigore vel tempore. Ex ea fiunt decoris gratia agreſtium fœminarum monilia. Vocari autem à quibuſdam harpaga, eo quòd attritu digitorum accepta caloris anima folia paleáſque veſtium fimbrias rapiat: ſicut magnes ferrum. Quocunque autem mo lo libeat tingitur. Nam Anchuſę radice conchilióque inficit. *Ligurius* vocatus, quod fiat ex vrina lyncis beſtiæ tempore indurata. Eſt autem ſicut & ſuccinum fulua, attrahens ſpiritu folia propinquantia.

De purpureis. CAP. IX.

Inter purpureas gemmas principatum *Ametiſtus* Indicus tenet. Ametiſtus purpureus eſt permixto violaceo colore, & quaſi roſæ nitor, & leniter quaſdam flammulas fundens. Alterum eius genus deſcendit ad hyacinthos. Cauſam nominis eius afferunt, quia ſit quiddam in purpura illius nõ ex toto igneum, ſed vini colorem habens. Eſt autem ſculpturis facilis: genera eius quinque, *Saphirus*, ceruleus eſt cum purpura, habens pulueres aureos ſparſos: apud Medos optimus, nuſquam tamen perlucidus. *Hyacinthus*, ex nominis ſui flore vocatur. Hic in Æthiopia inuenitur ceruleum colorem habens. Optimus qui nec rarus eſt, nec denſitate obtuſus, ſed ex vtroque temperamento lucens purpuráque refulgens: hic autem non rutilat æqualiter, ſed cum facie cæli mutatur. Sereno enim perſpicuus eſt atque gratus, nubilo coram oculis euaneſcit atque marceſcit: in os miſſus frigidus eſt, in ſculpturis duriſſimus, nec tamen inuictus. Nam adamante ſcribitur & ſignatur. *Hyacinthizon*, Indicus eſt hyacinthum propè referens. Quidam autem eorum cryſtallis ſimiles, capillamentis intercurrentibus obſcurantur, ex quo etiam vitio nomẽ illorum eſt. *Ametiſtizon* appellatur, quia eius extremus igniculus in ametiſti violam exit. *Chelidonia*, ex hirundinũ vocata colore, & duum eſt generum, quarum vna ex altera parte purpurea, & altera purpurea nigris interuenientibus maculis. *Cyanea*, Scythiæ gemma cœruleo coruſcans nitore purpura interdum & punctulis intermicantibus auratis puluiſculis varians. *Roditis*, roſea eſt, & ex eo nomen accepit.

De candidis. CAP. X.

Margarita, prima candidarum gemmarum, quam inde margaritam aiunt vocatam, quòd in conchulis maris hoc genus lapidum inueniatur. Ineſt enim in carne cochleæ calculus natus, ſicut in cerebro piſcis lapillus. Gignitur autem de cæleſti rore, quẽ certo anni tempore conchulæ hauriunt. Ex quibus margaritis quædam vniones vocantur: aptum nomen habentes, quòd tantùm vnus nunquam duo vel plures ſimul reperiãtur. Meliores autem candidæ margaritæ, quàm quæ flaueſcunt. Illas enim aut iuuentus: aut matutini roris conceptio reddit candidas: has ſenectus vel veſpertinus aer gig it obſcuras. *Pedorus*, ſecunda poſt margaritam candidarum gemmarum: de qua quæritur in quo colore numerari debeat: toties iactati per alienas pulchritudines nominis: adeò vt decoris prærogatiua vocabulo facta ſit. *Aſterites*, candida eſt: incluſam lucem continens, veluti ſtellam intus ambulantem, redditque Solis candidantes radios, vnde & nomen inuenit. *Galactites*, lactea eſt, quæ attrita reddit ſuccum album ad lacteum ſaporem; fœminis nutrientibus illigata fœcundat vbera. Infantium quoque collo ſuſpenſa ſaliuam facere fertur: in ore autem liqueſcere, & memoriam adimere. Mittunt eam Nilus & Achelous amnes. Sunt qui ſmaragdum albis venis circumligatum Galactiten vocant. *Galatias*, grandinis & candorem præfert, & figuram, duritie quoque inuicta vt adamas: etiam in igne poſita, manet ſuum frigus. *Solis gemma*, candida eſt, traxitque nomen quòd ad Solis ſpeciem in orbem fulgentes ſpargit radios. *Selenites*, tranſlucet candido malleóque fulgore, continens lunæ imaginem quam iuxta curſum aſtri ipſius perhibent in dies ſingulos minui atque augeri. Naſcitur in Perſide. *Cimedia*, inuenitur in cerebro piſcis eiuſdem nominis: candida & oblonga. Præſagire iis ferunt Magi ſigna tranquillitatis vel tempeſtatis. *Belocului* albicans pupillam cingit, nigra medio aureo fulgore lucentem, & propter ſpeciem Aſſyriorum regi Belo dicatam, vnde & appellata. *Epimelas*, dicitur cùm, in candida gemma ſupernè nigricat color vnde & nomen habet: *Exebenus*, ſpecioſa & candida, qua aurifices aurum poliunt.

De nigris. CAP. XI.

ACHATES, reperta primùm in Sicilia iuxta flumen eiusdem nominis, postea plurimis in terris. Est autem nigra habens in medio circulos nigros & albos iunctos & variatos, similis Hæmathiti. Magi suffitu earum, si creditur, tempestates euertũt: flumina sistũt. *Assectos*, nigra & ponderosa distincta venis rubentibus. Hæc excalefacta igni septẽ dieb. calorem tenet. *Ægyptilla*, nigra est radice, cœrulea facie, ex Ægypto vbi inuenitur vocata. *Media*, nigra est, à Medea illa fabulosa inuenta. Habet venas aeris coloris, sudorẽ reddit croci, saporem vini. *Veientana* Italica gemma est, à Veientibus reperta, nigra facie, albis intermicantibus notis. *Bariptos*, nigra est cum sanguineis & albis notis. *Meramelas*, nigra vena, quemlibet colorem secans per mediũ. *Veneris crinis*, nigerrimi nitoris: continens in se speciem rufi crinis. *Tricuus*, ex Africa nigra est, sed tres succos reddit: ab radice nigrum est, medio sanguineum, è summo ocreæ. *Dionysia* nigro mixtis rubentibus notis ex aqua trita vinum flagrat, & odore suo ebrietati resistere putatur. *Pyritis*: nigra quidem, sed attritu digitos adurit.

De variis.

CAP. XII.

SANGRUS, varius ex omnibus penè coloribus constans, vnde & nominatur. *Olca*, barbaris nominis ex fuluo & nigro, viridique & cãdido est. *Mitridax*, Sole percussa: coloribus micat variis. Gignitur in Perside. *Droselitus* varius nominis causa: quia si ad ignem applicetur velut sudorem mittit. *Opalus* distinctus, diuersarum colore gemmarum. Est enim in eo carbunculi tenuior ignis: ametisti fulgens purpura: smaragdi nitens viriditas, & cuncta pariter sub quadam varietate lucentia. Nomẽ habet ex patria. Sola enim eum parturit India. *Pontica*, à Ponto dicuntur: genere diuerso, nunc sanguineis, nunc auratis guttis micãtes: aliæ habentes stellas, aliæ longis colorum ductibus lineatæ. *Exocontalibus*, in parua magnitudine multicolor: vnde & hoc nomen sibi adoptauit. Tam diuersis enim notis sparsus est, vt sexaginta gemmarum colores in paruo eius orbiculo deprehendantur. Nascitur autem in Libya apud Troglodítas. *Murina*, apud Parthos gignitur, sed præcipua in Germania humorem sub terra putant calore densatum, vnde & nomen sumpsit. Varietas eius in purpuram candorémque & ignem cum quibusdam colorum repercussionibus, quales in cælesti arcu spectantur. Cuius contraria causa crystallum facit, gelu concreto vehementiore.

De crystallinis. CAP. XIII.

CRISTALLUS, resplendens & aquosus colore. Traditur, quòd nix sit glacie durata per annos. Vnde & nomen ei Græci dederunt. Gignitur autem in Asia & Cypro: maximè in Septentrionum alpibus, vbi nec æstate sol feruentissimus inuenitur. Ideo ipsa diurna & annosa duritia reddit hanc speciem quæ crystallus dicitur. Hic oppositus radiis Solis adeò rapit flammam, vt aridis fungis vel foliis ignem præbeat. Vsus eius etiam ad pocula destinatur. Nihil autem aliud quàm frigidum pati potest. *Adamas Indicus*, lapis paruus & indecorus, ferrugineum habens colorem & splendorem crystalli. Nunquam autem vltra magnitudinem nuclei auellani repertus. Hic nulli cedit materiæ, nec ferro nec igni, nec vnquam incalescit: vnde & nomen Græca interpretatione, indomita vis, accepit. Sed dũ sit inuictus ferri ignísque contemptor, hircino rumpitur sanguine, recenti & calido maceratur, sícque multis ictibus ferri perfringitur. Cuius fragmentis sculptores pro gemmis insigniendis perforandísque vtuntur. Hic autem dissidet cum Magnete lapide, in tantum vt iuxta positus, ferrum non patiatur abstrahi Magneti, aut si admotus Magnes comprehenderit, rapiat atque auferat. Fertur quoque in electri similitudine venena deprehendere: metus vanos expellere: maleficis resistere artibus. Genera eius sex. *Galatias*, grandinum & candorem & figuram adamantinæ duritiæ habet. Etiam in igne positus manet suum frigus. *Ceauniorum duo genera* sunt. Vnum quem Carmania mittit crystallini similem, splendet tamen cœruleo, & si sub diuo positus fuerit, fulgorem rapit sidereum. Ceraunium alterum Hispania in Lusitanis littoribus gignit, cui color Pyropo rubenti, & qualitas vt ignis. Hæc aduersus vim fulgurum opitulari fertur, si credimus. Dicta autem Ceraunia, quoniam alibi non inuenitur, quàm in loco fulminis ictui proximo. Græcè enim fulmen κεραυνὸς dicitur. *Iris*, apud Arabiam in mari rubro nascitur coloris crystallini, sexangulata, dicta ex argumento iris. Nam sub recto percussa Sole, species & colores arcus cælestis in proximos parietes imitatur. *Astrion*, ex India est, crystallo propinqua: in cuius centro stella lucet fulgore lunæ plenæ. Sumpsit autem nomen quòd astris opposita, fulgorem rapit ac egerit. *Electria*, quasi electoria. In ventriculis enim gallinacus inuenitur, crystallina specie, magnitudine fabæ. Hæc in certaminibus inuictos fieri Magi volunt, si credimus. *Enhydros*, ab aqua vocata. Exundat enim aquam, ita vt clausam in ea putes fontaneam scaturiginem. Omnium ardentium gemmarum princi-

principatum *carbunculus* habet. Carbũculus autem dictus, quòd sit ignitus vt carbo, cuius fulgor nec nocte vincitur. Lucet enim in tenebris, adeò vt flammas ad oculos vibret. Genera eius xij. sed præstantiores qui videntur fulgere, & velut ignem effundere. Carbũculus autem Græcè ἄνθραξ dicitur. Gignitur in Libya apud Troglodytas. *Anthracites* vocatus, quod sit & ipse coloris ignei, vt carbũculus, sed candida vena præcinctus, cuius proprium est quòd iactatus in ignem velut inter mortuos extinguitur: at contrà aquis perfusus exardescit. *Sandasirus* nascitur in India loco eiusdem nominis, Species eius, quòd veluti intro lucido igne intus fulgent aureæ guttæ. Constat autem inter omnes quantus numerus stillarum accidit, tantò & precium accedere. *Lignis* ex eodem genere ardentium est appellata à lucernarum flagrantia. Gignitur in multis locis, sed probatissima apud Indos. Quidam eam remissiorem carbũculũ esse dixerunt. Huius duplex facies: vna quæ purpura radiat: altera quæ cocci rubore. A Sole excalefacta, aut digitorum attritu paleas & chartarum fila ad se rapere dicitur. Sculpturis resistit, ac siquando sculpta fuerit, dũ signa imprimit, quasi quodam animali morsu partem ceræ retentat. Genera eius quatuor. *Carchedonius* hoc quod & *Lychnites* facere dicitur, quanquam multum vilior prædictis. Nascitur apud Nasamonas imbre, vt ferunt, diuino. Inuenitur ad repercussum lunæ plenæ. Omnia autem genera sculpturæ resistunt. *Alabãdina* dicta ab Alabanda Asiæ regione, cuius color ad Carchedoniũ vadit, sed rarus. *Dracontites* ex cerebro draconis eruitur, quæ nisi viuenti abscisa fuerit, non ingemmescit: vnde & eam Magi dormientibus draconibus amputant. Audaces enim viri explorãt draconũ specus, & spargunt ibi gramina medicata ad incitandum draconũ soporem, atque ita somno sopitis capita desecant, & gemmas detrahunt. Sunt autem candore trãslucido. Vsu earum orientis reges præcipuè gloriãtur. *Chrysoprasius* Æthiopicus est, quem lapidem lux celat prodit obscuritas. Nocte enim igneus, est die aureus. *Flogites* ex Persida est, ostentãs intra se quasi flammas æstuantes quæ non exeant. *Syrtites* vocata quoniam in littore Syrtium inuenta primùm est in parte Lucaniæ. Color eius croceus, intus stellas continens elanguidas, sub nubilo renitentes, *Ermision* inter gratissimas aspicitur. & ex igneo colore radians auro, portans secum in extremitatib. candidam lucem.

De aureis.

CAP. XIIII.

SVnt quædam gemmarũ genera ex specie metallorum vel lapidum cognominata. *Chrysophis* aurum tantùm videtur esse. *Chrysolitus* auro similis est cum marini coloris similitudine: hunc Æthiopia gignit. *Chryselectrus* similis auro, sed in colorem electri vergens, matutino tantùm aspectu iocundus, rapacissimus ignium, & si iuxta fuerit, celerrimè ardescens. *Chrysolampis* ex auro & igne vocata. Aurea est enim die, & nocte ignea. hanc Æthiopia gignit. *Ammochrysus* arenis auro intermixtis nunc bractearum, nunc pulueris habet quadrulas. Gignitur in Perside. *Leocrysus* colore aureo interueniente candida vena. *Melectrisis* dicta, quòd veluti per aurum sincerum: sic hæc gemma trãsluceat. *Chrysocolla* gignitur in India, vbi formicæ eruunt aurum. Est autem auro similis & habet naturam Magnetis, nisi quòd augere aurum traditur, vnde & nuncupatur. *Argirites* similis argento, habens stigmata aurea. *Andredamas* argenti nitorem habet, & penè adamas, quadrata semper tesseris. Magi putant nomen impositum ab eo quòd animorum impetus vel iracundias domare & refrenare dicatur, si credimus. Gignitur in mari Rubro. *Chalcites* aerij coloris est. *Calcofanus* nigra est, sed lapidi illisa æris tinnitum reddit. *Balanites* duo sunt genera, subuirides & Corinthij æris similitudine, mediam secante flammea vena. *Siderites* à contemplatione ferri nihil dissonat. In maleficiis quoquo modo si inferatur discordias excitat. *Ideus dactilus* ex insula Creta est, ferri coloris, causa nominis eius, quia pollicem humanum exprimit. *Æthiopicus* ferrei coloris est, qui dum teritur, succum emittit. *Similianicius* in Euphratis alueo legitur pro connexione marmoris similis, medio colore glauco, veluti oculi pupilla internitens. *Arabica* ex patria dicta, aspectu eburnea est. *Hephæstitis* speculi naturam habet in reddẽdis imaginibus, quanquam rutilet: experimentum eius si feruenti aquæ addita statim refrigeret: aut si Soli opposita aridam materiam accendat. Nascitur in Coryco. *Ostracites* lapidosus colore testaceo durior. *Alteria* Achati similis, nisi quòd Achates politura pinguescit. Duriori tanta inest vis, vt aliæ gemmę sculpantur fragmentis eius. *Glossopetra* similis est linguæ humanæ, vnde & nomen sumpsit. Fertur autem deficiente luna cœlo cadere, cui non medicam Magi tribuunt potestatem. Nam ex eo lunares motus excitari putant. ¶ Sunt & quædam gemmarum genera cognominata ab animalibus. *Echites* vipereas maculas exprimit. *Carcina* marini cancri coloris est. *Scorpitis* scorpionem & colore & effigie refert. *Myrmicites* formiceæ reptantis effigiem imitatur. *Taos* pauoni est similis. *Hieracites* acipitris coloris. *Æitites* aquilæ. Æ-

gophthalmos, caprino oculo similis. *Lycophthalmos* quatuor est colorum, ex rutilo sanguineum, in medio nigrum candidus cingit vt luporum oculus. *Mecomites* papauer exprimit. ¶Sunt & quædam gemmæ quibus gentiles in superstitionibus quibusdam vtuntur. *Liparia* suffita, omnes bestias euocare tradunt. *Anancitida* in necromantia dæmonum imagines euocare dicuntur. *Sinochitida* vmbras inferarum euocatas tenere dicuntur. *Chelonites* oculus est Indicæ testudinis, varius & purpureus. Per hunc Magi impositum linguæ futura prænunciare fingunt. *Bronia* à capite testudinum, è tonitruis cadi putatur, & restinguere fulminis ictus. *Hiena* lapis in oculis hienæ bestię inuenitur: qui si sub lingua hominum subditus fuerit, futura eum præcinere dicunt. Sed & *corallius* tempestati & grandini resistere fertur. *Pontica* est *gemma* quædam liuore perlucida: habens stellas rubras, interdum & aureas. Dicunt per eam interrogari dæmones & fugari. ¶In quibusdam gemmarum generibus vera à falsis discernere magna difficultas est: quippe cùm inuentum sit ex vero genere alterius in alia falsa transducere, vt Sardoniches, quæ trinis glutinantur gemmis, ita vt deprehendi non possint. Fingunt enim eas ex diuerso genere, nigro candido minióque colore. Nam & pro lapide preciosissimo smaragdo quidam vitrũ arte inficiunt, & fallit oculos sub dolo quædã falsa viriditas, quo adusque non est qui probet simulatum & arguat: sic & alia alio atque alio modo. Neque enim est sine fraude vlla vita mortalium. Omnes autem non translucidas gemmas *cæcas* appellant, eò quòd densitate sua obscurentur.

De vitro. CAP. XV.

V*itrum* dictum, quòd visui perspicuitate transluceat. In aliis enim metallis quicquid intrinsecus continetur, absconditur. in vitro verò quilibet liquor vel species qualis est interius, talis exterius declaratur, & quodammodo clausus patet. Cuius origo hæc fuit. In parte Syriæ quæ Phœnice vocatur finitima Iudææ, circa radicem montis Carmeli palus est, ex qua nascitur Belus amnis, quinque millium passuum spacio in mare fluens iuxta Ptolemaidem: cuius arenæ de torrente fluctu sordibus eluuntur. Hic fama est pulsa naue mercatorum nitri, cùm sparsim per littus epulas pararent, nec essent pro attollendis vasis lapides: glebas nitri ex naue subdiderunt, quibus accensis permixta arena littoris, translucentes noui liquoris fluxisse riuos, & hanc fuisse originem vitri. Mox vt est ingeniosa solertia, non fuit contenta solo nitro, sed & aliis mixturis hanc artem studuit. Leuibus enim aridísque lignis concoquitur, adiecto cupro ac nitro, continuísque fornacibus vt æs liquatur massæque fiunt. Postea ex massis rursus funditur in officinis, & aliud flatu figuratur: aliud torno teritur: aliud argẽti modo cælatur. Tingitur etiam multis modis, ita vt hyacinthos saphirósque & virides imitetur, & oniches vel aliarum gemmarum colores: neque est alia speculis aptior materia vel picturæ accommodatior. Maximus tamen honor in candido vitro, proximo in crystalli similitudine. Vnde & ad potandum argenti metalla & auri vitrum repulit. Olim fiebat & in Italia, & per Gallias & Hispaniam arena alba & mollissima pila moláque terebatur. Dehinc miscebatur tribus partibus, nitri pondere & mensura: ac liquata in alias fornaces transfundebatur, quæ massa vocabatur admonitrum, atque hæc recocta fiebat vitrum purum & candidum. In genere vitri & obsianus lapis annumeratur. Est autem virens, interdum & niger, aliquando & translucidus, crassiore visu & in speculis parietũ pro imagine vmbras reddente: gemmas ex eo multi faciunt. Hunc lapidem & in India, & in Italia, & ad Oceanum in Hispania nasci tradunt. Fertur autem sub Tiberio Cæsare quendam artificem excogitasse vitri temperamentum, vt flexibile esset & ductile. Qui dum admissus fuisset ad Cæsarem, porrexit phialã Cæsari. Quam ille indignatus in pauimentum proiecit. Artifex autem sustulit phialam de pauimento, quæ complicauerat se tanquam vas æneum: deinde malleum de sinu protulit, & phialam correxit. Hoc facto Cæsar dixit artifici, Nunquid alius scit hanc conditurã vitrorum? Postquam ille iurans negauit alterum hoc scire, iussit eum Cæsar decollari, ne dum hoc cognitum fieret, aurum pro luto haberetur, & omnium metallorum precia abstraherentur. Reuera, quia si vasa vitrea non frangerentur meliora essent quàm aurum & argentum.

De metallis.

CAP. XVI.

M*etallum* dictum Græcè ἀπὸ τοῦ μεταλλᾶν, quòd natura eius ea sit, vt vbi vna vena apparuerit, ibi spes sit alterius inquirendi. Septem autem sunt genera metallorum: aurũ, argentum æs, electrum, stannum, plumbum, & quod domat omnia ferrum.

De auro. CAP. XVII.

A*Vrum* ab aura dictum, id est, à splendore quod repercusso ære plus fulgeat. Vnde & Virgi-

& Virgilius: Discolor inde auri per ramos aura refulsit, hoc est, splendor auri. Naturale enim est vt metallorum splendor plus fulgeat luce alia repercussus. Hinc & aurarij dicti, quorum fulgor splendidos reddit. *Obrysum* aurum dictum, quòd obradiet splendore: est enim coloris optimi, quod Hebræi Ophax, Græci carion vocant. *Bractea*, dicitur tenuissima lamina, ἀπὸ τοῦ βραχεῖν, quod est ἠχεῖν, id est à crepitando. *Pecunia*, prius de pecudibus, & proprietatem habebat & nomen. *De corio* enim pecudum *nummi* incidebantur & signabantur. Postea à Saturno *æreus nummus* inuentus est. Ipse enim signari nūmos & scribi constituit. Propterea & ærarium Saturno à gentilibus consecratum est. Alij, vt superius, pecuniam à pecudib. appellauerunt: sicut à iuuando *iumenta* dicta sunt. Omne enim patrimonium apud antiquos *peculium* dicebatur à pecudibus, in quibus eorum constabat vniuersa substantia, vnde & *pecuarius* dicebatur qui erat diues: modò verò *pecuniosus*. Antiquissimi nondum auro argentóque inuento, ære vtebantur. Nam prius *ærea pecunia* in vsu hominum fuit: pòst *argentea*: deinde *aurea* subsecuta: sed ab ea qua cepit nomen retinuit. Vnde & *ærarium* dictum, quia prius æs tantùm in vsu fuit, & ipsum solum recondebatur, auro argentóque nondum signato, ex quorum metallis quamuis postea facta fuisset pecunia, nomen tamen ærarij permansit ab eo metallo, vnde initium sumpsit. *Thesaurus* iuxta Græcã proprietatem ἀπὸ τῆς θέσεως à positione, hoc est, à reposito nominatur. Nam θέσις positio dicitur, & est nomen ex Græco Latinóque sermone compositum. Nam θὲς Græci repositum dicunt: χρύσεον aurum quod iunctum sonat repositum aurum. *Auraria*, nomen habet ab auro. *Tributa* verò, eo quòd antea per tribus singulas exigebantur: sicut nunc per singula territoria. Sic autem in tres partes diuisum fuisse Romanum populum constat, vt qui præerant in singulis partibus, *Tribuni* dicerentur. Vnde etiam sumptus, quos dabant populi *tributa* nominauerunt. *Vectigalia*, sunt tributa, à vehendo dicta. *Stipendium*, à stipe pendenda nominatū. Antiqui enim appendere pecuniam soliti erãt magis quàm annumerare. *Moneta* appellata est, quia monet ne qua fraus in metallo vel pondere fiat. *Numisma*, est solidus aureus vel argenteus siue æreus, qui ideo numisma dicitur, quia nominibus principū effigiebúsque signabatur. Prius nummus ἄργυρος nuncupabatur, quia quamprimum ex argento percutiebatur. *Numi* autem à Numa Romanorum rege vocati sunt, qui eos primùm apud Latinos imaginibus notauit, & titulo nominis sui præscripsit. *Solidi*, dicuntur à sacculo, quo conduntur, à continente, id quod continetur appellatum. ¶ In numismate tria quæruntur, *metallum figura*, & *pondus*. Si ex iis aliquid defuerit, numisma non erit. ¶ Tria sunt autem genera argenti, & auri, & æris: *signatum factum, infectum*. *Signatum*, est quod in nummis est *factum*, est quod in vasis & signis: *infectum*, quod in massis est, quod & graue dicitur, id est, massa. ¶ In notitiam autem formarum metalla ita venerunt. Dum enim quacunque causa ardentes syluæ excoquerent terram, ex calefactis venis fudit riuos cuiuscunque structuræ. Siue igitur æs illud fuerat, siue aurum cùm in loca terræ depressiora decurrerit, sumpsit figuram, in quam illud vel profluens riuus vel excipiens lacuna formauerat. Quarum rerum splendore capti homines cùm ligatas attollerent massas, viderunt in ea terræ vestigia figurata, in quæ excogitauerunt liquefactas ad omnem formam posse deduci.

De argento. CAP. XVIII.

ARgentum, non longè à Græca appellatione distat. Hoc autem illi ἄργυρον vocant. Cùm mirum in modum illud dum candidum sit, impressum corpori lineas nigras reddit. *Argētum viuum* dictum, quòd exscindat materias, in quibus iniicitur: hoc & liquidum, quia percurrit. Inuenitur specialiter in metallis, siue in argentariis fornacibus guttarum concretione tectis inhærens: sæpe etiam & in stercore vetustissimo cloacarum vel puteorum limo. Fit etiã & ex minio imposito conchulæ ferreæ patena testea superposita: tum circumlito vasculo circumdantur carbones, sícque argentum viuum ex minio stillat: sine hoc neque argentum, neque æs inaurari potest. Tantæ autem virtutis est, vt si super sextarium argenti viui centenarium saxum superponas: oneri statim resistat. Sin verò auri scrupulum, leuitatem eius raptim sinu recipit: ex quo intelligitur non pondus, sed naturam esse cui cedit. Seruatur autem melius in vitreis vasis: nam cæteras materias perforat. Potui autem datum interficit, ponderis causa. *Argenti purgamenta* λιθάργυρος, quam nos spumam argenti appellamus. Fit autem ex argento & plumbo.

De ære. CAP. XIX.

ÆS, à splendore aeris vocatum sicut aurum & argentum. Apud antiquos autem prius æris quàm ferri cognitus vsus. Ære quippe prius scindebant terram, ære certamina belli gerebant: erátque in pretio magis æs: aurum verò & argentum propter inutilitatem reiiciebantur. Nunc versa vice

iacet æs, aurum summo cessit honori. Sic voluenda ætas commutat tempora rerum. Et, Quod fuit in pretio, fit denique nullo in honore. Vsus æris postea transiit in simulacris, in vasis, in ædificiorum structuris: maximè & ad perpetuitatem monimentorum etiam publicæ in eis constitutiones scriptæ sunt. *Cyprium æs*, in Cypro insula prius repertum, vnde & vocatum: factum ex lapide eroso, quem Cadmiam vocant, & est ductile: huic si addatur plumbum, colore purpureo fit. *Aurichalcum* dictum, quòd & splendorem auri & duritiam æris possideat. Est autem nomen compositum ex lingua Latina & Græca. Æs enim sermone Græcorum χαλκὸς vocatur. Fit autem ex ære & igne multo, ac medicaminibus perducitur ad aureum colorem. *Corintheum*, est omnium commixtio metallorum quod casus primùm miscuit, Corintho cùm caperetur incensa. Nam dum hanc ciuitatem Hannibal cepisset: omnes statuas æneas & aureas & argenteas in vnum rogum congessit, & eas incendit. Ita ex hac commixtione fabri sustulerunt & fecerunt parapsides. Sic Corinthia nata sunt ex omnibus in vnũ, nec hoc nec illud. Vnde & vsque in hodiernum diem: siue ex ipso, siue ex imitatione eius æs Corinthium vel Corinthia vasa dicuntur. Huius tria genera, candidum vnũ ad argenti nitorem accedens, alterum in quo ipsius auri fulua natura est: tertium in quo æqualis cunctorum temperies. *Coronarium*, ex ductili ære tenuatur in laminas: taurorúmque felle tinctum speciem auri coronis histrionũ præbet, vnde & appellatum. *Pyropum*, igneus color vocauit. Namque in singulas vncias æris additis auri scrupulis senis prætenui bractea ignescit, flammásque imitatur, vnde & pyropum dicitur. *Regulare æs* dicitur, quòd ab aliis ductile appellatur: quale omne Cyprium est. *Ductile* autem dicitur, eo quòd malleo producatur: sicut contra *fusile*, quòd tantùm funditur. Hoc & *caldarium* quòd tãtùm funditur. Nam malleis fragile est. Siquidem omne æs diligentius purgatis igne vitiis excoctísque, regulare efficitur. *Campanũ* quoque inter omnia genera æris vocatur à Campania prouincia, quæ est in Italiæ partibus, vtensilibus & vasis omnibus probatissimum. Æs omne frigore magno melius funditur. Æs rubiginem celerius trahit nisi oleo perungatur, seruari autem id optimè in liquida pice tradunt. ¶ Inter omnia metalla æs vilissimum est, & maximæ potestatis, ideo & *ænea limina*: vnde & Virgilius, Hinc foribus cardo stridebat ahenis. *Origo æris*, Cadmia & Chalcitis. *Purgamenta æris*. Cadmia, & origo, & æris flos. *Cadmia*, gignitur in metallorum æris atque argenti fornacibus insidente nidore. Namque vt ipse lapis ex quo fit. æs Cadmia vocatur: sic rursus in fornacibus existit, & nominis sui originem recipit. *Aeris flos*, fit seu gignitur conflationibus, resoluto atque liquato ære, superfusa frigida aqua. Repentina enim densatione tanquam de succo reparatur flos. *Aeruginem* æs quoque creat. Nam laminæ æreæ super vas aceti acerrimi sarmentis superpositæ, atque ita distillantibus: quòd ex eo cecidit in ipsum acetum teritur & cribratur.

De ferro. CAP. XX.

FErrum, dictùm quòd farra, id est semina frugum terræ condat. Idem & chalybs à Chalybe flumine vbi ferrum optima acie tẽperatur. Vnde & abusiuè dicitur chalybs ipsa materies, vt, Vulnificúsque calybs. *Ferri vsus*, post alia metalla repertus est. Cuius postea versa in opprobrium species. Nam vnde prius tellus tractabatur, inde modò cruor effunditur. Nullum autem corpus tam densis inter se cohærentibus & implicitis elementis quàm ferrum: vnde inest illi duritia cum frigore. Ferri autem metallum penè vbique reperitur: sed ex omnibus generibus palma *Serico ferro* datur. Seres enim hoc cum vestibus suis pellibúsque mittunt, Secunda *Parthico*, neque alia genera ferri ex mera acie temperantur. Ceteris enim admiscetur mollitur cõplexus. ¶ Differentia ferri plurima iuxta terræ genus. Nam aliud *molle plumbóque vicinũ*, rotarum & clauorum vsibus aptum. *aliud fragile & ærosum*, culturæ terræ conueniens. *aliud sola breuitate placet clauísque caligariis aliud rubiginem celerius sentit.* *Strictura* vocantur hæ omnes, quòd non in aliis metallis: à stringẽdo aptè vocabulo imposito. ¶ Aquarum verò summa differentia est quibus ferrũ candẽs immergitur quo vtilior fiat: sicut Bilbilis in Hispania & Tirrasona, Comus in Italia. ¶ In acuendo ferro, oleo delectatior fit acies, vnde & tenuiora ferramenta oleo restringi mos est: nec qua in frangilitatem durentur. A ferro sanguis humanus sese vlciscitur. Contactum nanque celerius rubiginem trahit. Cùm ferro *magnes* lapis concordiam habet. Sola enim hæc materia vim ab hoc lapide accipit, retinétque longo tẽpore. Ex eodem lapide architectus quidam Alexandriæ templum concamerauit: vnde & in eo simulacrum ferro in aere pẽdere videretur. ¶ Ferrum accensum igni nisi duretur ictibus, corrumpitur. Rubens non est habile ad tundendũ neque antequam albescere incipiat; aceto vel alumine illitum ferrum, fit æris simile. *Purgamenta ferri*, rubigo & scoria. *Rubigo*, est vitium rodens ferrum ipsum vel etiam segetes, quasi rodigo mutata vna litera: hæc & erugo ab erodendo. Nam erugo vitium est fer-

est ferri ab erodendo dicta, non ab eramento. *Scoria* vero purgamenta & sordes sunt quæ igne excoquuntur, dicta scoria, quia de ferro excutitur. *Rubigine* autem caret ferrum si cerussa & gipso & liquida pice perungitur. Item rubigo ferramenta non vitiat, si eadem medulla ceruina, vel cerussa mixta rosaceo vngatur.

De plumbo. CAP. XXI.

PLumbum dictum quòd ex eo primùm pilis factis maris altitudo tentata est. Huius verò genera duo sunt *nigrum* & *candidum*, sed melius candidum, quod prius in insulis Atlantici maris inuentum est. Siquidem & in Lusitania & in Gallicia gignitur, summa terra arenosa, & coloris nigri, & põderis grauis: interueniunt & minuti calculi, maxime torrẽtibus siccatis: lauant eas arenas, & quod subsidit, coquunt in fornacibus. Inueniuntur & in aurariis metallis aqua missa calculi nigri, & graues, & dum aurum colligitur cum eo remanent, postea separati conflantur, & in plumbum album resoluũtur. Inde & eadem grauitas plumbi quæ auri. *Nigrum plumbum* circa Cantabriã abundat, cuius origo duplex est. Aut enim solùm ex sua vena prodit, aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur. Huius primus in fornacibus liquor stannũ est, secundus argẽtum: quod remanet super adcita vena rursúsque conflata, fit nigrum plumbum. India neque plumbum neque æs habet, gemmis tantùm & margaritis hæc permutat. Nigro plumbo fistulis laminisque vtimur. Laboriosius in Hispania & Gallia eruitur plumbum. Nam in Britannia summo terræ corio.

De stanno. CAP. XXII.

STanni etymologia ἀποχωρίζων, id est separans dicitur & secernens. Mixta enim & adulterata inter se per ignem metalla dissociat, & ab auro & argento æs plumbúmque secernit, alia quoque metalla ab igne defendit, & cùm sit natura æris ferríque durissima, si absque stanno fuerit, vritur & crematur. Stannum illitum æreis vasis saporem facit gratiorem, & compescit virus eruginis. Specula etiam ex eo temperantur. Cerussa quoque ex eo sicut ex plumbo conficitur.

De electro. CAP. XXIII.

ELectrum vocatum quòd ad radium solis clarius auro argentóque reluceat. Sol.n. à poetis electron vocatur. Defecatius est enim hoc metallum omnibus metallis. Huius tria sunt genera. Vnum quod ex pini arboribus fluit, quod succinum dicitur. *Alterum* metallum, quod naturaliter inuenitur, & in precio habetur. *Tertium* quod fit de tribus partibus auri & argenti vna. Quas partes, etiam si naturam resoluas, inuenies. Vnde & nihil interest natum sit an factum, vtrunque enim eiusdem naturæ est. *Electrum* quod est *naturale*, eiusmodi natura est, vt in conuiuio & ad lumina clarius cũctis metallis fulgeat, & venenum prodat. Nam si ei infundas venenum: stridorem edit, & colores varios in modum arcus cœlestis emittit.

De ponderibus. CAP. XXIIII.

POnderum ac *mensurarum* iuuat cognoscere modũ. Nam omnia corporalia sicut scriptum est à summis vsque ad ima in mensúra, & numero, & pondere disposita sunt atque formata. Cunctis corporeis rebus pondus natura dedit. Suum regit omnia pondus. ¶ Primus Moyses in heremo filiis Israel pondera & mensuras dedit. Primus Sidon Argiuus ponderum rationem in Græcia constituit, & licet alij antiquiores extiterint, iste hac arte experientior fuit. ¶ *Pondus* dictum, eo quòd in statera libratum pendeat, hinc & pensum. Abusiuè autem pondus libra vna est. Vnde etiam *dipondium* dictum est, quasi duo pondera, quod nomen adhuc in vsu retinetur. *Trutina* est gemina ponderum lances æquali examine pendens, facta propter talenta & centenaria appendenda, sicut *momentana* pro parua modicáque pecunia. Hæc & *moneta* vocata. Eadem & *statera* nomẽ ex numero habens, quòd duabus lancibus & vno in medio stilo librata æqualiter stet. *Examen* est filum mediũ quo trutinæ statera regitur, & lances æquantur. Vnde in lanceis *amentũ* dicitur *Campana* à regione Italię nomẽ accepit, vbi primũ eius vsus repertus est. Hæc duas lances non habet: sed virga est signata libris & vnciis, & vago pondere mensurata. Vnicuique autem ponderi certus est modus nominibus propriis designatis. *Calcus* minima pars ponderis, quarta pars oboli est, constans lentis geminis granis. Appellatur autem calcus quod sit paruulus, sicut & lapis calculus, qui adeò minimus est, vt sine molestia sui calcetur. *Siliqua* vigesimaquarta pars solidi est, ab arboris semine vocabulũ tenens. *Cerates* oboli pars media est, siliquã habens vnam semis. Hũc latinitas *semiobolũ* vocat. *Cerates* aũt Græcè, Latinè *siliqua* cornuũ interpretatur. Obolus siliquis tribus appenditur, habẽs cerates duos calcos quatuor. Fiebat enim olim ex ære ad instar sagittę. Vnde & nomen à Græcis accepit, hoc est sagitta. *Scrupulus* sex siliquarum põdere cõstat. Hic apud Græcos dramma vocatur. Scrupulus

autem dictus per diminutionẽ à lapillo breui: qui scrupus vocatur. *Dragma* octaua pars vnciæ est, & denarij pondus argenti tribus constans scrupulis, id est xviij. siliquis. *Denarius* autem à dando dictus, quia pro decem nummis imputatur. *Solidus* nuncupatur, quia nihil illi deesse videtur. Solidum enim antiqui integrum dicebant & totum. Ipse quoque *nomisma* vocatur, pro eo quòd nominibus principum effigiebúsque signetur. Ab initio verò vnum nomisma vnus argenteus erat. Hoc enim ab Assyriis cœpit. Dicunt enim Iudæi, quòd Abraham in terram Chanaam primus hanc aduexit formam. *Solidus* apud Latinos alio nomine *sextula* dicitur, quòd de iis sex vncia cõpleatur. Hunc, vt diximus, vulgus aureum solidum vocat. cuius tertiam partem ideò dixerunt *tremissem*: eo quòd solidum faciat termissus. *Sextula* bis assumpta duellum facit, ter posita staterẽ reddit. *Stater* autem medietas vnciæ est, appendens aureos tres, vnde & vocatur stater, quòd tribus solidis stet. Hic & *semiuncia*, quia semis habet de vncia. Hic & *semissis*, quia ponderis semissem quasi semis assis. *Quadrantem* similiter Hebræi cadrantem vocant. & vocatur quadra quòd vnciæ quartam partem appendant. *Sicel* qui Latino sermone siclus corruptè appellatur: Hebræum nomen est, habens apud eos vnciæ pondus. Apud Latinos autẽ & Græcos quarta pars vnciæ est, & stateris medietas, dragmas appẽdens duas Vnde cum in literis diuinis legitur siclus, vncia est: cùm verò in gentilium libris, quarta pars vnciæ est. *Vncia* dicta quòd vniuersitatem minorum ponderũ sua vnitate vinciat, id est complectatur. Cõstat autem dragmis viij, id est scrupulis xxiiii. Quòd proinde legitimum pondus habetur, quia numerus scrupulorum eius horas diei noctisque metitur, vel quia libram efficit duodecies computatus XII. vnciis perficitur, & inde habentur perfecti ponderis genus: quia tot constat vnciis quot mensibus annus. Dicta autem *libra* quòd sit libera, & cuncta inter se pondera prædicta concludat. *Mina* in ponderibus centum dragmis appenditur, & est nomen Græcum. *Talentum* autem summum esse pondus perhibetur in Græcis. nam nihil est chalco minus, nihil talento maius. Cuius variũ apud diuersas gentes pondus habetur. Apud Romanos enim talentum est lxxij. librarum, sicut Plautus ostendit, qui ait duo talenta esse CXLIIII. libras. Est autem triplex, id est minor, medius, summus Minor quinquaginta, medius lxxij. librarum: summus cxx. constat. *Centenarium* numeri nomen est, eo quòd centum librarum ponderis sit. Quod pondus propter perfectionem centenarij numeri Romani instituerant.

De mensuris. CAP. XXV.

MEnsura est res aliqua modo suo vel tẽpore circumscripta. Hæc aut corporis est, aut temporis. *Corporis* est, vt hominum, lignorum, & columnarum longitudo, vel breuitas. Sed & solum istum propriam sui orbis habere mẽsuram, quod Geometrici perscrutari audent. *Temporis*, vt horarum, dierum, & annorum. Vnde & metiri pedes horarum dicimus, hoc est mensurare. *Propriè* autem *mẽsura* vocata, quòd ea fruges metiuntur atque frumentum, id est humida & sicca, vt modius, vrna, & amphora. Mensurarum pars minima *cochlear*, quòd est dimidia pars dragmæ, appendens siliquas nouem. Qui triplicatus conculam facit. *Concula* dragma vna & dimidia adimpletur. *Cyathi* pondus decem dragmis appenditur: qui etiam à quibusdam *coulacus* dicitur. *Oxifalus* fit si quinque dragmæ adduntur ad x. *Acitabubm* quarta pars heminæ est, xij. dragmas appendens. *Cotula* hemina est habens cyathos sex, quæ idcirco cotula vocatur, quia Græco sermone cote incisio dicitur, & hemina sextarij in duo æqua inciditur, & cotulã facit. *Hemina* autem appendit libram vnam, que geminata sextarium facit. *Sextarius* duarum librarum est, qui bis assumptus bilibris nominatur assumptum quater, fit Græco nomine Chœnix. quinquies complicatus quinatum siue gomor facit. Adiice sextum, congium reddit. Nam congius sex metitur sextariis: à quo & sextarij nomen dederunt. *Congium* autem à congiendo, id est per augmentum crescendo vocatur. Vnde posteà pecunia beneficij gratia dari cœpta, congiarium appellatum est. Vnusquisque enim sui temporis imperator fauorem populi captans, adiiciebat vt largior videretur in donis. *Congiarium* autem specialiter mẽsura est liquidorum, cuius & rem simul & nomen à Romanis impositum inuenimus. *Metreta* est mensura liquidorum. Hęc à mensura accepit nomen. μέτρον enim mensuram dicunt Græci: & inde appellata metreta, licet & vrna & amphora & reliqua huiusmodi nomina mensurarum sint: tamen ista hoc nomen à denarij numeri perfectione accepit: *Metrum* ad omnem mensuram pertinet. μέτρον enim Græcè: Latinè mensura dicitur. Nam & cyathus mensura est, & amphora mensura est, & quicquid plus minúsve capit, mensura est. Sed ideò hoc nomen specialiter sibi assumpsit, quòd sit mensura perfecti numeri, id est denarii. *Modius* dictus ab eo quòd sit suo modo perfectus. Est autem mensura librarum XLIIII. id est sextariorum xxij. Cuius numeri causa inde tracta est, eo quòd in principio Deus xxij. opera fecerit. Nam prima die vij. opera fecit, id est materiam informem, angelos, lucem, cœlos superiores

periores, terram, aquam atque aerem. Secũda die firmamentum solum. Tertia die quatuor: maria, semina, sationes atque plãtaria. Quarta die tria: solem & lunam & stellas. Quinta die tria: pisces & reptilia aquarum, & volatilia. Sexta die quatuor: bestias, pecudes, reptilia terræ & hominẽ. Et facta sunt omnia xxij. genera in diebus sex. * Et xxij. generationes sunt ab Adam vsque ad Iacob, ex cuius semine nascitur omnis gens Israel. Et xxij. libri veteris testamenti vsque ad Hester. Et xxij. literarum sunt elementa quibus constat diuinæ legis doctrina. His igitur exẽplis modius xxij. sextariorum à Moyse secundum sacræ legis mensuram effectus est. Et quamuis diuersæ gentes huic mensuræ pondus vel adiiciant ignoranter vel detrahãt: apud Hebræos cõstitutione diuina tali ratione seruatur. Modius enim à modo dictus. Hinc & modica, id est moderata. Modicis enim modius nomen imposuit. Nam modica pro paruis abusiuè nõ propriè dicimus. *Satum* genus est mensuræ iuxta morem prouinciæ Palæstinæ, vnum & dimidium modium capiens: cuius nomen ex Hebræo sermone tractum est. Satum enim apud eos nominatur sumptio, siue leuatio: eo quòd qui metitur, eandem mensuram sumat ac leuet. Est & aliud satum mensura sextariorum xxij. capax quasi modius. *Batus* vocatur Hebraica lingua ab olearia mola quæ bath apud eos vel batha nominatur, capiens quinquaginta sextaria, quæ mensura, vna molæ vice proteritur. *Amphora* vocata quòd hinc & inde leuetur. Hæc Græcè à figura sui dicitur: quòd eius ansæ geminatæ videantur aures imitari. Recipit autem vini vel aquæ pedem quadratum, frumenti verò modios Italicos tres. *Cadus* Græca amphora est continens vrnas tres. *Vrna* mensura est: quam quidam quartarium dicunt. Propriè autem vrna vas est quod pro condendis defunctorum cineribus adhiberi solet: de quo poeta, Cœlo tegitur qui non habet vrnam. *Medimna* est mensura quinque modiorum. Medimna autẽ Latina lingua vocatur, id est dimidia. eo quòd quinque modiis metiatur, qui est dimidius numerus à perfecto denario. *Artaba* mensura est apud Ægyptios sextariorũ lxxij. composita ex numero, propter lxxij. gentes vel linguas, quæ orbem impleuerunt. *Gomor* xv. modiorum onus appendit. *Corus* xxx. modiis impletur. Hic ab Hebraico sermone descendit: qui vocatur cora similitudine collis. Cora enim Hebraicè colles appellantur. Coaceruati enim modij xxx. instar collis videntur, & onus cameli efficiunt.

De signis ponderum.
Cap. XXVI.

Ponderis signa plerisque ignota sunt, & inde errorem legentibus faciunt. Quapropter formas eorum & characteres ita vt à veteribus signata sunt subiiciamus. *Zeta* litera significat dimidium obolum. Z
Virgula æqualiter iacens & porrecta simpliciter significat obolum. *Geminata virgula* duo oboli sunt.

T Latinum significat obolos tres. *F Latinum* significat obolos quatuor. T F.
E Latinum demõstrat obolos quinque. E.
Oboli vero sex propterea caracterem non habent quòd in vna dragma sex veniãt, quod est pondus denarij argentei. *Heta* litera significat siliquas viij. id est tremissem. H.
N Latinum significat nomisma Græcum, id est solidum. N.
Iota adiuncta beta significat dimidium solidum. I B.
Virgula duæ ex vno angulo à læua in dextram se diuidentes, significant dragmam: quam etiam olcem appellant.

N *Latinum* adiuncto gamma Græco significat semiunciam. N Γ.
Gamma autem Græcæ literæ o Latinum in fine adiunctum, significat vnciam. Γ O.
Lambda Græcum per medium sui I Latinum adiectum, significat libram.

Kappa Græcum circa finem cornuum adiuncto y Græco significat cyatum. K Υ.
Si verè o Latinum habuerit adiunctum heminã demonstrat, quam Græci cotylen vocant. K O.
Xi Græcum si habuerit iunctum E Latinum, significat sextarium. Ξ E.
Si verò o Latinum habuerit adiunctum, indicat acitabulum, quod Græci oxifalon vocant. Ξ O.
M Græcum superposita n Latino significat mna. n μ
A Latinum in fine habens Lambda Græcum significat talentum. A Λ.
Alpha Græcum in dextro brachio superiori o litera coniuncta chœnix est. α O

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER XVII.

CAPITA LIBRI DECIMISEPTIMI.

De autoribus rerum rusticarum. CAP. I.

RERVM rusticarum scribēdi solertiam apud Græcos primus *Hesiodus* Bœotius humanis studiis constituit, deinde *Democritus* magnus quoque Carthaginensis in xvij. voluminib. studiū agricolationis conscripsit. Apud Romanos autem de agricultura primus *Cato* instituit, quā inde *Marcus Terentius* expoliuit, mox *Virgilius* laude carminū extulit. Nec minus studiū habuerunt postmodum *Cornelius Celsus & Iulius Atticus*, *Æmilianus* siue *Columella*, insignis orator, qui totū corpus eiusdē disciplinæ complexus est. ¶Primū ad aratrū boues iunxisse ferunt quendā priuatum hominē & fulminatū nomine *Homogirum*. Quidam autē Osirim dicunt esse artis huius inuentorē, quidam *Triptolemū*. Et hîc quæstio est, quomodo prima *Ceres* ferro in Græcia vertere terrā instituit, sed ferro qualicunque, non specialiter vomere aut aratro. ¶Stercorandi agri rationē primus induxit quidā nomine *Stercutus* in Italia, cuius ara apico dedicata est Romæ. Hic plura instrumēta agriculturæ reperit primúsque agros firmauit. Eundem quidā *Saturnum* putauerunt: vt maiorem illi nobilitatem facerent hoc nomine, quo splendidè sonaret, & dignitatem tituli compararet.

De cultura agrorum. CAP. II.

CVltura est qua frumēta vel vina magnò labore quæruntur, ab incolendo vocata. *Diuitiæ* enim *antiquorū* in iis duob. erant, *bene pascere, & bene arare*. ¶*Cultura agri* cinis, aratio, intermissio, incensio stipularū, stercoratio, occatio, runcatio. *Cinis* est incendiū per quod ager inutilē humorē exudat. *Aratio* dicta, quia de ære priùs terræ culturam exercebant, antequam ferri fuisset vsus repertus. duplex est autē aratio, vernalis & autumnalis. *Intermissio* est qua alternis annis vacuus ager vires recipit. *Stercoratio* est lætaminis aspersio. *Stercus* autē vocatū, vel quia sternitur in agris, vel quòd extergi oporteat quicquid sordiū in ciuitate redūdat. Idē & *fimus* est, qui per agros iacitur. Et dictus fimus quòd fiat imus, id est stercus quod vulgo *latamen* vocatur, eo quod suo nutrimento læta faciat germina, reddátque pinguia arua & fœcūda. *Occatio* est cū rustici satione facta bubus dimissis grandes glebas cædūt & ligonib. frangūt: & dicta occatio quasi obcæcatio, quòd operiat semina. *Occare* igitur est operire semina terra, vites vel arbores. *Rūcatio* est à terra herbas euellere. Nā rus terra est. *Sulcus* à sole vocatus, quòd proscissus solē capiat. *Veractū* dicitur, quasi verè actū id est verno aratū. *Proscissio* est aratio prima cū adhuc durus est ager. *Satio* dicta quasi seminis actio, quæ vel sit satorū actio. *Serere* autē vocatū, quia hoc cælo sereno faciendū est: non per imbres. Hinc est & illud

Virgilianum. Nudus ara, sere nudus. *Messis* à metendo, id est recidēdo dicta. *Seges* autē de semine dicta quod iacimus, siue à sectione.

De frumentis. CAP. III.

PRima *Ceres* cepit vti frugibus in Græcia, & habere segetes translatis aliunde seminibus. Huius meminit Ouidius dicens, Prima Ceres vno glebam dimouit aratro, Prima dedit fruges alimentáque mitia terris. *Frumenta* sunt propriè quæ aristas habent: *fruges* autē reliqua frumenta autem vel fruges à *frumendo*, hoc est à vescendo dictæ. Nam *frumen* dicitur summa pars gulę. *Primitiæ* propriè sunt quæ de frugibus præcerpuntur. *Triticum* vel à tritura dictum, quod purissimū horreo condatur, vel quia granum eius commolitur & teritur. *Far* dicitur, eo quòd initio frangeretur. Apud antiquos enim molarum vsus nondum erat, sed frumentum in pila missum frāgebant, & hoc erat genus molendi. *Adoreum* tritici genus, quod idem vulgo semen dicitur. *Edor* quondam appellatum ab edendo, quia primo eo vsi sunt homines, siue quia in sacrificio ipsius generis panis ad aras offerebatur. Vnde *adorea* sacrificia dicuntur. *Siligo* genus tritici à selecto dictum. Nam in pane eius specie præcipua est. *Trimense triticum* ideo nuncupatum, quia satum post tres menses colligitur. Nam vbi propter aquam aliámve causam matura satio omissa est, præsidiū ab hoc petitur. *Alica* Græcum nomen est. *Alicastrum* simile est alicæ, pondere & bonitate præcipuum. *Hordeum* dictum, quòd præ cæteris generibus frumenti aridum antè fiat, vel quòd spica eius ordines habeat. Horū *tria genera*. Primum exaticum vocatur, eo quòd spica eius sex ordines habeat, quod quidam canterinum appellant, quoniam animalia melius quàm triticum pascit, & homines salubrius quàm malum triticum. Alterum *distichon*, eo quòd duos ordines habeat, hoc plerique calaticū vocant. Tertium *trimense*, quia dum cogit necessitas verno seminatur, & celeriter colligitur. *Scindula* à diuisione vocata. Duplex enim est, scinditur, id est diuiditur, *Centenum* appellatum, eo quod in plerisq; locis iactus seminis eius in incremētum frugis centesimū renascātur. Hinc & *miliū* à multitudine fructus vocatum. *Panicium* dictum, quòd in multis regionibus ex eo panis vice homines sustententur, quasi panis vitiū. *Pistū* à pastu. *Sisamum*, Græcum nomen est. *Farrago* dicta à farre. Est enim herba hordeacea adhuc viridis: necdū granis ad maturitatē turgentibus. *Spicā* de maturis frugibus abusiuè dicimus. Nā propriè spica est, cùm per culmi folliculum, id est extremum tumorem aristæ adhuc tenues in modū spiculi eminēt. *Arista* appellata, quod prius ipsa arescat. *Culmus* est ipse calamus spicæ qui à radicibus nascitur. Et dictus culmus, quasi calamus. *Folliculus* est theca frumenti, in qua granum seruatur interius. Hæc super spicā vallo instructa munimen prętendit, ne auium minorum morsibus spica suis fructibus exuatur, aut vestigiis proteratur. *Stipulæ* sunt folia seu vaginæ, quibus culmus ambitur atque fulcitur, ne pondere frugis curuetur qua ambiunt culmum. Et dicta stipula quasi vsta, & quasi vstipula. Stipula dicta ab vsto: collecta enim messe vritur propter culturam agri. Item stipula, vel quia pars eius vritur, pars interdum pro palea præciditur. *Palea* à quibusdam vocari dicitur, quod pala ventiletur, vt frumenti purgentur. Gentiles autem paleam à quadam Pale frugum inuentrice vocauerunt: quā Cererē esse volūt. De qua Virgilius, Te quoque magna Pales, & te memorande canemus. Item alij à pabulo nuncupatam dicunt paleam, quòd ea primùm sola in pascēdis animalibus pastus præbebatur. Cuius natura ex contrario tantùm est frigida, vt obrutas niues fluere non sinat: adeò calida, vt maturescere poma compellat.

De leguminibus. CAP. IV.

LEgumina à legendo dicta, quasi electa. Veteres enim meliora quæque legebant siue quod manu legantur, neque sectionem requirant. ¶Leguminum plurima genera, ex quibus faba, lens, pisa, faselum, cicer lupinū, gratiora in vsu hominum videntur. *Faba* Græca etymologia à vescendo vocabulum sumpsit, quasi faga. φάγειν enim Græcè comedere dicitur. Primùm enim homines hoc legumine vsi sunt. Huius species duæ, quarum altera *communis*, altera *Ægyptia*. *Faba fresa* dicta, eo quòd eam homines frendant, id est frangant, id est molendo comminuant. *Lens* vocata, quòd humida & lenta est, vel quòd adhæret humi. *Faselum* autē & *cicer* Græca nomina sunt: sed faselum vile genus leguminis, quia omne quod abundat vile est, hoc autem semen abundanter inuenitur. *Lupinum* Græcum & ipsum nomen est: de quo Virgilius, --Tristésque lupini, quia vultum gustātis amaritudine contristant: vnde & illud præ amaritudine, nec vermis nec vllum animal comedit. *Medica*, *vicia*, eruum pabulorum optima sunt. *Medica* dicta, quia a Medis translata est in Græciam tempore quo eam Xerxes rex Persarum inuasit. Hæc semel seritur & decem annis permanet, ita vt quater vel sexies possit par annū recidi. *Vicia* dicta, quòd vix ad triplicem perueniat fructum: cùm alia legumina prouentum habeat fertilem: vnde & Virgilius, Et tenuis fœtus viciæ. *Pisa* quòd ea pensabatur aliquid auri minutum. Nam *pis* aurum dicitur. *Eruum* à Græco trahit vocabulum. Hoc enim illi ὄροβον dicunt, quod dum sit quibusdam pecoribus infestum, tauros tamen pingues efficit.

De vitibus. Cap. V.

Vitis plantationem primus Noe instituit, rudi adhuc seculo. Apud Græcos autem inuentorem vitis Liberum appellant. Vnde & eum gentiles post mortem deum esse voluerunt. *Vitis* dicta, quòd vim habeat citius radicandi. Alij putant vites dictas, quòd inuicem se vittis innectant, vicinisque arboribus reptando religentur. Est enim earum natura flexibilis, quia quasi brachiis quibusdã quicquid comprehenderint stringunt. *Labrusca* est vitis agrestis quæ in terræ marginib. nascitur. Vnde & labrusca dicta à labris & extremitatibus terræ. *Codex* dictus, quasi caudex. Sic enim & veteres clodum pro claudo dicebant. *Sarmentũ* à serendo, quasi seramentum. *Malleolus* est nouellus palmes innatus prioris anni flagello, cognominatus ob similitudinem rei: quòd in ea parte qua deciditur ex veteri sarmento prominens vtrũque mallei speciẽ præbeat. *Spadones* sunt surculi fruge carentes, ex ipsa appellatione, quòd sint inhabiles fructu & sterilitate affecti. *Sagittã* rustici vocant nouissimam partem surculi: siue quia longius recessit à matre, & quasi prosiliuit: seu quia acuminis tenuitate teli speciẽ præfert. Summitates vitium & fruticum *flagella* nuncupantur, eo quòd flatu agitentur. *Palmes* vitis materia mollis, quia per nouella brachia emissus fructum affert. Nam ideò rustici partem vitis palmitem vocant. Palmes enim diminutiuum nomen est, quòd nomen paragogum dicitur, quòd à palma deriuetur. *Palma* enim habet nomen proprium, quòd dicitur principale, ab eo quòd ex se deriuatũ facit. *Pampinus* est folium cuius subsidio vitis à frigore vel ardore defenditur, atque aduersus omnem iniuriam munitur. Qui ideo alicubi intercisus est, vt solem ad maturitatẽ fructus admittat, & vmbram faciat. Et dictus pampinus, quòd de palmite pendeat. *Caprioli* dicti quòd capiant arbores, sunt enim cincinni siue vncinoli: quibus se innectere vites & suspendere solent arboribus, quo adminiculo freti palmites ventos ac turbines continere queant, & sine lapsu pediculorum fructus suos sustineant, ac sese vaga proceritate diffundant. *Corimbi* sunt annuli qui proxima quæque ligant & comprehendunt: nec longius laxati palmites ventorum flatibus dissipentur. *Vuæ* dictæ quòd intrinsecus humore sunt plenæ, siccique & pinguedinis. Nam humidum est, quod exterius humorem habet, vuidum quod interius. *Acinus* brotus est *Racemus* est botrionis pars, & *botrio* Græcũ est. ¶ *Suburbanæ vuæ* quædã dicuntur, quia fructus earum ad escam velut pomum in vrbibus venditur. Commendat enim eas & species & saporis iocunditas, ex quibus sunt *præcoquæ, duracinæ, purpureæ, dactyli, Rhodiæ, Libycæ, Ceraunia, Stephanitæ, Trepediana, Vnciariæ, Cidonitæ*. *Præcoquæ* vocatæ, quòd cito maturescant, & ante omnes sole coquantur. Has λάγωι dicunt, quòd currant ad maturitatem velociter vt lepus. *Duracinæ* autem per totã hiemem. *Veniculæ*, & *Numisianæ*. *Purpureæ* à colore dicuntur. *Dactyli* à longitudine. *Rhodiæ* & *Libicæ* à regionibus nuncupatæ sunt. *Ceraunia* verò quòd rubeant velut ignis. *Stephanitæ* à rotunditate. *Vnciariæ* à magnitudine. Genera autem vuarum quæ vino deseruiunt plurima. Ex quibus *aminea* dicta, quasi sine minio, id est sine rubore. Album enim vinum reddit: quæ cùm sint vnius nominis, non vnam speciẽ reddit. Amineæ enim duæ geminę ab eo dictę quòd duplices vuas mittunt. *Aminea lagana*, quia plus omnibus lanescit lanugine. *Rubiliana* dicta, quia eius materia rubet. *Fecinia* minuti aciei & duræ cutis vuas habet, nobilitate Amineã sequitur, fœcunditate præcedit. Quam proinde Feciniam vocant, quòd plus quàm cæteræ feces afferat. *Apianæ* vinum dulce faciunt: quas nisi cito legas, pluuiis & ventis, & maximè apibus infestantur, quarum deprædatione apianæ cognominatæ sunt. *Balanitæ* à magnitudine nomen sumpserunt. Balanin etiam Grę cè grande vocata. *Biturica* à regione nomen sortita est, turbines & pluuias & calores fortissimè sustinens, nec inmacra terra deficiẽs, huius meriti & *basilica* est. *Argitis* græcula vitis generis albi, fertilis, vastam materiam, & breue, & latum folium mittens, cuius fructum nisi primo tempore colligas, aut ad terram decidet, aut humore putrescit. *Inerticuia* nigra est, quam Græci *atrarcion* vocãt, boni vini & lenis, à quo etiam nomen traxit, quòd iners in tenrandis neruis habeatur: quamuis gustu non sit hebes. *Mareotica* à regione Ægypti Mareotis dictæ, vnde prius venerunt, sunt enim & albæ & nigræ. *Elbola* quas quidam varias appellant, neque purpureæ, neque nigræ: ab elbo colore ita dictæ, subalbi tamen musti. *Elbum* enim est inter nigrũ candidũmque colore. Nam elbum nec album nec nigrum est. *Tertius* locus vitium quæ sola fœcunditate commendantur, abundantia copiosa, multũmque vini fluens. *Viticienia* vuas magnas magis quàm multas habet: nomen autem inde hoc sumens, quòd multum vini fluat. *Syriaca*, vel quia de Syria allata, vel quia nigra est. ¶ Multa autem genera vitium sunt: quæ tamen mutatione loci, & qualitatem & nomen amittunt. *Vitibus* inter cętera magis ista cõueniunt, *oblaqueatio, putatio, propaginatio, fossio*. *Oblaqueare* est circa codicẽ terrã aperire, & velut lacus efficere. Hoc aliqui *excodicare* appellant. *Putare* est virgam ex vite superfluam resecare cum flagellis

flagellis luxuriat, Putare enim dicitur purgare, id est amputare. *Traducere* trāsducere. *Propaginare* verò flagellum vitis terræ submersum stenere, & quasi porrò pangere. Hinc *propagines* ac *propagare* & *protendere* dicūtur. *Fodere* vero est foueam facere, quasi fouere.

De arboribus. CAP. VI.

ARborum nomen siue *herbarum* ab aruis inflexum creditur, eo quod terris, fixis radicibus adhærent. Vtraque autem ideo sibi penè similia sunt, quia ex vno alterū gignitur. Nam dum sementem in terram ieceris, herba prius oritur: dehinc confota surgit in arborem, & infra paruum tempus quam herbam videris arbustā suspicis. *Arbusta* arbor nouella & tenera in qua insertio fieri potest, & dicta arbusta, quasi arboris hasta. Alij *arbustum* locum in quo arbores sunt, volunt accipere, sicut salictum. Sic & *virectum* vbi virgulæ nouellæ & virentes. *Arbor* autem & *fructifera* & *sterilis*, *arbos* autem non nisi fructifera. Genere autem fœminino *arbores* dicimus *poma* verò neutro. *Frutex* breuis est appellatus, quod terram frōde tegat, cuius plurale nomen fruteta arbor alta est. *Syluа* verò spissum nemus & breue. Sylua dicta quasi *xilua*, quòd ibi ligna cædantur. Nā Græci ξύλα lignum dicunt. Multa enim Latina nomina Græcam plerunque etymologiam recipiunt. *Nemus* à numinibus nuncupatum, quia pagani ibi idola constituebant. Sunt enim nemora arbores maiores, vmbrosæ frondibus. *Lucus* est densitas arborum solo lucem detrahens, tropo per antiphrasin, eo quòd nō luceat, siue à luce, quòd in eo lucebant funalia vel cerei propter nemorum tenebras. *Saltus* est densitas arborum alta vocata hoc nomine: eo quòd exiliat in altum, & in sublime cōsurgat. *Auiaria secreta* nemora dicta, quòd ea aues frequentant. Recidiua arborum sunt quæ aliis sectis repullulāt. Alij recidiua à cædendo dicunt, quia post casum nascuntur. Alij à recidendo & repullulando dixerunt. Ergo recidiuum vbi mors aut casus. *Insitio* dicitur cum fisso trunco surculus fœcundæ arboris sterili inseritur, aut oculorum impositio, cum in ipso cortice libro alienæ arboris germen immittitur. *Plantæ* sunt de arboribus. *Plantaria* verò quæ ex seminibus nata sunt cum radicibus & à terra propria transferuntur. *Cespites* frutices sunt, quasi cuspites, vel quasi circa pedes. *Frondes* quòd ferant virgulta vel vmbras, sunt autem causa vmbrarum. *Oculi* nodi sunt ex quibus frondes exeunt. *Radix* appellatur, quòd quasi radiis quibusdā fixa terris, in profunda demergitur. Nam physici dicunt parem esse altitudinem radicum & arborum. Alij radicem à similitudine radiorum dictā putāt, vel quia si eradatur, nō repullulat, *Truncus* est statura arboris insistens radici. *Corticem* veteres coticem vocabant. Dictus autem cortex, quòd corio lignū tegat. *Liber* est corticis pars interior dictus à liberato cortice, id est ablato. Est autem medium quoddam inter lignum & corticē. *Rami* sunt qui de trunco manant, sicut à ramusculis cætera. *Surculi* à præcisione serræ nuncupati. *Virgultū* est, quod de radice pullulat, ramus qui de ipso robore arboris, virga quæ de ramis. Propriè autem Virgultum appellatur, quod ad radicem arboris nascitur, & quasi inutile ab agricolis amputatur. Et hinc dictum virgultū, quia ex virga tollitur. *Virga* à virtute dicitur, quòd vim in se multam habeat, vel à viriditate, vel quia pacis indicium est, quòd vim regat. Vnde hac vtuntur magi ad placandos inter se serpentes, & idcirco in ea hos sustinent illigatos. Hac etiam philosophi, & reges ac magistri, nuncij & legati vtūtur. *Flagella* dicuntur: vt prædiximus, summæ arborum partes, ab eo quòd crebros ventorum sustinent flatus. *Cimas* vocatas dicunt quasi comas, *Folia* Græcè φύλλα dicuntur, inde est ad nos hoc nomē per deriuationē trāslatum. Flores nominati, quòd citò defluāt de arboribus, quasi fluores, quòd citò soluantur. In his duplex gratia, coloris & odoris. Austro enim flores soluuntur. Zephyro fiunt. *Germen* dicimus surculum prægnantem, à gerendo: vnde & germinatio. *Fructus* nomen accepit à frumine, id est eminente gutturis parte qua vescimur. Inde & fruges. Fructus autem propriè dicuntur agrorum & arborum, quibus vtique vtimur. In animalibus verò abusiuè & translatiuè vocamus fructum. *Poma* dicta ab opimo, id est à copiæ vbertate. *Matura* dicuntur, quia apta sunt ad manducandum: sic & immatura, quia priusquam matura fiant: dura sunt ad manducandum. *Ligna* dicta, quia incensa conuertuntur in lumen. Vnde & *licinium* dicitur, quòd lumē det. *Hastula* à tollendo nuncupata, quasi abstula. fomes est hastula quæ ab arboribus excutitur, recisione aut hastulæ ambustæ, aut ligno cauata, à fōgis nomine accepto, quòd ita capiat ignem. De quo Virgilius, Rapuítque in fomite flammam. *Torris* lignum adustum: quē vulgus titionem appellat extractum ex foco, semiustum & extinctum. *Quisquiliæ* stipulæ immixtæ surculis & foliis aridis. Sunt autem purgamenta terrarum. *Caries* putredo lignorum. dictum hoc nomine, quòd eueniat ligneis virtute carentibus.

De propriis nominibus arborum. CAP VII.

PAlma dicta, quia manus victricis ornatus est, vel quòd oppansis est ramis, in modum palmæ hominis. Est enim arbor insigne

victoriæ, proceróq; ac decoro virgulto, diuturnísq. frōdib. vestita, & folia sua sine vlla successione conseruans. Hanc Græci φοίνικα dicūt: quòd diu duret, ex nomine auis illius Arabiæ, quæ multis annis viuere perhibetur. Quæ dū in multis locis nascatur: nō in omnibus fructus perficit maturitatē. Frequenter autē in Ægypto & Syria. Fructus autem eius *dactili*, à digitorum similitudine nuncupati sunt: quorum etiam & nomina variantur. Nam alij appellāt *palmulas*, similes *mirobalani*. Alij *Thebaici*: qui & *Nicolai*. Alij *nucales*, quos Græci καρυωτοὺς vocant. *Laurus* à verbo laudis dicta. Hac enim cum laudib. victorū capita coronabātur. Apud antiquos autē *laudea* nominabatur, postea d litera sublata, & subrogata r dicta est laurus: vt in auriculis quæ initio audiculæ dicta sūt, & medidies, qui nunc meridies dicitur. Hanc arborē Græci δάφνην vocant, quòd nunquā deponat viriditatē, inde illa potius victores coronātur. Sola quoq; hæc arbor vulgo fulminari minimè creditur. *Malum* à Græcis dictū, quòd sit fructus eius pomorum omnium rotundissimus. Vnde & hæc sunt vera mala, quæ vehementer rotunda sunt. *Malum Matianum* à loco vocatum, vndè prius aduectum est. Nam multæ arbores nomina ex prouinciis & ciuitatibus de quibus allatæ sunt, acceperunt. Virgilius, Amātibus quid ex malo quæri soleat ostendit. *Mala cidonia* nomen sumpserūt ex oppido, quod est in insula Creta, de qua dicere solent Græci, vrbium Cretensium matrem Cidoniam: ex cuius pomo cidonitum conficitur. Fit quoque ex ea & vinum quo languentium desideria falluntur. Nam specie & gustu & odore cuiuslibet vini veteris imaginem repræsentat. *Malomellum* à dulcedine appellatū, quòd fructus eius mellis saporē habeat, vel quod in melle seruetur: vnde: & quidā, Si tibi Cecropio saturata cidonia melle Ponētur, dicas: hæc melimella placent. *Malū punicum* dicitur, eo quòd ex Punica regione sit genus eius trāslatum. Idem & *malogranatum*, eo quòd inter corticis rotunditatem granorū contineat multitudinem. Arbor autem *malogranata* est generis fœminini, pomum verò generis neutri. Flores malorum à Græcis appellati sunt *quintinas*: Latini *caducum* vocant. Agrestium autem malorum flores Græci βαλαύστιον appellauerunt, quorū alij albi, alij purpurei, alij rosei reperiuntur similes florib. mali punici. Negant medici mali punici cibo nostra corpora nutriri: sed eo sic opinantur vtendum vt medicari potius non alere videatur. *Malum persicum*, cuius breuis admodum vita cōcessa est, trium generū esse fertur, *Duracenum*, *Armeniacum* & *Persicum*. *Duracenum* nuncupatur pro eo quòd pomū eius in gustu acorem referat. *Armeniacum* dicitur: quòd primū genus ab Armenia sit aduectū. *Persicū* vocatū, quòd eam arborem primus in Ægypto seuerit Perseus, à quo se oriūdos Ptolemæi ferebāt. Hæc in Perside fructum generat interfectoriū: apud nos autem iocūdum ac suauem. Horū aliud *præcox*, aliud vocatur *æstiuū*. *Medica arbor* cuius nomen etiam in carminibus Mantuanis inclaruit, asportata primùm à Medis, vnde & vocabulum sumpsit. Hanc Græci κεδρόμηλον, Latini *citram* vocant, quòd pomum eius ac folia cedri odorem referant. Malum eius inimicū venenis, & hoc est quòd idem poeta intelligi voluit: cum tradat ex illa foueri animā. Hæc arbor omni penè tempore plena est pomis, quæ in ea partim acerba, partim matura, partim adhuc in flore sunt posita, quod in cæteris arborib. rarum est. *Mella* quam Græci *loton* appellant, quæ vulgo propter formam & colorem *faba Syriaca* dicitur. Arbor enim est magna, fructū ferens comestibilem, maiorem pipere, gustu suauem: vnde & mella vocata est. *Coquimella* quam Latini ob colorem primum vocant, alij à multitudine enixi fructus nixam appellant. Cuius generis *Damascena* melior à Damasco oppido, vnde prius asportata est, dicta: cuius solum pomum stomacho mederi probatur: nam cætera noxia perhibentur. Hæc sola arbor gummi glutinosum, & cōpactiuum distillat, quo & medici & scriptores vtuntur. *Oleomella* nascitur in Palmaria Syriæ ciuitate, ex eo ita appellata, quòd ex trunco oleum defluat in crassitudine mellis, saporis suauis. *Pomelida* sorbo similis, mediocris arbor & flore candidulo, dicta quòd dulcedine sit eius fructus, & acuto sapore commixtus. Hæc arbor ætate durat exigua. *Melofos* arbor in Aphrica punica lingua vocata, ex qua profluit lētus *succus*, qui à loco *Ammoniacus* nominatur. *Mespila* arbor spinosa, fructu similis malorum, sed paulo breuiore. vnde & appellata, quòd pilulæ formam habeant eius poma. *Pirus* vocata videtur: quòd in ignis speciem formata est: nam hoc genus pomi ab amplo incipit, & in angustū finit, sicut ignis. Pirus autem arbor, fructus eius *pirū* est. Cuius multæ species, ex quibus *Crustumia* sunt pira ex parte rubentia, ab oppido Crustumio nominata. *Poma piri* iumentis imposita, vel si pauca vehementer onerosa dicuntur esse. *Cerasus* à Ceraso vrbe Ponti vocata. Nā Lucullus cùm Cerasum ciuitatem Ponti delesset: hoc genus pomi inde aduexit, & à ciuitate cerasum appellauit. Arbor autem cerasus, pomum vero *cerasum* dicitur. Hoc etiā & ante Lucullū erat in Italia, sed durū, vnde & *cornū* appellatū est. Est autem arbor apta hastilibus. Vnde & Virgilius, Bona bello cornus. *Ficus* Latinè à fœcunditate vocatur. Feracior enim est cæteris arboribus. Nam ter quatérque per singulos

ſingulos annos generat fructum, atque altero matureſcente alter oboritur. Hinc & *Carica* à copia nominatæ. *Ficus Ægyptia* fœcũdior fertur, cuius lignũ in aqua miſſum illico mergitur, & cùm in limo aliquandiu iacuerit, deinde in ſuperficiem ſuſtollitur verſa vice naturæ, quando madefactum debuit humoris pondere reſidere. Antea athletæ ficis alebantur, priuſquam eos Pythagoras exercitator ad carnis vſum, qui fortior cibus eſt, tranſtuliſſet. A ſenibus quoque in alimẽtum ſumptæ ſæpius ficus, rugas eorum ferunt diſtendere. Tauros quoque ferociſſimos adfici arborem colligatos repente mãſueſcere dicunt. *Caprificus* appellata, eo quòd parietes quib. innaſcitur, carpitur. Rũpit enim & prodit ex latebris quib. concepta eſt. Alij putant caprificum dictũ, quòd ficus arbor eius remedio fœcũdetur. *Morus* à Græcis vocata, quam Latini *rubum* appellant, eo quod fructus vel virgulta eius rubent. Eſt enim *morus ſylueſtris* fructus afferens, quib. in deſerto paſtorũ fames vel penuria conſouetur. Huius folia ſuperpoſita ſerpenti, feruntur interimere eum. *Sicomorus* ſicut & morus ſũt Græca nomina. Dicta autem ſicomorus, quod ſit foliis moro. Hanc Latini *Celſam* appellant ab altitudine, quia non eſt breuis vt morus. *Nux* appellata, quod vmbra vel ſtillicidiũ foliorũ eius proximis arborib. noceat. Hanc alio nomine Latini *iuglandem* vocant, quaſi Iouis glandẽ. Fuit enim hæc arbor conſecrata Ioui, cuius pomũ tantam vim habet, vt miſſa inter ſuſpectos herbarũ vel fungorũ cibos, quicquid in eis virulentũ eſt exudet, rapiat atq. extinguat. *Nuces* autem generaliter dicuntur omnia poma tecta corio duriori, vt *pinea, nuces, auellanæ: glandes, caſtaneæ, amigdala*. Hinc & *nuclei* dicti, quod ſint duro corio tecti. At contrà *poma* omnia mala, *mala* dicta: ſed cum adiectione terrarum in quibus antea nata ſunt, vt *Perſica, Punica, Mutina, Cidonia, &c. Amigdala* nomen Græcum eſt: quod Latinè *nux longa* vocatur. Hanc alij *nucidã* vocãt, quaſi minorem nucem. De qua Virgilius, Cum ſe nux plurima ſyluis induit in florem. Cũctis enim arboribus prior ſe flore veſtit, & ad ferenda poma, arbuſta ſequentia præuenit. *Auellanæ* ab Auellano Campaniæ oppido vbi abũdant, cognominatæ, ſunt. Hæc a Græcis ponticæ appellantur, eo quòd circa Ponticũ mare abundent. *Caſtaneam* Latini à Græco appellant vocabulo. Hanc enim Græci κάστανον vocant, propter quòd fructus eius gemini in modum teſticulorũ intra folliculum reconditi ſunt, qui dũ eiiciuntur, quaſi caſtrantur. Hæc arbor ſemel vt exciſa fuerit, tanquam ſylua expullulare conſueuit. *Ilex* ab electo vocata. Huius enim arboris fructum homines primùm ad victũ ſibi elegerunt. vnde poeta, Mortales primùm ructabant gutture glandẽ. Prius enim quàm frumenti vſus eſſet antiqui homines glãde vixerunt. *Suberies* arbor ex qua validiſſimus cortex natatorius extrahitur. Et ideo appellata ſuberies, eo quòd fructus eius ſues edunt. porcorum enim ſunt alimenta non hominũ: & dicta ſuberies quaſi ſubedies. *Fagus & eſculus* arbores glandiferę; ideo vocatæ creduntur, quòd harũ fructibus olim homines vixerunt: cibúmq; ſumpſerũt, eſcámq. habuerũt. Nam *eſculus* ab eſca dicta, *fagus* verò à Græco vocabulũ traxit. φάγειν enim Græcè comedere dicitur. *Silicon* quam Latini corruptè ſilicam vocant, ideo à Græcis tale nomen accepit, eo quòd ligni eius fructus dulcis: ξύλον quippe dicunt lignũ γλυκὺ dulce. Huius arboris pomo ſuccus expreſſus acatia à Græcis dicitur. *Piſtacia* quòd cortex pomi eius nardi Piſtici odorem referat. *Pinus* arbor picea ab acumine foliorũ vocata. Pinũ enim antiqui acutum nominabant, Pinum autem aliam *pitin*, aliam Græci πεύκην vocant, quã nos *piceam* dicimus, eo quòd deſudat picem. Nam & ſpecie ſibi differunt. In Germaniæ autem inſulis huius arboris lacrima gignit electrum. Gutta enim defluens rigore vel tẽpore in ſoliditatem dureſcit, & gemmam facit de qualitate ſua nomen accipiens, id eſt ſuccinum: eo quòd ſuccus ſit arboris. Pinus creditur prodeſſe cunctis quæ ſub ea ſeruantur, ſicut nux nocere omnibus. *Abies* dicta, quòd præ cæteris arboris longè eat, & in excelſum promineat. Cuius natura expers eſt terreni humoris, ac proinde habilis atque leuis habetur. De qua Virgilius, Et caſus abies viſura marinos: quia ex ea naues fiunt. Hanc quidam *Gallicum* vocant propter candorem. Eſt autem ſine nodo. *Cedrus*, quàm Græci κέδρον vocant, quaſi ceomenes drioſioron, id eſt, arboris humor ardentis, cuius folia ad cypreſſi ſimilitudinem reſpondent. Lignum vero iocundi odoris eſt & diu durans: nec à tinea vnquam exterminatur. De qua Perſius, Et cedro digna locutus. Scilicet propter durabilem perpetuitatem. Vnde & in templis propter diuturnitatem ex hoc ligno lacunaria fiunt. Huius ligni reſina *cedria* dicitur, quæ in conſeruandis libris adeo eſt vtilis, vt perliniti ex ea nec tineas patiantur, nec tempore cõſeneſcant. Naſcitur in Creta, Aphrica atque Syria. *Cypreſſus* Græcè dicitur, quòd caput eius à rotunditate in acumẽ erigitur. Vnde & *conõ* vocatur, id eſt alta rotunditas. Hinc & fructus eius *conus*, quia rotunditas eius talis eſt, vt conum imitetur. Vnde & *conifera cypariſſi* dicuntur. Huius lignũ cedro penè proximam habet virtutem. Templorum quoque trabibus aptum impenetrabili ſoliditate nũquam oneri cedit: ſed ea qua in principio fuerit firmitate, perſeuerat. Antiqui cypreſſi ramos.

propè rogũ constituere solebant, vt odorem cadauerum dum vrerentur comprimerent iocunditate odoris sui. *Iuniperus* Græcè dicta, siue quòd ab amplo in angustum finiant, vt ignis: siue quòd conceptũ diu teneat ignem: adeò vt si prunæ ex eius cinere fuerint opertæ, vsque ad annum perueniant. πῦρ enim apud Græcos ignis dicitur. Iuniperus autem alia parua, alia magna est. *Ebenus* in India & Æthiopia nascitur, quæ cæsa durescit in lapidem. Cuius lignum nigrum est, & cortex leuis vt lauri: sed *Indicum* maculosum est in paruis distinctionib. albis ac fuluis. *Æthiopicũ* verò quod præstantius accipitur, in nullo est maculatum: sed in nigrum leue & corneum. Est autem Mareotica palus in India vnde ebenus venit. Lucanus, Ebenus Mareotica, inquit. Ebenus autem crepundiis illigatur, vt infantem visu nigra non terreant. *Platanus* à latitudine foliorum dicta, vel quòd ipsa arbor patula sit & ampla. Nam πλατὺς Græci latum vocant. Expressit huius arboris Scriptura & nomen & formam dicens, Quasi platanus dilatata sum in plateis. Est autem tenerrimus foliis ac mollibus & vitium similis. *Quercus* siue quernus dicta, quòd ea solita erant diligentium quærentibus responsa dare, arbor multũ annosa: sicut legitur de quercu Mambre, sub qua habitauit Abraham: quæ fertur vsque ad Constantini regis imperium per multa secula perdurasse. Huius fructus *glandula* appellatur. E quibus vna agrestis ἡμερὶς dicta, parua forma sed firmo corpore atque nodoso: quæ medicaminibus & incaustis adhibetur. altera σάλκινος leuis ac lenis: ac nimium perforata. Lucernarum tantũ vsibus necessaria. *Fraxinus* vocari fertur, quòd magis in asperis locis montanisque fragis nascatur. Hinc per deriuationem fraxinus, sicut à monte montanus. De quo Ouidius, Et fraxinus vtilis hastis. *Taxus* venenata arbor. Vnde & *toxica* venena exprimuntur. Ex hac arcus Parthi & aliæ gentes faciunt. Vnde & poeta, Istireos taxi torquentur in arcus. Istireos autẽ dicit Parthicos. *Acer* coloribus impar. *Robur* autem generaliter dicitur ex omni materia quicquid est firmissimum. *Alnus* vocatur, quòd alatur amne. Proximè enim aqua nascitur, nec facilè extra vndas viuit. Hinc & tenera & mollis, quia in humecto loco nutritur. *Vlmus* nomẽ accepit, quòd vliginosis locis & humidis melius proficit. Nam in montanis & asperis minus læta est. *Larex* cui hoc nomen à castello Laricino inditũ est ex qua tabulæ tegulis affixæ flammam repellunt, neque ex se carbonem ambustæ efficiunt. *Populus* dicta, quòd ex eius calce multitudo nascatur. Cuius genus duplex est. Nam altera est alba, altera nigra. Alba autem populus dicta, quia folia eius vna parte sunt alba, altera viridia. Hæc igitur bicolor habens quasi noctis & diei notas, quæ tempora ortu solis occasuque constant. Genera etiã resinam circa Eridanum fluuiũ, vel vt alii memorãt, in finibus Syriæ. *Tiliam* dicunt, vocatã, eo quòd vtilis sit ad vsum telorum nitore & leuitate iaculãdi. Est enim genus materiæ leuissimæ. *Salix* dicta quòd celeriter saliat. hoc est velociter crescat: arbor lenta vitibus habilis vinciẽdis. Cuius seminis hanc dicũt esse naturã, vt si quis illud in poculo hauserit, liberis careat: sed & fœminas infœcundas efficit. *Populus* autẽ & *salix*, & tilia molles materiæ sunt, & ad sculpturã aptæ. *Vimen* vocatur, eo quod vim habeat multam viroris. Natura enim eius talis est, vt etiã si arefacta abluatur, virescat: & inde excisa atque in humo fixa, radicibus sese ipsa dimergat. *Mirica* quã Latini tramaritiã vocãt: ex amaritudine nominata. Gustus enim eius nimis amarus est. Hæc arbor in solitudine & saxoso humo nascitur: ex qua etiam arbore maleficis artibus nisi ad id est odia concitari dicuntur. *Mirtus* à mari dicta, eo quòd magis littorea arbor sit. Vnde & Virgilius, Littora mirteis lætissima & Amantes litora Mirte. Hinc est quod & à Græcis μυρσίνη dicitur. Medicorũ autem libri hanc arborem aptã scribunt mulierẽ necessitatibus plurimis. *Lentiscus*, quod cuspis ipsius lentis sit & mollis. Nã lentum dicimus quicquid flexibile est. vnde & lentũ vimen & vites. Virgilius, Et lentæ vites: pro, flexibiles. Huius fructus oleum deludat, cortex resinã quæ mastix appellatur, cuius plurima & melior in Chio insula gignitur. *Terebinthus* arbor, Græcũ nomẽ generãs resinã omniũ resinarum præstãtiorem. *Buxus* Græcũ est nomẽ à Latinis ex parte corruptũ. πύξος enim appellatur apud eos arbor sẽper virens, & lenitatẽ materiæ elementorũ apicibus apta. Vnde & Scriptura, Scribe in buxo. *Rolandarum*, quod corrupte vulgo lorãdeum vocatur, quòd sit foliis lauri similibus, flore vt rosa, arbor venenata. Interficit enim animalia, & medetur serpentiũ vexationes. *Herbitum* vocauerunt pastores, eo quòd vice herbæ præbeatur pecoribus vbi desũt pascua. *Turbiscus*, quòd de vno cespite eius multa virgulta surgãt quasi turba. *Stipa* vocata propter quòd ex eo stipentur tecta. Hinc & stipula per diminutionẽ. *Arundo* dicta, quod citò arescat: Hanc veteres cannã vocauerunt, arundinẽ vero postea Varro dixit. Sanè sciẽdum, quod Latinũ canna de lingua Hebræa sumptum est. Apud eos enim calamus *canna* dicitur. *Cicuta* autem est, quod est inter cannarum nodos: dicta, quòd lateat. In Indicis stagnis nasci arundines calamíque dicuntur, ex quorum radicibus expressũ succũ bibunt. Vnde & Varro ait: Indica nõ magnũ in arbore crescit arũdo. Illius & lẽtis premitur radicibus humo. Dulcia cui nequeũt succo cócedere mellis. *Sambucus* mollis & peruia arbor.

Rhamnus, genus est rubi quam vulgò senticem vrsinam appellant, asperum nimis & spinosum. *Sentix*, dicta à situ, quòd est terra inculta: in qua sentices spinæque nascuntur. Maiores autem nostri omnem arborem spinosam veprem dicebant, quòd vi prendat. *Oleaster*, dictus quòd sit foliis oliuæ similibus sed latioribus, arbor inculta atque syluestris: amara atque infructuosa. cui insertus oliuę ramus vim mutat radicis, & vertit eam in propriam qualitatem. Lacryma oleastri arboris duplex est. Alia enim gummi similat sine vllo qualitatis morsu, alia ammoniaci guttam ex stillatione collectam ac remordentem. *Oliua*, Græcè ἔλαιος dicitur: ex quo in Latinum tractum est, vt oliua dicatur. *Olea* autem ipsa arbor est, fructus oliua, succus *oleum*. Est autē arbor pacis insigne, cuius fructus diuersis nominibus appellatur. *Orchades oliua*, Græca etymologia à similitudine testiculorum vocatæ: quos Græci ὄρχεις vocant. *Radiola*, pro eo quòd oblongæ sunt in modū radiorum. *Papha*, à Papho insula dictæ, vnde prius allatæ sunt. *Lychnia* eo quòd optimum dent lumen. Nam λύχνος lumen est. Vnde & lignum nomen accepit, quia aptum est flammis & luminibus. *Pausia*, quam corruptè rustici *pusiam* vocāt viridi oleo & suaui & apta, Et dicta pausia quòd pauiatur, id est tūdatur, vnde & pauimentum. *Syria* dicta, pro eo quòd de Syria est allata, siue quia nigra est. *Crustumia*, idem & *volemis* dicta: eo quòd volam compleat magnitudine, hoc est mediam manum: vnde & *inuolare* dicimus. Quidam autē *volemū* Gallica lingua bonum & magnum intelligunt: colymbades appellatæ. *Oleum* autem ab olea nominatur. Nam vt diximus, olea est arbor, vnde deriuatum sit oleum. Sed quòd ex albis fuerit oliuis expressum vocatur. *Spanum*, à Græcis ὀμφάκιον appellatum. Quod autem ex fuluis & nondum maturis fuerit expressum, *Viride* appellatur. Quod verò ex nimiū maturis, *Cōmune* dicitur. Ex iis ad vsum vitæ primum est spanum, secundum viride, tertium commune. *Amurca*, olei pars aquosa ab emergendo dicta, id est quòd ab oleo mergat, & fæx eius sit. Hanc Gręci *amurcem* vocant ex Latina lingua trahentes vocabulum. *Gumen*, Græcum nomen est, hoc enim illi κόμμι dicunt. *Resinam*, Græci ῥητίνην vocant: ῥέων enim Græcè dicitur quicquid manat. Est enim lacryma sudore exhalata lignorum, vt cerasi, lentisci, balsami, vel reliquarum arborum siue virgultorum quæ sudare produntur, sicut & odorata orientis ligna: sicut gutta balsami, ac ferularū vel fucinorū, cuius lacryma durescit in gemmā. Prima est *resina terebintina* omnium præstātior. Affertur autē ex Arabiæ partibus atq; Iudæa & Syria, Cypro & Aphrica, ex insulis quoque Cycladibus. Secunda est *lentiscina*: quæ mastyx vocatur: hæc ex Chio insula deportatur. Tertia *pinalis*: quarum alia πιτυίνη, alia πευκίνη. alia liquida, alia arida: & afferuntur ex Tyrrhena, Colophonia. Vnde etiam Colophonia resina sumpsit. *Pix*, Græcum nomen est, quā illi πίσσαν vocant. Alij volunt ex pino picem vocari, hæc à Græcis appellatur clodonia, nos *ramalem* dicere possumus, cui probatio splendens lenis & munda. ¶ Creandarum arborum naturaliter tria sunt genera: aut enim sua sponte nascuntur, aut ex seminibus fortuitu iacentibus surgunt, aut ex radicibus pullulant. Nam cætera vsus inuenit fauente natura. ¶ Omnia poma Latinè neutri generis esse dicuntur: arbores autem fœminini sunt generis: exceptis paucis, vt hic oleaster, hoc siler: vt Virgilius, Molle siler. Item hoc buxum, licet & hæc buxus dicatur. Nam superfluam quidam volunt facere discretionem, vt hæc buxus de arbore dicamus: buxum verò de ligno composito.

De arboribus aromatibus. CAP. VIII.

AROMATA sunt quæque fragrantis odoris quæ India vel Arabia mittit, siue aliæ regiones. Nomen autem aromata traxisse videntur: siue quòd aris imposita diuinis inuocationibus apta videantur, seu quòd sese aeri inserere ac miscere probantur. Nam quid est odor nisi aer contactus? *Thus*, arbor Arabiæ immensa atque ramosa lenissimi corticis, ramis ad aeris qualitatē. Amigdala modo succum aromaticum fundens album, & masticatione velut in puluerem resolutum: & cùm frangitur, intus pingue est, & igni appositum facilè ardescens. Et appellatur apud nos masculum, eo quòd sit natura rotundum in modum testiculorum. Reliquum planum penè scabrosum: minus optimum. Adulteratur autem admixta resina siue gummi, sed dignoscitur sua proprietate. Nam *thus* igni impositū ardescit resina fumescit: *gummi* verò liquescit calefactum. *Tus* verò sine aspiratione è tundendo dicitur, quia dum gummi guttæ ex arbore cadunt in glebis miscentur: dum verò glebę in puluerem rediguntur, thus carpitur & virgulis tunditur, & sic inde manibus tollitur. Hoc & *libanum* vocatum à monte Arabiæ vbi Sabæi sunt. Nam mons eorum Libanus dicitur, vbi thura colliguntur. *Myrrha*, Arabiæ arbor altitudinis quinque cubitorum similis spinę, quam ἄκανθον dicunt. cuius gutta viridis atque amara vnde & nomen accepit myrrha. Gutta eius sponte manans preciosior est, elicita corticis vulnere vilior iudicatur. Sarmenta eius Arabes ignibus fouent: quorum fumo satis noxio, nisi ad odorē storacis accurrant, plerumque insanabiles morbos contrahunt. *Myrrha* autem *Troglodyta* ab insula Arabię dicta, vbi

melior colligitur, & purior. *Storax*, arbor Arabiæ, similis malo Cidonio, cuius virgulæ inter Caniculæ ortum cauernatim lacrymā fluunt. Distillatio eius in terram cadens munda non est, sed cum proprij corticis scrobe seruatur. Illa autem quæ virgis & calamis inhæserit, munda est & albida: dehinc fulua fit Solis causa, & ipsa storax calamites pinguis, resinosa, odoris iocundi, humecta & veluti mellosum liquorem emittens. Storax autem dicta quòd sit gutta arboris profluens & congelata. Nam Græci styriam guttam dicunt. Græcè autem στύραξ Latinè storax dicitur. *Bidella*, Indiæ & Arabiæ arbor, cuius lacryma melior Arabica. Est enim lucida, subalbida, leuis, pinguis, æqualiter cerea. & quæ facilè molliatur, neque ligno vel terræ commixta: amara, odoris boni. Nam ex India sordida est & nigra & maiori gleba: Adulteratur autem admixto gummi: qui nō ita amarificat gustu. *Mastix*, arboris lentisci gutta est. Hæc *granomastix* dicta est, quia in modum granorum est. Melior autem in Chio insula gignitur, odoris boni, candoris ceræ punicæ. Vnde & splendorem cutis pulchrificat. Adulteratur autem interdum resina vel thure. *Piperis*, arbor nascitur in India, & in latere montis Caucasi, quòd Soli obuersum est: folijs ad iuniperi similitudinem. Cuius syluas serpentes custodiunt, & serpentes igne fugantur: & inde ex flamma nigrum piper efficitur. Nam natura piperis alba est. cuius quidam diuersus est fructus. Nam quòd immaturum est *piper longum* vocatur: quòd incorruptum ab igne, *piper album*. quod verò *cute rugosa & horrida* fuerit, ex calore ignis trahit & colorem & nomen. Piper si leue est vetustum est, si graue est nouellum: vitanda est autem mercatorum fraus. Solent enim vetustissimo piperi humecto argenti spumam aspergere aut plumbum vt ponderosum fiat. *Aloa* in India atque Arabia gignitur: arbor odoris suauissimi ac summi. Denique lignum ipsius, vice thymiamatum adoletur altaribus, vnde & nomen traxisse videtur. *Cinamomum* dictum, quòd cortex eius in modum cannę sit rotundus & gracilis. Gignitur in Indiæ & Æthiopiæ regionibus, frutice breui: duorum tantum cubitorum, colore subnigro vel cinereo, tenuissimarum virgularum. Nam quod in crassitudinem extenditur despectui est, quod verò gracilius prouenerit, eximium. Quod cùm frangitur visibile spiritu ventum emittit: ad imaginem nebulæ vel pulueris. *Amomum* vocatum, quòd veluti odorem cinamomi referat. Nascitur in Syria & Armenia: frutex eius botrosum semen reddens sibi connexum, flore albo veluti violæ, folijs similibus brioniæ, odore etiam bono, somnos suauificat. *Cassia*, nascitur in Arabia: virga robusti corticis, & purpureis folijs, vt piperis. Est autem virtutis cinamomi similis, sed potentia inferior: vnde pro cinamomi vice duplex eius pondus in medicamentis admiscetur. *Calamus aromaticus*, à similitudine calami vsualis vocatur. Gignitur in India multis nodis geniculatus, fuluus, fragrans suauitate spiritus. Qui cùm frangitur, in multas fit partes scissilis, simulans gustu cassiam cum leui acrimonia remordente. *Balsami*, arbor in Iudæa intra terminos tantùm xx. iugerum erat. Postea quam eandem regionem Romani potiti sunt. etiam latissimis collibus propagata est, stirpe similis viti, folijs similis rutæ, sed albidioribus semperque manentibus. Arbor autem *balsamum* lignum eius *xilobalsamum*: succus *opobalsamum*. Quod ideo cū adiectione significatur, eo quòd percussus ferreis vngulis cortex ligni per cauernas eximij odoris guttam distillat. Cuius guttam adulteram admixto Cyprino oleo vel melle. Sed sincera probatur à melle, si cum lacte coagulauerit: ab oleo, si instillata aqua aut admixta facilè fuerit resoluta: præterea si laneæ vestes ex ipsa pollutæ non maculantur. Adulteratum quidem neque cum lacte coagulat, & vt oleum in qua supernatat & vestem maculat. Balsama autem si pura fuerint, tantam vim habent, vt si sol excanduerit, sustineri manu non possint.

De herbis aromaticis siue communibus.

CAP. IX.

Extant & quarundam *herbarum nomina*, quæ ex aliqua causa resonant, habentes nominum explanationem. Non tamen omnium herbarum etymologiam inuenies. Nam pro locis mutantur etiam nomina. *Folium* dictum, quòd sine vlla radice innatans in Indiæ littoribus colligitur. Quod ligno perforatum, siccant Indi atque reponunt. Fertur autem *paradisi* esse *herba* gustu nardum referens. *Nardus*, herba est spicosa, vnde & à Græcis ναρδόσταχυς appellata: quarū alia *Indica*, alia *Syriaca* vocatur, non quòd in Syria nascatur, sed quòd mons in quo inuenitur alio latere Indiam spectat, alio Syriam. Est autem Indica multiformis, sed melior Syriaca, leuis, fulua, comosa, spica parua, odorissima, Cyprum simulans. Quod si multum in ore tardauerit, linguam siccat. *Nardus Celtica*, à regione Galliæ nomen traxit. Nascitur enim sæpiùs in Liguriæ alpibus, & in Syria, frutice paruo, radicibus in manipulo collectis ligamentis. Flos eius tātùm propter odorem bonus. Tyrsi eius atque radiculæ vtiles probantur vsibus nostris. *Costum* radix herbæ est nascentis in India, Arabia

rabia & Syria, sed melius *Arabicum*: est enim album & leue, suaue, iocundi odoris: *Indicum* colore nigro, & leue vt ferula: *Syriacum* verò pōdere graue, colore buxeo, odore acro, summum tamen album, leue aridum, gustu incendens. *Crocus* dictus ab oppido Ciliciæ, quod vocatur Coritium, quanquam & alibi nascatur, sed non tantum vel tale quale in Cilicia. Vnde & à potiore parte nomen accepit. Nam multæ res nomina sumpserunt à locis vbi plus prouenit, & aliquid melius. Optimum est autem quod fuerit recens, odoris boni, albedine parua, porrectæ longitudinis, integrum, & neque in fragmenta comminutum inspiratione, & cùm carpitur manus inficiens & leniter acre. Quòd si eiusmodi non fuerit, aut vetustum, aut infusum agnoscitur. Adulteratur autem admixto *crocomagnate*. Augendi quoque ponderis causa, spuma argenti contrita adiicitur, & proditur, si puluerulentum reperitur, atque decoctum ab odore proprio fuerit lapsum. *Crocomagma* expressis aromatibus crocini vnguenti atque informato redimine in pannusculos fit: & ideò sic applicatur. *Alarum* nascitur in vmbrosis montibus, floribus Cassiæ similibus, inter quæ flos iuxta radicem purpureus, in quo semen cōtinetur vuarum simile, radicibus pluribus atque tenuissimis & bene redolētibus, & est virtute similis nardo. *Fu* nascitur in Ponto, foliis oleastro similibus. *Quipparum* à Græcis vocatur, quòd habeat virtutem feruentem. Radix eius est iunci trianguli foliis porri similibus, radicibus nigris siue contiguis, in similitudinem oliuarum odorissimis atque acerrimis. Nascitur in paludibus atque variis locis. Traditur etiam alia species quippari, quæ in India nascitur, & appellatur lingua eorū *Zinziber*. *Iris Illyrica* à similitudine Iris cœlestis nomen accepit. Vnde & Latinis *arcumen* dicitur. Iris quòd flos eius coloris varietate eundem arcum cœlestem imitetur. *Illyrica* autem dicitur, quia in Illyrico plurima & violentissima est: species eius foliis gladioli similibus, radice aromatica, odoris boni. *Acorū* foliis viridibus, similibus radicibus, acerrimi odoris, sed iocundi propter quod & aromatica est. *Meu* foliis pastinacę similibus. *Cardamomū* herba, quam vulgus *Nasturgum* vocat. *Schinos* melius quod in Euphrate nascitur, quàm quod in Arabia fuluum, multiflorum, purpureum, tenue, odoris rosei cū manu fricatur, gustu multum incendit linguam atque mordet. Huius flos σχινάνθος dicitur. Ἄνθος enim Græcè flos nuncupatur. *Timum* appellatum, quòd flos eius odorem refert. De quo Virgilius: Redoléntque timo flagrantia mella. *Epitimum* Græcum, nomen quod Latinè dicitur flos timi. Nam flos Græcè timum vocatur. Est autem flos timbræ similis, *Samsucus* est, quem Latini *amaracum* vocant. Cuius nominis vsum Virgilius etiam ad Venerem referens ait: Vbi mollis amaracus illum Floribus aspirans molli complectitur vmbra. Apta est autem hæc herba vnguentis. Vnde & nomen traxit amaracus à puero cuiusdam regis: qui casu lapsus dum ferret vnguenta, nouum & gratissimum ex confusione odorem creauit. *Hiacinthus* herba est habens florem purpureum. Traxit autem nomen à puero quodam nobili, qui in saltibus inter purpureos flores repertus est interfectus, deditque nomen herbæ puerilis funeris casus. Est autem radice & flore violæ similis, pueros à pubertate retinens. *Narcissus* herba fabulosè impositum nomen habet à quodam puero, cuius membra in hunc florem transierunt, qui & nomen Narcissi in appellatione custodit, & decus pulchritudinis in candore retinet foliorum. *Rosa* à specie floris nuncupata, quòd rutilante colore rubeat. *Lilia* lacteis floris herba, vnde & nuncupata, quasi lidia, cuius cùm candor sit in foliis, auri tamen species intus effulget. *Viola* propter vim odoris nomen accepit. Huius genera sunt tria, purpureum, album, melinum. *Acanthus* herba Ægyptia semper frondens, spinis plena, flexili virgulto. In cuius imitatione arte vestis ornatur, quæ achantina dicitur, & achantis dicta. *Hedera* dicta, quòd arboribus reptando adhæreat. De qua Virgilius, Inter victrices hederam tibi serpere lauros. Alij hederam aiunt vocatam, quòd hedis supra lactis abundantiam in esca à veteribus præbeatur. Hederæ, frigidæ terræ Indices sunt secundum Physicos. Nam antipharmacum ebrietatis est, si quis potus hedera coronetur. *Elleborum* memorant Græci circa Elleborum quendam fluuium plurimum gigni, atque inde à Græcis appellari. Hoc Romani alio nomine *veratrum* dicunt, pro eo quòd sumptum, motam mentem in sanitatem reducit. Duo sunt autem genera, *album, & nigrum*. *Acone* portus est Bithiniæ, qui prouentu malorum graminum vsque adeò celebris est, vt noxiam herbam *aconita* illinc nominemus. Nam *toxica* venena ex eo dicta, quòd ex arboribus taxeis exprimuntur: maximè apud Cantabriam. *Euphorbium* dictum, quòd eius succus oculorum acuat visum. Cuius vis tanta est, vt duris carnibus superadiecta citius coqui compellat. Nascitur in multis locis, sed maximè in Mauritania. *Laser* herba nascitur in monte Oscobagi: vbi & Ganges fluuius oritur: cuius succus dictus primùm *lasit*: quoniam manat in modum lactis: deinde vsu deriuante *laser* nomina-

tum est. Hoc & à quibusdam *epium Cyrenaicum* appellatum, quoniam & apud Cyrenas nascitur. *Aloe* herba amarissimi succi. *Panace* herba fragrantis odoris, tyrso ferulæ similis ex quo profluit succus, qui *opopcnace* dicitur, croceus & pinguis, odore grauis & amarissimus. *Galbanum* est genus pigmenti albi, crescens in monte Amomo Syriæ, aliàs succus est ferulæ. *Dycta* est mons Cretæ, ex quo *dictamnum* herba nomen accepit, propter quam apud Virgilium cerua vulnerata saltus peragrat. Tantæ enim potentiæ est dictamnum vt ferrum à corpore expellat, sagittas excutiat. vnde & eius pabulo feræ percussæ sagittas à corpore inhærentes eiiciunt. Hanc quidam Latinorum *poleium* Martis dicunt, propter belli tela excutienda. *Mandragora* dicta, quòd habeat mala suaueolentia in magnitudinem mali *Matiani*. Vnde & eam Latini *malum terræ* vocant. Hanc poetæ ἀνθρωπόμορφον appellant, quòd habeat radicem formam hominis simulantem. ἄνθρωπος enim Græcè, Latinè, dicitur homo. Cuius cortex vino mixtus ad bibendum datur iis quorum corpus propter curam secandum est, vt soporati dolorem non sentiant. Huius species duæ. *Fœmina*, foliis lactucæ similibus, mala generans in similitudinem prunorum. *Masculus* verò, folia betæ simili habet. *Papauer* herba somnifera: de qua Virgilius, Lethæo perfusa papauera somno. Soporem enim languentibus facit. Eius alia est vsualis, alia agrestis, ex qua fluit succus, quem opium vocant. *Colocynthis* cucurbita agrestis & vehementer amara, quæ similiter vt cucurbita flagella per terram tendit. Dicta autem colocynthis, quòd sit fructu rotundo atque foliis vt cucumis vsualis. *Centauriam* Græci vocant, quoniam à Chirone Centauro fertur reperta. Eadem & λιμνῆτις, quia locis humectis nascitur. Eadem & fel terræ propter amaritudinem. *Glycyriza* Græcè ex eo dicta, quòd dulcem radicem habeat. γλυκὺ enim dulce Græci dicunt. Eadem, ἄδιψος, quia sitientibus sitim sedat. *Dracontea* vocata, quòd hasta eius varia sit in modum colubri, similitudinémque draconis imitetur, vel quòd eam herbam vipera timeat. *Chelidonia* ideò dicitur, vel quòd aduentu hirundinum videtur erumpere, vel quòd pullis hirundinum si oculi auferantur, matres eorum illis ex hac herba mederi dicuntur. *Heliotropium* nomen accepit primò, quòd æstiuo solstitio floreat, vel quòd Solis motibus folia circumacta conuertat. Vnde & à Latinis *solsequia* nuncupatur. Nam & Sole oriente flores suos aperit, item serò claudit, cùm sol occubuerit. Ipsa est quam Latini *intubum syluaticum* vocant. Hæc & *verrucaria*, quòd extingat verrucas ex aqua potata, vel in cataplasmate posita abstergat. *Pentaphyllon* à numero foliorum dicta: eam Latini quinquefolium vocant: herba adeò munda vt purificationi & templis adhiberi à gentibus solita esset. *Hysopus* herba purgandis pulmonibus apta. Vnde & in veteri testamento per Hysopi fasciculos aspergebantur sanguine qui mundari volebant. Nascitur in petris hærens saxo radicibus. *Reubarbarum*, siue *reuponticum*, illud quod trans Danubium in solo barbarico: istud quod circa Ponticum colligitur nominatum est. Reu autem radix dicitur. *Reubarbarum* ergo quasi radix barbara. *Reuponticum* quasi radix pontica. *Hysquiamos* a Græcis, à Latinis *herba calicularis*, quod caliculi eius in figuram cantarorum nascantur, vt est mali Punici, quorum ora serrata sunt, habentia intrinsecus semina papaueris similia. Hæc herba *insana* vocatur, quia vsus eius periculosus est. Denique si bibatur vel edatur, insaniam facit, vel somni imaginem torpidam. Hanc vulgus milimindrum dicit: propter quod alienationem mentis inducit. *Saxifraga* vocata, quòd semen eius petras in vesica frangat atque comminuat. *Gentiana* nomen sumpsit vt medici memorant, ab inuentore, radicibus aristolochiæ similibus. Nascitur sub alpibus Galatiæ & Asiæ. *Satureia* calida & propè ignita: Vnde illi & nomen inditum credunt, quòd pronos facit in venerem. *Satyrion* dicta à Satyris, propter incendium libidinis, quam vulgus *stringum* vocat: venerem enim suscitat. Eadem & *orchis*, quòd radix eius in modum testiculorum sit: quos Græci ὄρχεις vocant. Item & *leporina*, propter quod caulem mollem emittat. *Vrtica* vocata, quòd tactus eius corpus adurat. Est enim igneæ omnino naturæ, & tactu perurit: vnde & pruriginem facit. *Artemisia* herba Dianæ à gentibus consecrata est, vnde & nuncupata. Græcè enim Diana ἄρτεμις dicitur. *Chamamelon* Græcè dicta, quòd mali Matiani odorem habeat: sícque breuis terræque vicina. *Chamadrys* à Græcis appellatur, quòd sit breuis, & per terram strata & minuta foliis paruissimis. *Pæon* quidam medicus fuit, à quo Pœonia herba perhibetur inuenta, vt Homerus dicit. Hanc quidam *glycysiden* vocant, quòd dulcis saporis, vel penterobinam à numero granorum, vel, vt alij, *dactilosam* à digitorum similitudine. Nascitur in syluis. *Buglosses* à Græcis dicta, eo quòd folia aspertima admodum linguæ bouis habeat. Quæ mirum in modum ob sapientiam nutriendam vino infundenda à veteribus memoratur. Conuiuij

uiuij quoque hilaritatem præbere fertur, pro olere etiam sumitur. *Arnoglossos*, id est, agni, lingua, quæ Romanis plantago dicitur, quòd planta eius citò adhæreat terræ. Hac multi pro olere vescuntur. *Herpillus*, quæ apud nos *serpillus* vocatur, pro eo quòd radices eius lõgæ serpant. Eadem & matris animula, propter quòd menstrua moueat. *Aristolochia* dicitur, quòd muliebribus fœtis optima sit. Nã superfessa post partum, matricem beneficio vaporis expurgat. Huius herbæ genera sunt duo: quarum vna aristolochia rotunda dicitur, propter quod rotundam radicem habeat: altera aristolochia longa, quia longam radicem habet, cum ramis & foliis longioribus. quam etiam & dactylinam vocant, quòd sit radice robore digitali & longa. *Erigenon*, nomen à Græcis dicitur, quòd vere primo senescat. Vnde & eam Latini herbam *senecionẽ* vocant. Nascitur per macerias. *Psyllion* dicta, quòd semen pulicis simile habeat. Vnde eam Latini *herbam pulicarem* vocant. *Hierobotane* ideo à Græcis hoc nomen accepit, quòd remediis ac ligamentis hominum & purificationibus sacerdotum à gentilibus probaretur apta. Vnde & eam pontifices *sagmen* appellabant, quasi sancimen, & hæc *verbena*, quia pura. *Paliurus*, herba asperrima & spinosa, pungens. & retinens: vulnerans appropinquantem sibi & adunco dente comprehendens. *Strutius*, quam quidam *herbã lanariam* vocant, eo quòd plerique lanam ex ea lauent. Nascitur in locis cultis. *Cimicia*, propter similitudinem cimicis. Vnde & eam Græci *corionem* vocauerunt. Nascitur in locis asperis atque cultis. *Marubium*, quod Græci *prasium* dicunt, vocatum propter amaritudinem. Nascitur in campis *Pulegium*, apud Indos pipere preciosius est. Habet autem vim thermanticam, calefacit & deducit, extenuat, & purgat, & digerit. *Absinthium* Græcum nomen, cuius probabilius est, quod in Ponti regione nascitur: vnde & absintium Ponticum nominatur. Est amarum gustu, suaue odore, temperamentum corpori præstans, cuius contusa folia auferendis doloribus vel contusioni corporum vtilissima comprobantur. *Symphyton*, Græcè dictum, ea quòd tantam in radice virtutem habeat, vt frusta carnis aspersa in cacabo coagulet. *Polypodion*, herba, cuius radix hispida atque crinita, vt est polypus: ex quo deriuatum vt polypodion diceretur: Nascitur in teneris petrarum terris, siue quercubus vicinis. *Polios*, à Græcis, à Latinis *Omnimorbia*, quòd multis morbis subueniat. Nascitur in montibus & duris locis. *In quodam exemplari hæc præterea habẽtur:* De vna radice multas & tenues fibras mittit seminis plenas: in summitate habens quosdam corimbos canescentes: odori graui & subdulci. Succus eius in aqua cocta à serpentibus percussos sanat: sparsa in domo vel incensa omnes serpentes fugat. *Scammonia*, quam Latini *acridium* vocant, herba succi plena, quæ colligitur sub cauata radice. Denique terram rotunda cauitate fodiunt: tum suppositis aut cochleis, aut nucis foliis excipitur succus atque siccatus aufertur. Venit autem sæpius probabilior ex Mysia Asiæ. Huic contrarius atque falsus ex Syria atque Iudęa. *Daucus*, foliis fœniculis thyrso bipalmis. *Citocatia*, dicta, quòd ventrem cito depurget, quam vulgus corruptè *citocotiam* vocant. *Lappa* dicta, quòd habeat caulem ingentem per terram dispositam. Hæc herba à Græcis φιλάνθρωπος vocatur, quòd vestibus hominum inhæreat ob asperitatem sui. Nascitur iuxta muros. *Capillus Veneris* vocatus, siue quòd delapsos post alopeciam capillos recreat, vel quòd capillorum fluores coercet, vel quòd sit virgulis nigris lenibus cum splẽdore quasi capilli. Nascitur in aquosis locis. *Rubia* dicta, quòd radix eius sit rubea; vnde & colorare lanas perhibetur. Est & vtilis puluis ex eius radice factus, siue in cibum sumptus, siue potui datus ad eos qui rabiem patiuntur. *Anchusa*, cuius radix contrita digitos inficit. Est enim colore sanguineo, vnde etiam pictoribus ad purpuram efficiendam vsui est. *Chamæleon*, quæ Latinè *viscarago* vocatur, eo quòd viscum gignat: in quo hærent aues quæ propria voluntate descenderũt ad escam. *Cicuta*, propter quod in thyrso geniculatos nodos habeat occultos vt cãna: sic dicitur fossa cæca, quæ occulta est. Hæc potui data interficit. Hanc in carcere Socrates bibit & expirauit. Persius dicit, *Sorbitio quem tollit dira cicuta*. Hæc dum hominibus venenum fit: capellas efficit pingues. *Trifolium*, est quod Græci τρίφυλλον vocant, quod sit foliis trinis per singulas annotationes. *Flomos*, quam Latini *herbam lucernalem* vocant, ab eo quod ad lucinium proficiat. Eadem & *lucubros*, quòd lucẽ præbeat vmbris. *Pyretron*, Græcè dicta, quòd habeat radicem incendiosam atque coaceruantem. *Althea*, malua agrestis, siue maluæ viscus, sed althea quòd in altum surgit: & viscus, quia glutinosa est. *Origanum*: quòd Latinè *colenæ* interpretatur, propter quod infusum coloret vinum. *Titimallum*, vocabulum sumpsit, quòd foliorum comam vel radium Solis circumacta conuertat. Nam Græci Solem τιτὰν vocant, μάλλον comam ex quo confectũm est, vt titimallum diceretur. Huius species septem diuersis locis nascentes, *Strychnos*, quæ Latinè *herba salutaris* vocatur, propter quod dolorem capitis & stomachi incendium mitigat. Eadem & *vua lupina* propter semen eius vuæ simile. *Pilogonus*, quam Latini *her-*

bam sanguinariam vocant, propter quod missa in naribus sanguinem moueat. *Ambrosia*, quam Latini *apium syluaticum* vocant. De qua Virgilius: Ambrosiæque comæ diuinum vertice odorem Spirauere —. *Apiacum*, quod flores eius apes maximè appetunt. *Rosmarinum*, quam Latini ab affectu *herbam salutarem* vocant: cuius folia fœniculi sunt similia atque aspera: & rotatim terræ prostrata. *Mantha* agrestis, quam Græci καλαμίνθην nostri vulgò *nepeta* vocauerunt: maioris virtutis & vehemens in calore. *Genicularis* herba substernitur ob scorpionum vim repellendam. *Gladiolus*, quòd sit foliis gladij similibus, cubitalis, floribus purpureis. *Agaricum*, radix vitis albæ. *Asphodelus*, quam Latini à colore *albutium* vocant. *Squilla*, quòd nocens sit de qua superstitio gentilium dicit, quòd si integra ad limen suspendatur omnia mala fugat. Χαμαιπίτυς à Græcis dicta, quòd terræ adhæreat, & odorem pini habeat. Hanc Latini *cucurbitularem* vocant, quòd ex parte odorem cucurbitæ referat. *Staphysagria*, nascitur in locis amœnis. *Splenion* dicta, quòd splenem auferat, siue *scolopendryos*, eo quòd folia ipsius scolopendro animali sunt similia. Nascitur in humidis petris. *Volucus* appellatus, quòd radix eius volubilis sit & rotunda. *Stœchas*, in insulis Stœchadibus nascitur: vnde & nuncupatur. *Cyclaminos*, Græcè dicta à quodam qui Κύκλος vocatus est, qui primus virtutem huius herbæ inuenit: siue quòd talis herba habeat radicem rotundam. Græci enim κύκλον rotundum vocant. Cuius radix aut succus si vino fuerit admixtus, ebrios facit. Nascitur in syluosis locis & agris. Ἄμπελος λευκή, siue brionia, quam Latini *vitem albam* vocant: vel à qualitate coloris, vel quòd eius radix contrita & corpori infricata teneriorem & candidiorem cutem reddat. Nam & succus baccarum eius lac vberibus siccis reddit. Ἄμπελος μέλαινα, id est, *vitis nigra*, eadémque labrusca: folia hederæ similia, in omnibus maior quam ipsa vitis alba: baccas similiter habens, quæ baccæ immaturitate nigrescunt: vnde & vocabulum sumpsit. *Viticella* verò herba à Latinis appellata, quòd sicut vitis quicquid proximum habuerit, apprehendat corimbis, quos annulos appellamus. *Buphthalmos*, florem habet croceum, oculo similem. Vnde & à Græcis nomen accepit. Est autem caule molle, foliis coriandri similibus. Nascitur iuxta muros ciuitatum. *Flomos* quam Latini *verbascum* vocant, quarum altera est masculus, albidioribus foliis atque angustioribus: altera fœmina foliis latioribus atque nigris. *Ferula*, vocata à medulla. Nam *ilum* Varro tradit esse ferulæ medullam, quam appodelon Græci vocant. Nonnulli à feriendo *ferulam* dicunt. Hac enim pueri & puellæ vapulare solent: huius succus *galbanum* est *papirum* dictum quòd igni & cereis est aptum: πῦρ enim Græci ignem dicunt. *Iuncus* dicitur, eo quòd iunctis radicibus hæreat. *Scirpus*, à quo segetes teguntur sine nodo: de quo Ennius: Quærunt in scirpo soliti quod dicere nodum. Et in prouerbio: Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit. *Fucus*, genus herbæ est, de qua tingitur vestis: dicta, quia mentitur alienum colorem: vnde & Virgilius: - Discet mentiri lana colores. *Alga*, nascitur in aquis stantibus. Ita denique nomen sumpsit ab algore aquæ: vel quòd alliget pedes, quia crassa est foliis aquam ex parte superantibus. *Vlua & tiphus* herbæ circa fontes & paludes stagnisque noscuntur. Ex quibus vlua, id est, alga mollis & quodammodo fungus, dicta ab vligine. *Tiphus* vero quæ se ab aquis inflat. Vnde etiam ambitiosorum & sibi placentium hominum tumor typhus dicitur. *Carix*, acuta herba & durissima sparto similis. de qua Virgilius: Et carice pastus acuta. *Spartus*, frutex virgosus sine foliis ab asperitate vocatus. Volumina enim funium quæ ex eo fiunt, aspera sunt. *Gramen*, à situ potius dictum, quòd plurimorum agrorum sit. Vnde illud Græci ἄγρωστιν vocauerunt: licet omnis herba gramen vocetur, ab eo quòd germinetur: sicut robur omnis ligni species & cutis, ab eo quòd firmissima. *Filix*, à singularitate folij dicta. Denique ex vna virgula altitudine cubitali vna scissa folia gignit resimplicata, velut pinna. *Zizania*, quod poetæ semper *infelix lolium* dicunt, quòd sit inutile & infœcundum. *Fœnum* dictum, quòd ea flamma nutritur. φῶς enim flamma est. *Manipulum*, dicimus fascem fœni. Et dictus manipulus, quòd manum impleat.

De oleribus. Cap. X.

Hortus nominatur, quòd semper ibi aliquid oriatur. Nam cùm alia terra semel in anno aliquid creet: ortus nunquam sine fructu est. *Olus*, ab alendo dictum, eo quòd primùm homines ab oleribus alerentur, antequam fruges & carnes ederent. Tantùm enim pomis arborum & oleribus alebantur, sicut animalia herbis. *Caulis*, est generaliter herbarum & olerum medius frutex: qui vulgo *tyrsus* dicitur, quòd à terra sursum conscendat: ex quo deriuatū est, vt specialiter quoddam genus olerum caulis diceretur, quia tyrsus ipsius amplius cæteris oleribus coalescit, id est, crescit. Est autem generale nomen. Omnis enim frutex caulis. *Cima* dicitur quasi co-

si coma. Est enim summitas olerum vel arborum, in qua vigens virtus naturalis est. *Malua* ex parte Græco vocabulo appellatur ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν, eo quòd molliendi aluum soluendíque naturam habeat. Cuius succo si quis se oleo mixto perunxerit, ab apibus negatur feriri. Folia eius ex oleo trita & imposita scorpionibus, creduntur afferre torporem. *Pistinaca* vocata, quòd radix eius præcipuus pastus sit hominis. Est enim odoratu iocunda, cibo delectabilis. *Rapa* dicta à rapiendo, id est comprehendendo. Est autem radice amplior napo, sapore dulcior, & folio tenui. *Napus* à similitudine rapæ vocatus, nisi quòd foliis latior & radicis gustu subacrior est. Nominis autem affinitas in vtrisque inde pene communis, quia vtrúmque semen in alterum vicissim mutatur. Nam rapa in alio solo, vt Æmilianus ait, per biennium mutatur in napũ: alio vero napus transit in rapam. *Napocaulis* ex duobus oleribus compositum nomen habet, quia dum sit sapore napo similis: non in radice, sed in tyrso conscendit vt caulis. *Sinapis* appellatur, quòd foliis sit similis napis. *Raphanum* Græci, nos radicem vocamus, eo quod deorsum totus nititur: dum reliqua olera in summa magis prosiliant. cuius semine macerato quisquis manus infecerit, serpentes impunè tractabit. Siquidem ex ipsius radice etiam ebur albescit. In cibo quoque venenis obsistit. Nã cõtra venenatas radices, nuces, lupini, citrum, apium, prosunt, sed contra futurum, non contra acceptum venenum. Vnde & apud veteres ante alias epulas hæc solebant mensis apponere. *Lactuca* dicta est, quòd abundantia lactis exuberet, seu quia lacte nutrientes fœminas implet. Hæc & in viris Veneris vsum coercet. *Lactuca* agrestis est, quam serraliam nominamus, eò quòd dorsum eius in modum serræ est. *Intubus* Græcum nomen est. Et intubus quòd intus sit totus. *Cepa* vocatur, quia non aliud est, nisi tantùm caput. *Ascalonia* nuncupata est vna vrbium Palæstinæ, quæ Ascalon dicitur, vnde prius aduecta est. *Allium* dictum quod oleat. *Vlpicum* appellatum, quod alij odorem habeat. *Faselos* vocari aiunt à Phaselo insula Græciæ, vbi non procul mons Olympus est. *Porrum* cuius duo genera sunt, capitatum & sectile. Capitatum melius, sectile paruulum. *Beta* apud nos oleris, apud Græcos litera est. *Blitum* genus oleris, saporis euanidi, quasi vilis beta. *Cucumeres* quòd sint interdum amari, qui dulces nasci perhibentur, si lacte mellito eorum semen infundatur. *Olus* molle *atriplex, brassica olysatrum*. *Nasturtium* sapor appellauit, quòd acrimonia sui nasum torqueat. *Fungi*, quod aridi ignem acceptum concipiant. φῶς enim ignis est, vnde & *esca* vulgo dicitur, quod sit fomes ignis & nutrimentum. Alij dicũt fungos vocatos: quod sint ex eorum genere quidam interemptorij, vnde & defuncti. *Tubera* tumor terræ prodit, eáque causa nomen illi dedit. *Veluti* appellati, quòd sint volubiles & rotundi. *Asparagus*, quòd sit spinosa & aspera, & frutex eius ex quo gignitur. *Capparis* à Græcis nomen sumpsisse videtur, quòd habeat rotunda in summitatibus seminum capitella. *Arboraca*, hoc est, lapsana. *Lapistrus* lapatium. Hæc in cibo sumpta stomachum confortat, venerem reprimit. *Carduus* genus herbæ spinosæ. Huius natura mordax & cùm austera est, mollis. Frigidus & indigestus succus eius alopecias curat. *Eruca* quasi vrica, quod ignitæ sit virtutis, & in cibo sæpe sumpta veneris incendiũ moueat. Huius species duæ: quarũ altera vsualis, altera agrestis, acrioris virtutis: vtraque tamen veneris commouens vsum.

De odoratis oleribus. Cap. XI.

Apium dictũ, quòd ex eo apex, id est, caput antiquorũ triumphantium coronabatur. Hercules autem hanc herbam primus capiti circumtulit. Nam nunc populũ capite præferebat: nunc oleastrũ: nũc apiũ, cuius radices efficaciter pugnant contra insidias venenorũ. Eius generis sunt *petroselinõ, hipposelinon, & oleoselinon*. *Petroselinon* vocatũ quod sit simile apio, & nascatur in petris montibúsq; præruptis, quod nos *petrapium* dicere possumus. σέλινον enim Græcè apium dicitur, sed est summum ac probabile Macedonicum: gustu suaue, & odore aromatico. *Hipposelinon*, quòd sit durum & austerum. *Oleoselinon*, quòd mollius folio & caule tenerum. *Feniculum* Latini vocant, quòd eius tyrsi seu radicis succus acuat visum: cuius virtus traditur, vt serpentes annuam senectutẽ eius gustu deponant. Hoc olus Græci μάραθον vocant. *Ligurium* à regione nomen accepit. Nascitur enim plurimum in Liguria, odore aromatico & gustu acre. *Annison*, vt Græci dicunt siue vt Latini anesum, herba omnibus cognita, acerrimè feruẽs. *Coriandrum* ex Græco nomine sumptũ, quod illi κόριον vocant. Cuius semen in dulci vino datum proniores reddit in venerem, si supra modum dederis, amentiam nutrit. Canos etiã ex coriandro infici traditum est. *Ruta* dicta, quod sit feruentissima. Cuius altera agrestis atque virtute acrior, sed vtraque feruentissima comprobatur. Hanc venenis repugnare mustelæ docent, quæ dum cum serpente dimicauerint, cibo eius armantur. *Inula* quam rustici alam vocant, radice aromatica, odoris summi, leui acrimonia. *Menta*, genus herbæ odoriferæ, huius genera sex.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XVIII.

CAPITA LIBRI DECIMIOCTAVI.

De bellis. CAP. I.

PRIMVS bella intulit *Ninus* Assyriorum rex. Ipse enim finibus suis nequaquã contentus, humanæ societatis fœdus irrumpẽs, exercitus ducere & aliena vastare, liberos populos aut trucidare, aut subiicere, vniuersámque Asiam vsque ad Libyæ fines noua seruitute perdomuit. Hinc etiã studuit orbis in mutuo sanguine grassari alterna cæde. *Quatuor* autẽ sũt *genera bellorum*, id est iustũ, iniustum, ciuile & plusquam ciuile. *Iustum* bellum est, quòd ex prædicto geritur de rebus repetitis, aut propulsandorum hostium causa. *Iniustum* bellũ est quod de furore, non de legitima ratione initur. De quo in republica dicit Cicero: Illa iniusta bella sunt, quæ sunt sine causa suscepta. Nam extra vlciscendi aut propulsandorũ hostium causam, bellum iustum geri nullum potest. Et hoc idem Tullius paruis interiectis subdidit: Nullum bellum iustum habetur, nisi denunciatum, nisi indictum, nisi de repetitis rebus. *Ciuile* bellum est inter ciues orta seditio & concitatio tumultus, sicut inter Syllam & Marium, qui bellum ciuile inuicem in vna gente gesserunt. *Plus quàm ciuile* bellum est, vbi non solum ciues concertant sed & cognati: quale actum est inter Cæsarem & Pompeium, quando gener & socer inuicẽ dimicauerunt. Siquidem in hac pugna frater cum fratre dimicauit: & pater aduersus filiũ arma portauit. Lucanus: In fratrem ceciderũt præmia fratris. Item, Cui ceruix cæsa parentis Cederet. *Bella* itaque dicuntur *interna, externa, seruilia, socialia, piratica*. Nam *piratica* bella sunt sparsa latronum manus per maria myoparonibus, leuibus & fugacibus, non solùm nauium commeatus, sed etiam insulas prouinciásque vastãtibus. Quos primũ Cneus Pompeius post multam vastationem quã terra marique diu egerat, mira celeritate compressit ac superauit. Sicut autem bellum vocatur, quod contra hostes agitur: *ita tumultus* qui ciuili seditione concitatur. Nam seditio est dissensio ciuium: dicta quòd seorsum alij ad alios eant. Alij æstimant *dissensionem* animorum seditionem vocari, quam Græci διάστασιν vocant. Quo autem differat vtrunque Cicero docet: Potest enim, inquit, esse bellũ vt tumultus non sit. Tumultus autem esse sine bello nõ potest. Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta vt maior timor oriatur? Vnde etiã dictus tumultus quasi timor multus. Grauior autem est tumultus, quàm bellũ. Nam in bello vocationes valent, in tumultu non valent. Differt autem *bellum pugna* & *prælium*. Nam *bellum* vniuersum dicitur, vt Punicum. Huius partis sunt pugnæ, vt Cannensis, Trimensis. Rursum in vna pugna sunt multa prælia. Aliud enim in cornibus, aliud in media, aliud in extrema acie geritur. Bellum igitur est totum: *pugna* vnius diei, prælium pars pugnæ est. *Bellum* antea *duellum* vocatum, eo quòd duæ sint partes dimicantium, vel quòd alterum faciat victorem, alterum victum. Postea detracta litera d, & mutata u in b, dictum est bellum. Alij per antiphrasin putant bellum, quòd sit horridum: vnde est illud, Bella horrida bella, cùm bellum contrà sit pessimum. *Prælia* dicuntur à premendo, hostis hostem. Vnde & præla, ligna quibus vua premitur. *Pugna* vocata, eo quòd initio vsus fuisset in bello pugnis contendere, vel quia primò bellum pugnis incipiebant. Vnde etiam pugna duorum est aliquando sine ferro. Quatuor autem in bello aguntur. *Pugna, fuga, victoria, pax*. *Pacis* vocabulum videtur à pacto sumptum. Posterius autem pax accipitur, fœdus primùm initur. *Fœdus* est pax, quæ fit inter dimicantes, vel fide, vel à fecialibus, id est, sacerdotibus dictũ. Per ipsos enim fiebant fœdera, sicut per seculares bella. Alij fœdera dicta putant à porca fœdè & crudeliter occisa, cuius mors optabatur ei qui à pace resilisset. Virgilius: Et cæsa fingebant fœdera porca. Fœderis partes induciæ. Et dictæ, quasi in dies ocia.

De triumphis.

CAP. II.

OMne regnum seculi huius bellis quæritur, victoriis propagatur. *Victoria* dicta, quòd vi, id est, virtute adipiscitur. Hoc est enim ius gentium, vim vi expellere. Nam turpis est dolo quæsita victoria. Certa autem victoria est vel occisio hostis, vel expoliatio, vel vtrunque. Non est autẽ iocunda victoria, quę per immensa detrimenta contingit. Et hoc est quod laudat Salustius, duces victoriã incruento exercitu deportasse. *Pompa* dicta est Græca significatione, ἀπὸ τοῦ πομπεύειν, hoc est, publicè ostẽtare. Pręcedit autẽ victoria pompam, ideo quòd ituris ad hoc certamẽ primũ est victorię votũ. *Trophæum* dictũ ἀπὸ τῆς τροπῆς, i. cõuersione hostis & fuga. Nam ab eo quòd hostẽ quis fugasset merebatur trophæũ: quòd occidisset triũphũ, qui dictus est ἀπὸ τῆς θριάμβης, id est, ab exultatione. Plenę enim victorię *triumphus* debetur: semiplenæ *trophæum*, quia nondũ plenam est consecutus victoriam. Nõ enim obtinuit, sed fugauit exercitum. Hæc tamen nomina scriptores confundunt. Tranquillus autem triumphum Latinè dicit potius appellatum, quòd is qui triumphans vrbem ingrederetur, tripartito iudicio hono-

raretur. Nam primùm de triumpho duci concedendo exercitum iudicare solitum erat: secundo senatum: tertiò populum. ¶ Erat autē apud Romanos mos, vt triumphantes quadrigis veherētur: ex illo quòd soliti sunt priores duces hoc habitu bella inire. Quicunque autem in conflictu vicissent, *palma aurea* coronabantur, quia palma stimulos habet. Qui verò sine conflictu fugientem prostrasset: *laurea*, eo quòd hæc arbor sine spinis est. Nāque & purpuream & palmatam togā triumphantes induebantur, & scorpionem cum sceptro in manu gerebant ad imitationem victoriæ Scipionis: licet & scipio baculus sit quo homines innituntur. Vnde & ille primus Cornelius Scipio appellatus est, quia in foro pater eius cæcus innixus eo ambulabat. Super scipionem autem aquila sedebat ob indicium quod per victoriam quasi ad supernam magnitudinem accederent. Inde & colore rufo perliniebantur, quasi imitarentur diuini ignis effigiem. Quòd verò à carnifice contingebantur, id erat indicio, vt ad tantum fastigium euecti mediocritatis humanæ cōmouerentur. ¶ Duobus autem generibus deletur exercitus, aut *internecione* aut *dispersione*. Salustius. Hostes, inquit, aut oppressi aut dilapsi forent. Sic & vtrumq; Virgilius. *Internecione*, vt: Submersásque obrue puppes. *Dispersione*, vt: Aut age diuersos & disiice corpora ponto. Expolia, hostium præda: manubiæ, exuuiæ partes. *Præda* à prædando vocata. *Manubiæ* eo quòd manibus detrahuntur. Hæ & *exuuiæ* ab exuendo dictæ, quia exuuntur: Hæ & *partes* à pari diuisione pro personarū qualitate & laborum iusta diuisione. *Expolia* autem à palliis, quasi expallia: victis enim detrahuntur.

De *signis*.

CAP. III.

Signa bellorum dicuntur, quòd ex iis exercitus & pugnandi & victoriæ receptui accipit symbolon. Nam aut per vocē tubæ, aut per symbolon admonetur exercitus legionū. *Principalia signa* aquilæ, dracones & pilæ. *Aquila* ideo quòd eadem auis Iouis in armis auspicio fuerit. Nam dum idem Iouis aduersus Titanos proficisceretur, aquilam ei in auspicio apparuisse ferūt, quam ille pro indicio victoriæ acceptam tutelæ suę auspicatus, eam legioni signum dedit: quo factum est, vt deinceps militum signis committeretur. Cuius Lucanus meminit dicens: Signa pares aquilas & pila minantia pilis. *Draconum signa* ab Apolline morte Pythonis serpentis inchoata est. Dehinc à Græcis & Romanis in bello gestari cœperunt. *Pilam* in signo constituisse fertur Augustus, propter nationes sibi in cuncto orbe subiectas, vt magis figuram orbis ostenderet. *Vexillum* & ipsum signum bellicū, tractum nomen habens à veli diminutione, quasi velillum. Sub Romulo autem fasciculos fœni pro vexillis milites habuerunt. Hinc & *manipuli* appellantur. *Manipulos* enim dicimus fasces fœni, quòd manum impleant. Cætera signa diuersis prælata agminibus secundum militarem consuetudinem existunt, per quæ exercitus permixtionem præliorum agnosceret.

De *bucinis*. CAP. IV.

Bucina est, qua signum datur in hoste dicta à voce, quasi vocina. Nam pagani agrestésque ad omnem vsum bucina ad compita vocabantur. Propriè ergo hoc agrestibus signum fuit: de qua Persius: Bucina iam priscos cogebat ad arma Quirites. Huius clāgor bucinum dicitur. *Tubam* Tyrrheni primum inuenerunt, vnde Virgilius: Tyrrhenúsque tubæ mugire per æthera clangor. Hanc enim à Tyrrhenis prædonibus excogitatam dicūt, cùm dispersi circa maritimas oras non facilè ad quamque prædæ occasionem voce aut bucina conuocarentur, vento plerunque obstrepente. Hinc postea bellicis certaminibus adhibita est ad denuncianda signa bellorum, vt vbi exaudiri præco pro tumultu non poterat, sonitus tubæ clangentis attingeret. Tuba autem dicta quasi tofa, id est, caua. Item tuba, quasi tibia. Inter tubam autem & bucinam veteres discernebant. Nam *bucina* insonans solicitudinem ad bella denunciabat, Virgilius: Qua buccina signum Dira dedit. *Tuba* autē prælia indicabat, vt: At tuba terribilem sonitum dedit ære canoro. Cuius sonitus varius est. Nam interdum canitur vt bella committantur: interdum vt insequantur eos qui fugiunt: interdum receptui. Nam receptus dicitur, quò se exercitus recipit, vnde & signa receptui canere dicuntur. *Classica* sunt cornua quæ conuocandi causa, erant facta, & à calando classica dicebantur, de quibus Virgilius: Classica námque sonant. Apud Amazonas autem non tuba sicut à regibus: sed à regina sistro vocabatur fœminarum exercitus.

De *armis*. CAP. V.

Arma generaliter omnium rerū instrumenta sunt: vnde & vbi reponuntur armaria dicta sunt. Item arma & tela omnium generū, sed arma sunt quib. ipsi tuemur, tela quæ emittimus. Nā arma duplicia, id est, quibus percutimus, vel quib. tegimur. *Arma* autē propriè dicta sunt, eo quòd armos tegunt. Nā

armis

arma vel ab armis dicuntur, id est, humeris, vt: -- Latos huic hasta per armos Acta tremit--. vel ἀπὸ τοῦ ἄρεος, id est, à Marte.

De gladiis. Cap. VI.

Gladius generaliter dicitur ensis in prælio, sed ensis ferrum tãtum: gladius verò totus. Propriè autem appellatus gladius, quia gulam diuidit, id est, ceruicem desecat. ad hoc enim est factus: nam cætera membra securibus cæduntur, collum gladio tantùm. *Acies* autem gladij ab acumine dicta est. *Capulus* vocatur, vel quia caput est gladij, vel quia ibi capitur vt teneatur. Nam alibi acies ferri non sinit. Mucro non tantùm gladij est, sed & cuiuslibet teli acumen, dictus à longitudine. Nam μακρὸν Græci longum dicunt: hinc & machera. *Machera* autem est gladius longus ab vna parte acutus. *Framea* verò gladius ex vtraque parte acutus, quã vulgo spatam vocant. Ipsa est & *romphæa*. Framea autẽ dicta, quòd ferrea est. Nam sicut ferramentũ sic framea dicitur, ac proinde omnis gladius framea. *Spata* à passione dicitur verbo Græco; quoniam παθεῖν Grecè dicitur pati: vnde & patior & patitur dicimus. Alij spatam Latine autumant dictum eo quòd spaciosa sit, id est, lata & ampla. Vnde & *spatula* in pecoribus. *Semispatium* gladius est à media longitudine spatæ appellatus, non vt imprudens vulgus dicit, sine spacio, dum sagitta velocior sit. *Pugio* à pungendo & transfigendo vocatur. Est enim gladius paruus bis acutus lateri adhærens. Item & clunabulum dictum, quòd religetur ad clunem. *Chelidoniacus* gladius ferrum est latum: cuius duplex mucro ad bifurcus in modum caudæ hirundineæ formatur: vnde & chelidoniacus dicitur. *Sica* à secando dicta est. Est enim gladius breuis: quo maximè vtuntur qui apud Italos latrocinia exercent à quo & sicarij dicti sunt. Tranquillus autẽ dicit: Dũ cuiusdam gladiatoris in ludũ emissi gladius curuatus fuisset ex acie recta: procurrit vnus ad eum corrigendũ, túmque à pugnante responsum est: sica pugnabo: inde sicæ nomen datũ est. *Secures* signa sunt quæ ante consules ferebantur, ne aut vsum perderẽt belli, aut vacãtes ocio aspectũ amitterent gladiorũ. Quas & Hispani ab vsu Francorum per deriuationem *Franciscas* vocant.

De hastis. Cap. VII.

Hasta est contus cum ferro: cuius diminutiuum facit hastile. Nomen autem hasta ab astu sumpsit: vnde & astutia. *Contus* ferrum non habet: sed tantùm cuspide acuta est. Virgilius: Ferratásque trudes & acuta cuspide contos. Contus autem, quasi conitus. Est enim conitus acuta rotunditas. *Trudes* amites sunt cũ lunato ferro, quæ Græci aplustria dicunt. Trudes autem dicuntur ab eo quòd trudunt & detrudunt. Virgilius: Ferratásque trudes--. *Venabula* dicta, quasi venatui habilia. *Excipia*, quia venientem excipiũt, quasi excipiabilia. Excipiunt enim apros, expectántque leones, intrant vrsos, sit tantùm firma manus. *Lancea* est hasta, amentum habens in medio: dicta autem lancea, quia æqua lance, id est, æquali amento ponderata vibratur. *Amentum* vinculum est iaculorum hastilium, quod mediis hastis aptatur. Et inde amentum, quo media hasta religatur, vt scil. iaculatur. *Claua* est, qualis fuit Herculis, dicta quòd sit clauis ferreis inuicem religata, & est cubito semis facta in longitudine. Hæc & *cateia*, quam Horatius *caiam* dicit. Est enim genus gallici teli ex materia quàm maximè lẽta, quæ iactu quidẽ non longè propter grauitatem euolat: sed quo peruenit, vi nimia perfringit, quòd si ab artifice mittatur, rursum redit ad eum qui misit. Huius meminit Virgilius dicens: Teutonico ritu soliti torquere cateias. Vnde & eos Hispani & Galli, teutones vocant. *Falarica* est telum ingens torno factum, habens ferrum cubitale, & rotunditatem de plumbo in modum sphæræ in ipsa summitate. Dicitur etiam & ignem habere affixum. Hoc autem telo pugnatur de turribus, quas phalas dici manifestum est. Iuuenalis: Consulis ante phalas delphinorúmque columnas. A phalis igitur dicta est *phalarica*: sicut à muro muralis. Sane phalaricam Lucanus dicit neruis mitti tortilibus, & quadam machina, vt:- Nunc vibrata phalarica neruis. Virgilius verò ait, Turnũ manu phalaricam iaculasse. *Pila* sunt arma iaculorum atque telorum, à torquendo vel emittendo vocata. De quibus Lucanus: Signa paresque aquilas & pila minantia pilis. Cuius singulare pilum nititur. *Telum* vocatur secundum Græcam etymologiam, ἀπὸ τοῦ τηλόθεν, quicquid longè iaci potest. quanquam abusiuè dicatur & gladius, vt est illud: At non hoc telum mea quod vi dextera versat. Propriè autem telum à longitudine dicitur. Vnde & *mustella* dicitur, quòd longior sit quàm mus. *Cuspis*, hastile amentatũ, à cespite dicta, quod est virgultum. Virgilius, Et pastoralem præfixa cuspide myrtum. Propriè autem cuspis est posterior pars hastæ.

De sagittis. Cap. VIII.

Sagitta à sagaci iactu, id est, veloci ictu vocata. Pennis enim fertur quasi auis, vt celeriter mors percurrat ad hominem. His primũ Cretenses vsi sunt: quibus pennæ ideo, vt diximus, agglutinantur, vt leues sint & peruolent scutatos. *Spicula* sunt sagittæ vel lanceæ breues, ab spicarum specie nuncupatæ,

Scorpio est sagitta venenata arcu vel tormentis excussa. Quæ dum ad hominem venerit, virus quod figit infundit: vnde & scorpio nomen accepit.

De pharetris. CAP. IX.

PHaretra sagittarum theca, à ferendo iacula dicta, sicut & *feretrum*, vbi funus defertur: quæ ideo etymologiam communem habent, quia pharetra mortem, feretrũ mortuum portat. *Coriti* propriè sunt arcuum thecæ: sicut sagittarum *pharetra*. *Vagina* appellatur, eo quòd in ea mucro vel gladius baiuletur. *Theca* ab eo quòd aliquid receptum tegat: c litera pro g posita. Alij Græco nomine thecam vocari asserunt, quòd ibi reponatur aliquid. Inde *bibliotheca* librorum repositio dicitur. *Dolones* sunt vaginæ ligneæ, inter quas latet pugio sub baculi specie. Dolones autem à dolo dicti sunt, quòd fallant & decipiant ferro cùm speciem præferãt ligni. Hos vulgus Græco nomine *oxos* vocat, id est, acutos. Vnde & apud medicos acutus morbus ὀξεῖα vocatur. *Arcus* vocatur, eo quòd arceat aduersarium. Inde & *arces* dicuntur, à quibus arceantur hostes. Item *arcus* ob speciem, quòd sint curuati artius.

De fundis. CAP. X.

FVnda dicta, eo quòd ex eo fundãtur lapides, id est emittantur. *Balista* genus tormenti ab emittendo iacula dicta. βάλλειν enim Græcè mittere dicitur. Torquetur enim verbere neruorum, & magna vi iacit aut hastas aut saxa. Inde, & *fundibalus*, quasi fundens & emittens. Contra balistam *testudo* valet. Series enim fit armorum vmbonibus inter se collectis.

De ariete. CAP. XI.

ARieti nomen species dedit, eo quòd cũ impetu impingit murum in modum arietum pugnantium. Validę enim ac nodosæ arboris caput ferro vestitur, eáque suspensa finibus multorum manu ad murum impellitur: deinde retrorsum ducta impetu maiore destinatur: sicque crebris ictibus concussum muri latus cedit, cauatúmque irrumpit, ac fenestram facit. Contra impulsum arietis remedium est *saccus paleis plenus*: & in eum locum demissus, quò aries percutit. Laxo enim saccorũ sinu ictus arietis illisus mollitur. Duriora enim mollioribus facilius cedunt. *Blutei* sunt crates corio crudo intextæ, quæ in opere faciendo hosti obiiciuntur. *Musculus* cuniculo similis est, quo murus perfoditur, ex quo & appellatur, quasi murusculus.

De clypeis. CAP. XII.

CLypeus est scutum maius, dictus ab eo quòd clepet, id est, cælet corpus, periculísque subducat, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν. Oppositus enim sua defensione ab hastis & iaculis corpus munit. Clypeus autem peditum est, scutũ equitum. *Scutum* appellatum, eo quòd à se excutiat telorum ictum. Vt enim telis resistatur clypeus antefertur. *Vmbo* scuti pars media est, quasi vmbilicus. *Ancile* vocatur scutum breue & rotundũ: de quo Virgilius: --Leua ancile gerebat. Et ancile dictum ab ancisione, quòd sit ab omni parte veluti ancisum & rotundum. Ouidius: Idque ancile vocant quod ab omni parte recisum. Quémq; notes oculis angulus omnis abest. *Pelta* scutũ breuissimum in modum lunæ mediæ. Cuius meminit liber Regum: Fecit rex Salomõ ducenta scuta de auro puro & trecentas peltas ex auro probato. *Scetra* scutum loreum sine ligno, quo vtuntur Afri & Mauri de quo poeta: Leuam scetra tegit- - *Parma* leuia arma, quasi paruus clypeus. Dicitur autem & *testudo* scutum. Nam in modum testitudinis fit clypeus. Est & *testudo* scutorum connexio curuata in testitudinis more. Námque in armorum generibus milites etiam ab animalibus nomina sumunt, vt aries. Et Salustius, In modum, inquit, ericij militaris.

De loricis. CAP. XIII.

LOrica, vocatur, eo quòd loris careat: solis enim circulis ferreis contexta est. *Squama* est lorica ferrea ex laminis ferreis aut æreis concatenata in modũ squamarum piscis, & ex ipso splendore squamarum & similitudine nuncupata est. De ciliciis autem & poliuntur & teguntur loricæ.

De galeis. CAP. XIIII.

CAssis de lamina est: *galea* de corio. Nam *galeros* corium dicitur. *Cassidem* autem à Tuscis nominatam dicũt. Illi enim galeam *cassim* nominant: credo à capite. *Apex* est, quod in summa galea eminet, quo figitur crista, quam Græci κῶνον vocant. Nam *conus* est curuata, quæ in galea prominet, & supra quam cristę sunt.

De foro. CAP. XV.

FOrum exercendarum litium locus, à fando dictum. Qui locus & *Prorostra* vocatur ab eo quòd ex bello Punico captis nauibus Carthaginensium rostra ablata sunt, & in foro Romano præfixa, vt essent huius insigne victoriæ. Constat autem forum causa, lege,

sa, lege, & iudice. *Causa* vocatur à casu quo euenit. Est enim materia & origo negocij: necdum discussionis examine patefacta: quæ dum proponitur causa est, dum discutitur iudicium est, dum finitur iustitia. Vocatum autem *iudicium* quasi iurisdictio, & iustitia, quasi iuris status. Iudicium autem prius *inquisitio* vocabatur. Vnde & actores iudiciorũ & præpositos *quæstores* vel quęsitores vocamus. *Negocium* multa significat, modò actum alicuius, cui est contrarium ocium: modò actionem causæ, quod est iurgium litis. Et dictum negocium, quasi nec ocium, id est, sine ocio. *Negocium* autẽ est in causis, *negociatio* in commercijs dicitur, vbi aliquid datur, vt maiora lucrentur. *Iurgium* dictum, quasi iuris garrium, eò quòd qui causam dicunt, iure disceptant. *Lis* à contentione limitis prius nomen sumpsit. De quo Virgilius: Limes erat positus litem vt discerneret agri. *Causa* aut argumento aut probatione constat. *Argumentum* nunquam testibus, nunquam tabulis dat probationem, sed sola inuestigatione inuenit veritatem; vnde & dictum argumentum, id est, argutum inuentum. *Probatio* autem testibus & fide tabularum constat. ¶ In omni autem iudicio sex personæ quæruntur, iudex, accusator, reus, & tres testes. *Iudex* dictus, quasi ius dicẽs populo, siue quòd iure disceptet. Iure autem disceptare est iustè iudicare. Non est autem iudex, si non est in eo iustitia. *Accusator* vocatus, quasi ad causator, quia ad causam vocat eum quem appellat. *Reus* à re qua petitur nuncupatus, quia quanuis sceleris cõscius non sit: reus tamen dicitur quandiu in iudicio pro re aliqua petitur. ¶ Testes antiquitus *superstites* dicebantur, eo quòd super statum causæ proferebantur. Nũc parte ablata nominis, *testes* vocantur. *Testis* autem cõsideratur conditione, natura & vita. *Conditione*, si liber non seruus. Nam sæpe seruus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. *Natura*, si vir, non fœmina: *Vita*, si innocens & integer actu. Nam si vita bona defuerit fide carebit. Non enim potest iustitia cum scelerato habere societatem. ¶ Duo sunt autẽ *genera testium*: aut dicendo id quod viderunt, aut proferendo id quod audierunt. *Duobus* autem *modis testes delinquunt*, cùm aut falsa promunt, aut vera silentio obtegunt.

De spectaculis. Cap. XVI.

Spectacula, vt opinor, generaliter nominãtur voluptates, quæ non per semetipsa inquinant, sed per ea quæ illic geruntur. Dicta autem spectacula, eo quòd hominibus publica ibi præbeatur inspectio. Hęc & *lubrica* nũcupata, quòd in ludis gerantur aut in scenis. *Ludorum* origo traditur: Lydiis ex Asia transeuntes in Hetruria cõsederunt duce Tyrrheno, qui fratri suo successerat in regno. Contentione ergo in Hetruria inter cæteros ritus superstitionum suarũ, spectacula quoque religionis nomine instituerunt. Inde Romani accersitos artifices mutuati sunt, & inde *ludi* à Lydiis vocati sunt. Varro autem dicit ludos à luso vocatos, quòd iuuenes per dies festos solebant ludi exultatione delectare populum. Vnde & eum lusum iuuenum & diebus festis & templis & religionibus reputant. Nihil iam de causa vocabuli, dum rei causa idololatria sit. Vnde & promiscuè ludi *Liberalia* vocantur, ob honorem Liberi patris. Ob hoc despicienda est originis macula, ne bonum æstimes, quòd initium à malo accepit. *Ludus* autem *gymnicus* est aut *circensis*, aut *gladiatorius*, aut *scenicus*.

De ludo Gymnico. Cap. XVII.

Gymnicus *ludus* est velocitatis ac virium gloria. Cuius locus *gymnasium* dicitur, vbi exercentur athletæ, & cursorum velocitas cõprobatur. Hinc accidit vt omniũ propè artium exercitia *gymnasia* dicantur. Antea enim in locis certantes cincti erant ne nudarentur: post relaxato cingulo repentè prostratus & examinatus est quidã cursor. Quare ex consilij decreto tunc *archon Hippomenes*, vt nudi deinceps omnes exercitarentur permisit. Ex illo gymnasium dictũ est, quòd iuuenes nudi exercentur in campo, vbi sola tantùm pudenda operiuntur.

De generibus gymnicorum. Cap. XVIII.

Genera *gymnicorum* quinque: saltus, cursus, iactus, virtus atque luctatio. Vnde ferunt quendam regem tot filios adolescentes habentem: totidem generibus de regno iussisse contendere.

De saltu. Cap. XIX.

Saltus dictus, quasi exilire in altum. Est enim saltus altius exilire, vel longius.

De cursu. Cap. XX.

Cursus à velocitate crurum vocatur. Est enim cursus celeritas pedum.

De iactu. Cap. XXI.

Iactus dictus à iaciendo. Vnde & piscatorium rete iaculum dicitur. Huic arti vsus est arreptos lapides procul ferire, hastas põdere librato iacere, sagittas arcu emittere.

De virtute. CAP. XXII.

VIrtus est immensitas virium in labore & pondere corporis.

De luctatione. CAP. XXIII.

LVctatio à laterum cõplexu vocatur: quibus cominus certantes inuitẽt qui Græca appellatione athletæ vocantur. Locus autem luctationis *palæstra* dicitur.

De palæstra. CAP. XXIV.

PAlæstra autem vel ἀπὸ τῆς πάλης, id est à luctatione, vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν id est à motu ruinæ fortis nominatam dicunt. scilicet, quod in luctando cum medios arripiat, ferè quatiunt, idq; apud Græcos πάλλειν vocatur. Quidam opinantur artem luctandi vrsorum cõtentione monstratam. Námque inter cæteras feras eos solos & erigi congressos, & subsidere celeriter ac reuerti, & modò manibus tentare inuicem, modò complexu abigere sese more luctantium dicunt.

De agone. CAP. XXV.

QVæ Latini certamina, Græci ἀγῶνας vocant à frequentia qua celebrantur. Siquidem & omnem cœtum atque conuẽtum *agona* dici. alij quòd in circulis, & quasi agoniis, id est sine angulo locis ederentur, nuncupatos agonas putant.

De generibus agonum. CAP. XXVI.

AGonum genera fuisse: immensitas viriũ, cursus celeritas, sagittandi peritia, standi patientia: ad citharam quoque vel tibias incedendi gestus: de moribus quoque, de forma, de cantandi modulatione, terrestris quoque belli & naualis prælij perpetiendorúmque suppliciorum certamina.

De ludis Circensibus. CAP. XXVII.

LVdi Circenses sacrorum causa ac deorum gentilium celebrationibus instituti sunt. Vnde & qui eos spectant dæmonũ cultibus inseruire videntur. Nam res equestris antea simplex agebatur. & vtique communis vsus reatus non erat: sed cum ad ludos coactus est naturalis vsus, ad dæmoniorũ cultum translatus est. Itaque & Castori & Polluci deputantur hæ species: quibus equos à Mercurio distributos historiæ docent. sed & Neptuno equestris ludus est, quem Græci ἱππικὸν vocãt: sed & Marti & Ioui in ludis equi sunt consecrati, & ipsi quadrigis præsunt. Circenses autem ludi ideo dicti, vel à circumeundo, vel vbi nunc metę sunt, olim gladij ponebantur, quos quadrigæ circuibant, & inde dicti Circenses, ab ensibus circa quos currebãt. Siquidem in littore circa ripas fluminum currus agitantes, gladios in ordine in ripę littore ponebant, & erat artis, equum circa pericula torquere. Inde & Circenses dicti putantur quasi circum enses.

De circo. CAP. XXVIII.

CIrcus Soli principaliter consecratus est à paganis, cuius ædes medio spacio & effigies de fastigio ædis emicat, quod non putauerunt sub tecto consecrandum, quem in aperto habent. Est autem circus omne illud spacium quod circuire equi solent. Hinc Romani dictum putant à circuitu equorum, eo quòd ibi circum metas equi currant. Græci verò à Circe filia solis, quæ patri suo hoc genus certaminis instituit, asserũt nuncupatum, & ab ea circi appellationem argumentantur. Fuit autem maga & venefica, & sacerdos dæmonum, in cuius habitu & opere magicæ artes & cultus idolatriæ recognoscuntur.

De ornamentis circi. CAP. XXIX.

ORnamenta circi, oua, meta, obeliscus, carceres. *Oua*, honori Castoris & Pollucis ascribunt, qui illos ouo editos credendo de cigno Ioue non erubescũt. Fingunt autem Circensia Romani ad causas mũdi referri: vt sub hac specie superstitiones vanitatum suarum excusent.

De metis. CAP. XXX.

MEtarum quippe appellatione propriè terminum ac finem mundi designare volunt, ab eo quòd aliquis emensus finis est, siue ad testimonium orientis occidentísque solis.

De obelisco. CAP. XXXI.

OBeliscum, Mespres rex Ægypti primus fecisse fertur tali ex causa. Cum quodam tempore Nilus vehementi inundatione Ægyptum nocuisset: indignatus rex tanquam pœnas à flumine exigeret, sagittam in vndas misit. Nõ multo pòst graui valitudine correptus, lumen amisit: qui post cæcitatem visu recepto duos obeliscos Soli cõsecrauit. Obeliscus enim sagitta dicitur: qui ideo in medio Circo ponitur, quia per medium mundũ sol currit. Medio autẽ spacio ab vtraq; meta cõstitutus obeliscus, fastigiũ summitatémq. cœli significat: cum sol ab vtroque spacio medio horarum

horarum discrimine transcendit. Summo obelisco superpositum est quoddam auratum in modum flammæ formatum, quoniam sol plurimum caloris atque ignis habet.

De carceribus. CAP. XXXII.

IN Circo vnde emittuntur equi *carceres* dixerunt, ab ea re qua & ille carcer qui est in ciuitate: quòd, vt ibi homines damnati atque inclusi, ita hic equi coercentur, ne exeant antequam signum emittant.

De aurigis. CAP. XXXIII.

ARs *Circi* auriga & currus, equites vel pedites. *Auriga* proprie dictus, quòd currum agat, siue quòd feriat iunctos equos. Nam haurit, ferit dicimus, vt, Latus haurit apertum. Ipse est & agitator, id est verberator ab agendo dictus. Aurigæ autem duobus coloribus sunt: quibus speciem idololatriæ vestiunt. Nam *prasinus* terræ. *venetus* cælo & mari à paganis dicatus est.

De quadrigis. CAP. XXXIV.

ERictonius autem qui regnauit Athenis primus quatuor equos iunxisse fertur, sicut Virgilius autor est dicens, Primus Ericthonius currus & quatuor ausus Iungere equos, rapidísque rotis insistere victor. Fuit autem Mineruæ & Vulcani filius de caduca in terram libidine, vt fabulæ ferunt procreatus, portentum dæmoniacum, imò diabolus qui primo Iunoni currum dedicauit. Tali autore quadrigæ productæ sunt.

De curru. CAP. XXXV.

CVrrus à cursu dictus, vel quia rotas videtur habère multas, vnde & carrum quasi currum. Quadrigarum verò currus duplici temone olim erant, perpetuóque, & qui omnibus equis iniiceretur. Iugo primus Ciristenes Sicionius tantùm medios iugauit, cósque singulos ex vtraque parte simplici vinculo applicuit, quos Græci σειραφόρους, Latini *funarios* vocant, à genere vinculi quo prius alligabantur.

De equis quibus currimus. CAP. XXXVI.

QVadrigę & *bigæ, trigæ*, & *seiugæ* ab equorum numero & iugo dictæ. Ex quibus *quadrigas* soli: *bigas* lunæ, & *trigas* inferis, *seiugas* Ioui: desultores lucifero, & hespero cõsecrauerunt. *Quadrigas* ideò soli iungũt, quia per quatuor tempore annus vertitur, ver & æstatem, autumnum & hyemem. *Bigas*, lunæ quoniam gemino cursu cum sole contendit, siue quia & nocte videtur & die. Iungunt enim vnum equum nigrum, alterum candidũ. *Trigas* diis inferis, quia hi per tres ætates homines ad se rapiunt, id est, per infantiam, iuuentutem, atque senectam. *Seiuga* maximus currus currit Ioui, propter quòd maximum deorum suorum eum esse credunt. Ideo autem rotis quadrigas currere dicunt, siue quia mundus iste circuli sui celeritate transcurrit, siue propter solem, quia volubili ambitu rotat: sicut ait Ennius, Inde patefecit radiis rota candida cœlum.

De septem spaciis. CAP. XXXVII.

SEptem *spacia* quadrigæ currunt referentes hoc ad cursum septem stellarum quibus mundum regi dicunt, siue ad cursum septem dierum potentium, quibus peractis vitæ terminus consummatur, quorum finis est creta, id est iudicium.

De equitibus. CAP. XXXVIII.

POrrò *equites singulares* ideo currere dicũt: quia singulariter vnusquisq; cursum vitæ huius peragit atque transit, alio tempore sequens alium: per vnam tamen viam mortalitatis videlicet ad propriam metam mortis.

De desultoribus. CAP. XXXIX.

DEsultores nominati, quòd olim prout quisque ad finem cursus venerat desiliebat, & currebat: siue quòd de equo in equum transiliebat.

De peditibus. CAP. XL.

PEdites autem aiunt propter pede currere, quia pedibus curritur mortalitati. Ob hoc à superiore parte curritur ad inferiora, id est ab oriente ad occidentem, quia mortales oriuntur & occidũt. Nudi currũt, quia & hominis & seculo nullæ reliquiæ sunt. Recto spacio currunt, quia inter vitam & mortẽ nihil distant. Hæc ergo propterea fingũt, vt vanitates suas, & sacrilegia excusare conentur.

De coloribus equorum. CAP. XLI.

CIrca causas quoq; elementorũ idẽ gẽtiles etiã colores equorũ iunxerũt: *roseos* soli, id est igni: albos aeri: *prasinos* terræ, *venetos* mari assimilãtes. Itẽ *roseos* æstati currere voluerũt ꝙ ignei coloris sint, & cũcta tunc flauescãt. *Albos* hyemi, ꝙ sit glacialis, & frigorib. vniuersa canescãt: veri *prasinos* viridi colore, quia tunc pampinis dẽsatur. Itẽ *roseos* currere

Marti sacrauerunt, à quo Romani exoriuntur, & quia vexilla Romanorum cocco decorantur, siue quòd Mars gaudeat sanguine. *Albos* zephiris & serenis tempestatibus: *prasinos* flori & terræ: *venetos* aquis vel aeri, quia ceruleo sunt colore: *luteos*: id est croceos igni & soli: purpureos Iri sacrauerunt, quem arcũ dicimus, quod Iris plurimos colores habeat. Sicque dum hac expectatione deorum cultibus atque elemẽtis mundialibus prophanãtur: eosdem deos atque eadem elemẽta procul dubio colore nascuntur. Vnde animaduertere debes Christiane, quòd Circum nomina immunda possideant. Quapropter alienus erit tibi locus, quem plurimi Satanæ spiritus occupauerunt. Totum enim illud diabolus & angeli eius repleuerunt.

De theatro. CAP. XLII.

THeatrum est quo scena includitur, semicirculi figuram habens: in quo stantes omnes inspiciunt. Cuius forma primùm rotunda erat sicut & amphitheatri: postea ex medio amphitheatro theatrum factum est. Theatrum à spectaculo nominatum ἀπὸ τῆς θεωρίας, quòd in eo populus stans desuper atq; spectans ludos contemplaretur. Idem verò theatrum, idem & prostibulum: eò quòd post ludos exactos meretrices ibi prosternerẽtur. Idem & *lupanar* vocatũ ab eisdem meretricibus: quæ propter vulgati corporis leuitatẽ. *lupæ* nũcupabantur, Nã *lupæ* meretrices sunt à rapacitate vocatæ, quòd ad se miseros rapiant & apprehendant. *Lupanaria* autẽ à paganis constituta sunt: vt pudor infeliciũ mulierũ ibi publicaretur, & ludibrio haberẽtur tam ij qui facerent, quàm quæ paterentur.

De scena. CAP. XLIII.

SCena autem erat locus infra theatrum in modum domus instructa cum pulpito. qui pulpitus orcistra vocabatur, vbi cantabant comici tragici. atque saltabant histriones & mimi. Dicta autem scena Græca appellatione, eo quòd in speciem domus erat instructa. Vnde & apud Hebræos tabernaculorum dedicatio à similitudine domiciliorum σκηνοπηγία appellabatur.

De orcistra. CAP. XLIV.

ORcistra autem pulpitus erat scenæ vbi saltator agere posset, aut duo inter se disputare. Ibi enim poetæ comœdi & tragœdi ad certamẽ conscendebant: iisque canentibus alij gestus edebant. Officia scenica tragœdi, comœdi, themelici, histriones, mimi & saltatores.

De tragœdis. CAP. XLV.

TRagœdi sunt qui antiqua gesta atque facinora sceleratorum regum luctuoso carmine spectante populo concinebant.

De comœdis. CAP. XLVI.

COmœdi sunt qui priuatorum hominum acta dictis aut gestu canebant, atque stupra virginum & amores meretricum in suis fabulis exprimebant.

De themelicis. CAP. XLVII.

THemelici autem erant musici scenici qui in organis & lyris & citharis præcinebant. Et dicti themelici, quòd olim in orcistra stantes cantabant super pulpitum, quod themele vocabatur.

De histrionibus. CAP. XLVIII.

HIstriones sunt qui muliebri indumento gestus impudicarum fœminarum exprimebant: ij autem saltando etiam historias & res gestas demonstrabant, dicti autem histriones, siue quòd ab Histria id genus sit adductum, siue quòd perplexas historiis fabulas exprimerent, quasi historiones.

De mimis. CAP. XLIX.

MImi sunt dicti Græca appellatione, quòd rerum humanarum sint imitatores. nam habebant suum autorem qui antequam mimum agerent, fabulam pronuntiaret. Nam fabulæ ita componebantur à poetis vt aptissimæ essent motui corporis.

De saltatoribus. CAP. L.

SAltatores autem nominatos Varro dicit ab Arcade Salio, quem Æneas in Italiam secum adduxit, quíque primò docuit Romanos adolescentes nobiles saltare.

Quid pro patrono agatur. CAP. LI.

ESt planè in artibus scenicis Liberi & Veneris patrocinium, quæ priuata & propria sunt, scenæ de gestu & fluxu corporis. Nam molliciem Libero & Veneri immolabant, illi per sexum, illi per luxum dissoluti. Quæ verò ibi vocibus & modis & organis & lyris transiguntur, Apollines, & Musas, & Mineruas, & Mercurios patronos habent. Quod spectaculum odire debes Christiane: quorum odisti autores.

De am-

De amphitheatro. CAP. LII.

A*mphitheatrum*, locus est spectaculi, vbi pugnant gladiatores. Et inde ludus gladiatorius dictus: quòd in eo iuuenes vsum armorum diuerso motu condiscant, & modò inter se aut gladiis aut pugnis certantes, modò contra bestias incedentes: vbi non odio, sed præmio illecti subeunt ferale certamen. Amphitheatrum dictum, quòd ex duobus theatris sit factum. Nam amphitheatrum rotundum est, theatrum verò ex medio amphitheatro est, semicirculi figuram habens.

De ludo equestri.

CAP. LIII.

G*enera gladiatorum plura*, quorum primum ludus equestrium. Duo enim equites præcedentibus prius signis militaribus, vnus à porta orientis, alter ab occidentis procedebant in equis albis cum aureis galeis minoribus & habilioribus armis, sícque atroci perseuerantia pro virtute sua inibant pugnam, dimicantes quousque alter in alterius morte prosiliret, vt haberet qui caderet casum, gloriam qui perimeret. Quæ armatura pugnabat Marti duelli causa.

De retiariis. CAP. LIIII.

R*etiarius*, ab armaturæ genere, in gladiatorio ludo contra alterum pugnantem occultè ferebat rete (quod iaculum appellatur) vt aduersarium cuspide insistente operiret, implicitúmque viribus superaret, quæ armatura pugnabat Neptuno tridentis causa.

De secutoribus. CAP. LV.

S*ecutor*, est ab insequẽdo retiarium dictus. Gestabat enim cuspidem & massam plumbeam, quæ aduersarij iaculum impediret, vt antequam ille feriret rete, iste superaret. Hec armatura sacrata erat Vulcano. Ignis enim semper insequitur: ideóque cum retiario componebatur, quia ignis & aqua semper inter se inimica sunt.

De laqueatoribus. CAP. LVI.

L*aqueatoriorum* pugna erat fugientes in ludo homines iniecto laqueo impeditos consecutósque prostrare amictos vmbone pelliceo.

De velitibus. CAP. LVII.

V*elitum pugna* erat, vt vltrò citróque tela obiectarent. Erat autem eorum varia pugna & spectantibus gratior quàm reliqua: velites autem vocati sunt, siue à volitatione: siue à ciuitate Hetruscorum, quæ Veletes vocabatur.

De ferali certamine. CAP. LVIII.

F*erarum pugna* erat missas bestias iuuenes excipere & pugnare aduersus eas, vltroneo funere certare, non crimine sed furore.

De horum exercitatione ludorum.

CAP. LIX.

HÆc quippe spectacula crudelitatis & inspectio vanitatum: non solum hominũ vitiis: sed & dæmonum iussis instituta sunt. Proinde nihil esse debet Christiano cum Circensi insania, cum impudicitia theatri, cum amphitheatri crudelitate, cum atrocitate arenæ, cum luxuria ludi. Deum enim negat, qui talia præsumit, fidei Christianæ præuaricator effectus, qui id denuo appetit quod in lauacro iam pridem renunciauit, id est diabolo, pompis, & operibus eius.

De tabula. CAP. LX.

A*lea*, id est ludus tabulæ inuenta à Græcis in ocio Troiani belli à quodam milite nomine Alea, à quo & ars nomen accepit. *Tabula* luditur pirgo, calculis, tesserísque.

De pirgis. CAP. LXI.

P*irgus*, dictus, quòd per eum tesseræ pergant, siue quòd turris speciem habeat. Nam Græci turrim πύργον vocant.

De calculis. CAP. LXII.

C*alculi* vocati, quòd leues sint & rotundi. Vnde & calculus dicitur lapis breuis qui sine molestia sui breuitate calcatur. Item calculi, quòd per vias ordinales quasi per calles eant.

De tesseris. CAP. LXIII.

T*esseræ*, vocatæ, quia quadræ sunt ex partibus omnibus. Has alij *lepusculos* vocant, eo quòd exiliendo discurrunt. Olim autem tesseræ iacula appellabantur à iaciendo.

De figuris aleæ. CAP. LXIIII.

QVidam autem *aleatores*, sibi videntur philosophicè per allegoriam hãc artem exercere, & sub quadam rerum similitudine fingere. Nam tribus tesseris ludere perhibent propter tria seculi tempora præterita, præsentia & futura, quia non stant, sed decurrunt. Sed ipsas vias senariis locis distinctas propter ætates hominum trinariis lineis propter tempora argumentantur. Inde & tabulam ternis descriptam dicunt lineis.

De vocabulis tesserarum.

CAP. LXV.

IActus quisque apud *lusores* veteres à numero vocabatur, vt vnio, binio, trinio, quatrio, quinio, senio. Postea appellatio singulorum mutata est, & vnionem canem, trionem suppum; quatrionem planum vocabant.

De iactu tesserarum.

CAP. LXVI.

IActus tesserarum ita à peritis aleatoribus componitur, vt afferat quod voluerit, vtputa senionem, qui eis actu bonum affert. Vitant autem canem, quia damnosus est, vnum enim significat.

De calculorum motu.

CAP. LXVII.

CAlculi, partim ordine mouentur, partim vagè. Ideo alios *ordinarios*, alios *vagos* appellant. At vero qui moueri omnino non possunt incitos dicunt. Vnde & egentes homines *inciti* vocantur: quibus spes vltra procedendi nulla restat.

De interdictione aleæ.

CAP. LXVIII.

AB hac arte fraus & mendacium atque periurium nunquam abest, postremò & odium & damna rerum, vnde & aliquando propter hæc scelera interdicta legibus fuit.

De pila. CAP. LXIX.

PIla propriè dicitur, quòd sit pilis plena. Hæc & *sphæra* à ferendo vel feriendo dicta, de quarum genere & pondere Dorcatius sic tradidit, Neu tu parce pilos viuaces condere cerui Vncia donec erit geminam superaddi ad libram. Inter species pilarum sunt, *trigonaria* & *arenaria*. *Trigonaria* est qua inter tres luditur. *Arenaria* qua in grege dum ex circulo astantium spectantiúmque emissa, vltra iustum spatium pilam excipere lusúmque inire consueuerunt. *Cubitalem lusum* appellant, cùm duo comminus ex proximo ac penè coniunctis cubitis palàm feriunt. *Suram* dicitur *dare*, qui pilam crure prolato ferendam collusoribus præbet.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XIX.

CAPITA LIBRI DECIMINONI.

De nauibus. CAP. I.

[illegible] RTIVM quarundam vocabula quibus aliquid fabricatur, vel instrumenta artificum, vel quæ ministerium exhibent, atque alia huiusmodi deinceps ex parte notanda [illegible]. *Artifex* generale nomen vocatur quòd autem faciat: sicut aurifex qui aurum. *Faxo* enim antiqui pro facio dicebant. *Nauclerus* [illegible] nauis est appellatus ità quòd nauis in sorte eius sit. κλῆρος enim Græcè sors dicitur. Cæteri autem in naui in contributione sunt. *Gubernio* qui & gubernator, quasi cohibernator, quòd cohibeat prudentia sua hibernas [illegible] tempestates maris. *Nauta* à naue dictus per deriuationem. Nauita autem pro nauta poëtice dicitur, sicut Mauors, pro Mars. Nam rectum est nauta. *Remex* vocatur quòd remum gerit, sic autem remex quomodo tubex dicitur nominatiuo casu. *Epibata* Græco sermone appellatur: qui Latinè dicitur superueniens. Hic nihil habet negotij: sed naulo dato in alias terras transire disponit. *Nauim* quidam perhibent dictum, eo quòd gnarum [illegible] quærat, id est peritum, sapientem, [illegible], qui continere & gubernare nouit propter maritima pericula & casus, vnde est illud Salomonis, Intelligens gubernacula possidebit. Lydij autem primùm nauim fabricauerunt, pelagíque incerta petentes peruium mare vsibus humanis fecerunt. *Rates* primum & antiquissimũ genus nauigij è rudibus tignis asseribúsque consertum. Ad cuius similitudinem fabricatæ naues, ratariæ dictæ. Nunc iam rates abusiuè naues. Nam propriè rates sunt connexæ inuicem trabes. *Trieris* nauis magna quam Græci dulconem vocant: de qua in Esaia dicitur, Non transibit per eam trieris magna. *Carpasia* nauis à Carpatho insula nominata: sicut à Rhodo Rhodia: sicut ab Alexandria Alexandrina. *Liburnæ* dictæ à Libycis: naues enim sunt negotiatorum. De quibus Horatius, Ibis liburnis inter alta nauium. *Rostratæ* naues dictæ ab eo quòd in fronte rostra ærea habeant propter scopulos, ne feriantur & collidãtur. *Longæ* naues sunt, quas dromones vocamus: dictæ eò quòd longiores sint cæteris, cuius contrarius musculus, curtum nauigium. Dromo autem à decurrendo dicitur. Cursum enim Græci δρόμον vocant. *Classis* dicta est à Græco vocabulo ἀπὸ τῶν κάλων, id est lignis. vnde & calones nauiculæ quæ ligna militibus portant. *Anchoromacus* dictus, pro eo quòd celeritate sui anchoris & instrumentis reliquis nauium vehendis sit aptus. *Phaselus* est nauigiũ, quòd nos corruptè baselum dicimus. De quo Virgilius, Pictísque phaselis. *Scafa* quæ κατάσκοπος nauigium, quod Latinè speculatorium dicitur. *Barca* est, quæ cuncta nauis cõmercia ad litus portat. Hæc naues in pelago propter nimias vndas suo suscipit gremio. Vbi autem appropinquauerit portui reddit vicem barca naui quam accepit in pelago. *Paro* nauigium piratarum aptum, & ex iis ita vocatum. Cicero, Tunc se fluctigero tradit mandátque paroni. Et alibi, Paruncul̃is ad litus ludit celeribus. *Mioparo* quasi minimus paro, idem & carabus. Est enim parua scafa ex vimine facta, quæ contexta crudo corio genus nauigij præbet, quales vtuntur Germanorũ piratæ in oceani littoribus vel paludibus ob agilitatem. De qualibus Historia, Gens, inquit, Saxonum mioparibus non viribus nituntur. fugæ potius quàm bello parati. *Celoces* quas Græci κέλητας vocant, id est veloces biremes vel triremes agiles, & ad ministerium classis aptæ. Ennius Labitur vncta carina per æquora cana celonis. *Biremes* autẽ naues sunt habentes remorum ordinem geminũm. *Triremes* & *quatriremes* triũ & quatuor ordinũ: sic & pẽteremes & hexeremes quinos vel senos ordines habentes. *Actuaria naues* sunt, quæ velis simul & remis aguntur. *Hippagoga* in quo equos transuehere solitum est. *Pontonium* nauigium fluminale tardum & graue, quod nõnisi remigio progredi potest. Hinc & *traiectus*, id est extentus. Est enim funis latus, vnde *transenna* dicitur extẽtus funis. *Limbus* nauicula breuis, quæ alia appellatione dicitur & cymba & caupolus: sicut & lintris, id est carabus quo in Pado paludibúsque vtũtur. *Carabus* parua scafa ex vimine facta, quæ contexta crudo corio genus nauigij præbet. *Portemia* nauicula Syriatici generis lata & sine carina à portando vocata. Vtuntur iis in Pannonia. *Trabaria* amnicæ naues, quæ ex singulis trabibus cauantur: quæ alio nomine litorariæ dicuntur. Hæ ex caudice factæ ex vno ligno cauato & inde caudicæ: quia à quatuor vsque ad decem homines capiant.

De partibus nauium & armamentis. CAP. II.

PVppis posterior pars nauis est, quasi post. Prora anterior quasi priora. *Cymba* locus vnus nauis, quòd aquis incũbat. *Carina* à currẽdo dicta quasi currina. *Fori nauium* [illegible] con caua, à ferendo onere dicta, siue tabulata nauiũ, quæ sternũtur *dicta*, ab eo quòd incessus ferant vel foris exineant. De quibus Virgilius. Laxántque foros. *Colũbaria* in summis lateribus nauium loca concaua per quę eminent remi, dicta credo quòd sint similia laribulis colũbarum in quibus nidificant. *Agiauia* sunt loca in naui per quæ ad remigęs hortator accedit. De qua Ennius, Multa foro ponet, Et, Agiauia longa repletur. *Transtra* sunt

tabulæ vbi sedent remiges; quòd in transuerso sint dicta, quæ Virgilius iuga appellat. *Remi* à remouendis, & decutiendis fluctibus dicti: sicut tonsores à tondendis & decutiendis capillis. *Palmula* est extrema latitudo remi à palma dicta, qua mare impellitur. *Antemnæ* autē dictæ, quòd antè amnē sint positæ. Præterfluit enim eas amnis. *Cornua* extremæ partes antemnarū sunt, dicta per tropum ab animali ad inanimale. *Malus* est arbor nauis, qua vela sustinētur. Malus autē dictus: quia habet instar mali in summitate, vel quia quasi quibusdā malleolis ligneis cingitur, quorū volubilitate vela faciliùs eleuātur. *Modius* est cui arbor insistit; ob similitudinem mēsuralis vasis dictus. *Carchesia* sunt in cacumine arboris. *Troclea*, quasi F litera per quas funes trahuntur. Cinna, Lucida consulgent alti carchesia mali. *Trocleæ* autē vocatæ, quòd rotulas habeant. τρόχος enim Græcè rota dicitur. *Parastata* stipites sunt pates stantes quibus arbor sustinetur. Cato, Malū del gatū parastate iūctæ. *Clauus* est quo regitur gubernaculum. De quo Ennius, Vt clauū rectum teneam nauímque gubernem. *Porticulus* malleus in manu portatus, quo modus signúmq; datur remigantibus. De quo Plautus, ad loquendum atque tacendum tute habes porticulum. *Tonsilla* vncinus ferreus vel ligneus ad quem in litore defixum funes nauium illigantur. De quo Ennius, Tonsillas rapiunt, configunt litus ad vncas. *Anchora* dens ferreus ex Græca etymologia nomen ducit: quòd quasi hominis manus comprehendat vel scopulos vel arenas. Nam manus Græcè χεὶρ dicitur. Apud Græcos autem aspirationem non habet. Nam ἄγκυρα dicitur, vnde & apud maiores sine aspiratione proferebatur. *Puluini* sunt machinæ quibus naues deducuntur & subducuntur in portum. *Pons* scala nauium.

De velis. Cap. III.

Vela Græci ἄρμενα dicūt, proinde quod aere moueantur. Apud Latinos autem vela à volatu dicta. Vnde est illud, Velorū pandimus alas. Genera velorū ἀκάτιος, ἐπίδρομος, δόλων ἀρτέμων, Siparum, mendicum. Ex quibus *acatium* velum maximū est, & in media naui constitutum. *Epidromos* secundæ amplitudinis: sed ad puppim. *Dolon* minimum velū, & ad proram defixum. *Artemo* dirigendæ potius nauis causa commendatum quàm celeritati. *Siparum* genus veli vnū pedem habens, quo iuuari nauigia solent in nauigatione quoties vis venti lāguescit. De quo Lucanus, Summáque tendens Sipara velorum perituras colligit auras, quòd ex separatione existimant nominatum. Pes extremus angulus veli in quo nautæ locantur.

De funibus. Cap. IV.

Funes dicti, quod antea in vsum luminis fuerint circumdati cera, vnde & funalia. *Restes*, siue quòd rates contineant: seu quòd in iis retia tendantur. *Rudentes* sunt funes nauium ex nimio stridore ita dicti. *Spiræ* funes quibus in tempestatibus vtuntur: quas nautici suo more curcubas vocant. Spiræ autem à sparto vocatæ. *Propes* funis quo pes veli astigatur, quasi propedes. De quo Turpilius, Quasi cùm ventus fert nauim in mare secundum: si quis propedem misit: si velis sinistrum. *Tormentum* funis in nauibus lōgus quo prora ad puppim extenditur, quò magis constringantur. Tormenta autem à tortu dicta: sunt restes funésque. *Saphon* funis in prora positus. De quo Cecilius. Venerio cursu veni pro fato pede vsque ad siphonem. *Opifera* funes, quæ cornibus antemnæ dextra sinistráque tenduntur retrouersó. *Prosumium* funis, quo nauis in litore religatur ad palum. *Mitra* funis, qua nauis media vincitur. *Anquina* qua ad malū antenna constringitur. De qua Cinna, Atque anquina regit stabilem fortissima cursum. *Remulcum* funis, qua deligata nauis trahitur vice remi. De quo Valgius. Hic mea me longo succedens prora remulco Lætantem gratis sistit in hospitiis. *Struppi*, vincula loro vel lino facta, quibus remi ad scalmos alligantur. De quibus Liuius, Túncque remos iussi religare struppis. *Cataporates* linea cum massa plumbea qua maris altitudo tentatur. Lucilius, Hanc Cataporatem puer eodem defert vnctum plumbi pauxillum rudis linique mataxam.

De retibus. Cap. V.

Retia vocata siue à retinendis piscibus, siue à restibus quibus tenduntur. Minus autem rete *implagium* dicitur à plagis. Nam plagas propriè dicimus funes illos quibus retia tenduntur circa imam & summam partē. *Funda* genus est piscatorij retis, dicta ab eo quòd in fundum mittatur. Eadem etiam à iactando iaculū dicitur. Plautus, Probus quidem antea iaculator eras. *Tragum* genus retis ab eo quod trahatur nuncupatū, ipsum & verriculum. Verrere enim trahere est. *Nassa* ex viminibus tanquam rete cōtextum. *Cassis* genus venatorij retis quod capiant. Hinc est quod incassum dicimus, id est sine causa: quasi sine cassibus, sine quibus venatio inanis est. *Conopeum* est rete in similitudinem tentorij contextum propter muscas & culices excludendos, quo magis Alexandrini vtuntur, quia ibi ex Nilo culices copiosè nascuntur. vnde & Conopea dicitur. Nam conopea Ægyptus est.

De fabricis.

De fabricis siue fornacibus. Cap. IV.

Faber, à faciendo ferrum impositum nomen habet. Hinc deriuatum est nomen ad alias artium materias: fabros vel fabricas dicere: sed cum adiectione, vt *faber lignarius*, & reliqua propter operis scilicet firmitatem. In fabrorum autem fornace gentiles *Vulcanum* auctorem dicunt: figuraliter per Vulcanum ignem significantes, sine quo nullum metalli genus fundi extendíque potest. Nihil est enim pene quod igne non efficiatur. Alibi enim vitrum, alibi argentum, alibi plumbum, alibi minium, alibi pigmenta, alibi medicamenta efficit. Igne lapides in æra soluuntur, igne ferrum gignitur ac domatur, igne aurũ perficitur, igne cremato lapide cementa & parietes ligantur. Lapides nigros ignis coquẽdo candificat, ligna candida vrendo obfuscat, carbones ex pruna fuluida nigros facit, de lignis duris fragiles, de putribilibus imputribiles reddit, stricta soluit, soluta restringit, dura mollit, mollia dura reddit. Habet & medicaminis vsum. Nam sæpe viri prodest. Pestilentiæ quoque quæ obscuratione solis contrahitur, auxiliari certum est. In opere quoque aliud gignit primis ignibus, aliud secundis, aliud tertiis. Habet quoque & aliam in se diuersitatem ignis. Nam alius est ignis qui vsui humano, alius qui iudicio paret diuino, siue qui de cœlo fulmen astringit: siue qui de terra per vertices montium eructat. *Ignis* autem dictus, quòd nihil gigni potest ex eo. Est enim inuiolabile elementum assumẽs cuncta quæ rapit. *Fabrica*, duabus rebus constat, ventis & flammis. *Flamma* vero proprie fornacis est dicta, quòd flatu follium excitetur. *Fornax* verò ab igne vocata: φῶς, enim ignis est. *Caminus*, est fornax, & est Græcum nomen deriuatum, ἀπὸ τοῦ καύματος, id est, à calore. *Fauilla*, est deserta igne scintilla. *Pruna*, est quamdiu ardet: cùm extincta fuerit *carbo* nominatur. Pruna autem à perurendo, dicta est: carbo verò quòd flamma caret. Qui dum interiisse creditur, maioris fit virtutis. Nam iterum incensus fortiore luce calescit. Cuius tanta vis est & sine igne firmitas, vt nullo humore corrumpatur, nulla vetustate vincatur. Extinctus enim tantùm incorruptibiliter durat, vt ij qui limites figunt, eos infossos terra substernant: & lapides desuper figant, ad conuincendum litigatorem, vt fixum lapidem post quantalibet secula limitem esse cognoscant.

De instrumentis fabrorum. Cap. VII.

Incus, est in quo ferrum tuditur à cædendo dictus, eo quòd illic aliquid cudamus: id est, feriẽdo producamus. *Cudere* enim cædere & ferire est. Veteres autem non incudem vocabant: sed *intudem*, eo quòd in ea metallum tundatur, id est, tendatur. vnde & tudis malleus, id est, à tundendo, id est, tendẽdo dictus. *Malleus* vocatur, quia dum quid calet & molle est, cædit & producit. *Marcus* malleus maior, & dictus marcus, quòd maior sit ad cædendũ & fortior. *Marcellus*, mediocris. *Marculus*, malleus pusillus. Lucillius: Et velut in fabricam feruens cùm marculus ferrũ, Multorum magnis ictibus tundit. *Forcipes*, quasi ferricipes, eo quòd ferrum candens capiant, teneántque: siue quòd ab his aliquid forũ capimus & tenemus, quasi *foruicapes*. Nam *forum* est calidum, vnde & feruidum: vnde & *formosos* dicimus quibus calor sanguinis ex rubore pulchritudinem creat. *Lima* dicta, eo quòd lene faciat. Nam *limũ* lene est. *Cilium*, est vnde operantur argentarij, à quo & *calata vasa* dicuntur.

De fabricis parietum. Cap. VIII.

In fabricis parietum atque tectorum Græci inuentorem *Dedalum* asserunt. Iste enim primus didicisse fabricam à Minerua dicitur. *Fabros* autem siue *artifices* Græci τέκτονας vocant, id est, instructores. *Architecti* autem *cementarij* sunt qui disponunt in fundamentis. Vnde & Apostolus de semetipso, vt sapiens, inquit, architectus fundamentum posui. *Machiones*, dicti à machinis in quibus insistunt propter altitudinem parietum.

De dispositione. Cap. IX.

Ædificiorum partes sunt *tres: dispositio, cõstructio, vetustas. Dispositio*, est areæ vel solij & fundamentorum descriptio.

De constructione. Cap. X.

Constructio, est laterum & altitudinis ædificatio. *Cõstructio* autẽ vel *instructio* vocata eo quòd instringat, & cohærere faciat, vt lapides luto, & ligna, & lapides inuicem sibi. Nam & intinctio ferri in aqua *instructura* est. Nisi enim candens tingatur, stringi & cohærere non potest ferrum. Item *constructio* à multitudine lapidum & lignorum dicta: vnde & *strues*. *Aliud* est enim *ædificatio*, aliud *instauratio*. Nam *ædificatio* noua constructio est. *Instauratio* verò quod reparatur ad instar prioris. Nam veteres *instar* pro similitudine ponebant. Inde & *instaurare* dicebant. *Constructio* autem constat fundamento, lapidibus, arena, calce & lignis. *Fundamentum*, dictum quòd fundus sit ædificij. Idem &

mentum à cedendo dictum, quod crasso lapide surgat. *Lapides*, in structuris apti, albus, Tiburtinus, columbinus, fluuialis, sfungia, rubrus & reliqui. *Albus* lapis, alius durus, alius mollis. Mollis dentata serra secatur, tractabilis in opere est, ita vt in eo, quasi in tigno literæ scribantur. *Tiburtinus*, à loco Italiæ dictus, qui dum sit ad fabricam fortis, vapore tamen dissilit. *Tophus*, ædificiis inutilis est, fundamentis aptus mortalitate & mollitia. Ex æstu enim & halitu maris siccatur & verberatur imbribus. *Arenatius lapis* concretus maris arenis, hic & bibulus dicitur. Seruat enim humorem acceptum. Idem & in Betica. *Gaditanus*, ab insula Oceani vbi plurimus exciditur. *Piperinus*, subalbidus cum punctis nigris, durus atque fortissimus. *Concleatius*, cocleis lapillisque & arena concretus, asperrimus & interdum fistulosus. *Columbinus*, à colore auis nuncupatus, natura vicinus gypso & mollitie simillimus. *Molaris*, in parietibus vtilis: quia est quædam natura eius pinguior duráque & aspera, ex quo etiam & molę fiũt, vnde & nomen traxit. Huius quatuor genera, albus, niger, permixtus ac fistulosus. *Sfungia* lapis creatus ex aqua leuis ac fistulosus & cameris aptus. *Silex* durus lapis ex cuius genere nigri silices optimi quibusdam in locis & rubentes. Aliqui silices contra vetustatem incorrupti permanent. Iidem & in monumẽtis sculpti, & incorrupti permanent: quibus nec ignis quidem nocet. Nam ex iis etiam formæ fiunt, in quibus æra funduntur. *Viridis silex*, vehementer & ipse igni resistens: sed nusquam copiosius, & vbi inuenitur, lapis nõ saxum est. *Pallidus*, in cemento raro vtilis. *Globus*, contra iniurias fortis, & in structuris infidus: nisi fuerit multa suffrenatione deuinctus. *Fluuiatilis silex*, semper veluti madens est. Hunc æstate exhiberi oportet, nec ante biennium inseri in structuris domorum, fictilium operum, ad parietes & fundamenta: quæ coctis laterculis ad tecta imbriculis tegulisque aptantur. *Tegula*, vocatæ quòd tegant ædes, & imbrices quòd accipiant imbres. Tegulæ autem primę positionis nomen, cuius diminutiuum *tigillum*. *Laterculi* verò vocati, quòd lati formentur circumactis vndique quatuor tabulis. *Lateres* autem crudi sunt: qui & ipsi inde nominati, quòd lati ligneis formis efficiuntur. Quorum *crates* dicuntur, in quibus lutum pro eisdem lateribus crudis portare solent. Sunt enim connexiones cannarum, dicti ἀπὸ τῶ κρατεῖν, id est, quòd se inuicem teneant. *Lutum* autem vocatum quidam per antiphrasin putant: quòd non sit mundum. Nam omne lotum mundum est. *Calx viua* dicta: quia dum sit tactu frigida, intus occultum continet ignem. vnde perfusa aqua statim latẽs ignis erumpit. Natura eius mirum aliquid facit. Post quam enim arserit aquis incenditur, quibus solet ignis extingui, oleo extinguitur quo solet ignis accendi, vsus eius in structuris fabricæ necessarius. Nam lapis lapidi non potest adhærere fortius, nisi calce coniunctus. *Gipsum*, cognatum calci est, & est Græcum nomen. Plura eius genera. Omnium autem optimum *lapis* est *specularis*. Est enim in signis ædificiorum & coronis gratissimus. *Arena*, ab ariditate dicta: non ab adhærendo in fabricis, vt quidam volunt. Huius probatio si manu impressa stridet, aut si in vestem candidam sparsa nihil sordis relinquat. *Columnæ*, pro longitudine & rotunditate vocatæ: in quibus totius fabricæ pondus erigitur. Antiqua ratio erat columnarum altitudinis tertia pars latitudinum. *Genera rotundarum* quatuor. *Doricæ, Ionicæ, Tuscanicæ, Corinthææ*, mensura crassitudinis & altitudinis inter se distantes. Quintum genus est earum quæ vocantur *Atticæ*. quaternis angulis aut amplius, paribus laterum interuallis. *Bases*, fulturæ sunt columnarum, quæ à fundamento consurgunt, & superpositæ fabricę sustinent pondus. Bases autem nomen petræ est fortissimæ Syro sermone. *Capitella* dicta, quòd sint columnarũ capita, quasi super collum caput. *Epistilia* sunt, quæ super capitella columnarum ponuntur, & est Græcum. *Pauimenta* originem operis à Græcis habent: vocata autem pauimenta eo quòd pauiantur, id est cedantur. vnde & pauor: quia cedit cor. *Ostracus*, est pauimẽtum testaceum, eo quòd fractis testis calce admixto feriatur. *Testam* enim Græci ὄστρακα dicunt. *Rudos*, artifices appellant lapides contusos & calce admixtos, quos in pauimentis faciendis superfundunt. vnde & rudera dicuntur. *Canalis*, ab eo quòd caua sit in modum cannę. Sanè canalem melius genere fœminino, quàm masculino proferimus. *Fistulæ*, aquarum sunt dictæ: quòd aquas fundant & mittant. Nam Græcè φῦσαι mittere est. Formæ earum pro magnitudine aquæ & capacitate fiunt: per quas aquæ per modulos certos diuiduntur. E quibus est vncia & quinaria, digitus quadratus: digitus rotundus, & cæteri modi cuique causæ. Hucusque partes constructionis.

De venustate. Cap. XI.

Venustas, est quicquid illud ornamẽti & decoris causa ædificiis additur, vt tectorum causa auro distincta laquearia, & præ-tonsi marmoris crustæ & colorum pictura.

De laquearíis. Cap. XII.

Laquearia sunt, quæ camerã subtegunt & ornant: quæ & lacunaria dicuntur: quòd lacus

lacus quosdam quadratos vel rotundos ligno vel gipso vel coloribus habeat pictos, cum signis intermicantibus. Principaliter autem lacus dicitur, vt Lucius, Resultant ædésque lacusque. Cuius diminutio *lacunar* facit, vt Horatius, Neque aureum mea renidet in domo lacunar. Inde fit alia diminutio *lacunarium* & per antisticon *laquearium* facit.

De crustis. Cap. XIII.

Crustæ sunt tabulę marmoris. Vnde & *marmorati parietes* & *crustati* dicuntur. Qui autem marmora secandi in crustas rationem excogitauerunt non constat. Fiunt autem arena & ferro serraque in prætenui linea premente arenas, tractuque ipso secante: sed crassior arena plus erodet marmoris. Nam tenuis fabricis & polituris accommodata est.

De lithostratis. Cap. XIV.

Lithostrata sunt elaborata arte picturę paruulis crustis ac tessellis tinctis in varios colores. *Tesselli* autem à tesseris nominati, id est quadratis lapillis per diminutionem.

De plastis. Cap. XV.

Plastice est parietum ex gipso effigies signaque exprimere pingereque coloribus. Plastice autem dictum Græcè, quod Latinè est pingere terra vel gipso similitudines. Nam impressa argilla formam aliquam facere plastis est. Vnde & *protoplastus* est dictus homo, qui ex limo primus est conditus.

De pictura. Cap. XVI.

Pictura autem est imago exprimens speciem alicuius rei, quæ dum visa fuerit ad recordationem mentem reducit. Pictura autem dicta quasi fictura. Est enim imago ficta non veritas. Hinc & *fucata*, id est ficto quodam colore illita nihil fidei, & veritatis habentia. Vnde & sunt quædã picturæ quæ corpora veritatis studio coloris excedunt, & fidẽ dum augere contendunt, ad mendacium prouehunt: sicut qui *Chimeram tricapitem* pingunt, vel Scyllam hominem sursum, caninis autem capitibus cinctam deorsum. *Picturam* autem autem *Ægyptij excogitauerunt primum* vmbram hominis lineis circumductã. Itaque [illegible] talis, secunda singulis coloribus, postea diuersis & sicque paulatim sese ars ipsa distinxit, & inuenit lumen atque vmbras differentiasque colorum, vnde & nunc pictores prius vmbras quasdam & lineas futuræ imaginis ducunt, deinde coloribus implent, tenentes ordinem inuentæ artis.

De coloribus. Cap. XVII.

Colores autem dicti sunt, quòd calore ignis vel sole perficiuntur, siue quòd in initio colebantur, vt summæ subtilitatis existerent. *Colores* autem aut nascuntur, aut fiunt. *Nascuntur*, vt sinopis, rubrica, parætonium, melinum, fretia, auripigmentum. *Cæteri finguntur* aut arte, aut permixtione. *Sinopis* primum inuenta in Ponto est. Inde nomen à Synope vrbe accepit. Species eius tres, rubra & minus rubens & inter has media. *Rubrica* vocata quòd sit rubra & sanguineo proxima. Hęc plurimis locis gignitur: sed optima Ponto, vnde & Pontica dicitur. *Siricum* rubri coloris pigmentum, ex quo & librorum capita scribuntur. Ipsum est & *Phœniceum* appellatum ita, eo quòd in Syria colligatur in littoribus rubri maris vbi Phœnices inhabitant. *Aliud* est *sericum*, aliud *Syricum*. Nam *sericum* lana est quam Seres mittunt: *Syricum* verò pigmentum quod Syri Phœnices in rubri maris littoribus colligunt. Est autem inter factitios. Nam sæpe fit aut sinopide, aut sandice mixtus. *Minium* primi Græci in Ephesiorũ solo inuenisse traduntur. Cuius pigmenti Hispania cęteris regionibus plus abundat. vndè etiam nomen proprio flumini dedit. Huius distillatio argentum liquidum gignit. Minium autem hoc quidam dicunt esse cinnabarin. *Cinnabaris* à dracone & barro, id est elephanto cognominatum. Aiunt enim draconum esse sanguinem dum implicant elephantos. Ruunt enim beluę & dracones obruũtur, quorum fusus cruor terram inficit, fitque pigmentum quicquid solo tinxerit. Est autem puluis coloris rubri. *Prasina* id est creta viridis, etsi in aliquibus terris promiscue generetur, optima tamen in Libya Cyrenensi. *Chrysocolla* colore prasino est dicta, quòd vena eius habere aurum traditur. Hæc & in Armenia nascitur, sed ex Macedonia probabilis venit. Foditur enim ex metallis æris: cuius inuentio argentum atque indicum prodit. Nam venæ eius cum iis habent naturæ societatem. *Cypria* ab insula Cypro, vbi plurima reperitur. *Sandaracha* in insula rubri maris topazon nascitur colore cinnabari, odore sulphureo. Inuenitur autem in aureis & argentariis metallis, melior quo magis rufa, quoque mage virus redolet. quanquam & cerussa si torreatur in fornace sandarachum facit, vnde & color est flammeus. Quòd si torreatur æqua parte rubrica admixta, sandicem reddit. *Arsenicum* quòd Latini ob colorem auri, *auripigmentum* vocant, colligitur in Põto ex auraria materia, vbi etiam Sandaracha. Optimum est quod in auri colorem transit purum & fissile, gracili venarũ discursu. Quòd verò pallidius aut Sanda-

rachæ simile est, deterius iudicatur. Est & tertiũ genus squamosum, quo miscetur aureus color. Vis earum vt Sandarachæ, sed acrior. *Ocra* & ipsa in insula maris rubri topazon gignitur: vbi & Sandaracha. Fit quoque & ocra exusta rubrica in ollis nouis luto circũlitis: quæ quanto magis in camino arserit, tanto melior fit. *Venetum* ceruleum temperare primùm Alexandria reperit. In Italia ex arenæ puluere & nitri flore idem faciunt. Sed si Cyprium in fornace adustum huic permistioni addes, *vestoriani* similitudo erit. *Purpurissum* ex creta argentaria cum purpuris pariter tingitur, bibitque eum colorem celerius lanis. Præcipuum est tamen aliud quod adhuc vase rudibus medicamentis inebriatur. Proximũ est egesto eo addita creta in vas idem, & quoties id factum est, eleuatur bonitas. Preciosissimæ purpuræ causa est quòd iscino maximè inficitur rubeáque. *Indicum* in Indicis inuenitur calamis, spuma adhærente limo. Est autem coloris cyanei, mixturam pupuræ ceruliique mirabilem reddens. Est alterum genus in purpurariis officinis, spuma in æreis cortitinis innatans: quam infectores detrahentes siccant. *Atramentum* dictum, quòd sit atrum: cuius species & picturæ & quotidiano vsui necessaria est, istud inter factitios est. Fit enim & fuligine plurimis modis super ardentes tedas resina adiecta, lacusculo ædificato, quòd fumum retineat. Huic pictores cum aqua miscent gluten, vt illustrius resplendeat. Ad festinationem autem operis etiam sarmentorum veterum carbones cum glutino triti inducendis parietibus atramẽti speciem reddunt. Sunt & qui vini fæcem siccatam excoquant, affirméntque, si ex bono vino fex fuerit Indici speciem id atramentum præbere. Sed & sarmentum vuæ nigræ vino optimo tinctum posteaquam siccitate aruerit, si exuras & conteras, adiecto glutine, nitorem Indici reddet, vsúque plurimùm necessaria est, nullo negotio prouenit. Nam & si glebam silicis bene igne excoquas, & aceto acerrimo superfusam extinguas, madefacta suffungia colorem purpureum reddit. Eam ibi contriueris vsta erit. Omne autem atramentum sole perficitur. Omnes colores calcis admixtione corrumpuntur. *Melinum* dictum, quòd eius metalli ferax sit vna ex Cycladibus insula Melos nomine. Est enim candidum, nec vtuntur eo pictores propter nimiam pinguedinem. *Anulare* quod vocant candidum est: quo muliebres picturæ luminantur. Fit & ipsum ex Creta admixtis vitreis gemmis. *Cerussa* fit hoc modo: In vase enim aceto acerrimo impleto sarmenta aminea in eodem vasculo collocabis, ac super sarmenta tabulas plũbi tenuissimas pones, deinde vas diligentissime claudes, illinésque ne aliquid inde spiraminis exeat. Post dies autem xxx. vas aperitur, & ex distillatione tabularum innata cerussa inuenitur. Quod ablatum & arefactum teritur, atque iterum aceto admistũ in pastillis diuiditur, & in sole siccatur. Hac obseruantia si laminas æreas sarmentis superponas, æruginem creant Chalcentium.

De instrumentis ædificiorum. CAP. XVIII.

IN *structura* autem parietũ *ad normam* fieri, & *ad perpendiculum* respondere oportet. *Norma* dicta Græco vocabulo extra quã nihil rectum fieri potest. Componitur autem ex tribus regulis, ita vt duæ sint binorum pedum, tertia habeat pedes duos vncias decem, quas æquali crassitudine politas extremis acuminibus sibi iungit, vt schema trigoni faciant. Id erit norma. *Regula* dicta quòd sit recta, quasi rectula: & impedimentum non habeat. *Perpendiculum* est quod semper appenditur. denique in fabrica nisi omnia ad perpendiculum, & certam regulam fiant, necesse est vt cuncta mendosa instruantur, vt aliqua praua sint, aliqua cubantia, prona nonnulla, alia supina, & propter hoc vniuersa sunt constructa. *Linea* à genere suo appellata quia ex lino fit. *Trulla* nomen factum, eò quòd trudit & detrudit, id est, includit calce vel luto lapides. *Marcellus* machina. *Scala* à scandendo vocatæ. hærent enim parietibus. Scalæ autem dicuntur, quæ aut vnæ sunt, aut plures: quia numeri tantùm pluralis est nomen, vt literæ, quæ epistolam significat.

De lignariis. CAP. XIX.

LIgnarius generaliter ligni opifex appellatur. *Carpentarius* speciale nomen est. Carpentum enim solùm facit: sicut nauicularius, quia tantùm nauiũ est fabricator & artifex. *Sarcitector* dictus, quòd ex multis hinc inde coniunctis tabulis vnum tecti sarciat corpus. Idem & *tignarius*. quia tectoria lignis inducit. *Lignum* vocatur Græca etymologia, quia incensum in lumen conuertitur & in flammam. Vnde & *licinium* dicitur, quòd lumen det. *Materia* inde dicitur omne lignũ, quòd ex ea aliquid efficiatur: vel si ad ianuã referas, vel ad statuam, materia erit. Ad aliquid enim semper materia accipienda est, sicut elementa materiam rerum esse dicimus: quia inde ea quæ sunt facta videmus, & materia quasi mater dicta. *Trabes* vocatæ, quod in transuerso positæ vtrosque parietes contineant. Aliud autem sunt *tigna*, aliud *trabes*. *Tigna* enim iuncta trabẽ faciũt. *Trabes* autem sunt, cùm sunt dolatę. *Tolus* proprie est veluti scutum breue quod in medio tecto est in quo trabes coeunt. *Cupla* vocatę, quòd copulent in se luctantes. *Luctantes* dicuntur, quòd erecti inuicem se teneant more luctantium.

Agrantes;

Agrantes. *Asseres* Ab asse dicti, quia soli ponuntur neque coniuncti. *Scindulæ*, eò quòd scindantur, id est, diuidantur. *Epigri* & claui sunt quibus lignum ligno adhæret. *Claui* autem dicti quasi chalybi, quia ex chalybe fiũt, id est, ferro. *Chalybs* enim ferrum est. *Tabulæ* à veteribus tagulæ vocabantur, à tegendo scilicet: vnde & *tegulæ*. *Commissura* dicitur tabularum coniunctio. *Sectio* autem dicta à sequendo ea quæ ceperit. Nam secare sectari & sequi est. *Serra* autem nomen de sono factum est id est, à stridore. *Serræ* cerciníque vsum Perdices quidam adolescens inuenit, quem puerum Dædalus frater matris suæ studijs perdocendum acceperat. Cuius pueri tãtum ingenium fertur: vt dum materiæ diuidendæ compendium quæreret, spinam piscis imitatus de ferro laminam exasperans dentium mordacitate armauit: quam serram artifices nuncupant. Pro cuius artis inuentione Dædalus magister eius inuidiæ liuore permotus, præcipitem puerum ex arce deiecit. dehinc exulatum Cretam abiit, ibique aliquandiu fuit, vt fabulæ ferunt. Ex Creta pennis volauit, & inde Ciliciam venit. *Circinus* dictus, quòd vergendo efficiat circulum. Huius modus duplicata linea fit, quæ simplex per latitudinem extensa fuerat. Punctus autem in medio circini centrum à Græcis dicitur in cuius medium cuncta conuergunt. *Securis* vocatur, eo quòd ea arbores succidãtur: quasi succurtis. Item securis, quasi *sen icuris*. Ex vna enim parte acuta est, ex altera fossoria. Hęc & apud veteres *penna* vocabatur, vtraque autem habens aciem, bipennis. Nam *bipennis* dicitur, quòd ex vtraque parte habeat acutam aciem: quasi duas pennas. *Pennum* autem antiqui acutum dicebãt. Vnde & auium pennæ, quia acutæ. Et ecce nomen quod reseruauit antiquitatem, quia veteres dicebant pennas non pinnas. Hęc & *dolabra*: quòd habeat duo labra. nam securis simplex est. *Dextralis* dexteræ habilis. *Ascia* ab astulis dicta, quas à ligno eximit, cuius diminutiuum nomen est asciola. Est autem manubrio breui ex aduersa parte referens vel simplicem malleum, aut cauatum, vel bicorne rastrum. *Scalprum* dictum, quod scalpturis & foraminibus sit aptum, quasi scalforus. Cuius diminutiuum *scalpella*. *Terebra* vocata à verme ligni, qui vocatur terebra: quem Græci *τερηδόνα* vocant. Hinc terebra dicta dicta quòd vt vermis terendo forat, quasi terefora, vel quasi transforans. *Taratrum* quasi teratrum. *Scofina* dicta, quòd hærendo scophen faciat. Canterium, Gallia *Guuia*.

De inuentione lanificij. CAP. XX.

Mineruam quandam gentiles multis ingeniis prædicant. Hanc enim primam lanificij vsum monstrasse, hanc etiam telam ordisse, & colorasse lanas perhibent. Oliuæ quoque hanc dicunt inuentricem & fabricę, multarumque artium repertricem. Ideoque illi vulgò opifices supplicant. Sed & hoc poetice fingitur. Non enim Minerua istarum artium princeps est: sed quia sapientia in capite esse dicitur hominis, & Minerua de capite Iouis nata fingitur, hoc est ingenium, ideoque sensus sapientis qui inuenit omnia in capite est. Ideò & dea artium Minerua dicitur, quia nihil excellentius est ingenio quo reguntur vniuersa.

De veste sacerdotali in lege.
CAP. XXI.

Octo sunt in lege *genera sacerdotaliũ vestimentorum*. *Poderis* est tunica sacerdotalis linea, corpori astricta vsque ad pedes descendens, vnde & nuncupatur. *πόδας* enim Græci pedes dicunt. Hæc vulgò *camisia* vocatur. *Albanem* cingulum sacerdotale rotũdũ polimita arte ex cocco, purpura, hyacinthóque contextum, ita vt flores atque gemmę in eo videantur esse distinctæ. *Pileum* est ex bisso rotundum quasi sphæra media, caput tegens sacerdotale, & in occipitio vitta cõstrictum. Hoc Græci & nostri *tiaram* vel *galeam* vocãt. *Machil* quòd est tunica talaris tota thicinyna habẽs ad pedes LXXII. tintinnabula: totidémque intermixta ad dependentia punica mala. *Ephod*, quod Latinè interpretatur superindumentum. Erat enim pallium superhumerale ex quatuor coloribus & auro contextum, habens in vtroque humero lapides duos smaragdinos conclusos, in quibus sculpta erant nomina patriarcharum. *Logion*, quod Latinè dicitur rationale, pannus duplex auro & quatuor textus coloribus, habẽs magnitudinem palmi per quadrum, cui intexti erant XII. pretiosissimi lapides. Hic pannus superhumerale contra pectus pontificis annectebatur. *Petalum* aurea lamina in fronte pontificis, quæ nomen Dei tetragrammaton Hebraicis literis habebat scriptum. *Batin*, siue fœminalia, id est bracę lineæ vsque ad genua pertingentes, quibus verecunda sacerdotis velabantur.

De nominibus vestium cæterarum.

CAP. XXII.

Diuersitas *vestimentorum*, tegmẽ, tegumẽ, indumentum, vestimentum, & reliqua. *Tegmen* dictum eo quòd tegat membra: sicut tegumenta, tecta quæ tegunt corpora. *Indumentum* quòd intus ad corpus induitur: quasi intumẽtũ. *Vestimentũ* verò est quod vsque ad vestigiũ pretenditur, quasi vestimentũ, vt est tunica talaris. Sed & hæc consuetudo tegmi-

nes auctorum confundit. Discernitur autem *vestitus* à cultu: quoniam lautius intelligitur *cultus*. Item cultus ab *habitu*. Nam habitus ad naturam pertinet, cultus ad homines. ¶ Pleræque autem vestium aut à tempore quo maximè in vsu sunt appellantur, aut à locis vbi vel primum vel maximè venditantur, aut à genere coloris, aut à nomine repertorum. ¶ Vestis antiquissima hominum fuit *perizomatum*, id est, succinctorium, quo tantùm genitalia conteguntur. Hoc primum primi mortales è foliis arborum sibi fecerunt, quando post præuaricationem erubescentes pudenda velabant. Cuius vsum quædam barbaræ gētes dum sint nudæ vsque hodie tenent. Hæc & *campestria* nuncupantur, pro eò quòd eisdē iuuenes qui nudi exercentur in campo, pudenda operiunt. *Tunica* vestis antiquissima appellata, quia in motu incedētis sonum facit. *Tonus* enim sonus est. Primùm autē fuere pelliceæ tunicæ quibus post offensam & eiectionē de paradiso Adam & Eua induti sunt. *Talaris tunica* dicta, eo quòd ad talos vsque descendat, & ad pedes defluat, sicut *pectoralis*, quia apud antiquos breuis erat: vt tantùm pectus operiret, licet nunc profusior sit. *Manicleata* tunica, id est manicata, eo quòd habeat manicas, quam χειριδῶτιν Græci vocant. *Dalmatica* vestis primùm in Dalmatia prouincia Græciæ texta est, tunica sacerdotalis candida cum clauis ex purpura. *Russata* quam Græci phœnicam vocant, nos coccineam, reperta est à Lacedæmoniis ad celandum coloris similitudine sanguinem, quotiens quis in acie vulneraretur, contemplanti aduersario animus augesceret. Hac sub consulibus Romani vsi sunt milites, vnde etiam *russati* vocabantur. Solebat enim pridie, quàm dimicādum esset *ante principia poni*, quasi admonitio & indiciū futuræ pugnę. *Laculata* est, quæ lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos aut additos acu. *Iacinthina* vestis est aerio colore resplendens. *Molocina* quę maluarum stamine conficitur, quam alij *melocinam*, alij *maluellam* vocant. *Bombicina* est à bombice vermiculo, qui longissima ex se fila generat, quorum textura bombicinum dicitur conficiturque in insula Choo. Apocalamma. *Serica* à serico dicta, vel quòd etiam Seres primi miserunt. *Holoserica* tota serica: ὅλον enim totum. *Tramoserica* stamine lineo, trama ex serico. *Holoporphyra* tota ex purpura. *Byssina* candida confecta ex quodam genere lini grossioris. Sunt & qui genus quoddam lini byssum esse existiment. *Fibrina* tramam de fibri lana habens caprina. *Masticina* & mena. *Linea* quæ ex solo lino fit. *Linostema* vestis est ex lana linoque contexta. Et dicta linostema, quia in stamine linū, in trama lanam habet. *Recta* dicitur vestis, quam sursum versum stātes que texunt. *Segmenta* zonis quibusdam, & quasi præcisamentis ornata. Nam & particulas cuiusque materiæ abscisæ præsegminas vocant. *Leuidensis*, quòd raro filo sit, leuiterque densata. *Pauitensis* contraria Leuidensi dicta, quod grauiter pressa atque calcata sit. *Cirrosa*, quasi concrispa ad similitudinem cirri. Neuius: Pulchram ex auro vestem que citrosam. *Velenensis* tunica est, quæ affertur ex insulis. *Exotica* vestis est peregrina deforis veniēs, vt in Hispania à Græcis. *Polimita* multicoloris. *Polimitus* enim textus multorum colorum est. *Acu picta* vestis acu textilis aut acu ornata. Eadem & *Phrygia*. Huius enim artis periti Phrygij omnes dicuntur: siue quia in Phrygia inuenta est. Vnde & artifices qui id faciunt. *Phrygiones* dicuntur. Virgilius: Phrygiam chlamydem. *Trilicis* à tribus liciis, quia est simplex & biplex. *Rella*, quæ vulgò rasilis dicitur. *Intripola* vestis illa vocatur, quæ dum sit vetus ad nouam speciem recurratur. *Pannutia* nuncupata, quod sit diuersis pannis obsita. *Colobium* dictum, quia longum est, & sine manicis. Antiqui enim magis hoc vtebantur. *Libitonarium* est colobium sine manicis, quali monachi Ægyptij vtuntur. *Lumbare* vocatur, quòd lumbis religetur, vel quòd lumbis hæreat. Hoc in Ægypto & in Syria non tantùm fœminæ, sed & viri vtūtur. Vnde & Hieremias, trans Euphratem tulit lumbare suum, ibique illud in foramine petræ abscondit, & postea scissum reperit. Hoc à quibusdam & *renale* dicitur, quia renibus alligatur. *Limus* est vestis, quæ ab vmbilico vsque ad pedes producitur. Hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam, inde & nomen accepit. Nam *limum* obliquū dicimus. *Licinium* vocatum, quòd textura eius ligata sit in totum, quasi diceret liginum, c. pro g litera commutata. *Armelausa* vulgò vocata, quod ante & retro diuisa atque aperta est: in armos tantùm clausa, quasi armiclausa: c litera ablata. *Camisias* vocamus, quòd in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris. *Fæmoralia* appellata eo quòd fæmora tegant. Ipsa & *bracæ*, quòd sint breues, & verecunda corporis iis velentur. *Tubrucos* vocatos dicunt, quòd tibias bracasque tegant. *Tubraci*, quòd à bracis ad tibias vsque perueniant.

De vestibus quarundam gentium.

CAP. XXIII.

QVibusdam autem nationibus sua cuique propria vestis est: vt Parthis *sarabra*. Gallis *linna*. Germanis *renones*. Hispanis *striges*. Sardis *mastruga*. *Sarabara* sunt fluxa ac sinuosa vestimenta: de quibus

quibus legitur in Daniele, Et sarabara eorum non sunt immutata. Et Publius: Vt quid ergo in ventre tuo Parthi sarabara suspenderunt? Apud quosdam autem sarabaræ quædam capitum tegmina nuncupantur, qualia videmus in capite magorum picta. *Linnæ* saga quadra & mollia sunt. De quibus Plautus: Linnæ cooperta est textrino Gallia. *Renones* sunt velamina humerorum & pectoris vsque ad vmbilicum, atque intortis villis adeò hispida, vt imbres respuant: quos vulgò reptos vocant, eò quòd longitudo villorum, quasi repat: de quibus Salustius, Germani intectum renonibus corpus tegunt. Dicti autem renones à Rheno Germaniæ flumine, vbi iis frequenter vtuntur. *Mastruga* vestis Germanica ex pelliculis ferarũ, de qua Cicero pro Scauro: Quem purpura regalis non commouit, cum Sardonum mastruga mutauit. Mastruga autem dicta, quasi monstruosa, eo quòd qui ea induuntur, quasi in ferarum habitũ transformentur. ¶ Dignoscuntur & gentes ita habitu, sicut & lingua discordes. *Persæ* brachia & crura lineamentis, caput tiara tegunt. Eminẽt apicibus fastigiatis *Alani*: horrent & male tecti cum latratoribus linguis *Scotti*: sagati vel sagati *Alemanni*, Linteati *Indi*: gemmati *Persæ* sericati *Seres*: pharetrati *Armenij*. ¶ Nõnullæ enim gentes non solùm in vestibus: sed in corpore aliqua sibi propria, quasi insignia vindicant, vt videmus *cirros* Germanorum: *granos* & *cinnabar* Gothorum: *stigmata* Britonum. *Circumcidunt* quoque Iudæi *præputia*: *pertundunt* Arabes *aures*: *flauent capitibus intextis* Getæ: *nitent* Albani *albentibus crinibus*. Mauros habet *tetra nox corporum*: Gallos *candida cutis*: *sine equis inertes extant* Alani; nec abest *gens Pictorum* nomen à corpore quod minutis opifex acus punctis & expressos natiui graminis succos includit, vt has ad sui specimen cicatrices ferat, pictus artubus maculosa nobilitas. ¶ Habet & sexus institutam speciem habitus, vt *in viris tonsi capilli*: *in mulieribus redundantia crinium*, quod maxime virginibus insigne est: quarum & ornatus ipse proprie sic est, vt concumulatus in verticem ipsam capitis sui arcem ambitu crinium contegat.

De palliis virorum. Cap. XXIV.

P*Allium* est quo administrantium scapulę conteguntur, vt dum ministrant expeditius discurrant Plautus: Si quid facturus es, appende in humeris pallium, & pergat quantum valet tuorum pedum pernicitas. Dictum autem *pallium* à pellibus, quia prius super *indumenta pellicia* veteres induebantur, quasi pellea siue à *palla* per deriuationẽ. *Chlamis* est quæ ex vna parte induitur neque consuitur, sed fibula infrænatur. Hinc & Græcè nomen accepit. *Toga* dicta, quòd velamento sui corpus tegat atque operiat. Est autem palliũ purum forma rotunda & fusiore, & quasi inundante sinu & sub dextro veniẽs, super humerum sinistrum ponitur: cuius similitudinem in operimentis simulachrorum vel picturarum aspicimus, eásque statuas togatas vocamus. *Toga* autẽ Romani in pace vtebantur: belli autem tẽpore paludamentis. Mẽsura togæ iustæ, si sex vlnas habeat. *Toga* autem *palmata* dicebatur, quam merebantur ij, qui reportabãt de hostibus palmas. Ipsa vocabatur & *toga picta*, eo quòd victorias cum palmis intextas haberet. *Toga candida* eadémq; *cretata*, in qua candidati, id est, magistratum petentes ambiebant, addita creta quo candidior insigniorque esset. Cicero oratione quã habuit contra competitores, in toga candida scripsit. *Cinctus Gabinus* est, cùm ita imponitur toga, vt togæ lacinia, quæ post secus reiicitur, attrahitur ad pectus, ita vt ex vtroque latere ex humeris picturæ pendeant, vt sacerdotes gentilium faciebant, aut cingebantur prætores. *Trabea* erat togæ species ex purpura & cocco, qua operti Romanorum reges initio procedebant. Hanc primùm Romulus adinuenisse perhibetur, ad discretionem regij habitus. Trabea autem dicta, quòd in maiore gloria hominem transbearet, hoc est, vltra & in posterum ampliori dignitate honoris beatum faceret. *Paludamentum* erat insigne palliũ Imperatorum cocco purpuráque & auro distinctũ. De quo Salustius, Togã, inquit paludamento mutauit. Erat enim palliũ bellicum, dictum, vt quibusdam videtur, quòd eo indutus palàm faceret Imperator bellum futurum. *Circumtextũ* est, quòd Græcè κύκλας dicitur. de quo Virgilius: Et circum textum croceo velamen acantho. Circumtextum autem dictum, quia est rotundum pallium. *Diplois* Græcum nomen, ab eo quòd sit duplex amictus Horatius: Contra quem duplici panno patientia velat. Est autem vestis militaris, cuius vsus Gallicis primùm expeditionibus cepit è præda hostili. De qua vox illa senatui, Togis depositis Quirites ad saga conuersi fuerãt. *Sagum* autem Gallicum nomen est: dictum autem sagum quadrum, eo quòd apud eos primùm quadratus vel quadruplex esset. *Penula* est pallium cum fimbriis longis. *Lacerna* pallium fimbriatũ, quo olim soli milites vtebantur. Vnde & in distinguenda castrensi vrbanáque turba hos *togatos*, illos *lacernatos* vocabant. Inde autem *lacerna* quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita laxis vt sunt penularum. *Mantum* Hispani vocant, quòd manus tegat tantùm. Est enim breue amictum. *Prætexta* puerile palliũ est, quo vsque ad xvj. annos pueri ne-

biles sub disciplinæ cultu vtebantur. Vnde & *prætextati pueri* appellati sunt. Dicta autem *prætexta*, quia prætexebatur ei latior purpura. *Casula* est vestis cucullata, dicta per diminutionem à casa, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa. Vnde & *cuculla*, quasi minor cella, sic & Græci *Planetas* dictos volunt, quia horis errantibus euagatur. Vnde & *stellæ planetæ*, id est, vagæ suo errore, motúque discurrunt. *Birrus* à Græco vocabulū trahit: illi enim birrum bibrum dicunt. *Melotes*, quæ etiam *pera* vocatur, pellis est caprina à collo pendēs præcincta vsque ad lumbos. Est enim habitus propriè necessarius ad operis exercitium. Fiebat autem prius, vt quidā existimant de pelliculis melonum. Vnde & *melotes* vocatæ sunt. *Fimbriæ* vocatæ ora vestimentorum, hoc est, fines ex Græco vocabulum trahentes. Græci enim terminum ὅρον vocant.

De palliis fœminarum. Cap. XXV.

Regillum est prælatum reginarum amiculum, vnde & appellatum: *Peplum* matronale pallium ex purpura signatum: cuius fimbriæ aureis staminis summitate resplendent. *Palla* est quadrū pallium muliebris vestis deductum vsque ad vestigia, affixis in ordinem gemmis. Et palla dicta, ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est, à nobilitate, quę est circa finem huiusmodi indumenti: siue quòd rugis vibrantibus sinuata crispetur. *Stola* matronale operimentū, quod cooperto capite & scapula à dextro latere in læuum humerum mittitur. Stola autem Græcè vocatur, quòd superemittatur. Eadē & *ricinium* Latino nomine appellatum, eo quòd dimidia eius pars retro eiicitur, quod vulgò *mauortem* dicunt. Vocatam autem dicūt Mauortem, quasi Martem. Signū enim maritalis dignitatis & potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est, inde & super caput mulieris est. *Amiculum* est meretricum pallium lineū. Hos apud veteres matronæ in adulterio deprehensæ induebantur, vt in tali amiculo potius quàm in stola polluerent pudicitiam. Erat enim hoc apud veteres signum meretriciæ vestis: nunc in Hispania honestatis. *Theristrum* pallium muliebre dictum, quod ἐν θέρει, id est, in æstu & caumate corpora mulierum protegat, quousque hodie Arabiæ & Mesopotamiæ mulieres velantur, quibus in æstu tutissimo teguntur vmbraculo. De quo in Isaia legitur. *Anobaladium* amictorium lineum fœminarum, quo humeri operiuntur, quod Græci & Latini *sindonem* vocant.

De stratu & reliquis quæ in vsu habentur. Cap. XXVI.

Stragulum vestis est discolor, quòd manu artificis diuersa varietate distinguitur. Dictum autem, quòd in stratu & in amictu aptum sit. De quo Salomon: Stragulatam vestem fecit sibi. *Ludices* à ludis, id est theatris vocatas existimant. Cùm enim egrediebantur de ludi prostibulo iuuenes horum velamento tegebant caput & faciem, quia solebant erubescere, qui lupanar introisset. *Galnapes*. *Fulcra* sunt ornamenta lectorum, dicta quod in iis fulcimur, id est, sustinemur, vel quod toros fulciant, siue caput quæ reclinatoria vulgus appellat. *Ceruicalia* autem eo quòd ponantur sub ceruice vel cubito. *Puluillus* dictus à puluinari, qui est diuitū lectus. *Culcitræ* vocatæ, quòd calcētur, idest farciantur pluma siue tomento, quo molliores calidiorésque sint. *Tapeta* dicta, quòd pedibus primùm sternerentur, quasi tapedia. *Sipla tapeta* ex vna parte villosa quasi simpla. *Amphitaba* ex vtraque parte villosa tapeta. Lucilius: Siple atque amphitaba villis ingentibus molles. *Mantelia* nunc pro operiendis mensis sunt, quæ vt nomen ipsum indicat, olim tergendis manibus præbebātur: siue mādelia à mandendo. *Mappa* conuiuij & epularum appositarum sunt, quasi manupæ, atque ob id nominatæ: cuius diminutiuum mapella est. *Toralia* longæ perpetuæque mappæ, à toro dictæ. *Sabanum* Græcum nomen est. *Facitergium* & *manutergium* à tergendo faciem vel manus vocatur. *Vela* dicta, quòd obiectu suo interiora domorum velent. *Aulea* vela picta & grandia, quæ ideò aulea dicta sunt, quod primùm in aula Attali regis Asiæ, cui successit populus Romanus, inuenta sunt. *Cortinæ* sunt aulea, id est, vela de pellibus, qualia in Exodo leguntur, à quibus tabernaculum extrinsecus tegebatur. Dictæ autem cortinæ à coriis, eo quòd prius ex pellibus fuissent factæ. vnde & in eodem tabernaculo legis iubetur, cortinas fieri ex pellibus arietū rubris, & ex pellibus hyacinthinis: *Cilicia* Arabes nuncupant velamenta pilis caprarum contexta, ex quibus sibi tentoria faciunt.

De lanis. Cap. XXVII.

Lana à laniendo, id est, vellendo dicta. Hinc & *vellus* dictus, quod prius lanæ vellerentur, non tonderentur. *Linum* ex terra oritur, deflexúmque nomen eius ex Græco. Nam linum Græci λινάριον dicunt: siue quòd sit molle & leue. *Stupa* verò cannabi est siue lini. Hæc secundum antiquam orthographiam stuppa dicitur, quòd ex ea rimæ nauium stipentur. Vnde & stipatores dicuntur, qui in vallibus eam componunt. *Tomentum* appellatum, quòd aut in filo aut in tela tumeat, nec subtilitatem habeat. *Canabum* à similitudine cannæ vocatum: siue à Græca etymologia. Nam illi cannabū κάνναβιν vocant.

Byssum

Byssum genus est quoddam lini nimium candidi & mollissimi, quod Greci *papatem* vocãt, *Fibrinum* lana est animalium, quæ fibros vocant: ipsos & castores existimant: quos dum venatores sequuntur, ipsi sibi testiculos adimunt. *Aranea* vocata, eò quòd aeris infusione in frõdibus nutriatur. *Sericum* dictum, quia id Seres primi miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, à quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græcè *bombyces* nominantur. *Placium* est stuppa & quasi crassedo serici, & est Græcum nomen.

De coloribus vestium. CAP. XXVIII.

TInctura vocata, quia tingitur, & in aliam fucatam speciem nitoris gratia coloratur. κόκκον Græci, nos *rubrum* seu *vermiculum* dicimus. Est enim vermiculus ex syluestribus frondibus. *Cõchilium* dictum, eo quòd ex cõchulis marinis color eius colligitur. Idem & *ostrum* vocatur. *Ostrum*, quòd pro colore purpuræ temperatur: plurimis quidem in locis, sed optimum in insula Cypro gignitur: siue in iis quos propior Solis cursus illuminat. *Cõchilia* autem sunt maris, quæ circumcisa ferro lachrymas purpurei immittunt coloris. His collectis color purpureus temperatur. Et ostrum exinde appellatum dicũt, quòd ex testæ humore elicitur. *Purpura* apud Latinos à puritate lucis vocatur: apud Græcos autem πορφύρα dicitur cũ aspiratione: apud nos purpura sine aspiratione. *Ferrugo* est color purpuræ subnigræ, quæ fit in Hispania vt: Ferrugine clarus Ibera. Dicta autem ferrugo, quòd omnis purpura prima tinctura huiusmodi coloris existat. *Glaucus* color est ferrugineus, subniger. *Elbidum* ab elbo colore vocatum. *Elbum* enim est medius colòr inter album & nigrum: & album ab albo deriuatum. *Luteus* color rubicundus, quòd est croceus. Nam *crocus* lutei coloris est, vt: Croceo mutatáque vellera luto. *Menum*, quòd fit colore nigro. Græci enim μέλαν nigrũ dicunt. *Masticinum*, quòd colorem masticis habeat. *Blatteum*, blauum. *Mesticium*, osticium, quia ex vsto est. Fit enim ex dependenti fuligine tectorum egesta assiduis ignibus. Vnde & color eiusdem tincturæ flammeus est.

De instrumentis vestium. CAP. XXIX.

TEla pro longitudine staminum dicta, cuius deriuatũ est *telaria*. *Insubuli*, quia intrà & suprà sunt: vel quia insubulantur. *Radij* dicti quia radendo fiunt. *Pectines*, quia pexa fila reddant & imprimant. *Colum*, quòd sit in longitudine & rotunditate, quasi columna. *Fusus*, quòd per ipsum fundatur quod netum est. *Alibrum*, quòd in eo librantur fila, id est, soluantur. *Calatum* leue gestamen ex ligno vel canna, aut ex iunco factum, in qua vel pensa ponuntur, vel leguntur flores. κᾶλον enim Græcè lignum est. à quo deriuatum est calatum. Nam Latinè *quasillum* dicitur. Cicero in Philippicis. Aut verò inter quasilla pendatur aurum. *Pensum* mulierum à pendendo dictum. Vnde pensa & impensa netum. *Fila* dicta, vel quia ex pilis animalium sunt, vel quia lanificium filis tenuibus constat in modum pilorum, id est, quasi filorum. *Mataxa* à circuitu scilicet filorum. Nam meta circuitus dicitur, vel quòd transferatur. *Gubellum* corruptè à globo dictum per diminutionem, quasi globellum. *Panulia* vel *panucla*, quòd ex iis panni texantur. Ipsæ enim discurrunt per telam. *Stamen* dictum, quia rectum stat. *Trama*, quòd via recta transmittatur per telam. Est enim filum inter stamen currens. *Licia* sunt quibus stamina ligantur, quasi ligia. *Ordire* est texere.

De ornamentis. CAP. XXX.

HActenus de veste: dehinc ad cæterum cultum veniamus. *Ornamenta* dicta, quòd eorum cultu ora vultúsque decorentur. Primum ornamentum corona insigne victoriæ, siue regij honoris signum. quę ideo in capite regum ponitur, ad significandum circumfusos in orbe populos, quibus accinctus, quasi caput suum coronatur. Hæc à Lucilio corolla, ab Homero στεφάνη dicta est. Huius principium à Libero quodam gentiles existimant, quòd is in potando mera vino capita vincire fasciolis instituerit: idcirco olim linei & lanei generis corona fuit: sicut erat in sacerdotibus gentilium. Nomen *corona* hæc ex causa vocatum, quòd initio circum aras curreretur, atque ad imaginem circuitus vel chori est formata & nominata corona. Imperatores Romani & reges quidam gentium aureis coronis vtuntur. Persæ *tiaras* gerunt: sed reges *rectas*, satrapæ *incuruas*. Reperta autem tiara à Semiramide Assyriorum regina. Quod genus ornamenti exinde vsque hodie gens ipsa retinet. Athenienses enim *cyclades aureas* gerebãt partim in vertice nonnulli in fronte. Non enim eadem sunt insignia omnium regnorum. Gentilium vates *infula*, *apice*, *pileo* siue *galerio* vtebantur. *Infula* est fasciola sacerdotalis capitis alba in modũ diadematis, à qua vittæ ab vtraque parte dependent, quæ infulam vinciunt. Vnde & *vittæ* dictæ sunt, quòd vinciant. Infula autem plerunque lata erat, plerunque tortilis de albo & cocco. *Apex* est pileum sutile, quo sacerdotes gentiles vtebantur: appellatus ab *apiendo*, id est, à ligando. Nam

virgula, quæ in pileo erat, contexebatur filo, quod fiebat ex lana hostiæ. *Galerium* pileum, ex pelle cæsæ hostiæ factum. *Pilleum* autem dictum à pelle hostiæ vnde fiebant. *Cidaris* & ipsum sacerdotum erat, quod à plerisque *extra* vocatur.

De ornamentis capitis fœminarum.

CAP. XXXI.

ORnamenta capitis fœminarum: Diadema, nimbus, capitulum & mitra. *Diadema* est ornamentum capitis matronarum ex auro & gemmis contextu, quod in se circumactis extremitatibus retro astringitur, & exinde dictum Græcè quod præligetur. *Nimbus* est fasciola trãsuersa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte fœminarum. Plautus: Quò magis eam aspicio, tantò magis nimbata est. Nam & lumen quod circa angulorum capita pingitur, *nimbus* vocatur: licet & nimbus sit densitas nubis. *Capitulum* est quod vulgo *capitulare* dicunt. Idem & *cappa*, vel quòd duos apices vt Kappa litera habeat: vel quia capitis ornamentum est. *Mitra* est pileum Phrygium caput protegens, quale est ornamentũ capitis deuotarum. Sed *pileum* virorum est: *mitra* autem fœminarum. *Redimicula* autem sunt, quibus mitra alligatur. *Pileum* autem, vt prædiximus, à pelle erat. Nam mitra ex lana est. *Rigula* est mitra virginalis capitis. *Vittæ* sunt quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religãtur capilli: & vittæ dictæ, quod vinciũt. *Teniæ* autem est vittarum extremitas dependens diuersorũ colorum. Item *vitta* est qua corona vincitur: *tenia* vero extrema pars vittæ quæ depẽdet coronæ. *Reticulum* est, quod colligit comas, dictum ab eo quòd retinet crines ne effundantur. *Discriminalia* capitis mulierum sunt vocata ex eo quòd caput auro discernant. Nam discriminare diuidere dicitur. *Anciæ* sunt cincinni dependentes prope auriculas, Græco vocabulo ab auribus dictæ. *Acus* sunt quibus in fœminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant, & sparsos dissipent capillos. *Inaures* ab aurium foraminibus nuncupatæ, quibus preciosa genera lapidum dependuntur. Harum vsus in Græcia: puellæ vtraque aure, pueri tantum dextra gerebant. *Torques* sunt circuli aurei à collo ad pectus vsque dependentes. *Torques* autem & *bullæ* à viris geruntur: à fœminis verò monilia & catellæ. Dictæ autem torques, quòd sint tortæ: & bullæ, quòd sint similes rotunditate bullis, quę in aqua vento inflantur. *Monile* ornamentum ex gemmis est, quod solet ex fœminarum pendere collo, dictum à munere. Hoc etiam & *serpentum* dicitur, quia constat ex amphorolis quibusdam aureis, gemmísque variis in modum facturæ serpentis. Nonnulli hoc & *segmenta* & *longos habitus*: licet & *segmentatas vestes* dicamus: vt ipsa, Et segmentatis dormisset paruula cunis. Plerunque autem & per *monile* omnia ornamenta matronarum significantur quicquid illis munere datur. *Murena* vulgò vocatur, quòd scilicet auri metallo in virgulis lentescente quædam ordinis flexuosi catena contexitur: in similitudinem murenæ serpentis, quæ ad collum ornandum aptatur. Hæc interdum auri atq; argenti texitur virgulis. Vnde & dicitur in Canticis canticorũ: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. *Catellæ* sunt catenulæ colli inuicem se comprehendentes in modum catenæ, vnde & appellatæ. *Dextras* communes esse virorum ac fœminarũ: quia vtriusque sexus dextra sunt, ampla & ante manicam portantur: & possunt ibi iungi clauo vno. *Armillæ* autem propriè virorum sunt collatæ victoriæ causæ militibus ob armorum virtutem. Vnde & quondam vulgò *viriliæ* dicebantur. Ab intellectu autem circuli armilla non discrepat: quia ipsa quoque hoc vbi ponitur ambigendo constringit. sed quando *armilla* latius extenditur, *circulus* rotundus fit. *Fibulæ* sunt quibus pectus fœminarum ornatur, vel pallium tenetur: viris in humeris, seu cingulum in lumbis. *Lunulæ* sunt ornamenta mulierum in similitudine lunæ bullulæ aureæ dependentes. *Specula* dicuntur, in quibus fœminæ vultus suos intuentur. Dictum autem speculum, vel quòd ex splendore reddatur, vel quod ibi fœminæ intuentes considerent speciem sui vultus: & quicquid ornamenti deesse viderint, adiiciant. *Periscelides* sunt ornamenta crurum mulierum, siue armillæ pedum à quibus gressus earum ornantur. *Olfactoriola* vascula sunt muliebria, in quibus odoramenta gestantur.

De anulis. CAP. XXXII.

PRimus *Prometheus* fertur circulum ferreum incluso lapide digito circumdedisse. Qua consuetudine homines vsi annulos habere cœperunt. *Anuli* autem per diminutionem dicti à circulis & anis, qui sunt circa brachia & circũ crura. Vnde & signa eorum per diminutionem *sigilla*. Nam *signa* maiora sunt: *sigilla* verò quasi minora signa. ¶ *Anulos primum homines gestare cœperunt quarto à pollice digito*, quod eo vena quædam vsque ad cor pertingat, quam notandam ornandámque aliquo insigni veteres putauerunt. ¶ Apud Romanos *anuli de publico dabantur*, & non sine discrimine. Nam dignitate præcipuis viris gemmati dabantur, cæteris solidi.

Anulum

Anulum aureum neque seruus neque libertinus gestabat, in publico, sed anulo aureo liberi vtebantur: libertini argēteo: serui ferreo vtebantur. ¶ Apud veteres *ultra unum anulū cuiusque habitum viro*. Gracchus in Meuiū, Considerate Quirites sinistram eius, en cuius auctoritatem sequimini, qui propter mulierū cupiditatem, vt mulier est ornatus. Crassus qui apud Parthos periit, in senectute duos habuit anulos causam præferens, quòd pecunia ei immensa creuisset. Multi etiam Romanorum pro grauitate anulum gestare in digito abstinuerunt. *Fœminæ non vsæ sunt anulis*, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quàm binos anulos aureos in digitis habere solebant. At nunc præ auro nullum fœminis leue est atque immune membrum.

¶ Inter *genera anulorum* sunt vngulus, samothracius, tinius. *Vngulus* est gemmatus vocatúsque hoc nomine, quia sicut vngula carni: ita gemma anuli auro accingitur. *Samothracius* aureus est quidem, sed capitulo ferreo, à loco ita vocatus. *Tinius* purus est, primùm in Bithinia fabricatus: quam olim tinam vocabant. Flaccus: Lugente mea vita, nec smaragdos berillósque mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quæro, nec cortinalis me perpolibit anulus, nec Iaspius capillus.

De cingulis.

CAP. XXXIII.

Cinctus est lata zona, & minus lata semicinctium, & vtrisque minima cingulū. Nam à cincto per diminutionem cingulum nominatur. Cincto autem iuuenes in exercitatione campestri verecunda velabant, vnde & *campestris* dicebatur. *Baltheus* cingulum militare est dictus, propter quod ex eo signa dependent, ad demonstrandum legionis militaris summam, id est, sex milium sexcentorum, ex quo numero & ipsi consistunt. Vnde & baltheus dicitur non tantùm quo, cingitur, sed etiam à quo arma dependent. *Zona* Græcum est, quam illi ζωνάριον, nos cingulum nuncupamus. *Strophiū* est cingulū aureū cum gemmis, de quo ait Cinna: Strophio lactātes cincta papillas. Et Prudentius: Nomen hoc gemmæ strophio illigatæ. *Lunus* est cinctus, quem publicè habeant serui. Et dictus lunus, quia transuersas habet purpuras id est lunas. *Cestum* cinguli genus à coacto loro dictum. *Fibula* Græcum est quā illi φίβλην dicūt, quòd ligat. *Subfibulum*, id est ligaculū. *Redimiculum* est quod succinctoriū siue bracile nuncupamus, quod diuidens per ceruicē & à lateribus colli diuisum, vtrarumque alarum sinū ambit atq; hinc inde succingit, vt constringens latitudinem vestium corpus, atque coniungendo cō-ponat. hoc vulgò *bracile*, quasi *brachiale* vocant, quamuis nūc non brachiorum, sed renū sit cingulum. *Succinctoriū* autē vocatū, quod, vt dictum est, sub brachiis ductū alarum sinū ambit atque hinc inde succingit. *Fascia* est qua tegitur pectus, & papillæ comprimūtur, atque crispante cingulo angustius pectus arctatur, & dicta fascia, quòd in modū fasciculi corpus alligat. Hinc & *fasciolæ* quibus vulnera colligantur. *Vitta* dicta, quod ea pectus vincitur instar vittis ligantis. *Limbus* est quem nos ornaturam dicimus. *Fasciola* est quæ ambit extremitates vestiū: aut ex filis aut ex auro contexta assutáque extrinsecus in extrema parte vestimenti vel chlamidis. De qua Virgilius. Sidoniam picto chlamidem circumdata limbo.

De calciamentis. CAP. XXXIV.

Svtores nuncupati sunt, quòd insertis filo porcorum setis suant, id est, consuant, quasi *setores*. *Caligarius* verò non a callo pedum, sed à calo, id est, ligno vocatus: sine quo consui calceamenta non possunt, quod Græci καλοπόδιον dicunt. Fiebant autem prius ex salice tantùm. hinc & *calciamēta* dicta, quòd in calo, id est, in ligno fiant, vel quod calcentur. *Crepidas* Græci ante repertas vsi sunt. Est autem genus singulari forma, & idem vtrique aptum pedi vel dextro vel sinistro. Crepidæ autem dictæ, quod cum sono stringantur: siue à pedum crepitu in ambulando. *Calceis* reges vtebantur, & Cæsares forma eorum. *Patricios calceos* Romulus reperit iiij. corrigiarum, assutáque luna. Iis soli Patricij vtebantur. *Luna* autem in eis non sideris formā, sed notam centenarij numeri significabat, quod initio patricij senatores centum fuerint. *Ocreæ* tibialia calciamenta sunt, dicta quòd crura tegant. *Coturni* sunt quibus calciabantur tragœdi, qui in theatro dicturi erant, & alta intonantíque voce carmina cantaturi. Est enim *calciamentum*, in modum crepidarum, quo heroes vtebantur: sed tale est vt in dextro & læuo conueniat pede. *Braxeæ* calciamentum comœdorum erat, sicut tragœdorum *coturni*. Quos quidam etiam calones appellant, eo quòd ex salice fierent. Nam Græci, vt diximus, lignum καλὸν vocabant. *Talares calcei socci* sunt qui inde nominati videntur, quod ea figura sint vt contingāt talum: sicut *subtalares*, quod sub talo sunt, quasi subtalares. *Obstrigili* sunt, qui per plātas cōsuti sunt, & ex superiore parte corrigia trahitur, vt constringantur: vnde & nominantur. *Ossas* puto ab Oso primum factas, & quamuis nunc ex alio genere, tamen nomen pristinum retinent. *Mulei* similes sunt coturnorum solo alto, superiore autem parte cum

osseis vel æreis malleolis ad quos lora deligabantur. Dicta autem sunt à colore rubro, qualis est mulli piscis. *Soleæ* sunt quibus tantùm pedum plantæ teguntur dictæ à solo pedum. Item soleæ materiales ex materia corio intexta. *Socci* cuius diminutiuum *socelli*, appellati inde quòd soccum habeant in quo pars plantę iniicitur. *Caliculæ caligæ* vel à callo pedum dictæ, vel quia ligantur. Nam *socci non ligantur*. sed tantum intromittuntur. *Cernui socci* sunt sine solo. *Lingulati*, quos nos *soliatos* vocamus. *Clauati*, quasi caluiati, eo quòd minutis clauis, id est acutis soleæ caligis vinciantur. *Perones* & *culponiæ* rustica calciamenta sunt. *Braxiæ* calciamenta mulierum sunt. *Corrigiæ* à coriis vocantur, vel à colligatione quasi colligiæ.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER XX.

CAPITA LIBRI VIGESIMI

De mensis. CAP. I.

PRIMVS *Dædalus* mensam & sellam fecit. Coquinæ apparatum *Apicius* quidam primus composuit, qui in eo absumptis bonis morte voluntaria periit, & meritò: quia is qui gulæ atque edacitati seruit, & animam & corpus interficit. Ab esu & comesu *mensæ* factum dicitur vocabulum. Nullum enim alium habet vsum. *Torus* dicitur à tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponuntur. *Stefadium* à stipitibus dictum, quasi stipadium: sic enim prius ceptum est. *Accubitũ* à cibo vocatum, quasi ad cubitum epularum. *Conuiuiũ* apud Græcos à cõpotatione συμπόσιον Apud nos vero à conuictu rectiùs appellatur: vel quia vitæ collocutionem habet. Item conuiuium dicitur à multitudine conuescentium: nam priuata mensa victus est. *Conuiuij triplex* est *modus* discumbendi, edendi & bibendi. *Discũbendi*: vt, --Toris iussit discumbere pictis. *Edendi & bibendi*, vt: Postquam prima quies epulis mensæque remotę. Crateras magnos statuunt & vina coronant.

De escis. CAP. II.

CIbus dictus, quia capitur ore: sicuti *esca*, quia eam nos capit. *Victus* propriè vocatur, quia vitam retinet, vnde & ad cibum vocare, incitare dicitur. *Alimonia* dicitur, eo quòd eius sumptu corpus aletur. Hanc iuuenes accipiunt ad incrementum, senes ad perseuerantiam. Neque enim subsistere poterit caro nisi alimentis. *Alimentum* enim est quo alimur. *alimoniũ* alendi cura. *Affluentia* nũcupata, quasi rei nimium exuberantis effusio vltra quàm satis est, modúsque non est. *Opulentia* ab ope dicta est, quam si discutias, inuenies eius tenere modum. Nam quomodo opitulatur quod nimium est. cùm incommodius sit sæpe quàm paruum? *Epulæ* ab opulentia rerum dictæ. Epulę autem simplices in duo necessaria diuiduntur, panem & vinum: & in duo superflua, quæ terra & mari vescendi causa exquiruntur. *Dapes* autem regum sunt, epulæ priuatorum. *Deliciæ* nuncupatæ, quòd iis delectentur homines, eásque suauiter appetant. *Pulmentum* vocatur à pulte, siue enim sola pultis, siue quid aliud eius permixtione sumatur, pulmentum propriè dicitur. *Satietas* autem & saturitas cibi

cibi differunt. Nam *satietas* ex vno cibo dici potest pro eo quòd satis sit: *saturitas* autem à saturo nomen accepit, quod est vario alimentorum apparatu compositum. *Crapula*, est immoderata voracitas, quasi cruda epula: cuius cruditate grauatur cor, & stomachus indigestus efficitur. Immoderata enim voracitas vitiũ est, sed tantum id salutis est, quantum sustentationi naturæque sufficiat. *Ientaculum*, est primus cibus quo ieiunium soluitur, vnde & nuncupatum. Nigidius: Nosipsi ieiunia ientaculis leuibus polluimus. *Prandium*, ab apparatu edendi dictum: propriè autem veteres prandium vocabant omnium militum cibum ante pugnam: vnde est illud Ducis alloquium, Prandeamus tanquam ad inferos cœnaturi. *Merenda*, est cibus qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda & proxima cœnæ. Vnde & *antecœnia* à quibúsdam vocabantur. Item *merendare*, quasi meridie edere. *Annona*, tractum est à tempore, quo Romani veteres ad cibos aduocabãtur, sicut Martialis: Imperat excelsos frãgere nona toros. quod adúsque hodie Persæ faciunt. *Cœna*, vocatur à communione vescentium. κοινὸν quippe Græci commune dicunt. Vnde & *communicantes*, quòd communiter, id est, pariter conueniant. Apud veteres enim solitum erat in propatulo vesci, & communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret. Est autem *cœna* vespertinus cibus, quam vespertinam antiqui dicebant. In vsu enim non erant *prandia*. *Panis* dictus, quòd cum omni cibo apponatur: vel quod omne animal eum appetat. πᾶν enim Græcè omne dicitur. *Cibarius*, est, qui ad cibum seruis datur nec delicatus. *Fermentarius*, fermentis confectus. *Azymus*, non fermentatus. Nam ἄζυμος est sine fermento, sincerus. *Acrizymus*, leuiter fermentatus, quasi acroazymus. *Siligineus*, panis à frumenti genere nuncupatur. *Siligo* enim genus est tritici. *Rubidus*, recoctus & rubefactus. *Subcinericius*, cinere coctus & reuersatus. Ipse est & *focatius*. *Clibanitius*, in testa coctus. *Sfungia*, panis aqua diutissimè laxatus, similam modicam accipit, & fermentum modicum, & habet humectationis plusquam omnis panis. Vnde & *Spongia* nomen accepit. *Placenta* sunt quæ fiunt ex farre, quas alij *liba* dicunt, eo quòd libant & placeant. *Laganum*, est latus & tenuis panis qui primùm in aqua, postea in oleo frigitur. *Dulcia*, sunt genera pistorij operis, à sapore dicta. Melle enim asperso sumuntur. *Crustula*, diminutiuum est à crusta: panis oleo conspersus, in medio concauus & tortus. Hæc & *torta panis*. *Crusta*, est superficies panis. Ipsa & fragmenta, quia diuiditur vt fracta. *Simila*, subtilissima est farina. *Amolum*, flos farinæ tenuissimum præ leuitate de mola eiectum: vnde & appellatum, quasi amola. *Farina* & *furfures*, à farre dictæ, cuius sunt purgamenta. *Polles*, genus est farinæ candidissimæ. *Fermentum*, à feruore nuncupatum, quòd plus prima hora non potest contineri. Crescendo enim excedit. *Carnes* dictæ, quia caræ, siue à creando, vnde & à Græcis κρέας vocantur. *Crudum*, quòd sit cruentum: est enim cum sanguine coctum. *Coctum*, quasi coactum dicitur, id est ab igne & aqua violento modo actúque comestioni aptum. Sed & multi temporis aliquid coctum vocatur. *Assum*, quòd ardeat, quasi arsum. *Elixum*, eo quòd in aqua sola decoquitur. *Lixa* enim aqua dicitur, ab eo quòd sit soluta: vnde & solutio libidinis *luxus*, & *membra* loco mota luxata dicuntur. *Frixum*, à sono dictum: quãdo in oleo ardet. *Salsum*, quasi sale aspersum, demptis è medio syllabis tribus. *Rancidum*, ex vitio nuncupatum, quòd rancos efficiat. *Succidia*, carnes in vsum repositæ, à succidendo dictæ. *Lardum* dicitur, eo quod in domo repositum conseruatur. Nam antiqui domos *lares* dicebant, *Taxea*, lardum est Gallicè dictum. Vnde dicit Afranius: In rosa gallum saginatum pingui pastum taxea. *Axungia*, ab vnctione vocata. *Sebum*, à sue dictum, quasi suebum, quòd plus pinguedinis hoc animal habeat. *Offa*, est propriè frustum dentium, cuius diminutiuum *offellam* facit. Vnde & *offarij* coci, quia particulatim, id est, *offatim* excoquunt. Nunc *offa* est latrantium, quia si in os canis iacitur, satiatus ilicò compescitur & silescit. *Frustum* vocatum, quòd capiatur à frumine. Est enim *frumen* summa pars gulæ. *Pulpa* dicta, quia cum pulte olim commixta vescebatur. Vnde & *pulmentum* & *pulmentarium* dicitur. *Pulpa* autem est caro sine pinguedine: dicta quia palpitet: resilit enim sæpe. Hanc plerique *viscum* vocant, eo quòd glutinosa sit. *Lucaniæ* dictæ, quòd prius in Lucania factæ sunt. *Farcimen*, caro concisa & minuta, dictũ quòd eo institutum farciatur, hoc est impleatur, cum aliarum rerum commixtione. *Minutal* vocatum, quòd fiat de piscibus & isiciis oleribúsque minutatim concisis. *Afratum*, quòd Latinè *spumeum* vocatur. ἀφρὸς enim Græcè spuma dicitur. *Martisia*, in mortario ex pisce fiunt, vnde & nominata *Isocen*, piscem quendam vocant, ex quo primum *isicia* facta sunt: & quamuis ex alio genere piscium fiant, initium tamen piscis vocabulum dedit. *Galatica*, à colore lacteo nominatæ. Græci enim γάλα lac dicunt. *Sphæra* à rotunditate Græco vocabulo appellatur. Quicquid enim in rotundum formatur σφαῖρα à Græcis dicitur. *Ius*, coquinæ magistri à iure nuncupauerunt, quia ea lex condimenti eius. Hanc

Græci *zemam* vocant. *Caseus* vocatur, quòd careat sero, quasi careum. Nam serum ei omne deducitur, vt ponderibus arguatur. *Colustrum* lac nouũ, quod neutri generis est. *Lac*, à Græco sermone deriuatum est pro candore. Græci enim album λευκὸν dicunt: lac verò & sanguis quod nutrit & quod nutritur. Nam lacte nutrimur: viuimus sanguine. *Quactum*, quasi coactum & quasi coagulatum. Accepta enim secum alia specie coagulat. *Mel*, Græcæ appellationis est, quod ab apibus nomen habere probatur. Nam *apis* Græcè μέλιττα dicitur. Antea autem mella de rore erant, inueniebantúrque in arundinum foliis: vnde Virgilius: Hactenus aerij mellis cœlestia dona. Siquidem hucusque in India & Arabia colligatum reperitur: ramis inhærens in similitudinem salis. Omne autem mel dulce dicitur. *Sardum*, amarum est absinthij causa: cuius copia, eius regionis apes nutriuntur. *Fauus* vocatur, quia comeditur magis quàm bibitur: φάγειν enim Græci comedere appellant. Aiũt enim medici, & qui de humanorum corporum scripsere naturis, præcipuéque Galenus puerorum & iuuenum ac perfectæ ætatis virorum mulierúmque corpora calore feruere, & noxios esse iis ætatibus cibos qui calorem augeant, sanitatíque conducere frigida quæque in esum sumere: sicut contrario senibus qui pituita laborant & frigore, calidos cibos & vina vetera prodesse.

De potu.

Cap. III.

Potio à Græca deriuatione vocatur. Hanc enim illi πότον dicunt. *Aqua*, generaliter vocata, quòd superficies eius æqualis sit: hinc & æquora. Hanc quidam recentem vocant, quia reiicitur noua à fonte vel à flumine. Nam verus putrescit, quia non est vtilis vetusta, vt vinum, sed statim sublata de flumine, fonte, vel puteo, fœtescit enim vetusta. *Vinum* inde dictum, quòd eius potus sanguine venas citò repleat. Hoc alij quòd nos cura soluat. *Lyæum* appellant. Veteres vinum *venenum* vocabãt. Sed postquam inuentum est virus lætiferi succi, hoc vinum vocatum est, illud venenum. Vnde & Hieronymus in lib. quem de Virginitate conseruanda scripsit, Adolescentulas, dixit, ita vinum debere fugere, vt venenum, ne pro ætatis calore feruenti bibant & pereant. Inde est quod apud veteres Romanos fœminæ non vtebantur vino, nisi sacrorũ causa, certis diebus. *Merum*, dicimus cùm vinum purum significamus. Nam *merum* dicimus quicquid purum atque sincerum est, sicut & *aquam merã*, nulli vtique rei mixtam. Hinc & *merenda*, quòd antiquitus id temporis pueris operariis, quibus panis merus dabatur, aut quòd meridient eodem tempore, id est soli ac separatim non vtique in prandio aut in cœna ad vnam mẽsam. Inde credimus etiam, illud tempus quod post medium diem est *meridiem* appellari, quòd purum sit. *Mustum*, est vinum è lacu statim sublatum. Dictũ autem creditur mustum, quòd in se limum & terram habeat mixtam. Nam *mus* terra est, vnde & humus. Cuius tanta vis feruoris est vt vasa quamuis grandia ex eo plena absque spiramine relicta illicò disrumpat. *Roseum vinum*, id est cum rubore. Rosa enim rubet. *Amineum* verò, quasi sine minio, id est sine rubore: nam album est. *Succinatium* succinæ gemmæ simile est, id est fului coloris. *Limpidum* vinum, id est perspicuum ab aquæ specie dictum, quasi limphidum. *Limpha* enim aqua est. *Turbidum*, quasi terbidum, id est terra commixtum, quod est fece. *Falernum*, vinum vocatum à Falerna regione Campaniæ, vbi optima vina nascuntur. *Colatum*, vas proprium nuncupauit in quo deportatur. *Gazetum* verò à regione vnde defertur. Gaza enim oppidum est Palæstinæ. *Infertum*, vinum dicitur, quòd altario libatur atque offertur. *Spurcum*, quod offerri non licet, aut cui aqua admixta, quasi spurium, hoc est immundum. *Honorarium vinum*, quòd regibus & potentibus honoris gratia offertur. Cato de innocentia sua: Cùm essem in prouincia legatus, quamplures ad prætores & consules vinum honorarium dabant: nunquam accepi, nec priuatus quidem. *Crudum*, vinum est insuaue, quod serui potent. *Acetum*, vel quia acutum, vel quia aqua mixtum. Vinum enim aqua mixtum citò in hunc saporem redigitur. Vnde & *acidum* quasi aquidum, quia aqua lauantur vuæ in torculari post expressum vinum. Est vilis potus seruis aptus *Conditum* vocatum, quòd non sit simplex, sed commixtione pigmentorum compositum. *Lactatum*, est potio è lacte. *Mulsum*, ex melle mixtum. Est enim potio ex aqua & melle, quod Græci μελίκρατον vocant. *Oenomolum*, mustum melle admixtum vehementer agitatum atque commotum. *Hydromelum*, quòd fiat ex aqua & malis Matianis. *Saccatum*, liquor est aquę feci vini admixtus, sacco expressus. *Luria*, oximelum appellatum, quòd aceti & mellis permixta conficitur materia: vnde & dulcedinem retinet & acorem. *Rodomelum* dicitur, eo quòd in succo rosæ mel admisceatur. *Melicratum*, vinum melle mixtum. *Medus*, quasi melus, quia ex melle fit: sicut calamitas pro *cadamitas*. *Fecula*, vua pinguis, decocta vsque ad crassitudinem mellis, ac refrigerata vtilis stomacho. *Passum*, quicquid ex vua passa compressum effluxerit. Dicitur au-

tur autem passum à patiendo. Nam percutitur vua siccior, & decoquitur, & inde fit passum. *Defrutum* dictum est, quòd defrudetur, & quasi fraudem patiatur. *Carenum*, eo quòd feruendo parte careat. Tertia enim parte musti amissa, quod remanserit carenum est. Cui contraria. *Sapa* est, quæ feruendo ad tertiam redacta descendit. *Sicera* est omnis potio: quę extra vinum inebriare potest. Cuius licet nomen Hebræum sit: tamen Latinum sonat pro eo quòd ex succo frumenti vel pomorũ conficiatur, aut palmarum fructus in liquorem exprimantur, coctisque frugibus aqua pinguior, quasi succus colatur: & ipsa potio sicera nuncupatur. *Ceruisia* à Cerere, id est fruge vocata. Est enim potio ex seminibus frumenti vario modo confecta. *Celia* à calefaciendo appellata. Est enim potio ex succo tritici per artem confecta. Suscitatur enim igne illa vis germinis madefactæ frugis: ac deinde siccatur, & pòst in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis & calor ebrietatis adiicitur, quæ fit in iis partibus Hispaniæ, cuius ferax vini locus non est. *Fex* dicta, quòd sese vasis emergẽdo afficiat. *Garum* est liquor piscium salsus, qui olim conficiebatur ex pisce, quem Græci γάρον vocabant: & quamuis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum retinet, à quo initium sumpsit. *Liquamen* dictum, eo quòd soluti in salsamento pisciculi eundem humorem liquant. Cuius liquor appellatur *salsugo* vel *muria*. Propriè autem *muria* dicitur aqua sale commixta, effectáque gustu in modum maris. *Succi* dicti, quòd sacco exprimuntur, vt tissanæ. *Tissana*, *zema apozema* Græca vocabula sunt.

De vasis escarum. Cap. IV.

Vas dictum à vescendo, quòd in eo escæ ponatur. Cuius diminutiuum *vasculum* quasi vesculum. *Fictilia* dicta, quòd fiant & fingantur ex terra. Fingere enim est facere & formare & plasmare: vnde & *figuli* dicuntur. Et *vas fictile* dicitur, nõ fictum in illud quod mendacium est, sed quod formatur vt sit, & habeat aliquam formam: vnde & Apostolus ait: Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare me sic fecisti? *Fictilia vasa* in Samo insula prius inuenta traduntur, facta ex creta & indurata igne, vnde & Samia vasa. Postea inuentum est rubricam addere, & ex rubra creta fingere. Antiquiorem autẽ fuisse dicunt vsum fictilium vasorum, quàm fundendi æris aut argẽti. Apud veteres enim nec aurea nec argentea, sed fictilia vasa habebantur: sicut ad vina doliis excogitatis: ad aquas *amphoris*, *hydriis* ad balnea: ac reliquis quæ in vsibus hominum, aut rota fiunt, à manu aptantur. *Argilla* autem ex terra excocta testæ vocabulum suscepit, quia dum mollis esset, efficitur testa, nec cõmunicat cum vocabulo pristini generis, quia quod fuit non est. *Aretina vasa* ex Aretio municipio Italiæ dicuntur vbi fiunt: sunt enim rubra. De quibus Sedulius: Rubra quod appositum testa ministrat olus. *Samia vasa* quidam putant ab oppido Samo Græciæ habere nomen. Alij dicũt cretam esse Italiæ, quæ non longè à Roma nascitur, quæ Samia appellatur. *Cælata vasa* argentea vel aurea, sunt, quæ signis eminentioribus intus extráve expressa: à cælo vocata, quod est genus ferramenti, quod vulgò cilionẽ vocant. *Crisendita vasa* deaurata. Græcum est. *Anaglifa*, quòd superius sint sculpta. Græci enim ἀνὰ sursum, γλυφὴν sculpturam dicunt, id est sursum sculpta. *Discus* antea discus vocabatur à specie scuti: vnde & scutella per diminutionem. Est enim eiusdem similis. Postea discus vocatus est, quòd det escas, id est apponat. A quo & discumbentes dicti: siue ἀπὸ τῆ κεῖσθαι, id est quòd iaceant. *Messorium* vocatum à mensa per deriuationem, quasi mensorium. *Parapsis* quadrangulum & quadrilaterum vas, id est paribus absidis. *Patina* quòd dispansis patẽtibúsque oris sit. *Lancis grauata*, quasi cauata, g pro c litera posita. Hinc & concha, sed illa cauata, ista cõcaua, sic & Græci hæc nuncupant. *Apophereta* à Græcis à ferendo poma vel aliquid nominata, est enim plana. *Salinum* vas aptum salibus. Idẽ & *salzica*, quasi salzica. *Acetabulum* quasi *acetaferum*, quòd acetum ferat. *Coclear* ab vsu priùs dictum. Hinc est illud veterum distichon,

Sum cocleis habilis, & nec minus vtilis ouis,
Nunquid scis potiùs cur coclearе vocor?

Trisiles Græcè, Latinè tripedes. Qui autem quatuor pedibus insistunt abusiuè dicuntur. In vasculis autem tria quæruntur quę placeant, manus artificis, pondus argenti, splendor metalli.

De vasis potatoriis. Cap. V.

Poculum à potando nominatum. Est enim omne vas in quo bibendi est consuetudo. *Phyalæ* dictæ, quòd ex vitro fiant. Vitrum enim Græcè ὕαλος dicitur. *Pateræ* phialæ sunt dictæ, vel quòd in ipsis potare solemus, vel quòd patentes sunt dispansísque labris. *Cratera* calix est duas habens ansas, & est nomen Græcum, declinatur autem apud eos, hic crater. Nam Latinè hæc cratera dicitur. Vnde Persius, Si tibi crateras argenti. Virgilius. Crateras magnos statuunt & vina coronant. Fiebant autem primùm à connexionibus virguiarum, vnde & dictæ *cratera* ἀπὸ τῆ κρατεῖν, id est quòd inuicem se teneant. *Cyathi* quoque & *scyphi*, *cymbia*, & ipsa pocula

lorũ sunt genera. Ex quibus *cymbia* sunt pocula ex similitudine cymbæ nauis. *Emistis* species poculi, quã ductim, id est vno spiritu bibitur. *Bacchia* primùm à Baccho, quod est vinum nominata: postea in vsus aquarũ transiit. *Calices & calathi & scala* poculorum genera, antea ex ligno facta, inde & vocata. Græci enim omne lignum κάλον dicebant. *Ampulla*, quasi ampla bulla: similis est enim rotunditate bullis quæ ex spumis aquarum fiunt, atque ita inflantur vento.

De vasis vinariis & aquariis. Cap. VI.

OEnofrum vas ferens vinum: οἶνος enim vinum est, de quo illud est: Vertitur œnofori fundus sententia nobis. *Flasca* à Græco vocabulo dictæ. Hæ pro vehendis ac recondendis phialis primùm factæ sunt: inde & nuncupatæ sunt. Postea in vsum vini transierunt manente Græco vocabulo, vnde & sumpserunt initium. *Lagena & situla* Græca nomina sunt: inflexa ex parte vt fierent Latina. Illi enim λάγηνος: nos lagenam: illi sicile, nos situlam dicimus. *Cantarus*. *Hydria* vasis genus aquatilis per deriuationẽ vocata: ὕδωρ enim Græci aquam dicunt. *Situta* quòd sitiẽtibus apta sit ad bibendum, quod vas Græci κάδδον vocant. *Catinum* vas fictile, quod melius neutro genere dicitur quàm masculino, sicut & *salinum* dicitur vas aptum salibus. *Orca* est amphoræ species, cuius minore vocabulo *vrceus* diminutiuo vrceolus est. *Sciphus* in quo manus lauamus. *Seriola* est orcarum ordo directus vel vas fictile vini: apud Syriam primùm excogitatum: sicut Cilicienses à Cilicia nuncupatæ, vnde primùm aduectæ sunt. *Dolium, cupos & cupas*, à capiendo, id est, accipiendo aquas vel vinum vocatas volunt: vnde & *caupones Vtres* ab vtero. *Mulgariũ vas*, in quod mulgẽtur pecora. Idem & *mulctrum*, quod in eo mulgeatur lac. *Labrum* vocatum, eo quòd in eo lauationem solitum est fieri infantum, cuius diminutum *labellum*. Idem & *alueum*, quòd in ablutionem fieri solitum sit. *Pelues* vocatæ, quòd pedes ibi lauentur. *Siphon* vas appellatum, quòd aquis sufflando fundat: vtuntur enim hoc orientales. Nam vbi senserint domum ardere, currunt cum *siphonis plenis aquis* & extinguunt incendia: sed & cùm aras expressis ad superiora aquis emundant.

De vasis oleariis. Cap. VII.

EMicadium vas olearium. *Scortia* vas olearium, eo quòd fit ex corio dictum. *Alabastrum* vas vnguentarium à lapide sui generis [illegible] nitratum, quem *alabastritem* vocant, qui incorrupta vnguenta conseruat. *Pyxides* vascula vnguentaria ex buxo facta. Nam quod nos buxum, Græci πύξον vocant. *Lenticula* medicum vas æneum vel argenteũ quadrangulum in latere apertum, quod & lichitum. Est enim vas olei, quo reges & sacerdotes vngebantur, à liniendo dictum.

De vasis coquinariis. Cap. VIII.

OMnia vasa coquendi causa parata *cocula* dicuntur. Plautus: Ex æneis coculis mihi excocta est omnis misericordia. *Olla* dicta, pro eo quòd ebulliat in ea aqua igni subiecto, vt altius vapor emittatur. Vnde & *bulla* dicitur quæ in aqua venti intus spiritu sustẽtatur. *Patella* quasi patula. Est enim olla oris patentioribus. *Cacabus & cucuma* à sono feruoris cognominantur. Hæc in Græcis & Latinis communia nomina habent: sed vtrum Latini à Græcis, an Græci à Latinis hæc vocabula sumpserint, incertum est. *Lebetes* æneæ sunt Græco vocabulo vocatæ: sunt enim ollę minores in vsum coquendi paratæ. *Sartago* à strepitu soni vocata quando in ea ardet oleum. *Tripedes* appellatæ, quòd tribus pedibus constent: has Græci tripodas vocant. *Mola* à rotunditate sui vocata, vt mala pomorum: sic & Græci. *Cribrum* quòd ibi curras frumentum, quasi currifrum. *Rotabulum* dictum à proruendo stercora: siue ignem panis coquendi gratia.

De vasis repositoriis. Cap. IX.

GAzophylatium arca est vbi colliguntur in templa ea quæ ad indigentiam pauperum mittuntur. Compositum est autem nomen ex lingua Persica & Græca. *Gaza* enim lingua Persarum thesaurus, φυλακή Grece custodia interpretatur. *Arca* dicta, quod arceat visum atque prohibeat. Hinc & *archiuũ*: hinc & *arcanum*, id est secretum, vnde cæteri arcentur. *Cibutum* Græcum nomen est, quod nos arcam dicimus. *Loculus* ad aliquid ponendum in terra factus locus, seu ad vestes vel pecuniam custodiendam, vnde & per diminutionem dicitur. *Mozica*, quasi modica: vnde & modicum z pro d. sicut solent Itali dicere ozie pro hodie. *Scrinia* sunt vasa in quibus seruabantur libri vel thesauri. Vnde apud Romanos illi qui libros sacros seruant, scriniarij nuncupantur. *Saccus* à sago dictus, quòd eo consuto efficiatur quasi sagus. *Marsupium* sacculus nummorum, quem Græci μαρσύπιον appellant. Quædam enim Græca nomina in Latinum paulo inflectuntur propter Romanam eloquium.

Situr:

Sitarciæ nautarum sunt; ab eo quòd sutę sunt. *Inuolucrum* dictum, quòd aliquid in se teneat inuolutum. *Fiscus*, saccus est publicus. vnde & *fiscella* & *fiscinæ* dicuntur: hunc habēt exactores, & in eo mittunt debitum publicū quod redditur regibus. *Fiscus* autem primę positionis est: deriuatiuum *fiscina* est: diminutiuum *fiscella*. *Canistrum*, fissis cannis contexitur, vnde & nuncupatur: alij Græcum asserunt. *Cistella*, à costis ex canna vel ligno quibus contexitur nominata. *Cophinus*, est vas ex virgultis aptum mundare stercora & terram portare. De quo dicit Psalmista pro Israel: Manus eius in cophino seruierunt. Dictus autem cophinus quasi *coxus*, quasi cauus. *Corbes* dicti, quia curuatis virgis contexuntur. *Sportula*, diminutiuum à sporta: *sporta* autem dicta quia exportet aliquid, vel quia ex sparto fit. *Spartus* verò est frutex virgosus sine foliis: ab asperitate vocatus, similis carici herbæ, & funes de eo conficiuntur.

De vasis luminariorum. Cap. X.

A Colendo ignem & ligna, antiqui appellauerunt *focum*: φῶς enim Græcè, Latinè ignis est, vnde iuxta philosophos quosdā cuncta procreantur. Et reuera sine calore nihil nascitur, adeò vt de septentrione dicatur. Sterili nonquicquam frigore gigni. Varro autem *focos* ait dictos, quòd foueant ignes: nam ignis ipsa flamma est. quicquid autem ignem fouet focus vocatur: seu ara sit, siue quid aliud in quo ignis fouetur. *Lucerna*, à licinio dicta est, vnde & breuis est lux, vt Persius: Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ. Si enim à luce diceretur: non staret versus. *Licinius* autem quasi lucinius. Est enim candela lucernæ. *Candelabrum* à candelis dictū, quasi candelaferum, quòd candelam ferat. *Cereus*, per deriuationem nomē à cera habet ex qua formatur: de quo quidam. Hic tibi nocturnos præstabo cereus ignes. Subducta luce altera lux tibi sum. *Candela*, à candendo dicitur, eo quòd candendo deleatur. *Lacuniaria*, pendentia sunt lumina, quasi lucanaria, id est in aere lucentia. *Funalia*, sunt quæ intra ceram sunt: dicta à funibus, quos ante vsum papiri cera circundatos habuêre maiores, vnde & funera dicuntur. Funalia autem Græci *scolaces* dicunt, quòd sint scoliciæ, hoc est mortis. Hos Romani funes & funalia nominabant. *Funalia* candelabra apud veteres extantes stimulos habuerunt aduncos, quibus funiculi cera vel huiusmodi alimento luminis obliti figebantur. Idem itaque & stimuli præacuti funalia dicebantur. *Lampas* flamma est vertice lucens; dicta quòd labentis motū ostendere videatur. *Fax* dicta, quòd focos faciat, cuius diminutiuum facula. *Laterna* dicta, quòd lucem interius habeat clausam. Fit enim ex vitro, intus incluso lumine vt venti flatus adire non possit, & ad præbendum lumen facilè vbique circumferatur. *Lucubrum* vocatum, quòd luceat in vmbra. Est enim modicus ignis qui solet ex tenui stuppa cerâque formari. *Pira*, est quæ in modum aræ ex lignis cōstrui solet vt ardeat. πῦρ enim ignis est, sed pira est ipsa lignorum congeries, cùm nondum ardet: rogus est cùm ardere cœpit: bustum verò iam exustum vocant. *Farus*, est turris maxima, quam Greci & Latini in commune ex ipsius rei vsu pharum appellauerūt, eo quòd flammarum iudicio longè videatur à nauigantibus, sicut suprà diximus: qualem Ptolemæus iuxta Alexandriam construxisse octingentis talentis traditur. Vsus eius est nocturno nauium cursui ignes ostendere ad prænuncianda vada, portúsque introitus, ne decepti tenebris nauigantes in scopulos incidant: nam Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus habet. Hinc igitur in portubus machinas ad prælucendi ministerium fabricatas pharos dictas. Nam φῶς lux est: vnde & lucifer Græcè φωσφόρος appellatur.

De lecticis & stelis.

Cap. XI.

Lectica, à lectis herbis vocatæ. *Stratus*, à sternendo dictus, quasi storiatus. In iis solis antiqui ad dormiendum accubabant: nondum laneis stramentis repertis. *Storia*, quòd sit terra strata. *Cama*, est breuis & circa terram. Græci enim cami breue dicunt. *Cubile*, est cubandi locus. *Grabatum*, Græcum est. *Baionula*, est lectus qui in itinere baiulatur, à baiulando, id est deportando. *Puluinar*, lectus diuitum est, inde & puluillus. *Spinga*, sunt in quibus sunt spingatæ effigies, quos nos *griphos* dicimus. *Punicani lecti*, parui & humiles primùm à Carthagine aduecti, & inde nominati. *Lectica*, siue plutei lecti, de quibus Satilus Rufus de vita sua. Primùm, inquit, consuetudine imperatorum ipse pro lectis lecticis vtebatur. *Sponda* autem exterior pars lecti, pluteus interior. *Geniales lecti*, propriè sunt qui sternuntur puellis nubentibus dicti à generandis liberis. *Cunabula*, sunt lectuli in quibus infantes iacere solebant, dicta quòd partui adhibebantur quasi cynabula, nam κύειν est Græcè eniti. *Feretrum*, dicitur quòd in eo mortui deferantur & est Græcum nomen. Nam φέρετρον dicitur ἀπὸ τοῦ φέρειν. id est à ferendo. nam Latinè *capulus* dicitur, quòd super capita hominum feratur: sic Plautus, *Capularis senex*, id est vicinus capulo. *Scanna* sunt quæ altioribus lectis apponuntur dicta à scandendo. ¶ Hinc

& *scabelli* qui lectis partiusvel sellis ad ascensum apponuntur. *Scabellum* autem & suppedaneum dicitur. Nam quod Græci dicunt ὑποπόδιον: dixerunt Latini scabellum, & alij dixerunt suppedaneum, quòd sub pedibus sit. *Scansilia*, gradus sunt vbi honorati in sedibus, hærent. *Sedes* dictæ quòd apud veteres Romanos non erat vsus accumbendi. vnde & consedere dicebantur. Postea vt Varro ait de vita populi Romani, Viri discumbere cœperunt, mulieres sedere, quia turpis visus est in muliere accubitus. Sedes singulari numero propriè regni est, quòd Græci θρόνος dicitur. Item *thronum* Græci dicunt, nos solium. *Subsellia*, in quo rex sedet propter tutelam corporis sui, secundum quosdam à soliditate dictum, quasi solidum: secundum alios per antisticon, quasi soldum, à sedendo. Vnde & sella quasi sedda dicta est, & subsellia quasi subseddia. *Sellæ curules*, erant in quibus magistratus sedentes iura reddebant. Dictæ autem curules, quia apud veteres prætores & consules propter itineris longinquitatem curru prouehebantur, sellæ autem quæ post eos vehebantur, quibus sedentes dicere iura solebant, à curru curules sellæ sunt nominatæ. *Tripodes*, scabelli sunt habentes tres pedes, sed & candelabra tripoda sunt, quia similiter habēt tres pedes.

De vehiculis. Cap. XII.

CArrum, à cardine rotatum dictum: vnde & currus dicti quòd rotas habere videntur. *Rota* autem dicta quòd ruat, & rotundū à rota vocatum. *Reda*, genus vehiculi quatuor rotarum. Has antiqui retas dicebant propter quòd haberent rotas. *Carpentum pompaticum*, vehiculi genus est quasi carrum pompaticū. *Plaustrum*, vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferuntur. Et dictū plaustrū quia voluitur quasi dicat pilaustrū. *Carracutium*, vehiculū altissimarum rotarum, quasi carrum acutum. *Capsus*, carruca vndique contexta, quasi capsa. *Pilentum* vel *petoritum*, contextū iiij. rotarum vehiculum, quibus matronæ olim vtebantur. Virgilius, Pilētis matres mollibus. Horatius, Plures calones atque caballi Pascendi, ducenda petorita. Erat enim antea pilenta veneti coloris, non vt tunc sunt russati, quibus nisi castæ matronæ vti non poterant: sicut nec vitus. *Basterna*, vehiculum itineris, quasi viæ sterna, mollibus stramentis est posita, à duobus animalibus deportatur.

De reliquis quæ in vsu habentur. Cap. XIII.

BAculus, à Baccho repertore vitis fertur inuentus quo homines moti vino innniterentur. Sunt autem à Baccho baculus, ita à baculo *bacillus* per diminutionem. *Fustes* dicti, quòd præfixi in terram stent, quos rustici palos vocant quibus iuuenes pro criminibus feriuntur. *Vectes*, dicti quòd manibus vectentur, vnde hostia saxáque euelluntur. *Forfices*, secundum etymologiam: si à filo dicuntur, ponitur vt forfices quæ sunt sartorum: si à pilo per p, vt *forpiceps*, quæ sunt tonsorum: si ab accipiendo per c, vt forcipes, eo quòd formum capiant, quæ sunt fabrorum. *Formum* enim dixerunt antiqui calidum: vnde & *formosus*. *Nouacula* ferrum subtile: satísque acutum. Dicta autem nouacula eo quòd innouat faciem. *In quodam vetere codice ita legitur*, Nouacula est in quadam subtilitate tenuium latius ferrum, radendis pilis acutissimum præparatum, quòd licet barbæ segetē metat impressum corpori, tamen substantiam relinquit illæsam. *Pecten*, dictus eo quòd pexos capillos faciat atque compositos. *Calamistrum* est acus quæ calefacta & adhibita calefacit & intorquet capillos. Vnde & *calamistrati* appellantur qui comam torquent. *Clauis*, dicta quòd claudat & aperiat. *Catena*, quòd capiēdo teneat. *Horologium*, quòd ibi horas legamus, id est colligamus. Est enim in solariis positum vbi à clauo per lineam currit vmbra, vt quancunque diei horam ostendat.

De instrumentis rusticis. Cap. XIV.

VOmer, est dictus quòd vi humum eruat, seu ab euomendo terram: De quo Lucretius, Vncus aratri Ferreus, occultò decrescit vomer in aruis. Sunítque per detrimenta nitorem. *Aratrum*, ab arando terram vocatum dicimus quasi araterrium. *Buris*, est curuamentum aratri, dictum quasi bosoira, quòd sit in similitudine caudæ bouis. *Dentale*, est aratri pars prima in qua vomer inducitur quasi dens. *Cultelli*, à cultura dicti, eo quòd ex ipsis putatione veteres in arbore vtebantur & vite, priusquam falces essent repertæ. *Falx*, est qua arbores putantur & vites. Dictæ autem sunt falces, quod his primùm milites herbam filicem solebant abscindere. vnde est illud, Pax me certa ducis placidos curuauit in vsus. Agricolæ nunc sum, militis antè fui. *Falcastrum*, à similitudine falcis vocatū. Est autem ferramentum curuum cum manubrio longo, ad densitatem veprū succidendam. Hi & *runcones* dicti quibus vepres secātur, à runcādo dicti. *Serrula* est prætenuis lamina ferri, dentium mordacitate resecans arbores seu ramos. *Rastra* quoque aut à radendo terram aut à raritate dentiū dicta. *Ligones*, quòd terram leuent quasi leuones. *Scudicia*, dicta eo quòd circa caudicem ter-

ram

ram aperiat, & quamuis eius vsus in reliquis operiatur, nomen tamen ex caudice retinet. Hanc alij generaliter *fossorium* vocant, quòd foueam faciat quasi fouessoriam. *Sarculum* ferrum fossorium est habens duos dentes à sarriendo, id est fodiendo dictum. *Pastinatum* vocant agricolę ferramentum bifurcum quo semina purgantur. Vnde etiam *repastinari* dictæ sunt vineæ veteres, quæ refodiuntur. *Cilindrus* lapis est teres in modum columnæ qui a volubilitate nomen accepit. de quo Virgilius, Area cum primis ingenti æquanda cilindro, Et vertenda manu. *Tribula* genus vehiculi vnde teruntur frumenta, & ob hoc ita vocatur. *Pala* quæ *ventilabrum* vulgò dicitur à ventilandis paleis nominata. *Furcillæ* dictæ, eo quòd iis frumenta cillentur, id est mouentur. Vnde & *oscilla* dicta ab eo quòd cilleantur, hoc est moueantur ora. Nam *cillere* est mouere. *Tesseræ* sunt, quibus frumentorum numerus designatur. *Trapedum* mola olinaria. *Prælum* trabes quo vua calcata premitur, à premendo vocatum quasi *pressorium*. *Lacus* prælum quo premitur oleum quo liquatus profluat, & quo ab vuis vel oliuis torquendo oleum vinúmque exigitur. *Verennes* à vehere, id est exportare nominatæ. *Qualus* corbes coláque prælorum per quæ mustum fluit, à colando dictus. *Fisclum* quasi fisculum, à colando oleum dictum, vel quasi fiscella olei.

De instrumentis hortorum. CAP. XV.

ROta dicta quòd quasi ruat. Est enim machina, de qua a flumine aqua extrahitur. Lucretius, In fluuio versare rotas atque austra videmus. *Austra* autem, id est rota, ab hauriendo aquas dicta. *Girgillus* quòd in girum vertatur. Est enim lignum in transuersa pertica, mobile, ex quo funis cum situla vel vtre in puteum demittitur hauriendæ aquæ causa. *Telonem* hortulani vocant lignum longum quo hauriunt aquas. Et dictus telon à longitudine, τηλὸ enim Grecè dicitur quicquid longum est. Vnde & *mustela* vocata, quasi mus longus. Hoc instrumentum Hispani *ciconiam* vocant, quòd imitetur eiusdem nominis auem, leuantem ac deponentem rostrum dum clangit. *Amalupus* qui & *canicula*, *ferreus harpax*, quia siquid in puteum decidit, rapit & extrahit. vnde & nomen accipit. *Harpax* enim dictus quia arripit. ἁρπάζειν enim Græcè rapere est.

De instrumentis equorum.
CAP. XVI.

PHaleræ ornamenta equorum sunt, & est sermo Græcus. *Frena* dicta quòd equos fremere cogant, vel hoc equi frendant, id est imprimant dentibus & obmordeant. Vnde & *nefrendes* dicti, adhuc lactentes porculi, quòd nondum aliquid frendant, id est comminuāt dentibus. Hinc & *faba fresa* quæ molita est. *Lupati* sunt freni asperrimi. Dicti autem lupati à lupinis dentibus: qui inæquales sunt. vnde etiam eorum morsus vehementer obest. *Camus* genus asperi freni est, quo caballi superbi coerceri solent, dictus à curuitate. χαμὸν enim Græci curuum dicunt. *Habenæ* ab habendo dictæ, quòd iis equos habeamus, hoc est teneamus. vnde & *equi habiles* dicti. Hæc & retinacula à retinendo ora. *Capistrum* à capite iumentorum dictū. *Sella* à sedendo quasi sedda. *Antella* quasi ante sella, sicut & postellam quasi post sellam. *Cingula* hominum, generis neutri est. Nam animalium genere fœminino dicimus, has cingulas. *Sagma* quæ corruptè vulgò dicitur salma, à stratu sagorū vocatur. Vnde & caballus *sagmarius*, *mula sagmaria*. *Capulum* funis à capiendo quòd eo indomita iumenta comprehendantur. *Calcaria* dicta, quia in calce hominis ligantur, id est in pedis posteriore parte, ad stimulandos equos quibus aut pugnandum est aut currendum, propter pigritiam animalium aut timorem. Nam ex timore stimuli nuncupati licet sint & libidinis stimuli. *Strigiles* nuncupati à tergendo, quòd iis equi tergantur. *Character* est ferrum coloratum, quo notæ pecudibus inuruntur. χαρακτὴρ autem Græcè Latinè forma dicitur. *Cauterium* dictum quasi cauturium, quòd vrat & prouida sit in eum seuerāque cautio, vt dum videtur cuius sit auaritia refrenetur. Quod interdum pro signo, interdum pro cura adhibetur, vt vis morbi ignis ardore siccetur.

VETERVM GRAMMATICORVM DE PROPRIETATE ET DIFFERENTIIS LATINI SERMONIS LIBELLI.

Authorum hæc sunt nomina.

1 CORNELII FRONTONIS.
2 NONII MARCELLI.
3 AGRAETII.
4 ÆLII DONATI.
5 ARRVNTII CELSI.
6 FL. SOPITARII CHARISII.
7 Q. ASCONII POEDIANI.
8 MARII SERVII HONORATI.
9 SEX. POMPEII FESTI.
10 M. TERENTII VARRONIS.
11 Q. TERENTII SCAVRI.
12 AGELLII.

Notæ quibus significatur

† Deesse aliquid aut corruptum esse.
* Bis dictum, vel esse authoris alterius.
[] Glossæ.

Cornelij Frontonis.

VLTIO vindicat factū: *vindicta* vel *vindicatio* futura prohibet. Ideò Mars vltor, non vindex dicitur.

Præda victos spoliat: *Rapina* subitò venit. Itaque illa victoria gaudet, hæc petulantia.

Cur, simpliciter precontatur: *Quare*, causam rationémque desiderat.

Qui deliquit, non fecit, quod facere debuit: *Qui peccauit*, hoc fecit, sed parum rectè.

Remedium ne periclitemur datur: *Medicamentum* ad subita pericula aptatur. Atque ita *remedium* submouet imminentia, *medicamētum* sanat non sana.

Flumen idem fluit & manet: *Fluuius* temporibus siccatur.

Corinthium ciuem dicimus, *Corinthiacum* vas *Corinthiensem* fontem.

Picenum vas dicimus: *Picentem* verò hominem. Hilenius.]

Roseum per se *Rosaceum* mixtum.

Fusco album opponitur: *Nigro* candidum. Qui *pugnat*, resistit: qui *oppugnat*, obsessor est: qui *impugnat*, per omnia inimicus est. Itaque *pugnat* exercitus: *oppugnantur* vel castra vel vrbes: *impugnantur* inimici.

Album natura: *Candidum* cura fit.

Decus honoris: *Decor* formę: *Decorū* actiōis.

Pōpeij portic⁹, si possidet: *Pōpeia* si publicauit: *Pompeiana* si in alterius dominationē venit.

Satiatus ventris. *Saturatus animi.*

Obiurgat eum, cuius habet potestatē: *Monet* propter beneuolentiam: *Admonet*, vt cōfirmet memoriā: *Submonet*, vt possit ordinatè pronunciare. Igitur in *obiurgante* potestas in *monente* beneuolentia, in *admonente* memoria, in *submouente* officium.

Antiquū est, quod excessit patrū memoriā: *Vetus* annorum multorum sentit vtilitatem. Vinum hoc melius est, quò fit vetustius.

Sartrix, quæ sarcit: *Sarcinatrix*, quę sarcinas seruat.

Videmus natura. *Spectamus* voluntate, *Intuemur* cura, *Aspicimus* ex improuiso, *Animaduertimus* animo, *Cernimus* oculis.

Ostentum, quod præter consuetudinem offertur, vt puta si videatur terrā ardere, vel cœlū, vel mare: *Portentū*, quod portò & diutius manet, furtúmque postmodū aliquid significat: *Monstrū* est contra naturam, vt est Minotaurus: *prodigiū*, quod mores faciūt, per quòd detrimentum expectatur. Itaque qui *prodigia* faciunt, *prodigi* vocantur. In *ostento* raritas administrationem facit. In *monstro* rectus ordo naturę vertitur. In *portento* differtur euentus. In *prodigio* detrimentum significatur.

Tur-

Turbam angustus locus facit: *Frequentiam* multitudo.

Qui *putant*, omni genere errant: qui *suspicantur*, aliquo modo præuident.

Frater aut ex alia matre, aut ex alio patre potest esse.

Germanus ex iisdẽ parentib. sit necesse est.

Sermo omnium gentiũ est: *Loquela* cuiusque gentis dialectus propria.

Comes iter facit: *Assecla* sequitur potẽtiorem: *Sodalis* adolescentiæ nomen est: *Cliens* implorat opem & fidem. Ita *comes* tutus *assecla* officiosus, *sodalis* amicus, *cliens* submissus.

Causa docet factum: *Ratio* soluit obscura.

Nomen proprium indicat: *Vocabulum* diffundit significationem.

Horret corpus: *Trepidat* motus animi.

Quærimus disciplinam; *Inquirimus*, de quo dubitamus. *Desideramus*, vel quod diligimus, vel, quod amisimus.

Temerarius, qui sine respectu salutis obiicit se periculis: *Audax* sine ratione impetũ facit. Ergo *audax* nõ prouidet, *temerarius* nõ timet.

Longum prouerbium est, itaque verbum illi opponitur: *Longinquum* itineris est.

Felix ita natus est: *Fortunatus* cum opibus nomen accipit. Ita *felix* naturæ bono fruitur: *Fortunatus* commodo temporis.

Æstas est pars anni: *Æstus* calor temporis. *Æstus* à nimio calore nomen accepit: *Æstas* nomen non amittit, etiamsi temperata est.

Citius prouerbium qualitatis prælatiuæ, simile cognomini. Pro, maturius est, etiam significantiam habens. Vt, Iam fessi ante tempus citius, vt loquantur: non ostensio qualitatis nec certi temporis: At *celeritas* sui temporis est perfecta.

Simul locũ demõstrat: *Vnà* cõgregationẽ.

Cominus & *Eminus* de iaculis, quòd illud à manibus non recedit, hoc e manib. emittitur.

Parci semel: *Peperci* sępius.

Dicimus, quod volumus: *Loquimur* inuicẽ: *Narramus*, quod ignoratur.

Vultus propriè hominis: *Os* omnium: *Facies* plurium.

Memoriosus habet ad dicta factáque referẽda memoriam: *Memor*, beneficij memoriam vel iniurię refert. Ita *memoriosè* qui facit, ostẽdit in omni re naturæ bonũ. *Memoriter* gratũ vel fortẽ ex eo ostẽdit, quòd vel retribuit beneficium gratè, aut iniuriã vindicat fortiter.

Ordinatio simplex est: *Dispositio* vaga.

Consideratius prouerbium ex cognomine.

Considerantius ex participio.

Dedicatur deo: *Consecratur*, quasi sanctum constituitur, hoc est, *Dedicatur* deo quod illi debetur: *Consecratur*, quod prophanum sit.

Quatenus, qua fine: *Quatinus*, quoniam.

Voluntas facto gaudet: *Voluptas* fieri cupit.

Nouissimum ordinis: *Vltimum* orbis.

Furtim cùm incipit: *Furaciter* quasi artificiosè, à consuetudine inuolãdi: *Furtiuè* quod iam ablatum. Ergo *Furtim & furaciter* furax, *furtiuè* locus facit.

Imum summo respondet: *Infimum*, vt infrà humum.

Commodat mutuam pecuniam: *Accommodat*, aptat.

Fulget natura, vt ignis, sol: *Splendet* artificio vt aurum, argentum.

Meret precium: *Meretur* gratiam. Itaque illud vectigale, hoc honorarium est.

Pedale mensura est pedis: *Pedule* verò sub pedibus præstat vtilitatem.

Araneum, quod textum est: *Araneã*, quæ texit.

Opinio hominẽ suspectum facit: *Fama* vel commendat, vel destruit: *Opinio* ostendit: *Fama* indicat, *Rumor* tumultuatur.

Querimonia certæ rei est, *Querela* superuacua est. Itaque prior grauitatis est, posterior leuitatis.

Transfuga suos relinquit, & ad alios venit, *Perfuga* supplex est. Ergo *transfuga* vt adiuuetur, fit *perfuga*.

Hunc & istum in proximo notant, *Illum*, ostendit quidem longè stantem, sed in conspectu *Eum*, absentem refert.

Glorius, vnius est glorię. *Gloriator*, non habet causam gloriandi, sed tamen gloriatur, *Gloriosus* pluribus de causis cogitur.

Adrogat aliquid sibi, etiamsi non meruit.

Abrogat, qui alij aufert. vel qui legẽ tollit.

Continuè, assiduè, *Continuatè*, sine intermissione.

Externus est exteræ gentis, *Alienus*, nõ loco, sed re differt, *Extraneus*, qui extra eandem ianuam est, *Extrarius*, qui extra eandẽ areã.

Lucidum est, quod aperto cœlo lumen accipit, *Luminosum*, quod multis foraminibus illuminatur.

Expertus est aliquid, aut in bona parte, aut in mala. *Experrectus* de somno.

Delubrum, in quo homines pericula sua diluunt. ponunt enim vel pileum, vel scutum, vel alia suscepta votis, *Sacellum*, paruulum ædificium diis consecratum, *Templum*, in loco augurato, *Lucus*, locus fulmine ictus, & arborum spissitate tectus, *Fanum*, Fauno consecratum, vnde *Fauni* appellabantur prius, & illi, qui vagabãtur Fanatici. *Bidental*, locus fulmine tactus, & expiatus oue, *bidentes* enim oues appellantur.

Interficere & perimere prisca sunt, *Occidere*, ob cædem dictum est, *Iugulare*, ob iugulum, *Necare*, à nece, *Interficere* à facto, *Perimere* ab emtione, quasi iure tollere.

Virtus hominis summũ bonũ est, quę & in oratione & in cursu potest videri, *Fortitudo* vis corporis, ad sustinendos labores, *Vigor*,

animi habet elationem: *Velocitas*, corporalis celeritas, quasi velox & cita: *Vehementia* à vi: id est, impetu mentis.

Facultas locupletis: *Facilitas* artificis est. Itaque diues *facultatem* habet multam vel emendi, vel redimendi: Artifex opera perficiendi *facilitatem*.

Silet, cuius loquentis sermo comprimitur, ab ipsa significatione literæ S. *Tacet*, qui ne loqui quidem cœpit.

Ignoscit, qui dissimulat se nosse, quod comperit, & ita silentio peccata impunita dimittit: *Concedit*, qui omnia peccata condonat.

Habere potest etiam fur & nequam: *Possidet* nemo, nisi qui rei aut relictæ aut donatæ, aut emptæ dominus est. Ita in *habente* onus, *possidente* ius est.

Munus, quod amicus, vel cliẽs, vel libertus officij causa mittunt, vel munus gladiatoriũ: *Donũ*, quod diis datur: Inde, vbi *dona* ponuntur, *donariũ* appellatur. Possunt & illa nihilominus *dona* dici, quæ donãt pauperib. diuites vel potẽtes: illud quoq. *donũ* putãdũ est, quod militib. donatur in castris, vt corona vallaris.

Noxa pœna est: *Noxia* culpa.

Sciẽs, qui scit: *Scitus*, qui scitur, vel festiuus.

Animantia animus facit: *Animalia* animam habent.

Visum semel: *Visitatum* sæpius esse scito.

Abspulsus est ab aliquo pulsus, *Repulsus* retro pulsus.

Metus, motus est animi, *Timor*, quasi tumor, *Formido* fert interdum rationem, *Pauor* puerilis est.

Reperimus nostra, *Inuenimus* aliena.

Videte imperatiuum, *Videtote*, mandatiuũ.

Proprium cuiusque suum. *Priuatum*, non publicum.

Onus vehiculorũ & maius est, *Sarcina* hominum.

Sumimus, quæ posita sunt, *Accipimus*, quæ porriguntur.

Locuples à copia locorũ: *Diues*, quia diuidẽdi facultatẽ habet, *Opulẽtus* ab opibus, *Potẽs*, qui, quod vult, potest. *Fortunatus*, cui fortè aliquid cõtingit, *Beat⁹*, qui apud Græcos μακάριος est, *Pecuniosus*, qui habet pecuniã vel pecora.

Grande incremento, *Magnum* amplitudine, *Immane*, præcipuæ amplitudinis.

Poeticè est rei, vt historicè, *Poesis*, operũ cõtextus. *Poema*, certis pedib. & legitimis numeris inclusa materia, *Poeticũ* in poeta vtile est.

Homonymia, vna voce multa significat, *Synonymia* multis vocibus idem testatur.

Clupeum armorum, *Clypeum* imaginis.

Paruũ in tẽpore, *Breue* in spacio, *Exiguum* in corpore infantis, *Pusillum* in corpore pumilionis.

Inuolat, qui in die venit, *Surripit* clàm, id est, furtiuè.

Species diuisio est generis, *Specialitas* ficta est ab Antonio [Guiphone] Grammatico, *Specietas* qualitatis.

Prouerbiũ est euphonõ, *Aduerbium* vitiosũ & fictum, tamen in vsum nunc est receptum.

Cõpendium vtrũq. ad pondus pertinet, *Dispendium* detexitur in põderibus. *Damnum* dat omnibus, *Detrimentum*, vsu tritũ, *Iactura*, quòd iacitur ex onere nauis.

Æger animo, *Ægrotus* corpore.

Altitudo incremẽtũ est corporis, *Alimentum* incrementum infantis, *Alimonia* deriuatiuum ab alendo quasi particula animi.

Æqualis alterius staturæ par, *Æquabile*, quod æquari potest.

Inscius aliquid nescit, *Nescius* nil nouit, alter in parte errat, alter in toto.

Glacies est, quæ ex coitu aquæ constagnat, *Nix* ventorum ritu cadit.

Contrarium negotium, *Aduersarius* homo.

Gallus natione, *Gallicus* ex Gallia.

Acuere & *Exacuere*, præpositione distinguuntur.

Incertum, nec tempus, nec numerum recipit, *Dubium* à duobus incipit.

Ambulare incipiunt infantes, *Inambulant* homines.

Modulari est, carminis modos facere, *Moderari* est, modum imponere.

Barbara locutio propriè peregrina est, *Barbarism⁹* fit etiã in sermonis Latini locutione.

Cadit etiam in plano, *Decidit* ex alto.

Subsidium, quod subest deficientibus, *Præsidium* imponitur, *Auxilium* repentinum est. Ita *Subsidium* ad secundos casus præparatur, *Præsidium* ad custodiam collocatur, *Auxilium*, vt prosit, ex insperato venit.

Distrahere à trahẽdo, *Deducere* à ducendo, *Diuellere* à vellendo.

Corruptela ipsa res est, *Corruptio*, corrumpentis administratio.

Cœrulus naturæ color est, *Cœruleus* naturã fingit. Ita alterum est, alterum fit.

Qui *properat*, apparet non esse fessus, Qui *festinat*, videtur esse defatigatus.

Polimus rudia, *Nouamus* vetera.

Nobilem nobilitate rerum, *Generosus*, qui Græcè εὐγενὴς appellatur. Ita alter ex re, alter ex generatione est.

Natio solũ patriũ quærit, *Gẽs* seriẽ maiorũ.

Præparare prius, *Cõparare*, vndique parare.

Gutta manat, *Stilla* cadit.

Conuenit in vnum, *Coit* in multos.

Causa est, de qua agitur, *Patrocinium*, quod accommodatur, *Oratio*, quæ loquitur.

Superbia est, à superhabendo, *Arrogantia* etiam in pauperem cadit.

Scrutatur in te ille, qui intercipit aliqua secreta, *Quærere* duo significat, vel quod abest, vel quod ad patrimonium pertinet.

Innuit vel capite, vel supercilio, *Annuit* ad id, quod dictum vel factum est.

Gnatus

Gnatus filius, *Natus* pullus.

Qui *insimulat*, vel arguit, vel fingit, Qui *simulat*, probare vult, quod non est.

Bellum etiam sine prælio est, cùm indicitur, *Prælium* ipsa pugna.

Diligentia à deligendo singula, huic negligentia opponitur, nec recipit errorem, *Cura* animi est quæ anxium facit hominem, & tam honestæ quàm inhonestæ rei est.

Regium, quod regis, *Regale*, quod rege dignum est.

Erraticus & potest errare, & solet, *Errativus* animus est, qui solet errare, & desinit; *Erratio* enim animi est repentina commotio.

Error est rei vitium, vt amor, dolor, *Erratio* incertæ viæ.

Erratrix per se rapta est, vt venatrix, *Erratica* vt hedera, vitis.

Notat vel locum quis, vel personam, vel noxiam, *Annotat* qui notæ quid adiicit.

Salubre ad locum refertur, & ad cibum, *Salutare* consilium est. Ita *Salubre* non nocet, *Salutare* prodest consilio.

Committimus consilia. *Credimus* pecuniã. *Sub* nonnunquam pro clàm ponitur. Vt, *Subripuit*, clàm rapuit, aut ferè notat aliquid subditum, *In* aut intus significat, aut minus, aut valde & in compositione pro non ponitur, vt, indoctus.

Claritas tam luminis, quàm perspicuitatis, *Claritudo* generis. Prior itaque splendoris, posterior nobilitatis est.

Vicinia vicorum coniunctio, *Vicinitas* hominum conseruatio est.

Communitas est communicandi voluntas.

Communio, vndique munitio.

Fultio, dum fit, *Futura*, cùm facta est.

Ieiunium, dies est *Ieiunitas* cibi, abstinẽtia.

Elinguis, habet linguam, sed vsu eius caret, *Elinguatus* amisit.

Suspicax arguit, *Suspiciosus* recipit.

Restiarius qui facit. *Restio*, qui vendit.

Austerus Græca consuetudine, *Seuerus*, à Sæuo.

Eloquentia perfecta vis orationis: *Eloquiũ*, pars supposita commodè eloquendi.

Seruitus est sub domino, Serui patientia *Seruitium* facit.

Vituperatio vitium parit, *Culpatio* à culpa incipit.

Nominatio nominat, quem appellat. *Appellatio* appellantis vox est, in ministerio, & Appellat ad potentiorem propter iniuriam, vt cùm inuocat auxilium magistratus, vel cùm pecuniam reposcit.

Treis in accusatiuo casu, *Tres* in nominatiuo & vocatiuo.

Necessitudo vel sanguinis, vel meritorum, cum præceptoribus, cùm amicis. *Necessitas* immutabilis res est, vt mori necessitas est.

Serum ad negotium pertinet, *Serò* ad tempus.

Decus est instrumentum cuiusque, *Gloria* quasi honoris merces.

Honor dignitatis consummatio, vel priuatim, vel publicè, *Laus* secunda existimatio rectè factorum.

Familiare ad dominum non refertur, cùm amici familiares sint, *Familiarium*, quòd seruo competit, vt sagum, gladius.

Infector colorem mutat, *Offector* officio obest.

Certum recipit præpositionem, & fit incertum, certúmque vel pondus vel rei pretium, *Verum* opponitur falso.

Figura artis est opus, *Forma* naturæ bonum, vnde etiam *formosus* dicitur.

Ignominia imponitur ab eo qui potest animaduersione notare, *Infamia* ex multorum sermone nascitur.

Nullus est tam in re, quàm in persona. *Nemo* in persona dicitur, vt, nemo homo.

Iratus ex offensa est, *Iracundus* natura.

Periculum contra quamuis rem timetur, *Pernicies*, contra necem.

Omnes nullum excipit, vt omnes homines, ita & res, *Cuncti* in personarum numero nominantur, prisco dicti verbo, *Vniuersi*, in vnam sententiam conuersi, dicendi quid, siue faciendi.

Feroces animo, *Feri* leones, cæteríq. similes.

Aufert, qui dedit, *Adimit* imperio coactus, *Eripit*, qui plus valet. Itaque *auferre* possumus *adimere* iubemur, *eripere* valemus.

Studium animi est, *Disciplina* artis.

Inchoat, qui incertum facit, *Incipit*, cuius exitum sperat.

Bonus opponitur malo, qui alij vsu, *Commodus* alij necessariò vtique prodest.

Decens in gestu est, & motu corporis, *Formosus* ab excellenti specie dicitur.

Decor communis est omnium, & is facit decentiam speciei, *Species* propria est cuiusque. Itaque *Decor* in habitu est, *Species* in mẽbris.

Lis nascitur: Pertinacia efficit *controuersiã*: Et *litigant* homines: res in *controuersiam* deducitur. Ita *controuersia* partis est, *Lis summa*.

Rixa sine armis est, habet defensionem: *Pugna* legem habet vel naturalem, vel moralem: Palæstrans enim vel exhibet virtutem, vel armis per summa vitæ pericula dimicat.

Occultè latent, *Clàm* cælant. Alteri non prodere, alteri cælare habitui naturali inest.

Nauus à præcipuo nauis cursu dicitur, vel alterius causa natus, qui studet per officium suum, & recipit comparationem superlationémque quia cognomen est. Ita *nauus* operam nauat alteri: *Celer*, vt suam rem, ita alterius quoque celeriter perficit.

Agilem actio facit, *Strenuum* motus, *Fortem*

animus. *Robuſtum* corpus.

Contumeliam inferunt, *Iniuriam* patiuntur homines.

Spectacula loca ſunt, vnde ſpectamus. *Spectamenta*, quæ ſpectantur.

Paſcentia ſunt quæ ex ſe paſcuntur, vt prata, & paſcentia mancipia: quia paſcuntur, ideo etiam paſtores vocantur: *Pabulantia* verò, quæ iis vtuntur, vt iumenta.

Voluentia, quæ voluunt: *Volubilia*, quę voluuntur.

Animus qualitas viuentis: *Anima*, cauſa vitæ.

Materies animi eſt: *Materia* arboris. Et *materies* qualitas ingenij, *Materia* fabris apta.

Hebeſcit, quod natura obſtupeſcit: *Hebeteſcit*, quod amittit aciem.

Cedò ſibi poſcit, & eſt immobile: *Dat*, qui non finire facit datum.

Fidelis fit: *Fidus* naſcitur.

Laus facti inſtrumentum eſt: *Laudatio* verò eſt rerum geſtarum relatio.

Ferè futurum ſignificat: *Aliquando* & *Nonnunquam* quod intermittere non patitur.

Aptum loco venit & tempore, quod habet ſuam materiam. *Vtile* vſus fecit, vt prudentis literæ: *Idoneum*, vt amicum per conſilia dicimus, & vt ſeruum in vſu hominis.

Saxum naturale: *Lapis*, qui è ſaxo cæſus eſt.

Certatio eſt adminiſtrantium: *Certamen* operis.

Victima maior eſt: *Hoſtia* minor.

Nonij Marcelli.

CVpido & *Amor* idem ſignificare videntur, ſed eſt diuerſitas. *Cupido* enim incõſideratæ eſt neceſſitatis: *Amor* iudicij. Plaut. Curculione diſcreuit, & vim eiuſdem diuerſitatis expreſſit, dicens,

Quod Venus Cupidóque imperat, ſuadétque amor.

Cupidinem, cùm genere fœmineo dicimus, cupiditatem ſignificamus. Virg. lib. 6.

Quæ lucis miſeris tam dira cupido?

Cùm maſculino, deũ ipſum. Plaut. Mercat.

Cupido quantus es?

Amare vim habet maiorem: *diligere* autem eſt leuius amare. Cic. ad Brutum: *Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus ſum, diliges.*

Perire leuior res eſt, & habet inuentionis ſpem, & non omnium rerum finem. Plaut. Capt.

Qui per virtutem peritat, non pol interit.

Alere eſt victu temporali vitam ſuſtentare: *Educare* autem ad ſatietatem perpetuam educere. Accius Andromeda,

Alui, educaui, id facite gratum vt ſit ſeni.

Tollere eſt leuare & erigere: *Auferre* legatum transferre. Virg. lib. 8.

Tollite cuncta, inquit, cœptóſque auferte labores.

Horrendum eſt tetrum & euitabile. Virgil. lib. 3. Æneid.

Concilium horrendum.

Horridum plerunque extans, & prominens. Virg. lib. 4. Æneid.

Et glacie riget horrida barba.

Meretrix honeſtioris loci eſt, & quæſtuſi. Nam *meretrices* à merendo dictæ ſunt, quod copiam ſui tantummodo noctu facerent: *Proſtibula*, quòd ante ſtabulum ſtet, quęſtus diurni & nocturni cauſa. Plaut. in Ciſtel. manifeſtiſſimè diſcreuit.

Intro ad bonam meretricem, aſtat ea in via ſola.

Proſtibula ſanè eſt.

Genitrix ſemper, quæ genuerit, nũcupatur: *Mater* verò aliquando pro nutrice ponitur. Virg. lib. 8.

Geminos huic vbera circum

Ludere pendentes pueros, & lãbere matrẽ.

Plaut. in Menæch.

Ita forma ſimiles pueri, vt mater ſua

Non internoſſe poſſet, quę mammam dabat,

Neq; adeò mater ipſa, quę illos pepererat.

Pudet verecundiæ eſt: *Piget* pœnitentiæ. Plaut. in Pſeud.

Nimirum id quod pudet,

Facilius fertur, quàm illud quod piget.

Oſculum ab ore, *Suauium*, à ſuauitate dicitur. Varro de vita pop. Romani. *Ideóque hoc ab ore dicitur oſculum, non à ſuauitate, vnde & ſuauium, quod ſimile ſit ſuauitati.*

Sacrificare eſt, veniã petere: *Litare* eſt propitiare, & votum impetrare. Virg. lib. 4. Æn.

Tu modò poſce deos veniam, ſacríſque litatis, id eſt, impetratis.

Expleri eſt tantummodo plenum eſſe: *Satiari* ſuprà modum, & abundantiam. M. Tull. de republ. lib. 6. *Graues enim dominæ cogitationum libidines, infinita quadam cogunt atque imperant: quæ, quia expleri nec ſatiari vllo modo poſſunt, ad omne facinus impellunt eos qui illecebris ſuis incenduntur.*

Arcus omnis ſuſpenſus fornix appellatur: *Arquus* non niſi qui in cœlo apparet, quem Irin poetæ dixerunt. Vnde & *Arquati* dicuntur, quibus color & oculi virent, quaſi in arqui ſimilitudinem. Lucret. lib. 6.

Tum color in nigris extabat nubib. arqui.

Fors eſt caſus temporalis: *Fortuna* dea. Terent. in Phor.

O fortuna, ô fors fortuna: quantis commoditatibus.

Quàm ſubitò hero meo Antiphoni ope veſtra oneraſtis hunc diem?

Ferus est sæuus. *Ferox* est fortis. Virg. 2. Æn.

Ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit. Idem lib. 4.
Et frena ferox spumantia mandit.

Antiquum significat vetus. Virg. lib. 2 Geor.

Antiquásque domos auium.

Antiquior, melior. M. Tull. de repub. li. 1. *Sed quoniã plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens, quàm si quis (vt aiunt) curauerit, maior ei profectò, quàm parenti debetur gratia.*

Faustum quasi à fauendo dictum, ac per hoc prosperum & propitium. Vnde contrà *Infaustum*, minax & inprosperum, Terent.

O faustum & fœlicem hunc diem.

Cuius ad personam refertur hominis: *Cuiatis*, vnde significat. Accius Telepho,

Qui neque cuiatis esset vnquã potuimus.
Multa rogitantes scire.

Animus est, quo sapimus: *Anima*, qua viuimus. Accius Epigono,

Sapimus animo, fruimur anima: sine animo anima est debilis.

Vultus est voluntas, quæ pro motu animi in facie ostenditur: *Facies*, ipsa oris species. Sal. in Catil. *Prorsus in facie vultúque verecundia inerat.*

Sebum fit ex adipe ruminantium.

Mussare hominũ fit occultè & pressa voce loquentiũ, quod eclatũ velint. Virgil. lib. 10.

Se scire fatentur.
Quid fortunas ferat populi, sed dicere mussant.

Murmurare maioris soni est, proximi ad tumultum. Virg. Georg. lib 1.

Et resonantis longè
Littora misceri, & nemorum increbrescere murmur.

Priores comparatiui sunt gradus: *Primores* summæ quæq; res. Cicero Orat. *Qua iste rhethores ne primoribus quidem labris attigissent.*

Poesis est textus scriptorum: *Poema* inuentio parua, quæ paucis verbis expeditur. *Poesis* opus totum, totáque illa summa est vna θέσις, vt Annales Ennij: *Poema* est λέξις ἔνρυθμος, id est, verba plura modicè in quandam coniecta formam: Itaque etiam distichon epigrammation vocant poema:

Poesis est perpetuum argumẽtum ἔνρυθμον, vt Ilias Homeri, & Annales Ennij. *Poetice* est ars earum rerum.

Doctum & *Peritum* cùm simile videatur, à M. Tull. discretũ est, vt sit *Peritum* plus, quàm quod *Doctum*, de Off. lib. 3. *Itaque cùm sint docti à peritis desistunt facile sententia.*

Vrbs est ædificia. *Ciuitas* incolæ.

Cogitare est dubitare: *Deliberare*, confirmare. Turpilius Philopatro,

Certum ac deliberatum est, me illis obsequi.

Scius secum, *Conscius* cũ alio scius est: licet conscium indifferenter legerimus.

Auspicium, auium inspectio, & quæ ex volatu earum significetur & vocibus: *Augurium* autem rerum omnium coniecturas prudenter & diligenter amplectitur.

Monstra & *Ostenta* similiter intelliguntur, quòd imminentia monstrent & ostẽdant: *Omen* verò votum est mentis & vocis: Vnde sacrificantibus dicitur, *bona omina habere*, id est, vt circumstantes & mente recta velint, & bona oribus proferant: *Portentum* non solùm quòd portendat, sed etiam quòd iam apportet, & faciat ex his significationibus, quæ in auspiciis & auguriis, & extispiciis ostenduntur: *Prodigium* autem semper pessimum est, dictum quasi porrò adigendum. Virgil. Æn. libro 3.

Sola nouũ, dictúq; nefas Harpyria Celæno:
Prodigium canit, & tristes denunciat iras.

Iniuria à contumelia hoc distat: *Iniuria* enim leuior res est. Pacuuius Peribœa,

Patior facilè iniuriam, si est vacua à contumelia.

Fulmen telum ipsum, quod iacitur. Vt Virgil. Georg. lib. 1.

Ipse pater medio nimborum, in nocte corusca,
Fulmina molitur dextra.

Fulgur, ignis, qui coruscat: Vnde & *fulgetra* dicũtur, & *Fulgor*. *Fulguritum* dicitur fulgure tactum, vel exustum.

Iurgium leuior res est: siquidẽ inter beneuolos aut propinquos dissensio vel concertatio *iurgium* dicitur, Inter inimicos dissensio, *Lis* appellatur. M. Tull. de repub. lib. 4. *Admiror nec rerum solùm, sed verborum etiã elegãtiam. Si iurgant, inquit, beneuolorum concertatio non lis, inimicorum iurgium dicitur.*

Merx est species ipsa, *Mercatura* actus ipse vel lucrum de merce, *Mercatura* autem locus, in quo agitur mercatura.

Superstitionis & Religionis distantiam manifestissimè discernit M. Tull. de natura deorum libro 2. *Non enim philosophi solùm, verum etiã maiores nostri superstitionẽ à religione separarunt. Nã qui tota die precabantur & immolabant, vt sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomẽ patuit postea latius. Qui autẽ omnia quæ ad cultum deorum pertinerent diligenter retractarent, & tãquã relegerent, dicti sunt religiosi, à religendo.* Sed verè *superstitiosi* proprietatem ex hoc habent, quòd præ cultura deorum supersedeant cætera, id est, negligant. Itidem & *religiosi* quasi religiosi, omnium cæterorum sacrificiis seruiant.

Peius à malo, quod in vsu est, & creberrimè frequentatur; *Deterius* verò à bono, vt minoris sit meriti, quàm id quod placet. Vir-

gil. Georg. lib. 4.

Deterior qui visus eum ne prodigus obsit
Dede neci. Idem lib. 8. Æneid.
Deterior donec paulatim ac decolor ętas.

Hæc enim melioribus comparata sunt.

Circus est planicies rotunda, vt circuitus, *Globus* soliditas vndique versum rotunda, vt est sphæra & staminum glomer. M. Tull. de Natura deorum libro 2. *Cùmque duæ formæ præstantissimæ sint, ex solidis, globus (sic enim sphæram interpretari placet) ex planis autē, aut est circus aut orbis.*

Manubias à *Præda* hoc distare veteres existimarunt, vt sit *Præda*, corpora ipsarum rerũ, quæ capiuntur, *Manubiæ* verò pecuniæ ex præda vendita redactæ, & sic apud plurimos.

Peruicacia est interdum bonarum rerum perseuerantia, *Pertinacia* semper malarum. Acc. Myrmidonibus,

Tu pertinaciam esse Archiloche hanc prædicas,
Ego peruicaciam aio, & me vti volo.
Nam peruicacem dicis me esse, & vincere.
Perfacilè patior, pertinacem nil moror,
Hæc fortes sequitur. illam indocti possident.
Tu addis quod vitio est, demis, quod laudi datur.

Sensus sunt, qui sentiunt, *Sensa*, quę sentiũtur. Cic. de Orat. *Et quod exprimere dicendo sensa possumus, nã primùm manifestum est, & sapere nos cùm incitatio sit vel sensus.*

Iuuentus, iuuenes. *Iuuenta* ætas ipsa, *Iuuenilitas*, quod ὁμὴν vel πάθος vocant Græci. [*Iuuentas* dea. ἥβη Cic. in Bruto, *Ludus Iuuentas*. Et Liuius lib 5. *Iuuẽtas Terminúsque maximo gaudio patrum nostrorum moueri se non sunt passi.*

Morosi est contrariis peruersísque moribus. Afranius Vopisco,

Dum morigeram me, dum morosam præbeo.

Vegetum est incolume. *Vigens*, forte. Nam *Vegetum* corporis. *Vigens* etiam animi possumus dicere.

Profesti dies sunt, à festiuitate vacui. Afran. Priuigno,

Quæ festiuo nos facere solemus die,
Quotidiano opere, promisces omnia.
Et quæ profesto concelebras die focum.

Quærere & requirere hoc differunt, quoniã *Requirere* est diu quærere. Afra. Fratriis,

Proin tu, dum quæram, ne requiram te vide.

Specula despicientiam significat. Virgilius libro 10.

Leo, specula cùm vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum.

Speculum, quo imago redditur. Marc. Tull. in Clodium & Curionem, *Sed credo postquàm tibi speculum ablatum est, longè te à pulchris abesse sensisti.*

Profiteri voluntatis est, *Confiteri* necessitatis & coactus, quod ita positum sæpius legimus. Cic. pro Manilio, *Hic ego non solùm confiteor, verumetiã profiteor.* Honestius profiteri, quàm confiteri.

Vlcus tecta & clausa est malignitas. Virg. Georg. lib 3

Quàm si quis ferro potuit rescindere summum
Vlceris os, alitur vitium, viuítque tegendo.

Vulnus hians & patens. Idem lib. 9.

Produxi, pressiuè oculos, aut vulnera laui
Veste tegens.

Quartùm & Quartò prudentes differre dixerũt. Varro Disciplinarum 5. *Aliud est quartò prætorem fieri, aliud quartùm.* Et *Quartùm* locum significat, & tres antè factos, *Quartò* tempus signat, & ter ante factum.

Turpe & Fœdum quã habeant distantiam, manifestum est, nã *Turpe* leuior res est. Mar. Tullius de Offic. *Luxuria verò cùm omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est.*

Forma & Figura quæ sit differentia. Marc. Tullius manifestator est. Nam *formam* integritatem speciei esse voluit, *Figuram*, formam nostram. Marcus Tullius de officiis libro primo, *Principiò corporu nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationē. quæ formã nostrã reliquámque figurã, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu.*

Dignitatem & Venustatem discernere voluit. Marcus Tullius vt *Dignitas* viris: *Venusta*, fœminis sit attribuenda, de Offic. libro 1. *Venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem.*

Monstra & Ostenta sunt monita deorum. Virg. lib. 3.

primúmque parenti
Monstra deûm refero.

Prodigia, deorum minæ vel iræ.

Idem lib. 3.

Sola nouũ, dictúque nefas Harpyia Celęno
Prodigium canit.

Portenta Ostenta, quæ aliquid imminere significant. Lucil. lib. 25. *Nisi portenta anguésque volucres ac pinnatos, scribitis.*

Celare est tegere & abscõdere. Ter. in And.

Bene dissimulatum amorem & celatum indicans.

Calare, insculpere. Virg. Æneid. lib. 1.

cælatáque in auro
Fortia facta patrum.

Ignoscere & Concedere quemadmodum inter se distent, aperit M. Tull. ad Cęsarem Iuniorē lib. 1. *Quòd mihi & Philippo vacationem das, bis gaudio: nam & præteritis ignoscis, & concedis futura.*

Contemnere,

Contemnere & Despicere eo distant, quòd Despicere grauis, quàm Contemnere. M. Tull. de senectute. *Contemni se putant, despici, illudi.*

Cupiditas & Cupido diuersa sunt: nam Cupiditas leuior est. Lucil. lib. 23. *Cupiditas ex homine. Cupido ex stulto nūquam tollitur: quòd cupiditas pars quædam sit temperatior, defluens ex cupidine.*

Imitatio simplex est, & liuorem atque inuidiam non admittit. *Æmulatio* autem habet quidem imitandi studium, sed cum malitiæ operatione. M. Tul. in Cæsarianis, *Quasi quodam æmulo atque imitatore studium & laborum meorum & comite abstracto.*

Probatum & Spectatum, hoc vis maioris est, Lucil. lib. 26. *Tuam probatam mihi, & spectatam maximè adolescentiam.*

Bellum & prælium hoc differunt, quòd *prælia* partes sunt belli, hoc est, in bello congressiones. Lucil. lib. 26. *Vt populus Rom. victus vi, & superatus præliis sæpe est multis, bello verò nunquam in quo sunt omnia.*

Inter *Cauere & vitare*, Lucilius esse distātiam voluit lib. 26. & esse plus *Vitare*. *Quid tibi cauendum censes, quid vitandum maximè?*

Vetustiscere & Veterascere quid intersit, Nigidius (Figulus) cōmētator Grāmaticus *lib.* 10. deplanauit. *Dicemus quæ vetustate deteriora fiunt vetustiscere: inueterascere, quæ meliora.*

Nocens à *Nefario, & Impio* distare vti *Nocens* leuius vitari possit. M. Tul. de offic. lib. 2. voluit, *Nec tamen vt hoc fugiēdum est, ita habendum est religioni contrarium, nocentem, aliquando & nefarium impiúmque defendere.*

Innuere est facie significare. Ter. in Adelp.

Non innueram, verùm in istam partem potius peccare tamen.

Annuere, concedere. Virg. lib. 10.

Annuit his Iuno.

Flagrare est incendi & ardere, *Fragrare* vero olere & in plurimis inuenitur ista discretio.

Noxa est peccatum leue. Virgil. Æn. lib. 1.

Vnius ob noxam & furias.

Noxia, nocentia. Idem lib. 8.

iræque & crimina noxia cordi.

Plus à *Multo* vetustas voluit discrepare, & potest videri hanc habere posse distantiam vt sit *Multum* à plurimo minus, ac non supra modum. *Plus*, sicut in plerisque, quod maioris modi est quàm necessarium est, atque ideo M. Tul. discrēuit Epist. ad Catonem, *Nec iccirco mihi desiderandum esse dignitatem meam, quòd eam multi impugnarint, sed eò magis recolendam quòd plures desiderarint.*

Inter *Speratam, & dictam, & Pactam, & Sponsam* hoc interest, quòd virgo priusquàm peta ur, *Sperata* dicitur. Plaut. in Amph.

Amphitruo vxorem salutat lætus, speratam suam.

Dehinc *Promissa*, vel *Pacta*, vel *Sponsa* dici potest. Virgil. Æneid. lib. 2.

cui paruus Iulus.

Cui pater, & coniunx quondam tuæ dicta relinquor?

Et idem in alio loco,

Et gremiis abducere pactas.

Mutuum sine vsuris: *Fœnus* cum vsuris sumitur, & est accepti fœtus. Vnde & *Fœnus* dictum est, vt Græcè τόκος, quasi partus mutui sumti. Plaut. in Asin.

Si mutuò non potero, certum est sumam fœnore.

Vnde honestius *mutuum* est, quod sub amico affectu fiat meum tuum, vsu temporis necessarij.

Nutare capitis. *Annuere* vel *Innuere* nariū vel labiorum: *Nictare* oculorum significantiam esse decreuerunt veteres. Plaut. in Asin.

Nec vlla vlli homini nutet, nictet, annuat.

Simulare est fingere scire, quæ nescias: *Dissimulare*, fingere, nescire, quæ scias.

Castitas & pudicitia paria deputantur, cùm sit *Pudicitia* ab iniuria turpium libidinum libera: *Castitas* & ab his continens, & remota: præterea & religiosa mundicia & puritas. Virg. lib. 7.

Præterea castis adolet dum altaria tedis:

Atque ideo plus est *Castitas* à *pudicitia*, quòd par sit cum aliis cæteris *castitas*.

Alere & Pascere hoc distant auctoritate: vt sit *Alere* sufficiendi generis curam habere, *Pascere* natos cibo saginare γεροντοδιδάσκαλῳ. *Vbi prægraues pascuntur pauonum greges.*

Ora & Ora licet paria esse videantur, tamen, vt genere, ita intellectu distant. Nam quoties in his neutrum genus tangitur, vultus vel facies nostra significatur. Virg. lib. 12.

Ora citatorum dextra detorsit equorum.

Quoties fœmininum, cuiuslibet rei fines. Virg. Æn. lib. 1.

exire, locósque

Explorare nouos, quas vento accesserit oras.

Inter *Extinguere & opprimere* interesse Cicero voluit de Amicitia, vt sit maius *Opprimere*, quàm *Extinguere*. *Quamobrem* inquit, *premùm danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant: sin tale quid euenerit, vt extincta potiùs amicitia, quàm oppressa videantur.* Quasi quod *Extinguitur* possit renouari: quod *opprimitur*, non queat.

Morbum à *Vicio* prudentia veterum sic voluit separari, vt sit *Morbus* cū accessu vtique aut temporis, aut contagij: *Vicium* perpetua & insanabilis atque irreuocabilis causa.

Meminisse & memoriam redigere hoc differre Aristoteles putat, quòd διαφέρει μνημονεύειν τοῦ μεμνῆσθαι, & vult *Meminisse* omnium

esse animantium, vbi cibi, potionis, somni, voluptatis: *In memoriam reuocare* quod exciderit, non nisi homines posse.

Die quarta, & die quarto hoc differre prudentes volunt. (quarum tamen auctoritas in obscuro est) vt sit *Die quarto*, temporis præteriti. *Die quarta* futuri.

Mentiri & Mendacium dicere, quemadmodum distent, P. Nigidius studiis bonarum artium præclarissimus, manifestissimè separauit. Qui *mentitur*, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur. Qui *mendacium dicit*, ipse fallitur. Qui mentitur, fallit, quantum in se est. Vir bonus præstare debet, vt non *mentiatur*, prudens, ne *mendacium dicat*: alterum iudicat in homine, alterum non.

Festinare & Properare veteres voluerunt habere distantiam, Cato oratione quam de suis virtutibus scripsit. *Aliud est properare, aliud festinare.* Qui vnum quid maturè transigit, is *properat*, qui multa incipit, neque perficit, is *festinat*. Verùm vtrorúmque verborum ratio sub hac significantia proxima est veritati, vt sit sæpe animi *properare*, studiosè ad res aliquas contendentis *festinare*, corporis necessitatibus obsequendi.

Matrona & Matrisfamiliâs dissimilitudinem, hoc modo veteres quidem docti separant, vt sit *Matrona*, quæ peperit semel: *Materfamiliâs*, quæ sæpius: sed hæc definitio videtur absurda, Ad hæc fidelius locupletiores, *Matronam*, quæ in matrimonio sit mariti, etiam ante susceptos liberos dictam, meliore tamen matris futuræ spe, M. Tullius nomine nuncupatam. *Matrem verò familiâs*, quæ in familia mancipióque sit patrisfamiliæ, etsi in mariti matrimonio esset.

Auarum semper in reprehensione est, *Auidum* autem ab auendo, quòd est etiã honestè cupiendo, & ab electione intelligi potest, ac per hoc aliquando malis, aliquando bonis adiungitur causis. Virg. lib. 2. Georg.

Pascuntur oues, auidæque iuuencæ.

Audẽtia, fortitudinis sit, *Audacia* temeritatis. Sallust. *Audacia pro muro habetur.* Virg. lib. 6.

audentior ito,
In casus omnes. Ibidem.
Aude hospes contemnere opes.

quòd humanitatis sit potius, quã temeritatis.

Prospicere & Respicere, distant, vt aduorsum videre, *Prospicere* rectè dicatur, *Respicere*, quasi retrò aspicere. Varro Manio, *Sedens altus* [illegible] *sumptu, neque post respiciens, neque antè prospiciens.*

Furorẽ ab Insania distare Cic. Tusc. li. 3. ostẽdit. *itaq. non est scriptũ. si insan⁹, sed si furiosus esse incipit. Insaniã enim cẽsuerunt incõstantiã. Insanitatẽ sanitate vocãtem: posse tamen tueri mediocritatẽ officiorũ, & vitæ cõmunẽ cultũ atque vsitatum. Furorem autem esse rati sunt mẽtis ad omnia cæcitatem, quòd cùm mai⁹ esse videatur, quàm insania tamen eiusmodi est, vt furor in sapientẽ cadere poßit, insania nõ poßit.*

Confidentia Fidentia discretionem pandit M. Tusc. lib. 3. *Qui fortis est, idem fidens, quoniã cõfidens mala cõsuetudine loquentiũ in vitio ponitur. ductum verbum à confidendo, quod laudis est. Qui autem est confidens, is profectò nõ extimescit: discrepat enim à timendo fidens.*

Inuidia & inuidentia. Cic. Tusc. lib. 3. *Non dixi in inuidiam, quæ tum est, cùm inuidetur. Ab inuidendo autem inuidentia rectè dicti potest, vt effugiamus ambiguum nomen inuidiæ.*

Aegrotatio & Aegritudo, Cic. Tusc. li. 3. *Sed propriè vt Aegrotatio in corpore, sic Aegritudo in animo nomen habet.*

Iracundus & Iratus, Ebrius & Ebriosus, Amator, & Amans & alia quid inter se distent: Cic. discreuit Tusc. lib. 4. *Aliud iracundum esse, aliud iratum, vt differt anxietas ab angore, neque enim omnes anxij qui anguntur. Inter ebrietatem & ebriositatem interest, vt aliud est amatorem esse, aliud amantem.*

Lætari & Gaudere distant, vt Cic. Tusc. lib. 4. *Atque vt confidere decet, timere non decet: sic quidem gaudere decet, lætari non decet, quoniam docendi causa à gaudio lætitiam distinguimus.* Vt autem monuit idem Cic. *Gaudium in sapiente, in rebus bonis semper est, Lætitia etiam in malis & turpibus esse potest.*

Pernicitatem & Velocitatem. Cic. discreuit Tusc. lib. 5. *Præstant valetudine, viribus, forma, acerrimis integerrimísq. sensibus, adde etiam si lubet, pernicitatẽ*, Virg. Georg. lib. 3. hoc sensit.

Dura iacet pernix instrato saxa cubili.

Vt illud sit celeritatis, hoc patientissimæ fortitudinis

Metum, Timorẽ, Formidinẽ, Pauorem, Cicero discreuit Tuscul. lib. 5. *In quem autem metus in eũ formido, timiditas, pauor, ignauia incidit.*

Innocens est non nocens, & *Innocuum* illæsum. Virg. lib 2.

Et sedere carinæ. Omnes innocuæ.

Legere & Eligere, non sub eadem significatione intelligi vult Varro de re rustica, *Vua non solùm legitur ad bibẽdum, sed etiã eligitur ad edẽdum.* Vt sit *legitur*, colligitur, vt plerũque, *eligitur* verò melior quæq. de plurimis.

Miserari est flere & lamenta. i. *Misereri*, miserationum alienis casibus exhibere, & significatione actiua ad primum affectum, passiua ad secundum.

Acerosum & Aceratum vtrunque nouè positum, sed distanti proprietate signatum. *Acerosum* namque panem farre minus purgato, ac sordibus à candido separato dicendum veteres putauerunt. Lucil. lib. 25.

Quæ gallã bibere ac rugis cõducere ventris
Farre aceroso olei decumano pane coegit.

Hunc Græci *ὑπόπυρον vocant. Aceratum* verò est lu-

est lutum paleis mistum, vt laterariis vsus est. Lucil. lib. 10.

Nam laterem qui ducit, habet nil amplius vnquam,
Quàm commune lotum è paleis, cœnúmque acetosum.

Multum infinitum est, *Satis* finitum: Auaris illud, hoc parcis & se continentibus applicandum est, Lucil. lib. 18.

Deniq; vt stulto nil sit satis, omnia cũ sint.

Omne atque totum volunt quidam esse seiunctum, vt *Omni* plus esse *Totum* putent: cùm indifferentè inter auctores frequenter positum legerimus, vt vtrunque cum significantia vniuersitatis. Quid quòd *Totum*, quod plus putatur, non pro cuncto alicubi accipi potest. Virgil. Georgic. lib. 3.

-totas
Aduoluere focis vlmos, ignique dedere.

Vt sit totas, integras: non omnes, quę in mundo sunt vlmos.

Eniti, Inniti, Obniti, cùm ex vno sint intellectu, acceptis tamen præpositionibus fiunt diuersa. *Eniti* enim potest videri aut aliquam gratiam, aut honorem, aut vtilitatem ærumnoso tendere sine labore, quanquam in aliquibus grauius audiatur, vt sint *enixæ* pariendi labore defunctæ. *Inniti* autem, incumbere, manifestum est. Virg. lib. 6.

Ille vides pura iuuenis qui innititur hasta.

Obniti verò est, contra aduersarium obluctari. Virg. 4. Georg.

Vsqueadeò obnixi non cedere.

Illix & Illex hoc discernuntur, ab illiciendo *Illix*: *Illex* vero à quo lex non seruetur. Plaut. Pænulo,

Qui malæ rei antè fuimus Ilices.

Idem Persa,

Iniuriæ, illex, labes populi.

hoc est, viuens sine lege, sine iure.

Ergastulum & Ergastulus vt genere, ita & intellectibus differunt. Nam neutro carceris locus est masculino, custos loci pœnalis.

Fremere est magnum sonare. Virg. Georg. lib. 2.

Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino.

Frendere cum gemitu vel iracundia, miserum aut minax sonore. Virg. lib. 3. Æneid.

Luminis effossi fluidum lauit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu.

Fora & Fori, vt genere, ita & intellectibus discernũtur. Neutro loca sunt, quibus ius dici solet: masculino, spacia in nauibus. Vt idẽ lib. 6.

Inde alias animas, quæ per iuga longa sedebant
Deturbat, laxátque foros.

Vel locus apertus ac patens, vnde & gladiatores foros facere dicuntur, cùm longo spectantur circuitu.

Educere est extra trahere. *Educare*, enutrire, & prouehere. Varro Catone, vel de liberis educandis, *Educit enim obstetrix, educat nutrix, instituit pædagogus, docet magister.*

Aborsus ille dicendus est, qui & in primis mensibus, cùm conceptui exordium factum est. *Abortus* prope tempus pariendi: tunc enim moritur, quod nascitur. In plurimis hoc reconditum inuenimus.

Agrætij.

Fuerimus coniunctiuo modo, tempore præterito. *Fuerimus* eodem modo, tempore futuro.

Cùm diceres: verbo actiuo, cõiunctiuo modo. *Diceris*, verbo passiuo, indicatiuo modo.

Miramur opera, *Admiramur* virtutes.

Labium superius dicitur. *Labrum* inferius.

Rostrum non est, nisi quod incuruum est.

Exercitus laboribus. *Exercitatus* studiis.

Minores res esse aliquas, aut homines dicimus: nam *minoris* emptum aut æstimatum aliquid rectè dicimus, sicut est. *Pluris*, quod maioris summa taxatur.

Plures de multitudine scribimus, *Plures* comparatiui gradus. Cic. *Vnus plures prædonum duces cepit Seruilius, quàm cæteri.* Positiuum habet *Multi*, superlatiuum *Plurimi*.

Cepit, de capiendo. *Cœpit*, de incipiendo.

Vterque venit. *Vtrique* veniunt. Cic. *Iubeo promi vtrosque, binos vt habeam.*

Comparia vas. Delphica semper sunt: vnde ipse Cicero dicebat, *Scyphorum paria cõplura.*

Quæritur de inquirendo. *Queritur* de plorando dicimus: & sic *Quæstus* lucro, & *Questus* lacrymarum.

Poculum vas est. *Potio* quod hauritur. Cic. *Accepto poculo subito in media potione exclamauit.*

Dimidiatum calicem bibi, non *dimidium* dicere debemus: non enim ipse vas bibis, sed quod intra vas est.

Olim & Quondam, & aliquando tria tempora tenent, præteriti, præsentis, & futuri: affatim inueniũtur exempla. Præsentis demus, quod difficile videtur. Virg.

Tumidis quod fluctibus olim
Tunditur.

Idem,

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Cic. *Expergiscimini aliquãdo & capessite Rẽp.*

Conscribere est multa simul scribere. *Exscribere*, quod ab aliis scriptum sit, transferre. *Transcribere*, cùm ius nostrum in aliũ transit. *Inscribere* accusationis est, vel occasionis. *Adscribere* significationis est. *Describere* dictionis vel ordinationis.

Extruere, est in altum struere. *Instruere* aciẽ vel actionem. *Astruere*, affirmare. *Construere*,

struendo coniungere. *Substruere*, est aliqua substernere superposita re.

Memini me facere, dicere debemus, non, *Memini me fecisse:* nam *Memini* sermo est totus præteriti temporis, qui ante factam rem in præsens reuocat. & si dixeris, *Memini me fecisse*, duo præterita simul iungis. Cic *Memini Pamphilum Lilybetanum mihi narrare solitum.* Idem infra, *Respondi Metello vt debui, & memini me dicere.* Terent.

Ego illam vidi virginem, forma bona,
Memini videre. Virg.
memini fama est obscurior annis,
Auruncos ita ferre senes.

& multis præterea in locis. Neque inuenitur vbi ab aliis magnis auctoribus *Memini* ita positum sit, vt non addatur aut etiam, aut aliquantus sermo, qui præsens tempus restituat, nisi vno loco, & hoc quasi mirabile,

Namque sub Oebaliæ memini me turribus altis
Corycium vidisse senem.

quod poetæ pro necessitate metri licuit vsurpare.

Instar illius rei dicere debem⁹, nō ad instar.

Arbor omne lignum dicitur. *Arbos* non nisi fructifera.

Hora dierum. *Ora* pro finibus.

Pignera rerum. *Pignora* filiorum & affectionum.

Columbæ, quæ mansuetæ fieri possunt, & domibus assuescere. *Palumbes* feræ, arboribúsque & siluis, saxisque inhabitantes.

Veniūt, qui accedūt, *Væneūt*, qui vendūtur.

Consuescimus bona. *Insuescimus* mala. *Assuescimus* vtraque.

Contingunt bona. *Accidunt* mala. *Eueniunt* vtraque.

Fungi agere est. *Defungi* est deficere, vel peragere.

Adolescere augmenti est. *Inolescere* coagmenti. *Exolescere* vanescentis.

Auena steriles germen est. *Habenæ* dicuntur retinacula iumentorū, hoc de habēdi potestate, illud de occupandi auiditate dictum.

Deuncem, decem vncias. *Diuncem* vndecim.

Pulchritudo formæ in viris *Dignitas*, vnde Cic. pro Cælio, *Quis nō possit huic ætati, atque dignitati, etiamsi sine suspicione, at non sine argumento maledicere?* in fœminis autem *Honestas* dicitur, vnde Terent. de horrido & sene Eunucho,

Illúmne obsecro inhonestum hominem,
senem, mulierem?

Formosus verò in luxuriosis, vt,

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim.

Ipse pronomen dignitatis: *Iste* abiectionis, Terent. in And.

Id isti vituperant factum.

Donū dātis est. *Munus* accipiētis, illud à dando, hoc à muniendo vel à mouendo dicimus.

Has manus, huius hominis dicimus, *Hanc manum*, multos homines coniungentes.

Coarguere est coercere, & compensare. *Arguere* ostendere & patefacere. Virg.

Degeneres animos timor arguit.

vnde argumenta dicuntur, quæ causam causæ ostendunt.

* *Sunt* sermones (vt ita dixerim) communes duo sibi contraria significantes.

Vector est ille, qui portat, & qui portatur.

Hospes est, qui recipit, & qui recipitur.

Sacer est, venerandus & execrandus. Virg.

Auri sacra fames.

Vltus est vindicatus & punitus.

Gratia malæ & bonæ rei causa, nam sic dicimus inimicitiarum, vel beneficij gratia. Ita vt Sallust. Opprobrij gratia. Cic. *Religioni & supplicij gratia, colendam & fruendam tradiderat.* Et Terent.

Quî referam sacrilegio illi gratiam?

Suffragia populi, & quæ honorāt, dicūtur, & quæ donantur. Cic. de præfectura vrbana, *Istum vix vllis populi suffragiis redimere potui.*

Donamus, & illud, quod damus: & illum, cui damus.

Afficimus honore. *Afficimus* iniuria.

Eleuamus, & quæ in altum extollimus, & quæ alleuiamus, id est, leuiora facimus.

Subducimus, & quæ retrò subtrahimus, & quæ in promptu afferimus bello. Sallust. *Catilina optimū quenque in primā aciē subduxit.*

Pudet, & quæ ab alterius facto, & quæ de suo. vt in Adelph. de verbis Æschini.

Vbi eum pudet fratris nō ante confessum.

Supremus, Summus & Vltimus, & superiorem & inferiorem significat.

Altū, & quod sursum est, & quod deorsum.

Procul, & longè & propè significat. Vt,

clypeo est excussa sagitta, procúlque
Egregium autoré, latus inter & ilia fixit.

Damnatus, & Addictus, & *obligatus*, vel potius absolutus. Virg.

Quem damnet labor, aut quò vergat.

id est quem virtus sua absoluat, aut victorem faciat. Nunquam enim Virgilius in duobus locis vnam ré ponebat, præsertim cùm AVT, interponeret coniunctionem disiunctiuam. Idem alio loco,

Damnabis tu quoque votis:

sicut voti reus, dixerat hîc, ita & absoluendos dixit, Vnde & *iure damnas* istius & istum, *esto ligatum* dicitur, hoc est, *soluentur*, *ista istum*, quod solui omnibus modis necesse est, etsi res aliena ligatur.

In præposito vtrique casui seruit. Cùm in loquelas transit, fit etiam communis intellectus, nā & satis & parū factū aliquid, vel non factum dicimus, sicut *Impotens & infractus.*

Latere & *Absconsum esse aliquid* dicimus, & late patere. Virg.

Et scuta latentia condunt. Et,

Quod torua solum sub fronte latebat.

Horridum dicimus despicabile aliquid.

Horrendum, admirandum. Virg.

Oculos horrenda in virgine fixit.

Aduocatur, daturus patrocinium: *Inuocatur* præstaturum auxilium. *Euocatur* præbiturus obsequium.

Illuuies sordiũ est: *Ingluuies* vẽtris. illud quidem à lauando, hoc ab inglutiendo dictum.

Torres, lignũ præustum: *Torrens*, aqua præruptè decurrens.

Commonemus præterita: *Admonemus* præsentia: *Præmonemus* futura.

Ne, multas significationes habet. *Vt*, *Ne quære doceri*. *Ne longa*, aduerbium prohibẽdi. *Ne breuis*, coniunctio disiunctiua, vt est,

Hominésne feræne.

Ne longa coniunctio causalis, Vt est,

Ne tenues pluuiæ. Et,

Ne subeant herbæ.

Temeritas sine cõsilio dicitur. *Audacia* post consilium.

Velocitas pedum & corporum. *Celeritas* animorum atque factorum.

Gaudium animi lætitia est. *Exultatio* membrorum atque factorum.

Vlcus est, quod nascitur. *Vulnus*, quod ab alio infertur.

Viuum, de victuro dicimus. *Viuentem*, de morituro.

Nascitur, quod de vtero decedit. *Enascitur* quod de terra aut de aqua exurgit.

Adducitur quis ad rem inhonestam: *Perducitur* ad studia: *Deducitur* ad honorem.

Eluxit, qui luctum deponit: *Illuxit*, cùm lumen apparuit.

Nũciatur de lõginquo: *Denũciatur* de præsenti: *Adnunciatur* de futuro. *Renunciatur* de excusando & repudiando. Cic. *Renunciata est tota conditio*. *Deportare*, deponere: *Adportare* est aliquid afferre: *Comportare*, in vnum locum conferre: *Exportare*, de loco tollere. *Tẽperantia* est animorum: *Temperatio* rerum: *Temperies* ventorum.

Passim aliquid inueniri rerum, de re corporali rectè dicimus. *Affatim* de re aliqua incorporali: primùm enim de incessu, illud de affatu dictum.

Lepus animal est. *Lepor* iucunditas voluptatis, vnde & gradum aliquid, *lepidum* dicimus. *Lepos* eloquij.

Recipimus aliquid deferendum rogati. *Suscipimus* nostra sponte.

Aspicimus sursum. *Conspicimus* palàm. *Respicimus* retro. *Inspicimus* intus.

Preterea præteriti temporis. Sallust. *Nunquã Hispanos prætereã tale facinus facere audiui*. *Temporis futuri*. Præterea haud suspecteris.

Eo verbum primæ personæ, facit *Eo*, *is*, *it*.

Eò aduerbium loci, vt si dicis,

Eò redactus sum.

Ego aduerbium interrogantis est. Terent.

Eho Parmeno mi, nostin?

Eho est interiectio iubentis vel hortantis. Idẽ.

Eho puer, curre ad Bacchidem.

Heu interiectio dolentis est: *Eu* laudantis. Terent.

Eu Phormio, Idem,

Eu noster, laudo.

Heus aduerbiũ vocantis. *Heu* respõdentis.

Limen ædium est. *Limes* regionum.

Arundo canna est ab ariditate dicta. Vt,

Fluuialis arundo.

Harundo, telum è canna. Virg.

Hæret lateri lethalis harundo.

Hirundo auis est, quæ tignis adhæret. *Hirudo* sanguisuga dicitur.

Spirare viuentis est. *Expirare* mortui.

Pertinacia malæ rei. *Perseuerantia* bonæ.

Consequimur studio. *Obsequimur* officio. *Persequimur* iniuria. *Prosequimur* ordine. *Assequimur* voto.

Nihil aduerbium. *Nihili* nomen est.

Nemo momenti. *Nullus* nihil dicitur.

Genus familiæ. *Gentem* regionem rectè dicimus.

Lætamur de nostris. *Gratulamur* de alienis. Hoc gratificans lætitia, Cicero dixit, *Neque istius hominis perditi subita lætitia, quàm huius hominis amplissimi noua gratulatio, diutius cum commouebat.*

Herbidum locũ dicimus, in quo herba est, etsi aridus esse cõsueuerit: *Herbosum*, qui herbam facilè generat etiamsi ad tempus aridus sit. *Aquaticam* potionem rectè dicimus, quæ aquam aliunde recipit. *Aquosum* locũ, quòd ex se aquam fundat. Ita & *mericã* potionem, *merosum* autem vinum appellatur.

Attollit Aggerat, nõ attollit adgerat scribendũ est. In compositione enim AD præpositio accusatiui casus corrumpitur. cum seruire vocali incipit, quando eam muta sequitur. Integra autem permanet, quando semiuocalis, vt *adficit*, *adripit*. Huius rei ratio reddẽda est: vocales omnis vocis principes sunt, & dominæ literarũ, vtque sint vniuersa fortiora naturaliter faciunt, subiecta & adiecta sibi protegunt, æqualia autem & resistentia elidunt. Nam quemadmodum nonnunquam inter se collisa franguntur, interdum & Synalœphã faciunt: Ita consonantes sibi creditas cõseruant, quarũ virtutẽ necesse est, vt semiuocales imitatæ vicina sibi muta tueantur.

Quæritur ab aliquibus quid distat inter *Super* & *Supra*, & *Subter* & *Subtus*. *Super* est quod eminet. *Supra*, quod subiectũ aliquid habet,

Item *Subter* est, quod ab re aliqua superiore premitur & conculcatur. *Subtus* est, quod demissum altiùs non contingitur.

Sinum dicimus exterius expãsum receptaculum: *Gremium* vestis receptaculum, interius iacens secretum. Virg.

Pandentemq; sinus, & tota veste vocãtem.
Cœruleum in gremium.

Gremium autem dicitur à contrario, ab ingressu difficili.

Dicimus *Adytum & Penum, & Penetrabile* eo quòd adiri & penetrari raro soleant.

Largitas, humanitatis est: *Largitio* ambitionis.

Crassari in corporeis est, & sanguineis.

Grassari aut animi aut crudelitatis.

Album natura tantùm est: Candidũ etiam studio: nam & corpori & animo aliquoties assignantur: *Albos* ergo capillos, carmen *candidum* rectè dicimus.

Muliebre dicimus à muliere aliquid factũ: *Mulierarium*, per mulieres ordinatum, & per viros gestum.

Iuuentus ipsa hominis ætas, *Iuuentas* dea poeticè. Ἥβη, vt Græcè dicitur.

Delictum, peccatum aliquando dicimus: Delictum militiæ. At alicuius rei examinatæ *Delectionem* appellamus: nam *Diligi* affectionis, *Deligi* iudicij est.

Inter *Commodatũ & Mutuatũ* nõnihil distat. *Cõmodamus* amico pro tẽpore equũ, seruũ, vestẽ, hãc ipsam rẽ, quã dedimus, recepturi, *Mutuòdamus* pecuniã, triticũ, vinũ, & his similia, quæ mutuò data recipi necesse nõ est.

Ligat quis vinculo. *Legat testamento.*

Loqui est hominis. *Obloqui* est obtrectatoris. *Alloqui* suadentis est, vel hortantis, vel blandientis. *Eloqui* oratoris.

Percussum corpore dicimus, *Perculsum* animo. Cicero de signis, *Tandem illa face perculsos esse.*

Effertur, qui portatur. Et. *Efferunt*, qui laudando extollunt. Idem Cicero, *Nimium hac illa fortasse efferunt.*

Discrimen & ad periculum pertinet, & ad experimentum.

Indigenæ homines dicuntur. *Indigenes* dij. Idem *Indigetes*, vnde geniti dij.

Circumpedes sunt obsequia seruorum. *Antipedes* amicorum.

Insita arbor est cui insitæ alienum germẽ includitur. *Adsita*, cui incolumi aliquid, vt sustineat, adiungitur. Horat.

Quia populus adsita surgit, *quippe quæ vitibus maritatur.*

Fremor est rumor hominũ. *Fremitus* ferarũ.

Flauum dicimus rubeũ, sicut Flaua Ceres. *Furuum*, nigrum. Horat.

Quam penè furuæ regna Proserpinæ.

Fuluũ rubeũ & nigrũ. Vt, Fuluũ leonem, & fuluam aquilam, & fuluum aurum. Vt Virg.

Fulua pugnas de nube tuentem:

quæ haberet igneum de cœlesti, & sordidum de lugubri, aut certè de Ænea iracundiã, de Turno tristitiam. *Fuluũ* certè aurũ, cui ad decorẽ splendoris sui ingeniti aliquid addatur.

Postulatur aliquid honestè: *Poscitur* improbè. Cicero in Frumentaria, *Incipiunt postulare, poscere nimia.*

Aluus virorum rectè dicitur: *Vterus* mulierum: *Venter* vtroque modo.

Supplicia de tormentis dirimus: *Supplicationes* de precibus diuinis.

Triceni de tricenis dices. *Trigeni* de triginta.

Accersit, qui vocat: *Arcessit*, qui accusat. Sic Cicero, *Nos capitis arcessere.*

Ecquando, increpando vel inquirendo, interrogantis aduerbium est. *Quando* simpliciter loquentis.

Ecce, cùm ostendis. *En*, cùm increpas. Cic. *En cui tu quoque liberos tutò committas.*

Hem, cùm dolor iram mouerit, aut cùm admiratio, cogitatióque stuporem.

Aceruus mobilis est: *Acerbus* immaturus.

Asper in moribus, & in signis.

Abitum sine aspiratione de abscessu scribis.

Habitũ de vestitu gestúq; corporis dicimus.

Primus è multis, & *Prior* è duobus. Ita, *Postremus* de multis, & *Posterior* de duobus. Et, *Alter* de duobus dicitur: Alius de multis.

Ve interiectio dolentis est, sine æ: *Ve*, coniunctio disiunctiua.

Præmiũ cũ diphthongo, *Pretium* per e sine æ. Veteres enim maiores res sermonis cũ diphthõgo, & quadã dignitate scribi voluerũt.

Precari, est rogare. *Deprecari* est purgare, & excusare. Virg.

Equidem merui nec deprecor.

Cicero, *Quid faciet Hortensius, auaritiane crimina frugalitatis laudibus deprecabitur?*

Fides de fidelitate dicitur, *Fidis* de chorda.

Disertus orator est: *Desertus*, derelictus.

Delator, qui defert ad accusandum: *Dilator* qui differt ad proferendum. Martialis,

Traducta est Gyaris, nec cepit arena nocentes,
Et delator habet, quod dedit exilium.

Deluit, purgat: *Diluit*, temperat. Liuius de morte Mithridatis, *Quod cùm diluisset.*

Aduersum te, Aduersarius: *Aduersus te*, imitator.

Deduco, de amico producendo, *Diduco*, distraho.

Derectum, in rectum vadens: *Directum*, in latera aptatum.

Partem nomen est, *Partim* aduerbium.

Fastus de superbia, & facit genitiuum fastuum: *Fastus* de libris, & facit fastorum.

Expectatur venturus, *Spectatur* qui videtur vel probatur.

Appâret, qui videtur. *Pâret*, qui obsequitur.

ÆLII DONATI, ARruntij Celsi, & aliorum Terentij interpretum.

Credimus, quod plerunque falsum est, *Intelligimus* quod certum est.

Vtimur fructibus rei, quæ ab amantibus saluo vsu nobis subministrantur. *Abutimur*, quando deperdimus rem & fructum. *Vsui* est ager, domus, *abusui*, vinum, oleum, & cætera huiusmodi.

Scribit, qui verba adhibet tantùm, *Facit*, qui etiam argumentum componit.

Oratio in sensu est, *Stilus* in verbis. *Oratio* ad res refertur, *Stilus* ad verba. *Stilus* non est in tempore, sed prolata oratione. *Oratio*, est in cogitatione, & in prolata.

Orationem in sententiis dicunt esse, *Stilum* in verbis, *Argumentum* in rebus.

Auferimus ea, quæ cum fastidio cernimus, *Ferimus* ea, quæ cum honore tractamus.

Curatio, propriè medicorum est, *Cura* reliquorum. *Facere* est in opere esse, *Efficere* perfectionem designat.

Iustum, in quo nihil iniquum iubetur, *Clemens*, in quo etiã multum de iusto remittitur.

Aduersum sine dubio præpositio est. Vt, Aduersum te habeo gratiam. *Aduersus* participium potest esse, ab eo, quod est, Aduerto.

Scimus, quod certum est. In And.

Nam qui scire possis, aut ingenium noscere?

Noscimus, quæ adhuc incerta desideramus. In Hæcyra,

Forma in tenebris nosci non quita est.

Laudat etiã alienus *Gaudet*, qui pater est.

Ferre, est cum certo tempore, *Perferre*, finem expectat euentus.

Feruntur onera, *Sustinentur* supplicia.

Dedere se pertinacibus *Obsequi* superiorib.

Obsequium assentator debet, *Veritatem* amicus. In And.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Duriter, sine sensu laboris, *Durè*, crudeliter, illud ad laborem, hoc ad sæuitiã. *Durè* in alterum, *duriter* in nos aliquid facimus.

Cibus, qui etiam delicatis præbetur, *Victus* in paruis aridisque alimoniis est constitutus.

Quærit, qui ad plenum & perpetuum reponit, *Quæritat*, qui vix quotidie inquirendo victum inuenit.

Amator fingere potest, *Amans* verè amat.

Spondet puellæ pater, *Despondet* adolescentis.

Metuo illum, qui mihi ipsi aliquid facturus est, *Timeo* ab illo, cuius causa possum aliquid mali pati, etiamsi ipse nihil in me mali consulat.

Efferri dicuntur cadauera mortuorum, *ita* propriè ad exequias. In And.

Effertur, imus. Virg.

Ite, ait egregias animas.

Forma immobilis est & naturalis, *Vultus* mouetur & fingitur. *Vultum* sibi fingere multi possunt, *formam* nemo.

Modestia, ad probitatem vultus & morum pertinet, *Venustas* ad naturam corporis.

Honestum ad formam, *Liberale* ad vultum.

Feci, quasi facinus, *facere* enim quis & homicidium dicitur, *Commerui* minoris culpæ est, *Peccaui*, multo minoris, vel leuioris. In And.

Quid feci, quid cõmerui, aut quid peccaui.

Damnum rei est, *Malum* ipsius hominis.

Æger animus dicitur, *Ægrotum* corpus.

Dare, est quod repetas, *Dedere*, est ad perpetuũ. *Dam⁹* amicis, *Dedim⁹* tãtùm hostibus.]

Lex ad homines, *Omen* ad deos refertur.

Segnitia ad agendum, *Socordia* ad considerandum. In And.

Nihil loci segnitiæ neque socordiæ.

Opem ferre dicitur in malis rebus, & iis, qui de salute dubij sunt. In Adelph.

Fer opem, serua me.

Opitulari & opitulatio dicta ab opem tollendo, hoc est, ferendo. In And.

Sin opitulor, huius minas.

In verbis παρόμοιον dicitur. In And.

Inceptio est amentium, haud amantium. In nominibus παρονομασία. Cic. *Facie magis quàm facetiis ridiculus*.

Παρόμοιον quoties verba sunt, Παρονομασίας quoties nomina.

Temulentus vino, *Temerarius* natura. In And.

Sanè pol illa temulenta est mulier, & temeraria.

Sanus, qui saluus est, *Validus*, qui multum rerum necessariarum ad salutem.

Examinatus est perturbatus. Virg.

Examinata sequens impingeret agmina muris.

Exanimus, mortuus. Idem.

Corpus vbi exanimum positum Pallantis.

Iracundia, ex iniuria, *Dolor*, ex miseria.

Inuenustus, cui displicens obiicitur, *Infelix*, cui placens negatur.

Ineptum, quod à quouis reprehendi potest. *Falsum*, quod etiam prudentẽ possit fallere.

Sollicitudo est, quæ inhæret mentibus, *Sollicitatio*, quæ ab alio fit.

Amor, aduersus inhumanitatem, *Pudor*, aduersus ingratum animum.

Obtestatio dicitur, quando eũ adiuramus, quem rogamus, *Oramus* per eas propter quas rogamus. Virgil.

--per euersæ genitor fumantia Troiæ.

Excidia obtestor.

* *Oramus*, quæ bona sunt. *Supplicamus* in aduersis magis, vel cum lachrymis.

Lassus cura, ex præterita spe: *Confectus*, sic vulneratus aut percussus, vt sanari non possit. Conuenit gladiatoribus. Cicer. in Catil. *Gladiatori illi confecto & saucio.*

* *Lassus* adempta attentione: *Confectus* cura, confirmato timore.

Fit, quod verum est: *Fingitur*, quod falsum est: *Inuenitur*, ne temerè fiat: *Efficitur*, vt in effectum perducatur.

Quæ opinamur, putamus: *Quæ putamus*, incerta sunt.

Promissio & Pollicitatio eandẽ vim habent: sed *Pollicitatio* maioris asseuerationis est.

Imponitur manus rebus, cùm perficitur id, quod cœperit. Virgil.

Imponit regina manum.

Relinquũtur res, cùm imperfectæ manẽt. Idẽ,

Atq; opere in medio defixa reliquit aratra.

Petimus precariò. *Poscimus* imperiosè: *Postulamus* iure.

Expectamus tã bona quàm mala: *Speramus* bona tantùm.

Assolet consuetudinis est: *Oportet* rationis.

Coràm ad certas personas refertur. Vt,

Coràm quem quæritis, adsum.

Palàm ad omnes.

Veretur liber: *Metuit* seruus.

Despicere & Disquirere consilium: *Despicere*, deorsum aspicere.

Timor est malorum: *Pudor* tãtùm bonorũ.

Aduerbia temporis aut certa sunt, vt, hodie, cras: *Aut incerta* vt dudum, nuper. Itaque in certis certum additur tempus, vt iamdudum nunc, nuper.

Pudor est mali facti: *Verecundia* recti & honesti.

Expostulare est querelam apud eum ipsum deponere, de eo ipso qui fecit iniuriam: *Postulare* autem, querelam dicere de altero apud alterum.

Amoliri dicuntur ea, quæ cum magna difficultate & molimine summouentur & tolluntur è medio: *Discedere* dicitur, qui facilè abit è medio.

Amicus animi est: *Amator* corporis.

* *Amator* qui ad tempus: *Amicus*, qui perpetuò amat.

Interrogatio est, cui necessariò responderur aut etiã aut non: *Percontatio*, cui nihil horũ.

Grandis ad partem ætatis refertur. Vt grandis natu: *Maior*, generaliter & ad summam ætatis refertur, & ad comparationem ætatis pariter ponitur.

Commodus esse quis potest, & alieno tempore superueniens: *Opportunus* malũ etiam aduentum habere potest: *Commodum* in homine est, *aduentus* in eius facto.

Quantumuis & quãtiuis differunt, nam alterum contemptionis, alterum laudis.

Confidentia interdum in bona significatione, interdum in mala ponitur: *Fiducia* semper in bona.

Gaudemus nostris: *Gratulamur* alienis.

Sempiternum ad deos pertinet: *Perpetuum* propriè ad homines.

Viuus perit, qui etiã dormiẽs opprimitur. *Videns* perit, qui vigilãs vim patitur & perit.

Falsum est, quo tegitur id quod factum est: *Vanum* quod fieri non potest: *Fictum*, quod non est factum, & fieri potuit.

Falsum est fictum mendaciũ, simile veritati: *Vanũ* nec possibile, nec verisimile: *Fictum*, totum sine vero, sed verisimile: *Falsum loqui*, mendacis est: *Fictũ*, callidi: *Vanum*, stulti. *Falsum* loqui, culpæ est: *Fictum* virtutis: *Vanum*, væcordiæ. *Falsis* decipimur: *Fictis* delectamur: *Vana* contemnimus. Sic Arruntius.

Prudentia naturalis est, *Gnaritas* extrinsecus venit. *Imprudens* per se: *Ignarus* per alios.

Restituimur iis, quibus nos volumus: *Reddimur* iis, qui nos volunt. *Restituimus* volentem: *Reddimus* volentibus.

Restituitur cupiẽs, *Redditur* cupiẽtibus, *Redditur & restituitur* cupiens cupientibus.

Expectatio certorum, *Spes* incertorum. *Expectatio* rerum propinquarum, *Spes* longinquarum. *Expectatio* destinat tempus, *Spes* nõ destinat.

Expectamus ante diem, *Speramus* ad diem.

Locus natalium est, *Ordo* fortunæ.

Consilium, in bonis animi, *Res*, in potestate fortunæ.

Lanij, qui laniunt pecora, *Lanistæ*, qui laniendis præsunt gladiatoribus.

Ducitur quis, ad supplicium, *Deducitur* ad lætitiam.

Cura, mentis est, *Curatio*, medicinæ, *Curatura* diligentiæ.

Proxima nobis aut præterita sunt aut futura, *Præsentia* ea sunt, in quibus nunc sumus.

Labra sunt superiora, *Labia* inferiora.

Adducimur vnde nolumus, *Ducimur*, quò volumus.

Cessat desidiosus, *Requiescit* defessus.

Facetus est, qui facit verbis, quod vult, *Lepidus*, qui politus est, vt *Maris*. *Lautus*, qui mũdus & splendidus est.

Oscula officiorum sunt, *Basia* pudicorum affectuum, *Suauia* libidinum vel amorum.

Dolus à lædendo dictus est, id est, à dolando, id est, minuendo. Nam & δόλος Græcis læsio dicitur, & *Dolones*, tela quædam bellica, & *Dolare* fabri, lignum est ascia cædere.

Prædicamus vt res sunt, *Laudamus* extollendo. *Prædicamus* voce. *Laudamus* argumentũ.

Statura corpori ascribitur. *Status* ad habitum refertur. *Status* est σχῆμα. *Statura*, longitudo corporis.

Indicat

Indicat is, qui de se volens aliquid, & de aliis etiam prodit, *Confitetur*, qui de se tantũ, & qui inuitus.

Ius est, quod omnia recta & inflexibilia exigit, *Æquitas* est, quæ de iure multùm remittit.

Rursum est introuersum, *Prorsum*, prius versum.

Fides in concipiendis comminationibus, *Denunciatio*, comminantis est.

Iniuria, quæ fit innoxio, *Ius*, illa vindicta, quæ redditur reo.

Mancipia dicũtur, quòd manu capta sunt, *Serui*, qui seruati sunt, cùm eos occidi oporteret iure belli.

Concertatio ipse actus. In Adelph.

Nunquam vidi iniquius concertationem comparatam.

Certamen, res ipsa de qua certatur. Virg. 5.

Velocis iaculi certamine ponit in vlmo.

Diuiduum à diuisione, *Dimidium* à dimensione dicimus.

Memor, qui apud se meminit, *Gratus*, qui meruit hoc nomine vocari, dũ vicem reddit.

Laudat coràm, qui non tacet apud alios & hoc agit non per epistolam, sed ipse præsens, *Laudat* in os, qui apud ipsum loquitur qui collaudat.

Genus ad viuos pertinet, *Familia* etiam ad defunctos.

**Genus* ad nobilitatem, *Familia* ad copiam refertur.

Raptio ad personam refertur, *Rapina* ad rem, *Raptus* ad stuprum proprie.

Ducimus volentes. *Abducimus* inuitos.

Suademus facilia, *Persuademus* difficilia, *Suadere* facientis est, *Persuadere* perficientis.

Ordo vel bonorũ vel malorum dicitur, *Grex* vel bonorum, vel malorũ est, & leuium. Cic. *In his bonis gregibus omnes aleatores, omnes impuri impudicique versantur.*

Ineptum, est tantum stultũ, *Absurdum*, quod & stultum est, & in ipsa stultitia diuersum, & quasi sibi repugnans.

Ludere piscem, est non læsum viuere, *Natare*, quod etiam languidi possunt.

Lenitas ad permittendum, *Facilitas* ad ignoscendum.

Prauum est quod ipsum lædit facientem, *Malum* quod alios tantùm.

Pudet, in his, quæ turpiter facit, *Piget*, in his quæ cum damno & malo, *Pudere* etiam ad dedecus, *Pigere* ad dolorẽ refertur. *Pudet*, quod turpe est. *Piget*, quod dolet.

Aggredimur, de longinquo, *Adorimur*, ex insidiis, & è proximo.

Patronus aut temporale nomen est defensoris, aut certè appellatio, per quam ostenditur, quid illi cultus aut obsequij debeatur, *Parens* autem veri amoris nomen est.

Deficit socius: *Prodit* patẽs: *Deserit* patron⁹. Sallust. *Post defectionẽ sociorũ & Latij.* Terẽt.

Prodidisti & te, & illam miseram, & gnatum quod quidem in te fuit.

Plaut. Qui liberos habent, eos deserunt.

Bonus est, qui non nocet: *Liberalis*, qui etiã prodest. *Bonus*, qui non peccat in facto: *Liberalis*, qui nec in verbis.

Orare est placidos petere: *Obsecrare*, iratos rogare. *Obsecrans* plus facit, quàm *orans*: Plus *orans*, quàm *rogans*.

Torquemus hominẽ: *Extorquemus* veritatẽ.

Obnunciat, qui malam rem nunciat: *Annũciat*, qui bonam.

Erratio est pecudum: *Error* animi est, & loci, in quo erratur.

Coràm indiget adiectione: *Palàm* non indiget. *Coràm* ad certas personas refertur: *Palàm* generaliter dicitur.

Circũspicimus præsentia: *Prospicimus futura.*

Despondet puellam, qui petit: *spondet*, à quo petitur.

Ira de causa est: *Iracundia* de vitio multũ irascentis.

Conseruamus parta: *Quærimus* noua: *Parcimus* omnibus.

Ligare est iniicere alicui vincula: *Alligari* quis dicitur ad aliquid, sine quo esse nõ possit.

Ridet, qui simpliciter ridet: *Deridet*, qui alterius irrisione & contemptu ridet.

Ducere est apud alium & palàm. *Subducere* apud seipsum & secretò.

Facilis est, cuius ira citò soluitur: *Clemens*, qui non irascitur.

Clemens est circa rectè agentes, *Placidus* etiam circa delinquentes. *Clementis* est, nulli lædere os, *Placidi*, arridere omnibus.

Clemens animo, *Placidus* vultu.

Sæuus factis, *Tristis* animo, *Truculentus* vultu. *Tristis*, qui dolet, *Truculentus & Sæuus*, qui terret.

Probus sibi, *Modestus* apud alios.

Adiutor dicitur in re bona, *Impulsor* in mala.

Adiutor à non irascente, *Impulsor* à criminante & irato.

Vitium est, si tonat tantùm, *Calamitas*, si tonat, & grandinat, & etiam fulminat.

Calamitas παρὰ τὴν χαλάζαν dicitur, *Clades*, quia clamatur, alius grandinis culmũ frangẽtis, aliud furti aut doli mali. Sic Probus.

Orator est, dum agit, *Exortator*, cùm impetrauerit, aliud dicentis, hoc effectitiam significationem habet.

Docet poeta, *Discit* Scenicus.

Fidus in maximis, *Fidelis* in minoribus negotiis.

Fidus est amicus, *Fidelis* seruus.

Monemus consilio, *Hortamur* impulsu.

Spoliare est, non minimam partem auferre, *Mutilare*, aliquid detrahere, sine quo res

esse non possit. *Lacerare*, cùm omnino non habeas, quod imminuas.

Agere, est aliquid necessarium facere: *Agitare*, voluptarium.

Expostulatio, apud illum ipsum, qui peccauit. *Postulatio*, de illo apud alterum.

Visere, officij est: *Videre*, quærentis aliquē.

Visere officij est apud ægrotos: *Videre* cognitionis.

Scimus, quæ ad nos deferuntur: *Rescimus* cælata.

Confessio bonæ rei est, *Coniuratio* malæ.

Dedecoratur, quod honestū est in animo. Horat. D. decorant bene nata culpæ.

Turpatur, quod honestum est corpore.

Opera est, si sciētes læserimus. *Culpa*, si nesciētes: alterum sceleris, alterum stultitiæ est.

Refellit, qui negat: *Purgat*, qui fatetur, & sic defendit. *Refellimus*, per coniecturam: *Purgamus*, per cæteros status.

Iratus, qui ex aliqua re lacessitus irascitur. *Iracundus*, qui ex parua, nulláve causa præcedente irascitur.

Rursū propriè retro: *Prorsū* antè significat.

Trepidatio ad vocem refertur loquentium. *Cursatio* ad sonum pedum. *Trepidatur* ab his qui morbum putant, *Cursatur* ab his, qui raptum sciunt.

Exanimatus est conterritus, conturbatus. In And. Quidnam Pamphilum exanimatum video?

Exanimus verò est occisus. Virg.

Corpus vbi exanimum positum Pallantis.

Fortuna in incerto: *Fors Fortuna* in bono ponitur. Virg.

Si qua in te fortuna fuisset. Et ipse,

O fors fortuna.

Fortuna dicta est incerta res. *Fors Fortuna*, euentus fortunæ bonus.

Tecta, ne videantur: *Tacita*, ne dicantur.

**Tecta* sunt, ne hæc alij sciant: *Tacita*, ne ipse indicet.

Sobrini ex duabus sororibus: *Consobrini* ex fratre & sorore. *Consobrini*, cùm de fratre natus est alter, & alter ex sorore, cùm ex fratribus, *Patrueles* dicuntur.

Mereri bona dicimus: *Commereri* mala, id est, delinquere, peccare. In Hecyra,

Sæpe, quod vellem, meritam scio.

Virg. Ego te, quæ plurima fando.

Enumerare vales, nunquam regina negabo Promeritam.

Scimus manifesta. *Rescimus* occulta.

Prospicere futura. *Iudicare* præsentia.

Edicimus, quod iubemus fieri. *Interdicimus*, quod vetamus fieri. *Edicimus* vni generi hominum. *Interdicimus* diuersis.

Agit, qui rē iustā dicit: *Orat*, qui animo demisso precatur, vt quasi beneficiū præstetur sibi.

Scitū dicūt, quod placet: *Inscitū* qđ displicet.

Offerimus iniuriam non merenti. *Reddimus* ei, qui meretur.

Accersi dicitur vxor ad maritum. *Abduci* à marito ad diuortium. Virg.

Et gremiis abducere pactas.

Facilis ad peccatū. *Beneuolus* ad irā refertur.

Segregari dicitur quis à meretrice: *Seiungi* ab vxore.

Redditur nobis, quod nostri cupidum est.

Restituitur nobis, cuius cupidi sumus.

Resciscunt ad quos pertinēt & qui nesciunt: *Sciunt*, qui negligunt. *Rescisscimus* ex alio: *Scimus* etiam per nostram opinationem.

Bonitas in omnibus generaliter rebus est. *Æquanimitas* in spectādo. *Bonitas* in probādis his, quæ bona sunt. *Æquanimitas* in ignoscendis vitiis atque delictis.

Metuimus eos, qui nos amant: *Timemus* etiam inimicos.

Vtimur cum honore: *abutimur* cum iniuria.

Cura est in spe bonorum: *Solicitudo* in metu malorum.

Refutatio in rē est: *Confutatio* in personam.

Stillare est guttas emittere è corpore, *Extillari*, ipsum corpus guttatim finiri.

Deliratio senectuti cōuenit, *Timor* cōsciētiæ.

Fl. Sosipatri Charisij ex artis Grāmaticæ institutionibus.

SEruitiū multitudo est seruorum, *Seruitus* conditio seruiendi, sed veteres indifferenter seruitium & pro seruitute posuerunt. Virgilius Æneid. 3.

Seruitio enixè tulimus.

Mendum in mendacij significatione dicitur. *Menda* in culpa operis aut corporis.

Eboreum, & *Eboratum* & *Eburnum* ita placuit distingui, vt *Eboreum* sit ex solido ebore confectum, *Eboratum* extrinsecus ebore ornatū, *Eburnum* à similitudine eboris aptatū.

Podagrosus à podagra bene dicitur, Sed & *Podagricus* à pedum ægritudine.

Æditimus dicitur, qui ædem seruat, quasi ædis intimus, *Æditus*, ab æde tuenda.

Cùm dicimus *Hispanos*, nomen nationis ostendimus, Cum autem *Hispanienses*, cognomen eorum, qui prouinciam Hispanam incolunt, etsi non sint Hispani.

Lanius dicitur, vt Terent.

Lanij, coci.

Lanio autem quasi diminutio lanij.

Cubicularius est custos cubiculi, *Cubicularis* verò lectus, cubiculo aptus.

Caligarius artifex, *Caligaris* clauus.

Clypeus genere masculino, significatione scuti ponitur, vt Labienus ait, neutro autem genere, imaginem significat. Plinius dubij sermo-

ſermonis ſecũdo, indiſtincto genere dici ait, ſed litera differre, vt pugnatorium per *i Clypeum* dicamus, quod eſt à Clepere, id eſt, cælare dictum: Imaginem verò per u, à cluẽdo. Sed hæc differentia mihi diſplicet, propter communionem i & u literarum.

Munificus eſt tanquam beneficus: *Munifex* autem tanquam opifex & artifex. Itaque *Munificus* munera largitur: *Munifex* autem munere fungitur.

Diuinitus cùm dicimus, ex Dei mente factum ſignificamus: *Diuinè* verò cùm laudamus.

Rediuiua dicimus, quæ poſt interitum redeunt: *Recidiua*, quæ ex ſuo caſu reſtituuntur: vnde Virg.

Recidiua manu poſuiſſem Pergama victis.

Neceſſitas imperij: *Neceſſitudo* ſanguinis coniunctio. Salluſtius tamen neceſſitudinem aut ſæpe pro neceſſitate ponit, nec vnquam neceſſitatem aut ipſe, aut quiſquam veterum.

Vicinia dicitur loci demonſtratio. *Vicinitas* verò vicinorum conductio.

Longitudo menſura eſt: *Longinquitas* regionis aut temporis.

Large qualitatis: *Largiter* quantitatis: vnde naſcitur *Largitas* aut *Largitio*. Nã *Largitudo* nuſquam inuenitur, niſi apud Nepotem.

Inſomnia plurali numero ſignificari volunt Grammatici *Somnia*: ſingulari verò numero *Vigiliam*. Vt Pacuuius in Antiopa dixit,

Perdita illuuie atque inſomnia.

id eſt, vigilia.

Cilones dicuntur, quorum capita oblonga & compreſſa ſunt: *Chilones* autem cũ aſpiratione ex Græco, à labris improbioribus, quæ illi χείλη, vnde Chilones, improbius labeati.

Nihil ſi dicas, quantitatem notas: Si verò *Nihili* adiuncta i, hominis mores.

Labra modica: *Labia* immodica, & inde *Labiones*.

Lingula cùm non à linguendo dicta eſt, in argento. In calceis vero *Lingula* à ligando: Sed vſus *ligulam* ſine n frequentat.

Saturitas in cibo tantùm dicitur: In cæteris verò *Satietas*.

Stirps in ſignificatione ſobolis fœminino genere dicitur vt ait Virg.

Heu ſtirpem inuiſam.

Sed cùm materiam ſignificat, maſculino modò ſtirpem rectum. Idem,

Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum
Suſtulerant.

Breuis in natura: *Puſillus* in corpore, vt *Breuis* dies, *Puſilus* homo.

Pometa dicuntur, vbi poma naſcuntur, vt olineta: *Pomaria* autem, vbi ſeruantur, vt Penuaria.

Intrò eſt, in locum: *Intus*, in loco dicimus.

Quando acuta prima ſyllaba interrogationem temporis ſignificat. Vt,

Quando erit illa dies?

Sed ſi poſterior grauetur, ſignificat quoniam vel quandoquidem. Virg.

Quando tot ſtragis aceruos.
Teucrorum, tua dextra dedit.

Tergũ hominis: *Tergus* pecoris nominatur.

Here, quàm diu *Heri*, quando: ita enim quidam putant dici debere.

Accedo tibi, eadem tecum ſentio: *Accedo* te, id eſt, ad te venio.

Q. Aſconij Pædiani interpretis Ciceronis.

Populati auaritia: *Vexati* libidine & crudelitate.

Sunt, qui *Templa* eſſe dicant, ſingulorum diis attributorum locorum: *Delubra* multarum ædium ſub vno tecto, à diluuio pluuiæ munitarum: *Fama*, vnde fata petuntur.

Rogare, vt hominem, *Orare*, vt Deum.

Qui defendit alterum in iudicio, aut *Patronus* dicitur, ſi orator eſt, aut *Aduocatus*, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam amico commodat, aut *Procurator*, ſi negotium ſuſcipit, aut *Cognitor*, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur, vt ſuam.

Præiudicium dicitur res, quæ cùm ſtatuta fuerit adfert iudicaturis exemplum, quod ſequantur, *Iudicium* autem res, quæ cauſam litémque determinat.

Suſcipitur totum, *Recipitur* pars. *Recipitur*, quod hinc pendet: Solum aliquid propter ſe ſuſcipitur.

Aſportare aliquid, vt intereat, *Deportare* vt mutet locum.

Tranſigere, quod manifeſtum eſt, *Expedire*, quod definiendũ, *Abſoluere*, quod diuidendũ. An *Tranſigere* eſt, quod aut confiteri non timeat, aut negationẽ excludat, *Expedire*, quod definitione ſoluatur, *Abſoluere*, quod per qualitatem licitum eſſe monſtratur.

Iniuria ſemper iniuſta eſt, *Lædi* etiam aliquis iuſtè poteſt. Nam & qui iure damnantur, læduntur, ſed non iniuria.

Corrupta iudicia ſunt in iis, qui acceperũt pecuniam, *Contaminata* in iis, qui offenſione ordinis infamantur.

Dies fœminino genere tempus, & ideo diminutiue *Diecula*, dicitur breue tempus & mora, *Dies* horarũ duodecim generis maſculinĩ eſt. Vnde *Hodie* dicimus, quaſi hoc die.

Perditum, quod inueniri non poteſt. *Profligatum*, quod poteſt.

Peius *Prodere*, quàm *Oppugnare*, propterea quòd *Oppugnare* inimici & hoſtis officiũ eſt, *Prodere* grauius, cùm ad eos, qui amici eſſe debent, referatur hoc verbum.

Alacer dicitur is, cui omnis sensus, in suo quisque loco degit. *Lacer* verò qui sic est affectus, vt vultu indicet adesse animum non sincerũ sensibus suis. Qua re cognita illud quoq; intelligitur, aliud esse *Alacrem* aliud *Latum*. Sunt qui *Alacrem* festinantem & properum putant, quasi alis acrem.

Apertè ad verba pertinet non obscura, *Palàm* ad præsentium multitudinem, & qualitatem frequentis loci.

Destrictus potest esse sine vinculis in diuersum manu ducentium ferri, *Obligatus* etiam notis vinculorum in loco intelligitur, Plus est ergo *obligatum* esse, quàm *destrictum*.

Intelligitur aliquid argumentis. *Animaduertitur* sensibus præsenti animo vtentibus. Plerunque enim *Aduertimus* rem aliquam oculis, aut quouis sensu corporis sine animi attentione. Ergo plus est *Animaduersum*, quàm *Intellectum*. An ab aliis *Intellectum*, ab aliis *Animaduersum* intelligi posset? quod si est, rursus plus erit *Intelligere*, quàm *Animaduertere*.

Deponitur in sequestri, *Accipitur* ab eo, qui corrumpitur, *Recipitur*, id est, promittitur, id est, pro iudicato respondetur.

Sequestres sunt, apud quos pecunia deponitur. *Interpretes*, per quos inducitur pactio.

Argumentari & Argumentis vti ad rẽ probandam. *Dicere*, amplificatione vti ad rem, ad delectandum, commouendúmque auditorem oratione perpetua.

Nefandum est non fandum, *Nefarium*, quod sacra polluit, farre pio solita celebrari. Ergo *Nefarij*, sacrilegi.

Reiiciens malos & retinens bonos, *Verus Accusator* intelligitur. Qui verò contrà facit, vt sit impedimento cæteris, astúque tegat, de hoc intelligitur, quòd *Præuaricator*.

Figura est circa gestum sitúmque membrorum, *Status* circa ornatum & habitum vestis, insignium, & armorum.

Videmus, quod in promptu est, *Inuestigamus* quod non videmus.

In *nascendo* sortem, in *faciendo* industriam esse veteres dicebant. Terent. in Adelph.

Ego profectò ingenio egregiè ad miseriam natus sum.

Cic. 3. Verrina, *Homo factus ad istius libidines.*

Plus significatur dicendo *Spiritus*, quàm si *Animositas Contentióve* diceretur.

Inter *Singraphas, & cætera Chirographa* hoc interest, quòd in *Chirographis* tantum quæ gesta sunt scribi solent, In *Syngraphis* etiam contra fidem veritatis pactio venit, & nõ numerata quoque pecunia, aut non integrè numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent. More institutóque Græcorum & cæteræ tabulæ ab vna parte seruari solent. *Syngrapha* neutrius manu vtrique parti seruandæ traduntur.

Bona in ipsis possessionibus, *Fortuna* in fructibus eorum.

Prætexta honestiorum, *Toga* viliorũ, quod etiam circa mulieres seruabatur.

Omen, auspicium, *Causa*, excusatio.

Boni pro magnis, *Honesti* pro diuitibus, vetustè.

Detrimentum vel vnius partis dici potest, *Intertrimentum* verò ad vtriusque partem spectat, dantis & accipientis.

Bona prædia dicuntur, *bona* satisdationibus obnoxia, siue sint in mancipiis, siue in pecunia numerata, *Prædia* verò, domus, agri.

Prædia sunt res ipsæ. *Prædes homines*, id est, fideiussores, quorum res, *Bonaprædia* nunc vno nomine dicuntur.

Aliud *Socius*, aliud *Particeps*. *Particeps*, qui certam habet partẽ, nõ diuisè agit, vt *Socius*.

Thensæ sunt sacra vehicula, *Pompa* ordinum & hostiarum *Thensas* alij à diuinitate dici putant, alij, quòd ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.

Spolia quæsita de viuo hoste nobili per deditionem, *Manubias* veteres dicebant, & erat Imperatorum hæc præda, ex qua, quod vellent, facerent.

Ius, ad doctrinam pertinet, *Officium* ad virtutem.

Marij Seruij Honorati interpretis Virgilij.

ARæ & superis & inferis diis consecratæ sunt, *Altaria* verò sunt superorum tantum deorum, quæ ab altitudine constat esse nominata. Vt,

En quatuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duas, altaria Phœbo,

Aræ dictæ ab ariditate, quia in iis adoletur ignis, *Altaria* ab alendo, quia igni adduntur alimenta.

Armenta sunt equorum & boum, quòd hęc animalia apta sint armis, vt scutis boum coria, equi prælio, *Greges* capellarum & ouium sunt. Hæc tamen, armenta scilicet & greges, sciendũ quòd plerũque confundit autoritas.

Angues aquarum sunt, *Serpentes* terrarum, *Dracones* templorum. Vt Æn. 2.

per alta immensis orbibus angues.
Et paulò post,
serpens amplexus vterque. *Item*,
delubra ad summa dracones.

Sed hæc significatio plerunque confunditur.

Ædem numero singulari de templo tantùm dicimus, plurali, & de domibus, & de templo.

Augure

Auguro dicimus secundum Plinium, [Grãmaticum] cùm præsagio mentis futura colligimus, *Auguror* vero tum cùm futura veris captamus auguriis.

Balsamum est ipsa arbor, *Opobalsamum* succus collectus ex arbore, *Xylobalsamum*, lignum ipsius arboris.

Barba, singulari numero hominum, plurali vero quadrupedum dicitur.

Culmus est ipse calamus, *Stipula* verò folia, quæ ambiunt culmum.

Coryli, propriè dicuntur, *Auellanæ* ab Auella oppido Campaniæ, vbi abundant, nominatæ sunt.

Camuri sunt boum, qui conuersa introrsum cornua habent, quibus contraria, *Patuli*, qui cornua diuersa habent, quorúmque cornua terram spectant, His contrarij *Licini*, qui sursum versum cornua habent.

Candidum esse, id est, quadam nitenti luce perfusum, Aliud *album*, quòd pallori constat esse vicinum.

Crustam cùm dicimus fœminino genere, lapidis aut ligni, aut gelu partem significamus, Cùm verò *Crustum*, edulium aliquod significamus, partem panis vel placentæ. Virgil. 7.

Orbem fatalis crusti. Horat.
dant crustula blandi
Doctores.

Cellarium est paucorum dierum, vnde & cella dicitur importarum frumentum, *Penus* verò longi temporis.

Ceruix cùm numero singulari dicitur, collum significat, si plurali vtimur, superbiam ostendimus. Vt in Verr. Cic. *Frange ceruices*.

Carcer est vndecunque prohibemur exire, & dictus quasi arcer, ab arcendo, & quando locum in quo seruantur noxij significamus, carcere tantùm numero singulari vtimur, *Carceres* dicimus numero tantùm plurali, vnde erumpunt quadrigæ, sed poeta plerunque singularem vsurpat. Vt est 5. Æneid.

Ruúntque effusi carcere cursus.

Copia, de exercitu numero plurali dicimus, vt Sallust. *Memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias populus Rom. parua manu fuderit*, *Copia* vero aliarum rerum est.

Cornus ipsa arbor dicitur, Pomũ verò *Cornum*, & *Corna*. Vt,

Lapidosáque corna.

Castus per diphthongum, significat arma pugilum, habet etiam pluralem numerum, & est quartæ formæ, nam *Cestu*, *cesti*, numeri singularis, sine diphthongo, baltheum Veneris.

Consultor est, qui consulit, *Consultus*, qui consulitur, *Consultum* verò res ipsa, de qua consulitur.

Deduco est persequor, *Diduco* verò diuido.

Despiciens, deorsum aspiciens, *Suspiciens*, sursum aspiciens.

Dissimulamus nota, *Simulamus* ignota. *Dissimulamus*, quod sumus, *Simulamus* quod non sumus. Vt Sallust. *Cuiuslibet rei simulator, & dissimulator*, de Catilina.

Dapes regum sunt, *Epulæ* priuatorum. Vel *Dapes* deorum sunt, *Epulæ* hominum.

Deos, perpetuos dicimus, *Diuos*, ex hominibus factos, quasi diem obierint. Vnde diuos & Imperatores vocamus. Iuuen.

Respice riuales diuorum.

Sed Varro & Ætius [Philologus Grammaticus] contrà sentiunt, dicentes, *Diuos* perpetuos, *Deos*, qui propter sui consecrationem timentur, vt sunt dij manes. Quod tangit in 12. dicens,

Turni sic est affata sororem.
Diua, deam, stagnis quæ fluminibúsque sonoris
Præsidet.

Dona sunt tantùm superorum, *Munera* inferorum. Vt in Bucol.

Phœbo sua semper apud me
Munera sunt, lauri & suaue rubens hyacynthus.

Ἐπικήδιον est, quod dicitur cadauere nondùm sepulto. Vt,

Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim.

Ἐπιτάφιον post completam sepulturam dicitur. Vt,

Daphnis ego in siluis, hinc vsque ad sidera notus.

Excubiæ sunt diurnæ, *Vigiliæ* nocturnæ.

Fas, ad religionem, *Iura* pertinent ad homines.

Flabra, hoc nomen tantùm pluralẽ recipit numerum, ab eo verò, quod *Flamina*, *Flamen* possumus accipere, licet sit vitãdum propter aliam significationem, nam dicitur *Flamen* Dialis, *Flamen* Martialis.

Frondeum, est totum de frondibus, vt truncus, *Frondosus*, verò est, lucus.

Flagrat, dicimus, quoties incendium significatur, quod flatu alitur, vt,

Flagrantibus aris.

Sed quoties odor, qui fracta specie maior est, per R dicimus *Fragrat*. Vt,

thymo fragrantia mella.

Fores propriè dicuntur, quæ foris aperiuntur, sicut apud veteres fuit, *Valuæ* autẽ sunt, vt dicit Varro, quæ reuoluuntur, & se velant, *Ianua* verò est primus domus ingressus, dicta, quia Iano consecratum est omne principiũ. Cætera inter ianuam *ostia* vocantur generaliter, siue valuæ sunt, siue fores.

Furiosus est, à quo furor nunquam recedit, *Furiatus* verò, qui furit ex causa.

Funus est cadauer iam ardẽs, quod dũ portatur *Exequias* dicimus: crematum, *Reliquias & bustum* conditum iam, *sepulchrum*.

Fundere est supina manu libare, quod fit in sacris supernis, *Vergere* est conuersa in sinistram partem manu ita fundere, vt supernè conuertatur, quòd in infernis fit.

Forfices sunt, quibus incidimus, *Forcipes* sunt, quibus aliud foruum tenemus, quasi *forucipes*, nam forum est calidum. Vnde & *Formosos* dicimus, quibus calor sanguinis ruborem pulchritudinis creat.

Humidum est, quod extrinsecus habet aliquid humoris: *Vuidum*, quod intrinsecus, vnde & vuæ dictæ sunt.

Hostia dicuntur sacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hostem pergunt. *Victima* sacrificia, quæ post victoriam fiunt: sed hæc licenter confundit autoritas.

Historia est eorum temporum, quæ vidimus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, à videndo: *Annales* sunt eorum annorum & temporum, quæ ætas nostra non nouit. Vnde Liuius, Ex annalibus & historiis constat, inquit.

Ignarus est, qui ignorat: *Immemor*, qui oblitus est.

Ius generale est, sed *lex* iuris est species. *Ius* ad non scripta etiam pertinet; *Leges*, ad ius scriptum.

Infensus propriè dicitur plus, quàm *inimicus*.

Indocile est, quod penitus non potest discere: *Indoctum*, quod nondum didicit.

Labra sunt virorum: *Labia* mulierum.

Liquor cùm nomen est, LI breuis est: Cùm ad verbum venerit, producitur. Vt: *Liquor*, Liqueris. Virg. 1. Georg.

canis cum montibus humor
Liquitur.

Legumen dicitur, quòd manu legatur, nec sectionem requirat: *Frumenta* sunt omnia, quæ ex se aristas mittunt.

Lactans est, qui lac præbet: *Lactens*, cui lac præbetur.

Legiones peditum sunt: *Turmæ*, equitum.

Lucens est, quod aliunde illuminatur: *Lucibile*, quod lucet per se.

Mulctra tempus dicitur, quo mulgentur animalia.

Mulctrale vas in quo mulgentur.

Medicor accusatiuum regit. Vt, *Medicor* illam rem: *Medicor verò illi rei* vsitatè dicimus: *Medicor illam rem*, figuratum est.

Myrtetum, ipse locus est: *Myrtus*, ipsa arbor.

Metor, metaris, metatus sum, significat eligere. Vnde Lucan.

Hesperios audax veniã metatur in agros,
Metior, metiris, mensus sum.

Monstrum dictum à monstrando, & refertur ad præsens eius significatio: *Prodigium* est, quod in longum tempus dirigit significationem.

Monumenta sunt memoriæ: *Monimenta* verò, à mentis admonitione dicta.

Matrona dicitur prima pueri mater: *Materfamiliàs*, quæ plures peperit. Alij dicũt rectius. *Matronam* dici quæ in matrimonio cũ viro conuenerit, & in eo matrimonio manserit, etiamsi liberi nondum fuerint, dictã matris nomine spe, atque omine, vnde & *matrimonium* dictum. *Matrem* verò *familiàs* esse, quæ in mariti manu mancipioque esset, quæ in familiam quoque mariti, & sui hæredis venisset. Alij *Matronas*, virgines nobiles dicunt. *Materfamilias* verò quæ in matrimonio per coemptionem conuenerunt. Nã per quandã iuris solennitatem in familiam migrant mariti. Inter *Matrem & Matremfamiliàs* hoc interest, quòd *Mater* est, quæ præter illam significationem, quæ est πρός τι, quæ tantùm conuenit in matrimonio, quod alij *Materfamiliàs* verò, quæ conuenit, vt iam diximus, per coemptionem.

Naiades sunt Nymphæ fontium, *Oreades* montium. *Dryades* arborum.

Noxia, est culpa, id est, peccatum, *Noxa*, pœna.

Nimbi dicuntur repentinæ & præcipites pluuiæ, *Pluuias* ipsas vocamus lẽtas & iuges.

Olea est arbor ipsa, vnde deriuatum est *oleum*. *Oliua* fructus ipse, Vnde est *oliuum*. Legimus tamen *oliuam* & de arbore. Vt,

Incumbens tereti Damon sic cœpit oliuę.

Oneratus est qualicũque pressus pondere: *Onustus*, cui onus ipsum honori est. Vt si quis hostium spolia ferat. Sed *Oneratus* aspirationem non habet, quia ab onere venit: *Honustus*, quia etiam ab honore descendit, retinet aspirationem.

Opes numero tantùm plurali diuitias significat. Virg.

Troianas vt opes.

Numero tantùm singulari, auxiliũ. Terent.

Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.

Vtroque numero, possibilitatem.

Opim quando dicimus, nympham significamus: Si autem dicimus *opem*, auxilium intelligimus. *Opes* numero plurali, auxilia & census accipimus. Nam *Ops* terra est vxor Saturni, quam Græci Rheam vocant.

Orare est petere: *Exorare*, impetrare.

Odorum, quod per se olet. *Odoratum*, quod odorem aliunde accipit.

Hoc opus & hæc Opera tũc dicimus, quando negotium ipsum, quod geritur, significamus: Si autem fœminino genere dixerimus *Operas*; personas ipsas, quæ aliquid faciunt, significamus.

Patulum

Patulum dicimus, quod per se patet naturaliter, vt, nares, arbor: *Patẽs* est, quod & aperitur & clauditur, vt, ostium, oculi.

Patrij dij sunt, qui præsunt singulis ciuitatibus, vt Minerua Athenis, Iuno Carthagini: *Indigetes* autem propriè sunt dij ex hominibus facti, quasi in diis agentes, vt Æneas Romulus.

Planta raptæ sunt de arboribus: *Plantaria*: quæ ex seminibus nata, cum radicibus & terra propria transferuntur. Virg. 2. Georg.

Et viua sua plantaria terra.

Pecuaria, ab eo quod est pecuare venit: nã *pecua*, vt ait in Põpeiana Cicero, ab eo, quod est *pecu* venit. Vt *genu genua*.

Peior à malo dicitur: *Deterior* à meliore.

Parêre est obedire. Vt, Paret amor dictis: *Apparêre* autem est videri. Vt,

Apparet liquido sublimis in aëre nisus.

Pernix pedum est. Vt,

Pernicibus ignea plantis.

Celeritas pennarum. Vt,

celerique fuga sub sidera lapsæ.

Populos cùm numero plurali dicimus, vrbes significamus: cùm verò *Populum*, vnius multitudinem ciuitatis intelligimus. Vt, populum latè regem, belloque superbum, de Romano intellexit.

Pollicemur sponte: *Promittimus* rogati.

Pauidus est semper timẽs: *Pauẽs*, ex causa.

Pone verbum nullum habet accentum. Vt,

Pone metum Cytherea.

Ponè tamen in vltima habet accentũ, cùm significat retro. Terent. in Phor.

Ponè apprehendit pallio.

Piget ad futurum spectat: *Pudet* ad preteritum. Et licet penè vna sit significatio, tamen dicimus, *Piget* me illud dicere: *Pudet* me fecisse.

Poscere, est secundum Varronem, quoties aliquid pro merito nostro deposcimus: *Petere* vero est cùm aliquid humiliter & precibus postulamus.

Penetrale dicitur, quod penetrat: quod autem penetratur, *Penetrabile*.

Rura dicebant siluæ & pascua: *Agrum* verò eum qui colitur.

Ripæ propriè fluminum sunt: *Littora* maris. Vt, Ouid.

Pro ripis littora pulsant.

Sinus genus est vasis, quod cùm significamus, s i. producitur: Cùm gremium significamus, s i corripimus.

Squallens, splendens significat, quod à squammis venit. Vt,

squammis auroque trilicem.

Nam à squallore sordidum significat. Vt,

Squallentem barbam.

Spinus masculino genere prunorũ arbor vocatur: *Spina* verò fœminino, sentes vocantur.

Salem quo vtimur, singulari tãtùm numero dicimus: cùm *iocum* significamus, pluralem tantùm ponimus numerum, secundum Lucanum, qui ait,

Non soliti lusere sales,

Aliquando & *vrbanitatem* per singularem numerum significamus. Terent. in Eunuch.

Qui habet salem, quod in te est,

id est, quæ res in te est. Masculini enim generis est, non neutri, & neutra τείπτωτα sunt, nec ab hoc accusatiuo nominatiuus esse potest, hoc sale.

Salum ab eo venit, quod est *Salum Sali*, Vt,

Pérque vndas superante salo:

Et quod ait,

Et sale tabentes artus, ab eo quod est, hic *Sal Salis*, cùm *Salum*, πέλαγος.

Statio est, vbi ad tempus stãt naues: *Portus*, vbi hiemant.

Stirps genere fœminino gen⁹ significat. Vt,

Heu stirpẽ inuisam. Masculino arborẽ. Vt,

Sed stirpẽ Teucri nullo discrimine sacrũ.

Specula, quando speculationem significamus, generis est fœminini. Vt,

Specula Misenus ab alta.

Speculum autem, in quo nos intuemur, generis neutri est. Iuuen.

Speculum ciuilis sarcina belli.

quòd Græcè ἔνοπτρον.

Sertum & *Serta*, cùm nihil adiicitur, dicimus. Vt,

Sertisque recentibus halant.

Item alibi expressius,

Serta procul tãtùm capiti delapsa iacebãt.

Si autem *Sertos* dixero, addo flores: Si *Sertas*, addo coronas. Vt Lucanus,

Accipiunt sertas nardo florente coronas.

Species rerum præsentium est, quod quasi aspicitur: *Fama* rerum absentium.

Sanies, mortui est: *Tabus*, viuentis scilicet sanguinis.

Timor de futuro est: *Odium*, de præsenti.

Turbo quando appellatiuum est, facit *turbinis*: Si nomen proprium, *Turbonis*. Vt Horat.

Turbonis in armis.

Troia, cùm prouinciam dicimus, & principale est nomen, breuis est Tro. Vt,

Troiæ ruinis.

διαφορικῶς. Quando nõ est principale, & deriuatio est, longa est, Tro. Vt, Troius Æneas.

Tellurem deam dicimus: *Terram* verò elementum.

Totum est vnius corporis plenitudo. Vt, Totum auditorium, id est, integrum. *Omne* de vniuersis dicimus. Vt, *Omne auditorium*, id est. Vniuersa auditoria.

Terror propriè est, qui aliis infertur, vt si dicas, Ille habet terrorem, hoc est, timẽdus est: vnde & *terribilis* dicitur.

Metus dicitur, quem habent timentes:

Volema ab eo, quod volam impleant, dicta sunt: *Vola* autem est medietas palmæ vel pedis, vnde & *inuolare* dicimus. *Volema* lingua Gallica bona & grandia dicuntur, sed magis dicta sunt ab eo, quod volam impleant.

Voluens, qui voluit: *Volubilis*, qui voluitur.

Vterus est mulierũ: *Aluus* est, qua defluunt sordes. Sallust. Simulans sibi aluum purgari: *Venter* qui videtur. Iuuen.

Montani quoque venter adest abdomine tardus.

Vanus est, qui etiam sine vtilitate, mentitur: *Mendax*, qui tantùm ac decipiendũ. Sanè *vanus* apud idoneos, stult⁹ inuenitur. Vt Iuuẽ.

Sic libitũ, vano qui nos distinxit Othoni.

Vrbs muros: *Ciuitas* eius habitatores significat.

Visus genere vtimur *masculino*, cùm de his loquimur, quibus videmus, Vt si dicam, Nubecula obest visibus meis: Sin *neutro* vtamur, ea quæ videntur, significamus.

Vitta sacerdotis sunt: *Laurus* verò etiam Imperatoris victoris.

Vallum dicitur ipsa munitio: nam *Valli* fustes sunt, quibus vallum munitur. Virg. de sustentaculis inquit vitium,

Primus vallos sub tecta referto.

Sexti Pompeij Festi DE VERBIS VETERIBVS.

AMbaruales hostiæ appellabantur, quæ pro aruis à duobus fratribus sacrificabantur. *Amburbiales* hostiæ dicebantur, quæ circum terminos vrbis Romæ ducebantur.

Acus dicitur, qua sarcinatrix vel etiam ornatrix vtitur: *Acus* etiam paleæ quædam de frumento dicuntur.

Assiduus dicitur, qui in ea re, quã frequenter agit, quasi cõsedisse videatur. Alij *assiduũ*, locupletem, quasi multorum assium, dictum putarunt. Alij eum, qui sumptu proprio militabat, ab esse dando vocatum existimarunt.

Ad, aut propriè personam significat, vt eo ad Põpeium: aut locũ, vt, abiit ad theatrum. *At*, differẽtiã rerũ significat, vt cùm dicimus: Scipio est bellator at Marcus Cato orator.

Adscripti dicebantur, qui in colonias nomina dedissent, vt essẽt coloni. *Adscriptitij* veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur.

Arbitrium dicitur sententia, quæ ab arbitro statuitur. *Arbitrariũ*, cùm adhuc res apud arbitrum geritur.

Ambitus honoris dici cœptus est, à circuncundo, supplicandóque. *Ambitio* est ipsa actio ambientis.

Adeo, cùm prima acuta effertur, idẽ significat quod accedo, vt cùm dicimus; adeo prætorem. Cùm secunda, idem est, quod vsque eo non quidem secundũ rationem, quia Ad præpositio accusatiuis accommodanda est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine.

Aquilus color est fuscus & subniger, à quo aquila dicta esse videtur, quãuis eam ab acutè videndo dictã volunt. *Aquulus* autẽ color, ab aqua est nominatus. *Aquilo* vẽtus à vehementissimo volatu, aquilæ instar, appellatur.

Apud & Penes in hoc differunt, quod alterum personam cũ loco significat: alteru personã, & dominũ, ac potestatẽ quod trahitur à penitus.

Abgregare est à grege, *Adgregare* ad gregẽ ducere, *Segregare* ex plurib. gregib. partes seducere: vnde & *Egregius* dicitur, è grege lect⁹.

Auidus à non videndo, propter nimiam cupiditatem appellatur: sicut *Amens*, qui mentem suam non habet.

Beneficiarij dicuntur milites, qui vacãt muneris beneficio: è contrario *Munifices* vocantur, qui non vacant, sed munus Reip. faciunt.

Bardus stultus à tarditate ingenij appellatur. *Bardus* Gallicè cantor appellatur, qui virorũ fortiũ laudes canit à gente Bardorum.

Concinnare est aptè componere, *Concinere* est conuenire.

Cohum lorum, quo temo buris cum iugo colligatur, à cohibendo dictum. *Cohum* poetæ cœlum dixerunt, à chaos, ex quo putabant cœlum esse formatum.

Comptum, genus libaminis, quod ex farina conspersa faciebant: *Comptum* Afranius pro ornatu, & cultu posuit.

Chilo dicitur cognomẽto à magnitudine labiorũ. *Cilo* sine aspiratione, cui frõs est eminẽtior, ac dextra sinistráq; velut recisa videtur.

Cupes & Cupedia antiqui lautiores cibos nominabant: inde & macellum, & forum Cupedinis Romæ appellabant: *Cupedia* autem à cupiditate sunt dicta.

Curia locus est vbi publicas curas gerebãt. *Calabra* curia dicebatur, vbi tantùm ratio sacrorum gerebatur. *Curia* etiam nominantur, in quibus vniuscuiusq; partis pop. Rom. quid geritur. *Curiata* comitia, à curiis appellata.

Curiales eiusdẽ curiæ, vt tribules, & municipes. *Curules* equi, quadrigales. *Curules* magistratus appellati sunt, qui curru vehebãtur.

Cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc est prãdiũ. *Vesperna* quã nunc cœnã appellamus. *Cœnacula* dicũtur, ad q̃ scalis ascẽditur.

Cum imperio esse dicebatur apud antiquos; cui nominatim à populo dabatur imperium. *Cum potestate* esse dicebatur de eo, qui à populo alicui negotio præficiebatur.

Censere nunc significat putare, nunc suadere, nunc decernere. *Censio* hastaria dicebatur dum militi mulctæ nomine ob delictũ militare indicebatur, quòd hastas daret. *Censui agri* à censendo

à censendo propriè appellantur, qui & emi & vænire iure ciuili possunt. *Censores* dicti, quòd rem suam quisque tanti æstimare solitus sit, quantum illi censuerint.

Comedus, di, qui bona sua consumit, antiqui dixerunt: *Comedio, onis*, recentiores.

Extrarius est, qui extra forum, sacramentũ, iusque fit. *Extraneus* ex altera terra, quasi extraneus. *Externus*, ex altera gente. *Extraneus*, ex alia terra, *Exterraneus* quoque dicitur, qui ante tempus natus, vel potius eiectus est. dictus autem *Exterraneus*, quòd eum mater exterrita, aluo eiecit.

Explorator à Speculatore hoc distat, quòd *Speculator* hostia silentio perspicit: *Explorator* pacata clamore cognoscit.

Feralia, diis manibus sacrata festa, à ferendis pecudibus appellata. *Feria* à feriendis victimis appellata.

Fœnus & Fœneratores, & lex de credita pecunia, *Fœnebris*, à fœtu dicta, quòd crediti nũmi alios pariant, vt apud Græcos eadem res τόκος dicitur. *Fœnum* quoque pratorũ ab hac causa est appellatum, quando idipsum manens, quotannis nouum parit: vnde etiam *fœsinca* vocata est.

Fœnum appellatur naturalis terræ fœtus, ob quam causam & nummorum fœtus. *Fœnus* est vocatum, & de ea re *leges Fœnebres*.

Factio & Factiosus initio honesta vocabula erant: vnde adhuc factiones histrionum & quadrigariorum dicuntur. Modò autem *nomine factionis* seditio, & arma vocantur.

Here, est aduerbium temporis: *Heri* dictum à Græco χθὲς.

Hæres apud antiquos pro domino ponebatur. *Hæredium* prædium paruulum.

Hostis apud antiquos peregrinus dicebatur, & qui nunc hostis, perduellis.

Impages, dicuntur quæ à fabris in tabulis figuntur, quò firmius cohæreant, à *pangendo*, id est, figendo. Vnde & poetæ *Pangere versus* dicuntur, & agricolæ *Pangere plantas*, id est, infigere.

In, non semper abnuitionem significat, sed interdum etiam pro ademptione ponitur, vt inuolando, inclamando, inuocando.

In præpositio significat modò *quod non*, vt inimicus: modò *actionem*, vt inclamauit: modo *vbi quod tendatur*, vt incurrit: modò *vbi quis sit* vt inambulat.

Infectores qui alienum colorem in lanam coniiciunt. *Offectores*, qui è colore proprio nouum efficient.

Illex producta sequenti syllaba significat, qui legi non paret, qui legem putat tenere se nullam: *Illex* correpta sequente syllaba significat, inductionem, ab illiciendo.

Manubia Iouis tres dicuntur esse, quarum vnæ sunt minimæ, quæ moneãt, placidæque sint. Alteræ quæ maiores sunt, ac veniant cum fragore, discutiántque, aut diuellant, quæ à Ioue sint, & consilio deorum mitti existimẽtur. Tertiæ his ampliores, quæ cum igne veniant, & quanquam nullum sine igne fulgur sit, hæ propriam differentiam habeant, quòd aut adurant, aut fuligine deforment, aut accendant.

Modò, cùm per corruptum o dicitur, significat *tempus*, vt, Modò introij, & ponitur pro *tantùm*, vt, Tace modò, nũc iam. Quòd si producta posteriore syllaba enuntietur, datiuus, vel ablatiuus est casus ab eo, quod est *modus*, Vt, *Modo quodam*, id est, ratione.

Mente captus dicitur, cùm mens ex hominis potestate abiit: & idem: *Demens*, qui de sua mente discesserit: & *Amens*, qui à mente abierit.

Miseratur is qui conqueritur aliena incõmoda: *Miseratur* is, qui miserum subleuat. *Miseret me*, eadẽ forma dicitur, qua *Piget me*.

Oculissimum, charissimum. Plaut.

Oculissimum ostium amicæ.

Oculatum, pro præsenti posuit idem Plaut. cùm dixit,

oculata die. Idem ipse,

Pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem.

id est, qui se vidisse dicat. *Oculitus* quoque dicitur, vt funditus, penitus: quo significatur tã charum esse quàm oculum.

Orba significat apud poetas priuata aliqua persona chara. *Orba* est, quæ patrem, aut filios, quasi lumen amisit.

Inter *Obsidionalẽ & Ciuicam coronam* hoc interest, quod altera singularis salutis signum est, altera vniuersorum ciuium seruatorum.

Ob præpositio, aliàs ponitur pro *circum*: vt cùm dicimus, Vrbem obsideri, obsignari, obuallari. Aliàs *In*, vicem præpositionis, quæ est propter vt, Ob merita, Ob superatos hostes, vnde *obsides* quasi *obfides*, qui ob fidem patriæ præstandam dantur. Aliàs pro *ad*, vt Ennius,

Ob Romã noctu legionem ducere cœpit.

Præsidium est, quod pro salute & vtilitate alicuius auxilij gratia præponitur. *Subsidium* quod postpositum est ad subueniẽdum laborantibus.

Properare aliud est, aliud *festinare*. Qui vnũquodque maturè transigit, is *Properat*: qui multa simul incipit, neque perficit, is *Festinat*, [Qui neque citius agit, neque serius, sed medium quiddam tenet, is *maturat*: vt bene atque propriè Nigidius.]

Portenta rerum fieri dicuntur, cùm solida corpora rarò se ostendunt, vt cometæ, turbines, barathra, item sereno cœlo fieri tonitrua. *Ostenta*, quæ tantummodo ostendunt. *Monstra*, quæ perspiciantur, quęque remedio purgentur.

Puri, Probi, Profani, Sui auri dicitur in manumissione, sacrorum causa: ex quibus *Puri*, significat quod in vsu spurcum non fuerit: *Probi*, quod rectè excoctum, purgatúmque sit: *Profani*, quod sacrum non sit, & quod omni religione solutum sit: *Sui*, quod alienum non sit.

Quatenus significat qua fine. vt hactenus, hac fine: at *Quatinus*, quoniam.

Inter *Legem & Rogationem*: *Rogatio* est genus legis. Quæ *lex* non continuò est, ea *rogatio* est, non potest non esse lex, si modò iustis comitiis rogata est. Ælius Gallus.

Rogatio est, cùm populus consulitur de vno, pluribúsque hominibus, quòd non ad omnes pertineat: & de vna pluribúsque rebus, de quibus non omnibus sanciatur. Quod in omnes homines, résve populus sciuit *Lex* appellatur.

Reus stipulando, est idem qui stipulatur: *Reus promittendo*, est qui suo nomine alteri quid promisit, quíve pro altero quid promisit.

Inter *Sacrum, Sanctum, & Religiosum* hæc differentia. *Sacrum*, ædificium consecratum Deo. *Sanctum* murum qui sit circa oppidum. *Religiosum* sepulchrum, vbi mortuus sepultus aut humatus sit.

Regium est, quòd aut est, aut fuit regis: *Regale*, est dignum rege.

Sub vitem hastas iacere dicitur veles, cùm eas sub manu sursum mittit: *Sub vitem* præliari dicuntur milites, cùm sub vinea militaturi pugnant: *Sub vineam iacere* dicuntur, cùm astantibus centurionibus iacere coguntur sudes.

Taciturnus, qui facilè tacet: *Tacitus*, argutus etiam, quia potest aliquando tacere.

Martij Terentij Varronis
DE LINGVA LATINA.

VErba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant, vt *hostis*. Nam tum eo verbo dicebant *Peregrinum*, qui suis legibus vteretur: nunc autem eum, quem tum dicebant *Perduellem*.

Lacus, lacuna magna, vbi aqua contineri potest: *Palus* paululum aquæ in altitudinem & palàm latius diffusæ.

Præsidiū est dictum, quia extra castra præsidebāt in loco aliquo, quò tutior regio esset:

Obsidium dictum ab obsidendo, quo minus hostis egredi possit in die.

[*Pauper*, à paulo lare: *Mendicus* à minus, cui cùm opus est, minus est.

Diues, à diuo, qui vt deus, nullo videtur indiger. *Opulentus* ab ope, cui ea optimè. *Pecuniosus*, à pecunia magna.

Vindemiator, vel quòd vinum legere dicitur, vel quòd de vite id demit: *Vestigator*, à venatu.

Assum dictum, quod ab igni assudescit. *Vuidum* est, quod humidum: & ideo vbi id non est, succus abest, & ideo sudando assum destillat humorem. Vt *Crudum* minimum habet humoris, sic *Excoctum* parum habet succi, *Elixum* est è liquore aquæ deductum, & ex iure: quod iucundum magis, conditione succi.

Hasta, quòd astans solet ferri. *Iaculum*, quod vt iaciatur, fit. *Tragula*, à traiiciendo.

Damnum, à demtione, cùm minus re factum, quàm quanti constat: *Detrimentum*, à detritu: quòd ea, quæ trita, minoris sunt precii.

Merces à merendo, quod manu factum erat, & datum pro eo. *Manupretium*, à manibus & precio: *Præmium*: à præda, quòd ob rectè quid factum, concessum.

Loquax, qui nimium loquitur: *Eloquens*, qui copiosè loquitur.

Colloquium, cum conuenitur in vnum locum, loquendi causa: *Loquela*, verbum quod in loquendo efferimus.

Loquitur is, qui suo loco quodque verbum sciens ponit: *Proloquitur* ille, cùm animo quod habuit, idque extulit loquendo.

Conserere manum dicimus cum hoste: *Asserere manu*, cùm libertatem comprehendimus.

Spondet, qui dicit à sua sponte: *Sponsor* etiā spondet, qui idem faciat obligatus: *Præs*, qui à magistratu interrogatus, in publicum vt præstet, à quo & cùm respondet, dicitur *præs*. *Vas* appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat.

Inter *Agendi, Faciendi, & Gerendi* verba: Potest quis quid *facere*, & non *agere*, vt, *poeta facit fabulam*, & non agit: Contrà *actor agit*, & non facit, & sic à poeta fabula fit, & non agitur, & non fit. Contrà Imperator qui dicitur res gerere, in eo neque agit, neque facit: sed *gerit*, id est, sustinet: translatum ab his qui onera gerunt, quod hi sustinent.

Signa dicuntur eadem & *Sidera*. *Signa*, quòd aliquid significent vt, libra æquinoctium: *Sidera* quæ insidiuntur, atque ita significant aliquid in terris perurendo.

Fretum, dictum à similitudine feruentis aquæ, quod in fretum sæpe concurrat æstus, atque afferuescat. *Æquor*, mare appellatum, quod æquatum, commotum vento non est.

Q. TERENTII SCAVRI DE ORthographia.

De, nonnunquam perperam ponitur, pro ex. *De prouincia* venire, qui se dicit, dicit perperam. Imus enim *in prouinciam*, vt in nauē, vt in Circum. *Eximus è prouincia*, vt è nauibus, e Corsica. *De prouincia* existimamus, cùm de ea bene aut malè prædicamus. *De naui* dicimus, cùm longa an oneraria sit, rogamus. *De Circo*, cùm Flaminius, an Maximus.

Vitiosè dicitur. Senatum haberi *apud ædem* Apollinis, quod *in æde* dici oportet. Et *de senatus sententia* vitiosè: nam habent dicere, vt ex mea sententia. Item quidam dicunt, *de senatu ire*, dici potius, quàm *è senatu* quòd de eo, quo inimus dicimus, in: de, cùm redimus. *Ex senatu eiectus* potius quàm de senatu.

Malè imperant qui dicunt, *de tabulis* quid dicere. De tabulis enim is dicit, qui eas laudat, aut culpat: *è tabulis* is dicit, qui quod est in his scriptum: recitat è scripto, quæ pronuntiantur.

A capite dempta quæ vocant, malè appellant, quòd sunt *de capite dempta*, non à capite. *Ad caput additum* rectè dicitur, si est extra caput quod additur.

Qui transcribunt tabulas, non describunt sed exscribunt, qui quales sunt scribunt, id est, tribuunt.

A scena, venit spectator: *è scena* venit, qui egit. Cōtrà *spectator è theatro: à theatro actor*. *De scena* loquitur, qui de ea bene an malè ornata sit loquitur. *In scena* pronuntiat, qui hoc idem subtiliùs vult dicere, non *in scena*, sed pro scena dicit, pronuntiare actorem *in scena* significanter Græcè dicimus. *E scena* actor exit, venit in pulpitum, ac vestibulum: *in scena* itaque actor est, cùm eò venit.

Prodire dicimus, qui domo excedit *Procedere* qui eo quòd ducit producere.

Pro rostris dici oportet, cùm is qui concionatur, his dicit, qui ante rostra sunt. *Pro rostris* enim *&* *ante*, idem sunt.

In rostra ascendit, *è rostris* descendit: *de rostris* dicit, qui ea eiusmodi sint, dicit. †

In cōcione stat, *è cōcione* venit, *de cōcione* dicit.

Inscribunt quidam literis, *Data è Gallia*: Item, *Data in Roma*, vitiosè: nam sic dici oportet *in Gallia*, & *Romæ*. *Dantur* enim *in loco*, afferuntur *è loco*: sequitur vt dentur *in Gallia & Romæ*.

Agellij.

Adoptatio dicitur, quod per prætorem fit. *Arrogatio*, quòd per populum.

Auarus appellatur, qui auidus æris est. *Locuples*, qui multas possessiones tenet.

Lex est generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu. *Plebiscitum* est lex, quam plebes non populus accipit.

Rogatio est, siue cùm populus, siue cùm plebs rogatur, siue quod vniuersos pertinet, caput ipsum, & origo, & quasi fons.

Populus est, in quo omnis pars ciuitatis, omnésque eius ordines continentur. *Plebs* ea dicitur, in qua gentes ciuium patriciæ non insunt.

Qui mentitur, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur. *Qui mendacium dicit*, ipse fallitur. *Qui mentitur*, fallit quantum in se est. *Qui mendacium dicit*, ipse non fallit, quantùm in se est. Ita Nigidius.

Necessitudo dicitur pro eo, quod necessum est. *Necessitas* pro iure officióque obseruantiæ affinitatísque.

Errare dictum, ἀπὸ τοῦ ἔρρειν. Hallucinari ex eo quod Græcè dicitur ἀλύειν.

Qui vnum quid maturè transigit, is *properat*: Qui multa simul incipit, neque perficit, is *festinat*.

Vani dicuntur, non (vt vulgus dicit) desipientes aut hebetes, aut inepti: sed vt veterū doctissimi dixerunt, mendaces & infidi, & leuia inaniáque pro grauibus & veris astutissimè componentes. *Stolidi* vocantur non tam stulti, & excordes, quàm tetri, & molesti, illepidi, quos Græci μοχθηροὺς καὶ φορτικοὺς dicunt.

Venæ suapte vi immobiles sunt, & sanguinis tantùm demittendi gratia explorantur.

Arteriæ motu atque pulsu suo habitu & modum febrium demonstrant.

VOCVM ALIQVOT APVD TERENTIVM explicatio.

E veteribus membranis.

Heus, *Ohe*, *Eho*, *Ehodum*, vocandi.
Antehac, *Quoad*, *Posthac*, temporis.
Vsquam, *Vspiam*, *Nusquam*, *Quopiam*, loci.
Amabò, *Sodes*, *Hem*, *Mea tu*, blandientis.
Pol, *Edepol*, *Castor*, *Hercle*, iurandi.
Eu, *Euge*, *Eia*, *Age*, *Agedum*, hortandi.
Nullus, pro non.
Vtut, qualitercunque. *Vbiubi*, *vbicunque*, *Cuicui*, *cuicunque*.
Heu, *heu*, dolentis.
Hui, *Phy*, *Papæ*, admirantis.
Vaha, deridentis vel indignantis.
Atat, expauescentis.
Ha ha he, deridentis.
Heu heu, *au au*, flentis.
Nequicquam, frustra. *Neutiquam*, nullo modo

Itidem, ſimiliter.
Apprime, Valde.
Atqui, Certè.
Potis eſt, poteſt: *Pote*, potes.
Etſi, *tametſi*, pro quamuis.
Qui, quare vel quomodo.
Quàm, quantum.
Maximè, ſæpe pro libenter.
Eccum, ecce eum vel ipſum.
Ecca ipſa, ecce ea ipſa.
Hicce, pro hic; *hiccine*, pro hicne: *hiice*, pro hij: *iſtœccine*, pro iſtóne: *huiuſce*, pro huius: *hiiſcine*, pro hiiſne.
Illaclon, pro illaclóne.
Malùm, interiectio.
Tute, tuipſe.
Scelus, quandoque pro ſceleſto.
Periculum, pro experientia.
Res, pro prædiis vel vtilitate.
Facinus, quandoque factum.
Mala, maxilla.
Dica, ſcedula.
Angiportum, via arcta.
Occipio, incipio.
Ceſſo, tardo.
Faxo, *faxim*, pro faciam vel fecerim: *faxint*, facient fecerint.
Duo, do: *duim*, dabo: *duint*, dent.
Scies, pro ſcis: *Scient*, pro ſint.
Face, pro fac. *Adduce*, pro adhuc.
Mitte, pro dimitte. *Rogo*, pro interrogo.
Offendi, pro inueni.
Mane, pro auſculta.
Opperior, expecto.
Percontor, inquiro.
Maturo, accelero.
Obtundo, enneco, de magna moleſtia.
Concedo, obedio.

Exigo, expello & ſperno.
Arceſſor, vocor.
Vereor, timeo. *Reuereor*, obſeruo.
Calleo, callidè ſcio.
Abnuo, nego & ſubtraho.
Refello, contradico.
Gannit, latrat, inaniter loquitur.
Dîſperij, per deos perij.
Poſterdie, pro poſtridie, hoc eſt, poſtero die.
Aſtu. aſtutia, vel prouidentia. *Aſtu* pro ciuitate.
Miſerè, interdum pro immoderatè.
Præuiſo, videre deſidero.
Sedulò intentò, *vtiliter*, ſtudiosè, *ex animo*, ſine dolo.
Ambages, verba fruſtratoria. *Phaleræ*, inſidioſa.
Clientela, ſeruitium vel multitudo clientium.
Conclamatum, ſatis dictum.
Faceſſere, libenter & cum deſiderio facere.
Id propterea: propter id.
Oſtentare, vanè ſe iactare vel oſtendere.
Propediem, breui vel cito.
Diem, breue tempus: *Ætatem*, tempus lõgum ſignificat, aduerbialiter.
Debacchari, furere, à furore non ceſſare.
Deſpicatus, deſpectus.
Ærumna, moleſtia vel miſeria.
Floccifacere, contemnere, deſpicere.
Laceſſere prouocare.
Suffarcinatus, ſuccinctus.
Iurandum, pro iuſiurandum.
Exemplum ſtatuere, id eſt pœnam conſtituere.
Poteſſe potis eſſe, poſſe.
Qui, pro qui. *Quiuis* pro quæuis. *Quiſnam* pro quænam.
Sycophanta, pro comedone.
Succenturiatus, ſub centuria poſitus.

PAVLI

FINIS.

PAVLI MANVTII PATRIS DE VETERVM DIERVM RATIONE.

SI duo dierum in genera distribui Annum oporteat, multifariã rectè diuidetur, vt sic: *Annus constat ex Diebus* vel *Fastis*, vel *Nefastis*: aut sic, ex Diebus vel *Festis* vel *Profestis*: aut sic, ex Diebus vel *Senatoriis*, vel *non Senatoriis*: aut sic, ex Diebus vel *Comitialibus*, vel *non Comitialibus*. harũ enim quatuor diuisionum, si separatim singulæ cõsiderentur, totum Annum quælibet complectitur. Nos autem, cùm de Diebus ex quæ scitu digna cẽsuimus, quæque ad Romanæ historiæ notitiam valde pertinẽt, breuiter ostendere instituerimus, ex his diuisionibus vtemur ea in qua quæ maior pars est, (duas enim partes habent singulę) ea, cum ea parte, quæ in aliis diuisionibus item maior est, cõparata, vberior aliquãto esse cognoscitur. incipiemus igitur à nominatis in prima diuisione, Fastis, & Nefastis: quandoquidem Fasti, quæ duarum primæ diuisionis partiũ plenior est, plures in anno sunt, quàm quæcũque pars in tribus reliquis diuisionibus latius patet, hoc est, quàm vel Profesti, vel non Senatorij: vel non Comitiales. quòd si quis opponat, in kalendario plures notatos esse dies littera C, quàm littera F, vnde plures significantur Dies Comitiales, quàm Fasti, itaq; nõ rectè me à Fastis, vt à pleniore parte, exordiri; sciat, non à me Fastos modò vocari quos notatos litera F videmus, sed omnes planè quibus fari tria verba, Do, Dico, Addico, Prætori licebat: quorum è numero Comitiales erant, & ij, quos in kalendario hæ literæ demonstrant EN. N'. Q. REX. C. Q. ST. D. F. P. quibus omnibus cùm fari liceret, etiã si non id semper fieret: qua de caussa notati sunt aliis literis potiùs, quàm F, vt indicetur, præter Fari aliquid etiam fieri licuisse: non absurdè mihi facere videor, si ad Fastos, litterâ F notatos, qui quidem verè Fasti dici possunt, quòd iis aliud prorsus nihil fiebat, quo Prætor à iure dicendo impediretur, eos quoque dies aggrego, quibus, Fari semper quidem licebat, non tamen, quod liceret, fieri semper solebat. vt omnino tria essent genera, quibus de singulis agetur suo loco: primùm Fasti ij, quibus fari semper & liceret, & soleret, qui notantur littera F, súntque omnes XXXIX. hi & propriè erant Fasti, & toti: propriè quòd per eos nisi cũ aliquis casus extra ordinem interueniret, nũquam Prætorius non dicebat: toti, quòd Fari, horis omnibus liceret. Alterum genus fuit, Fasti ij, qui & ipsi propriè Fasti erant, sed non toti, quòd iis quidem omnibus Fari, non tamen horis omnibus, liceret. erant autem hi, EN. N'. F. P. EN. Q. REX. C. Q. S. T. D. quas litteras infrà explanauimus. atque hi erant omnes LXV. Tertium genus Comitiales fuêre casu Fasti, non propriè, quia, cum Comitia non haberentur, tunc fari solum Prætor solebat, hi modo toti erant Fasti, cùm nulla scilicet Comitia haberentur, modo ex parte, cùm haberentur illa quidem, sed minimè per totũ diẽ. hi CLXXXIV. erant. Nos igitur Fastos omnes vocamus, quibuscunque Fari liceret, siue Fasti propriè, siue non propriè essent. Itaque ab his profesti, paullatim progrediemur diuidẽdo, vt, qui nobis propositus est huius narrationis finis, eo perueniamus. Omnes Dies aut Fasti sunt, aut Nefasti: & Fasti partim Fasti, partim Profesti: Festos plerosque partim Fastos, partim Nefastos fuisse, vt Quirinalia, Lupercalia, Terminalia, ex kalendario cognoscitur, quibus enim Festis diebus adscriptum est N', ij sunt Nefasti. simul, & Fasti Nefasti, priore parte, Fasti, posteriore. Dies Feralia adscriptam habet F. qui festus propriè non fuit, sed gestandæ ad mortuos cœnæ dicatus dies. quod quia non hora stata fiebat, sed vt cuique commodum erat, ideo totus dies potuit esse Fastus. propterea, vt opinor, littera F.

notabatur. Festis porro diebus, non dubito, quin omnibus haberi Senatum licuerit. cuius rei exempla sunt in antiquorum libris admodum multa: quanquam solemne hoc non erat vt semper Diebus Festis Senatus haberetur, sed legitimum vt haberi posset. solemne autem illud, ac statutum, ex more maiorum, vt kalendis, Nonis, Idibus, haberetur. Itaque in kalendario neque Kalendis, neque Nonis, neque Idibus littera C, quæ Comitiales dies significabat, per quos haberi Senatus non poterat, neque diebus omnino vllis Festis adhæret profesti dies aut fasti erant, aut Nefasti, & omnibus Profestis Nefastis haberi Senatum licebat. Profastis autem Fastis non planè omnibus, sed iis tantum, qui Comitiales non essent, quibus autem Profestis haberi Senatus poterat, iis omnino Agi cum Populo non poterat; contra quibus Profestis haberi Senatum non licebat, iis Agi quidem cum Populo licebat, nec tamen semper agebatur: cùm ea res ex eorum voluntate penderet, penes quos Populi cogendi potestas esset. non enim, quod licet, id etiam necesse est. Quod autem dixi Comitialibus haberi Senatum non licuisse, declarant illa verba, in epistola Ciceronis ad fratrem, quæ tertia est lib. II. Consecuti sunt dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat. & illa in S.C. quod Cœlius ad Ciceronem misit, Epist. fam. lib. VIII. Vtique eius rei caussa per dies Comitiales Senatum haberet, S.Q.C. facerent. Quibus verbis quod extra ordinem à Senatu eo S.C. decretum est, id omnino fieri solitum non esse, dilucidè colligo. ita Senatus Fastis quibusdam haberi poterat, quibusdam non poterat: siquidem Comitiales inter Fastos iam retulimus. Nefastis autem haberi omnibus potuisse, iam diximus. Sanè qui me torqueat, nodus est, mihi quidem perdifficilis, in epistola ad Atticum libro I. in qua, cùm dixisset iam, Nam cùm dies venisset rogationi ex S.C. ferendæ, paucis post versibus subiunxit, Senatus vocatur. quod certè mos maiorum minus ferre videbatur. nam, si Rogationi ferendæ dies est, certè Comitialis est. quòd si Comitialis, haberi Senatum non licet: cuius rei testimonio sunt ea, quæ paullò antè recitauimus, & ex epistola ad fratrem verba Ciceronis & è S.C. nisi si factum id extra ordinem dicamus, vt Pisonis Consulis iniquissimis conatibus obuiam iretur: qui cùm esset lator rogationis & eius Rogationis, quam ex S.C. & de religione ferebat, idem tamen erat dissuasor. Comitialium magnus erat numerus: eósque fuisse dies Fastos, quod suprà dixi, ita existimo, vt mihi videar affirmare posse, non enim inani quadam coniectura, sed certa in primis, vt puto, ratione commoueor. nam in Orationibus Ciceronis, in Pisonem, de Prouinciis consularibus, pro Sextio, mentionem video fieri ea de lege, qua P. Clodius Tribunus pl. sanxit, vt omnibus diebus Fastis Agi cum Populo liceret. quo fit apertum, Fastis quibusdam non id licuisse, quod, vt omnibus liceret, lege Clodia sancitum est. quam tamen legem non fuisse obseruatam, demonstratum est à nobis in lib. de Legibus Romanis. Nec vero mirari satis possum, cum, Fastos aliquot fuisse Comitiales, pateat, qui venerit in mentem Macrobio Fastis, dicere, Lege agi licuisse, cum Populo non licuisse, Comitialibus autem vtrunque licuisse. quorum alterum verè dictum constat, Comitialibus, inquam, & Lege agi, & cum Populo licuisse: quia scilicet Comitiales erant de numero Fastorum: itaque & illud, omnium Fastorum commune habebant, vt Lege agi posset, & hoc præter ea proprium, vt etiam cum Populo posset: Alterum autem de Fastis diebus, quibus ait lege agi licuisse, cum populo non licuisse, in prima parte verum esse video, in secunda qui possit non esse falsum, haud facilè reperio. qui enim Fastis agi cum populo non licet, cùm Comitiales omnes fasti sint &, Comitialibus agi licuisse cum populo, iam ostenderim: dixisset hoc modo: Fastis omnibus lege agi licet, cum populo non omnibus licet: nihil erat, quod reprehẽderes: siquidem, quod docuimus, quibusdam Fastis agi cum populo poterat, quibusdam non poterat: quibus poterat, eos si quis Fastos, aut Fastos, Comitiales diceret, non erraret, cùm dies fuerit nullus Comitialis, quin idem & Fastus: sed Comitiales potius, quàm Fasti, vt reliquis Fastis proprio nomine distinguerentur, & Comitiales item potius, quàm Fasti Comitiales, breuitatis caussa, vocabantur. Verùm quia libenter, quantum in me est, Antiquitatem soleo tueri: Macrobium, à quo multa didici, quasi gratiæ referendæ loco conor excusare: vt cum Fastos nominauit, de iis tantum intellexerit qui Fasti vulgo dicebantur, non etiam de iis qui etsi Fasti ipsi quoque erant, Comitiales tamen appellabantur. spectauit igitur non verbi vim, quæ dies omnes, quibus Prætor tria verba fari posset siue Comitiales essent, siue nõ, complectitur, sed consuetudinem loquendi, quod Fastos nominabant eos, quibus tantum lege agi posset, cùm eos quibus cum populo posset, Comitiales præcipuo vocabulo mallent appellare. Quæritur hic fortasse: cùm Comitiales omnes essent Fasti, iísque & cum populo, & lege agi posset, cum populo, quia Comitiales: lege, quia Fasti, fierétne simul vtrunque. Negatur. nam, etsi, licebat vtrunque

que eodem die, non tamen vtrunque poterat eodem tempore. cùm enim populus in Forum conuenisset, quid iudicibus, aut litigantibus loci relinqueretur? porrò, si vacaret locus, quî tamen posset Prætor, aut Iudices, in tanto strepitu, quantus coactæ in vnum locum multitudinis solet esse, eorum, qui causas agerent, orationes attentis auribus, animísque, vt par est, excipere? sedata mente diligenter aliquid considerantibus opus est, itaque absurdum est, credere potuisse eodem tempore & cum populo agi, & iudiciis operam dari: sicuti Fastis iis, qui Comitiales non erant, eodem quidem die non tamen eodem tempore, & Lege actum, & Senatum esse habitum inuenio; sic, vt Lege ageretur primùm, deinde Senatus haberetur. quòd cum ex aliis locis, tum ex III. & XII. epistola libri II. ad Quinctum fratrem intelligitur. Ergo cùm omnes Comitiales essent Fasti, non quia semper Lege ageretur, sed quia semper liceret, si modò cum populo non ageretur: (nec enim vtrunque simul fieri, iam diximus) ita concludemus: Fastos, litera F in Kalendario notatos, iurisdictionem omnes habuisse: Fastis, littera C notatis, & ius dici, & agi cum populo eodem die, non eodem tamen tempore, potuisse: ideóque Fastos eos quoque fuisse dico, non ex eo, quod fieret, sed ex eo, quod liceret. Hæc de fastis: supersunt Nefasti. His omnino neq. lege agi, neque cum populo licebat. cùm enim opponantur Fastis, quorum è numero sunt Comitiales, eo iure, quòd omnes Fasti, siue Comitiales, siue non Comitiales, habent, prorsus careant necesse est. Festus etiam sic: Die nefasto apud Prætorem lege agere, religiosum erat. Causas tamen agi, & Concionē haberi, & legem promulgari, licebat. nam neque caussas agi est lege agi: neque Concionē haberi, aut, legem promulgari, est cum populo agi. quæ probare singula magni negotij non est. Agitur lege, cùm Prætor tria verba fatur, Do, Dico, Addico, qui est vltimus iudicij dies, cùm verò caussis audiendis Prætor operam dat, lege tunc non agitur. quare fastos esse necesse non est omnes dies, quibus aut pro reo, aut contra reū dicitur, sed fastum eū quidem esse necesse est, quo Prætor, aut qui iudicio præest, cum consilio iudicum sententiam ferre debet. itaque in epistola III, libri II. ad Quinctum fratrem, Ad III. Idus, inquit, dixi pro Bestia de Ambitu, apud Prætorem Cn. Domitium. Quem tamen diem (est autem III. Idus Februarij) factum non fuisse, Kalendarium indicat, notatur enim, vt nefastus, litera N nec omnino de octo diebus, qui ab Idibus appellantur, mēse Februario Fastus vllus fuit, vltimo tantùm die, hoc est Idibus ipsis, excepto, qui nefastus priore, fastus posteriore parte fuit, notatur enim sic, N^P. Conciones licet ad populum haberentur, non tamen Comitiali tantùm die, sed eo facto, qui Comitialis non esset, & Nefasto pariter haberi poterant. nolo enim quenquam in eo falli; quia fortasse, Agi ad populum, & Agi cum populo idem esse videatur, quæ diuersa sunt. nam Agebatur ad populum cùm ad populum concionem aliquis habebat, vt Gellius docet lib. XIII. c. V. Agebatur autem cum populo, vt ait Festus, cùm magistratus ad Consilium aut Comitia vocabat. quod fieri Comitiali duntaxat die licebat. Concionari autem omnibus æquè diebus licuisse, exempla demonstrant. itaque quoties aliquod S. C. erat factum, dimisso Senatu, & S. C. ad populum recitato, magistratus aliquis, aut etiam priuatus Senator, Concione ei à magistratu data, ad populum verba faciebat, nec tamen is erat dies Comitialis: nam Comitialibús fieri S. C. aut omnino Senatum haberi non potuisse, demonstratū est. & Festus hæc apertè distinguit, cùm ait, Forum est, in quo iudicia fieri. Cum populo agi, Conciones haberi, soleant. Quo die igitur. Agi cum populo, eodem, Agi apud populum, licebat, quo autem Agi apud populum, eodem. Agi cum populo, non semper licebat. Exempla sibi quisque notet in legendo, quòd facillimum est, sunt enim infinita. itaque puto me facere non ineptè, quòd iis recitandis quæ passim extant, conterendum mihi tempus esse non existimem. Illud addendum vnum videtur, Cùm aduocabatur Concio, vt populus aliquid suffragiis, rogante magistratu, scisceret, tum actum esse cum populo, non ad populum, cùm verò Magistratus, aut etiam priuatus aliquis, magistratu ei concionem dante, ad populum verba faciebat, non vt suffragia ferrentur, sed vt aliquid exponeretur, tunc non cum populo, sed ad populū actum esse. Aliud est igitur, Habere concionem, aliud Aduocare concionem. Habere concionem, est Agere ad populum, Aduocare concionem, si aduocatur, vt suffragia ferantur, est Agere cum populo. ideo scripta sunt hæc, apud Macrobium lib. primo Sat. Iulius Cæsar Auspiciorum lib. XVI. negat, Nundinis Concionem aduocari posse, id est, Cum populo agi, ideóque Nundinis Romanorum haberi Comitia non posse, Addita enim sunt illa verba. Id est, Cum populo agi quia non semper, Concione aduocata, cum populo agebatur, sed interdum ad populum duntaxat. Nundinis autem, cum populo quidem agere non licuit, ex quo sequebatur, vt Comitia haberi non possent, ad populū autē agere, hoc est concionem habere, certè licuit. non enim

adducatur illud quod à Cicerone scriptum est, lib. IV. ad Atticum: Ante diem x. Kal. Nũdinæ: Concio biduo nulla. Quibus verbis, id quod factum non est, non id, quod nõ licuit, ostẽditur, nam cùm haberi Nundinis Comitia non possent, quod non ex Macrobio tantum, verum etiam ex Plinio lib. XIIX. cap. III. cognoscitur: propterea ne concionandum quidem P. Clodius, Appius, Metellus putauerunt, qui proximis diebus, Comitiorum caussa, Conciones habuerant. Superest de lege promulganda. id enim de tribus, quæ præposuimus, erat tertium Ferendæ legis, & Promulgandæ non eadem ratio fuit. Ferebatur die tantùm Comitiali: Promulgabatur etiã non Comitiali siue fastus, siue Nefastus esset. itaque C. Cato Tribunus pl. rogationem de abrogando Lentulo imperio, die non Comitiali, promulgauit. cùm enim & post IV. Nonas Februarij & ante IIX. Idus eiusdem mensis promulgauerit: quod ex epistola III. libri II. ad fratrem colligitur: Comitiali die promulgare non potuit, ac ne Fasto quidem. primi enim duodecim Februarij dies Nefasti omnes fuerunt. Haberi autem Senatum per Nefastos omnes, licebat: nec per omnes tamen sed tantum, cùm res postularet, habebatur, eorum magistratuum, quibus id iuris erat, arbitratu. ita Senatus in hoc præstare populo videbatur: quod agi cum populo per vnum modo dierum genus, hoc est, per Comitiales, quæ Fastorum pars erat, haberi autem Senatum per duo genera, hoc est, & per Fastos eos, qui Comitiales non essent, & per Nefastos omnes, licebat. Erat præterea Dies aliquot promiscui, quibus totis lege agi, neque omnino licebat, neque omninò non licebat, sed partim Fasti erant, pàrtim Nefasti. horum tria erant genera: alij prima & postrema diei parte, Nefasti, media Fasti, qui dicebantur *Intercisi*, & in Kalendaria his duabus literis notantur, EN: quod est Endotercisi, prò Intercisi. Veteres enim Endo pro In vsurpabant. itaque dixit Cicero lib. II. de legibus: Quos endo cælum merita vocauerint. Et Festus notat, Endoitiũ pro initium. Varro autem lib. III. de re Rust. Endo suam domum. Alij priore parte Nefasti, posteriore Fasti: qui notantur ipsi quoque duabus litteris, N P, sed coniunctis, hoc modo N': quod valet, Nefastus primo, cuiusmodi fuisse dies ferè omnes Festos, inspecto Kalendario cognoscitur. Nonnulli priore parte Fasti posteriore Nefasti: qui notantur sic, F.P. quod, Fastus primo, significat. quo ex genere videmus in Kalendario Vinalia fuisse. Dies eos qui priore parte aut Fasti erant, aut Nefasti, de veteribus, quod meminerim, nemo nominat. de Fastis autem media diei parte hoc est de Intercisis, Varro sic lib. V. de lingua Latina. *Intercisi* dies sunt, per quos mane & vesperi est Nefas medio tempore, inter hostiam cæsam & exta porrecta fas: à quo, quod fas tum intercedit, Intercisi dies: aut quod Intercisum nefas. Patet iam, his litteris, quæ sunt in Kalendario, F. N. C. F. P. N'. EN, sex dierum genera significari, Fastos, Nefastos, Comitiales, Fastos primò Nefastos primo, Intercisos. Quòd si cui veniat in mentem, hac duarum litterarum connexione N. non significari, quod nos diximus, Nefastus primo sed potius, Nefas Prætori: huius opinionem argumentum primò e coniectura, vel ex ipsa potius, vt ego sentio, ratione ductum, deinde etiam Historiæ veteris infirmat auctoritas. argumentum est hoc: Nemo, cui pauciora sufficiunt, pluribus vtitur, quid opus erat, vt ij dies, quibus adscriptum videmus N. Nefasti esse indicarentur, duas potius litteras, quàm vnam, apponere? Cur N', inquam, non N? præsertim cum Nefasti dies omnes hac vna littera: N. notentur, sicuti & Fasti, eorum quasi aduersarij, vna litera, F, demonstrantur. Age, dicat aliquis, leue hoc esse, planéque nugatorium argumentum, quod sanè mihi videtur contrà, quid Ciceroni respondebitur? mendacíne, & falsitatis, quasi testem corruptum, aut inscientem, arguemus, non ita vt opinor, quisquam desipiet. Sunt igitur hæc in Epistola, Risi, Ciceronis verba, libro II. ad fratrem: Cognosce nunc Idus. Decimus erat Cœlio dies. Domitius ad numerum iudices non habuit. Quibus verbis, cum Idus Februarij, de quibus Cicero loquitur, Fastum ex parte diem fuisse, satis constet: quandoquidem eo die Prætor Domitius, vt de reo cognosceret, sententiámque ferret, in Forum descendit: sequitur, vt N, quod Idibus omnium mensium, exceptis Iuniis, in Kalendario adscriptum videmus Nefastus dies omnino significari non possit: Eodem in libro altera est Epistola, quæ sic incipit: Sextius noster absolutus est ad II. Idus Mart. qui dies, si eo die Sextius absolutus est, certè Nefastus planè non fuit, fuit autem, cùm ei sit adiunctum, priore quidem parte Nefastus, posteriore autem Fastus: sicuti & Idus Februarij, de quibus proximè diximus. & omnes dies, quibus in Kalendario N' appositum animaduertimus. Aggrediamur nunc quando & de Dierum ratione, & de literis, eos significantibus, satis multa, atque etiam, vt arbitramur, satis vera dicta, alias, quæ in Kalendario sunt, literas aut concisas, eoque obscuriores dictiones interpretari: vt, quos Antiquitas cæpit eorum commodo pro nostra virili parte consulamus.

KALEN-

A K IAN.F
B F
C C
D D
E NON.F
F F
G C
H C
A AGON.
B EN
C CAR.N'
D C
E EID.N'
F EN DIES VITIOS.
G CAR EX S.C.
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E F
F N
G C
XXXI

H K.FEB.N
A N
B N
C N
D NON
E N
F N
G N
H N
A N
B N
C N
D EID.N'
E N
F LVPER.N'
G EN
H QVIR.N'
A C
B C
C C
D FERAL.F
E C
F TER.N'
G REGIF.N
H C
A EN
B EQ.N'
C C
XXIIX

D K.MA I.N
E F
F C
G G
H C
A N' HOC DIE CAESAR. PONT.MAX.FACT.EST
B NON.F
C F
D C
E C
F C
G C
H EN
A EQ.N'
B EID.N'
C C
D LIB.N'
G C
D LIB.N'
E C
F QVIN.N
G C
H C
A N
B TVBIL.N'
C Q.REX.C.F
D C
E C
F N' HOC DIE CAESAR. ALEXAN.RECEPIT
G C
H C
A F
B C
XXXI

C K.APR.N
D C
E C
F CLVDI MATRI.MAC.
G N'ON.LVD
H N'LVDI
A NLVDI
B NLVDI
C NLVDI
D NLVD.IN.CIRC.
E N
F NLVDI CERER.
G EID.N'LVDI
H NLVDI
A FORD.N'LVD
B NLVDI
C NLVDI
D NLVDI
E CER.N.LVD IN CIRC
F N
G PAR.N
H N
A VIN.
B C
C ROB.N'
D F
E C
F N'LVD.FLOR.
G CLVDI
H CLVDI

A K.MAIN
B FCOMP
C C
D C
E C
F C
G NONN
H F
A LEM.N
B C
C LEM.N
D N'LVD.MART. IN.CIRC.
E LEM.N
F C
G EID.N'
H F
A C
B C
C C
D C
E AGON.N'
F N
G TVB.N'
H Q.REX.C.F
A C
B C
C C
D C
E C
F C

H K.IVN.N
A F MART.CAR.MONET
B C
C C
D NON
E N
F N
G MENTI. IN. CAPIT
H VES T.AF.PR.
A N
B MART.
C N
D EID.N
E N
F Q.S.T.D.F
G C
H C
A C
C C
B C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D F
E C

F K.IVL.N.
G N
H N
A N
B POPLIF.N'
C N LVDI APOLLIN
D NON.N LVDI
E N LVDI
F N LVDI
G C LVDI
H C LVDI
A N' LVDI
B C LVD.IN.CIR.
C C MER k.
D EID.N' MER k.
E F MER k.
F C MER k.
G C MER k.
H LVCAR.N' MERK.
A C LVD.VICT.CAES.
B LVCAR.LVD
C C LVDI
D NEPT.LVDI
E N LVDI
F FVRR.N' LVDI
G C LVDI
H C IN CIRC.
A C IN CIRC.
B C IN CIRC.
C C IN CIRC.
D C
XXXI

E K.AVG.N.
F C FER. HOC DIE C.CAESAR.HISP.VICIT.
G C
H C
A NON.F
B F
C C
D C
E N' HOC DIE CASAR HISPALIN.VIC.
F C
G C
H C
A EID.N'
B F
C C
D C
E PORT.N'
F C
G VIN.F.P.
H C
A CONS.N'
B EN
C VOLC.N'
D C
E OPIC.N'
F C
G VOLT.N'
H N' H.D. ARA VICTORIA
A F IN CVRIA DEDIC.EST
B F
C C
XXX

D K.SEPT.N HOC DIE PER.NEF.
E N
F N'
G C LVDI.ROMANI
H NON.F.LVD.
A F LVDI
B C LVDI
C C LVDI
D C LVDI
E C LVDI
F C LVDI
G N LVDI
H EID.N'
A F.F. EQVOR.PROB.
B LVD.ROM. IN CIRC.
C C IN CIRC.
D C IN CIRC.
E C IN CIRC.
F C IN CIRC.
G C MERK.
H C MERK.
A C MERK.
B N' MER.H.D.
C C AVGVSTI.NATALIS LVD.CIRC.
D C
E C
F C
G C
H F
A C
XXX

B K.OCT.N
C F
D C
E
F C
G C
H NON.F
A F
B C
C C
D MEDITR.
E AVGVST.N'
F FONT.N'
G EN
H EID.N'
A F
B C
C C
D ARM.N'
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C LVD.VICT.
E C LVDI
F C LVDI
G C LVDI
H C LVDI
XXXI

A K.NOVEM.N
B
C
D
E NON.F
F F LVDI
G C LVDI
H C LVDI
A C LVDI
B C LVDI
C C LVDI
D C LVDI
E EID.N' EPVL. IN DICT.
F F EQVOR.PROB.
G C LV.PL.IN CIR.
H C IN CIRC.
A C IN CIRC.
B C MERK.
C C MERK.
D C MERK.
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E F
F C
XXX

G K.DEC.N
H
A
B
C NON.F.
D
E C
F C
G C
H C
AGON.
B EN
C EID.N'
D F
E CONS.N'
F C
G SAT.FERTAE SAT
H C
A OPAL.N'
B C
C DIV.N'
D C
E LAR.N'
F C
G C
H C
A C
B C
C F
D F
E C
XXXI

KALENDARII ROMANI EXPLANATIO.

F.Fastus dies
C.Comitialis.
N.Nefastus

IAN.

Non.nonæ
Agon.Agonalia.Ouidius
En.Endotercisus:pro,Intercisus
Car. Carmentalia:quod sacra tum,& feriæ Carmenti.Varro
Eid.Idus

FEBR.

Lvper.Lupercalia:quod in Lupercali Luperci sacra faciunt.Varro.

Qvir. Quirinalia, à Quirino: quod huic Deo feriæ ad Q.fratrem lib.2.

Feral. Feralia: ab inferis, & ferendo, quod feruntum Epulas ad sepulchrum, quibus ius ibi Parentare.

Ter. Terminalia: quod is dies Anni extremus constitutus. duodecimus enim mensis fuit Februarius.

Regif. Regifugium. Ouidius. quanquam est inter Ouidium, & kalendarium, de Die Regifugij controuersia. ille enim assignat ci Februarij diem xxiii. in kalendario autem video ad xxiv. esse appositum. nec sanè, si modo Regifugij dies n fuit videtur esse potuisse die xxiii, hoc est Terminalib. qui N' dies fuit. alioqui dies idem & N' & n fuisset.

Eq Equitia.Varro,Festus,Ouidius

MART.

Lib.Liberalia. Varro
Qvin.Quiuquatrus.Varro

Tvbil.Tubilustrũ: quod eo die in Atrio sutorio Sacrorum Tubæ lustrantur. Varro libro 5.Ouidius libro 3.Fastorum,& Festus

Q.rex. c. f. Quando Rex Comitiauit, Fas.Varro,Festus

APR.

Circ.Circenses

Ford.Fordicidia: à Fordis bubus Bos forda, quæ fert in ventre, quod ea die publicè immolantur boues prægnantes in Curiis. complures à Fordis cædendis Fordicidia dicta.Varro libro 5.Ouid.libro 4.

Cer.Cerialia.Varro

Par.Parilia:à Pariendo, vt ait Victorinus Afer.Alij,Palilia,à Pale:quod eo die Feriæ ei deæ fiunt. Varro lib. 5. Ouidius lib.15. Fast. Festus in verbo,Pales:& Parilibus.Tibull. el. 6.lib.2.Propertius in iv.

Vin. Vinalia:à Vino.Varro

Rob. Robigalia: dicta ab Robigo, secundum segetes.Varro

Flor. Floralia. Ouidius,Plinius

MAI.

Comp.Compitalia

Lem.Lemuria.Varro,Ouidius

Lvd. mart. in circ. Ludi. Marti in Circo. Ouidius

Q. rex c. f. Quando Rex comitiauit, fas.

IVN.

Mart. car. monet. Marti, Carneæ Deæ,Monetæ Iunoni.Macrobius,Ouidius

In.capit. In Capitolio

Vest.ne.pr. Vestæ,Nefas Prætori

Mat.Matri Maturæ,Ouidius

Q.st.de. Quando stercus defertur. Varro,Festus,Ouidius

IVL.

Poplif. Poplifugium: pro,Pupulifudium

APOLLIN. Apollinares
MERK. Merkatus
VICT.CAESAR. Victoriæ Cæsaris
NEPT. Neptunalia
FVR. Furinalia

AVG.

FER. Feralia
HISP. VIC. Hispaniam vicit
PORT. Portunalia
VIN. F. P. Vinalia. Fas Prætori. Varro, Plinius.
CONS. Consualia. Plutarchus
VOLC. Volcanalia. Varro
OPIC. Opiconsiua. Varro
VOLT. Volturnalia. Varro
H.D. ARA. VICTORIAE. IN. CVRIA. DEDIC. EST. Hoc die Ara Victoriæ in Curia dedicata est

SEPT.

FER. NEP. Feriæ Neptuno
F. EQVOR. PROB. Feriæ equorum probandorum. Valerius Max. lib. II.
LVD. CIRC. Ludi Circenses, in Augusti die natali, Suetonius. Dio

OCT.

MEDITR. Meditrinalia, à Meditrina Dea. Varro
AVGVST. Augustalia
FONT. Fontinalia. Varro
ARM. Armilustrum. Varro

NOV.

EPVL. INDICT. Epulum indictum
LVD. PLEB. IN. CIRC. Ludi Plebeij, in Circo. Suetonius

DEC.

AGON. Agonalia
SAT. Saturnalia. Macrobius
OPAL. Opalia. Varro, Macrobius
DIV. Diualia. Diuæ Angeronæ dies festus. Is dies à Varrone lib. 5. de ling. Lat. appellatur Angeronalia, ab Angerona, cui sacrificium fit in curia. Macrob. Saturn. lib. 12. kal. Ian. feriæ sunt diuæ Angeroniæ cui Pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciunt.
LAR. Larentinalia. Varro, Ouidius, Plutarchus.

DE NO-

DE NOMINIBVS IMPOSITIVIS EX CONSTANTINI CENSVRA.

Hæc Tito Probo tribuuntur.

DE PRÆNOMINE.

VARRO *simplicia in Italia fuisse nomina* ait exisiimationísque suæ argumẽtum refért, quod Romulus & Remus, & Faustulus, neque prænomen vllũ, neque cognomen habuerũt. Qui ab eo dissentiũt, aiũt matrẽ eorũ Rhæam Syluiã vocatã: auũ Syluiũ Numitorẽ: fratrẽ eius, Amulium Syluiũ: & superiores Albanorũ reges, Capetum Syluium: Agrippã Syluium: posterioresque duces, Metium Suffetium, & Tutorem Claudiũ vocatos: nec cõtẽti iis, ad Sabinos transgrẽdiuntur: & Titũ Tatium, Numam Pompilium, & patrẽ eius Põpium Pompiliũ: eius denique regionis principes enumerant, Putilianum Lauianum. Volesium Valentiũ, Metium Curtium. Alium Sumusilcaticum, Hetruscis, recitant Lartem Porsenã. Ab equiculis, Septimum Medium, primum regem eorum, & Sertorem Resium, qui primus Ius Feciale instituit. In hunc modum Varronis sententia subruitur. ¶ Romanos autem arbitrandũ est *ab Albanis & Sabinis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse*: quoniam ab illis orti sunt. Omnia autem quæ ad vnumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinẽt. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo *gens cognoscitur*, ideóque dicitur *gentilitiũ*. Cætera ordine variantur. Nam quod præponitur, *prænomen*: quod pòst fertur, *cognomẽ*: quod ad vltimum dicitur, *agnomen*: quorum series non ita, vt exposui, semper seruata est. Animaduerto enim in consulum fastis; perplexũ vsum prænominum & cognominum fuisse, dictum, Posthumũ Comminiũ Aruntium: & Posthumum Ebutium Heluam, & Vopiscum Iulium, & Opitrem Virgineum Tricoscum, & Paulum Fabium Maximum. Quinctiam quædam cognomina in nomen versa sunt: vt, *Cæpio*: nãque hoc in Bruto nominis locum obtinuit. *Gentilium nomina*, Varro putat fuisse numero & prænomina circa triginta. Pueris non priusquam togam virilẽ sumerent, puellis non antequam nuberẽt prænomina imponi moris fuisse, Quintus Scæuola autor est. Quæ olim prænomina fuerũt, nunc cognomina sunt: vt, Posthumus Agrippa, Proculus. Cæsar *Opiter*, qui patre mortuo, auo viuo gignebatur: vt *Opiscus*, qui in vtero matris geminus conceptus, altero abortu eiecto, incolumis editus erat. *Hospes* prænomẽ fuit in eo qui peregrè apud hospitẽ natus erat, ídq. habuit Lucretius Tricipitius collega Lucij Sergij. *Volero* enim in prænomẽ abiit, quia nolẽribus nasci liberis parentibus videbatur, quo vsus est Pub. Philo. *Laertis* prænomen, est sũptũ à larib Tuscũ antè creditũ esse. fuítque consularis. *Herimnus*, est prænomẽ Tito Virgineo Casto. *Statius*, à stabilitate: *Faustus* à fauore prænomẽ ceperũt. Tullius prænominatus est ominis gratia, quasi tollẽdus, o litera, in u, conuersa. *Sertor*, qui per sationem natus est, appellatus est. *Ancum* prænomẽ, Varro à Sabinis translatũ putat: Valerius autem scribit, quòd cubitũ vitiosum habuit, quòd Græcè vocatur ἀγκών. *Lucij* cœperunt appellari, qui ipso initio lucis orti erant: aut (vt quidã arbitrantur) à Lucumonibus Hetruscis *Manij*, qui manè editi erant: vel ominis causa, quasi boni, Manum enim antiqui bonũ dicebant. *Cneus*, ob insignem rem appellatus, quòd vnũ prænomẽ varia scriptura notatur, alij Neũ, alij Gneum, alij Cneũ scribunt, qui G litera in hoc prænomine vtuntur, antiquitatem sequi videntur, quæ multum ea litera vsa est, olim enim dicebant frugmentũ, nunc frumẽtum refertur, & gnatura modò natura. Igitur etiam qui in corporibus gigni solet, Gneus appellatur, Qui C. corruptione syllabæ delectari videntur. Qui Neus, leuitatẽ Gaij indicant, à gaudio parẽtum dicti. *Auli*, qui diis alentibus nascuntur. *Marci*, qui Martio mense geniti. *Publij*, qui prius pupilli facti erant, quàm prænomina haberent, alij ominis cau-

ſas, ex pube. *Tiberij* vocari cæperunt, qui ad flumen Tiberin naſcebantur. *Titus* à Sabino nomine Tito fluxit. *Appius*, ab Acteo eiuſdem regionis prænomine. *Caſones* appellati ſunt, qui mortuis matribus execti erant. *Seruius*, qui mortua matre in vtero ſeruatus eſt. *Spurij*, patre incerto geniti, quaſi Epoptæ. *Numerij*, ſola patricia familia vſa eſt Fabia, idcircò quòd c c c v i. apud Trebiam flumen cæſis: qui vnus ex ea ſtirpe extiterat, ducta in matrimonium vxore filij Numerij Iotalicij Malemitani, ſub eo pacto, vt quem primum filium ſuſtuliſſet, ei Numerij prænomen imponeret, obtemperauit. ¶ Antiquarũ mulierum frequenti in vſu prænomina fuerunt, Rutilia, Ceſellia, Rodocilla, Mutrulla, Burra, à calore dicta. Iſta prænomina, à viris tracta ſunt, Caia, Lucia, Publia, Mœrea. Cæterùm Caia vſu ſuper omnes celebrata eſt: fertur enim Caiam Cæciliam, Tarquinij Priſci regis vxorem, optimam lanificam fuiſſe, & ideo inſtitutum fuit, vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ quænam vocarentur, Caiam eſſe ſe dicerent.

CAROLI

CAROLI SIGONII DE NOMINIBVS ROMANORVM LIBER.

Cur Romani multis nominibus vsi sint.

CVM multæ res in tota antiquitate Romana parum adhuc tractatæ ac cognitæ sunt, tum illa difficilis atque obscura quæstio est de ratione nominum Romanorum. Nam etsi res est & à veteribus explicata diligenter, & ad huius etiam memoriæ hominibus penitus non neglecta, tamen quia illorum scripta vetustas vel consumpsit ferè vel deformauit, hi in hoc genere non satis accuratè omnia collegerunt, plurimum adhuc lucis desiderare videtur. Itaque, quoniã ad hos quos scripsimus, Romanorum magistratuum Fastos eiusmodi maximè disputatio pertinet, quique proximè hac de re scripserunt, nec satis plenè nec ad rei veritatem satis aptè tãtum argumentum tractarunt, faciendum esse nobis videtur, vt hoc loco quid de nominibus Romanorum inuenerimus, exponamus. Quum autem Romanos homines duobus primùm post etiam tribus nominibus vsos esse reperiamus, quorum vnum præcipuè Nomẽ, alterum Prænomen, tertium Cognomen aut Agnomen appellauerunt. iccirco danda opera est vt in huius quasi vestibulo disputationis caussam huiusce facti, quæ probabilis maximè videatur esse, reddamus. Qui igitur de his caussis differuerunt, ij in duas ferè partes diuisi sunt. quorum alij hanc consuetudinem propriam fuisse Romanorum, alij à vicinis populis acceptam esse tradiderunt. Ac priorem quidem opinionem tuetur Varro, (vt est apud Valerium Maximum in epitoma de prænominibus) posteriorem verò quidam alij. Varronem autem mouit maximè illa ratio, quòd in Italia ante Romam conditam quosdam homines vno tantummodo nomine præditos fuisse, vt Romulum & Remum & Faustulum animaduertit. Itaque Varronis opinionem Priscianus, fortè sequutus, caussas cur Romani nomina duplicauerint, exponit duas: vnam, vt qui in quaque familia eodem nomine vocarentur, præposito aliquo alio nomine, quo inde prænomen dixerunt, distinguerentur, alteram, vt Sabinorum gratiam beneuolentiámque colligerent, quos Romulus in ciuitatem suscepit, aut suis Sabinorum nomina, aut contrà sua Sabinorum nominibus præponentes. Id quod in Romulo scripsit etiam Eutropius. Quinetiam Appianus huc spectasse videtur, quum in procemio historiæ scripsit Romanos vno primum nomine vsos esse, post duobus, tum tribus. Sic enim ait, Καὶ τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἦν ἕν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν· ἑκάστῳ μετὰ δὲ ἐγένοντο δύο· καὶ οὐ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξα τίθεσθαι ἐς ἐπίγνωσιν ἐκ πάθους ἢ ἀρετῆς περὶ τίθεσθαι. Itémque. Varro libro De lingua Lat. quum ait, Quum essent duo Terentij, aut plures, discernendi caussa, vt aliquid singulare haberent, notabant forsitan ab eo qui manè natus diceretur, vt is Manius esset: qui luci, Lucius: qui post patris mortem, Postumus. Qui verò secus senserunt, hanc rationem ab alijs populis mutuatos esse Romanos dixerunt: præsertim verò quum ipsi ante Romam conditam matrem Romuli legerent Rheam Siluiam, auum Numitorem Siluium, fratrem eius Amulium Siluium, posterióresque duces Metium Fufetium, Titum Tatium, Numam Pompilium, patrémque eius Pomponem Pompilium nominatos. In hac autem opinione fuerunt Arruntius Claudius & Valerius Maximus. Nam Claudius (vt Diomedes scribit) à Græcis hoc sumptum tradit, apud quos multi æquè atque apud Romanos, tria nomina vsurpauerint, id quod in Alexandro Dardanio Paride & in Achille Æacide

Celeri intelligi posse putat. Valerius autem ab Albanis & Sabinis, à quibus potissimùm traxerunt originem, Romanos. hanc consuetudinem accepisse ait. Atque huic quidem ego etiam assentior, quippe qui & hanc rationem apud Italos populos fuisse, & aliis præterea eos quibusdam prænominibus à Romanis vsos esse comperiam, & Remum ac Romulum, aut quia spurii fuerũt, gentis nomine caruisse, aut certè ex Siluia gente, cuius & mater erat, extitisse existimem. Distinguẽdorum tamen filiorum atque nepotum caussa inuenta prænomina esse. Varroni grauissimo in primis auctori assentior.

Quid sit nomen, prænomen & cognomen.

Celebrata est igitur (quemadmodum demonstratum est) à Romanis hæc tota multiplicandorum nominum ratio. neque enim nomine aut prænomine tantummodo contenti fuerunt, sed cognomen & agnomen etiam adiunxerunt. Quod etiam significat Pausanias in Atticis, quum eos tribus aut etiam pluribus nominibus vsos esse tradidit, ita, *καλοῦνται γε οὐ πατρόθεν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ ταυτὰ Ἕλλησιν, ἀλλὰ καὶ τρία (ὁπότε ἢ ὀλίγιστα) καὶ ἔτι πλέονα ὀνόματα ἑκάστῳ τίθενται.* De quibus omnibus quum ab aliis alia tradita sint, quid ipse sentiam, non dicam, quid autem veteres senserint, verbis eorum expositis, breui concludam. Ac primùm quidem nominabo Valerium, qui ita ait, Omnia quæ ad vnumquenque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo genus cognoscitur, ideóque dicitur gentilicium. cætera ordine variantur. Nam quod præponitur, prænomen: quod pòst fertur, cognomen: quod ad vltimum dicitur, agnomen vocatur. Neque verò aliter sensisse videntur Sosipater, Donatus & Diomedes, grammatici non solùm antiquitate, sed etiam doctrina nobiles. quorum, vbi de propriis nominibus agunt, hæc verba sunt, Vocabulorum, quibus Romani capita recensebant, quatuor genera sunt, prænomen, nomen, cognomen, agnomen, Prænomen, quod nomini gentilicio præponitur, vt Publius: nomen, quod originem gentis declarat, vt Cornelius; cognomen, quod nominibus gentiliciis subiungitur, vt Scipio: agnomen, quod extrinsecus addi solet aliqua ratione, vel euentu quæsitum, vt Africanus. Quod si quis hos fortasse, vt leues, huiusce rei auctores repudiauerit, nunc animum referat ad ea quæ scripta sunt apud Dionysium, Plutarchum, Ciceronem & Suetonium, auctores rerum Romanarum grauissimos, eosdemque certissimos, à quibus hæc eadem opinio confirmatur. Dionysius quidem nomen vnum commune Romanis fuisse ait, alterum vero gentilicium. Sic enim de Lucumone ait, *μαθὼν ὅτι Ῥωμαίων ἑκάστῳ κοινὸν ὄνομα κεῖται, καὶ μετὰ τὸ κοινὸν ἕτερον, ὃ δὴ συγγενικὸν αὐτοῖς ἐστι καὶ πατρωνυμικόν.* sic alibi commune nomen appellat prænomen, vt de Attio Nævo, *αὐτὸς δὲ ἐκαλεῖτο κατὰ κοινὸν ὄνομα καὶ προσηγορικὸν Νέβιος, τὸ δὲ συγγενικὸν, Ἄττιος.* Eodem autem in loco Dionysius commune nomen vocat Lucium, gentilicium verò Tarquinium. Plutarchus verò in Coriolano ait ita, Tertium igitur ei nomen Coriolano inditum est: ex quo intelligi potest, Caium ei fuisse proprium nomen, Marcium verò gentilicium. id est, *ἐκ τούτου μάλιστα τὸν τρίτον ἔσχεν ὄνομα τὸ Κοριολάνον· ᾧ καὶ μάλιστα δῆλόν ἐστιν ὅτι τῶν ὀνομάτων ἴδιον ἦν ὁ Γάιος, τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινὸν ὁ Μάρκιος.* Idem etiam initio Marij. Ea verba, quia nimis multa visa sunt, atque etiam in promptu sunt omnibus, non apposui: quid tamen ille tradiderit, breuiter mihi esse ostendendum putaui. Sic igitur ille disputat vt varia & ipse fuisse nominum genera dicat. quorum alia prima, alia secunda, alia tertia vocat. Ac prima quidem nomina quæ propria, vt Cnæum, Lucium, Publium: secunda vero quæ gentis caussa multis communia sunt, vt Pompeios, Manlios & Cornelios: tertia, quæ ab actione aliqua, vel à corpore, vel à moribus indita sunt, vt Macrinum, Torquatum & Sullam. & secundis quidem respondere apud Græcos Heraclidas ac Pelopidas: tertiis vero Grypum & Gallinicum putat. Quid? quum Cicero epistola ad Atticum libro quarto, ita ait, Qui vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius, & Suetonius in Cæsare, quum inquit, Vt quod eo anno actum esset, Iulio & Cæsare actum scriberent, bis eundem repetentes, nomine ac cognomine, nónne satis ostendunt Titum quidem prænomen, Cæcilium verò & Iulium nomina, Cæsarem verò cognomen esse? Hæc mihi satis multa & satis firma visa sunt quæ afferrem cùm ad harum appellationum vim & naturam definiendam, tum ad eorum opinionem labefactandam qui contrà aut aliter senserint aut scripserint.

Quot & quæ prænomina fuerint, & vnde singula ducta sint.

Quum ergo multa vocabulorum genera sint, quibus plerunque veteres Romani appellarentur primùm de prænominib. post de reliquis, quid sentiamus dicẽdum est. Ac prænomen quidem *προώνυμον* Græcè dictum scribi

bit Diomedes: Plutarchus autem modo primum nomen, modo proprium nomen, Dionysius (vt ostendi) commune nomen appellat. Vis autem Latini vocabuli satis perspicua est nam quod nomini præponitur, id prænomen dici voluerunt. Ex his autem prænominibus alia à Romanis, alia à finitimis populis frequẽtius vsurpata esse reperio: Romana autem ad triginta fuisse ex Varronis sententia tradit Valerius. Hæc autẽ fuisse videntur, Agrippa, Appius, Aulus, Cæso, Caius Cnæus Decimus, Faustus, Hostus, Lucius, Mamercus, Manius, Marcus, Numerius, Opiter, Postum⁹, Proculus, Publius Quinctus, Serui⁹, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus, Tullus, Vibius, Volero, Vopiscus: peregrina vero Ancus, Aruns, Lar, Lucumo, Metius, Numa, Petro, Pompo, Sertor, Tallus, Turnus, Volusus. De quorum prænominum origine ac significatione quoniam qui de nominibus modò scripserunt, nihil dixerunt, nos scribemus ea quæ à veteribus tradita, a nobis quanta maxima fieri potuit diligentia sunt collecta.

Agrippa, Festo auctore, vocatus qui cum labore matris sit natus, exempli caussa in pedes contra naturam, & non in caput, id est, ab ægro partu. Item Marcellus & Quinctilianus lib. 9.

Appius ex Sabinorum prænomine Actio venit, vt ait Valerius, idque Romæ Claudiorum fuit: quorum princeps Actius Clausus dictus est. Liuius lib. 3. quo in loco multa in scholiis exinus.

Auli dicti qui diis alentibus nascerentur. Valerius.

Caso qui ex vtero matris exectus est. Festus, Valerius, Plin. lib. 7. cap. 9.

Caius à gaudio patrũ appellatus. Valerius.

Cnæum ob insigne næui qui in corporibus gignitur.

Faustum à fauore dictum scribit Valerius.

Quinctus, Sextus, Decimus, à numero dicti sunt, teste Varrone, vt qui quincto, sexto, & decimo quoque loco esset natus, is demum primis temporibus Quinctus, Sextus & Decimus diceretur.

Hostes inquit Valerius, fuit prænomen in eo qui peregre apud hospitem natus est, fuítque prænomen Lucretij Tricipitini, collegæ L. Sergij consulis. Macrobius lib. Saturnal. primo, qui in hostico procreatus esset, eum Hostum vocatum fuisse scribit. Est autem mendum apud Valerium. Hospes enim legitur non Hostus. Quòd autem legendum sit Hostus, ex eo intelligi potest quòd Liuius Lucretium Tricipitinum, cuius Valerius meminit, Hostum vocat. Et in consulibus Capitolinis, An. CCCXXXVI. scriptum est. *P. Lucretius Hosti F.* Macrobius etiam lib. 1. Hosti filij mentionem facit.

Lucij duplex origo traditur à Valerio. aut enim à Lucumonibus Etruscis dictus est, vt Lucumo Tarquiniensis, qui se L. Tarquinium appellauit: aut is demum Lucius appellatus est qui lucis initio natus est. Quod scribit etiam Festus & Varro.

Mamercus prænomen gẽtis Æmiliæ fuit, de quo Plutarchus in Numa & Æmilio, sic, Mamercus fuit Pythagoræ filius, à quo Numa Pompilius rex filium Mamercum nominauit, qui auctor & princeps gentis Æmiliæ fuit. Festus autem prænomen Oscum esse putat, quòd Osci Martem Mamercum appellauerint.

Manius dictus est qui manè est ortus: aut ominis caussa, quasi bonus: manum enim antiqui bonum dicebant. Varro lib. 2. De analogia. Valerius, Festus, Macrobius lib. 1. Saturnal. Zosimus autem Græcus historiarum auctor lib. 1. tradit Manium in gentem Valeriam profectum esse à quodam Valerio, qui primus sacra diis manibus fecit. Sic enim ait, τοῦτον τὸν βωμὸν ὁ Οὐαλέσιος ἀνεθὶν, καὶ τὴν θυσίαν καὶ τὰς παννυχίδας ἐπιτελέσας ἐκλήθη Μάνιος Οὐαλέσιος Ταραντῖνος. τοὺς γὰρ χθονίους θεοὺς μάνης καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καὶ τὸ ὑγιαίνειν βαλέρε.

Marius dictus est qui mense Martio natus est. Valerius.

De Numerio sic Festus, Numerius prænomen nunquam antea fuisse in patricia familia dicitur, quàm Q. Fabius, qui vnus post sex & trecentos ab Etruscis interfectos superfuit, inductus magnitudine diuitiarum vxorem duxit Oracilij Maleuentani (vt tum dicebantur) filiam, ea conditione vt qui primus natus esset, prænomine aui materni Numerius appellaretur. Et Valerius ita. Numerio sola patricia familia vsa est Fabia, ideirco quòd CCC. VI. apud Cremeram flumen cæsis, qui vnus ex ea stirpe exstiterat, ducta in matrimonium vxore filia Numerij Oracilij Maleuentani sub eo pacto, vt quem primum filium sustulisset, ei Numerij prænomen imponeret obtemperarit. Hinc mendosè apud Ciceronem lib. 1. De diuinatione legitur ita, His adiungatur etiam somnium Æneæ, quod in numerum Fabij Pictoris Græcis annalibus scriptum est, quum sit legendum. Quod in Numerij Fabij Pictoris. Fuit enim alter Fabius Pictor prænomine Quinctus qui de rebus Romanis Latinè scripsit, Gellio & Nonio teste (qui eius sæpe verba Latina proferunt) itémque Cicerone de legib. 1. qui eum inter historicos Latinos numerat, at qui Græcè iisdem de rebus scripsit, is videtur fuisse Numerius nominatus, quem tamen 1. libro Dionys. Quinctum nominat. Hac ratione in oratione pro Cluentio Numerios Aurios legimus. & lib. 3. De orat. Numerium Furium, & lib. 3. De diuin. Numerium Suffucium, &

apud Pædianum Numerium Quinctium.

Opiter dictus, cuius pater, auo viuo, mortuus est, quasi qui post obitum patris genitus sit, aut qui ob patrem auum habeat. Quod prænomen Virginio Tricosto consuli fuit. Valerius & Festus.

Postumus, qui post humatū patrē est natus. Varro lib. 2. de analogia, & Plutarchus in Coriolano, vt Posthumus *Æbutius*, de quibus Valerius. Nā Liuij libri mendosi erāt, qui haberēt Postumius pro Postumus: qui tamē Postemius gētis nomē sit, Postumus pręnomen.

Proculus, qui natus sit patre peregrinante patria procul, vt ait Plutarchus in Coriolano. Valerius autem ait, qui patre sene natus sit, quasi procul ætate progresso, cum Proculum esse vocatum.

Publij, ait Valerius, qui prius pupilli facti erant quàm prænomina haberent: alij ominis caussa à pube.

Seruius is primùm dictus est, quem seruiés mulier peperisset, vt de Ser. Tull. rege scribit Dionysius. at Valerius, qui mortua matre, in vtero seruatus est.

Spurius dictus, qui sine patre esset, antiqui enim iisdem literis S P. Spurium, & sine patre scripserunt. Plutarchus in quæstionibus, & Valerius.

Tiberij qui ad Tiberim nascerētur. Valerius.

De Tito controuersia est. Valerius à Sabino quodam, nomine Tito, manasse ait, Festus à Titulo. Titulos autem milites fuisse quòd patriam tuerentur, quasi Titulos.

Tullus ominis caussa dictus est, quasi tollendus, o in u versa. Valerius.

Volero, inquit Valerius, in prænomen abiit, quia nolentibus nasci liberis parentibus videbatur. quo vsus est Publilius Philo. Quare in anno CCCLIII. Capitolino ita est, *L. Publilius L. F. Voler. N. Philo.*

Vibum prænomen esse indicat annus CCC. Capitolinus, vbi ita est, *P. Sestius Q. F. Vibi N. Capitolinus.* Itémque Liuius lib. 26. Vibus Virius.

Vopiscus dictus, qui ex duobus conceptis vno ab ortu excluso ad partum legitimum deduceretur, quo prænomine præcipuè Iulia gens vsa est. Valerius, Festus, Plutarchus in Coriolano, Plin. lib. 6. cap 9. Sed de Romanorum prænominum vi ac significatione hactenus. Peregrinorum autem multo obscurior ratio & significatio est.

Ancum scribit Varro à Sabinis ortum. Valerius autem tradit eum Ancum esse appellatum, qui vitiosum habuit cubitum, qui ἄγκων Græcè dicitur, cui etiam Festus assentitur. Ancus enim, (inquit) ille vocatur, qui aduncū habet brachium, ita vt regi non possit. Hinc Ancus Marcius rex, & Ancus Poblicius imperator Lanuuinus contra Hostilium regem, Dionysio auctore.

Arruntem & Luconem Etrusca prænomina fuisse scribit Dionysius. Itaque Arruntem Tarquinium superbi regis filium, & Arruntem Toluminium Porsenæ filium legimus.

Volusus Sabinū fuit, eóque vsus est pater P. Valerij Poplicolæ, Liuio & Capitolinis lapid. auctoribus: quanquam Græci Οὐόλεσον vocāt.

Lartis prænomen, vt tradit Valerius, à laribus sumptum est. Tuscum autem antè creditum est esse, fuitque consulis Herminij. Idem ferè Carisius & Priscianus lib. 5. Lars familiaris est, facit laris, si Tolumij Porsenę, Lartis. Et Seruius in 6. Æneidos. Lar Tolumnius à Cosso occisus, à loco dictus est. flectitur autem Lar Lartis. Et Liuius lib. 4. Daturos, quod Lar Tolumnius dedisset. Et Cicero Philippica IX. Lar Tolumnius Veientium rex. De Larte Porsenà ita Dionysius lib. 5. βασιλεὺς ἦν Κλουσινῶν Λάρος ὄνομα, Πορσίνας ἐπίκλησιν. Quòd autem hoc prænomen Herminij consulis fuerit, (vt ait Valerius) id ex Dionysij lib. 6. quoque cognoscitur: à quo ita anno CCCIII. consul scribitur Λάρος Ἑρμίνιος, & à Diodoro Λαέλιος Ἑρμίνιος. Ex his autem intelligi potest quàm verè scripserint quidam in libro de Nominibus ita, Posteaquam in vrbem migrarunt Sabini, duplicari nomina cœperunt, vt Numa Pompilius, Seruius Tullius, Lares Porsena. quanuis hoc nomen Etruscum fuerit. In quo prænomine *Lartes* sciendum eo veluti prænomine vsos veteres. Seruius interpres Vergilianus ab oppido dictum putat. Itidem Plutarchus in Publicola existimauit, qui tamen Λάρτης scribit, sed malè. Hęc illi. quàm autem verè, ipsi viderint. neque enim Lartes Porsena duobus tantùm nominibus vsus est, quum ex Tolumni gente fuerit. Carisio (quem antè nominaui) auctore nec *Lartes* in recto casu dicitur, sed *Lar*, quod superioribus testimoniis comprobatum est. nec Seruius *Lartem* ab oppido dictum ait, sed à loco: nec item Plutarchus vllo in libro, nedum, in Poplicola, ab oppido dictum ait, neque item est apud Plutarchum Λαέρτης, sed Λάρος, quanquam mendosè. inquit enim ἱκέτευσε Κλάρον Πορσίναν, quum sit legendum ex Dionysio, τὸν Λάρον Πορσίναν. Cur igitur hoc illi dixerunt? quia interpretem legerunt, qui ita vertit, Supplex ad Laertem Porsenam confugit. Illi verò in Græcis libris versati, quid in Græco codice esse deberet, intelligentes, illud quod non erat, esse affirmarunt.

Metius, Albanorum prænomen fuit, vt in Metio Fufetio: & Sabinorū, vt in Metio Curtio: & Latinorum, vt in Metio Geminio & Metio Octauio, de quibus Liuius.

Numa Sabinorum fuit, vt in Numa Pompilio rege, & in Numa Marcio pont. max. de quo dixi in primum Liuij librum.

Pompe-

Pomponis prænomine vsus est Pópo Pompilius Numæ regis pater, Dionys. in Numa, & Liuius li.41. Itaq. Numa filiũ etiã habuit nomine Pópone, qui ex se gẽtẽ Pópontã propagauit, auctore Plutarcho, quãquã quidã imperitè Pomponij filiũ Numam esse scripserunt.

Tallus Sabinorum prænomen fuit, de quo Festus. Dionysius etiam cum Tatio rege Sabinorum Romam commigrasse ait Tallum cognomine Tyrannum.

Turnus Latinorum fuit, vt in Turno Herdonio Aricino.

Sertor auctore Valerio dictus est, qui per sationẽ natus esset, eóq. prænomine Sertor Resius vsus est. is qui primus ius feciale instituit. Festus autẽ Sertorẽ à prendendo dictũ à quibusdam ait, quia quũ cuipiã afferat manũ, educẽdi eius gratia ex seruitute in libertatem, vocetur adsertor, quũ verisimilius sit dictum quòd sereret quid: ac potius adsertorẽ à serẽdo accepisse nomẽ, quũ aliquẽ serat, petẽdo in libertatem eandem qua ipse sit, id est iungat. quia fruges, quum seruntur, terræ iungit.

Satium prænomen à stabilitate dictũ tradit Festus: simile autem nomen fuisse, Gellius.

QVEMADMODVM RO. PRÆ-*nomina scriberentur, & errores quidam in iis scribendis sublati.*

His rebus expositis, reliquũ est vt (quod in scholiis etiam Liuianis fecimus) qua ratione hæc ipsa prænomina scriberẽtur, tradamus. id enim maximè rẽ caussámq. cõtinere videtur. Romanorũ igitur prænominũ alia singulis, alia binis, alia ternis literis scribi solita, cùm à veterib. traditum, tum ab antiquissimo quoq. lapide numóq. ita retentũ est vt nihil eare possit esse illustrius. Auctores sunt Plutarchus in quæst. Sosipater, Donatus & Priscianus: quorũ verba recitare nõ rẽ indigere probationis putarẽ. Singulis literis scribebãtur, Aulus, Cæso, Caius, Quinctus, Decimus, Lucius, Marcus, Manius, Numerius, Publius, Titus, vt A. Postumius, C. Iulius, K. Fabius, Q. Cæcilius, D. Iunius, L. Licinius, M. Valerius, M' Curius, N. Fabius, P. Cornelius, T. Manlius. Binis. Appius, Cnæus, Spurius Tiberius, Opiter: vt Ap. Claudius, Cn. Põpeius, Sp. Veturius, Titus Æmilius, Op. Virginius. Ternis, Mamercus, Sextus, Seruius, Tullus: vt Mam. Æmilius. Sex. Iulius, Ser. Cornelius, Tul. Hostilius. Neq. verò horũ omniũ antiquæ notæ in libris sunt conseruatæ, verùm nonnullorum ita aut vetustate aut negligentia sunt deletæ, vt non solùm nulla vestigia nobis sui reliquerint, sed ipsa etiam in alia prænomina transmigrarint. Cui tamen incommodo nos & apud Liuium & in Fastis ipsis ita occurrimus, vt & sua cuiq. prænomina reddiderimus, & ea propriis cuiusque, quæ desiderabantur, notis distinximus. Ac primum quidem, quoniam multos esse animaduerti qui D. Decium interpretarentur, notum quidẽ errorẽ, sed errorẽ tamẽ tollere volui, nam præterquã quòd Decius est gentis nomen: Græcorum etiam monumenta satis indicant, quoties in his libris Latinis aut aliis eiusmodi monumentis D. loco prænominis scriptum est. Decimum esse exponendũ. quia Δέκιμον plerunque habent, non Δέκιον.

Manius scribebatur hoc pacto M'. Id autẽ ex eo argumẽto collegi. Animaduerti Curiũ Dentatũ, quẽ libri Latini, Græcique plerũque Maniũ Curiũ nominant, in quarto eius triũpho Capitolino ita describi, M' Curius, M. F. N. *Dentatus*. eadẽ ratione Valerium, qui anno CCLIX. dictator est, & à Dionysio Manius Valerius dicitur, in fragmẽtis Capitolinis ita vocari. M'. *Val.* -, preterea consules, qui anno CDXC. in cõsulibus Capitolinis M'. *Valerius*, & M'. *Octacilius* scribũtur, à Polybio Μάνιον Ὀτακίλιον, & Μάνιον Οὐαλέριον nominari. Hæc igitur ipsa quũ legissem, accuratior deinde factus sum in Aciliis & Aquiliis, Æmiliis, Sergiis, cæterisq. eiusmodi suo prænomine decorandis, quos in antiquis monumentis iisdem notis esse descriptos, apud Græcos ferè, aut Manios aut Mallios finitimo errore vocatos esse reperiebam. Quibus rebus adductus, tùm prænomen tum eius antiquam notam linguæ Latinæ restitui, eáque ipsa re historiam ipsam Romanam, quæ magnam iacturam fecerat, subleuaui. Puto autem veteres his notis M' & M' distingui Manium à Marco voluisse, qui M'. litera notatur. Iccirco autem dixi & M'. Nam quæ nota in Capitolinis tabulis est M' ea est in numis argenteis M'. vt M' *Cordius. Rufus* M' *Acilius III. vir valetu.* M' *Sergius Silus.* Quos numos cùm apud alios, tũ maximè apud clarissimum virũ Andream Lauredanum, patricium Venetum, reperi.

Numerius N litera scribebatur. Itaq. ego & prænomẽ & prænominis notã renouaui, quæ iã prorsus vetustate obsoleuerat. Etenim quũ hoc esse Fabiæ gẽtis prænomẽ ex Festo & Valerio didicissem, quúmq. ex Fabiis eũ primũ Numeriũ esse dictũ, qui Q. Fabij filius esset eius qui, CCCVI ad Cremerã interfectis, superfuit, scirẽ, eũdémq. in Capitolinis consulibus anno CCCXLVI. N. *Fabius* Q. F. Q. N *Vibulanus* describi animaduerterẽ, nõ dubitaui quin & in eo & in cæteris Fabiis, qui N. Fabij scriberẽtur, Numerius esset interpretandum. Quod ipsum deinde ex Diomede & ex Valerij li.4.c.3. apertiùs etiã cognoui. Nã Diomedes Numerij prænomen N. litera designatũ fuisse scribit, & qui in Capitolinis triũphis N. *Fabius Pictor* scribitur, is à Valerio Numerius Fabius Pictor appellatur. Hæc autem nota est in L. *Sextio. Sex.* F N. N. *Sextin. Laterano.* & in epigrammatis antiquæ vrbis, N. *Iunio Epigono*. In libris autem Latinis ita euanuerat, vt

nullam propè sui imaginem reliquisset, sed in C N & M, & C euaserat.

Cæsonis etiã nota K quũ interiisset, ex Terẽtio Scauro & lapidib. Capitolinis restituta est. Quod tamen intellectu non admodum fuit difficile. nam quum in Fabiorum gente, quos Cæsonis filios aut nepotes esse Liuius & Dionysius scribũt, eos in marmoribus Capitolinis, K. F. K. N. describi animaduerterem, in eã veni sententiã vt pro K. Cæsonẽ esse intelligendũ putarẽ. Quã literã eos iccirco in hoc prænomine vsurpasse existimo, vt à Caio, qui C litera notatur, internosceretur, in quam literam passim in libris Latinis mutata erat.

Tiberiũ duabus literis notatũ fuisse, & Probus tradit & antiqua marmora testimonio sunt, in quibus quoties TI. inuenitur, semper, Tiberius in Græcorũ monumẽtis est scriptus, vt in Sẽproniis, Æmiliis, Claudiisq; Neronib. Hæc autẽ ratio scribendi, præterquã in paucis, hoc tempore seruabatur. Quam certè in omnibus nostri non neglexissent, si Plutarchi verba in quæstionibus scripta attẽdissent, à quo inter ea prænomina, quę duabus notãtur literis, *Tiberius* numeratur. quanquã verba eius mẽdosa sunt. inquit enim alia prænomina binis fuisse notata literis. ὥσπερ τὸν Σπόριον καὶ τὸν Γναῖον, quũ sit legendũ ὥσπερ τὸν Τιβέριον, quã vocẽ omnes qui hucusq; eius loci testimonium protulerũt, (fuerũt autẽ plurimi) quiq; eũ librũ Latinè verterunt, vt superuacaneã omiserunt. Miror autem amicum meũ in libello De nominibus ita scribere T. i. Titus. vt T. Ampius (quamuis in Sẽpronio Graccho Tiberiũ significet) in quo multi errant. miror (inquam) eũ ea scribere, quæ neq. scriptorũ neq. lapidũ neq. numorũ auctoritate cõprobare possit, quũ in omnibus sit Ti. Sempronius, non T. Sempronius, nisi mendosè.

Mamerci prænomen quũ esset prorsus tenebris vetustatis oppressum, in lucem produximus. Quod ipsum vnà cum eius nota debemus tum Capitolinorum marmorum, tum maximè Græcorum annalium monumentis.

Tullus item & *Opiter* eodem in numero poni possunt. Nam quum ab omnibus passim integrã scriberentur, ea à nobis ad antiquæ scripturæ formulam ex Prisciani & Probi auctoritate redacta sunt, ita vt ille tribus, hic duabus literis notaretur.

De Seruio prænomine, quod nonnulli *Serg.* scribere cœperant, quasi esset gentis Sergiæ nomen, non dicam. est enim error iam satis à multis exagitatus.

Agrippa modò omnibus literis descriptus est, modo plerisque, vt in Capitolinis cõsulibus an. CCL. *Agrippa Menenius Lanatus*, & CCCXXXIIII. *Menenius Agrip.* F. Reliqua omnib. vt an. CCCXXXVI. *P. Lucretius Hosti.* F. CCC. *P. Sextius Vibi.* N. & CCCXXXVIII. *C. Valerius Volusi*, N. CCCLII. *L. Iulius Vopisci.* N. at Volero plerisque, vt CCCLIII. *L. Publilius Voler.* N. Hactenus de notis prænominũ. de quib. nõ ita admodũ lõga disputatione opus fuisset, si amicus meus qui de nominib. scripsit, in his tradẽdis, eadẽ qua cæteris solet in reb⁹, diligẽtia vsus esset. Ille enim satis esse duxit admonuisse, quædam prænomina vna litera notata, vt M. P. Q. L. C. D. T. quædam duabus. vt SP. AP. CN. quędam tribus, vt SEX. quæ omnib. nota erant: quæ verò omnibus ignota, ea præteriit. nihil enim de Manio, nihil de Numerio, nihil de cæsone, nihil de Viberio. & priscis eorum notis, nihil de significatione eorum, nihil de tota hac tã multiplici & varia ratione, nisi quæ multis iã sæculis sciebamus, sine vlla tamen auctoritate, tradidit: ita vt nisi quatuordecim prænomina cognouisse videatur, aut certè, si plura cognouit. nõ. nisi ea quæ omnibus erãt in prõptu, & quæ nulla ex parte deprauata erant, docuisse, quæ autem interciderant, aut corupta erant, pro notis præteriisse. Neq. verò cõsulto omisisse potest, quippe quum inter prænomina statuat ea etiam quæ prænomina non sunt, vt *Licinius*, in Licinio Menenio Lanato apud Liuiũ. Quum Licinius sit gentis nomẽ, & apud Liuiũ legendũ sit L. Menenius Lanatus, quod ipse in scholiis Liuianis docui. siquidẽ Diodorus eũ nominat, Λεύκιον Μενήνιον Λάνατον. Ergo si breuitati studuit, cur ea quæ prænomina non sunt, pro prænominibus attulit? si nihil ex iis quæ ab aliis, vt ipse se facturum profitetur, dicta erant, prætermisit, vt ignotissimum & obscurissimum quodque præteriit?

De duorum prænominum pronuntiatione, Caij & Cnæi.

Iã verò illa nõ cõtẽnẽda ea videtur quæ de duorũ prænominũ pronũtiatione a veteribus tradita sunt, Caij & Cnæi. Quæ ipsa cũ C litera notẽtur, G tamẽ sono pnũtiari Diomedes his verbis testatur, G nona cõsonãs est, in cuius locũ C solebat apponi, vt & hodie quũ Gaiũ Cęsarẽ notamus, scribimus C. Cæsarẽ. ideoq; post B literam tertio loco digesta est, vt apud Græcos Γ posita reperitur in eo loco. Et alibi, N prænominis nota Numerium significat, & præposita sibi G Gnæũ, quẽ antiqui Cnæum scribunt. Et Valerius, Cnæi prænomen varia scriptura notatum est: alij enim Cnæum, alij Gnæum, alij Næum scripserunt. Qui G litera in hoc prænomine vsi sunt. antiquitatem sequuti esse videntur, quæ multũm ea litera vsa est. Olim enim dicebant frugmentum pòst frumentum: olim gnaturam, pòst naturam. itaque etiam qui in corporibus gigni solet, Gnæus appellatur. qui Cnæum dixerunt, corruptione syllabæ delectati esse videntur: qui Næum, leuitate.

Quæ prænomina pro cognominibus vsurpata sint.

Fuisse præterea aliquot etiã prænomina quæ

longo pòst tẽpore pro cognominib. vsurpare cœperint ex vetustis nõ solùm grãmaticis, sed etiã annalibus intelligitur. Quod ipsum in Agrippa, Voluso, Mamerco, Proculo & Tullo facilè perspici potest. quæ in L. Vipsanio Agrippa, L. Valerio Voluso, M. Æmilio Mamerco, C. Plautio Proculo, L. Volcatio Tullo. viris consularibus cognomina esse perspicui est. Quod etiam tradit Valerius his verbis, Quo olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt, vt Postumus, Agrippa, Proculus. Itémque Priscian. lib. 2. his, Inueniuntur autem multa quæ in aliis personis sunt prænomina, loco cognominum accipi.

De Prænominibus fœminarum.

Sanè restat vt quoniã de virorũ prænominibus satis dictũ est, de feminarũ prænominib. dicẽdũ esse videatur. Quod eò accuratius mihi faciẽdũ esse existimo, quòd amicus meus nulla antiquorũ auctoritate adductus, suo iure, feminas Romanas omnino caruisse prænominib. docuit. sic.n. in lib. De nominib. loquitur, Mulieres à nomine gẽtis vocabantur, & vno tãtùm nomine, vt Porcia, Cornelia, Iulia, Tullia. Item Plutarchus in Problem. vbi quærit cur maribus nono, feminis octauo die nomina imponerẽtur, ait, Mulieres vno aut duob. appellabantur nominibus. Ego duob. appellari nũquam obseruaui, ni fortasse prænomen illud significare voluit Plutarchus, quod est omnib. mulierib. cõmune, vt dicerẽtur Caiæ. Hæc ille se obseruasse ait. ab hac autẽ obseruatione omnia tũ auctorũ tũ lapidũ etiã veterũ testimonia maximè dissẽtiũt. Scriptorum primùm verba recitabo, pòst lapidũ. Valerius ita, Antiquarũ mulierũ freqũẽti in vsu prænomina fuerunt, Rutilla, Cesella, Rodocilla, Murrulla, Burra. Ista prænomina à virilib. tracta sunt, Caia, Lucia, Publia, Numeria. Festus verò ita, Prænominib. feminas vsas esse testimonio sunt Cæcilia & Tarratia, quæ ambæ Caiæ solitę sint appellari, pari modo Lucia & Tita. Varro autem ita, In nostris nominibus, qui sumus in Latio, & liberi analogia necessaria. itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia femina Terentiũ genus. In præsentibus nominibus ideò non fit item, quòd hæc instituta ad vsum singularia quibus discernerentur nomina gentilicia, vt à numero, Secunda, Tertia, Quarta: in viris, vt Quintus, Sextus, Decimus: sic ab aliis rebus quum essent duo Terentij, aut plures, discernendi caussa, vt aliquid singulare haberent, notabant forsitan ab eo qui manè natus diceretur, vt is Manius esset: qui luci, Lucius: qui post patris mortem, Postumus. E quibus quædam item cecidisse in feminis, proportione appellata declarant Prænomina antiqua mulierum, Mania, Lucia, Postuma. Videmus enim Maniam matrem Larum, dici, Luciã Volumniã Saliorũ carminibus appellari. Postumã à multis post patris mortem etiã nunc appellari. Ideirco autẽ dixit, Quædã. nã paulò antè dixerat. Nõ quia Marcus & Numerius dicitur, iccirco Marcã & Numeriã dici. Postremò Plutarchus in Mario Posidoniũ reprehendit, qui quũ primũ nomẽ proprium esse diceret, nulli tamẽ mulieri primũ nomen esse dicebat. ex quo efficiebatur, mulieres ꝓprio nomine caruisse. Itaq. idẽ in quæstionib. apertè scribit, mulieres duobus, viros tribus nominib. esse vsos. sic enim ait, χρῶνται δὲ δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄρρενες. Itaque miror amicum meum Græcarum literarum peritum ita vertisse, Mulieres vno aut duobus appellabantur nominibus. Non enim Plutarchus inquit, vno aut duobus, verùm expressè duobus. Idem præterea auctor est Romulum ex Ersilia filiam vnam suscepisse, eámque ab ordine procreationis Primam appellasse: itémque Sullæ dictatori filiam ex Valeria esse natam, eandémque (quia post obitum patris nata erat) Postumam esse vocatam.

Hæc ex auctoribus, quibuscum lapidũ etiã testimonia consentiunt. Extant epigrammata duo Mutinæ vetustissima, vnũ in turri D. Geminiani, alterum apud eruditissimum virum Ludouicũ Casteluetrũ, in quib. *prima* mẽtio est. ea verò sunt hæc, *Saluia* C. F. *Sex. Tullius Sex.* F. V. *sibi & prima fecit & suis & prima Valeria Sp.* F. Et in multis epigrammatis antiquæ vrbis, *Iulia secũda, & Cornelia secũda.* Item in eodem libro: *Tertia Priscia Ionia Saluia.* Tertiam item Liuiam legimus apud Sueton. in Cæsare, & apud Macrob. lib. 2. quam Tertullã vocat Cicero lib. 13. epist. ad Atticũ, & Valerius, Paullo Æmilio filiam fuisse ait nomine *Tertiam.* vnde Paullus apud Cic. O mea Certia, inquit, De Quarta est inscriptio vetus in prætorio Patauino eiusmodi.

V. E.
T. LIVIVS
LIVIA. ET. F.
QVARTAE. L. ∴
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI, ET SVIS
OMNIBVS

Et apud Liu. li. 40. Quarta Hostilia memoratur, Quinctę m̃ẽtio est apud Liuium li. 28. vt Quincta Claudia. Item apud Cic. in oratione ꝓ Cœlio, & de aruspicum responsis. Præterea epigrammata duo apud Horatiũ Malegutium clarissimum iuuenem sunt in agro Regiensi eiusmodi,

QVINCTAE NONIAE SEPTIMIVS
RVFAE ET Q. L. NICEPOR-
NONIAE Q. F. QVINCTVLAE & SEPTI-
MIA SP. F. QVINTA

De Lucia extat etiam tale Mutinæ monumentum in sepulchro marmoreo.

MEMORIAE CLA. FEM.
L. PAEDVCEAE IVLIANAE
MORIB. NATAL. AC PVD. PRISCIS.

IN LVSTRIBVS Q. FEM. COMPARANDA.
QVAE VIXIT ANNOS XIII. D. XLVII.
CVM MARITO FECIT MS. V. D. XX.
L. NONIVS VER.

De Mania tale est in lib. epigr. antiq. vrbis.

M. ACILI AEM. IVSTINAE.
P. SIRIVS SERPICANVS MARITVS.
VXORI OPTIMAE, ET KARISSIMAE.

Et alio loco,

POPPIDIA SP. F. A. XIIX.
IVLIA PROCLA F. EIVS. V. A. X. M. III.

Est autem *Proculus* Iuliorum prænomē, vt in Proculo Iulio regnante Romulo, de quo Liuius & Dionysius. In eodē libro est T. *Flauia Aug.* L. multáque eiusmodi alia. Quibus ex omnibus cùm illud intelligi arbitror de quo dicere cœperam, mulieres præter Caiam, alio aliquando prænomine esse vsas, tū illud etiā (quod idem ne fieri quidē vnquam se obseruasse profitetur) prenomina modò præponi, modò postponi consueuisse. siquidem Primam Valeriam, & Saluiam Primam, ac Quartam Hostiliam, & Liuiam Quartam, ac Quintam Noniam, & Noniam Quinctulam scriptas esse, animaduerti potest. Quod idē in viris Liuius etiam fecit, qui Attius Tullus, Attius Neus, Manlius Cneus, & Octauius Metius: & Cicero, Maluginēsis M. Scipio: & Suetonius, Claudius Appius Regillanus, & alia eiusmodi dixerunt. *Caiam* præterea, quod cōmune omnibus mulieribus prænomen fuit, Ɔ inuersa notatam fuisse, contráque Caium in viris, satis est ex Probo aliísque veteribus grammaticis atque lapidibus perspicuum.

De Prænominibus imponendis.

Nūc, quoniam ad rē pertinet, quid de prænominibus imponēdis veteres senserint, explicemus. Ac sanè qui de tēpore tradunt, quo ea imponerētur, auctores habeo nobiles illos quidē & magnos, verum ita inter se dissidentes, vt vtram sequaris sentētiam, facilè statuere non possis nisi aliud alijs tēporib. obseruatum esse intelligas. Quid est enim tam dissimile, quàm ea quæ à Valerio & à Plutarcho Festóve scribūtur? quorū ille pueris nō priusquam togam virilē sumerent, puellis non antequam nuberent, hi verò maribus quidē nono, feminis autem octauo die imponi consueuisse prænomina tradunt. Verba Plutarchi sunt hæc in quæstionibus, τῶν μὲν παίδων, τοῖς δὲ μὲν ἄρρεσιν ἐνναταίοις, τοῖς θήλεσιν, ὀγδοαίοις τὰ ὀνόματα τίθενται. Festi verò hæc, Lustrici dies infantium appellantur, puellarū octauus, puerorum nonus, quia his lustrantur atque eis nomina imponuntur. De ratione autem imponendi satis constat, suis quenque filiis ea prænomina indidisse quæ suæ essent cuiusq. familiæ maximè propria, ac primùm quenque filiū patris esse prænomine plerunque vsum, candémque deinceps rationem in adoptiuis filiis & libertis & nouis ciuib. esse seruatam, vt à quo quisque adoptatus esset, aut per quem quisque vel libertatem vel ciuitatem consequutus esset, eius maximè nomina vsurparet. Ac primùm quidem quod dixi, suæ quēque famil. æ propria prænomina imposuisse, intelligendum est, non omnia omnib. familiis prænomina fuisse communia, sed alia aliis fuisse familiaria. *Appius* enim vix in alia quàm in Claudia gente patricia reperitur. *Marco* nequis vteretur decreto gentis Manliæ patriciæ cautum esse: *Lucium* à Claudiis repudiatum, *Cneum* & à Domitiis Ahenobarbis tantùm fuisse probatos, Suetonius in Tiberio & in Nerone tradit. Quòd autem plerunque primus quisque filius prænomen patris tulerit, id ex familiis iis quas in scholiis Liuianis digessimus, animaduerti potest. Fuisse autem quandam distinguendi rationem, si eodē pater & filius prænomine præditi eodem tempore floruissent, hinc intelligi licet, quòd Cicero Q. Q. Catulos, modò patre, modò filio, modò sene, modò adolescente distinguit. Quod idem de Q. Q. Fabiis Liuius. C. C. Curionibus Suetonius. Neque verò de adoptiuorum appellatione multa mihi esse dicenda existimo quum à multis iam res sit ex veterum annal. obseruatione tractata. Illud tamē dicam, Dionem lib. 40. & 46. huius auctorem sententiæ esse: qui adoptarentur ab aliquo, eos nomina illorum omnia, à quibus adoptarentur, ferre consueuisse, suum vero gentilicium nomen retinuisse illud quidem, sed aliquo tamen modo commutasse: vt C. Octauius qui dicebatur, postea quā à C. Iulio Cæsare est adoptatus, C. Iulius Cæsar appellari cœptus est, ita tamen vt gentilicium Octaui nomen non desereret, sed id quodammodo commutaret, & Octauianum pro Octauio redderet. Idem in P. Cornelio Scipione Æmiliano, & in L. Manlio Acidino Fuluiano, & in P. Licinio Crasso Muciano factū est: qui omnes ab eo à quo adoptati erant, nomina sumpserunt. Eodem spectans Cicero lib. epist. ad Attic. III. dixit, Cicero salutē Q. Cæcilio Pōponiano Attico. Eodem etiam referuntur ea quæ ab eo scripta sunt lib. 7. Dolabellam video Liuiæ testamēto cū duobus cohæredib. esse in triēte, sed iuberi mutare nomē. Quod autē scribit Dio, id etiamsi verū est, nō ab omnib. tamē vbiq. retētum est. Neq. enim Aurelius Orestes, qui à Cn. Aufidio, nec Calpurnius Piso, qui à M. Pupio (vt scribit pro domo Cic.) adoptati fuerunt, aut Aurelianus, aut Calpurnianus appellati sunt, sed ille Cn. Aufidius Orestes, hic M. Pupius Piso nominatus est. Eadem etiam ratione nec P. quidem Cornelius Scipio qui, Dione auctore, à Q. Metello Pio, nec M. Iunius Brutus, qui teste Plutar. à Q. Seruilio Cæpione sunt adoptati, aut Cornelianus, aut Iunianus, sed ille Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio, hic

Q. Seruilius Cæpio Brutus est appellatus, vt Dio. libr. 40. Cicero in Philippicis, numi argentei testantur, in quibus numis est ita,

Quintus Metellus Scipio. *Q. Cæpio Brutus pro Coss.*

Metellus autẽ hic Scipio P. Cornelij Scipionis Nasicæ filius naturalis fuerat, teste Dione, qui ita ait lib. 40 ὁ Πομπήϊος Κόϊντον Σκιπίωνα πενθερὸν οἱ ὄντα προσείλετο. οὗτος γὰρ γόνῳ μὲν υἱὸς τοῦ Νασικᾶ ὤν, ἐκ δὲ τοῦ κλήρου διαδοχῆς ἐς τὸ τοῦ Μετέλλου τοῦ Εὐσεβοῦς γένος ποιηθείς. id est, Pompeius Q. Scipioné socerũ sibi collegam asciuit: qui naturalis filius fuit Nasicæ ille quidem, at adoptatus à Q. Metello Pio. Quod quum ita sit, nescio quid in mentem amico meo venerit scribere in libro De nominibus ita, Cicero lib. epist. ad Att. 6. Scipionẽ hic Metellus proauum suũ nescit censorẽ nõ fuisse. Significat Scipionẽ Asiatici illius filiũ, qui adoptatus fuit à Q. Metello Pio. Cur mirer, hęc causa est. nemo enim Asiatici filiũ fuisse Scipionẽ hunc scribit, nisi quem hic sequitur Dionis interpres. Neq. vero omnino hic Scipio Metellus Asiatici filius esse potuit, sed Nasicę primum, quia hic idẽ P. Cornelius Scipio apud Eutropium, & Eutropij Græcum interpretẽ Pæanũ nominatur: & P. Scipio in Epitomis, & apud Ciceronẽ pro domo dicitur, quũ ait, Atqui C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eũ ex senatu censor eiecerat, aui tui Q. Metelle, & tui P. Seruili, & proaui tui P. Scipio, Asiatici verò Lucij prænomen tulerunt. Deinde quod in Bruto auum huius vocat P. Scipionẽ Nasicam oratorem, proauum P. Scipionem Nasicam Serapionem, oratoris patrem, abauum verò P. Scipionem Nasicam Corculum Serapionis patrem: quæ quum in Asiatici filiũ cadere nullo modo possint, in Nasicæ certè maximè cadunt hoc modo;

1 P. Scipio Nasica Corculũ cos. 591. 598. abauus Scipionis Met.	1 C. Lælius cos. 613. abauus Scipionis Metelli.
2 P. Scipio Nasica Serapio cos. 615. proauus Metelli Scipionis.	2 Lælia filia. vxor Q. Mucij Scæuolæ aug. cos. 636. pꝛaui Scipionis Metelli.
3 P. Scipio Nasica orator. auus Scipionis Metelli cos. 642. vxor Cæcilia Macedonici filia.	3 Mucia filia. vxor L. Licinij Crassi oratoris cos. 658. aui Scipionis Metelli.
4 P. Scipio Nasica pater Metelli Scipionis.	4 Licinia filia. vxor P. Scipionis Nasicæ, patris Metelli Scipionis.
5 P. Scipio Nasica, qui adoptatus à Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus est. cos. 701.	5 P. Scipio Nasica, qui adoptatus à Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus est. cos. 701.

Descripsi autẽ etiam maternos Metelli auos ex Ciceronis sententia in Bruto, ne quis eundẽ de maternis, non paternis intellexisse suspicari posset, atque ita rem, (quod fieri ne hoc quidem pacto potest) ad Asiaticos traheret. Hæc autẽ cõmutandorũ ex adoptione nominũ ratio cum in aliis tũ maximè in M. Licinio Lucullo. C. Cassij in consulatu collega Ciceronis interpretes decepit, qui quum in Verrẽ M. Terentiũ, C. Cassiũ cos. ac legẽ Terentiã & Cassiam nominaret, mẽdum esse in Terentio, & Licinium reponendũ esse duxerunt: quod profectò non fecissent si adoptionẽ subesse intellexissent, quod ex fragmento illius cõsulatus, Capitolino colligitur, in quo ita est, M. TERENTIVS M. F. VARR. LVCVLLVS C. CASSIVS. Ita etiam alibi. A. TERENTIVS VARRO MVRENA. neque enim Murena Terentiorum sed Liciniorum, vt Lucullus cognomen fuit.

Transeamus ad seruos. Non est autẽ dubiũ quin quemadmodũ quũ seruitutẽ seruiebant prænomẽ domini sequebãtur ita, vt Lucipores, Marcipores, Publipores, Quinctipores: quasi Lucij, Marci, Publij, & Quincti pueri dicerentur, vt à Plinio & Quinctiliano scriptũ est: ita etiam in libertatẽ vindicati, patroni à quo manumissi essent, nomina vsurpauerint. nam prӕterquam ꝙ exemplo sunt M. Tullii Ciceronis liberti duo, quorũ alter M. Tullius Tiro, alter M. Tullius Laurea dictus est, & Liuius Andronicus poeta, quẽ à M. Liuio Salinatore, cuius filios erudierat, libertate donatũ scribit Eusebius in Chronicis: id etiam ex verbis Ciceronis ad Att. lib. 4. & Artemidori lib. 1. effici potest. Cicero. n. de Eutychide seruo Attici manumisso ita loquitur, de Eutychide gratum, qui vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius, vt ex me & ex te iũctus M. Põponius. Artemidorus autẽ de serui cuiusdã somnio ita, Cognoui (inquit) quẽdã, qui quũ sibi videretur tria pudenda habere, ex seruitute in libertatẽ vindicatus, pro vno nomine tria accepit, duobus nominibus ab eo à quo manumissus fuerat, sumptis. Iã verò eos qui in ciuitatem suscepti essent, illorum potissimũm nomina tulisse quorũ beneficio ciuitatem impetrassent, Latinorum scriptorũ exempla ostendunt. nam & Cicero ad Aciliũ ita scribit, Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitiũ est. ei Dolabella rogatu meo ciuitatem impetrauit: qua in re ego interfui. Itaque nũc P. Cornelius vocatur. Itẽmque in Verrem, Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catulli à Sulla ciuis Romanus factus. Eũdem

que ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli ciuis factus Q. Cæcilius Dio est appellatus. Et Cæsar lib. I. De bello Gallico, ita, Cõmodissimũ visum est M. Valeriũ Procillum C. Valerij caburi filium, cuius pater à C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat, mittere.

CVR GENTILICIA NOMINA *in* IVS *desinant, & quid Gens sit, & à Familia differat.*

His rebus expositis, reliquum est vt nominibus gentilitiis agamus, de quibus amicus meus sic scripsit, Sciendũ omnia nomina quibus familiæ significantur, proferri in ius, vt Porcius & cornelius, Iulius, rectè ille quidẽ, sed parũ ad rẽ tantã. Illud enim docti hominis & Romanæ antiquitatis periti erat, causam ostẽdere, cámque veterũ vsu & auctoritate probare, quã ipse (si potero) exponã. credo enim eos ita factitasse, vt gentis originẽ eiusmodi deriuatione significarẽt, vt quemadmodũ in voce deriuatio verbi, sic generis etiam, quæ voce illa exprimeretur, principiũ in voce appareret. Siquidẽ antiquissimã quãq; gẽtẽ aut à viro aut à loco, tanquã à fõte aliquo, manasse & nomen accepisse, perspicuum est: ita quidẽ vt hæc deriuationis significatio in omnib. studiosissimè cõseruata sit. Hanc autẽ cõsuetudinẽ nõ in paucis quibusdã gẽtib⁹, & antequã vrbs cõderetur, & postquã condita est, sub regib. cõsulibúsque diligẽtissimè retẽtam esse ostẽdero, nẽminẽ fore puto qui contrà dicat. Age.n. cur Iuliã gentẽ credimus aut Æmiliã, aut Atiã aut Nautiã hãc eiusmodi terminationẽ adeò religiosè seruasse, nisi vt appareret in voce quod in re existit, ab aliquo ipsas initio deriuasse? est autẽ ita. Nam Iulia gẽs Iuliũ Æneæ, Æmilia Æmiliũ Iulij filiũ, Atia Atim, Nautia Nautẽ Troianos viros sui generis auctores nũcupãt. At verò cõdita vrbe nõnne id etiã obseruatũ est? Scribit enim Plutarch⁹ Numã regẽ filios quatuor reliquisse, Põponẽ, Calpũ Pinũ, & Mamercũ, ab iisq; Põponiã Calpurniã, Pinariã & Mamerciã gẽtes Romæ ꝓpagatas. L. autẽ Tarquiniũ Priscũ scribit Dionysi⁹ Damarati Corinthij fuisse filiũ, & quũ Tarquiniis viueret Lucumonẽ Etrusco prænomine fuisse vocatum: vbi verò Romã cõmigrauit, ad morẽ Romanũ sibi nomina cõposuisse: itaq; cõmuni nomine se pro Lucumone Luciũ, gẽtilitio verò à Tarquiniis vrbe non se Tarquiniensem, sed Tarquinium appellari voluisse. Idem fecit Ap. Claudius, qui ex Regillo Sabinorũ oppido post reges exactos anno sexto se cũ clientib. Romam contulit. Etenim quũ Clausus antè diceretur, nõ iã ampli⁹ Clausum, sed Claudiũ, post Claudiũ dici se, vbi Romæ domiciliũ collocauit, oportere existimauit. Itaq; ab eo cæteri omnes Romæ Claudij nominati sũt. Id autẽ ita esse, ex eo etiã intelligi potest quod ait Priscianus lib. 2. nomina hæc in IVS apud Romanos idẽ valere quod apud Græcos patronymica. verba eius sunt hæc, Nominum deriuatorum multa genera sunt, quorum patronymicum.i. quod à ꝓpriis tãtũmodo patrũ nominib. deriuatur secundũ formã Græcã, quod significat cũ genitiuo primitiui filios vel nepotes, vt Aeacides Aeaci fili⁹ vel nepos. ꝓ quo Romani nominib. familiarũ vtũtur, vt Cornelij. Omnes.n. ab illo qui prim⁹ Cornelius appellatus est, hoc nomẽ habuerũt, quicũq. eiusdẽ familiæ sũt, sicut omnes minores Thesei Thesidas Græci appellauerũt. Hæc ille. Idẽ autem sentit etiã Dionysi⁹, qui in Prisco hęc nomina συγγενικὰ & πατρωνυμικὰ vocat. Neque verò dubiũ est quin hæc tota ratio terminandi vsque ad reip. interitum incorrupta pertinuerit. Nam etsi nonnullos quasi gentilicij nominis expertes esse reperimus, vt M. Perpẽnã, & C. Norbanũ consulares, quos ita in libris & in Capitolinis marmorib. nominari videmus, id tamẽ contigisse videtur, aut ꝙ ij cognomine magis quam nomine delectati sunt, vt M. Agrippa, cuius gẽtiliciũ nomẽ in omnib. lapidibus omissũ est, quũ tamẽ ex Vipsanorũ cum gente fuisse Nepos & Dio tradiderint: aut certè ꝙ ea nobis ignota sunt. Quęcũq. autem causa sit, non est quòd exiguus horũ numerus tam religiosum tot aliorũ cõsuetudinẽ impediat, præsertim verò amico meo summo viro auctore, qui ita habere omnia sine vlla exceptione assueuit. Quid autem sit Gens, vnde ipsa omnia gentilitia dicta sunt, ac quid à familia differat nunc dicamus. Inter gentem & familiam illud interest, quòd gens ad nomẽ, familia ad cognomẽ refertur. Itaque illa tanquam totũ cõtinere videtur, hęc quodammodo partẽ. exẽpli gratia. Valerij omnes vni⁹ esse gẽtis dicũtur, quia vno nomine cõtinentur omnes: at verò partes gentis huius sunt plures, quæ ex cognominum varietate distinctæ sunt, eæque familiæ nominantur, vt in gente Valeria Maximi, Messalæ, Flacci, Læuini, Faltones: in Cornelia Scipiones, Lentuli, Dolabellæ, Sullæ, Cinnæ: in Aemilia Mamercini, Lepidi, Paulli, Scauri, Barbulæ. itémq. in cæteris. At verò Valerij omnes vnius sunt gentis, itémque Cornelij atque Aemilij. Itaq; rectè Festus gentem definit eam quæ ex multis familiis conficeretur. Quod autem interest inter gentem & familiam, idem interest inter genus & stirpem. Quæ quidem ita esse, ex his veterũ historiarũ verbis intelligitur. Sueton. in Galba. Imagines vniuersi generis exequi lõgum est, familiæ breuiter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur aut vnde traxerit, ambigitur. Et Liuius li. 38. P. Scipio Nasica orationem habuit plenam veris decoribus non communiter Corneliæ gentis, sed propriè familiæ suæ.

Et apud

Et apud Suetonium Cæsar, ab Anco Marcio sunt Marcij Reges, quo nomine fuit mater: à Venere, Iulij, cuius gentis familia est nostra. Et in Augusto, Gens Octauia à Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta, mox à S.Tullio inter patricias transducta. primus ex hac magistratū cepit C. Rufus. is quæstorius Cnæum & Caiū procreauit, à quibus duplex Octauiorum familia defluxit, conditione diuersa. Et Cic. in Bruto, Funebres orationes ipsæ familiæ quasi ornamenta seruabant ad vsū, siquis eiusdē generis occidisset. Et Liu. li.9. Duodecim Potitiorum familias fuisse, quum gens Potitia tota interiit. Et lib.1. Iulia gens Iulū auctorem sui nominis nūcupat. Et lib.7. sic loquitur Valer. Coruus, Nō si mihi nouum hoc Corui cognomen diis auctorib. homines dedistis, Poplicolarū vetustum nostrę familiæ cognomen memoria excessit. Et lib 40. Inde cognomen familiæ inditū, vt Annales appellarentur. Et Catul. Non decet tam vetus sine liberis nomen esse, id est tam veterem gentē, qualis erat Manlia. Hæc de gente, familia & genere. nunc de stirpe dicam, Cic. ꝓ Rabirio, Qua in familia laꝰ aliqua fortè floruerit hanc ferè qui sūt eius stirpis cupidissimè persequūtur. Et primò De legibus, Hic orti stirpe antiquissima sumus. Et in Lælio, Qui aliquandiu propter ignorantiam stirpis & generis in famulatu fuerūt. Et lib.1. de oratore Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios patricios centūuiri iudicarūt? quū Marcelli à liberti filio stirpe, Claudij patricij eiusdem hominis hæreditatem gente ad se rediisse dicerent, nónne in ea caussa fuit de toto stirpis & gentilitatis iure dicendum? Et Suet. in Claudio, Claudiꝰ Cn. Pōpeio antiquissimæ stirpis Magni cognomen ademit. Quæ autem ratio est inter gentem & familiam, eadem est inter gentiles & agnatos. vt. n. familia aut stirps nos propiùs attingit quàm gens aut genus, sic agnati quam gentiles: Siquidem gentilis auctore Festo dicitur, qui eodem ex genere natus, & is qui simili nomine appellatur, rectè. quatenus. n. ait, Ex eodem genere, eos intelligit qui eiusdem gentis eūdem principem habent: quatenus, Simili nomine, eos qui quanquam vno gentis nomine omnes vtuntur, tamen aliū atq. aliū auctorem sui generis nuncupant. quomodo Cicero in prima Tusculana, se gentilem esse ait Ser. Tullij regis, ꝙ vterque simili gentilitio nomine vteretur, quū tamen è diuerso vterq. fōte manaret. Quum autem ad Herenniū scriptū sit, Si furiosus existat, agnatorū gentiliūmq. in eo pecuniáq. eius ius esto. item, Si paterfamiliàs intestato moritur, familia pecuniáq. eiꝰ agnatorū gentiliúmq. esto: agnati ꝓfectò videntur esse qui ex eadē familia sint, quib. deficiētibus, gētiles subeant. Nam Cic. dixit 1. De oratore, Iura gētilitatū & agnationū. itē, Ius gētilitatis & stirpis. & de legib.1. Homines deorum agnatione & gente tenentur: quum vtranque coniūctionem cōplecti vellet. Amicus autē meus in suo libro de nominib. gentem & familiam gentiles & agnatos idem esse censet, quū ait Agnomen familiæ est appellatio & gentis, vnde agnati & gentiles dicebantur qui ex eadem erant familia, vt Cic. in Topicis ait, & idem in Brut. Ser. Tulliū regem gentilem suum ea de caussa nominat. Mea autem sententia, Ciceronis sententiam percepisse non videtur, qui in Topicis gentiles eos definit qui inter se eodem nomine sunt, id est ex eadem gente, vt infrà alio loco ostendam: familiæ verò aut agnatorum non meminit. Est præterea intelligendum Plinium, gentiles nouo quodam modo appellare. siquidem seruos gentiles esse dominorum ait, quia eodem prænomine appellarentur quo dominus, vt Marcipor, Quinctipor, id est Marci & Quincti puer.

De Romanarum gentium origine.

Duos autem populos seminarū gentiū Romanarum fuisse reperio, Aborigines & Troianos, qui ambo ab Ænea (vt Liuius & Dionysiꝰ tradūt) cōmuni nomine Latini sunt appellati. Aborigines autem, qui ante aduentū Aeneæ Latiū, regnante Latino, tenebant, docet Dionysius ex Græcis in Italia venientib. esse conflatos. Græcos autem hos nominat, OEnotrū ex Arcadia, Pelasgos ex Thessalia, Euandrū item ex Arcadia, Herculem ex Peloponneso profectū. Atque etiam idem scribunt Romulū superante Latinorum Albanorúmque multitudine, vrbem in Palatio condidisse. Quæ quum ita sint, iam id dubium esse non potest quin ad hos populos alij etiam plurimi accesserint, qui Romanam vrbem gentib. repleuerint. Siquidem accepimus Romulum Cęninenses, Antemnates, Camerinos, Veientes, Fidenates, quos bello deuicerat. Sabinos verò etiam quibuscum ęquo marte pugnauerat, in societatem nouæ vrbis vocasse. Quinetiam multas Etruscorū vrbes se ad eū recepisse initio à Medullia facto, traditum est. Hoc autem Romuli institutū reliqui deinceps reges studiosissimè sibi cōseruandū esse duxerūt, vt finitimas ciuitates aut vi aut beneuolentia sibi adiungerent, Romámque transferrent. Itaq. Tullus Hostilius euersa Alba familias eius vrbis Romam traduxit: Ancus Lucumonē Etruscum in senatum asciuit: Priscus Ser. Tull. Corniculanum sibi etiam generum adiunxit. Idē pòst quoque factum est, liberata regio dominatu reip. Neque enim vnquam desitū est, ciuitatem victis populis & gentibus dari. Italiámque ipsam municipiis deuinciri, quæsque bello Marsico vniuersa ferè ciuitate donata est. Quo tēpore multi etiam ne Italicæ quidem gentis virtutis ergò in ciuitatem suf-

cipi cœpti sunt. Quoniam autẽ difficile, immò verò difficillimum est, omnium gentium originem inuenire, paucarũ tantum quarundam fontes & initia indicabo: ex quibus intelligi poterit, idem etiam in reliquis factum esse. neque enim vllam aliam historiæ Romanæ partem tam & à veteribus & ab iis qui nunc sunt, neglectam esse comperi, quàm quæ hanc quæstionem continet.

Huius autem tractationis hos quasi fontes constituo, vt alias gentes à nominibus Aboriginum vel Troianorum, vel aliorum eiusmodi populorum alias à prænominibus, nominibus & cognominibus, alias à locis, vrbibus & populis, alias à quadrupedibus, alias à re alia dictas esse affirmem.

Gentes ab Aboriginibus & Troianis ortæ.

Ac Vitellios quidem Fauno Aboriginum rege, & Vitellia, quæ multis locis pro numine celebratur, ortos tradit Suetonius in Vitellio.

Fabij à Fabio Herculis filio orti. Plutarch. in Fabio. Vnde Iuuenalis, *Natus in Herculeo Fabius lare.*

Antonij ab Antonio Herculis filio. Plutarchus in Antonio.

Potitiam gentem antiquiorem origine vrbis nominat Liuius à Potitio illo sene qui ad tempus affuit epulis. Seruius.

Mamilij à Mamilia Telegoni filia. Liuius, Dionysius, Festus.

Multas præterea gentes Romanas à Troianis fluxisse credidit antiquitas. Itaque Seruius in 5. Æneid. scribit Varronem librum reliquisse de familiis Troianis, id est, quæ genus trahebant à Troianis: & Iuuenalem idcircò Troiugenas appellare nobiles Romanos quasi è Troianis genitos. Inter cæteras autem hæ fuerunt.

Iulia à Iulo Æneæ filio Liuius, Dionysius, Suetonius, Virgilius. Itaque Proculũ Iulium Romuli tempore *Iuli* Ascanij progeniem vocat Dionysius, & ipsi *Iulij* cognomen etiam tulerunt *Iuli* Albana fuit.

Æmilia ab AEmilio Ascani Troiani filio, vt ait Festus, cui rei fortè allusit Virgilius, quum dixit,

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem belloque superbum
Venturum excidio Libyæ.

Etenim progeniem Aeneæ & Iuli vocare videtur Scipionẽ Pauli Aemilij filiũ, qui Imp. Carthaginẽ excidit: populum autẽ, legiones Romanas quæ ab iisdẽ etiã genus trahebant. alioquin, si progeniem & populũ idem dicat superuacanea iteratio videatur. Nihil tamen contra veteres affirmo, alij iudicabunt. Plutarchus autẽ Aemilios à filio quodam Pythagoræ Mamerco dictos ait, qui summo lepore p æditus fuit quæ Græcè αἱμυλία dicitur.

Atij ab Ati. Virg. --*Atis, gen⁹ vnde Atij duxere Latini.* Quod Augusti caussa dictũ scribit Seruius, qui ex Atia matre natus est.

Nautij à Naute Æneæ comite. Dionysius, Virgil. & Seruius in 2. Æneid. Quum Diomedes raptum Palladium sibi non esse aptũ intelligeret, illud Æneæ transeunti obtulit, sed quum ille capite velato sacrificans conuertisset, Nautes quidam simulacrum accepit. qua re Mineruæ sacra nõ Iulia gens habuit, sed Nautia. Idem scribit Varro in lib. *De familiis Troianis.*

Cloelij à comite Æneæ eius nominis. Dion.

Iunij à comite Aeneæ eius nominis. Dion.

Sergij à Sergesto comite Aeneæ. Virgilius lib. 5. -*domus à quo Sergia nomen.*

Memmij à Mnestheo comite Aeneæ. Virgil. in 5. *genus a quo nomine Memmi.*

Cluentij à Cloantho comite Aeneæ. Virg. in 5. *genus vnde tibi Romane Cluenti.*

Geganij à Gia comite Aeneæ, vt ait Seruius in 5. Aeneidos.

Cæcilij à Cæcade comite Aeneæ, alij à Cæculo, qui condidit Præneste. Festus.

Ab Italis.

Cœlij à Cœle Vibenna Etrusco, qui se Romam, regnante Romulo, contulit. Dionysius, Festus, Tacitus, Varro.

Pomponij à Pompone, Numæ regis filio. Plutarchus.

Calpurnij à Calpo Numæ F. Plutarchus, Festus.

Pinarij à Pino Numæ F. Plutarch. Seruius à quodã sene, qui quia ad tẽpus ad dapes non venit, *Pinarius* dictus ἀπὸ τῆς πείνας, id est à fame. Fortasse Pinaria gens duplex.

Claudij à Clauso Sabino. Liuius.

Valerij à Valeso Sabino. Dion. Itaque Valesij primùm, pòst Valerij dicti. Festus. Boni autem ominis caussa in delectu censúve primi nominabantur Valerius, Saluius, Statorius.

A prænominibus, nominibus & cognominibus.

Quæ adhuc exposita sunt, ea locupletissimorũ monumentorum auctoritate probata sunt, quæ verò infrà dicentur, verisimilibus potiùs quàm veris argumentis nituntur. Vera autem esse nego quæ veterum annalium fide carent. A prænominibus autem & nominibus & cognominibus gentes multæ manasse videntur.

Vt autẽ prætermittã ea prænomina quæ integra pro nomine gentilitio vsurpata videntur, vt Metius, Numerius, Appius Statius, vt P. Metius in epist. ad Mariũ, & M. Mettius, & Q. Metrius, & P. Mettius, quæ se in veteribus lapidibus Romæ legisse Pierius scripta profitetur, quanquam duobus TT. vt Cn. Numerius in lapide vetusto, qui est Venetiis in turri diui Vitalis: M. Appius, cuius lapidem citat in Brutũ Sebastianus Corradus: T. Statius apud Liuium tribunus plebis: & P. Statius in antiquis lapidibus vrbis antiq. vt hæc, inquam,

omittam, quæ aliquam fortasse quæstionem habere possint, at AVLII certè ab AVLO descendisse videntur. vnde Q. Aulius Cerretanus. Liuius, lapides Capitolini.

Cæsonij à Cæsone.

Cnæij à CNÆO, vt de petit. consul. Ex equestri ordine Pompilios & CNÆIOS.

Decimij à Decimo.

Hostij ab Hosto. Vnde epigramma antiq. vrbis. *P. Hostio P. F. Seuero.* Et Plutarchus in Romulo, L. Hostius.

Lucilij à Lucio.

Manilij à Manio.

Marcij à Marco, vel à Mamerco, vt ait Plutarchus in Numa. Etenim vbi ait, à Mamerco Mamercios Reges, lego ipse, Marcios Reges.

Lartij à Larte. quanquam Græcè Λάρκιοι scribitur.

Postumij à Posthumo.

Proculeij à Proculo.

Publilij à Publio.

Spurilij à Spurio.

Seruilij à Seruio.

Sextij à Sexto.

Quinctij à Quincto.

Titij à Tito.

Vibij à Vibo. vnde C. Vibius Pansa.

Volusij à Voluso.

Tullij à Tullo.

Ancij ab Anco. Vnde Sp. Ancius legatus Fidenis interfectus. & Sp. Ancius Briso, de quo in Bruto Cicero.

Petronij à Petrone.

Metilij à Metio.

Arruntij ab Arrunte.

Numitorij à Numitore.

Sertorij à Sertore.

Statilij à Statio.

Hi à prænominibus: à nominibus verò hæ,

Sextilij à Sextiis.

Quinctilij à Quinctiis.

Atilij ab Atiis.

Porcilij à Porciis.

Hostilij ab Hostiis.

A cognominibus verò hæ.

Rutilij à Rutilo.

Varij à Varo.

Plautij à Plauto.

Fuluij à Fuluo.

Vennonij à Vennone.

Albij ab Albo. Varro.

Albinij ab Albino.

Licinij à Licino.

Silij à Silo.

Geminij à Gemino.

Gallij à Gallo.

Flauij à Flauo.

Plancij à Planco.

Catij à Cato.

Fictorij à Fictore. Vnde Q. Fictorius, de quo Liu.

Cordij à Cordo. Vnde M. Cordius, in numis argenteis.

Papij à Papo. Vnde lex Papia à Papio lata, vt Cicero de offic. ait; (Papia autẽ gens fuit, quæ Mutili cognomen tulit, Appiano & lap. Capi. auctoribus) non à Q. Aemilio Papo, vt amicus meus tradit in lib. de nominibus, neque enim leges à cognomine appellantur, vt in *Ius* designant, sed, si id fortè fiat, in *Anus*, Gracchanæ leges, at non Gracchiæ: & Cæsarianæ fortasse, non Cæsariæ à nomine verò semper, vt Semproniæ & Iuliæ. Vnde Cicero in Philipp. prima, Quære acta Gracchi, Semproniæ leges proferentur. quære Sullæ, Corneliæ. Idem etiam improbat lectionem illam in Lælio. Videmus Papum Aemylium C. Luscinio familiarẽ fuisse, improbat autẽ, quòd cognomen nomini nunquam præponatur. quasi verò Liuius non sæpe dixerit Macer Licinius, Antias Valerius, Cursor Papirius: & Cicero, Vetus Antistius: & Cœlius: Balbus Cornelius: & alij, Paulus Aemylius & Crispus Salustius.

Furij, qui antè Fusij, à Fuso, quod etiam cognomen tulerunt.

Valerij, qui olim *Velesij*, à Valeso gentis auctore. Itaque cognomen etiam tulerunt Volusi.

Ab vrbibus & populis.

Tarquinij à Tarquiniis vrbe Etruriæ. Dionysius.

Gabinij à Gabinis, item dicti videntur.

Cominij ab Cominis Italiæ populis, de quibus Plinius.

Volscij à Volscis: vnde *M. Volusius* Fictor, de quo Liuius.

Vatinij à Vatinis priscis Latinorum populis, quorum oppidum Vatia.

A quadrupedibus.

A quadrupedibus etiã multas gentes nũcupatas esse, idoneos testes habemus Plutarchum & Varronem. Plutarchus in Poplicola ita, Quia pecudibus omnia bona constabant, iccirco filiis suis eiusmodi nomina imposuerunt, vt Porcios. Et Var. lib. 2. De re rust. Nomina multa habemus ab vtroque pecore: à minore, *Porcius*, *Ouinius*, *Caprinius*: à maiore, *Equitius*. Eadem etiam ratione nos & *Asinios* & *Sullios* adiungere possumus.

A ministerio aliquo.

Flaminij dicti, quòd Flamini Diali ministrarent. Festus.

Pontificij fortè dicti quòd pontificibus ministrarent. ex quibus fuit Ti. Pontificius tribunus plebis. De quo Dionysius & Liuius.

A voce aliqua.

Terentij à tereno, voce Sabina, dicti, quæ molle significat, Varrone teste, vt ait Macrobius. quod si ita est, ergo & multi alij eodem modo, vt

Aurelij, qui antè *Auselij*, quòd iis publicè locus datus sit vbi soli sacrificium facerent. Festus.

Atricij ab Atro. Varro.

Publicij à publico.

Popillij à popillo.

Hortij ab hirto.

Iuuentij à iuuenta.

Saluij à saluo. vnde boni ominis caussa primus Saluius in censu & delectu nominabatur. Festus.

Septij à numero septem.

Septimij à septimo.

Octauij ab octauo.

Nouij à nouem.

Nonij à nono.

Decij à decem.

Decimij à decimo.

Quemadmodum vsus cognominum & agnominum sit inuentus.

Cur autē duobus nominibus Romani homines, non contenti prænomine & nomine, tertium etiam & quartum adiunxerint, quod cognomen vocarint, magna existere quæstio potest. Ac mihi quidem videtur eos primùm vt qui idem prænomen noménque ferebant, nota aliqua internoscerent, hāc tertij nominis rationē excogitasse, pòst autem, quum cognominum vsus increbuisset, eosdem etiam sine eiusmodi caussa cognomina indidisse. Hac ratione L. Tarquiniū Priscum & L. Tarquinium Superbum quum & prænomine & nomine conuenirent, (inquit Dionysius) Priscum illum quòd natu maior, hūc Superbū, quòd contumacior esset, esse vocatum. Valuit autem in primis hic cognominum vsus ad confusam ipsarum (vt ostendi) gentium turbam distinguendam. Quod exempli caussa in gente Cornelia perspici potest quæ cognominum varierate in multas familias diffusa est, Maluginenses atque inde Cossos, Scipiones, Lētulos, Merulas, Cinnas, Sullas, Dolabellas, Iterúmque quū familia Maluginensium creuisset, quartis nominibus est in alias etiam familias distributa, ita vt alij Maluginenses Cossi. alij Maluginenses Scipiones, alij Maluginenses Lentuli, itémq. Scipiones, alij Africani, alij Asiatici, alij Nasicæ dicerētur: neque enim probo amici emendationē, ab eo traditā libro secundo annotationum, cap. 13. his verbis, Verba Ciceronis sunt libro 2. de orat. vbi agitur de salibus, Est autem ex hoc genere vetus illud quod aiunt Maluginensem illum M. Scipionem, quum ex centuria sua renuntiaret Acidinū cōsulem, præcóque dixisset, &c. Sed multùm etiā me torquet quiddam in his nominibus *M. Scipionem Malugin.* Nam nusquam inuenio Scipionem tanquam familiæ nomen poni, sed pro cognomine. Scio equidem per librariorum errorem sæpe *Scipionem* legi pro *Cæpionem.* quare crediderim hoc etiam loco non Scipionem, sed Cæpionem legi debere. Ratio qua impellor est hæc. Scio Q. Seruiliū Maluginensem sæpe à Liuio nominari in libris primæ decados, quo tempore Romæ creabantur tribuni militares. Scio quoque Seruilios cognomen habuisse Cæpionum, vt facilè possim affirmare hic esse legendum *M. Cæpionem Maluginensem.* hanc ergo ipse emendationem non probo. Nam quòd ait, Liuium sæpe Q. Seruilium Maluginensem nominare, non est ita. Semel enim tantum libro quinto, anno CCCLXXII. nominat P. Seruilium Maluginensem mendosè. pro Ser. Cornelium Maluginensem. vt in scholiis Liuianis ostendi cùm aliis testimoniis, tum quòd eo anno Diodorus pro eo tribunum mil. cos. pot. edit Σέρουιον Κορνήλιον Μαλούγινα. Maluginensem autem fuisse cognomen non Seruiliorum, sed Corneliorum perinde atque Scipionem, apparet ex *L. M. P. & Ser.* Corneliis Maluginensibus, qui aut consules, aut tribuni mil. aut censores fuisse à Liuio sæpe traduntur. Quod cognomen aliquot etiam ex Corneliis retinuisse, postquam alia cognomina inuenissent, cùm hic locus indicat, in quo est M. Scipio Maluginensis, qui auctore Liuio anno DLXXIII. prætor fuit tum anno DCLXXII. in Capitolinis tabulis, vbi est *Seru. Cornelius C N F. C N.N. Lentulus Maluginensis.* vt omnino *Scipionem,* non *Cæpionem* legendum esse, contrà quàm ille censet, esse existimem. Neque enim intelligo qui illud sit, quod aiunt se nunquam *Scipionem* familiæ nomen inuenisse, sed pro cognomine. Siquidem eandem rationem esse iudico, quum dico M. Scipio Maluginensis, atque quum dico M. Scipio Maluginensis, & P. Scipio Nasica, & P. Scipio Africanus, & alia eiusmodi multa. Sed ad propositum reuertamur. Ergo necessitas primùm cognomina excogitauit, pòst vsus, & commoditas custodiuit, & propagauit. Qui verò agnomen aliud esse à cognomine tradiderunt, ij mihi satis quòd sentiunt non probant. Ex eorum verò numero grammatici veteres existunt, qui (vt suprà dixi) cognomina appellant ea quæ tertio loco: quæ verò præterea adiiciunt, ea omnia agnomina nuncupant, vt Africanum & Asiaticum. Eiusmodi verò opinio facilè locuple-

locupletissimi auctoris. Ciceronis verbis refellitur, apud quem animaduertere possumus, ea omnia cognomina dici quæ etiam quarto loco ponuntur. Sic enim ille ait pro Murena, Quam laudem ille Africa oppressa cognomine ipso præ se ferebat, eandem hic sibi ex Asia cognomen assumpsit. Et in Suetonio Eritque cognomen id tibi per te partum, quod nunc habes à me hæreditarium. Idem Sapientem & Diuitem cognomina vocat, quæ tamen quarto loco erant in M. Porcio Catone & in M. Licinio Crasso. Inquit enim in Catone, Cato quasi cognomen habebat in senectute Sapientis. Et in secundo de offic. P. Crassus tum cognomine Diues, tum copiis. Hac de caussa nos omnia, præter priora duo, cognomina appellabimus. Nam quòd amicus meus in libro De nominibus agnomen pro nomine gentilitio sumit, atque inde agnatos ducit, multò mihi minus ex iis quæ dixi & iis quæ dicam, probatur.

Vnde cognomina tracta sint.

Deinceps sequitur vt inde cognomina tracta sint, dicam ea quæ vel veteres prodiderunt, vel ipse aut ratione aut opinione, sequutus eorum regulas atque præcepta, consequi potui. Ac Plutarchus quidem in Coriolano multos nobis huius quæstionis quasi fontes ostendit, quum ait, Cognomina apud Romanos imponi consueuisse, aut ab actione aliqua, aut à forma, aut à fortuna, aut à virtute, perinde atque Græci Σωτῆρα & Καλλίνικον ab actione, Φύσκωνα & Γρύπον a forma Εὐεργέτην & Φιλάδελφον à virtute, Εὐδαίμονα à fortuna dixerunt: aut à salibus & dicacitate, quo pacto Græci Antigonum Δώσονα, Ptolemæum Λάμυρον appellarunt, Romani verò etiam Metellum vnum Diadematum, quod frontem ex vlcere diademate diu obligasset, alterum verò Celerem, quòd celeritatem eius in apparandis funebribus patri ludis sunt admirati, vocarunt: aut à casu nascendi, vt Proculum, Posthumum, Vopiscum: aut demũ etiam à corporis vitiis, vt Syllas, Nigros, Rufos, Cæcos, Clodios, quibus nec cæcitas nec vllum aliud corporis vitium cõtumeliæ fuit, verùm ipsa vitia pro nominibus propriis æquissimo animo audita sunt. Plutarchus (vt dixi) in Coriolano. Mendum autem suspicor esse in exemplis eius: scribit enim Σύλλας dictos esse à corporis vitio, quum alia longe sit eius nominis origo vt tradit Macrobius. Itaque legendum puto Σίλους, id est Silos. Sili autem sunt, qui naso sunt sursum versus adunco, quod vitium est corporis, neque etiã placet, eundem de cognominibus agentem Clodiorum fecisse mentionem, quod nomen est gentis, quæ nec à vitio quidem corporis nominata est, (vt antè dixi) nisi fortè Clodios pro Claudis acceperit. Claudius enim Quinctiorum cognomen. Quæ autem scribit in Coriolano, eadem fere tradita sunt ab eo etiam in Mario. Quinetiam Macrobius libro primo, alios à virtute, alios ab honore vel iniuria, alios à casu cognomina ait inuenisse. Libro autem tertio aliquot etiã à studio piscium cognominatos esse ostendit. Præterea Plin. lib. 18. cap. 3. à rusticis operibus, libro autẽ 11. cap. 37. à vitiosis corporis partibus nonnullos cognomen traxisse ait. Postremò etiã Varro à maiore & minore pecore cognomina indita esse tradit lib. 2. De re rust. cuius verba ascribam, quia deprauata sunt & manca. Nomina, inquit, multa habemus ab vtroque pecore, à maiore & à minore, à minore, Porcius Ouinius, Caprilius: sic à maiore Equitius, Taurus, cognomina adsignificari, quòd dicuntur Annij Capræ, Statilij Tauri, Põponij Vituli. sic à pecudib. multi alij. hæc Varro. Nemo est autem qui non intelligat hic confundi exempla nominum & cognominũ, & sensum nullum bonum elici. Itaque si ita legamus, erit sententia aptior: Nomina multa habemus, ab vtroque pecore, à maiore, & à minore, à minore Porcius, Ouinius, Caprilius. sic à maiore Equitius, Asinius. Est autem intelligẽdum, quum dicimus Capram, Taurum, Vitulum, cognomina adsignificari, quòd dicuntur Annij Capræ, Statilij Tauri, Põponij Vituli: sic à pecudibus alij multi. Quinctilianus eadẽ fermè docet lib. 1. verba eius hæc sunt, Scrutabitur præceptor acer origines nominum quæ ex habitu corporis, vt Rufos Longósque fecerunt: vbi erit aliud secretius, Syllæ, Burri, Galbæ, Plauti, Pansæ, Scauri, taliáque, & ex casu nascentium: hinc Agrippa & Opiter & Cordus & Posthumus erunt. & iis quæ post natos eueniunt, vnde Vopiscus. iam Cottæ, Scipiones, Lænates, Serrani sunt. Et ex variis caussis gentes quoque & loca & alia multa reperias inter nominum caussas. Hæc Quintilianus: apud quem item credo esse mendosè Syllas pro Silos ob eam quam dixi caussam. Longum esset hoc loco Liuij, Dionysij, Dionis, Suetonij, Ciceronis aliorúmque multorum quo loco de hac re agunt, in hanc sententiam verba proferre. Quum igitur res ita habeat, iam quo modo hoc in singulis factum sit, videamus. Quibus in exponendis hanc diuisionem tuebimur, vt alia ab animo, alia à corpore, alia à fortuna tracta esse dicamus. Ad animum autem pertinẽt virtutes, mores, oratio, artes, studia, res gestæ: ad corpus, partes corporis, color, habitus, vestitus, similitudo alterius, locus & quę sunt eiusmodi. His autem rebus diligenter animaduersis, omnis (vt puto) impositorum cognominum ratio erit perfecta. Qui autem cognominũ terminationes persequuti sunt, ij frustra laborasse mihi videntur, quum om-

nes terminationes cognominibus (si ita tempus & euentus tulerit) conuenire possint, præter eam quæ gentem notet. Itaque quum apud Liuium nomina gentilicia multa pro cognominibus mendosè legerentur, ea ad suam integritatem ex antiquorum monumentis à me paulò antè redacta sunt, vt Fabius Licinus, Marcus Rutilius, Quinctius Flaminius, Furius, Pacilus & alia eiusmodi, non Licinius, Rutilius, Flaminius, Pacilius, vt vulgò legebatur.

Cognomina à sapientia ducta, aut contrà.

Sapientiam autem atque stultitiam dedisse multa cognomina Romanis cùm ex Plinij verbis percipitur, tum exempla quæ subiiciā indicant. Scribit enim Plinius libro tertio, Reliquis animi bonis præstitere cæteros mortales sapientia: ob id Cati, Corculi apud Romanos cognominati.

Sophus, qui est Græcè sapiens, Semproniorum cognomen, quod primus tulit P. Sempronius iuris ciuilis peritissimus.

Cato, auctore Plutarcho in Catone maiore vir dicitur multarum rerum peritus. eáq; de re M. Porcius Cato vocatus est. Fuit autem etiam cognomen Hostiliorum.

De Cato inquit Varro lib. 6. De ling. Latin. Cata acuta Sabini dicunt: quare Catus Ælius Sextus, non (vt aiūt) sapiens, sed acutus. Quare dixit Ennius, Egregiè cordatus homo catus Ælius Sextus.

Sapientis cognomen inuenit C. Lælius (vt ait Plutarchus in Gracchis) quia, quum Tiberij partes aduersus optimates tueri cœpisset, discordiam ciuitatis metuens ab incœpto destitit.

Corculum, auctore Festo, antiqui à corde solertem & acutum dixerunt, eóque cognomine vsus est P. Cornelius Scipio Nasica, optimi viri filius, vt ait Cicero in Bruto.

Brutus stultum significat, vt ait Dionysius. Itaque L. Iunius, qui reges eiecit, factus ad imitationem stultitiæ, Bruti quoque haud abnuit cognomen. Liuius, Dionysius.

Bellutus est belluæ similis, vt ait Festus, quod cognomen tulit L. Sicinius, primus tribunus pl. Dionysius & Pædianus.

A virtute & moribus.

Nero Sabinorum lingua strenuum significat. Itaque Ti. Claudius Ap. Cæci. F id primus tulit, quod post in eius familia mansit. Suet. in Tiberio.

Marcellus vt Plutarch. tradit, Est Bellicosus, id est ἄρειος, hoc est, Martius. Puto autē Marcellum dictum esse quasi Martellum, id est, Paruum Martem. Eo plebeia gens Claudia vsa est.

L. Sicinius Dentatus ob fortitudinem *Achilles* dictus. Gell. lib. 2. cap. 11.

Superbi cognomē tulit L. Tarquinius rex, quia socerum gener sepultura prohibuit. Dionys. & alij.

Frugi L. Calpurnius Piso appellatus ob mores, vt ait Pædianus in Pisonianam, & Cicero in Verrem.

Ouicula dictus Q. Fabius Maximus, quia moribus fuit humilibus. Plutarch. in Fabio & qui scribit de viris illustribus.

Caprarij cognomen C. Metellus ex contumelia traxit. Cicero libro tertio de orat. Itaque Scipio de eo dixit, matrem eius, si quintum pareret, asinum fuisse parituram.

Gurges vocatus Q. Fabius Rulliani F. à deuorato patrimonio. Macrobius. Plutarchus Λαιμαργὸν nominat.

Nepos aliquando cognomen contumeliæ fuit à prodigalitate, vt de Q. Metello collega P. Lentuli cos. scribit Valerius. vnde lusit Cicero ad Att. Sumptu iam nepos euasit Scapius. Patrem tamen Metelli eum qui cum T. Didio consul fuit. Q. Metellum Nepotem vocant etiam Capitolini scriptores. Nepotem autem eum dictum, quasi Q. Metelli Macedonici nepotem, significat in Cornelianam Pædianus.

Asper C. Trebonius ab insectandis patribus nominatus. Liuius lib. 3.

Lurcones, auctore Festo, dicti qui cum auiditate cibum sumerent. Fuit autem Aufidiorum cognomen.

Camillus, quo cognomine Furij vsi sunt, est puer ingenuus. Festus, Plutarchus in Numa, Macrobius lib. 3. Seruius in Virgil. vbi de Camilla.

Cicurinus cognomen Veturiæ gentis à morum simplicitate dictus. Varro de ling. Lat.

Vir optimus P. Scipio Nasica à senatu iudicatus & appellatus est. Liuius.

Ab oratione & dicto aliquo.

Lepidi Æmilij dicti sunt à lepore orationis, quia Mamercus Numæ F. Princeps eius generis summo lepore præditus fuit, quē Græci αἱμυλίαν dicunt. Plutarchus in Paulo.

Eutrapelus fuit cognomen Volumniorum: vnde Cicero ad Volumnium, Εὐτραπελία, inquit, tuarum literarum. est autem εὐτράπελος idem quod Lepidus.

Attici cognomen inuenit T. Pomponius, quod Atticè optimè loqueretur. Cicero in Catone, Nepos in vita.

Figuli cognomen adeptus est Nigidius, quod inconstantiam rerum humanarum rotæ figulinæ comparauit. Augustinus De ciuitate Dei.

Sura dictus P. Lentulus, qui quum Sulla rationem ab eo pecuniæ publicæ repeteret, quam quæstor tractauerat, dixit se non posse rationem reddere, sed præbiturum suram, vt pueri solent qui in sphæræ ludo peccauerint. Plutarchus in Cicerone.

Scrofa Tremellius appellatus auctore Macrobio, quòd quærentibus quibusdam scrofam ruri, verba iurationis concepit, nullã esse in villa sua scrofam nisi quæ in centonibus iaceret, lectulũ monstrans. vt autem ait Varro libr. 2. De re rust. quòd apud exercitum dixerit, hostes celeriter se, vt scrofa porcos, disiectum idque fecerit.

Ab arte & studio aliquo.

Pictor Q. Fabius dictus, quòd primus Romæ ædem Salutis pinxit. Plin. libr. 35. cap. 4. Cicero in Tusculana prima.

Metelli in re militari sunt quasi mercenarij: vnde genti Cæciliæ fuit cognomẽ. Festus.

Præconinus L. Ælius Stilo, quòd præco fuerit. Plin. lib. 33. cap. 1.

Eadem ratione videtur *Fictor* M. Volscij cognomen. Liuius.

Cornicen Oppiorum, Liuius. Vnde & Cornicinus apud Ciceronem in epist. ad Attic.

Fullo Apustiorũ, Liuius, lapis Capitol. Vnde iocus apud Macrobiũ, Miror sororem meam habere Maculam, quum Fullonem habeat.

Porro autem à studio rerum rusticarum multa tracta fuisse cognomina, auctor est Plin. lib. 18. cap. 3. Ex eorum numero sunt.

Bubulcus Iuniorum cognomen, qui optimè bubus vteretur.

Pilumnus. qui pilum pistrinis inuenit.

Cicerones, Lentuli, vt quisq; optimè cicerem aut lentem serebat: illud Claudiorum & Tulliorum: hoc Corneliorum cognomẽ. eadémque forte ratione *Piso* Calpurniorum.

Serranus Atilius, quod eum serentem inuenerunt dati honores.

Lacturinus Valeriorum cognomen à lactuca. Plinius lib. 19. cap. 3. Quare qui cos. anno CCXCVII. M. Valerius Maxumus dicitur in Cap. tabulis, is à Diodoro lib. 11. Μάρκος Οὐαλέριος Λακτούκιος appellatur; Idem Plinius libr. 17. cap. 1. scribit ita, Fuere & ab arboribus cognomina antiquis, *Fronditio* militi illi qui præclara facinora Vulturnum transnatans, fronde capiti imposita, aduersus Annibalem edidit.

Stolo Liciniæ genti (ita enim appellatur in ipsis arboribus fructicatio inutilis:) vnde & pampinatio inuenta primo Stoloni dedit nomen.

Iam à studio piscium dicti sunt Licinius *Murena*, Sergius *Orata*, qui eiusmodi piscibus delectati sunt, vt ait Macrobius libr. tertio, Varro libro tertio De re rustica. quanquam Fest. Sergium Oratam dictum scribit, quod duobus annulis aureis & grandibus vteretur.

Eadem ratione à maiore & à minore pecore cognomina multa ducta sunt, auctore Varrone libro secundo. hinc Statilij *Tauri*, Annij *Capra*, Pomponij, & Mamilij *Vituli*, Quod etiam in Poplicola scribit Plutarchus. ἐπίθετα δὲ τοῖς παισὶν αὐτῶν Σκίλλας, καὶ Βυβύλκας, καὶ Καπρεόλους ὀνόματα.

Quinetiam à studio auium multa sumpta esse placet Varroni. Hinc Cornelium *Merulam*, Fircellium *Pauonem*, Minucium *Picam*, Petronium *Passerem* esse dictum.

Ab vrbe vel regione deuicta.

Iam verò ab vrbe vel regione deuicta, hæc quæ sequuntur.

Coriolanus à Coriolis oppido captis dictus est C. Marcius. Liuius lib. 2.

Fidenas à Fidenis L. Sergius & posteri eius. Liuius.

Messalla Valerius à Messana primo Punico bello capta. Macrobius, lap. Capitolini.

Priuernas L. Æmilius Mamercinus à Priuernate bello. Liuius.

Numantinus P. Scipio à Numantia deleta. Appianus, Velleius.

Isauricus P. Seruilius ab Isauris vrbe Ciliciæ captis. lap. Cap. Velleius.

Idem fecerunt qui regiones in potestatem P. R. redegerunt. quorum primus (vt ait Liuius libro 30.) P. Scipio fuit, qui à deuicta Africa cognomen *Africani* tulit; itémque L. Scipio frater eius, *Asiatici* ab Asia: Q. Metellus *Macedonici*, à Macedónia: L. Mummius *Achaici* ab Achaia: Q. Metellus alter *Balearici* à Balearibus, & L. Metellus *Dalmatici* à Dalmatia: Q. Fabius *Allobrogici* ab Allobrogibus: Q. Metellus *Cretici* à Creta: D. Iunius Brutus *Callæcus* à Callæcia: Q. Metellus *Numidici* à Numidia. Quorum apud omnes testata cognomina sunt. Hoc autem loco verba quædam amici mei non possum tacitus præterire, quæ ab eo in libro De nominibus posita sunt eiusmodi, Isauricus ab vrbe dictus. Ideo conqueritur Cicero libro epistol. ad Attic. 5. quum esset in Cilicia pro cos. & expugnasset oppidum Pindenissum, non esse aptum ad cognomen parandum. Qui (malùm) Pindenissæ? Nam Seruilius antè ab Isauro vrbe præclara fuerat appellatus. Non possum autem præterire, quia hic sensum germanum Ciceronis non videtur assequutus. Neque enim Cicero queritur Pindenissum non esse aptum ad cognomen parandum, sed ad gloriam ex eius expugnatione propter oppidi obscuritatem comparandam. Sic enim ait, Saturnalibus manè se mihi Pindenissæ dediderunt. Qui (malùm) isti Pindenissæ? Qui sunt? inquies. nomen audiui nunquam. quid ego faciam? non potui Ciliciam, Ætoliam, aut Macedoniam reddere. Quibus verbis de obscuritate (vt dixi) oppidi queritur, non de cognomine ine-

pto. neque enim quisquam vnquam imperator Romanus, aut Cilix, aut Ætolus est ex victoria nominatus, vt iis in cognomine inuidere posset: verùm aliquot ex iis prouinciis clarissimos triumphos egerunt. Hoc idē sentit etiam Cicero, quum scribit ad Cœlium, Oppugnabam oppidum Pindenissum tantis opibus tantóque negotio vt mihi ad summam gloriam nihil desit nisi nomen oppidi, id est, quòd obscurissimo nomine quum sit, ne mea quidem laus gloriosa esse victoria & expugnatio possit, qualis eorum fuit qui Ciliciam, Ætoliam & Macedoniam subegerūt. Nam quod ait amicus meus ineptum ad cognomen esse, non video cur non Cicero Pindentissa dici facilè potuisset, & quondam Valerius Messalla à Messana victa, si splendidum oppidi nomen fuisset.

A loco vbi bene maléve pugnatum est.

Regillensis A Postumus dictator dictus, quòd ad lacum Regillum cum Latinis bene pugnauerit. quod cognomen posteri etiam eius tulerunt.

Æserninus M. Marcellus appellatus, quòd Æserniæ captus est. Epitomæ.

Creticus M. Antonius triumuiri pater dictus, quòd Cretæ mortuus est. Pædianus, Plutar. in Antonio. hunc tamen quidam Antonium *Cicereium* vitiosè nominant.

Germanicus Cæsar dictus, quòd in Germania obiit.

Bithynicus Pompeius dictus, quòd ex Bithynia suppellectilem regis Nicomedis deportarit. Festus.

Caudinus L. Lentulus, quòd ad furcas Caudinas obsessus cum cos. fœdus turpe suaserit, vt ex Liuio elici potest.

Ab aliis euentibus.

Collatinus Tarquinius dictus, quòd diu Collatiæ præfectus fuerit. Dionysius.

Poplicola Valerius, quòd populum coluerit. Dionysius, Liuius.

Torquatus Manlius quòd torquem in pugna Gallo detraxerit. Liuius, Gellius.

Pius Q. Metellus, quòd pietatem in reditu patris lacrymis deprecando adhibuerit. Cicero.

Pietas L. Antonius, quòd eo animo temp. tractarit vnà cum Fuluia, quasi pro Marco Triumuiro fratre laboraret. Vnde à Dione dicitur Λούκιος Αντώνιος Πίετας, id est, εὐσέβεια. quanquam à Glareano mendosè Pœtus nominatur.

Drusus Liuius vocatus, quòd Drausum regem hostium interfecerit. Suetonius in Tiberio.

Cunctator Fabius, quòd cunctando Annibalem fregit. Plutarchus.

Venox Plautius quia censor, aquæ Claudiæ venas indagauerit. Liuius, Frontinus.

Scipio Cornelius, quòd patrem luminibus carentem pro Scipione rexerit. Macrobius.

Cursor L. Papirius à velocitate cursus. Liu.

Salinator M. Liuius dictus, quòd vectigal nouū ex salaria annona commentus est. Liu.

Ambustus Fabiorum fuit (vt puto) quòd à fulmine ambustus fuerit. Sic enim Festus, Pullus Iouis dicebatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat propter candorem, quòd eius natis fulmine icta erat. Antiqui puerum quem quis amabat, pullum eius dicebant. Hinc etiam quidam *Rullum* Fabij Maximi cognomen profectum existimant.

Imperiosus Manlius. quia seueriùs delectum habuit. Liu. Plutarchus Ἐπιτάκτην appellat.

Gracchanus dictus est Iunius histor. ab amicitia C. Gracchi tribuni pl. vt scribit Pli. l. 30.

Maximus Valerius, quòd plebem patribus conciliauit. *Cicero* in Bruto.

Maximus Fabius, quòd libertinos in quatuor tribus secreuit. Liu. lib. 9.

Magnus Pompeius, quòd res magnas ante ætatem gessit, Appianus, Plutarchus.

Asina Cornelius Scipio quia quum sponsores ab eo poscerentur, asinam produxit in forum cum pecuniæ onere, quasi pro sponsoribus præsens pignus. Macrobius.

Vespillo Lucretius dictus, quòd ædilis cadauer Ti. Gracchi tanquam Vespillo in Tiberim proiecit. De viris illustribus in Graccho. Idem etiam fuit Vespa. Vnde in 2. De orat. Vespa Terentius.

Annalis Villius, quòd legem annalem tulit. Liu. lib. 40.

Diadematus Metellus, quòd frontem ex vlcere diu ligauerit fascia, quæ diadema Græcè dicitur. Plutarchus in Coriolano.

Prætextatus Papirius, quòd in ætate prætextata summā prudentiam ostenderit. Macrob.

Lænas Popillius, quòd quum flamen sacrificium faceret, cum læna in publicum exierit & seditionem sedarit. Cic. in Bruto.

Coruus Valerius, quòd ei cū Gallo pugnāti coruus omen victoriæ fuit. Liuius, Gellius.

Buteo Fabius, quia insidens in naui buteo auis bono auspicio duci ei fuit. Plin. li. 10. c. 8.

Caudex Ap. Claudius dictus, quòd primus caudicem, id est nauem, belli gerendi caussa primo Punico bello conscenderit. Seneca.

Cæsar Iuliorum cognomen fuit, de quo alij aliter tradiderunt. amicus autem meus in libro De nominibus ita, Illud nō prætermittā, Cæsarem non ab vtero cæso dictū, quòd multis video placere, sed quod ait Seruius & Spartianus, ab elephanto primùm cæsor. Nam in lingua Punica Cæsar elephas dicebatur. Quare in quibusdam argenteis numis apud me videre est, ab altera parte elephantem cū hac inscriptione *Cæsar*, ab altera autē instrumēta quib. elephātos Romani perimebāt. Hæc ille,

Numum

Numum illum cuius ipse meminit, ego accurate effingendum curaui, vt omnes homines eius industriam in Romana antiquitate illustranda cognoscerent. Sunt enim eiusmodi numi multi cùm apud alios, tum apud clarissimum & humanissimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum, quanquã quæ ille ad hunc numum impetrandum attulit, ea à multis huius artis peritis reprehédi sæpe animaduerti, qui quæ ille instrumenta elephantorum interimendorum esse tradidit, ea pontificalia ac religionis potiùs insignia esse contenderent, albogalerum, vel tutulum, secespitam, aspersorium, & vas sacrificale. Albogalerum enim ita describit Festus, Albogalerus à galea nominatus est. est enim pileum capitis quo diales flamines, id est sacerdotes Iouis vtebantur. fiebat enim ex hostia alba Ioui cæsa, cui affigebatur apex virga oleagina. Tutulum autem ita, Tutulum vocari aiunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinib. & extructum in altitudinem. Ennius, Libáque fictores, argeos & tutulatos. Itaque Varro libr. De lingua Lat. exponens hunc eundem Ennij versum, ait, Titulati dicti ij qui in sacris capitibus habere solent, vt metam. Id tutulus appellatur ab eo quòd matresfamiliàs crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent vti velatos, dicunt tutulos: siue ab eo quòd tuendi caussa capilli fiebant, siue ab eo quòd altissimum in vrbe est, quod est arx, ea res tutissima tutulus vocatur. De secespita sic Festus, Secespitam alij securim, alij dolabram æneam, alij cultellum putant. Item Secespita cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, iuncto ad capulum auro argentóque, fixum clauis æneis ære Cyprio, quo flamines flaminicæ virgines, pontificésque ad sacrificia vtebantur: dicta autem est secespita à secando. Aspersorium quidam vocant, quo aquam lustralem aspergebant. vnde Virgilius,

-ter pura socios circuntulit vnda,
Spargens rore leui. Et alibi,
-corpúsque recenti
Spargit aqua.

Vas sacrificale est vel capedo, vel simpuuium. De capedine Cic. in Paradoxis, Quid autem Numa Pompilius? minúsne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles vrnula quã filicatas aliorum pateras fuisse arbitramur? Et lib. 3. De nat. Docebo meliora me didicisse de colendis diis immortalibus iure pontificio & more maiorum quàm capedunculis quas Numa nobis reliquit. De Simpulo Festus, Simpulum vas paruum nõ dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur, à sumendo dictum, Varrone auctore, vt fortasse à capiendo capedo dicta est. Et Iuuenal. Satyra sexta, aut quis Simpuuium ridere Numæ nigrúmque catinum. Et Plin. li. 35. In sacris quidem etiam inter has opes non murrhinis chrystallinísue, sed fictilibus prolibatur simpullis. His igitur rationibus adducti multi instrumenta hæc, quibus elephantes interficerentur, esse iure negant, pontificalia autem (vt dixi) insignia esse asserunt, quæ diuo Iulio Cæsari consecrato, & id deos relato tributa sint ab Augusto, qui in patris pont. max. mortui honorem hunc numum percusserit, itaque ab altera parte esse elephantem, consecrationis symbolum. Vnde Suet. in Claudio scripserit, Claudius auiæ Liuiæ diuinos honores, & circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum curauit eadem etiam de caussa anguem elephanti ipsi esse subiectum, qui (auctore Plutarcho in Cleomene) heroibus sacer esset. Vnde Virgilius de angue ad tumulum Anchisæ mortui dixerit,

Incertus geniúmve loci, famulúmve parentis,

quum apotheosin eius significare vellet, vt ait Seruius. Sed siue hæc, siue alia sunt, profectò nihil hic numus ad eum qui primum elephantem occidit, neque ad ipsa demum elephantorum interimendorum instrumenta pertinet, quod amicus meus ingeniosè potius quàm verè confinxit, præsertim verò quum fabrile scalprum cum malleo ad eiusmodi belluas interimendas adhibitum sit, auctore Liuio.

Censorinus Marcius vocatus fuit, quòd bis Censor factus est. Valerius, Capitolinæ censuræ.

Flaminius Quinctiorum & Claudiorum.

Augurinus Minuciorum eadem ratione co-

gnomen fuit, ab insigni fortasse aliqua re vel in flaminio vel in auguratu gesta.

Sacerdotis cognomen tulerunt Licinij.

Augu. Q. Sceuola: *Pont. Max.* alter Q. Sceuola ab ipso sacerdotio quo fungebantur, vocati sunt.

Curio Scriboniorum cognomen fuit, quòd qui primus id tulit, curio maximus fuerit, vt ex Liuio intelligi potest. Qua ex familia C. Curio consul, qui de Macedonia triumphauit, & C. Curio filius tribunus pl. auctor ciuilis belli fuit: ad quē sunt epistolæ Ciceronis in secundo libro. de quibus epistolis sic scribit amicus meus in lib. De nominibus, Ambiguitas est in nomine Curionis lib. 2. epist. fam. In qua re multi decepti sunt, non distinguentes patrem Curionem à filio. Nam illæ epistolæ, *non* dum erat auditum, & *sera* gratulatio scribuntur ad patrem. Hæc ille. Hanc tamen opinionem intelligo à scholis omnib⁹ esse repudiatam. neque enim videre se eruditi homines aiunt, quemadmodum, quum in extrema epistola de tribunatu C. Curionis filij agatur, ea epistola ad patrē transferri possit, qui multis ante annis consul triumphauerat. In priore vero quum de reditu Curionis in Asia agatur, cur non idem si Romam reuertens, qui fuerat absens? id est, cur non ad eundem redeuntem hanc scripserit, ad quem absentē superiores scripserat? præsertim vero quum in superioribus de patris clarissimi viri obitu mentionem fecerit.

Thurinus cognomen Octauio puero fuit, quòd regione Thurina natus sit. Suetonius in Augusto.

Sylla P. Cornelius dictus, quòd decemuir, aut prætor ex libris Sibyllinis ludos Apollinares instituit. siquidem Sylla, quasi Sibylla appellatus est. Macrob. quod cognomen pòst in familia mansit.

Augustus Cæsar Octauianus dictus est honoris & amplitudinis caussa. Suet.

A corporis partibus.

A corporis autem partibus tot cognomina tracta sunt, vt vix comprehendi oratione posse videantur. Nam à capite *Capitones*, *Cilones*, & *Tuditani* sunt. Cilones enim dicti sūt, quorum vita oblonga, & compressa sunt, vt ait Carisius. Festus autem eos esse ait, quorum frons est eminentior, ita vt dextra sinistráque velut recisa videatur. fuit verò Flaminiorum. vnde in Numis argenteis *C. Flamini cilo.* Tuditani, qui caput simile malleo habeant. Tudites enim mallei sunt, à tundendo dicti. Iam *cincinnati*, *calui*, *crispi*, in Quinctiis, Liciniis, Salustio à capillis sunt, vt *crispinus* Quinctiorum. Quare Suetonius Caligulam Cincinnato crinem ademisse scribit veteris familiæ insigne. *Frontones* à fronte, *Nasones*, *Sili*, *Simi* à naso sunt. Sili sunt qui naso sunt sursum versus repando. Festus, Silus Sergiorum cognomen fuit. vnde in nummis, M. Sergius silus. De simis Plin. lib. 11. cap. 38. A naribus cognomina Simorum & Silonum. videndum tamen ne legendum sit, Simonum & Silorum. Ita *Strabo*, *Patus*, *cocles*, *Luscus*, *Luscinus*, *Rauilia*, *Ocella*, *cacus*, ab oculis. Plin. lib. 11. cap. 37. Strabo, qui peruersis & detortis oculis est. Porphyrio. Plinius. Talem autem fuisse Cn. Pompeium Magni patrem cognomine Strabonem, scribit idem *Patus*, auctore Porphyrione, est qui oculis est leuiter declinatis, vel cuius oculi huc & illuc celeriter mouentur, vt ait Acro Horatius Satyra tertia, Strabonem appellat Pætum pater. *coclitem* luscum dixerunt, vnde Cyclopas coclitas appellarunt. Seruius. At Plinius lib. 11. Qui orbi altero lumine nascerentur, Coclites dicti: item Varro de ling. Lat. *Luscus* Antiorum, *Luscinus* Fabriciorū cognomen fuit, auctoribus Cap. lap. *Rauilia* à rauis oculis. Festus. Vnde Cassius Longinus Rauilia *Ocella*, qui paruis vtrisque oculis essent. Plin. libro 11. vnde Ser. Ocella apud Cœlium in VIII. epistolarum. Ap Claudius *cacus* appellatus, postquam aspectum oculorum amisit. A superciliis *Silones*, id est qui eminentibus sunt superciliis. à Sileno, qui hirsutis superciliis pingebatur, Nonius ex Varrone. A lingua *Balbi* & *Blasi*, quorum illud Aciliorum, hoc Semproniorum cognomē est. Sunt autē qui R literā pronuntiare non possunt, quo vitio laborauit Demosthenes. Vnde est in 1. De orat. Demosthenes ita balbus fuit, vt ei⁹ artis cui studebat, primam literam dicere non posset. Et in Priapo, Quum loquor vna mihi peccatur litera. nā præ, Pæ dico semper, blæsáque lingua mea est. eadémque fortè ratione. *Blasia* Corneliorum & Heluiorum fuit. Aures (inquit Plinius) homini tantùm immobiles, ab iis Flaccorum cognomen. *Labeones* & *Chilones* à labiis. Plinius, Festus & Carisius. *Verrucossus*, à verruca in labiis, Fabii Maximi fuit. Plutarchus. *Dentati*, qui cum dentibus nati sunt. Plinius lib 7. cap. 16. Curij & Sicinij cognomen. *Barbatus* Horatiorū & Scipionum. *Barbula* Æmiliorum, *Ahenobarbus*, id est, qui ænea barba esset, Domitiorum, fuit à barba. Plutarchus in Paullo. A colore *Rutilus*, *Eburnus*, *Aquilinus*, vt ait Festus. eadémque ratione *Albus*, *Niger*, *Rufus*, *Flauus*. Iam *Scaua*, & *Scauola*, & *Lauinus*, quòd læua manu pro dextra vterentur, dicti sunt, quæ Brutorum, Muciorum, & Valeriorum cognomina sunt. De Scæuola scribit Zonaras. *Mento* Iuliorum, *Dorso* Fabiorum, *Scapula* Corneliorū, *Axilla* & *Ahala* Seruiliorum. A cruribus autem hæc sunt, *Varus*, *Vatia*, *Atta*. Vari qui crura incurua habent, & sunt contrarij valgis. Vatiæ, quibus in exteriorem partem crura flectuntur

cuntur. Attæ, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt, & attingunt magis terram quàm ambulant. quorum primum Liciniorum, secundum Seruiliorum, tertium Quinctij poetæ fuit. Festus, Nonius, Plinius. Iam *Plauti, Pansa, Planci, Scauri*, quæ pedum vitia sunt, cognomina Romanis fuerunt. Plautus est, qui planis est pedibus, & nullam habet in medio cauitatem. Pansa, cui pedes lati ac pansi, Plancus, cui plani pedes, Scaurus, qui talos pedum tumentes & porrectos habet. Plin. lib. 11. Festus.

A corporis habitu.

A corporis autem habitu sunt *Crassus, Macer*, vtrunque Liciniorum. *Longus* Semproniorum. *Galba* Sulpiciorum. *Gracchus* item Semproniorum. *Pulcher* Claudiorum. *Glabrio* Aciliorum. *Cossus* & *Aruina* Corneliorum. *Paulus* Aemiliorum. De Galba scribit Suetonius in Nerone, atque an crassum an macrum significet, ambigit. Gracchum à gracilitate corporis dictum scribit Carisius. Varro autem à gerendo, quia mater eius qui primus Gracchus dictus sit, duodecim menses vterum gesserit. ac propterea sine aspiratione scribendum, vt ait Scaurus. Glabri sunt depiles. Cossi, rugosi corporis, à similitudine vermium ligno editorum, qui cossi dicuntur. Festus. Aruina durum est pingue, quod est inter cutem & viscus. Seruius. Paulus (vt puto) paruus est. vnde Terentius. Paullo sumptu dixit. cognomen est Aemiliorum, vt *Paullulus* & *Magnus* Postumiorum Albinorum.

Ab ortu.

Iam verò ab ortu ducta sunt *Geminus* cognomen Seruiliorum, quod primum tulerunt. P. & Q. Seruilij fratres. quorum Publius bis consul fuit cum C. Cotta an. D I. & D V. auctor Cicero in Lucullo. *Tergeminus* Horatiorum & Curatiorum. Liuius. *Cordus* C. Mucij. Dionysius. Est autem Cordus serò natus. Quinctilianus. Quare Plutarchus C. Mucium Cordum Ὀψίγονον vocat. *Priscus* Tarquinij, quod maior natus esset. Dionysius. Idem Priscus fuit etiam cognomen Seruiliorum, ac nescio an eadem ratione *Casca*, quē pro sene Latini veteres dixerunt, Varrone auctore De lingua Latina. De *Agrippa* & *Proculo* Vipsaniorum & Plautiorum cognominibus dictum est in prænominibus.

A loco vnde commigrauerint, aut vbi nati sint, aut vbi habitauerint.

A locis porrò vnde quisque Romam commigrauerit, hæc sumpta sunt.

Sabinus Regillensis. vel Regillanus, vt est apud Suetonium. Ap. Claudius dictus, quia ex Regillo Sabinorum oppido venit. Liuius.

Antias Valerius. Plinius in præfatione, quòd Antias & esset & diceretur:

Amerinus Sex. Roscius ex Ameria. Cicero pro Roscio.

Eadem ratione dicti videntur Furij *Medullini*, Fusij *Caleni*, Sulpicij *Camerini*, Appuleij *Saturnini*, Manlij *Vulsones*, Publij *Vulci*, Aulij *Cerretani*, Plautij *Vennones*, Ælii *Ligures*, Comini. *Aurunci*. *Vfenas* certè & *Carrinas* & *Maecenas* à loco tracta sunt, teste Varrone lib. 2. De analogia.

Capitolini Manlii dicti sunt etiam antequam M. Manlius Gallos à Capitolio depelleret, quòd in Capitolio habitarēt, quod nequis patricius faceret, damnato M. Manlio, decreto cautum est. Liuius eadem fortasse ratione & Quinctii & Sestii Capitolini vocati sunt, & Genucii *Auentinenses*, quòd Auētinum. & Verginii *Cœlimontani*, quòd Cœlium montem incolerent: & P. Terentius *Tusceiuicanus* apud Liuium libro 45. quòd vicum Tuscum habitaret.

A principe generis.

Ælius *Lamia* à Lamo Formianum conditore dictus. Horat. lib. 3. Odarum.

Fusus, Furiorum, qui antè Fusii à Fuso. *Volusus*, Valeriorum, qui ante Valerii à Valeso. *Iulus*, Iuliorum, qui à Iulo generis sui auctore nuncupati. Marciorum cognomen fuit *Rex*, fortasse ab Anco Marcio rege. Siquidem in nummis quibusdam est ab vna parte caput hominis cum hoc nomine, *Ancus*, ab altera verò aquæductus cum his vocibus. *Aqua mar.* in ora verò nummi. *Philippus*. Nam & aqua Marcia à Marcio Rege deducta est, & Philippus Marciorum cognomen est, cuius gentis auctor Ancus Marcius rex.

A similitudine alterius.

Tantam præterea vim habuit similitudo alterius, vt inde cognomina etiam sæpe inuenta sint. vt de Cn. Pompeio Magno scribit Valerius libro 9. qui *Menogenes* à multis dictus sit, quòd Menogeni coquo suo similis esset & de P. Scipione, qui *Serapio*, à Victimario eius nominis sibi simili, & P. Lentulo, qui *Spintheris*, ab histrione Spinthere, adeptus sit: & alter Scipio, qui *Salutionis*, à Salutione mimo cognomen inuenerit. Plinius libro 6. cap. 22.

A fortuna.

A fortuna postremò hæc ducta. *Fœlix Faustus*, in Sulla. *Diues* in Crassis. *Egerius* ab egestate in Tarquinio, post patris auique mortem egenus natus. Dionysius. Liuius.

Cognomina ex cognominibus orta.

Multa etiam cognomina ita immutata sunt, vt per diminutionem in *inus* à suo primitiuo deflexa sint. Albus enim, quod fuit cognomen primum Postumiorum, pòst *Albinus* euasit. ita Rufus in Corneliis *Rufinus*,

Mamercus in Æmiliis *Mamercinus*, *Messalla* in Valeriis *Messallinus*, inque iisdem Coruus *Coruinus*, in aliis etiam eadem fortasse ratione *Longinus Crassinus*, *Caluinus Leuinus*, *Paullinus*, *Crispinus*, *Cæsoninus*, *Pattinus*, *Balbinus*, *Nigrinus*. quæ omnia deriuata sunt. Item *Marcellinus*, vt Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, quod tamen cognomen in eo adoptionis signum fuisse arbitror. Hic enim P. Lentuli filius fuit, qui fuit M. Marcelli filius, Cicerone auctore in Bruto.

Cognomina an hæreditaria fuerint.

His rebus expositis, æquum est etiam cognoscere, quemadmodum ex cognominibus alia ad posteros quàm longissimè propagarentur; alia ne ad filios quidem peruenirent. Itémque succrescentibus in eadem gente cognominibus, quemadmodum vetustissimum quódque aboleretur, recentia vero omnia plerunque retinerentur. Ac primùm quidem qui cognomen patris, auíque, & maiorum tulerunt, idipsum fecisse videntur præstanti illius qui primus id cognomen inuenit, virtute & gloria adducti, ita tamen vt aut mutare aut relinquere illud cognomẽ pro arbitratu potuerint. cuius rei esse documento possunt ea quæ de Cicerone scribit Plutarchus. Qui primus (inquit) Ciceronis cognomen tulit, is maxima laude floruisse videtur, quòd id cognomen à posteris non solùm non neglectum sit, verumetiam studiosè retentum. Et paulo pòst. Quum autem M. Cicero posteaquam magistratus cepit, crederetur cognomen illud aut vitaturus, aut certe mutaturus; respondit operam se daturum vt id esset & Scauris & Catulis illustrius. Præterea vero idem Cicero cognomina hæreditaria fuisse ostendit, quum loquentẽ inducit Africanũ cum nepote hoc modo. Erit id tibi cognomen per te partum, quod nunc habes ex me hæreditarium. Itaque videmus hac de caussa Album & Albinum per quingentos amplius annos in gente Postumia custoditum, Maximúmque in Valeria, & ferè etiam in Fabia, & item in Mucia Scæuolam. Hoc tamen non in omnibus seruatum esse inde apparere potest, quòd Strabonis cognomen, quod fuit patris Pompeii Magni, ne filius quidem vsurpauit, neque filij Q. Maximi Ouiculæ Verrucosi ea quæ fuerant patris. Nouis autem ascitis familiæ cognominibus vetera esse deleta agnosci potest ex Manlia gente, cuius primùm cognomen fuit Vulso, pòst Vulso Capitolinus, tum Capitolinus Imperiosus, pòst Imperiosus Torquatus, ad extremum autem tantùm Torquatus retentus est.

An æque omnium cognomina fuerint.

Ex iis quæ dicta sunt, illud satis intelligi potest, æquè omnes Romanos ciues vti inuentis cognominibus potuisse, neque ipsum cognominum vsum plebi magis interdictum quàm optimatibus fuisse. [illegible] quoniã reip. primùm in [illegible] fuit. eorum etiam ante cog[illegible] quàm plebis fuit. Vbi vero plebs [illegible] accessit, tum & plebeiorũ etiã ad distinguendas familias cognomina audiri. perinde atque imagines ad posteritatem propagandam, poni sunt cœpta. Quamobrem autem [illegible] in lib. De nominibus, in hoc præcepto [illegible] do ita loquutum esse miror, Tribus nominibus senatores fuisse appellatos olim obseruaui, equites autẽ & plebeios maiori ex parte duobus. Liuius vbi de tribunis militaribus loquitur, hos plebeios nominat, sic, C. Seruilius, D. Albinus, P. Titinnius, L. Atilius. Senatores autem ita vocabantur. C. Ælius Pætus, M. Licinius Crassus, M. Porcius Cato. Hæc ille. Igitur quia Liuius quatuor tribunos militum è plebe duobus nominibus afficit, ipse in vniuersum præcipit, equites & plebeios duobus, senatores tribus nominibus esse vsos neque quo incõmoda hanc rationem consequantur, animaduertit. Quid enim ait? an qui ex equestri & plebeio ordine in senatum legebantur, tum quum legebantur cognomen inuenisse, ante lectionem cognomine caruisse, atque à lectione ipsa, non ab euentu, cognomen sumpsisse? an vero P. Valerium, inquit eum qui primus consul senatum ex equestri ordine suppleuit, antequã tertium simplicis nomen ferre cœpit, senatorem non fuisse? an vero aut C. Mænium, aut Ti. Coruncanium, aut C. Duilium, aut Q. Cædicium, aut M'. Manilium, aut Q. Opimium, aut T. Didium, aut Marios, aut Antonios, qui consulatus, censuras, dictaturas [illegible], & clarissimos triumphos egerunt, [illegible] quia tertio nomine, veteribus & temporibus & lapidibus testibus caruerunt, non fuisse? Quid? nónne Cn. Pompeius Magni cognomen tulit tum quum ex Africa, & ex Hispania eques Rom. triumphauit? [illegible] viuente Sulla id cognomen inuenisse idem ipse scribit. M. vero Tullius, nónne antequam in senatum lectus esset, Ciceronis cognomine vsus est? At Liuius (inquit) quatuor tribunos plebeios sine tertio nomine protulit. [illegible] [illegible] tertio nomine caruerunt [illegible] firmare possit eorum cognomina non [illegible] Liuio consulto omissa quod in aliis etiam eodem ipso auctore, fecit. Sic enim ait Liuius sæpe duo profert nomina, neque caret reprehensione, quia historici est omnia explicare, & debet sanè scriptor posteritatis habere rationem magis quàm suorum temporum. An vero credibile est C. Sextilio & collegis eius tribunis militum consulari potestate remp. domi forísque à populo R. commissam esse, senatũ in quem sæpe homines nullo vii hono-

honore pro arbitratu censorum legebantur, eis lectione censoria non patuisse? Neque verò senatores pro patriciis, eum sumpsisse, atque patricios tribus, plebeios duobus vsos esse cognominibus, intellexisse puto, præsertim verò quum C. Ælius Pætus, M. Licinius Crassus, M. Porcius Cato, quos ille senatores appellat, plebeij fuerint, quod ne illum quidem latere existimo. Quid quòd Pausanias, vt antè ostendi, Romanos minimùm tribus, plerunque pluribus nominibus esse vsos tradidit? Mihi quidem hæc eiusmodi præceptio non satis in vniuersum probari, nisi exceptione aut interpretatione aliqua illustretur, potest.

De patriciis familiis, plebeiis, nobilibus, & nouis.

Hactenus de gentium & familiarum Romanarum origine, nunc de familiarum conditione dicamus: quas si genus spectabimus, alias patricias, alias plebeias: si honores, partim nobiles, partim nouas esse constituemus. de quibus omnibus sigillatim mihi videtur esse dicendum, vt hæc tota de nominibus Romanis suscepta disputatio perficiatur ac primum de patriciis & plebeiis.

Romulum scribit Dionysius vrbe condita totum populum in duas partes distribuisse, vnam eorum qui inter cæteros aut genere aut virtute aut diuitiis excellebant, alteram eorum qui his omnibus rebus inferiores erant. atque illos quidem patres, hos verò plebeios nominasse: patres autem vel ab ætate quasi senes, vnde senatores, vel quòd filios, vel quòd patres haberent, plebeij, non haberent: vel denique Atheniensium exemplo, qui summo loco natos, εὐπατρίδας obscuro, ἀγροίκους vocarunt appellasse, vt autem patriciis sacra iudicia, magistratus, senatum & totius reip. administrationem commisisse; sic plebeios his omnib. muneribus vacuos quæstuosis artibus operam dare voluisse. Itaque in hanc sententiam apud Liuium libro 10. P. Decius plebeius apud patres loquutus est ita, Semper ista audita sunt eadem penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos iustum imperium domi militiæque: Et lib. 6. App. Claudius patricius, sic, Penes quos sunt auspicia more maiorum? nempe penes patres. nam plebeius quidem magistratus nullus auspicatò creatur. nobis adeò propria sunt auspicia, vt non solùm quos populus creat patricios magistratus aliter quàm auspicatò creet, sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicatò interregem prodamus, & priuatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratib. quidē habent. Quid igitur aliud quàm tollit ex ciuitate auspicia, qui plebeios consules creando à patribus, qui soli ea habere possunt aufert? Et lib. 4. Liuius, Interroganti tribuno, cur plebeium consulem fieri non oporteret, respondit, quod nemo plebeius auspicia haberet, ideóque decemuiros cōnubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarent. Plebs ad id maximè indignatione exarsit, quod auspicari tanquam inuisi diis immortalibus negarentur posse. Et alibi, Connubia communicata sunt, quibus sacra confusa sunt & auspicia. Atque hac eadem etiam ratione adductus Scæuola in Topicis apud Ciceronem gentiles definit, qui inter se eodem nomine sunt, & qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum nemo seruitutem seruiuit, nec capite diminutus est. Hæc autem definitio aptè in patricios Romuli cadit, de quibus P. Decius sic apud Liuium loquitur. En Romæ vnquam fando audistis, patricios primùm esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est nihil vltra quàm ingenuos? Et APP. Claudius, An hoc, si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed vnus Quiritū quilibet, qui modo me duobus ingenuis eorum & viuere in libera ciuitate sciā, reticere possim? Quibus ex rebus intelligi potest, gentem primum de patriciis dictam, quòd soli ipsi eam haberent, vnde etiam maiorum & minorum generum patricij dicti sunt, post ad plebeios etiam esse translatam, qui duobus, vt patricij, essent ingenuis orti. qui iidem postea non solùm gentem adepti sunt, sed procedente tempore patricios magistratus omnes, sacerdotia, auspicia, ordines, imperia & triumphos sunt assequuti. Est præterea intelligendum qui ciuitate Romana donabatur eum plebeium fuisse, patricium autem, neminem, nisi nominatim vel à regibus, vel à populo, vel denique ab imperatore factus esset, fuisse. De Romulo Dionysius ita libro 3. πατρικίους ἐποίησε, καὶ κατέλεξε εἰς τὸν τῶν βουλευτῶν ἀριθμόν. Albanas porro familias Iuliam, Geganiam, Metiliam, Quinctiliam à Tullo Hostilio in patricias esse translatas, Liuius & Dionysius auctores sunt: Octauiam à Seru. Tullio, Suetonius. Post Reges autem exactos App. Claudium à populo patricium factum, Dionysius lib. 5. his verbis, Καὶ ὁ δῆμος εἰς τοὺς πατρικίους αὐτὸν ἐνέγραψεν. Et Liuius lib. 4 in Oratione Canuleii trib. pleb. Quid? hoc si polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis non genere nec sanguine, sed cooptatione in patres habetis, aut à regibus lecti, aut post reges exactos, iussu populi, &c De Cæsare autem ita Sueton. Senatum suppleuit patricios allegit. Dio ita expressit, Ἐς τὴν γερουσίαν ἐσέγραψεν, καὶ ἐς τοὺς εὐπατρίδας ἐγκατέλεξεν. De Augusto item Sueton. Senatū legit, patritiorum numerum

expleuit. quòd Dio ita expressit. ἑτέρους δέ τινας βουλευτὴν ἐποίησε, τό, τε τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήρωσε. De Claudio Tacitus lib. II. In numerum patriciorum vetustissimũ quenque è senatu asciuit, paucis iam reliquis familiarum quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerunt, exhaustis etiam quas Dictator Cæsar, lege Cassia, & princeps Augustus lege Seruia sublegere. Fuisse enim hanc patriciorum dissimilitudinem, quòd alii maiorum, alii minorum gentium essent, Liuius & cæteri auctores sunt, quanquam non eodem modo omnes. Liuius enim quos Romulus primùm legit, eos maiorum gentium, quos Tarquinius Priscus, minorum, quos liberata ciuitate L. Brutus, patres conscriptos appellat, quos ipsos Tacitus minorum gentium vocat. Hinc Cicero ad Papirium, aliquot patricios Papirios, quamquam minorum gentium, nominat. An verò minorum gentium omnes, præter eos quos Romulus primùm fecerat, dicerentur, facilè vocari in quæstionem possit. Cur autem vnius gentis ac nominis familiæ altera patricia, altera plebeia fuerit, quales plerasque fuisse reperimus, nemo adhuc tradidit, nos caussas has potissimùm reddi posse putamus: vnam, quòd non ab eodem ambæ fonte fluerent, vt siquis familiam M. Tullii Longi, qui patricius anno post reges exactos decimo consul cum Ser. Sulpicio fuit, quæ à Ser. Tullio rege duceretur, diuersam esse à M. Tullii Ciceronis oratoris familia dixerit, qui plebeius fuit, quam à Tullo Attio Volscorum rege, qui multo pòst Ser. Tullium regem vixit, manasse, quibusdam, auctore Plutarcho, placuit. alteram, quòd ex patricia aliqua gente alii ad plebem se contulerint, alii in patriciatu remanserint; ex plebeia verò alii à plebe ad patres transierint, alii non transierint: siquidem scribit Suetonius gentem Octauiam in patricias transductam procedente tempore ad plebem se contulisse, ac rursus per diuũ Iulium in patriciatum rediisse. Et Cicero in Bruto. Transitiones (inquit) à plebe sunt, quũ homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunduntur genus, vt si ego me à M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Seru. Sulpicio consul fuit. L. etiam Minutium Augurium patricium ad plebem transisse, & tribunum plebis vndecimum factum esse tradit Plinius tertiam, ab adoptione, vt quum plebeius à patricio, aut contrà patricius à plebeio adoptaretur. Necesse enim erat eum cõditionem sequi adoptantis. Ita M. Brutus plebeius à Q. Cæpione patricio adoptatus, & Q. Cæpio Brutus dictus, & P. Scipio patricius à Q. Metello plebeio adoptatus, & Q. Metellus Scipio dictus, patriciam Brutorum, & plebeiam Scipionũ familiam reddiderũt. Quartam à libertate. liberti enim assequuntur illi quidem nomen domini gentilicium, at conditionem, si patricius fuit, non assequuntur. Vnde Horatius Flaccus Plebeius, quum & Horatii patricij sint. Quãquam nec qui adoptione, nec qui manumissione in alienam gentem migrabant, gẽtiles cum iis fuisse ex Scæuolæ definitione videntur, vel à quibus, vel ad quos transibant: illi, quòd capite diminuti essent: hi, quod seruitutem seruissent. vt in Topicis exponit Boetius. Quintam, à ciuitate, nam qui ciuitatem beneficio alicuius patricij impetrabant, ij, nomẽ eius tantùm adipiscebantur, in plebe autem remanebant: & siquæ aliæ sunt eiusmodi. hæc de patriciis & plebeiis. Nobiles autem primùm patricij dicti sunt, quippe quibus primùm honores ij ex quibus nobilitas comparatur, in rep. patuerunt: pòst autem plebeii etiam, vbi primùm ad curules honores peruenerunt, nobiles dici cœpti sunt. Neque enim ex genere nobilitas, sed ex imaginibus parabatur. siquidem ij nobiles dicti, qui maiorum suorum imagines haberẽt. imaginem autem sui ponere ac posteris tradere non poterant, nisi qui curulem magistratum gessissent, quorum post aliquot tempora primus esse cœpit ædilitas curulis, qui magistratus antè patriciis patuit quàm plebeiis. Est autem imago, vt ait Polybius libro v. simulachrum oris similitudinem affabrè miróque artificio effictam, coloribus pigmentisque adumbratam referens. quam in insigniori & celebriori domus parte collocabant. de iure autem ponendarum imaginum sic Cicero in Verrem, Ego me ob ædilitatem mihi delatam adeptum esse intelligo antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatémque prodendam. Sic enim legit Nonius. Et cõtrà Rullum, Est hoc in more positum, Quirites, vt ij qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consequuti sunt, eam primam habeant concionem quę gratiam beneficii vestri cum suorum laude coniungant. Est autem consequi imagines familię, magistratus curules à maioribus suis item gestos capere. Noui autem dicti sunt qui nulla maiorum commendatione, ipsi primi ad magistratus curules peruenerunt. Quod intellexit etiam Plutarchus, quum in Catone maiore ita scripsit, εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐδὲν ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὐτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα, προσηγόρευον. Et App. lib. 2. καλοῦσι δὲ καινοὺς τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. Itaque Cicero in Rullum ait, Me hominem nouum consulem fecistis. Item, mihi apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur, non quòd non tales fuerint quales

nos

nos illorum sanguine creatos, disciplinísque institutos videtis, sed quòd laude populari atque honoris vestri luce caruerunt. Item, Quemadmodum quum petebam nulli me vobis auctores generis mei commendarunt, sic, si quid deliquero, nullæ sunt imagines quæ me à vobis deprecentur. Et in Pisonem, Obrepsisti ad honores commendatione famosarum imaginum. Et Liuius lib. 1. Ancus Marcius nobilis vna imagine Numæ. Et lib. 3. Ap. Claudium, virum honoratissimæ imaginis futurum ad posteros, legumlatorem conditorémque Romani iuris. Et Suetonius in Vespasiano, Flauia gens obscura illa quidem ac sine vllis maiorum imaginibus, sed reip. non pœnitenda. Et Pædianus in orationem in toga candida, Cicero competitores quatuor plebeios habuit, ex quibus duo nobiles, duo qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant. Et Liuius lib. 22. Nec finem ante belli habituros quàm consulem verè plebeium, id est hominem nouum, fecissent. nam plebeios nobiles iam iisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem ex quo contemni desierint à patribus. Et Plin. lib. 35. cap. 2. Extat Messalæ oratoris indignatio, qua prohibuit inseri gēti suæ Læuinorum alienam imaginem. similis caussa Messalæ seni expressit volumina illa quæ de familiis condidit, quum Scipionis Africani transiisset atrium, vidissétque adoptione testamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam irrepentem Scipionum nomini.

De alia nominandi ratione.

Hæc igitur omnia, quū illi haberent quasi instrumenta quædam nominandi; prænomē, nomen, atque cognomina: non his tamen contenti. alia etiam ad singulos significādos, exempli caussa patris, aut aui prænomen, tribúsque nomen adhibuerunt. Quòd cum ex vetustis illorum monumentis, tum maximè ex Pædiano cognoscitur, qui in 2. in Verrem, sic ait, Moris fuit quum aliquis ciuis Rom. ostendendus esset, significaretur aut à prænomine suo, aut à nomine, aut à cognatione, aut à cognomine, aut à tribu in qua censeretur, aut à curia, aut à censu vt si esset senator equésve Romanus. Quod autem à cognatione significatos esse scribit, à patris vel aui vel proaui prænomine, puto intelligi eum voluisse. Nam quòd à patris prænomine nominandi consuetudo fuerit, pleni sunt omnes libri: vt Q. Cæcilius L. F. à patris autem & aui, Capitolina marmora satis ostendunt: à proaui verò, epigramma quod est in li. Vet. Inscriptionum eiusmodi,

L. Munatius L. F. L. N. L. Pron. Plancus.

Cos. ceus. impiter.
V I I. vir epul. triumph ex Rhetis.
Ædem Saturni F. de manubiis.
Agros diuisit in Italia Beneuenti.
In Gallia colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.

Inuenio etiam significatos esse à cognomine patris multos, vt Q. Fabius Maximi filius, T. Quinctius Capitolini filius & in adoptiuis, vt Metellus Nasicæ F. & in vetere lapide Romæ.

P. Cornelius Paulli Scipio.
Æmilianus cos. II censor.
Augur triumphauit.

& in numis aliquot argenteis apud clarissimum virum Andream Lauredanum.

A. Postumius cos.
Bruti F. Albinus.

Porrò autem quòd à tribu ait, id tale est. quum tribus omnes Romæ XXXV. numerarētur, atque ex iis aliquam necesse esset, cuiusque ordinis esset, ciuis Romanus obtineret, iccirco factum est vt à tribu in qua censeretur, significaretur: tribus autem nomen in auferendi casu poneretur. Ita legimus in 2. Verr. C. Verres Romilia. & alibi, L. Claudius palatina. Et in 9. philip. Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus. Nam Romilia, palatina, & Lemonia, tribuum nomina sunt. Tribus autem ipsa prioribus ferè tantùm literis significabatur. Quod videmus adhuc in epistola Cœlij esse relatum, hoc modo, C. Luccius C. F. Pup. Hirrus. C. Scribonius C. F. Pop. Curio. id est Pupinia & Popilia. Quo in loco multa in hanc rem à Paulo Manutio diligentissimè aque ingeniosissimè sunt collecta.

Quæ de nominibus Romanorum tradita sunt ea stante rep. obseruata esse intelligi.

Hæc habui quæ de nominibus Romanorum dicerem, quæ certa veterum auctoritate confirmarentur, quorum vestigiis insistentem haud difficile vnumquenque ea quæ à me prætermissa sunt, indagaturum esse opinor. Est igitur intelligendum hanc (de qua diximus) nominum rationem stante potissimùm rep. conseruatam esse: post autem cùm libertate hanc etiam religiosam descriptionem labi ex omni parte cœpisse. Siquidem aliquot, quæ antè cognomina fuerant, pro prænominibus cœpta sunt vsurpari. Nam Iulum Antonium Africanum, Paullum Fabium Maximum, Potitum Valerium Volusum, Cossum Cornelium Lentulum satè animaduertere licet imperante Augusto iis prænominibus esse præditos, quæ antè cognomina fuerant, quod ipsum Valerius quoque & Priscianus docuerunt.

VALERII PROBI GRAMMATICI, DE NOTIS ROMANORVM INTERPRETANDIS LIBELLVS.

DE MARCO VALERIO PROBO EX SVETONIJ *Tranquilli de illustribus Grammaticis libro.*

MARCVS Valerius Probus Berytius diu centuriatum petiit, donec tædio ad studia se contulit. Legerat in prouincia quosdam veteres libellos apud grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, necdum omnino abolita, sicut Romæ. Hos cùm diligentius repetere, atque illos deinceps cognoscere cuperet, quanuis se contemni, magisque opprobrio legentibus, quàm gloriæ & fructui esse animaduerteret, nihilominus in proposito mansit. Multaque exemplaria contracta emendare, ac distinguere, & adnotare curauit. Soli huic, nec vlli præterea Grammatices parti deditus. hic non tam discipulos, quàm sectatores aliquot habuit, nunquam enim ita docuit, vt magistri personam sustineret. Vnum vel alterum, vel cùm plurimos treis, aut quatuor pomeridianis horis admittere solebat, cubánsque inter longos, ac vulgares sermones legere quædam, ídque perraro nimis pauca, & exigua de quibusdam minutis quæstiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem Syluam obseruationum sermonis antiqui.

VALE-

VALERII PROBI GRAMMATICI, DE NOTIS ROMANORVM INTERPRETANDIS LIBELLVS.

EST circa perſcribendas, vel paucioribus literis notandas voces ſtudium neceſſarium. Quod partim pro volũtate cuiuſque fiat, partim vſu publico, & obſeruatione communi. Nam apud Veteres, cum vſus Notarum nullus eſſet, ſcribendi facultatem, maximè in Senatu qui aderant ſcribendo, vt celeriter comprehenderent, quædam verba, atque nomina ex communi conſenſu primis literis notabant. Et ſingulæ quid ſignificarẽt, in promptu erat. Quod in Nominibus, Prænominibus, Legibus Publicis, Pontificúmque Monumentis, Iuríſque Ciuilis libris etiam nunc manet. Ad quas Notas Publicas acceſſit, & ſtudioſorum voluntas, vt vnuſquiſque familiares ſibi Notas pro voluntate ſignaret. Quas comprehendere infinitum eſſet. Publicæ ſanè tenendæ ſunt: quæ in monumentis plurimis & Hiſtoriarum libris, Sacríſque Publicis reperiuntur, Vt P. Publius. C. Caius. M. Marcus. CN. Cneus. Q. Quintus. M A R. Marcius. Ti. Tiberius. CL. Claudius. T. Titus. SP. Spurius. S E X. Sextus. SER. Seruius. OP. Opiter. AB. V. C. Ab vrbe condita. P. R. E. Poſt Reges exactos. P. C. Patres conſcripti S. P. Q. R. Senatus, Populúſque Romanus. E. Q. R. Eques Romanus. V. R. Vrbs Romana. C. R. Ciuis Romanus. COL. Colonia. Coloni. MVN. Municipia. Municeps. N. L. Nominis Latini. L. C. Latini Coloni. S. N. L. Socij Nominis Latini. *Et ſimilia, ſecundùm hæc:* Curiarum nomina. Tribuum. Comitiorum. Sacerdotiorum. Poteſtatum. Magiſtratuum. Præfecturarum. Sacrorum Ludorum. Rerum Vrbanarum. Rerum Militarium. Collegiorum. Decuriarum. Faſtorum. Numerorum. Menſurarum. Iuris Ciuilis: & ſimilium cæterorum, notas proprias habent.

A	*Auguſtus, vel Aulus, vel Aut, vel aliquãdo, vel Ager, vel agrũ, vel aiũt.*
A A.	*Auguſti, vel Auguſta.*
A̅A̅.	*Auguſtalis.*
A. A	*Apud agrum, vel Aurũ, Argentum.*
AAA.	*Auguſti.*
A. A. A. F. F.	*Aere, argento, auro flato ferundo. vel Flauoferiundo.*
A. A. A. F. F. QV. TY.	*Auri, argenti, æris flator fabricæ Quirinalis Tyberini.*
A. A. S. L. M.	*Apud agrum ſibi locũm monumenti.*
A. B.	*Alia bona.*
A B N.	*Abnepos.*
A B S.	*Abſolutus.*
A. B. V.	*A bono viro.*
A B. V. C.	*Ab vrbe condita.*
A. C.	*Alius ciuis.*
A C.	*Actio.*
A C C.	*Acceptat.*
A: C I N.	*Actionem.*
A C O N. vel A̅C̅O̅N̅.	*Actionem, vel actionum.*
A. C. V.	*A claro viro.*
A. C V B. A V G G.	*A cubiculo Auguſtorum.*
A D. E.	*Ad exactorem, vel Effectorem, vel Extorrem.*
A D. F.	*Ad finem.*
A D L.	*Ad locum.*
A D I A B.	*Adiabenicus.*
A D I.	*Adiutor.*
A D I. P.	*Adiutor prouinciæ, vel Patriæ, vel populi.*
A D N.	*Adnepos.*
A D. P. vel A D O P.	*Adoptiuus.*
A. D. P.	*Ante diem pridie.*
Æ D.	*Ædes.*
Æ D I L.	*Ædilis.*
Æ D I L L.	*Ædiles.*

ÆDIL.CVR.	*Ædilis curulis.*
Æ D. P. L.	*Ædilis plebis.*
Æ G.	*Æger.*
Æ Q.P.	*Æqualis persona.*
A E R.	*Aerarium, vel Aerarij.*
A E R. C O L.	*Aere collato.*
A E R. P.	*Aere publico.*
A.F.	*Alio facto.*
A.F.P.R.	*Actum fide Publij Rutilij, vel Ante factum, post relatum. vel Aemilius fecit, plectitur Rutilius.*
A G.	*Agit. vel Agil.*
A G.	*Agrippa. vel Agro.*
A.H.	*Alius homo.*
A.I.	*A iudice.*
A.L.AE.	*Arbitrium litis æstimandæ. vel Liti æstimandum.*
A. L. E.	*Arbitriũ liti examinandæ. vel existimandæ. vel existimandum.*
A.L.	*Alia lex.*
AL.III.L.	*Alpinæ tertiæ legionis.*
A M.	*Amicus.*
A M.N.	*Amicus noster.*
A M.P.	*Amabilis persona.*
A N.	*Annius.*
A. N.	*Ante noctem.*
A N.M.	*Actionem mandat.*
ANN. vel A N. vel A	*Annis.*
A N N L X X I I.	*Annis septuaginta duobus.*
A N T.	*Ante vel antea.*
A N T.T.C.	*Ante terminũ constitutũ.*
A. O.	*Alij omnes.*
A P.	*Apud.*
A.P.I VD.	*Apud iudicem.*
A P P.	*Appius.*
A P P.	*Appellat.*
A. P. Q.	*Aulus Publij Quinti, vel Auli.*
A. P. R. C.	*Anno post Romam conditam.*
A R M.P.	*Arma publica.*
A T.	*Autem.*
A. T E.	*A tergo.*
A.T.M.D.O.	*Aio te mihi dare oportere.*
A T Q.	*Atque.*
A.T R E B.	*Aulus Trebonius.*
A V G.	*Augustus vel Augur.*
A V G G.	*Augustis.*
A V G.N.	*Augustus noster.*
A V R.	*Aurelius.*
A V T. vel A V T R. vel A V C.	*Autoritas.*
A. X.	*Annis decem.*

B

B.	*Bonus, vel Brutus.*
B.	*Balbus, vel Balbus, vel Bene. vel Bona.*
B. A.	*Bonam actionem. vel Bonis auspiciis. vel Bonis auibus.*
B.C.	*Bonum concessum.*
B. D.	*Bonum datum.*
B.F.	*Bona fide. vel fortuna. vel Filia.*
B.F.	*Beneficium. vel Bonum factum. & aliquando Benefecit.*
B.F.C.	*Bona fide contractum.*
B.F.P.	*Bona fidei possessor.*
B.G R.	*Bona gratia.*
B.H.	*Bonus homo. vel Bona hereditaria.*
B.I.	*Bonum iudicium.*
B I.I.	*Boni iudicis iudicium.*
B.L.	*Bona lex.*
B. M.	*Bonæ memoriæ.*
B.M.F.	*Benemeritæ fecit.*
B.M.F.	*Benemerenti posuit. vel Benemeritæ.*
B.N.	*Bona nostra.*
B. O.	*Bene optime.*
B.P.	*Bona possessio. vel Bonorum possessor.*
B.P.	*Bonum publicum. vel Bona paterna.*
B.Q.	*Bona quæsita.*
BR.	*Bonorum.*
B. R.	*Bonorum rector.*
B R I T A N N.C.	*Britannicus.*
B. R. P.N.	*Bono reipublicæ nato.*
B.R.T.	*Britannicus.*
B.S.	*Bene satisfecit.*
B.T.	*Bonorum tutor.*
B.V.	*Bene vixit. vel Bonus vir.*
B V.A.	*Boni viri arbitratu.*
B.V.V.	*Balnea, vina, Venus.*

C

C.	*Caius. vel Cum.*
Ɔ.	*Caia. vel Con.*
C A.	*Caussa.*
C A. vel C A M.	*Camillus.*
C Æ S.	*Cæsar.*
C Æ S. AVG. vel A.	*Cæsar Augustus.*
C Æ S S. A V G G.	*Cæsares Augusti.*
C Æ S S S AVGGG.	*Cæsares. De tribus*
C A R.C O I V.	*Carissimæ coniugi.*
C A R I S S.	*Carissimus.*
C.B.	*Commune bonum.*
C.C.	*Consilium cœpit. vel cesset.*
C.D.	*Quadringenta.*
C E L.	*Celeres.*
C E N. PP. vel C E N S. vel C N S.	*Censor perpetuus.*
C E N.A.	*Censoris arbitratu.*
C E N T.	*Centuria. vel Centurio. vel Centenario.*
C E N T V.	*Centuriones.*
C.F.	*Caij filius.*
C.H.	*Custos heredum.*
C I C.	*Cicero.*
C.I.C.	*Caius Iulius Cæsar.*

CIPP.

CIPP.	*Cippus, i. terminus, vt Cippum, seu Lapidem.*
CL.	*Claudius.*
C.L.	*Caij Libertus, vel Caius Libertus.*
Ↄ.L.	*Conlibertus.*
Ↄ.L. vel L. vel Ɉ.	*Caia Liberta.*
Ↄ.L.	*Caiæ liberta.*
C.LIB.	*Caij libertus, vel Liberorum.*
ↃL.ꝗ.	*Conliberta carißima.*
CM.	*Comis.*
C.M. vel CA.M.	*Causa mortis, vel C. Marius.*
CN.	*Cneus, vel Cneuius.*
C.N.	*Caius noster, vel Cæsar noster.*
CN. ARR.	*Cneus Arrius.*
C.N.L.	*Cnei Libertus.*
CO.	*coniugi.*
C'O.	*ciuitas omnis.*
ↃO.	*controuersia.*
COM.OB.	*comitia obdriaca, vel Obdurata, vel obchiaca.*
CON.	*consularis.*
CON.SEN.ORD.P.Q.R.	*consensu Senatus, equestris ordinis, populique Romani.*
CONS. vel CS.	*consiliarius.*
COL. vel CL.	*colonia, vel coloniæ, vel coloni, collegæ, vel collegia, vel collegium.*
COL.	*collega, vel colonia, vel columen.*
COLL.FABR.	*Collegium fabrum, vel Fabrorum.*
COH. vel ⁓	*cohors.*
CONIV.	*coniunxit.*
CONIVOBSEQVENTISS.	*coniugi obsequentissimæ.*
CONIVG.M.	*coniugi merenti.*
CONIVX.	*coniunx.*
CONLIB.	*conlibertus, vel Conliberta.*
CONTVB.	*contubernalis.*
COR.	*cornelius.*
COS.	*consul.*
COS.QVAR. vel IIII.	*consul quartum, vel Quarto.*
COS.TER.	*consul tertium, vel Tertio.*
COSS.DESIG.	*consules designati.*
COSS.	*consules, vel consiliarij.*
COS.DES.	*consul designatus.*
C.P.	*ciuis publicus.*
C.R.	*ciuis Romanus.*
CR.	*creticus, vel crispus.*
CR. ⁓	*contractum.*
C.R.C.	*cuius rei causa.*
C.R.C.P.	*cuius rei causa promittis.*
C.V.	*centumuirum, vel clarissimus vir.*
C.V.	*clarissimo viro.*
CVL.	*cultores.*
CVR.	*curionum, vel curiarum, vel cursor.*
D	*Diuus, vel Decius, vel Diebus, vel Deuotus, vel Diutius, vel Dedicauit.*
D.	*Diua.*
D.A. vel AVG.	*Diuus Augustus.*
DATHI.	*Dathico.*
D.AVG.	*Deo Augusto, vel Diuo Augusto.*
D.B.I.	*Dis bene iuuantibus.*
D.C. vel CÆS.	*Diuus Cæsar.*
D.C.A.	*Diuus Cæsar Augustus.*
D.C.S.	*De consulum sententia, vel De consilij sententia.*
DD.	*Dedicauerunt, vel Dedicarunt.*
D.D.	*Deo dicauit, vel Dotis datio, vel Dictio, vel Dis dantibus, vel Donantibus, vel Dono dedit, vel Dono datum, vel Deo domestico, vel Donauit, vel Dono dicauit.*
D.D.D.	*Datus decreto decurionum, vel Dono decurionum dedit, vel Dono dedit, dicauit, vel Dono decurio dedit.*
D.D.D.	*Dono dederunt, vel Dedere.*
D.D.D.D.	*Dignum deo donum dicauit.*
D.D.D.D.	*Decreto decuriones dederunt.*
D.D.L.M.	*Dono dedit libero munere.*
DD.NN.	*Domini nostri.*
DDD.NNN.	*Domini nostri, De tribus Impp.*
DD.Q.	*Dedit, donauitque.*
DD.QS.	*Dis, deabusque sacrum.*
D.DS.	*Dis, duabus sacris, vel Sacrum.*
DE.	*Decius.*
DEST.	*Destinato.*
DF.	*Defunctus.*
D.F.	*Decij filius.*
D.F.	*Dotem fecit, vel Donum.*
D.G.	*Dedit gratis.*
D.H.	*Donauit hæredibus, vel Dono habuit.*
DICT.	*Dictator.*
DIG.M.	*Dignus memoria.*
DIL. vel DILE-	

CTISS.	*Dilectissimus.*
D.I.M.	*Dis inferis maledictis, vel Malis, vel Dari iussit.*
D.IMM.	*Diis immortalibus.*
D.IM.S.	*Diis immortalibus sacrum.*
D.L.	*Dat laudes, vel Donauit locum.*
D.L.	*Delego.*
D.L.D.P.	*Dis locum dedit publicè.*
D.L.S.	*Dis laribus sacrum.*
D. M.	*Dis manibus, vel Domus mortui.*
D.M. vel D̄.M̄.	*Dolum malum, vel Dubium malum, vel Donauit monumentum.*
D.M.A.	*Deo magno æterno.*
D.M.F.V.C.	*Dolo malo fraudisue causa.*
D.M.M.	*De manibus Meuiorum.*
D N.	*Dominus.*
D.N.	*Dominus noster.*
D.N.M.Q.	*Deuoto numini maiestatique.*
D N N.	*Domini.*
D.O.	*De omnibus, vel Deo optimo.*
DOMIC.COS. XIIII.LVD. S ÆC.F.C.	*Domicius consul. XIII. ludos sæculares faciundos curauit.*
DOT.	*Dotem.*
D.P.	*Diuus Pius, vel Dis penatibus, vel Patriis, vel Dotem petit.*
D.PEC.R.	*De pecuniis repetundis.*
D.P P.	*Deo perpetuo.*
D.P.S.D.L.D.P.	*Deo posuit sibi, dis locum dedit publice.*
D.Q.	*Dis Quirinalibus, vel Disque.*
D.Q.R.	*De qua re.*
D.Q.S.	*De quo suprà.*
D R.	*Drusus.*
D T.	*Duntaxat.*
T.D.S.P.	*Diem tertium, siue perendie, vel Siue perendium, vel Siue perendinū.*
D.V.	*Deuotus vir, vel Vester. vel Dis volentibus, vel Deuotus Vesta, vel Dies quintus.*
DVC DVC.	*Ducum ductore, vel Ducum ductio, vel Ductorum ductor.*
DVL. vel DOL. vel DVLCISS.	*Dulcissimus. Sicque in cæteris similibus.*
D.VIIII.	*Diebus nouem.*
E	*Est.*
E⁹ vel E.	*Eius.*
E.Æ.	*Eius ætas.*
E.B.	*Eius bona.*
E.D.	*Eius domus.*
Ē Ē.	*Esse.*
E F. vel FIL. vel FL.	*Eius filius.*
E-F.	*Eius fecit.*
E.H.	*Eius hæres.*
E.L.	*Edita lex.*
E⁹ M. vel E I.M.	*Eiusmodi.*
EMP.	*Emptor.*
E.N.	*Etiam nunc.*
EO R.	*Eorum.*
EPI. vel E P.	*Epistola.*
E P.M.	*Epistolam misit.*
E Q.M.S P.P O M	*Equitum Magister Spurius Pompeianus.*
E Q.O R.	*Equestris Ordinis.*
E Q.P.	*Eques publicus.*
E Q.R.	*Eques Romanus.*
E R.	*Erunt, vel Erit.*
EXCVR.	*Excursio.*
EX.D.A.	*Ex domo Augusti.*
EX.DO.AVG.	*Ex domo Augusti.*
EX.R.	*Exactu Regibus.*
F	*Filius, vel Filia, vel Fuluius, vel Fecit, vel Februarius.*
Ⅎ. vel F.	*Filia.*
Ⅎ. pro V.	vt SERⅎVS. ⅎVLGVS. ⅎIXIT. pro Seruus. Vulgus. Vixit, & Digamma Æolicum appellatur.
FAB.	*Fabius.*
FABR.	*Fabrum, vel Fabrorum.*
FAC.	*Facti.*
FAC C.	*Faciundum curauit.*
F.C.	*Fideicommissus, vel Fiduciæ causa, vel Fraude creditoris, vel Faciundum curauit.*
F. D.	*Fides data.*
FEB. vel F.	*Februarius.*
F.F.	*Flando ferēdo, vel Fidem facit, vel Filiusfamilias.*
F.F.	*Fecerunt, vel fabricauerunt, vel Fabrefactum, vel Fundauerunt.*
F.FA. vel F.F.	*Filius familias.*
F.F.F.	*Fabricari fecerunt.*
F.F.F.	*Ferro flamma, fame, vel Fortior fortuna fato, vel Flauij filius fecit.*
F.FL. vel F.F.	*Fratris filius.*
F.H.	*Filius heres.*
F.I.	*Fieri iussit.*
FID.	*Fides.*
FIL. vel FL.	*Filius.*

FL.	*Flauius, vel Flauia, vel Flaminius.*
FLAM.	*Flaminius vel Flamen.*
F.M.	*Fati munus, vel fieri mandauit.*
F.M.I.	*Fati munus impleat, vel Impleuit.*
F.N.	*Fides noſtra.*
F.N.C.	*Fides noſtra commiſit, vel Commiſſum.*
FOR.	*Forte, vel forū, vel foris. Foras, Vel Fortuna, Vel fortunata.*
FORRED.	*Fortuna reduci.*
FR.	*Fronte.*
FR.COR.	*Forum Cornelij.*
FR.F.	*Fratris filius.*
FR.I.	*Forum Iulium.*
FR.L.	*Forum Liuium.*
FR.POM.	*Forum Pompilij. vel Pomponij.*
FR.S.	*Forum Semproṅij.*
FS.	*Fratres.*
FV.C.	*Fraudiſve cauſa.*
FVNC.	*Functus.*
G	*Gaudium, vel Genus, vel Gens, vel Gellius.*
G.AVG.	*Genio Auguſti.*
G.B.	*Gens bona.*
G.D.	*Gens doloſa.*
GEN.COR NE.	*Gente Corneliorum.*
GEM. vel GERM.	*Germ. vel Germanico.*
GG.	*Geſſerunt.*
GL.	*Gloria.*
GL.E.R.	*Gloria exercitus Romani.*
GL.N.L.	*Gloria nominis Latini.*
GL.P.	*Gloria parentum, vel Patriæ, vel Populi.*
GL.P.R.	*Gloria populi Romani.*
GL.R.	*Gloria Romanorum.*
GL.S.	*Gallus Sempronius.*
G.M.	*Gens mala.*
GN.N.	*Genus noſtrum.*
GN.R.S.	*Genus Romani Senatus.*
G.R.	*Genus regiū. Vel Rerum.*
GR.	*Gratis vel Gerit.*
GRA.	*Graccus.*
GR.D.	*Gratis dedit.*
G.S.	*Genio ſacro, vel Sacrum.*
GT.	*Gentem.*
(archaic forms)	Loco G. *Antiqui ponebant.*
	vel C. loco *H.*
H	*Honeſtas, vel Hic. vel Hæres, Vel Hæredes, vel Homo, vel Honeſtus.*

$\overline{\text{H}}$.	*Hora, vel Honeſtas.*
H.	*Honor, vel Honori, vel Hora, vel Hoc.*
HA.	*Hadrianus.*
HB. vel H.	*Horæ bona, vel Hæres bonorum.*
HB.F.	*Homo bonæ fidei.*
HD.	*Hic dedicauit.*
H.DD.	*Hic dedicant, vel Dedicauerunt.*
H.F.	*Honeſta fœmina, vel Fortuna, vel Hic fundauit. vel fundat.*
H.I.	*Hæreditario iure, Vel Hercle iurauit.*
HIC LOC. HÆR. NON SEQ.	*Hic locus Hæredes non ſequitur.*
H.L.	*Honeſto loco, vel hic loc⁹.*
H.L.D.	*Hunc locum dedit.*
H.L.N.	*Honeſto loco natus.*
H.L.H.N.S.	*Hic locus Hæredes non ſequitur, vel ſequetur.*
H.M. vel W.	*Honeſta mulier.*
H.M. vel H.	*Hora mala.*
H.M.A.D.H.N. TRAN.	*Hoc monumentum ad hæredes non tranſit.*
H.M.D.M.A.	*Huic monumento dolus malus abeſt.*
H.M.H.E.N.S.	*Hoc monumentum hæredes eius non ſequitur.*
H.M.H.N.S.	*Hoc monumentum Hæredes non ſequitur, vel hæredem non ſequetur.*
H.M.P.	*Hic memoriæ poſuit, vel Hoc monimentū poſuit.*
HO. vel H.	*Homo, vel Honeſtus.*
HOR. VI.	*Horis ſex, vel hora ſexta.*
HOS.	*Hoſtis.*
H.P. vel H.	*Hora peſſima, vel honeſta perſona.*
H.P.	*Hic poſuit, vel Poſſent. vel poſſint.*
H.POSS.	*Hæreditatis poſſeſſor, vel Poſſeſſores.*
H.R.	*Honeſta ratio.*
H.R.I.P.	*Hic requieſcit in pace.*
H.S.	*Hæc ſit, Vel Herculi ſacrū.*
H S. vel H.	*Hora ſecunda, vel Sacra.*
H.S.E.	*Hic ſitus eſt.*
H.S.H.N.S.	*Hoc ſepulchrum hæredes non ſequuntur.*
H.S.S.	*Hic ſepulti ſunt.*
H.S.V.F.M.	*Hoc ſibi viuens fieri mandauit.*

Nota in suprascriptis quod hæredes non sequebantur monimentum, sed monimentum sequebatur hæredes.

I. II. III. IIII.	*Vnus, Duo, Tres, Quatuor vel Primus, secundus, Tertius, Quartus.*
Ī	*In.*
Ɨ	*Inter. vel Interdum. vel Intra.*
Ɨ A.	*Interea.*
IAN.	*Ianuarius.*
Ɨ C. vel I.	*Intra circulum.*
I. C.	*Iulius Caesar.*
I.C.F.V.	*Iusta causa esse videbitur.*
I.C.	*Iurisconsultus.*
ID.	*Idus.*
I.D.	*Inferis dis.*
I.D.	*In dimidio. vel Iurisdicendi vel Iuridicundo.*
Ɨ E.	*Interdum.*
I.D.C.	*Iuris dicendi causa.*
I.D.P.	*Iuridicendo praerit. vel Iuridicundo praefuit.*
I.E.	*Iudex esto.*
I.F.	*Iulij Filius.*
I.FO. vel I.F.	*In foro.*
I.FO.B.	*In foro Boario.*
I.FO.C.	*In foro Caesaris.*
I.FO.FLAM.	*In foro Flaminij. vel Flaminis.*
I.FO.IV. vel I.	*In foro Iulij.*
I.FO.L. vel L.	*In foro Liuij vel Lucij.*
I.FO.P.	*In foro pacis, vel Palladis.*
I.FO.POP.	*In foro populi vel Pompilij vel popilij.*
I.FO.P.R.	*In foro pro rostris.*
I.FO.TR.	*In foro Traiani.*
I.H.	*Iustus homo.*
III.VIR.	*Triumviri.*
IIII.VIR.	*Quartumviri. & similiter. VII. Septemuiri. X. V. Decemuiri. & deinceps.*
IIIIII vel IIIIII vel IIIIII vel IIIIII vel IIIIII	*Sextumuir. vel Sexumuir.*
I.I.N.Q.	*Iniustis nuptiis quaesitus.*
I.L.	*Iure legis vel in loco vel Iusta lex.*
.L.	*Intra limitem.*
I.L.D.	*In loco diuino.*
I.L.P.	*In loco publico.*
I.L.R.	*In loco religioso.*
I.L.S.	*In loco sacro.*
IMP.	*Imperator.*
IMPP.	*Imperatores.*
IMPPP.	*Imperatores. De tribus.*
IN.FR.P.VI. LAT.VII.	*In fronte pedes sex, Latū. septem. vel latitudine.*
IN.FR.P.XX.	*In fronte pedes viginti.*
IN.AGR.P.XX.	*In agro pedes viginti.*
I.O.M.S.	*Ioui optimo maximo sacrum.*
I.O.M.I.M.	*Ioui optimo maximo immortali.*
I.P.	*Iusta persona. vel Iustus possessor. vel In p[illegible]ne vel Ius Pontificum.*
I.	*Iure regauit. vel Iure Romano.*
I.R.	*Ius Romanum.*
IR̄.	*Iuribus Romanorum.*
I.S.	*Iudiciū solui. vel In senatu vel Iudicio senatus vel Iudicium solius. vel Iudicatum solui.*
I.S.C.	*In senatu consulto.*
I.S.D.	*Inferis dis.*
I.S N.R.	*In senatu Romano.*
I.SS.	*Inferius scripta sunt.*
Ɨ T.	*Intra tempus. vel Iure testamenti.*
Ɨ T.C.	*Intra tempus constitutū.*
IV. vel IIII.	*Quatuor.*
I. V.	*Iustus vir.*
IVD.	*Iudicium.*
IVNON.ET. PROSERP.	*Iunonij & Proserpinae.*
IVRD.	*Iurisdictio.*
IVV.	*Iuuenū. vel iuuentus.*
K	*Calendae, vel Caput. vel Clarissimus. vel Cardo. Calendae.*
K. vel KAL. vel KI.	*Castra.*
Ꝁ	*Cardo.*
K. vel. K.	*Carissima.*
K̄.	*Calendis Ianuarij, vel Ianuarius.*
KAL.IAN.	*Karthago vel Karissimus.*
KAR.	*Calendae Augusti. vel Calendis.*
K.AVG.	*Capite census. vel Censitus vel Karthago ciuitas. vel Capite censuum. vel Casus. Capite diminutus.*
K.C.	
K.D.	*Castra dedicantia, vel dedicauit. vel Dedicauerūt. vel Dedicamus.*
K.DD.	
K.F.	*Cardo finalis.*
KI. vel IA. vel IAN.	*Calendae Ianuarij.*
K.K. vel C.	*Calumnia causa.*
K L. vel KAL. vel K.	*Calendae.*
K L. vel K. vel KAL.	*Calendis.*
K.M.	*Cardo Maximus.*
K.P.	*Cardo positus, vel Castra ponit, vel posuit.*

K.Q.	*Calendæ Quintilis. vel Quintiles.*
K.S.	*Calendæ Sextiles. vel Sextilis.*
K.T.	*Capite tonsus.*
L	*Lucius, vel Lucia, vel Lælius, vel Lælia. vel Libertus, vel Quinquaginta.*
L. vel LIB. vel LIBERT.	*Libertus.*
L.A.C.	*Latini Coloni, vel Coloniani, vel Coloniarij.*
L.A.D.	*Locus alteri datus.*
L.Æ L.	*Lucius Aelius.*
L.AG.	*Lex Agraria.*
L.AN.	*Quinquaginta annis.*
L.AP.	*Ludus, Apollinis, vel Apollineus.*
L.BIB.	*Lucius Bibulus.*
L.B.M.D.	*Locum benemerenti dedit.*
L.BO.	*Lex Boaria.*
L.C.	*Lucius Catius. vel Lucius Cornelius.*
L C.DIV. vel D.	*Lucus diuinus. vel Lucum diuinum.*
L.CAE. vel COE.	*Lucius Cælius. vel Cœlius.*
L.CEN.	*Lucius Censorianus.*
L.CIN.	*Lex Cincia.*
L.C.S.	*Lucus sacer. vel Lucrum sacrum.*
L.D.	*Locum deditum, vel Lucrum dedititium.*
L.D.A B M.	*Locum dedit Aulus benemerenti.*
L.D.D.	*Locus dono datus.*
L.D.D.D.	*Locus datus decreto Decurionum, vel Libens dono dedit, dicauit, vel Libens datum decreto Decurionum.*
L.D.D.D.	*Locum dono dederunt.*
L.DIV.	*Lucus diuinus.*
L.E.D.	*Lege eius damnatus.*
LEG. vel LG.	*Legio.*
LEG.III.ITAL.	*Legionis tertiæ Italica.*
L.EM.	*Locus emptus.*
L.F. vel FIL. vel FL.	*Lucius filius.*
L.FV.	*Lucius Furius.*
LG.	*Legauit.*
L.G.D.	*Legio decima, vel Legem dat.*
L.H.	*Locum hunc, vel Locus heredum.*
LIB. vel L.	*Libertus, vel Liberti, vel Libertas.*
LIV.REP.	*Lex Iulia repetundarum.*
LIB.LIB.Q. POST.Q.E.OR.	*Libertis, libertabúsque, posterísque eorum.*

L L.	*Lælius, vel Legibus.*
L.L.	*Lucij liberti, vel Lucius libertus, vel Liberta, vel Lucij libertus, vel Liuij libertus.*
L.L.Q.E.	*Libertis, libertabúsque eorum.*
L.L.L.	*Lucij liberti locus.*
L.L.L.M.M.	*Lacerat lacertum Largij mordax Menius. Author. M.T.C. libro de Oratore secundo.*
HS. vel HS	*Sestertius.*
L.LVC.Q.F.	*Lucius Luceius Quinti filius.*
L.M.	*Locus, vel Locum monumento, vel mortuorum.*
L.M. vel M M V. vel	*Lucius Muræna, vel Morena.*
L. MAN.	*Lucius Manlius.*
L.NN.FAV.	*Lucius Nonius Faustinus.*
L N.	*Latini nominis.*
LONG.P.VII. LAT.P.III.	*Longũ pedes septem, latum pedes tres.*
L.P.	*Locus proprius. vel Propitius, vel lege punitus.*
L.P.C.R.	*Latini Prisci Ciues Romani.*
L.P.D.	*Locus publicè datus.*
L.P.L.	*Lex Plebeia.*
L.POS.	*Lucius Posthumius.*
L.PR.	*Loco priuato, vel Locus priuatus.*
L.PVB.	*Loco publico, vel Locus publicus.*
L.Q.S.	*Locus, qui supra, vel quo*
L.R.	*Lex Romana.*
L.RV.	*Lex Rusticana.*
L.S.	*Laribus sacrum, vel Sacrorum, vel Locus sacer, vel Lucius Samius.*
L.SC.	*Locus sacer.*
L.S.DEN.	*Lucius Sicinius dẽtatus.*
L.T.	*Lucius Tacitus, vel Legẽ tulit, vel Lucius Titius.*
LV.	*Quinquagintaquinque.*
L.V.	*Lex vetus.*
L.VAL.	*Lucius Valerius.*
LVCR.	*Lucretius. vel Lucretia.*
LVD. vel LVD AP.	*Ludi Apollinares.*
L.VOC.	*Lex Voconia.*
LVD.SAEC.	*Ludi sæculares.*
M	*Marcus, vel Miles, vel Monumentũ, vel Mutius, vel Mulier.*
M. vel W. vel MVL.	*Mulier.*
I	*Minutius.*

M.

MA.	*Macuuius.*
MAG.	*Magistratus.*
MAG.EQ.	*Magister Equitum.*
M. ÆM.	*Marcus Æmilius.*
MAT.P.FEC.E T. S.E T.S. P. Q.E.	*Mater pissima fecit & sibi, & suis posterisque eorum.*
MARIT.	*Maritus.*
M.AVR.	*Marcus Aurelius.*
MAX.	*Maximus.*
B.B.vel W.vel MVL.B	*Mulier bona.*
M.C.vel CIC.	*Marcus Cicero.*
M.C.	*Marcus Censor.*
M.C.	*Monumentum condidit, vel Consecrauit, vel Constituit.*
M.E.M.	*Municeps eius Municipij.*
MENS.	*Menses.*
MER.S.	*Mercurio sacrum.*
MES.IAN.	*Mensis Ianuarij.*
MES.FEBR.	*Mensis Februarij.*
MES.MAR.	*Mensis Martij.*
MES.APR.	*Mensis Aprilis.*
MES.MAI.	*Mensi Maij.*
MES.IVN.	*Mensis Iunij.*
MES.IVL.	*Mensis Iulij.*
MES.AVG.	*Mensis Augusti.*
MES.SEPT.	*Mensis Septembris.*
MES.OCT.	*Mensis Octobris.*
MES.NOV.	*Mensis Nouembris.*
MES.DEC.	*Mensis Decembris.*
M.F.	*Marci filius.*
M.FA.	*Marcus Fabius.*
M.H.	*Magnus homo, vel Malus.*
M.I.	*Maximo Ioui.*
MIL.	*Miles, vel Militauit, vel Millia.*
M.vel ʊ.INTER.	*Morte interuentus.*
M.L.	*Marci Liberti, vel Martij Liberti, vel Libertus, vel Militis locus.*
M.LEP.C.REG. INST.	*Marcus Lepidus ciuitatem Regiensium, vel Regij instaurauit.*
M.M.	*Milites.*
M.M.vel MVL.M.	*Mulier mala.*
M.MAN.	*Marcus Manlius.*
M.MAR.	*Marcus Marcellus.*
M.N.	*Meo nomine.*
T.AVG.	Tutelæ Augustæ
T.F.I.	Testamento fieri iussit
T.P.I.	Testamēto poni iussit
T.LEG.III.	Tribunus Legionis tertiæ
T.LEG.III.ITAL.	Tibicē, *vel* Tribunus Legionis tertiæ Italicæ
TAB.	Tabularius
TAB.P.H.C.	Tabularius prouinciæ Hispaniæ citerioris
TABVL.XX.	Tabularius vigesimæ
TER.	Terentina, *tribu videlicet*
TI.	Tiberius, *prænomen*
TI.F.	Tiberij filius
TI.F.TIN.	Tiberij filius Tiberij nepos
TI.L.	Tiberij libertus
TON.	Tonsor
TR.MIL.	Tribuni militum, *aut* Tribunus militum
TR.PL.	Tribunus plebis
TR.PL.DESS.	Tribuni plebis designati
TR.P *seu* TRIB.POT.	Tribunicia potestate
TRIB.SVCC.	Tribus Succussaua.
TRO.	Tromentina, *scilicet tribus*
TRIVN.PPP.	Triū Publiorū, *forsan*
TVL.	Tullus *prænomen*
TVR.	Turma
θ	*Nominibus præpositum,* mortuum *siue* mortuam *significat*
Θ.Κ.	Θεοῖς καταχθονίοις.
V.	Voleius, Volusus, *siue* Vopiscus, *prænomen*
V.	*Nominibus proprijs in sepulchralibus aliquādo præpositum,* viuum *denotat*
V.F.	Victrix fidelis. *Legionum epitheta*
V.F.	Viuens, *aut* Viuus, *seu* Viua fecit
V.F.S.ET.S.	Viuēs fecit sibi & suos
V.P.	Viuens posuit.
V.B.	Viro bono
V.C. & V.C.	Vir clarus, *aut* clarissimus.

V.E.	Vir egregius, aut excellēs
V.P.&V.P.	Vir Patricius *seu* præfectus
V.P.P.P.H.	Vir præfectus, Præses, prouinciæ Hispaniæ.
V.E.FL.AVG.PP.	Vir excellēs, *aut* egregius, Flamen Augusti, *siue* Augustalis, perpetuus
V.S.	Votum soluit
V.L.S.	Votum libens soluit
V.S.L.M.	Votum soluit libēs merito
V.S.P.L.L.M.	Votum soluit publicè, libens meritò, alterum enim L. superfluum esse reor
V.S.C.	Votum solui, *aut* soluendum curauit
V.S.	Voto suscepto
V.DD.	Voto dedicatum
V.S.I.	Vice sacra iudicans
V.V.	Valens Victrix, *siue* Valeria Victrix. *Legionum epitheta*
V.V.	Virgini Vestali
V.V.MAX.	Virgini Vestali maximæ
V.V.ET.V.	Valentini veterani & veteres
VV.CC.	Viri clarissimi, & Virorum clarissimorum
V.V.E.	Vobis visum erit
VAL.BYZAC.	Valeriæ Byzacenæ
VEIEN.	Veientina *tribu scilicet*
VEL.	Velina, *tribu videlicet*
VET.	Veturia, *nempe tribu*
VET.	Veteranus
VET.AVG.N.	Veteranus Augusti nostri
VET.LEG.II.	Veteranus Legionis secundæ
VIC.S.	Victoria Sicula.
VIR.DIAN.	Virgini Dianæ
VOL.	Volusus, *prænomen*
VOL.F.	Volusi filius
VOL.N.	Volusi nepos
VOLT.	Voltina, *tribu scilicet*
VOT.	Voltinia, *tribu videlicet*
VOT.P.SVSC.	Voto publicè suscepto
VOT.P.SVSC.PR. SAL.ET RED. IO.M.SAC.	Voto publicè suscepto pro salute & reditu Ioui optimo Maximo sacrum
VOT.S.PR.R. CÆS.	Voto suscepto pro reditu Cæsaris
V.PR.RE.CÆ.	Voto pro reditu Cæsaris
VOT.V.	Votis quinquennalibus
VOT.Q.Q.MVL.X.	Votis quinquennalibus, multis decennalibus

VOT.X.FEL.	
VOT.XX.MVLT. XXX.	Votis vicennalibus, multis tricennalibus.
VI. VIR.	Sexuir, *aut* Seuir.
VI. VIR.AVG.	Sexuir Augustalis.
VI. VIR.VRB.	Sexuir Vrbini.
VI. VIR.EPVL.	Septemuir epulonum.
VIII. VIR.	Octumuir.
VIII. VIR.II.Q.Q.	Octumuir iterum Quinquennalicius.
VIII.VIR.III. AER.SAT.	Octumuir tertium ærarij Saturni.
VIX.A.LIIX.	Vixit annis quinquaginta octo.
Φ.AN.& Θ.A.	Vixit annis, *vel* mortuus est anno.
X.	Decimus, *prænomen.*
X.Vir.	Decemuir.
X. VIR.AG.D.A. TR.IVD.	Decemuir agris dandis ac tributis iudicandis.
XV. VIR.S.F.	Quindecimuir sacris faciundis.
XX HER.	Vigesimæ hæreditarium.

 Denarij notæ sunt, pro XXX.

Numerorum notæ, antiquitus magis quàm nunc vsurpatæ.

IV.	*Pro* IIII.
IIIIII.	*pro* VI.
IIX.	*pro* VIII.
XIIX.	*pro* XVIII.
XXXX.	*pro* XL.
XXC.	*pro* LXXX.
CD. *siue* CÐ.	*pro* CCCC.
D. vel Ð.	*pro* CCCCC.
M.	*pro* M. Mille.
∞.	*pro* Mille.
CIƆ vel ⅄.	*pro* Mille.
∞IƆ.	Quatuor millia.
ↁ *aut* ↁ.	Quinque millia.
ↂ *aut* ↂ	Decem millia.
ↂↁ *aut* ↂↁ	Quindecim millia: & sic deinceps.

VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI TRACTATVS DE COMPVTO, VEL LOQVELA PER GESTVM DIGITORVM.

De Temporum Ratione, Domino iuuante, dicturi necessarium duximus, vtilissimam primo, promptissimámque flexus digitorum paucis præmonstrare solertiam. vt, cùm maximam computandi facultatem dederimus, tum promptiores legentium ingenio ad inuestigandam, dilucidandámque computando seriem temporum veniamus. Neque enim contemnenda, paruipendendáque est Regula, cuius omnes penè Sacræ expositores Scripturæ non minus, quàm literarum figuras monstrantur amplexi. Denique & multi alij alias, & ipse Diuinæ interpres Historiæ Hieronymus in Euangelicæ tractatu sententiæ huius adiumentum disciplinæ non dubitauit assumere. Centesimus inquit, & Sexagesimus, & Trigesimus fructus, quanquam de vna terra, & de vna semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad Nuptias, nam & ipsa digitorũ coniunctio quasi molli osculo complexans se, & fœderans, maritum pingit, & coniugẽ. Sexaginta verò ad Viduas, eo quòd in angustia, & tribulatione sunt positæ. vnde & superiori digito deprimuntur. Quantóq. maior est difficultas expertæ quódam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est præmium. Porrò Centesimus numerus (diligenter quæso lector attende) de sinistra transfertur in dexteram. Et eisdem quidem digitis, (sed non eadem manu) quib. in læua Nuptæ significantur, & Viduæ.

Circulum faciens exprimit virginitatis coronam.

Cùm ergo dicis Vnum, minimum in læuæ digitum inflectens in medium palmę arctum infigas.

Cum dicis II. secundum à minimo ibidem impones.

Cum dicis III, tertium similiter inflectes.

Cum dicis IIII, minimum leuabis.

Cum dicis V, secundum à minimo similiter eriges.

Cum dicis VI, tertium nihilominus eleuabis, medio dũtaxat solo, qui medicus appellatur, in medium palmæ fixo.

Cũ dicis VII, minimum solum super palmæ radicem, cæteris interim leuatis, impones.

Iuxta quem, cum dicis VIII, medicum.

Cum dicis VIIII, impudicum è regione compones.

Cum

Cum dicis X, vnguem indicis in medio figes arctu pollicis.

Cum dicis XX. summitatem impudici inter nodos indicis, & pollicis arctè figes.

Cùm dicis XXX. vngues indicis, & pollicis blando coniunges amplexu.

Cùm dicis XL, interior pollicis lateri, vel dorso indicis superduces ambobus duntaxat erectis.

Cùm dicis L, pollicem exteriore arctu instar Græcè literæ Γ curuatum ad palmam inclinabis.

Cùm dicis LX, pollicem, vt suprà curuatum indice circumflexo diligenter à fronte præcinges.

Cum dicis LXX. indicem, vt suprà, circunflexum pollice in longum extenso implebis, vngue videlicet in medium indicis arctum fixo.

Cùm dicis LXXX, indicem, vt suprà, circunflexum pollice in longum extenso implebis, vngue illius erecto trans medium indicis arctum.

Cùm dicis XC, indicis inflexi vnguem radici pollicis erecti infiges.

Atque hactenus in læua.

CENTVM verò in dextera, quomodo in læua X. facies.

CC, in dextera, quo modo XX. in læua.

Eodem modo cætera vsque DCCCC.

Itē mille in dextera, quo modo vnū in lęua.

Duo millia in dextera, quo modo I I. in læua.

I I I. in dextera, quo modo I I I. in læua. Et cętera vsque ad nouem millia.

Porrò X. cùm dices, læuam in medio pectoris supinam appones, digitis tantùm ad cælum erectis.

XX. cùm dicis, eandem pectori expansam latè superpones.

XXX. cùm dicis, eadem prona, sed erecta, pollicem cartilagini medii pectoris immittes.

XL. cùm dices, eandem in vmbilico erectam supinabis.

L. cùm dicis, eiusdem pronæ, sed erectæ pollicem in vmbilico pones.

LX. cùm dices, eandem prona femur læuum desuper comprehendes.

LXX. cùm dicis, eandem supinám femori superimpones.

LXXX. cùm dicis, eandem pronam femori superimpones.

XC. cùm dicis, eandem lumbos apprehendes, pollice ad inguina verso.

At verò C. & CC. Et cætera vsque ad DCCCC. Eodem, quo diximus ordine, in dextera corporis parte complebis.

Decies autem centena millia cùm dicis, ambas sibi manus in rectis sibi inuicem digitis implicabis.

Est & alter modi computus articulatim currens, qui, quoniam specialiter ad Paschatis rationem pertinet, cùm ad hanc ex ordine ventum fuerit, opportunius explicabitur.

Cuius ordo ludi, vel loquelæ talis est.

Cùm primam Alphabeti literam intimare cupis, vnum manu teneto. Cùm secundam, I I. Cùm tertiam, I I I. Et sic ex ordine cæteras, verbi gratia, si amicum inter insidiatores positum, vt caute se agas, admonere desideras, I I I, & I, & X X, & XVIIII. & V. & I, & VII, & V. digitis ostende. Huius nanque ordinis (cautè age) significant. Potest & ita scribi, si causa secretior exigat. Sed hoc Græcorum computo, literisque facilius disci simul, atque agi possunt. Qui non, vt Latini, paucis, iisdémque geminatis, suos numeros solent exprimere literis. Verùm toto Alphabeti charactere in numerosum ordinem figuras extendunt. Tres, qui plus sunt, numeros notis singulis depingunt, eundem penè numeri, figurandique scribendi Alphabeti ordinem sequentes hoc modo, α, β, γ δ, ε & cætera id est I. I I. I I I. I I I I. V. Qui & ideò mox numeros digitis significare didicerunt, nulla instante mora literas quoque pariter iisdem præfigere sciunt. Verùm hæc hactenus. Nunc ad ordinem Vnciarum, & rationem, quantum ipse temporum conditor, ordinatórque Dominus adiuuare dignabit, exponendum veniamus.

EIVSDEM DE RATIONE VNCIARVM.

Vnciarum quoque diuisionem nosse, quæ non minus tēporibus, rebúsve aliis, quàmminus est apta computādis non ignobilis intentio est, quibus quia & dispersæ passim historiæ, & ipsa sacra scriptura vtitur, nomina pariter, & figuras earū paucis affigere curauimus.



Libra, vel As, vel Assis,	XII	vnciæ.
Deunx, siue Lebus,	XI	vnciæ.
Deunx, vel Dextans,	X	vnciæ.
Dodrans, siue Doras,	VIIII	vnciæ.
Bes, siue Bisse,	VIII.	vnciæ.
Septunx, siue Septus,	VII	vnciæ.

S	Semis.	VI	vnciæ.
W	Quinquunx, siue cingus,	V	vnciæ.
B	Triens, siue Tras,	IIII	vnciæ.
y	Quadrans, siue Quadras,	III	vnciæ.
7	Sextans, siue Sextas,	II	vnciæ.
Z	Sexcuns, siue Sexcuncia,	vna Vncia & semis.	
Z	Vncia,	XXIIII SS	Scrupuli
A X	Semuncia,	XII SS	Scrupuli.
L	Duæ Sextulæ, siue Sesclæ, id est, Tertia pars vnciæ.	VIII SS	Scrupuli.
I	Sicilicus,	VI Scrupuli.	SS
L	Sextula, siue Sesclæ,	II SS	Scrupuli.
F	Scrupulus,	SS	Sexilicæ.

Hæc inquam ponderum vocabula, vel characteres non modò ad pecuniam mensurandam, verùm ad quæuis corpora, siue tempora dimetienda conueniunt. Vnde & ratio & mos obtinuit, vt in cautione computorum pueri vnum, & duo sæpius asse, & dipondio mutent. Item Tressis, Quartussis, Quinquussis, Sextussis, Septussis, & cætera huiusmodi, quasi tres asses. IIII. asses. V. asses. VI. asses. VII. asses proferant, & in eundem modum sequentia numerorum quamplurima. Siue igitur horam vnam, siue diem integrum, siue mensem, siue annum, seu certè aliud aliquid maius, minúsve temporis spatium in xij. partire vis ipsa xij. pars vnciã est. Reliquas vndecim, deuncẽ appellant. Si in sex partire vis, sexta pars sextans, reliquæ Dextans. vel, vt alij Distas vocitantur. Si in quatuor, quarta pars Quadrantis nomen, residuæ tres Dodrantis accipiunt, & huius disciplinæ: regula soluitur, quæ & plerosque turbat imperitos. Quia Philippus in expositione beati Iob, Æstum maris Oceani quotidie bis venire describens, adiunxerit hunc vnius æquinoctialis Dodrante transmisso tardius sine intermissione, siue die venire, siue nocte. Porrò, si per tria quid diuidere cupis, tertiam partem Trientem, residuas Bissem nuncupabis. Si per duo, dimidium semis appellatur, sic & cætera quæ verbo melius colloquentis, quàm scribentis stilo disci pariter & doceri queunt. Item de corporibus, siue milliarium, siue stadium, siue iugerum, siue perticam, siue etiam cubitum, pedémve, aut palmum partire habes opus, præfata ratione facies. Denique & in Exodo, dimidium Cubiti Semis appellatur, narrante Mose, quod habuerit arca testamenti, duos semis cubitos longitudinis, & cubitum, ac semissem altitudinis. Et in Euangelio quarta pars totius mundani corporis, id est, Terra mysticè Quadrantis nomine censeatur, cùm mittendo in pœnam peccatori dicitur, Non exies inde donec reddas nouissimum Quadrantem, id est, Donec luas terrena peccata, vt Beatus exponit Augustinus.

TESTIMONIA VETERVM QVAE AD HVNC BEDAE TRActatum intelligendum pertinent, petenda ex Plutarcho initio Apophthegmatum, Regum, & Impp.

Ex Macrobio Saturna. Lib. primo.

Ex Plinio Natur. histor. Lib. XXXIIII. Cap. VII.

Ex Apuleio Apologia secunda.

Ex Quintiliano Orator. Inst. lib. I.

Ex Iuuenalis Satyra decima.

Atque suos iam dextra computat annos.

FINIS.

NOTÆ

NOTAE IN MARCUM TERENTIUM VARRONEM DE LINGUA LATINA.

LIBER PRIMUS.

De Lingva Latina ad M. Tullium Ciceronẽ liber quartus. Alij legũt, De lingua Latina, de disciplina originum verborum ad Ciceronẽ incipit liber primus. Potest ita legi, M. Terentij Varronis de lingua Latina liber quartus, qui est de verborum originibus ad Ciceronẽ liber primus. Quam lectionẽ ausim pro vera affirmare. Constat enim omne opus de lingua Latina in tres partes à Varrone distributum, Etymologicen, Declinationem & Syntaxin: duásque posteriores partes septimo, ac deinceps, libris explicari. Primã verò, eámque bipartitam, sex libris contineri, quorum tres priores P. Septimio quæstori: posteriores Ciceroni inscripti. Illos quidem, de disciplina originis fuisse, in queis singulis per se libris, quæ contra etymologiam, quæ pro Etymologia, quæ ad eius formam pertinerent à Varrone disputantur. Hos autem de verborum origine fuisse, quibus quæ vocabula locorum ac temporum ex scriptis veterum qui prosa oratione scripserunt, excerpta essent, quarto & quinto: vt & sexto, earundẽ affectionum vocabula ex poetarum libris selecta, Varro explicauit. Ac proinde hic liber quartus est de lingua Latina: primus autem de verborum originibus.

A pertendendo] cur non potius à pertineo, pertinaciam, quàm à pertendo, declinat cùm à teneo tenaciam dicamus. Plautus Captiuis, Tenáxne eius pater? PH. Imò epol pertinax: Ea fortasse ratio esse potest, quòd plerunque pertendere significat idem ac pertinacem esse, vt apud Terentium Eunucho act. 1. Scen. 1. Pertendens gnauiter: Propertium, pertendens animo. Cæterùm vt à peruicacia differat pertinacia, vide Nonium in Peruicacia.

In quo non debet pertendi] ac proinde. Nonio. Peruicacia, interdum bonarum rerum perseuerantia: Pertinacia, semper malarum dicitur. Glossis pertinax φιλόνεικος, φίλερις, δυσέριστος καὶ φιλέριστος. Glossis meis manuscriptis impudens, obstinatus, durus, tametsi plerísque, vt & eædem glossæ testantur, Pertinacia sit idem, quod perseuerantia vnde Glossis excusis Pertinacia ἐγκαρτέρεια φιλονεικία.

At pertendit] pertenditur. Verтr. id Græci προσδιατείνεσθαι. Glossæ manuscriptæ imminere: ego verò, immorari.

Scrutantur] scrutamur.

Περὶ σημαινομένων] id est de significationibus.

Quasdam] quædam.

Cuncta] alij, certa: non necessariò. Cũcta enim hic, integra, non mutila, non mutata.

Vt hostis) idem penè Cicero 1. offic.

COLVMNA 4.

Vetustas non pauca deprauat) Vetustas interdum etiam sumitur pro diuturnitate temporis in futurum. Cicero, hoc nulla vnquam vetustas obruet.

Non pauca deprauat) pauca non deprauat. T. id est pauca retinet integra.

Fugitiua sedulitas Mutij & Bruti retrahere nequit) Sic Terentius, fugitiuum retraham argentum: & Varro 1. de re rustica, Fugitiuarius, qui fugitiuos sequitur, vt retrahat. adde quæ scripsi ad legem 18. in verbo fugitiuarius, ff. de præscriptis verbis.

Non si non potuero) non si potuero. T.

Si quiuero) si quæro alij si quiero.

In tramitibus) intrantibus.

Possent) possint.

Propter bis quaternas causas, &c) alij propter quaternas caussas: alij, propter has quatuor caussas: alii, propter ternas caussas: alii, propter has quaternas caussas. Vertranius. Maurus hanc vocem, Commutationem, de-

lendum existimat hoc loco, artationis se arctationis vocabulo correptionem dictionis intelligens Turnebus putat mutationem vocabulis accidere vel litterarum, vel syllabarum caussa. Eam, quæ ex litteris accidit mutationem, quadrupliciter fieri, demptione, additione, artatione, commutatione. Quæ in syllabis, productione, demptione, additione, artatione: atque ita, nō malè hîc legi, propter bis quaternas caussas. Qua forma libro 7. infrà, libros faciam bis ternos. Verùm propiùs consideranti, locus deprauatus ita restituendus mihi videtur. Propter has quinque caussas, litterarum enim, item syllabarum fit dēptione aut additione: & propter earum artationem, productionem aut commutationem. Nam Fabius libro 1. has quinque mutationis caussas in vocabuleis enumerat. Si corripiantur, si porrigantur, si quid illis addiiciatur, si detrahatur, si permutentur litteræ vel syllabæ. Dicam apertius: dictiones singulas maximè mutari, si littera vel syllaba illis vel adiiciatur, vel dematur, vel ex vno loco in alium mutetur. Vel ex breui longa: vel ex lōga breuis, efficiatur. Totidem enim mutationum caussæ accidunt.

Artationem, attractionem. Ita veteres legunt, superfluè: cùm attractio literæ vel syllabæ nihil aliud sit, quàm vel litteræ vel syllabæ additio, de qua immediatè dictum est. Proinde Vertranius legit, arctationem, eo vocabulo syllabæ potiùs quā litteræ correptionem intelligens. Tametsi interdum artare significet replere, vt apud Ciceronē pro Rabirio. Vt econtrario Augustum, idem quod plenum ac densum, apud Tibullum. Turnebus verò tractationem legit, idque interpretatur traiectionem & transpositionem. Alij alternationem: alii alterationem legunt. Ego excusæ nihil necessariò mutandum censeo.

Idem enim artum quod arctum) Artationi productionem ac latitudinem opponit.

Heic commorandum esse modo non putari) hic admonendum A. commonendum V. & S. commemorandum Ver.

Expediam) expendam.

Quatuor explicandi gradus &c.) quatuor explicandi gradus. Infimus in quo &c.

Ærifodinæ) Aurifodinæ V. Arefodinæ M. S Creufodinæ M.S.

Viocurrus) Vnoculus, malè, legendum est, viocurus. Significat autem viarum publicarum curatorem, de quo in l. 2. in fin. ff. de cloacis. Paulus 5. sentent. 6 §. 2 qui publicis operibus procurat. l. 2. § 17. ff. Ne quid in loco publico: l. 2 ff. de via publica: & quatuor viri viarum curandarum l. 2. §. 30. ff. de origine iuris.

Confinxerit) quod finxerit.

Rudentisibilus) in epistola Cœlij 8. epistolarum familiarium 2. legitur Rudentum sibilus: malè. Rudentisibilus enim Pacuuius ita confinxit, vt alibi Curuifrontem: vt & Lucilius Repandirostrum: Cortinipotentem. Hippocampelephantocamelos. Laberius reciprocicornem, lanicutem, vestitrahum, & Aristophanes innumera huiusmodi.

Incuruiceruicum pecus) idem apud Quintilianum 1. c. 10.

Chlamyde contorta clupeat brachium] Verba Pacuuii in Hermiona. Apud Nonium legitur clypeat: pro quo Liuius dixit paludamento circum læuum brachium impetum facit. Est autem hîc obiter notandum peregrinantes, chlamydem sumere solitos. vide Plaut. in Mercatore.

Philosophia ascendens) descendens.

Vbi est aditus & initia regn) aditus ad initia rei A. alii, aditus & initia regiæ. Turnebus ita, Et initia regis, eo sensu, qui ad quartum gradum peruenerint, ij reges fuerint. Nam & ita Horatius, Rex eris, si rectè facies. Auson. erit rex, qui faciet rectè. Plautus, Rex sūm si illum attigero.

Scientiam ad opinionem aucupabor, quod etiam nonnunquam &c.) id est, quid opiner, dicam. Nam in nostra valetudine opinionem, interdum medici sequi solent.

COLVMNA 5.

Secundum non præteribo) secundum prætereibo, vel eo sensu: Si gradum summum non ascendo, tamen secundum prætergrediar. Turnebus verò sic: Non solùm ad Aristophanis & Cratetis Grammaticorum lucernam hoc elucubro, sed ad Cleanthis, qui fuit Philosophus: quasi diceret, non modo vt grammaticus, sed vt philosophus has verborum origines expediam. Solebant enim philosophi, maximè Stoici ad ineptias vsque verborum origines enucleare. Quod cùm Cicero faciebat, dicebat se Stoicorū ineptias imitari. Huic interpretationi fauet quod sequitur in M. S. Volui præterire eos, qui poëtarum modo verba vt sint ficta, expediunt.

Nolui præterire eos) Volui præterire eos M. S. T. Hoc enim vult Varro, se voluisse vltra quosdam grammaticos progredi; qui nuda ac sola poetarum verba, vtcūque sint ficta, expediunt. Vnde mox adiicit, se non tantùm in Ennii verba (Ennii vocabulo veteres poetas intelligens) sed & antiqua ac prisca à Latini etiam regis temporibus deducta inquisiturū. Neque probo quod quidam hîc accipiunt poetarum modo, pro poetarum more.

Expediunt] expendunt.

Non enim videbatur cōsentaneū quærere me in eo verbo, quod finxisset Ennius, caussā negligere quod antè rex Latinus fecisset] En. caussam negligere &c. Scal. Si ita est, τὸ quærere etiam

tiam, vt superfluũ,] dispungendum est, sed excussæ vt apertæ satis, nihil mutandum céseo: ait enim Varro, non esse consentaneum poeticorum tantùm verborum origines scrutari, priscorum verò originationem negligere.

An non potius mea verba] An non potiùs vsitata verba.

Obliuia] id est obsoleta, ignota, quorum Latini obliuiscebantur.

De obliueis relinquam quorum partem, cùm ita inuenerim, vt opinor, scribam.] partim, quo ita inuenerim, ita opinor, scribã. T. ita restituo, De obliueis reliquam eorum partem, cũ ita euenerit, vt opinor, scribam, vt hoc Varro velle videatur, obliuiorum verborum quædam non omnino ac penitus obliuia, sed quasi. de his, prout res ita ac sermo tulerit, etiam ex sui ingenij sententia quædam dicturum: alia, prætermissurum: at non illa quæ etsi rarò sunt tamen in vsu aliquo.

Pythagoras] V. Aristot. Ethic. & Physic.

Initia] Principia. A.

Vt omnia ferè] vt adeò ferè. A.

Quin fuerit motus] quin fuerint motus. M. S. T.

Eius enim interuallum] eius annuum interuallum M.S.T.

Initiorum quadriga) quadrigas, quadripartitionem per translationem vocat. Propriè quadriga Glossis τέθριππον quadrigum τετράζυγον quadrigæ τετραπωλία.

Quare quattuor] Quare quod quattuor. A.

Quatuor genera rerum, totidem verborum.) Idem Varro lib. 20. rerum humanarum (vel vt ibidem quidam legunt Rhetoricorum) apud Nonium in Quadrifariam, quæ ad mortales pertinent, quadrifariam dispertierim, in homines, in loca, in tempora, in res.

Horum enim) harum enim M.S. Vtrunque mendosè A. nisi legas, minimum horum.

De his locis) de quibus locis MS.T.

Sed qua) si quæ.

Qua radices) quod radices.

Fines suas) fines suos.

Sape enim ad limites arboris radices, sub vicini prodierunt segetes) vel, sub vicinas protriuerunt segetes: vel ita, arboris radices subuicinæ protriuerunt segetes. arbores dixit vel radices subuicinas proterere plerumque segetes alterius.

Incipiam de locis, sub ipsius loci origine) id est dicturus de vocabuleis locorum ab originatione huius vocabuli, locus incipiam.

Vt nunc dicunt conlocatum) τὸ nunc, nõ frustrà adiectum à Varrone. Nam antea Varronis ætatem dicebant locatum, non vt nunc, conlocatum.

Apud Plautum) in Aulularia.

Titiam habeo) v. Nonium in Locandi significatio, Virginem habeo: ita apud ipsum Plautum in Aulularia.

Cassam dote) dote cassam. ita apud ipsum Plautum loco superiore.

Trita) alij terea: alii terrea, alii Græca: alii Treca, alii Creta, alii Thrace: alii Thressa. Scaliger legit, Tritaui.

Fanum in cuius muro locaui) fanum intumum locaui V. fanum in ciuium muro. T. in cuius mœro liberi fanum locaui. S.

Vbi quidquam) vbi quidque M.S.T.

Quod vsque id emitur] quod vsque id emit: V. Quod vsque idem, vt. T.S. eo sensu, nõ antè conquiescit, quàm locatus est publicano: vt hæc verba vel ad Præconem (qui semper vagatur donec repererit pretium) vel ad mercedem quæ semper ἐπιπολάζει referantur: eóque significatu Plaut. dixit. It ad me lucrum.

Locarium) quod & solarium in l. 15. ff. qui potiores: Græci ποτιατικόν.

Quod datur in stabulo & taberna vbi consistant] quod datur in stabulo & taberna vti consistant. Sic in l. 15. 1. ff. locati, ibi stabulum vel vbi greges eius stare oporteat.

Loci muliebres) honestè, pro vtero & natura mulieris: vt & apud Catonem & Lucretium. Dioscorides 1. τόπους dixit.

COLVMNA. 6.

Cœlum dicitur duobus modis) pro eo scilicet in quo sunt fixa sidera & pro aere, ita in iure Instit. de iure naturali animalia quæ in cœlo: pro quo Theophilus τὰ ἰπτάμενα.

Nam & Asia) Nam vt Asia M. S. T. Duas autem hîc orbis partes facit, tametsi Salustio teste, in Iugurtha, plerique tertiam posuere Africam.

Asia dicitur pars prioris Asia) ea Asia minor dicitur intra Taurum sita.

In qua est Ionia & prouincia nostra Cilicia) τὸ Cilicia dispungendum. nec enim Cilicia minoris Asiæ pars. v. Ciceronem pro Flacco, & Strabonem.

Pars eius summum) pars eius, summum T.

Demonstrat cùm dicit) cùm demonstrat dicit. T.

Hoc vide &c.) Versus Pacuuij Trochaicus.

¶ *Id quod nostri*] vide *Tullium 2. de Natura.*

Memorant) memorant Graii aera. T. atque ita versus erit absolutus.

Lucretius suorum & vnius viginti librorum initium fecit hoc) Si is numerus librorum Lucretij fuit, aut eius epitomen aut reliquias tantùm: aut alterius Lucretii opus habemus. alterius, inquam, forsasse eius qui amatorio poculo in furorem versus per dilucida interualla libros conscripsit emendatos, postea à Cicerone: natus ab eo vndecim annis: à Varrone 24.

Aelius Gallus) Ælius MS. Stillonem intelligit: quanquam & Ælius Gallus de significatione verborum, quæ ad ius pertinent, scripserit.

Non malè, quod posterior Aelius multò potiùs celare à cælo: quàm cœlum à celando.) Atqui Plinius ex Varrone probat, cœlum à celando dictum. Ea re, Scaliger hunc locum ita emendat, quòd post reor multò potiùs celare à cælo quàm cœlum à celando. Ego verò ita lego, non malè, quòd postremò Ælius (tradit scilicet) multò potiùs celare &c. eo sensu. Ælij Galli, duæ de cœli originatione sententiæ non probandæ. Nam à prima, quà cœlum à cælando (Græci κρύπτειν) putat dici, Ælius tādem desciuit propterea quòd idem putat cælare potiùs à cœlo: quàm cœlum à celando dici. Secunda item eius opinio falsa, cœlum ideò dici, quòd diu minimè cęlatur, id est occultatur. nam & interdiu & noctu cælatur.

A chao cauum) à chao couum MS. fortasse cohum: nam & ita Festus, alij etiam à κοῖλον deducunt.

Andromacha) Andromeda. S. Vt sint Anapesti ex Andromeda Ennij.

noctique caua) Andromacha: Nocti quæ caua. A. T alij, pro nocti legunt noctu. Hi autem Anapesti hoc modo restitui possunt, nocti, Quæ caua cœli, signitenentibus conflci bigis.

Cauationem) alij rationem, alij notionem, alij pationem. Turneb. procreationem (Cœlum enim omnia Ennio generat) alij adgnationem, alij adnationem legunt.

Cœli ingentes fornices) Sic Varro in Menippea, Cœli cauernas dixit: & vetus poeta cortinam. sed tamen fornicis vocabulum hac significatione impropriè sumi Cicero 3. de Oratore existimat.

Vt à cauo, cauea, cauile) Pro cauile alii legunt cauillæ, alii cauille, alii caulæ (quo sensu Lucretius caulas corporis, pro meatibus corporis vsurpauit) Turneb. cauile pro cauillatione hîc sumi arbitratur. quid si, cauernæ.

Conuallis, cauata vallis) hæc duo cauata vallis ineptum glossema. S. Glossis conuallis μεσοφαράγγιον.

Et cauere cautione) caueo cautio vel cauatæ cauitione. V. cauete cauitiones MS. T. & cauedium S. Ego, verba priscæ formulæ aut legis hîc laudari non puto: ita tamē restituo: & cælæ. à cauatione. id ita esse vel Festus in casa mihi concesserit.

vt cauum sit ortum, vnde omnia apud Hesiodum à chao cauum cœlum) vt cauum sit ortū, vnde omnia apud Hesiodum à chao: à cauo, cœlum.

Territorium) v. l. 239. §. 8. de verborum signification. Ciceronem in Verrem, Frontinum, Siculum, Flaccum. Glossis Territoriū ἀγρὸς, ἐπικυλωνία, ἐπικοίχισμα, ἐνορία περιχώρης.

Termentarium) extermentarium. V. malè. Termentum Plauto hîc obiter notandum, Termentum Plauto detrimentum esse, teste Festo. Est & Glossis Tersorium ἐκμαγεῖον, quod & alibi Tergorium.

Triuolum, quo teritur) Tribulum, quo teritur. quidam ita legunt, non malè. Nā & Tribulum legitur apud Varronem 1. de re rustica & Nonium. Veteres etiam dixêre, Tribulam in fœminino. Virgil. 1. Georg. 2. Columel. 21. vnde Tribulare apud Catonem pro agitare: hinc etiam Trebla Catoni.

Fines agrorum termini) v. titul. finium reg. & Titul. de Termino moto.

Limitare iter) limitaneum iter, militare iter. Vertr. (nam & militaris via Ciceroni. Higino, Columellæ) malè. Limitare iter, est semita modica, quæ relinquitur inter duo confinia, lata pedes quinque ex duodecim tabularum præscripto, de quo dixi ad l. quinque Pedum. C. Finium regundor.

Termini cùm in Latio] alii, quàm is in Latio: al. i, cuius & Latio: alii cùm in Latino: alii cùm terminus in Latio T:

Termen] alii termon: alii termo. T. quidam terminia.

τέρμα) τέρμονα. T. Glossæ Termini τέρμονες Termino, τερματίζω.

Via quidem) Via siquidem. A.

Quæ sola teri possint) quæ solo teri possint. Scal. Lucretius, Loca nullius antè trita solo. Solum, infimum pedum calcaneum: Plaut. Qui auro habent suppactum solum.

Pinsibant] pinsabant A. Pisabant apud Nonium. alij pinsebant. quo modo Ennius annal. 10. pinsebant terram genibus.

Ab eo qui Romanus combustus est) alij legunt, ab eo quod Romanus Romæ non cōbustus: alii, quo ad Romæ, eo sensu, mortuo non combusto, vel combusto, osse tamen eius excepto, ad purgandam familiam, nec sepulto, familia funesta manet. Cætera vide apud Seruium libro 6. Æneid. Cicero 2. de legibus. Varronem 3. de vita populi Romani &, Nonium in Anthraciis. de sepulturæ veteris ratione. Quod ad penultimam lectionem attinet, ea Verrano placet, displicet Scaligero. Nam etiamsi Romæ non fuisset combustus, non dicebatur humatus, antequam iusta soluta fuissent. neque propriè situs nisi posita inscriptione. Ante Nouendiale sacrū supra terram esse dicebatur: vbi comburebatur locus vstrina: cùm conditus, funus: post denicale sacrum, humatus: vbi humatus, sepulcrum: posita inscriptione situs dicebatur. dixi *ad l. 28. in fi. ff. de stipulat.*

aut si os exceptum mortui) digitum ad eam

eam rem abscindi testatur Festus: id genus Februi exuerrias, vel exuerræ Festo in Euerriator.

Colvmna 7.

Et dicitur humilior, quæ ad humum sunt, aut à re vt Sabini & Lucani] Et dicitur humilior, quæ ad humum, vt Sabini vt Lucani V. Et dicitur humilior, demissior, infimus, humillimus, Turn. vt hoc modo coniungantur, voci humilior ea quæ pòst sequuntur, ibi, vbi nunc est Roma, Septimontium. Scal. ita legit, Sunt quæ ab humo, vt Apulia & Latium: aut declinata ab hominibus, vt Sabini & Lucani; Vtrumque vt Hetruria & Thusci, eo sensu: ab humo Hetruriam, ab hominibus Thuscos dici. Idem paulò antè sic legit, Et dicitur humilior, hinc vbi nunc est Roma Septimontium. Et pòst, Sunt quæ ab humo vt Apulia & Latium. alioquin, funesta non dicitur humilior, sed mortuus potius. Idem alio loco notat posse & hunc locum ita legi, & dicitur situs.

Latium vtrumque] nouum & vetus Latium intelligit: alij tamen legunt, Latium aut vtrunque.

Qua regnum fuit Latini vniuersus ager dictus Latium] dictus Latius V.T. vt aruus apud Plaut. Potest ita legi, dictus Latinus, vt & infra à Præneste Prænestinus, Aricia, Aricinus.

Vt nostri augures publicè dixerunt] publicei. V.S. Cicero publici augures videntur.

Ab Romulo] à Romo V.T.

feruntur auspicia] seruntur auspicia. V.T.

Eo enim ex agro Romano primum progrediebatur] alij, Romam primùm. Scaliger ita legit, Romani primùm progrediebantur.

Gabinus siue peregrinus] Gabinus quoque peregrinus. S.

Secundum hos hospitia habent singularia. Ab reliquo discretus] Secundum quos auspicia habent singularia: alij, secundum hos auspicia habent singularia ab reliquo: alij, secundum quos hospitia habent singularia. ab reliquo discretus.

Ager] Vetus scriptura ita habet, ager dictus est, in qua terra agebant, & vnde quid agebant, aut quo fructus causa: à quo id Græci dicunt ἀγρὸν vt ager, quo agi poterat. Fabius tamen primo & vltimo ridet Varronem cùm ager ab ἄγρος Græco sit, non econtra.

Sic qua agi dictus] Sic agitatus eius. M.S.

In quadratum actus] Vetus scriptura in quadratum actum, & latum & longum est centum & viginti Turn.

Centuria] vide Columellam. Sic. Flac. Varronem de re rustica.

Vt tribus multiplicata idem tenet] alij legũt tribus partibus. Turnebus verò ita, vt tribus partibus multiplicatæ: vel ita, tribus multiplicatæ.

Qua vehebant via, quo fructus conuehebant villa,] Imò quà vehebant primò vehæ, deinde viæ. Item quo fructus vehebant & vnde vehebant, vehilæ: & postea villæ, vide Varron. 1. de re rustic.

Ager cultus à coalescendo] malè à coalescendo Varr. cultum agrum deducit, cùm potiùs à colendo esse ac dici debeat.

Quod primùm ex agro plano fructus capiebant campus] malè: id enim potius à Græco. Nam Siculi ἱππόδρομον καμπὸν vocabant à flexu equorum qui ibi certabant.

A collendo colles] cur non potius à collo, colles.

Saltus &c.] v. l. penult. §. 1. ff. si seruit. vindicetur: l. 25 ff. de pignorat. act. l. 52. ff. de act. empti. l. 8. ff. de instructo. alia est explicatio huius verbi. Nam, in assignatione agrorum quatuor centuriæ coniunctæ, saltus. significat aliàs saltus montem ingentem, vt saltus Pyrenæus dixi plenius ad Festum in voce Saltum.

Semen, quod non planè id quod est] alij id quod inde: alij, id quidẽ vnde. Vertranius, Semen dici putat, quòd se minus sit cùm seritur quàm cùm metitur. Turnebus à semi, quòd sit semiperfectum quiddam, habita ratione ad id quod ex eo prodit. Isid. xr. c. 1. quod iactu sumitur denique à sumendo semen dictum existimat.

Alia quæ] alia. quæ M.S.A.

Secta terantur] de tritico id intelligi oportet, non de farre. Far enim non in area, sed in pistrino pinsebatur atque ex suis folliculis extricabatur: cui vsui pistulæ farrariæ.

Loca in vrbe pura area] Pura, id est non ædificata, vnde locus purus in iure, non ædificatus.

Colvmna 8.

Ager restibilis, qui restituitur] alia significatione ager restibilis dicitur, qui bis in anno aratur. Cæterùm ea forma restibilis à restituendo, qua prostibulæ & prostibulum à prostituendo. Restibilis autem παλυμφυὴς & παλίμβλαστος Græcis. dixi plenius ad Festum.

à Nouando noualis ager.] Nouare hic est arare quod Græci νεοῦν, adde Varronem 1. de re rustic. 18. Plin. 19. quid Noualis terra, vide l. 30. §. 2. ff. de verborum signif. Glossis Nouale νεάσιμον, Noualis terra, νεασις γέα της.

Noualis ager aruum] alij ita legunt, noualis ager aruus, vt apud Plaut. non aruus hic sed pascuus est ager. Eadem ratione apud Grammaticos & Varronem. ager aruus dicitur. alij aruum interpretantur agrum aratum nec satum: alij agrum sationalem.

Arationes] Arationes, agri erant publici,

qui aratoribus colendi dabantur (plerumque aratoribus etiam lege publica auferebātur, & colonis assignabantur. vt Capuanus lege Iulia) ex quibus decumæ siue decimæ (vnde agri decumani dicebantur, iis oppositi qui immunes Ciceroni 4. in Verr. dicuntur) vt ex pascuis agris, scripturæ (Plautus, ob meam pecudem scripturā accepit. vide quæ scripsi ad l. 9. Cod. de vectigalibus in verbo Arabarchiæ) è portubus, portoria, vectigalia populo Romano pendebantur. Cicero pro L. Manilia, Neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal seruari potest: & 4. in Verr. Mercator, arator, an pecuarius. Vbi postea meminit ordinis aratorum, pecuariorum & mercatorum. Et hoc quidem modo aruus & pascuus arger distinguuntur, vt & pecuaria & aratiuncula apud Plautum.

Sustollit] sustulit. A.

Sulcus &c.] Varro τὸ sulcus, à sustollit deducit, quod melius à Græco ὄλκος. Et in libris de re rust. sulcum interpretatur, quà aratrum vomere lacunam facit. Et veteres quinto, sexto & nono sulco serere dicebāt, pro quinquies, sexies, aut nouies serere agrum. de sulcis aquariis v. l. 1. §. 5. § 9. l. 24. ff. de aqua & aquæ pluuiæ.

quòd ea terra iacta, id est proiecta, porca] alij legunt, porrecta. Sic idem Varro 1. *de re rust.* 29. porcam dictam esse ait, quòd ea seges frumentum porricit. Alij grammatici quòd porriciat, id est prohibeat aquam frumento nocere. *vide Nonium* 1.30 Porcas à rusticis liras vocari Columella ait. Cùm inter duos sulcos latius distantes medius cumulus siccam sedē fruměntis præbet. De porcis & sulcis aquariis v. l. 24. ff. de aqua & aquæ pluuiæ. vide Festū.

prata quod sine opere parata] aliter Colum. 11. c. 17. quòd protinus sint parata, nec magnum laborem desiderent. Et Varro 1. de re rustic. prata parata appellant. Fortè pratum à Græco est. Nam apud Græcos πρασὸν, viride. adde l. 31. ff. de verborum signific. adde Festum.

Sine opere] sine opera.

Diuidit in eos agros, cùm scribit Sulpitius] mendosus hic locus videtur Vertranio. Vetus ita habet. Diuidit enim eos eius Sulpitius. Turnebus, diuidit enim eos Seius Sulpitius. Scal. alludit eò cùm scribit Sulpitius.

Vt rursus capias fructus appellantur rura] Falsò hæc à Varrone. Rura enim potius à Græco ἄρουρα.

Sulpitius] Iurisconsultus scilicet.

plebei rura largitur ad aream] alij legunt largitatur ad aream. Scal. verò, plebi rura largiuntur adoream, vel plebi rura largitura adoream. Adoream, id est, vberes fructus & prouentus. Id enim Plauto ex aliis authoribus. aliàs ad aream largiri rura, quidam putant idem esse, quod, agros frumentarios largiri: contra quàm prata ad fœnile. Alij, ad annuas messes largiri. fortè addendum est ad arandum. Alioquin aream dictam Festus arbitratur, quasi exaruerit, neque quicquam possit generare.

Prædia dicta: item vt prædes à præstando] cū quid de publico conducebant mancipes & publicani, prædes dabant, qui prædia sua ob eam rem obligarent, teste Cicerone in Verrem. Ac prædia, res ipsæ: prædes, ipsi fideiussores, Asconio, v. Festum in Præs.

quod ea pignori data] pignore dato, alij eo pignore dato.

publicè mancupes fidem præstant] Publicè mancupi fidem præstent, Vertr.

Vbi nunc est Roma septemmontium demissior infimus locus.] vbi nunc est Roma Septimontium nominatum à tot montibus. I. Scaliger in appendice putat citari hîc à Varrone versum Trochaicum cum acrostichide hoc modo, Hic vbi nunc est Roma Septemmontium demissior infimus locus. Quæ verba, Varronis interpretatio mox sequitur, infimus, humilimus. Antea quoque dixi quibusdam videri hæc verba Varronis coniungenda superioribus, vbi de familia funesta agitur.

Terra abijt in nimbos] abit

Pacuuius, Terra exhalat auram atque aurorem humidam atque humectam] Est qui ita restituat, Pacuuius, exhalat auram terram atque auroram humidam atque humectam.

Hinc sudor quiuis deorsum in terra himber] hinc sudor aquæ vis deorsum. A. hinc sudor vdor ei quamuis, V. hinc sudor, vdor. Is quamuis deorsum in terram vnde sumi potest puteus. Alii ita legunt, hinc sudor quiuis himber in terra: alii, hinc vdor. Aquæ vis in terra himber. Alii, hinc vdor aquæ vis deorsum. hinc terra Vmbria. (Vmbri Diodoro, Solino & aliis ἀπὸ τῶν ὄμβρων) Vel ita, hinc vdor, hinc quæuis deorsum terra, vt Vmbria humilior. De Vmbria adde Isidorum.

Æoles dicebant τὸν πύθεων καὶ πόταμον, &c.] Æoles dicebant vt πόταμον sic ποτῆρα & πίτον, vt nunc φρέαρ. T. Æoles dicebant πόταμον, sic potura à potu. V. Æoles dicebant ποτῆρα ἀπὸ τῆ πίτω, non vt nunc φρέαρ. S. alioquin πύθεων non est dictio Græca eo sensu: sicuti & πόταμος. Illud enim Thucydidi significat templum Pythii Apollinis (non aquam vt perperam putat Helychius.) Hoc verò fluuium significat, non puteum. Quinetiam potura verbum satis insolens.

Puteoli à puteis vel putore.] adde Festum. Strabonem 5. Stephanum de vrbibus.

Vbi in puteis obruebantur homines: qui locus publicus extra Exquilias.] Horat. de Ex quiliis

liis loquens, Hic miseræ plebis stabat commune sepulchrum, &c. plebis dixit, quia is locus sepulturæ inopum in suburbanis destinatus: Culinas appellatum eundem locum Vrbicus scribit.

Puticulos.) alij Putiluculos: legendum Puticulos. S.

quòd inde suspiciunt lumen. quòd antea suscipiunt. A. Quo deinde suspiciunt perpetuò flumen, lacus: Lacunæ, in qua ibi aqua. T. quo inde suspiciunt. V. quoinde suspiciunt perpetuò flumen, Lacus, Lacunæ. Lama vbi aqua contineri potest. S. vt τὸ quoinde sit idem quòd vnde.

perpetuò lumen) perpetuos lumen V. perpetuò flumen. T. Nisi τὸ Lumen significet funera quæ cum funalibus efferebantur.

stagnon quòd Græcè. στέγνον) στέγανον Vertr. στέγνον T. stagnum à Græco στέγνον, S. inde Statinæ seu Statiuæ aquæ, contrariæ perennibus & manantibus. 2. Plin. 88 Ego nihil mutandum censeo. Id enim vult Varro, Stagnum à στέγνον, deriuari: id enim appellationis habuisse primùm. de Stagno. adde l. 1. § 4. π. vt in flumine publico. quod restagnare. v. l. 1. §. 6. π. de aqua & aquæ pluuiæ. l. 2. §. 28 π. ne quid in loco publico.

quid nomen habet primum.) habuit primum V. hoc quid sit, dixi sed quid? Scaliger ita legit, quod non habet rimam. mouetur autem eo quòd Græci vocant στέγνον, id quod minimè rimosum est & fideliter continet, cui contrarium sit futile.

stillicidia. fluminàque vt ita fluant cadántque.) Stillicidia fluuia, quæ vt ita fluant, cadántque V. Stillicidia, flumina, aquæ, vti fluant cadantque S. (sic enim in Senatusconsulto apud Frontinum quominus ea aqua ire, cadere, fluere) inde Caducæ aquæ, quæ ex diuidiis seu Castellis & fistularum manationibus fluebant. Ego ita lego, stillicidia, vti nunc sunt, vt ita sunt, cadántque. argumento legis 17. §. 3. π. de seruitutibus prædiorum vrbanorum.

fluit continuè) fluit continuò A.

qui circum Aternum habitant flumen Amiternini) fortè legendum Amaternini. Græci ἀμφιτέρμονες.

qui aliter facit ex ambitu causam dicit.) qui aliter facit indagabili ex ambitu caussam dicit V. Vertr. ita lego, Qui ad honores iter affectat indagabili &c. vel qui honores ita affectat &c. indagabilis ὑπεύθυνος.

quod caput) cuius caput. S.

extra Latium) rectè: oritur enim Tiberis in Tuscis: ideóque nomen eius non Latinum.

nihil Latinum, vt quod) Latinum & ignotum vt quod A. malè, nec enim ignota Tiberis origo. Nam à Tiberi Tusco, Tiberis qui antè Albula, Vide Festum.

anceps est historia.) id est duplex. sic enim apud Nonium Anceps.

Dehebrim) alij Tibrim: alij Deheberim. 3. Plin. 5.

Albulam vocitatū) Albulam appellatū. V.

COLVMNA. 9.

propter Tiberim regem) alij Tiberiū legunt ex Liuio. De Tiberi hoc constat. Tiberim, à Tiberi Tusco: à Tiberi, Tiberium regem, Deum Tiberinum, Tiberiûm familiam.

§ terra in Asiam & Europam) atque ita Europa complectitur Africam. *vt apud Sallustium Iugurthino.*

& Austrum) & Eurum V.

Europa) vide V. Festum in Europa.

Manlius) Manilius v. Mallius MS: de Māliorum & Maniliorum familia dixi ad Festum.

sunt & nomina) multa desūt *quæ ibi ab Sabineis necata armis*) necata armillis: ita lego.

Tarpeium saxum) pars erat montis Tarpei seu Capitolini, vnde nocētes deiiciebantur periuri communiter. Manlius eò etiam deiectus: vt & qui Tribunorum maiestatem violassent. quæ pœna postea legibus vetita. l. 25. π. de pœnis saxum etiam dicebatur simpliciter. Horat. Deiicere è saxo ciues.

ab eo late Saturniam terram, vt etiam Ennius appellat.) Italiam, Saturniam olim vocatam author Halicarnasseus: eorum oppidum Saturniam illic fuisse vbi Roma, testatur Ennius apud Catonem in Fragmentis Originum. Hinc Virgilius, Ianiculum hinc: illi fuerat Saturnia nomen T. S.

quam Iunius scribit) quam Iunius describit, vel de qua Iunius scribit.

Iunius) Gracchanus s. de quo in l. vnica. π. de officio Quæstoris.

nunc vacant Pandanam) quod semper panderetur, ac pateret, teste Verrio.

ab aduentu hominum) ab aduentu hominum. T. hanc emendationem à Scaligero non probatam: eò magis admittēdam puto, quòd sequentia Varronis verba eam satis euidenter arguunt, ibi paludibus: & pòst, qui aduehebantur ratibus.

ea qua tum itur Velabrum) ea qua tum descendebant, dicitur Velabrum. ea qua tum dicitur velabrum. V. de qua tum dicitur velabrum. infrà, qua nunc itur velabrum. S.

vnde ascendebant ad rumam nouam via lucus est & sacellum lacum.) Vnde ascendebant ad imam nouam viam locus ascellus labrum V. vnde escendebant ad imam nouam viam locus sacer velabrum T. vnde ascendebant ad Rumiam, noua via, vti lucus & sacellum larum. S.

Velaturam facere dicuntur) velaturam facere Varroni libr. de re rustica dicuntur qui

ex plauſtrorum vecturis viuunt. Plutarchus, τὴν δὲ πορθμείαν βηλατοῦραν καλοῦσιν.

Quadrantis ratiti.) ratici V. malè. Quadrans raticus dicitur Feſto & Plinio 38. cap. 3. quòd in eo eſſet ratis effigies: vt nauis, in aſſe. Raticus igitur idem quòd ratem habens, rati inſignitus ac notatus. Quin, ex hoc loco notari poteſt, quadrantem portitoribus ſolui ſolitum vt & balneatori. Horat. Iuuenal. vnde balneum, res quadrantaria dicitur Senecæ epiſt. 87.

Reliqua Vrbis loca diſcreta, vt Argeorum ſacraria in XXVII. partes vrbis diſpoſita &c.) Alij Argeos loca ſacris faciendis interpretantur. Alij verò exiſtimant per quatuor tribus Argeos diffuſos per XXVII. ſacraria: cùm & infrà legatur Primæ regionis quartum ſacrarium: & pòſt, Argeorum ſacellum ſextum. Planè Varro hoc dicere videtur, Argeorum ſacraria in XXVII. partes vrbis diſpoſita.

Vt Argeorum] cum Argeorum V.

In XXVII. partes] in totidem partes, ſeculo Varronis, Roma diſtributa: ſeculo Auguſti, in XIV. teſte Dione lib. 55. Plinio Tacito. P. Victore.

COLVMNA 10.

E queis prima eſt ſcripta regio Suburana) vt vltima Arnienſis. Cicero in Rullum, deſcribat ab Suburana vſque ad Arnienſem.

A Cœlio) à Cœle. V. alij Cele. Halicarnaſſius Καίλιος.

Cœlij) Cœlis V.

Vicus Tuſcus) Ergo Varro putat à Vibenni Tuſci copiis in eum locum deductis vicum Tuſcum appellari, quòd aliter extat apud Liuium.

Intereas) inter eos. V.

Mineruium.) Templum Mineruæ: vt Dianium, templum Dianæ.

Cerionia, quòd hinc oritur caput ſacra via) videtur id velle Varro, Cerioniam denominari à κάρα quod caput eſt Græcis: quaſi Carioniam dicas.

Sacra via) v. Feſtum in Sacram viam.

Ab Strenia ſacello] ab Stireniæ ſacello. V. alij Sereniæ. v. Feſtum in Sacram viam.

Quotquot menſibus) quot menſibus V. ſic Cato c. 43. rei ruſticæ. Capita oleagina quot mēſibus fodere oportet. Idem verbum reperitur in lege Cum hi 7. §. ſi cui 24. ff. de tranſac. l. nec ſemel 12. §. nouiſſimè 5. ff. quando dies legatorum. ad eam formam, ſuperiorib. locis in iure, quotannis dicitur: & Plauto in Sticho, ſcena 2. quot Kalendis. Liuio 5. quot diebus. Cæterùm Idibus (vnde Idulia Feſto in Sacram viam.) hęc ſacra fiebant: iiſque agnam immolabant Ioui, teſte Ouidio. ex cuius agnæ lana, flamines Diales conficiebant albogaleros ſuos. Ad eam conſuetudinem alludere videtur Horatius his verbis, Dum Capitolium, Scandet cum tacita virgine Pontifex.

Proximo cliuo) primore cliuo V. & Vert. primori cliuo A.

Subura) Sucurra v. Feſtum & Quintilian. 1.

Sucuſam] Succuſam. V. & Vertr.

Secundæ regionis Eſquilinæ] ſecundæ regionis collis Eſquilinæ.

Eſquilinæ) Exquilinæ V.

Rege Tullio) rege Tullo V. & Vertr.

Lucus fagutalis &c.) lucus fagutalis & viparum Querquetularum ſacellum.

Concinit) conuenit V.

Lucus Mephitis) lucus Mefitis. V. lucus Matis. V. lucus Meficis. V. malè. vide Feſtum in Septimontio: & Seruium 7. Æneidos.

Quorum anguſti fines non mirum. Iamdiu enim latè auaritia vna eſt.) quorum quod anguſti fines non mirum: iamdiu enim latè auaritia vagata eſt. vel auaritiæ via eſt. Hinc Ouidius Iupiter anguſta vix totus ſtabat in æde. & Varro 1. de vita populi Romani, omnia regiis temporibus delubra parua fuerunt, vt in veteri cultu: quæ ſunt conſentanea, quòd ſint paupertina, ſine elegantia ac cum caſtimonia, certè ſtatuaria, quam Alexandrinus κακοτεχνίαν appellat, multò pòſt introducta.

Lucus larum & Querquetulanum ſacellum) & larium Querquetulanum ſacellum V. larum Querquelulanum. T. vt apud Liuium larum permarinum. Porrò, quos lares querquetulanos hîc Varro appellat, Feſtus Nymphas Querquetulanas vocare videtur.

Terciceps) Terticepſos V. terticeps V. T. Vertr. Tricepſis. Volaterranus.

Dexterior via] dexteriore via. T.

Tabernola) pars quædam in vrbe ad Cœlium montem.

Quadricepſos] quatriceps V. quatricepſis Volaterranus.

In ſiglineis eſt] in ſingulis eſt. V. in Eſquiliis eſt. T.

Quinticepſos] quinticepſis V. quinticepſois T. Porrò biceps, triceps, quatriceps, quinticeps, non ſignificat, habere quattuor vertices, vt putat Volaterranus: ſed ſecundum eſſe, tertium, quartum, quintum caput.

Septimius mons] Sceptius mons. V. T.

Pœtilium) Petillium V. alij Petellinum: alij Petilinum: ex P. Victore. Vertr.

Eſquilinus ſexticepſos] Eſquiliis eſt. S.

Ciſpius mons) ſic Feſtus: alij, Ciſpeus.

Ælitumus] æditüus V.

Habere] habitare.

E queis] è quibus V.

Viminio) Vimineo. Victor. Vimino V.

Viminetæ] vimina nata. A.

COLVMNA 11.

Ex Argeorum ſacrificiis) ex Argeorum ſacris.

Aduerſum

Aduersum est pila Narii, ædem salutis) aduersum est pila Honoris V. aduersus est pilã Horatiam T. (in ea Curatiorum spolia fuisse testis est Halicarnasseus) Alij Pilonoris legunt: alij, honoris ædem, malè. cùm trecentis annis post Argeorum sacra, dedicata ædes honoris fuerit à Marcello. Turnebus aliquãdo legit aduersus est Apollineris ædem. vel aduersus est Apollinaris. Collis vel vicus. Hunc secutus Scaliger legit Apollineris ædẽ & Salutis. Hæc enim omnia fuerunt in colle Quirinali & Apollineris ἀρχαικῶς, vt boueris, sueris, lapiderum, nucerum, regerum.

Collis Mutialis] collis Martialis S. teste Dionysio 9.

Habere solet] habitare V. Vertr. T.

Dei filij] per eum sanctissimè adiurabant: vnde Græcis πίστιος. Comicus per Dium fidiũ quæris, iurato mihi, Video, necesse est eloqui quidquid roges.

Mustellario] Instellario. V.

Turaculum) auraculum V. auguraculum. T. Locus erat vnde augures auspicabantur Festo: in quo Numa inauguratus, Liuio. auguratorium appellat Victor, ídq. in Palatio collocat. Græcè οἰωνιστήριον, οἰωνοσκοπεῖον. In castris quoque similis lócus erat, vbi duces auspiciis operam dabant: ídque augurale Tacito 2.

Ædificium solum est] id est, multa illic delubra & fana, sed priuata tantum ædificia.

Quod Palantes) quod Palantei V.

Aborigines) qui essent. V. Festum.

A pecore] id est pecoris balatu vt Næuius. nisi sit legendum, pecuscum à pecore V. Festum in pecuscum, partem Palatij fuisse Scaliger notat.

Germalum) Germalum Fest. Κέρμαλον & γέρμαλον Plutarchus in Romulo.

Hi inuenti) e Tibri inuecti. S.

Velia) Cato testatur in fragmentis Veliam, partem montis Capitolini à vellenda lana appellatam ante monstratam ab Hetruscis vellaturam.

Vellera) vellemera. V. vellemina: vel vellimina. Nam & ita Varro in libris de re Rustica. S.

A quo tribus appellata,) sic Plutarchus in Romulo. Centurias tamen equitum fuisse ait Liuius, & Plin. de viris illustrib. vnde Horatio, celsi Rhamnes. Sed nihil vetat populum in tres partes diuisum: & tamen ex ea vnaquaque centuriam equitúm institutam.

Tatiensium) Tatium. V.

Tatienses) Taties. V. Vertr. Titienses. Plin. Liuius. Festus: alij, Tatij. vtrunque non malè: nam à prenomine Titij Tatij regis, Titienses: à nomine, Tatienses. Tities vocat Propertius: vt Lucanus Titios sodales.

Ramnenses à Romulo) Ramnes. V. alij Rhãnes. Cæterum qui Ramnes vel Ramnenses hîc, Varroni, tribus: Horatio, ciues Romani.

A Romulo) Idem Liuius, Plutarchus, Plinius.

Luceres à Lucumone) Sic Plinius: Festo Lucerenses & Lucomedi à Lucomo Tusco vel à Lucero rege Ardeæ. Plutarchus ab asyli loco. Vide Sigonium. 1. Emendat.

Iunius) Gracchanus cognominatus à Gracchi amicitia, vt ait Plinius. Eius Cicero meminit 3. de legibus, & lex vnica ff. de officio Quæstoris.

Volumnius) Voluius. V.

Quinta, quod sub Roma, Romilia.) Ex hoc loco possis colligere, certum quendam ordinem fuisse tribuum. Sic Cicero in Rullum conqueritur in agri diuisione & assignatione, Rullum incipere à Romilia prætermissis vrbanis Saburana, Esquilina, Collina, Palatina, à quibus primis incipere debuit. T.

Et ste Harpocrates digito significat, qui sunt Taantes, &c.) Et soe & cæt. V. etsi, & cær. Vertr. etsi Harpocrates digito significat, vt taceas, Politianus Miscell. 83. Forte legendum, vt taceam, optimo sensu. Etsi Harpocrates digito teneat labellum, & significet ne hoc cuulgem, tamen hoc dicam. Alij ita hunc locum emendant. Et st. non malè, pro silentij indicio τὸ st. vsurpantes, vt est apud Plautum Truculento Act. 3. scen. 1. apud Terentium Phormione Act. 5. scena 1. Scaliger putat, hæc verba sumpta ex veteri quodam poëta qui ita fortè scripserit. Sancte Serapis, Isis & Harpocrates digito qui significat st.

Harpocrates) Plutarchus in Iside refert Harpocratem Osiris & Isidis filium exterricinium, id est natum ante iustum tempus (quẽ ἠλιτόμηνον Græci) vocem non emisisse nascendo: atque ob id silentij Deum haberi, eiúsque signum apud Ægyptios ore obligato atque digito obsignante. Inde Ausonio sigalion dicitur. Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet. Catullus, & patruum reddidit Harpocratem, id est mutum & elinguem. his adde Augustinum 18. de Ciuitate 5.

Taautes) Taantes Eusebio: Mercurius fuit non Deus Pheniciorum sed Ægyptiorum Tho. vel Theuth. teste Cicerone in libris de Natura.

Astarte) quæ & Astaroth. Ea fuit Venus quam Salomon etiam coluit: 1. Reg. 11. dicta autem Astarte à grege & victimarum multitudine. Alij putant fuisse Iunonem sub ouis forma adoratam: Nam & Iuppiter Ammon, sub specie arietis colebatur. Alij, deam fuisse Sidoniorum, & quidem Venerem, Astri figura cultam: quemadmodum & Dagon à reliquis Phœnicibus, sub piscis forma, quibus

Dag piscem significat.

Ambracia) Samothracia V. rectè. Hi enim omnes Dij in Samothracia culti. alij legunt Imbrasio. Nam & ita Ambracia dicitur à fluuio Imbraso, teste Callimacho & Stephano, quanquam τὸ Ambrasia non omnino repudiandum, cùm inibi Æneam Veneri & Diis magnis (qui sunt Dij Samothraces) templũ ædificasse Dionysius scribat.

Samothraces Dij) qui à Dardano in Phrygiam: ex Phrygia ab Ænea in Italiam postea deuecti. Varr. 2. Humanar. Festus in Salios. Vnde hi Romanorum penates καὶ θεοὶ μεγάλοι teste Cassio Hemina. Tertullianus libro de spectaculis, Tres aræ, trinis Diis parent, Magnis, Potentibus, Valentibus. & Iuuenalis, Iuret licet, & Samothracum & nostrorum aras. Eorundem sacris religiosissimis homines initiabantur.

Neque, vt vulgus putat, hi Samothraces Dij, qui Castor & Pollux.) Pausanię tamen & Eusebio de præparatione Euãgelica, Samothraces Dij Castor & Pollux. Cabiri, Corybantes. Macrobius Iouem Iunonem & Mineruam fuisse ait.

Diui potes) qui & ob id κάβειροι Eusebio de præparatione Euangelica: Cabir enim Syriaca & Phœnicia lingua, potem siue potentem significare, vir doctissimus antea notauit. quo pertinet illud Tertulliani, superius à me relatum ex libro de Spectaculis. Tres aræ Trinis Diis, magnis, potentibus, valentibus.

Hæc duo cælum & terra quod anima & corpus: humidum & frigidum) hæc verba humidum & frigidum, ad corpus referenda. Est enim anima calor & siccitas.

Parire) ἀρχαϊκῶς pro parere.

Genus penneis condecoratum) id est aues: vt & apud eundem Ennium corpora pennipotentum, id est auium.

Non animas) sumptum ex Epicharmo vide Laertium in Platone.

Venit diuinitus se pulleis insinuans se ipsa anima) Lucretius in pecudes alias diuinitus insinuet se Ennius, vt noster cecinit.

Animalium semen ignis.) V. Festum in geniales Deos. Turnebus putat Zenonis eam sententiam fuisse, ignem sua vi omnia deflagrare: deinde omnia per ignem renasci, quod Scaligero displicet: primò, quòd Zeno huius sententiæ author non fuit. Deinde nõ magis fieri posse vt anima constet ex incendio & conflagratione, quàm ex corruptione. Censet itaque, hîc non agi περὶ ἐκπυρώσεως, sed de eo quod præter quatuor elementa, quintum constituitur à Zenone (quod ab Aristotele ἐντελέχεια) igni scilicet: ex quo mens & anima. De quo vide Ciceronem 4. de finibus & in academicis & *secundo de natura*. Tertull. libro de anima. Plutarchum in Decretis. Laertium in Zenone.

COLVMNA 12.

Innumerabiles & immortales ignes) Stellas & Solem intelligit.

Epicharmus Enni) id est Ennius in eo opere cui titulũ fecit, Epicharmus. Nã Epicharmi poetæ Pythagorici quædã περὶ τῆς παλιγγενεσίας interpretatus est Ennius: ab eo opus suum Epicharmum inscripsit, in quo illam παλιγγενεσίαν sibi accidisse testatus est. Hoc versu. Nam videbat somniare ego Med esse mortuum. Et Horatius de Ennio loquens, dicit. Ennium curasse somnia Pythagorica.

Istic est &c.] Trochaicus ex Ennij Epicharmo.

De sole sumptus ignis.] Varro 1. de re rustica, Principia mundi Ennius scribit, aqua, terra, anima, Sol.

Isque actus mentis] Isque totus mẽtis est. T.

mentis] id est mens, quomodo in eodem opere alibi Terra corpus est, at mentis, ignis est.

Humores frigidæ sunt humi] humores frigidescunt humi. V.

Omnia ex se genuerunt] omnia ex genuerunt. V. T.

Frigori immiscet calorem] Trochaicus.

Humori aritudinem] Sic Varro in Prometheo. Excusi & Vertranius, ariditatem habet. vtrumque probabile est. Nam & Plauto hilaritudo & hilaritas dicitur. Cæcilió pulchritudo & pulchritas: Tullio beatitudo & beatitas. de quibus vide Gellium. 13. cap. 3.

Animam æther adiungat] adiugat, id est adiungit: est autem clausula Trochaici versus Paccunij in Chryse, qui integer est apud Nonium. Cæterùm hoc innuit, animam esse ex æthere, corpus ex terra: ne alioqui putes hîc agi de connubio & amore cœli & terræ, de quo apud Euripidem Æschylum, Virgilium, Statium, ex opinione Scytharum cuius meminit etiam Herodotus 4. & Pausanias.

Esse igitur corpus terram quæ deperit ipsam] quæ peperit ipsam. V. qui dederit ipsam S. ego ita lego, Esse igitur corpus terram quæ deperit ipsum, Quod dedit atque capit, neque dispendi facit hilum. His ita, Ennij versus integer restituitur ex ipsomet Varrone infrà, libro octauo. Est autem sensus Animam ab æthere: Corpus è terra. vnumquodque illuc, vnde profectum, reuerti: terram (metaphora est ab amantibus sumpta) deperire ipsum quod rei vnicuique dedit: eandem recipere (metaphora sumpta est à fœneratoribus) id omne quod dedit, sine vllo dispendio.

natis.] Nati. Vulg. & malè.

Vbi nimius ardor.] non minus ardor M.S. malè. hoc enim significat omne corpus interire, ac sterile esse vbi nimius sit ardor, aut humor.

ardor & humor.] Principia illa duo Pythagorica.

in Nuptiis.] Idem Varro xj. de vita populi Romani apud Nonium. v. Festum in Facem. Plutarchum in Problemat. dixi ad legem penultimam. ff. de donationibus inter virum & vxorem.

hic &c.] hinc &. V.

iunctione sumit Venus, hinc Comicus.] iunctione sumit Venus Comites hinc. V. iunctionis Venus, comites hinc. T. eo sensu ab aquæ & ignis iunctione Venerem dici : ac proinde Ignem & aquam Comites Veneris in Nuptiis adhiberi. sed alij legũt, vinctione quod magis probo. Nam Venus à vinctione potius, quàm à iunctione est. Ego verò locũ deprauatum scio, non tamen insanabilem. Sententia itaque paulò altius repetita sic lego, in limine adhibentur, quòd coniungunt hæc. & mas ignis, quòd ibi semen: aqua fœmina, quòd fotus (vel quòd fouet) ab eius humore & ignium vinctione, subit Venus. Hinc Comicus victrix Venus &c. meæ emẽdationi fauet, quòd poetæ de cœlo semen igneum descendisse in mare fingũt, ac natã è spumeis Venerem vinctione, aut si mauis cõiũctione ignis & humoris. Quin Varro ex Comico statim probat Venerem victricem appellari non à vincendo, sed à vinciendo.

sumit Venus] subit Venus. Ita legendum censeo. vt superius ostendi.

Victrix.] alij vinctrix, cùm à vinciendo deducat, non à vincendo.

Venus Cœligena.] οὐρανία Platoni in symposio, ea ab Ægyptiis celebratur, teste Æliano lib. x. diuinandi dea, cui rei qui vacabant, νηφάλια celebrabant, abstinentes temeto. ab ea Venere alia fuit Venus πάνδημος. quæ volgiuaga Lucretio, Ἀποστροφία & verticordia.

In Asoto Ennij.] In Sota Ennij. V. legendum Sotadico Ennij. nec enim Ennius sed Cæcilius Asoto scripsit.

Ibant malam viere.] ibant malaci viere. V. ibant manè viere. A. Vertr. alij, ibant malaci (id est molles) alij, ibant malaciam viere. T. S. quod est, mollem Plauto. Hic autem versus valde deprauatus est apud Censorinum, c. vlt. hoc modo, Ibant mala eluere Veneriam corollam.

Palmam, &c.] Palmã Varro hoc loco dici existimat, quòd paria habeat folia. dicẽdum potius, à similitudine palmæ humanæ dici, vt & palmites. Quin idem Varro in libris de re rustica à pariendo, parilemam deducit: inde postea, factum, Palma. adde Platonem 8. sympos. Cæterùm vt nihil dissimulem, tota hæc sententia de Palmæ originatione, videtur à sua sede aberrare, & inceptam de Venere originem interturbare.

quam haberet vim significantes.] quam habeat vim, significant res Veneris. Vertr. res veneris, id est coniunctio maris & fœminæ, vt in lege 25. ff. de adulteriis. In aliis ita legitur, significantes Veneris. S. Excusa valde placet. licet hæc verba, quã haberet vim significantes, nihil aliud ostendunt, quàm vitam & originem. nam mox declarat, Vis vocabulum pro vita accipi, laudato ad eam rẽ versu Lucilij. Vt ad rem redeam, Effectus ignei seminis è cælo delapsi, & spumæ maritimæ Venus. Inde, vis, origo, ac vita eius. Alludere his verbis videtur ad Græcum vocabulum ἀφροδίτης, quæ ab ἄφρος spuma.

a qua vi nateis dicta vita.] a qua vi nateis dicta vita, vides. Vis V.

Saturnus.] vocabulum Tuscum: Tuscorum autem lingua Aramæa & Syriaca. Saturnus latentem significat, à quo Latium eius vxor ops Latia in Pontificum indigitamentis. Vide 13. Gell. 21.

Et quod ignis Saturnalibus.] ex quo igneis Saturnalibus. Vertr. hoc autem vult Varro Saturnum à Satu, id est principio rerum omnium dici ostendi, quod eius feriis Saturnalibus ignis (principium generationis) seu cerei lucentes dabantur.

cerei superioribus mittuntur.] superioribus dixit : quia pauperes clientes proceribus cereos mittebant. de quo vide Macrob. 1. c. 7. & 12. eóque pertinet illud Epigramma Antipatri. 6. Anthologiæ λαμπάδα κηρ χίτωνα &c. Quin Saturnium cereis accensis precabantur, idque Lucem facere Saturno dicebant: quod tamen Festus, interpretatur caput detegere Saturno propterea quòd, cùm aliis diis preces concipiebant caput obnubebant.

Ops, quòd hæc omne opus.] Potest & à Græco ὦπις.

Hæc enim Terreis genteis, &c.] Isthæc terris genteis omnes peperit & resumit denuo: Isthæc dat cibaria. Isthæc omnibus fruges gerit. Scaliger ita hoc versus restituit Ennij: Epicharmo.

Ennius.] in Epicharmo.

quæ quòd gerit, quæque gerat. V.

Ceres.] huic Etymo assentitur Cicero. nisi malis à Cereo antiquo verbo quod est Creo: aut à Græco γῆρυς. Nam ita prius vocabatur, teste Hesychio.

Isthic.] Trochaici versus Epicharmi Ennij.

Iuppiter quem Græci aera.] ita Æschylus apud Clementem Stromat. Democritus apud eundem in Protreptico, & Plato Comicus.

quem Græci vocant aera.] similis est locus Pacuuij in Chryse. Ibi Græci perhibent ære hera: & Ennij, vt à Probo citatur, perhibent quenne æthera lingua.

legas, ex himbre spiritus.

Hæc propter, &c.] locus est corruptus nisi etiam legas, Hæc propter Iouem sunt, ista quæ dico tibi.

Quæ mortaleis atque vrbes belluásque omnes iuuat,] quia mortaleis omnes atque arbores herbásque iuuat. Vertr.

Iuuat.) Iouem à Iuuando dici Varro, & Post eum, Cicero existimat: displicet tamen illa originatio Lactantio 1. Institut. 2.

Quod patefaciat omnia & ipsum semẽ. Nam tunc est conceptum, & inde eum exit.) conceptum & idem cum exit. V. conceptum, exinde cum exit, quod oritur, Vertr. eo sensu, ex quo primum semẽ quod oritur apparet, tum conceptum esse cernitur. Scaliger vero ita, & idem tunc exit, quum oritur. Ego vero ita legendum censeo. Nam tunc, vel, quòd tunc est conspectum inde cum exit, quod oritur. vel ita Nam tunc est conspectum exinde, cum exit quod oritur. nisi etiam malis ita, cum exit, cum oritur.

COLVM. 13.

Diouis & Diespiter dictus hoc est aer dies pater.) τὸ aer refero ad Diouis. Gellio Diouis quasi die iuuans. vnde idem Lucetius dictus est. Est etiam Diespiter, Dis pater, Iuppiter & aer infimus.

Sub dio.) adde legem vnicam. §. 3. π. de via publica: Festum in Dium.

Negant sub tecto per hunc deierare oportere) Idem Varro de liberis educandis: & Plutarchus in Romanis c. 28. Cato apud Nonium. Sic nominare deam Tutèlinam sub tecto, religio erat, teste Plinio.

Putabant hunc esse Sanctum à Sabina lingua.) putabant hunc esse Sangum &c. V. rectè. Nam Catone in originibus teste qui Sangus Sabinis, is Sanctus Romanis, ab eo Sagi pontifices. verùm Festus in Propteruiam. & Lactantius eum Sancum vocant. Propertius autem Sanctum. Pars Sanctum voce canebat Auctorem generis. Abs Sango, Sanqualis porta Romæ, quòd proxima ædibus Sangi Festus in Sanqualis. Ouidius 6. Fastorum. Quærebam Nonas Sanco Fidione referrem, an tibi Semo pater (anteà malè in illo Ouidij loco legebatur S, emipater vt & in inscriptione veteri Sanco semipatri vt apud Liuiũ 8. idem Semipater qui & Sancus.) tum mihi Sancus ait. Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo, Nomina terna fero, sic voluere Cures. Quo ex loco notari potest trina nomina fuisse vnius ac eiusdem, Semo pater, Dius Fidius, Sancus. aliis, Sanctus Fidius & Hercules. & ita Vertranius putat.

Dius Fidius id est Diouis filius.)

Vt Graci διόσκουρον.) sic Festus in medius fidius.

Sanctum ab Sabina lingua & Herculem ab Græca.) Festus in propter viam Herculi aut Sanco qui idem est Deus.

Idem.) Item.

Quorum quòd finis ortus, orcus dictus.) quorũ quòd finis, orcus dictus. Scalig. in Coniect.

Vt orcum in neutro, pro loco vsurpetur: in masculino, orcus pro Deo, quemadmodum cœlus & cœlum. Alij putant Diiouem hîc infimum aerem & orcum appellari, cuius vxor inferna Iuno seu Proserpina. vnde Virgilius, Iunoni infernæ dictus sacer. Potest quoque videri orcus dici à Græco ὅρκον quod conditorium mortuorum est Menandro.

Finis ortus.) sic Amphiaraus in Thetide de orco loquens. O cunctis finitor maxime rerum.

Ea dicta Noctiluca in Palatio.) Horatius ita Lunam appellat, Rite crescentem face Noctilucam. Lemnius vetustissimus author Venerem eam esse ait. alia significatione Varroni in Bimarco, Noctiluca vsurpatur pro lucerna.

Noctiluca.) quod noctu luceat eadem ratione à Plauto in Curculione Noctiuigila, νυκτιλάμπτος dicitur. Glossis Nocticula ἐκλαμ νυκτιλάμπης.

Ibi noctu lucet templum,) id est noctu in eius templo lãpades lucebãt. vnde Varro li. 5. scribit, Noctiluca, lucere, ab luce: quod propter lumen amissam is cultus institutus.

Vocabulum Græcum alterum, Latinum alterum.) id est Apollinis Græcum vocabulum est, Dianæ, Latinum.

Et hinc quod in altitudinem & latitudinem simul Diuiana appellata.) & hinc quod Diuia &c. S. &c. T. hæc quòd Diuia in altitudinem &c. Hoc vult Varro, Dianã seu Diuianam dictã, quòd Diuia sit: id est in duas vias feratur, in altitudinem scilicet & latitudinem. Nigidius tamen apud Macrobium li. 1. Dianam Ianam interpretatur, fortasse abs Iano seu Eano, qui & Sol, quòd simul cum eo in altitudinem & latitudinem feratur. cui assentitur Cornificius lib. 3. vt eo sensu Diuiana sit, quasi Diuina Iana vel Eana. Ianæ Lunæ fit mentio apud Varronem 1. de re rustica. 37.

Diuiana) alij Duana.

Plautus.) in Asinaria. Act. 3. scæna 3. in Persa ait 2. scæna. 4. in Pœnulo. act. 5. scæna. 2. Sticho act. 5. scæna 4

Quasi proserpens bestia) id est quasi serpens.

Vel quod Terra, vt Physici dicunt iuuat & lucet.) Turnebus ita legit. vel quòd altera terra, &c. Nam vt scribit Cicero, Xenophantis opinio fuit habitari in Luna: eamque, terram multarum Vrbium esse, ac mõtium. Hoc igitur indicat Varro, Lunam esse quandam terram lucentem, adde Plutarchum in tractatu de facie quæ in orbe Lunæ.

Parientes

parientes eam inuocant) sic apud Terentiũ, Glycerium parturiens, Iuno Lucina fer opẽ.

Iuno Lucina) de Iunone hoc notandum præter superiores significationes, Iunonem id mulieribus fuisse, quod viris geniũ: ideóque apud Petronium iurat mulier per Iunonem suam: & apud Iuuenalem de viro muliebria patiente & molli dicitur, & per Iunonem domini iurante ministro.

Ignis à nascendo, quod hic nascitur, & omne quod nascitur.] quòd hîc nascitur, &c. V. quod hinc nascitur omne, & quod nascitur S. quod hinc nascimur.

Quod nascitur ignis scindit. Ideo calet, &c.) Ignis gignit V. ignescit, ideo calet. A. Vertr. ignis indit. S. Porro scindere est penetrare.

Vt qui denascitur.) Cassius Hemina apud Nonium cap. 2. in Denasci.: quæ nata sunt ea Denasci aiunt. Denasci Græcis ἀπογίνεσθαι, alij vero legunt, vt quod denascitur.

ab ignis iam maiore vi ac violentia Volcanus dictus) ab ignis valore vísque Volcanus dictus. V. Vertr. quidam Vulcanũ eum fuisse existimant, qui Tubalcaim in Scripturis.

ab eo quòd ignis per splendorem fulget, fulgor.) Sic Festus fulgurа̃ à fulgere, id est ferire: alij fulgorẽ à flãmæ fluore dici putãt. Vertr.

Et fulguri, quod fulmine ictus Phaeton contrariis Diis) & fulguritum quòd fulmine ictũ, V. Phaeton Vertr. fulmine ictum contrariis diis. S. Inde fulgurita loca, fulgure icta. Festus in Fulguritum (eadem bidentalia & obstita, apud eundem auctorem in Obstitum.) Fulguritæ arbores Plauto in Trinũmo: & fanatica arbor, fulmine icta. v. Festũ in Fanatica.

Contrariis diis) id est igneis, quíque igni præsunt. his enim Phaeton fulguritus.

Nympha Iuturna) Sororem fuisse Turni. Virgilius scribit. ab ea lacus & ædes Iuturnę Romæ. ab eadem fortè, Iuturnæ fons in Italia salubris iuxta Numicum amnẽ, vnde Romam ad omnia sacrificia afferre aquam solebant, teste Seruio: tametsi Varro eam aquã non ad sacrificia, sed ab ægrotis petitã fuisse notat. Idẽ Strabo refert de Lacu Acutiliẽsi. Iuturnæ meminit etiam Tullius *orat. pro Cluentio.*

quæ iuuaret) quod iuuaret.

Tiberinus) is genius & Deus Tiberis, Ciceroni 3 de Natura.

Velino) Velini.

Velinia] Nympha quæ lacui Velinio præsidet.

Nymphæ Commotiæ) Commotis. V. Comitiæ V. alii legunt Lymphę Comitiæ. T.

à commotu,] quod ibi insula in aqua cómouetur. v. Macr. 1. Satur. 7. Dionysiũ. Plin. lib. 2.

Neptunus] ab obnubendo Neptunum appellari Varro hîc ait. Cicero 2. de Natura, à nando.

à quo Nuptiæ, Nuptúsque dictus) à quo Nuptu, Nuptiæ dictæ. vel Nupta dicta.

Salaria Neptuni à Salo.) Ea πλᾶσις Græcis vti refert Tullius in Timæo. Est autem salaria maris recessus aqua quæ ad salum cedit: vt Venilia quæ ad littus venit, & eiusdẽ accessus. Illam veteres Saxones Lidunam: hanc Malinam vocabant, vti testis est Beda Anglo saxo, & apud Marcellum Empyricum, Liduna, & Malina aliquot locis, accessus maris & recessus nõ quotidianos, sed Lunares significant: quos obseruari iubet in herbis legẽdis.

COLVMNA 14.

Venilia à veniendo.) dixi superiùs Venilia maris accessum esse. fuit etiã Venilia Nympha, Turni mater. Virgilius, Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.

Plautus) Cistellaria.

quod ille] quod, ibi. V.

tranquillo) deest apud Plautum.

Ventum gaudeo) ventũ gaudet. V. hac formula aduenientes exceptos, Scaliger existimat. Verùm tamen Varro hoc velle videtur aduenientes ipsos, euitato maris periculo, his verbis, Ventũ gaudeo, vti solitos. adde Plautum in Curculione. alia significatione sumitur ventum facere apud Liuium Comicũ & Terentiũ quod vel flabello vel tunica fiebat.

Mamers.) nouit etiam hoc nomen Martis Lycophron.

Virtus vt viri vis à virilitate) Virtus vt viritus à virilitate S.

Honus est honos) Species Prouerbii.

Polluces, nõ vt nunc Pollux) sic Plautus Bacchidibus, Castor Polluces, &c.

Feronia) Flaccus, ora manúsque tua lauimus Feronia Lympha. alii legunt, Cerionia, alii, Cerronia.

Nouensiles) alii Nouensides. Horum sæpè meminit Liuius, Arnobius refert ex Pisone fuisse nouem Deos, in Sabinis apud Trebiã: ex Granio, nouem Musas, Cornificius verò nouitatum præsides esse ait.

dicimus Laram Vestam) ita Antonius Augustinus, dicimus veteres verò Herculẽ Vestã. Scaliger. dicimus Herẽ, Vestã. Eam antiqui colebant postquam creuerant hereditatẽ. V. Festũ in Herẽ. Idẽ, in Apẽdice (quod & monuit T.) ex veteri scriptura, dicimus Hecatem: legit, dicimus hæc, Palen. Excusæ nihil necessario mutandũ. Quid. n. Lara fuerit, satis notũ. fuit autẽ Larũ mater, quæ Muta & Larũda Lactãtio lib. 1. & Macr. Auson. Larũda progenitus Lar. aliis Larũ mater, Mania.

Fortem fortunam, fidem. Ea re Sabinorum linguam olent.) Fortunam fortem, fidem Lares Sabinorum linguam olent. S.

Vouit Opi) idem refert Halicarnasseus, nisi quod pro Ope Rheam nominat.

Larunda) Larũ deæ. V. de ea superius dictũ.

Quirino) id est Marti (quẽ Enyalion vocat:

Halicarnasseus) non Romulo. Nã Romulus Tatio superuixit. Hanc distinctionem ignorans Vertranius, audet Varroni ignorantiam aut annalibus falsum impingere. Cæterũ Lilius Gregorius hoc loco legit, Carino.

Cloacinaque) Cloacina dicta fuit, quòd eius simulachrum in Cloaca repertum. v. Lactantium: & Tertullianum in lib. de Pallio. fuit & Venus Cluacina dicta à pugnando. Nã Cluere veteribus, pugnare.

primum nominẽ) primũ nominatim. V. primũ nomẽ nominẽ: alij primũ nomẽ nominatũ. Vertr. primũ generatim nominẽ alites ab alis: volites à volatu. Deinde nominatim.

alites ab aleis) alites alij. V.

Lusciola) luscinia. V. alij Lusciniola, ex Plau.

ex Attica progne in luctu facta auis) Idem Aristophanes in Auibus.

Galeritus] alij Galerita, fœminino genere. eam Græci, quòd quasi tumulum in capite habere videatur, ἐπιτυμβίδα κορυδὸν ἢ κορυδαλίδα cognominant.

merula, quòd mera, id est sola volitat] Hoc Etymon improbatur à Fabio 1. cap. 6. v. Festũ *in Mercum & Nonium.*

Graculi quod gregatim.) Imò Graculus à voce qua vtitur. 1. Fab. 6.

quòd gregatim.) vide lib. 15. §. 2. π. locati.

vt quidã Græci τὰ γέργερα) γέργυρα fortè legẽdũ est ex Hesychio vel γέργερος. vel ita: sunt quædam Græca: vt grus γέρανος. vel ita: vt quædam Græca Grex, id enim auis nomen Aristoteli. T. Scaliger verò legit γάργαρα: id enim nomen pro quauis multitudine apud Macrobium & interpretem Aristophanis ἀχαρνεῦσι.

¶ *Murana*) v. 12. *Isidor.* 6.

Cybium) v. Plinium & Atheneum.

Melandria) ita salsi thynni partes vocant. v. Plinium.

Vræon) Horæum. T. ὑραῖα partes maximæ thynnorum piscium. ὡραῖον verò Atheneo salsamentum à verno tempore. ὡραῖα bellaria.

¶ *Anguilla*) ab angue. 12. *Isidor.* 6.

Lingulaca) nebulaca. V. lingulata. 7. quòd linguæ similis sit, præsertim bubulæ. Lingulaca tamen est solea. Plautus in Casina, soleas vin lingulatas?

Surenæ] sirenæ. V. Striatæ Turneb. ex Plauto vel veneriæ, ex Seneca. Epist. 15. & Plin. 9. & 32. Alij legunt Buccina: alij Vris ex Isidoro: alij suris. eò tandem inclinat Turneb. vt legat mures. sunt autẽ mures & musculi è genere cõcharũ à similitudine dicũtur: vt & murices.

COLVMNA 15.

Hippopotamus) alij Hippocampi. Est autem animal cetacei generis. v. Plin. 36. cap. 5.

¶ *mergæ*) idem Festus in Mergæ.

Cercerus) cæteris V. alii Cercuris alii κερκὼς: alii κερκιθάλιες. quã ἐρῳδιὸν Gręci, Latini, ardeã.

vt Ægypti in flumine,) id est in Nilo: id enim Ægyptus.

quadrupes) loc⁹ est corruptus aut mutilus.

Lytra, quod succidere dicitur arborũ radices in ripa, atque eas dissoluere.) atq. ita à λύω seu luo, Luria vel Lytra. sed quid? alij legũt Lira. Turnebus Lua.

dissoluere, vt Lytra), alij dissoluere vt luere: V. dissoluere ἀπὸ τοῦ λύσεως. id est à solutione.

Fiber ab extrema ora fluminis.) Nã Fiber à finio: vt faber à facio: tuber à tueo: liber à luo: creber à cresco: glaber à glubo: scaber à scatreo: suber à suo: crater à craceo, (id est gracilis sum) Mulciber à mulceo, cribrũ à cerno. S.

¶ *Fiber*) v. 19. *Isid.* 27.

¶ *Fitubria*) v. 19. Isid. 24. *in fin.*

quòd consulere) adde Noniũ & Fab. 1. cap. 6.

consulat) consat. V.

Consu. fiat) consul fuat. A. Vertr. consulciat. V. à vetere consulcio: vnde consulium: vt à fulcio fultum. alii consul clueat.

qui præiret iure & exercitu) alij qui præiret iuri & exercitui: non necessario. notat enim Nonius Varronem ablatiuo pro datiuo sæpius vti solere. v. Theophil. § 7. *Inst. de iur nat.*

Censionem id est arbitrium) à censere quod veteribus arbitrari.

quæ Triumuiri Capitales nunc conquirunt) Plaut. Quid faciam nunc, si tres-viri me in carcere compegerint? & *in Asinaria*, Ibo ego ad tres-viros vestráque illic faxo nomina erunt. Constat ex l. 2. §. 30. π. *ff. de orig. iur.* eos carceris custodiam habuisse, vt cùm animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret. Estque ea de re elegans locus (corruptus tamen) apud Tacitum *lib. 5. Annal.* vbi de filia Seiani loquitur. Tradunt, inquit, temporis eius auctores quia triũuiris capitalibus (in excussis triumuirali supplicio) supplicio affici virginẽ inauditum habebatur, à carnifice, laqueum iuxta, compressam ad eosdem pertinet lex 52. §. 12. π. *ff. de furtis*, aliàs ridiculum videtur quod Turn. arbitratur. Triumuiros capitales cognouisse de solis peregrinorum seruorum causis & furtis ciuium. dixi ea de re ad leges XII. Tabularum.

quòd terni tribus tribubus] ita legendum, quod terni è tribus tribubus. vt ex hoc loco obiter notemus, Varr. ætate nouem creatos Tribunos militum: postea verò XXIV. vt Polybius scribit. Initio soli erant comitiati, id est, creabantur in comitiis postea in castris creati, & Rufuli appellati. adde *gloss. l. 2. C. de primicerio lib.* 12.

Tatiensium] alii Tatium.

Crustumerina] alij Crustumina: quia & Crustuminum & tribus Crustumina apud Liuiũ: sed tamen Crustumerina legi potest ex Festo. & Virgilio lib. 7. Æneid.

à consule dicebatur) postea à populo dicti sũt Dictatores. Fenestella c. 8. dictatorẽ ex eo cogno-

cognominatum refert, quòd ab eo cæteri magistratus dictarentur.

Vt est summa populi Romani Dictator.) vt est summus populi Romani dictator. V. vt est summa in populum Romanum Dictatoris, à qua is quoque &c. Vertr.

Magister populi] idem testatur Cic. de finib. Seneca Epist. 109. Antonius Sciochus Florétinus author libelli, quem vulgus Fenestellæ tribuit cap 8. dixi de ea re ad leges XII. Tabul.

Pontifices] Põtifices T. à pote seu possibili & facere, quod sacrificare. v. Halicar.

cum ideo] *quod eo*. V.

Vls & eis Tiberim.] Ius & cis. V. & malè. cis & vltis Tiberim in l. 2. §. 31. ff. de origi. iur.

Curiones dicti à curiis.] Curiones totidem erant quot & Curiæ, id est XXX. sacrificabant autẽ pro Curiis, teste Dionysio. in iis etiã epulabã-tur cũ magna hilaritate. Iidem ludis publicis Epistolas histrionũ, Comœdorũ, Tragœdorũ legebãt, cũ quid à populo vel principe vel domino petebant. vnde Martialis dixit, Epigrammata Curione non indigere, sed contẽta sua esse lingua, lingua sua, inquã, hoc est maledica. & apud Trebelliũ Pollionem, Dici iussit per Curioné Taurum toties ferire non difficile. Idem per Curionem dici iussit, Imposturam fecit & passus est.

Flamines quod in Latio capite velato erant semper.] Hæc verba in Latio, videntur super esse. Alij legunt flamines quòd in facio. Scaliger verò ita, flamines quod licio in apice velati erãt. Apice, id est galero filo inuoluto. Velati legati etiam dicebantur, quibus caput cinctum licio laneo. Liuius. 1. Virgil. 12. hæc supplicia & velamẽta Græci ἱκετήρια. & ab eo Plautus Amphitr. dixit orare velatis manibus. quòd filo laneo velatum esset eorũ caduceum. Hoc etiam vocabant velamina. velationem, Græci στέμματα. Illud adiciendum Diali flamini siue apice sub tecto esse, licuisse: sub dio, non licuisse. vtebatur autem pileo albo, qui inde Albogalerus, in quo oleaginea erat virgula.

Furinales feriæ.] V. Festum in Furinalia.

à diuo patre Falacre] an quòd fallis circi præesset, de quibus Tertullianus & Iuuenalis: aut quòd caluitiem arceret. Huc enim vix pertinet, quod phalacræ Hesychio dicuntur quædam Nymphæ.

in Comitio.] in comitiis. Nã quinquatribus mense Martio saltabant in foro, vbi Comitium erat: & in Capitolio XII. erant à Numa Pompilio instituti, qui Palatini ob id vocati: vt quos addidit Hostilius Collini & Agonales. Trabeati erãt (vti refert Halicar.) & altos apices gerebãt, in conum fastigiatos. & ancilia manu altera, altera hastam tenebant, accinctique gladio erant. Eorum Præsul motus edebat, & ab aliis referebãtur. Illud Ampiruare, hoc Redandruare dicitur à Lucilio. motis ancilibus necdum conditis infaustum erat aliquid suscipi. V. Festum in Redantruare: Tacitum. Suetonium vbi de Othone.

COLVMNA. 16.

Luperci.] de Lupercis vide Liuiũ Halicarnass. Plutarchum. Eorũ in vrbe purganda agmina erãt plura. quidã Fabiani à Fabio: quidã Quintiliani, à Quintilio. Hinc Propertio, licẽs Fabius Lupercus. vide Festũ in Fabiani.

Fratres aruales.] Vide Plin. Gell. 6. c. 7. in f.

quia fratria dixerunt.) sunt qui à fratria dixerunt. T.

Fratria est Græcum vocabulum.] In tres fratrias seu tribus Athenæ distributæ. dictæ autem φρατρίαι ἀπὸ τῶν φρεάτων.

Vt Apollini etiam nunc.] Vt Apuli. V. alij Appoli. Turneb. Neapoli. non male. fuit enim Neapolis oppidum Græcum. fauet huic emendationi Strabo. libro 5.

Sodales Titij.] ita Lucano dicti vt Tatij, à Tacito.

à Titiis auibus] Titos vocare videtur Persius, eiúsque antiquus interpres. Seruius Palũbes Tetas, Isidor. Titos, quod fartæ pabulo.

quas in auguriis certis.] quas in tuguriis Pomp. Festus: Vertr. malè. vult enim Varro nõ in omnibus auguriis, Titias aues obseruari.

Feciales] quos Fest. Fetiales. εἰρηνοδίκας Dionys. εἰρηνοποιοὺς καὶ σπονδοφόρους Plutarc. adde Cic. de Repub. Varr. de vita P. Romani. v. *quæ scripsi* ad l. 41. §. 16. ff. *de fideicom. liber.*

& inde desitum.] alij, nõ pugnare desitũ est. Fœdere fides pacis cõstituitur. author Fenestellæ. Alij, & cum pugnare desitũ. &c. malè. Nã testatur Varro apud Noniũ, hoc obsoleuisse suis tẽporibus: id est, fœdera quidẽ per eo, fieri, sed bella ab eis nõ indicta. Vnus fecialiũ Pater Patratus dicebatur, quòd & ipsũ parentem & illi parentem esse oporteret.

Qui res repeterent.] id genus repetitionis clarigatio appellabatur. quod verbum prehensionem Liuio significat lib. 8. Glossis clarigatio ἐνεχυρασμὸς ἐνεχυρασία.

quiue nuntij senatus essent.] qui verò nuntij. &c. V.

Isicrates.] ita legit Antonius Augustinus. Iphicrates. V. alij Isocrates. alij Crates. Vertranius Hypsicrates (quem Grammaticum fuisse constat ex 16. Gell. 12. Est & alius apud Lucianum in Macrobiis Amisenus historiarum scriptor) Turnebus ipsa Crates. Est autem nomen Grammatici.

Græcè κούρτον. apud Poetas dictam.] alij cohorton: Turnebus χόρτον. Est autem χόρτος ὁ περίβολος Iliad. λ & ω. Euripidi σύγχορτα πεδία limitanea.

Manipulos] in singulari: vt Mariros apud Catull. m. S. sed si ita est, infrà legendum exercitus minimę manus: non minimas manus. A manipulo fit manipularius. l. 3. Cod. Theo-

dos.ad l. Iul. repetundar. manipulatim. v. Nonium in Manipulatim & Manipuli.

milites quod trium millium. l. 1. in f. ff. de testam. militis.

Hastati.) hi loricam, scutum, gladium Hispanicum, & veruta duo ferebant (ὑσσοὺς vocat Polybius) in prima acie pugnabant.

Pilani.] in legione Romana pilani (quos Polybius χοντομάχους & χοσφοφόρους.) gladiũ, parmam, vel cetram ferebant. *V.* Festum in Pilanis. glossis Pilum ῥωμαϊκὸν δόρυ.

Principes.) hi veruta ferebãt, vt hastas triarij. cætera, similes triariis, in secunda acie pugnabant.

& post.) sed post.

minus illustres sumuntur.) minus illustres sumunt. T.

Triarij.] in extrema acie pugnabant Polyb.

extremeis.) extremi. A.

Plautus.) eadem referuntur à Sexto Pompeio in Subsidium: ex qua comœdia, non liquet.

ab abscindendo.) ab obsidendo. V. ab obscindendo T. est enim obsidium quasi obscidiũ. vt. discidium & dissidium.

Duplicarij.) sic apud Vegetium, sunt armaturæ duplares, quæ consequuntur binas annonas: vt simplices, quæ singulas: antea malè legebatur duplicaui. alii legunt duplarii, qua forma dicitur simplaria venditio in l. 48. in f. π de ædilicio.

Turma terma est.) terima. vide Festum.

Decuriones.) Glossis Decuria δεκαρία δεκάς.

optiones.) v. l. 6. ff. de bonis damnatorum.

Liticines & classicos à classe.) liticines à lituo: classicos à classe.

Classicos à classe.) classines. V. Classicines. T. nihil mutandum: nam & infrà lib. 5. Classici appellantur.

qui item cornu canunt.) qui item cornu vtuntur. V.

COLVMNA 17.

Comitiis ad comitatum vocant.) comitiis comitiatum aduocãt, Vertr. (nam & ita Liuio, Ciceroni, Gellio. vnde Incomitiare & Comitiare) comitiis comitatum legunt. V.

minus nullo est.) minus nihilo. vel minus vllo vel vno.

¶ *Beatus qui multa bona possidet*) v. l. 49. π. de verb. signifi.

cui ea opima.) cui ea opima. A. cui est opimè. V. T.

ab eadem fonte copia.) copiis V. copis T. Copis ἀρχαϊκῶς pro copiosus. adde Nonium in Copi. Festum in Copona.

id est ab arte, &c.) vt ab arte medicina fit medicus.

quæ omnino vltima. Huic rei.) quæ omnino vltima huic rei. S.

aperietur. Quare quòd ab arte artifex dicitur, nec multa in eo obscura relinquam. similis causa, quæ abscientia vocantur aliqua.) aperientur nec multa in eo obscura relinquam. Quare quòd ab arte artifex dicitur similis causa, quæ ab scientia vocatur aliqua &c. S.

præstig:ator.) tales sunt ψηφοκλέπται qui glossis ψηφοπαῖκται qui oculos spectantium fallũt.

monitor.) Glossis ὑποβολεύς, subiector, submissor: Vide. l. 8. ff. de instructo, quanquam inibi quidam legunt vin tor.

nomenclator.) qui nomenculator à nomine calando in lege 7. §. 5. ff de operis libertorũ: l. vlt. ff. de liberali causa.

legulus.) qui oleam legit. V. Catonem l. b. de re rustica: l. 13. § 6. ff. de vsufructu.

vinum legere.) id est vuas legere. Nam hîc vinum pro vuis.

Vestigator.) l. 12. §. 12. ff. de instructo *quasi indagator*) quasi indagatur. A.

Venator à venatu. Quod sequitur verbum aduentum & inuentum.) venator à vento, quòd sequitur feram ad ventum & in ventum. A. venator à venatu quod sequitur certum. A. venator à venatu quod sequitur cer-uum ad ventum & in ventum. S.

perpascat.) pascebant.

pecora vniuersa.) pecunia vniuersa. V.

quòd in pecore) & quòd in pecore.

qui fundamentum instituit.) qui negotium instituit. A.

pedem ponit.) pedem posuit.

pes magnus.) vide authores de limitibus agrorum.

peculatoriæ oues.) peculatus V. peculiatoriæ oues T. quæ peculiares Plauto.

id enim peculium primum.] inde enim peculium primò. S.

Hinc peculatum publicum primò, vt cum pecore diceretur multa.) hinc peculatum publicũ furtum & peculatoriæ oues aliúdve quid. S. Ego ita restituo. Hinc peculatum publicũ primò, vt cum pecore diceretur multa: & id pecus esset coactum in publicũ, si erat auersum, ex quo facta nummaria. Hoc ait Varro, multas seu mulctas primis temporibus fuisse è pecore: pecora huiusmodi in publicum coacta. eum qui pecus huiusmodi auertisset, peculatus publici teneri solitũ. hodie, multas non esse. aut dici è pecore, sed nummarias factas. Huic emendationi fauet Festus in Peculatũ: sed quàm maximè ius nostrum in lege aliud est fraus 131. §. 1. ff. de verb. sig. vbi inter cætera, Vlpianus notat, multam hodie pecuniariam esse animaduersionem. In eo enim quod dicit, hodie, satis ostendit, primò non ita fuisse, sed pecore multam primis temporibus dictam fuisse: peculatum ideo dictum pecoris in publicum coacti auersionem: nimirum ante vsum frequentem & quotidianum ærjs & argenti.

ex qua

ex qua fructus maior)& qua fructus de malo. S. id est, ex quo fructus fit per interuisionem. ita loquitur Plautus & Apuleius. Verùm de hoc loco superiore sententia dixi, & legendum, ex quo facta numaria.

Græcis bos βοῦς) Græcis illis vsus, quòd βοῦς bos. V. Græcis ὗς sus. Bos quòd bos T. Græcis ὗς sus: βοῦς bos. S.

Οἶς ouis. Ita enim antiqui dicebant, non vt nunc πρόβατον) Suidas. οἶς τὸ πρόβατον.

Armenta) vide Festum in Armenta.

Ἰταλός) ἰταλός. V. ita vituli apud Gellium 1. c. 11. à quorum copia Italia dicta quòd armentosissima. Hesychius idem esse scribit.

aut quòd plerique vegeteis virtutis) Plerique vegetei, vel plerunque vegetei. A.

Capra, carpa) vel à carpendo sic enim Festus. Est tamen Turrenum siue Tuscum vocabulum, Hesych. Antiqui etiam dicebantur Crepæ vide Fest.

omnicarpa capra) omni carpæ capræ. V. nullo sensu. omnicarpæ ποικιλοφάγοι.

Porcus quòd Sabini dicunt de aprino porco poridus, inde porcus) Ita Augustinus legit eo sensu, Sabini catulũ capri vocabant porcum. Turnebus ita, Sabini dicũt à primo porco, inde porcus. obscuro sensu. Scal. verò sic. Sabini dicũt aprũ porcũ: proinde porcus videtur ita legi oportere. Sabini dicũt de aprino porco, porrigus vel porgus, inde porcus.

nisi à Græcis quòd Athenis in libris sacrorũ scriptũ esset πόρκῳ καὶ κάπρῳ) Est & apud Lycophronẽ in Alexandria etiam πόρκος. vnde ab Sabinis Porcopor, id est puer suis. Nã τὸ Por Laconibus & Doriensibus puer hinc Marcipor, Publipor. Quintipor apud Noniũ in Gargaridiare. sic & Gripor apud Festũ in Quintipor. pro Marci Publi Quinti filius. de Porco hoc etiam Varro in 2. de re rust. c. 4. Porcum ait Græcum nomen antiquum, sed obscuratum. nunc enim vocari χοῖρον.

dicebant Ares veteres) apud eosdem veteres dicebant ἀξάν.

nostri aruiga) alii Haruigen, alii Haruiga ex Festo: alii Haruiga ex Donato: alii Hariga vt Turneb. S. Ariga. Nã Hes. ἀρνειός, ἄρρην πρόβατον.

hinc aruignus) id est arietinus. alii legunt aruigris. inde fortasse aruina, pinguedo.

COLVMNA 18.

quas & Actius) quemadmodum & Actius.

in Pontificalibus libris) in Pontificiis libris.

videmus in hostiis) videmus. In hostiis vel Bidentes in hostiis. S. nihil mutandum puto, vt mox dicam.

In Pontificalibus libris videmus in hostiis eã aruigẽ quæ cornua habet, quoniã is cui oui mari testiculi dẽpti. & ideo vt natura versa veruex appellatur) Locus est deprauatus. dixi paulo antè videri quibusdam legẽdũ ita esse, In Pontificalibus libris bidẽtes in hostijs eam aruigem vel aruiga quæ cornua habet. Eiusmodi boues παταλεῖς Græcis: Patales Festo: queãdmodũ in oue sacrificio destinata, requirebatur vt dentes haberet cæteris longiores. Mihi aliud videtur, non quod oues cornigeræ esse non possint, sed quòd in Pontificalibus libris aruigem vocari dicat Varro, quæ cornua habeat: cui cùm opponat aruigẽ, cui testiculi sunt adempti: constat cornuum perperam hîc fieri mentionem. Nec enim cornua marem faciunt. Legendum itaque, videmus in hostiis eam aruigem, quæ ὀρχίδια habet: quoniam, si cui mari testiculi dempti, ob id, vt Natura versa, veruex declinatur. Hac emendatione nihil apertius, nihil verius.

agnatus, agnus) à Græco potius ἀμνὸς agnus deducitur.

Hinc canis) à sagaci scilicet sensu & acuto. Canum enim pro acuto.

quod hic item) hunc locum mox emendo.

Nocticulus) Noctuculus T. à noctu & lucu, i. luce. Victorius, Noctulus vel Noctulucus. Scal. verò Noctulugus, quòd canis in somnis soleat σκύζειν. (Glossis σκύζει canit.) alii Nictaculus. vt canis à nictãdo dicatur. Festo enim nictit propriè canis in odorãdis ferarum vestigiis leniter ganniens. Itaque totum hunc locum sic restituo, quod hîc item nictit, vlulátque in custodia, & venando signum dat, canis dictus. his addendum, Glossis Nocticulã ἐκ ἄλλων νυκτερόμενον dici. Quin & verbum Canis melius à Græco κυών.

in custodia) Canes enim custodes dicuntur. vt apud Columellam.

à quo etiam rete quoddam Panther) hinc Pãtherã emere in l. 11. in fin. ff. de act. empti.

qui viuus adhuc capi non potuit) Tigris primùm visa est Romæ in dedicatione theatri Marcelli multis post editionem huius libri annis 8. Plin. 17. in fin.

Camelopardalis) de qua Horatius, diuersum confusa genus, panthera Camelo. Æthiopes Nabin appellant. Est autem collo similis equo: pedibus & cruribus boui: camelo capite albis maculis rutilum colorem distinguentibus: inde Camelopardalis. 8. Plin. 8.

Alexandria Camelopardalis nuper aduecta) Ea primùm visa dictatoris Cæsaris ludis Circensibus. 8. Plin. 18. Dion 43.

quasi gerui) à gerendis cornibus ceruos deducit, qui melius declinasset à Græco κεραοί.

volpes, quod volat pedibus) Cur non potius à Græco ἀλώπηξ?

Proxima animantibus sunt ea) Proxima animalia V. proximè animalia sunt ea. T. proximè animal. S. id est statim pòst animalia. nisi malis, stirpes quasi animalia esse, quod & censuere quidam Philosophi, inter quos Plato in Timæo.

virgultum à viridi) Imò viride à virgulto, cùm prius fuerit virgultum.

pinea iuglans) Nux iuglans. V.

Nux quòd vt nox acrem, ita huius succus, facit corpus atrum] alij tamen à nocendo nucem. vnde à Græcis κάρυον παρὰ τὸ καροῦν. Nisi malis à Syriaco Luz. τὸ L in N mutato, vt in Lympha Nympha S.

Ruta quam nunc πήγανον appellant) rectè. nã antiquis ῥυτὴ dicebatur. Nicander. Hesych.

Radix] extat apud Nicandrum, sed pro baculo.

κολίανδρον) κορίανδριν κορίαννον. T.

μαλάχη, κύμινον) malachem Cyminon. his enim vt Latinis vtebantur.

Brassica. vt præseca) Brassica vt præsica, vt infrà.

præsecatur) alij præsicatur. vt apud Plautum exicas arundines, pro execas.

cucumeres dicuntur à curuore) Imò à Græco σικυός.

Fructus à ferendo res & hæ quas fundus, & hæ quæ in fundo feruntur vt fruamur] feruntur vt fruantur. T. ferunt vt fruamur. S. ego nihil mutandũ censeo nisi quòd duobus locis τὸ &, accipitur pro siue: eo sensu, Fructus dicimus quòd eos feramus vt fruamur, siue eos fundus vltrò ac spontè, siue arte, cura, diligentia, opera & industria hominũ, sollicitatus ac cultus proferat. vt in ea re duo genera fructuũ constituat Varro, Naturales & Artificiales, de quibus dixi ad legẽ fructus 45. ff. de vsuris. l. 48. ff. de acquir. rerum dominio l. 22. Cod. de rei vindicat.

& frumentum] vnde frugamentum. vide Festum in Frugamentum.

Sed hæ è terra, etiam frumentum, quòd exta loco, quo solent addi ex mola, id est ex sale & farre molito.) Hæ à terra: & ipsũ frumentum, quòd exta aulicoqua solet addi mola. ea est ex sale & farre molito. Vetr. alij legunt, exta ollica. alij quod in ollico, quo solet addi ex molli. Antonius Augustinus, quòd exta olla coqui solent, addita mola ea est ex sale, &c. Ad hunc modũ interpretes variarũt in huius loci restitutione: quod antequã faciã, obseruandũ, molã dici far tostum & sale sparsum, quod molitum hostiæ spargebatur. Festus in Mola. Et aulicoqua exta, quod in aulis coquerentur, teste Festo in Aulicoqua, ad differentiam eorũ extorum quæ torrebantur in veru, de quibus Varro paulò antè dixit ibi, Hæ sunt quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur. His ita explicatis, locum sic emendo, Hinc declinatæ fruges, vnde frugamẽtum. sed est è terra etiã far, quòd extis aulicoquis solet addi in mola. ea est ex sale & farre molito. adde Valer. 2. c. 1.

COLVMNA 19.

Puls: vel quod ita Græci, vel ab eo. &c.) Puls Græcis πόλτος vel πολτὸς. inde Glossæ πολτὸς, Farres, Pultes. inde Puls esse potest. vide Athenæum. Erat autem Puls Romanorum: vt polenta Græcorum. 18. Plin. 8. Itaque pultifagum artificem Plautus sumit pro Romano & Italo: & se Pultifagonidem dicens, Romanũ aut Italum significat. à Pulte Pultorium vas. Glossis σηπτικός.

quòd ita sonet) Puls igitur à sono quẽ reddit cũ insipitur ei aqua. cui simile illud Næuij, Bilbit simphora. & Eubuli Comici apud Athenæum 6. λόπας παρλάζει βορβόρῳ λαλήματα.

aqua feruenti insipitur] alij, inspergitur. non necessariò. Est. n. insipere vel insipare, Festo iniicere. Quare legẽdũ, cũ aqua feruẽs ei insipitur vel insipatur. Sic insipare & obsipare farinã pullis vel escã, Festo in Insipare, & Puls, est iniicere proiicere. alij, pro insipitur legunt pinsitur.

Panis quòd primùm figuras faciebant mulieres in panificio, Panis) quòd primò figuras faciebant vt mulieres in lanificio panus: Turnebus, eo sensu, Panẽ ideo appellatum à tumore. Est. n. in lanificio panus, tramæ tumens inuolucrũ. Est etiã panus, ita obseruãte Scaligero, crustulũ quod in sacris adhibetur cybij figura, oleo coctũ. Quinimo ab Atheneo 3. πανὸν ἄρτον significare. à quo πανία, πλησμονή: πάνια τὰ πλήσματα. Sic sentio, Panis vocabulum ex eo esse, quòd initio mulieres in panificio: id est, tunc cùm panẽ facerent, Panos figuram imprimerent. postea, figuras alias institutas. sed quoniã in veteri legitur, posteáque ei. Possumus & hunc locũ ita emendare, Panis, quòd primò figuras faciebãt mulieres in Panificio, Pani: posteaquã ei figuras facere instituerunt alias. ac proinde anceps erit Panis originatio, vel quòd Panos figuram singulis Panibus imprimerent: vel quòd in Panificio massulam quandam panis seligebant, ex qua figuram Pani Deo ponerent.

in Panificio) Glossis Panificium ἀρτοποιΐα. quin & locus vbi fit panis ἀρτοπωλεῖον: quo defertur Panarium ἀρτοφόρον. Quin iisdẽ Glossis Panificium ποπανεῖον. sunt autem πόπανα liba.

vnde id dictum] inde dictum.

nisi ab eo quòd Græci κόκκον: à quo Græcis quoque granum dictum) à quo Græci κρόκας V. Sunt enim κρόκαι littora, à quorũ similitudine Græcis granaria dicta. sed tamẽ Turnebus legi posse existimat σιρὸς. Id enim Siculis granarium, teste Epicharmo apud Pollucẽ. Sed quid? Scal. aliter emendat, hoc videlicet modo: Græcis κοκκόν, à quo Græcis κόκκος, granum dictum. Sed meo iudicio longè petita erit grani etymologia, si id à κοκκὸν vel κοκκοῖ declines. Certè Varro de re rustic. granum à gerendo esse ait, quòd gerat spicas.

horreum ab horrendo) ab horrido A. alij ab hordeo. à farre, farreum primò dictum. Festus notat. ex farreo horreum factum.

quod tritum est spiceu] è spiceis. S.

Far à faciendo, quod in pistrino fit) longè

petitum. potest ita paulò commodius legi far à fragescendo (id frangere significat Nonio) quòd in pistrino fit. Emendationi nostræ fauet Isidorus 17.c.3. Is enim testatur, Far à frangendo, quòd initio ante molarũ vsum, frumentum in pila missum frangerent, id enim primum genus molendi fuisse.

nam id priùs μέλιν) nam id priùs μελίνη. T. vt apud Festum in Milium.

quòd libaretur, priusquã esset, vt erat coctũ) priusquam essetur. V.T. priusquam essent. S. libabatur enim Diis, antequã comederetur.

priusquam esset, vt erat, coctum) priusquam essent coctum.

quòd in testu caldo) in testa calda. V. Testus vel Testum κλίβανος. (vide Festum.

Matralibus] Matralia matris Maturæ festa.

circuitum æquabiliter fundebãt] Quidã hic τὸ fundere, accipiũt pro ἐλαύνειν: vnde πελάται genus cibi. alij ita, quod mixtæ farinæ caseo aquam in circuitum æquabiliter fundebant.

à globo globuli] globi. V.T. & ita apud Catonem. Glomi Festo. Sphæras vocat Isidorus à forma. 20. c. 2.

Crustula à crusta pultis, quoius crusta dicta ea quæ vt corium exuritur] lego, Crustula, à crusta panis, quæ quòd oleo exuritur, crusta dicta. sic enim Isidorus 20. c. 2. Crustula diminutiuũ à crusta, panis oleo conspersus. & post crusta superficies panis. Idẽ meæ Glossæ quoque testantur. Crusta, quasi vsta.

θρύλλον καὶ τρύσειν) hæc duo Turneb. dispũgit.

τρύφον & placenta quod edebant cum pulte) placẽta. Quod A. Tritõ & placẽta V. Thrium V. genus libi Atheniensiũ iucundũ. eo quod simile frondibus quæ θρία dicuntur, inuolueretur. nisi malis legere ἴθριον hoc enim Græcis Laganum. Scaliger vero ita legit, Intritũ καὶ πλακοῦντα. Nam, interere, verbum culinariũ. Terent. Tute hoc intristi. & entriti meminit Hesychius. quod Galatis Embrecton meminit etiam Apicius Embracti Baiani lib. 9.

quòd edebant cum pulte. Ab eo pulmentum, vt Plautus: Hinc pulmẽtarium dictum) Charisius legit Pulmentum. quod id cum pulte esset. vt. Plautus inde Pulmentum dictũ. Ego vero ita lego, & placenta, quod edebãt cum pulte, ab eo pulmentũ Plaut. in Aulul. Hinc Pulmentarium dictũ. Glossis προσφάγιον. Pulmentarij meminit Horatius 2. Satyr. 2.

Plautus) in Aulul. vt Vertranium defecerit memoria aut diligentia, qui in nulla Comædia Plauti id extare scripserit.

hoc primum debuit pastoribus Caseus) hoc primũ fuit. V. hoc primũ tepuit. S. ita emẽdo, Hoc (id est pulmentariũ) primũ præbuit pastorib. Caseus. vel, Hoc primũ fuit pastorib. Caseus. id est, primis temporibus Caseus pastoribus fuit loco pulmentarij. si tamen legas, tepuit dicendum erit, caseum à coacto nõ coacto lacte. sed id mihi non placet. Hoc enim vult Varro, Primis temporibus, Pulmẽtarij vice caseum pastoribus fuisse: & poma quæ natura illis suppeditabat sine igne: postea verò poma cœpisse decoquere in olla.

caseus à coacto lacte vt coaxeus dictus) à cocto lacte & coxeus V. Isidorus 2. c. 2. Quaxum à coacto lacte declinat.

quæ nimis cruda) quæ minus cruda. A.V.T. Etsi scio minus pro nimis interdum accipi, vt in lege 1. §. 1. ff. ne quid in flumine in editione Haloandri, ibi ne deriuationibus minus concessis flumina exarescant: hanc tamen prælicentem licentiam hîc vix admitto. vult enim Varro, pastores non contentos iis quæ natura illis suppeditabat sine igne, poma quæ nimis cruda esse poterant, decoxisse in olla. cui rei τὸ minus non conueniret.

ab olla olera dicta) hic locus põt adiuuare explicationẽ prouerbij, ipsa olera olla legit.

olera, è queis ad coquendum quod rueret è rure, Ruapa vnde Rapa) quòd erueretur è terra V. quòd terræ rure, Ruapa &c. V. quòd è terra ruerent, Ruapa &c. S. Ego verò ita emendo, olera, è queis ad coquẽdum quæ ruebant è rure, Ruapa, vnde Rapa. sed tamen satius erat Varroni Rapam à Græco ῥάπυς & ῥαφανὶς vel ῥέφανος (quod Glossis Radix) deducere. hic interea obseruãdũ, Rapinæ verbũ, insolens satis, à rapa deductum, quo ius nostrũ vtitur in lege L. Titius 88. §. matre & vxore 16. ff. de legat. 2. Rapinã facere pro rapas serere. id rapistrũ vocat Columella 9. c. 4

Orchitis) ita dicta à magnitudine testiculorum, qui Græcis ὄρχεις. de orchite vide Festum & Virgilium 2. Georg.

quòd ea antiquitus orchemora) quòd ea Attico orchæ minor. V.

orchemora) orcae minor. V.

suilla sic ab illis generib. cognominata) suilla sic habilis &c. V. Alij, suilla, sic à suillis generibus.

hanc primò assam, secundò elixam, tertiò è iure vti cepisse natura docet) hac primò assa, secundò elixa. sed tamen veteres vsi accusatiuo pro ablatiuo. vti assam, elixam, pro assa, elixa. vide Nonium in Accusatiuus.

Tertiò, è iure vti cepisse natura docet) Suilla è iure, quæ neq. assa neq. elixa est. sed quæ in patina cõdita. Plaut. quouis modo cõdias vel patinariũ vel assũ. Ius autẽ coquinæ magistri (ita lege apud Isidor. 20. c. 2 nõ magistri à iure nũcupauerũt, quia ea lex cõdimenti eius.

Assum, quòd ab igne assudescit) Assudescere, à sudo. sudum, quasi seudum, id est, sine vdo. Festus in Sudũ vdum verò (vt mox Varro) seu vuidum idem quod humidum. Isidorus 20. c. 2. assum, quasi arsum.

Elixum è liquore aquæ) Isidorus 20. c. 2. Elixum à lixa, id est aqua, quòd sit soluta: vnde

luxuriosus & luxata membra.

ex iure, quod iucundum magis conditione est] Conditio, conditura.

Succidia à suibus concidendis.] Isidorus dicto loco carnes in vsū repositas à succcidēdo.

Salere] Diomedes 1.c.4, ita scripsisse Varronem existimat, non salire.

tergus suis ab eo quòd tegitur.] Tegus suis, ab eo quòd tegitur. V. atque ita tegus legitur apud Plautum in Captiuis, callos detruncato tegoribus, quo loco, tegoribus, non tergoribus necesse est legi, propter rationē trochaici versus, & in octonario eiusdem fabulę, prætruncauit tribus tegoribus glandia.

Perna à pede suis à nomine eius] à pede sueris &c. V.T. non malè: Nam veteres suerum dicebant pro suū, vt bouerum apud Catonem pro boum. Scaliger verò aliter, Perna à pede: sueres à nomine eiusdem, vt sueres sint suillæ partes. vide Festum in Spetile.

suis à nomine eius, Offula vt offa minima in sue] quædam quæ ad hunc locum pertinerēt superiore sententia à nobis explicata sunt. hæc sequuntur, offula ab offa minimè suerae T. suillæ carnis. A nomine eius offa. S. suis. A. nomine eodem offa dicta, vt offa minima in sue.

Insicia] sic apud Arnobium Isicia. V. quæ Græci etiam ἰσίκια. vide Alexand. Trall Aphrodisi... Athenæum.

profectum Ouidius, imposuit profecta calentibus aris, sic prosecari exta dicuntur Suetonio in Augusto. Festo Proficium eadē forma qua insectum dicitur Insicium. Prælicias dixit Arnobius.

murtatū] myrtatū. V. Myrti vel murtæ vsū. ante piper fuisse apud veteres refert Plin. 15.

à murto] à murta. V. sic enim veteres genere feminino enunciarunt.

quòd eo largè fartum] quod eo largè fartis. V. far. is, id est farciminibus.

Lucanicam] vide Martialem in Xeniis, Apicium, Papinium. Lucania vel Lucaniæ dicuntur Isidoro 20. c. 2.

COLVMNA 20.

τυφλὸν ἔντερον] δύσ[?]λον ἔντερον V. alij τυφλοέντερον.

Ennius. Neque dispendi facit hilum] dixi de hoc loco superiùs, vbi de diis & infrà libro 8.

Apexabo] Arnobius lib 7. Quid hæc sibi volunt Apexabo, insicia, silicernium, longauo, quæ sunt nomina & farciminum genera?

Tertium fartum] Tria igitur genera fartorū in exteis, Hilum, Apexabo & Longabo.

Longabo] Longauo. Arnob. lib. 7. Longano. V. alij Longao & Longuno.

quod longius quā duo hila] quā duo illa. V.

Agumentum] argumentum. V. augmētum. T. vt & apud Arnobium lib. 7. Augumina etiam dicuntur.

Magmētū] Magnētū. V. malè. Arno. li. 7. Nō magmenta, nō augmina fecistis. adde Festū.

ad religionem) ad regionem. S.

propter hoc montana fama) propter hoc cūtarea. V. propter hoc magmentarea fana T.

Itaque propter hoc montana fana cōstituta locis certis, quo id imponeretur mata: ab eo quòd Græci μάτιυς καὶ μάτυς] imponeretur mactæ, & pòst pro μάτυαι. μάτυ. V. mactę. vel mactęę ab eo quòd Græci ματύαι. T. nam mactææ vel mactya Athenæo omnia pretiosa edulia. Alij μάτλαι: alij μάπυ, alij μάγδαι, alii mactre. Scaliger ita emēdat, vel ab eo quòd cùm id imponeretur mactè dicerēt. Eo sensu, Magmentū dupliciter dici, vel quòd magis ad religionē faceret: vel quòd cùm id Deo pollucerēt, mactè dicerēt. Hoc. n. veteres dicebant in pollucēda dape. Macte hocce vino, macte hacce dape. Hæc opinio defendi potest ex Catone de re rustica. c. 130. 132. 134. 141. Arno. 7. Mactus hoc vino. Seruius 9. Æneid. Mactus est Taurus, & 4. Æneid. Mactum verbum sacrorum κατ' εὐφημίαν dictum, quasi magis auctum. vnde & Magmentum dicebant: quasi magis augmentum: adde Nonium cap. 1. in Adolere. ca. 4. in Adolere & Mactare. Isidorum 10.

Imponeretur) verbū sacrorū. Tertul. in Apologet. de decima Herculis, ne tertiā partē in arā eius imponatis. Ouid. 1. Fast. Sacerdos imponit libū. Iuuen. Farra imponite: adde Virg. 1. Æn. & 4. Lucanū 6 Silium 4. Aristot. ἐπὶ βωμῶν λιβανωτὸν. Est autem imponere ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτιθέναι. vt Dionys. lib. 7. vel τοῖς βωμοῖς ἐπιτιθέναι, vt Herodianus lib. 5. loquitur.

Item Græcè sigillatim vt ouum bulbum) Hic locus deprauatus Antonio: deploratus Vertranio videtur. Scaliger ita emendat, Itē Græca fingit Latium vt ouum bulbum, ᾠὸν βόλβον.

Lana ex Græcis] non à λάχνη, sed à λῆνος, vnde λαχνῶσαι Appollario & Æschylo.

Pœnicum quod à Pœnis] Tibullus puniceū, purpureúmq; Tyros. illud φοινικοῦν, seu rubrū, & sanguineū: hoc πορφυροῦν in cæruleū vergēs.

subtemen] subtegmē. V. de stamine & subtemine. v. l. si cui lana 70. §. 2. ff. de legat. 3. l. vestimentum. 22. ff. de auro.

Trama quòd tranat frigus id genus vestimenti) trania quòd tranat phrygium, id genus vestimenti. V. trameat filum genus vestimenti densum. A. quod tramat frigus T. quòd trameat frugionis vestimētum. S. Frugionia vestimenta Itali ex voce Syriaca Ricamata: in quibus tramæ diuersis modis retortæ & perplexi mæandri sunt.

tranat] alij traniat, alii trameat, i. trāsmeat.

densum) inde leuidensis vestis, vario filo ac leuiter densata: cui opponitur pauidensis vel pauitēsis densius texta. Vide Isidorū 19. c. 22.

à dentibus pectinis] de pectine adde l. 4. C. de vestibus olouer is.

Panus Græcum] Nam Græcè πῆνος & πηνίον πήνιον. panulum:

pannelum) pannellum. A. pannuellum T. pannelium. S. Isidoro 19. c. 29. Panuliæ & Pannuciæ, Hesychius πανίκλον. Nonius Panulam voca à luendo. Non est igitur sudarium, sed cum totum lanificium & filum inuolutum est. id à diuidendo, alij à voluendo. Sunt & apud Isidorum 19. c. 22. Pannutia diuersis pannis obsita: & panniculαria in lege 6. ff. de bonis damnat. Est & Glossis Panucellium πηνίον & Pannuculum πηνισκάριον.

alterum viris) Cinctus virorum, cingulum mulierum (interdum tamen virorum) cincticulum Plauto puerorum & adolescentū semicinctium, zona dimidia & angustior. Cinctus verò Gallicus, modus duendæ togæ.

Parma, quòd à medio in omnes partes par] ea erat rotunda, minor scuto, quod oblongū & longitudinis 4. pedum & semis. V. Polyb. Glossis parma, ἀσπὶς ἱππικὴ ἀσπιδίσκη ἔχον.

Conum, quòd cogitur] Imò potius à Græco κῶνος.

in cacumen) in acumen.

Tragula à traijciendo) ab ea Tragularij Vegetio, qui ad manubalistas, vel arcubalistas dirigebant sagittas.

Scutum à sectura] Imò à Græco σκῦτος.

consectum sit tabellis] cōsecteis sit tabellis. A.

aut à Græco] vmbones à Græco: ὑβοὶ enim curui: ὕβωμα curuitas, gibbus. ἄμβο superciliosa eminētia: nō ab ἄμβων quod ab ἀναβαίνω.

aut à Græco vel quod ambones) à Greco quod ἄμβωνες.

à clade] Clades surculorū detractio. (Nam κλάδος Græcis ramus) vt calamitas, calamorum, strages, stratorum.

similiter ab omine pilum, quòd hostis feriret vt perilum) quòd hostis periret vt perilum. V. feriret vt pilum. T. ita lego, quòd hostes ferit, vt pellat. (huic lectioni fauet Festus in Pilumnoe) vel quòd hostes ferit vt pilum.

Lorica) Glossis θώραξ.

succenderunt Galli è ferro] succudit Gallia è ferro. V.

sub id vocabulum] locus mendosus, nisi legas, significat id vocabulum.

ex anulis ferream tunicam] ἁλυσίδωτον Diodorus 5. Gall. Hallecret, quasi ἁλυκρότον.

Balteum] Glossis ζώνη. Balteus, cingulum quod & ζωστὴρ & ζωστήριον & cingula. adde Titul. Cod. Nulli licere in frenis & in equestribus sellis & in balteis margaritas, &c.

ocrea quod opponebant ob crus) aliud etymō vide apud Festum in Ocrem. Glossis ocreæ κνημῖδες.

Galea ab galero) fortè à γαλῆ galeæ dictæ, quòd ex felina pelle fierent: vt à cane κυνέη: à lupis, λυκέη. Cæterùm Glossis Galea περικεφαλαία: & quòd sæpe cristata, λόφος.

Tuba à tubis] quasi diceret Tuba à Tubo dicitur: id est Tabo canali.

quòd ea varicare nemo possit) quòd ea vari ac ærumnę esset. S. Vari vel varij (vnde Varrones) bacula furcillata. Ærumnæ verò Festo furcillæ. Si retineamus excusam, sensus erit, Quòd ea parte nemo deductis diuaricatisq; cruribus & pedibus stari possit. Ego verò Varicandi verbum, quo hic vtitur Varro, simplicius accipio pro superare: nam glossis Varicat & Transuaricat, ὑπερβαίνει.

littera. V. Cerui) litteræ. V, vocantúrque Cerui. ita legendum.

à similitudine cornuum cerui) Ceruorum ambustis imitantes cornua ceruis. Sill. 10. his vtebantur ad pluteos & vineas. brachia vocat Lucanus.

à similitudine vineæ] Idem Festus Vineæ, Vegetius 4. c. 15.

Testudo) vide Vegetium 4. c. 14.

aries] vide Vitruuium 10. c. 19.

cibillam appellabāt. ea erat quadrata, vt etiā nūc in castris est. à cibo cibilla dicta: postea rotunda facta) traiectio manifesta. sic lego, cibillam appellabant. à cibo cibilla dicta. ea erat quadrata, vt etiam in castris est: postea rotunda facta.

à cibo cibilla dicta) à cibo cilliba. V. sic Festus. Græcis κιλλιβὶς, mensa tripes.

μέσα) μέσος. T.

mensa) id est admensa. ac proinde mensa vel à Græco μέσος: vel à metiendo.

Trulla) Tryllæ & Truellæ in iure dicūtur. vide l. 13. ff. de instructo.

COLVMNA 21.

Vt Truulla. Hinc Græci τρυβλίον] vt Troulla. hinc Greci Trullam. V. Torulla. hinc Greci τορυνην.) hoc vocabulo vtitur Aristophanes Nubibus, Truilla à Truare, quod mouere significat Lucilio. vel hinc Græci τρυτάνην quod idem est ac τορύνη Hesych. aliàs τρυβλίον catinus, patina, acetabulum, poculum Hesychio. Trulla vas potorium, Iuuenali. Glossis Trulleum, Guttum Aquiminale, χέρνιβον ξέστον Trulla lignea, ζωμήρυσις ζωμάρυστρον, seu ζωμάρυστρον.

nisi quod latius concipit aquam] nisi quod latius est quod concipit aquam. V. T.

& quod manubrium cauum est] Cic. in Verrem, Trulla excauata cum manubrio aureo.

manubrium) Glossis στέλεον & στειλειόν.

nisi vinaria trulla accessit) nisi in vinaria trulla. T. v. l. 13. π. de instru.

matellio) huius verbi meminit Varro apud Nonium: Festus, Cicero in Paradoxis.

matula] quæ matella. Glossis σταμνίον, στάμνος, vrceus, vrna.

futum) futim. V. futis. Sipontinus.

νάννος) hanus. Sipont. magnus. V. Nanus. T. id, Festo in Nanum, vas aquarium humile. quod vulgò situlum barbarum appellant. vnde Nani. & Glossis, barbatus (vbi tamen

corruptè Bardatus) γαῖνος, τὸ σκῦλος.

barbatus] barbatos. V. ſiculus barbatus. Feſto in Nanum. Bardatus Gloſſis corruptè dicitur. Eſt & iiſdem Barbutum εἶδος ὀργάνου, & Barbatoria πωγωνοκουρία. Barbatus etiam alio ſignificatu γλυκύτης.

peluis à pedum lauatione pedeluis] Imò à Græco πέλυς. de quo vide Pollucem.

κάπιν καὶ κάπανον.

vbi aſſa ponebant] in Catino iurulenta & pulmenta ponebantur: in lance aſſa. apud Siculos tamen in Catino etiã aſſa ponebantur.

magidam] magidem, in lege ſeruus 36. ff. de cond. indebiti.

Langulam) lanculam. V. Lancula vt langula ſit diminitiuum lancis.

à magnitudine] Imò potius à Græco μαγὶς. quæ & Gloſſis μάκτρα. magidis fit mentio in l. 36. ff. de cond. indebiti. adde Pollucem 6. Onomaſt. 10. & 7. c. 5. & 6. c. 12.

Patinas à patulo) Imò à Græco πατάνη.

quòd heis libarent cœnas patellas) quòd heis libarent cœnis patellas. V. ego ita lego, vt puſillas queis Diis libabant è cœna, patellas. Vult enim hoc Varro, patellas eſſe puſillas patellas. quibus antiqui diis ſuis libabant aliquid è cœna. Nam id pro more apud veteres. Varro apud Nonium c. 15. in patella: Oportet bonũ ciuem legibus parere, deos colere, in patellam dare, μικρὰ κρέας. Cic. de finibus. non ita religioſi, vt non edant de patella: id eſt, de iis quæ ſunt diis libata.

Τρυβλίον καὶ κάνεον Græca ſunt) Tripliõ & canum de Græco ſunt. V.

Cylibathum) Cilibanum. V. Cilibantum T. ſunt enim Græcis κιλλιβάντες tripodes in quibus milites fatigati reponunt ſcutum.

ἀπὸ τοῦ κύλικος) à Cylicio. V. Athenæo κυλικεῖον, repoſitorium vaſorum.

qui illa capit) Cilibantus. A. T. quo illa Capis. S. de Capide vide Feſtum in Armillum.

Capula) Capides. V.

fictiles) ex eodem genere antiqua ſuppellex ſacrorum ac templorum fuit.

magiſtri) hi in conuiuiis bibendi arbitri. Nonius c. 2. in Modiperatores. vnde lex magiſtra Catullo, quæ συμποτική.

poma quòd hæc poſcunt potum) Idem Varro 1. de re ruſt. Vetus verò liber, Et etiam poſtea, hæc poſſunt. Turnebus, & etiam poſca: hæc poſcunt, à poto.

ἀπὸ τοῦ πότου Græca) ἀπὸ τοῦ πότου Græco.

origo potion... Aqua) origo potionis aqua.

Aqua) vide Feſtum.

Fons vnde funditur è terra aqua viua) adde l. 1. §. 4 vbi de viua aqua. ff. de fonte.

fiſtula) adde 19. Iſidor. 10. paſſim in iure fiſtularum fit mentio.

Sinum) vide Nonium in Sinum.

Depeſta) Lepiſta. Feſto & Varroni apud Nonium c. 15. in Lepiſtæ. Flepeſta. V. Lepeſta T. S. à λεπάσῃ, vel à δεπάσῃ, vel à δέπας.

δεπίσκαι) δέπαστρον. & ita Athenæus & Pollux. T. S.

Quare vel inde) Quare videlicet inde.

Guttum) vide Nonium c. 15. in Polubrum.

à ſumendo) id eſt bibendo.

Simpulum) ſimpiuium Arnob. 5. 6. ſimpuuium Nonio & Iuuenali 6. ab ſimpulo ſimpulatrices. vide Feſtum in ſimpulum. inde natũ prouerbium, Fluctus in Simpulo excitare.

Epichyſis) ex ea fundebant in cyathum. vide Athenæum.

vna columella) id eſt oblongo pede. Erat & incitega machina, vbi amphoræ ponebãtur.

& in ea. & cum ea) & tina & cum ea. S. vide Nonium c. 5. in Cupa, & Tinas.

vrna) Gloſſis vrna ὑδρία. Cadus, aquaria. hinc vrnula, Nonio.

vrnarium] vide Nonium c. 15. Vrnarium, 6. Vitruuiuni. 4. in f. 1. Pallad. 9.

COLVMNA 22.

ante balineum] ante balneum. V. id eſt ante domus lauatrinam. Balneum, priuatum: Balinea, publica.

vrinare eſt mergi in aquam Imburum &c.] Vrinari eſt mergi in aquam in vrbum, fictum &c. S. alij Impurio: alij Bura: alii Buris. Vrcũ τὸ ἀνάσιμον ſurſum verſus reflexum, qui motus vrinatoribus accidit.

mergi in aquam) Gloſſis vrinator κολυμβητὴς à natando, & δυτὸς quod mergatur. vnde mergus δύτης ὄρνις.

quod eſt vrbum) quod eſt bura. V.

Calix à caldo] Imò à κύλιξ Græco. id aẽnũ vel ahenum videtur appellare lex cùm de Lanionis 58. § 3. ff. de inſtructo. eo enim aqua ad potandum calefiebat: vt cacabis pulmentarium coquebatur.

calda puls) calda plus. V. nec enim calicib. puls ſed aqua ponebatur. Eodẽ loquendi genere vſus eſt Varro infrà eódẽ vbi de inſtrumẽtis. Vomer, inquit, quod vomit plus terrã.

calidum eo bibebant) caldum &c. Calidam bibebant veteres quinimò id illis in deliciis. vide Senecam 1. de Ira 12. & 2. de Ira 25. v. l. 18. §. 3. ff. de inſtructo.

cibum) pulmentarium appellat lex 18. §. 3. ff. de inſtructo.

ab eo cacabum) Imò à Græco. Nam cacabi meminit Pollux & Athenæus.

cacabum) caccabũ in d. l. 18 §. 3. ff. de inſtru.

ſedum) ſonum. V. alij ſolũ: ſolium T. aliàs ſedum herba eſt quæ ſemperuiuum dicitur.

feliquaſtrũ) ita legitur ab Holoãd. in l. 4. ff. de ſuppellectile vbi Florẽtina ſedularia habet.

ſubſellũ) ita in l. 25. §. 1. ff. de auro. ſurſelliũ: l. 3. ff. de ſuppellect. vbi Græci σουβσέλλια. dabantur ſubſellia Triumuiris, Quæſtoribus, Iudicibus

cibus: sellæ fuerunt Curules ac Tribunales. vide Nonium.

arca quòd arcentur fures ea clausa) Sic Græci θησαυρόν, παρὰ τὸ τοὺς φῶρας εἴργειν. Potest etiã arca ab arcẽdo, id est continẽdo. vt apud Festum. vnde arcus in fornicato opere, παρὰ τὸ εἴργειν.

Armarium) Aumarium Fulgentio. Glossis πυργίσκος à forma: vnde & iisdem Turricula.

armamentarium) armamentum.

Mundus muliebris) huc refer legem 7. l. 13. l. 25. §. 10. l. 30. l. 32. §. 6. l 39. ff. de auro, argento mundo. Tertullianus duplicem cultum fœminarum facit. Cultum quem mundum muliebrem quémque in auro, argento, gemmis & vestibus colloca:: alterum ornatum, quem immundum muliebrem vocat, in cura capilli, cutis, & earum partium quæ oculos trahunt positum.

Cinerarius) Glossis Cinerarius δοῦλος ἑταίρας. idem Cinifio. Huc pertinent ornatrices, de quibus in lege. Itẽ legato 49. l legatis 65. §. ornatricib. ff. de legat. 3. aliis Glossis Crispicapillus οὐλόθριξ.

discerniculum) quod aliis discriminale & acus: de acu vide l. 25. §. 10. ff. de auro.

Speculũ) mũdi muliebris est speculũ l. cùm aurum 19. §. lectum 8. in f. l. argumento 25. §. ornamenta 10. vers. continentur. ff. de auro.

quod ibi spectant) quod ibi expectant. V. quod ibi se spectant. T. Plaut. quæ se suámque ætatem spicit, speculo clusa est.

vniuersa ouis) vniuersæ ouis. S.

vestis à velis) Imò à Græco ἐσθής.

vel ab eo) vela ab eo. T.

quòd vellebant lanam, ex lana facta vestis) quod lauabant &c. T. Lanea ex lana facta. S. & lanam expungendum.

contineret) retineret.

à rete reticulum) quod & Reticulus Glossis κεκρύφαλος: vnde apparet in lege 25. § 10. ff. de auro, reticula & crocufantia pro eodem sumi. & tamen non dissimulandum eò loci legi ab Haloandro Crocobyphantia: ab aliis Crocyphatum, aliis Glossis Reticulum κεκρύφαλον.

Texta) alii Testa.

colligarent. Dictum capital) colligarent, dictum Capital. A.

Capital) Capitulare Glossis κεφαλίδεσμον.

Rica) vide Festum in Rica: 10. Gellium 15. ab Rica Ricula Turpillio & Hesiodo. Sudarium esse scribit Nonius. Græci καλύπτρα.

mitra) vide l. 2. §. 2. ff. de auro. hinc semimitræ l. 25. §. 10. ff. de auro.

Prius de indutu aut amictu) Priùs de indutum amictu. V. T. de his quæ præcingendi, insternendi, adiiciendi, incumbendi causa parantur, vide legem 23. §. 1 ff. de auro.

capitium ab eo quòd capit pectus) malè igitur Nonius c. 14. Capitium capitis tegumentum esse ait: cùm non capitis, sed pectoris sit. atque ita capitium accipiendum in l. 23. §. 2. ff. de auro. Tentari potest an idem sit Capitiũ quòd fasciæ pectorales, quæ Glossis στηθόδεσμοι. Nam strophiis cohibebant papillarum tumorem puellis. Nonius c. 14. in strophium.

Subucula) Glossis ὑποδύτης. vide Nonium cap. 14.

Plautus) in Epidico scena 4.

Intusiatam) Indusiatam. & ita apud Noniũ cap. 14.

patagiatam caltulam) ita apud Nonium superiore loco, in Castula.

ac crocotulam) aut crocutulam. A.

vt ἄσβεστον &c.) alii, vt asbyston. Vetus & abaston. Scaliger, vt Ambustum. Amictus dictum, quòd Amiectum, id est circumiectum. aliàs ἄσβεστον Plinio, Pausaniæ & Stephano linum quod igne non consumitur, ex quo regum funebres tunicæ contextæ corporis fauillam ab reliquo separabant cinere. pretiũ eius æquabat pretium excellentium margaritarum, à quibusdam asbestinum, & viuum 19. Plinius 1.

amictus) amictui. T. adde l. 23. §. 1. in verbo amiciendi ff. de auro.

quòd vestes se) quo vestes se. v.

quod vestit se) T. quod vestitas se. v.

circumiectum) circumiectui. V. T. id est ad circumiiciendum, id περίστρωμα. l. 45. ff. de verborum significat.

circumtextum) Græcis cyclas. Isid. Virgilius, & circumtextum croceo velamen acantho.

Antiquissimi amictui) Antiquissimis amictui. v. antiquissimi amictuis. S.

Ricinium) vide Seruium & Ciceronem de legibus.

duo simplicia paria) ἡ διπλοΐς Paria idẽ quod duo. Festus, paribus equis quibus quod æs dabatur, pararium. Eadem forma pararius dicitur Senecæ, qui inter dos medius.

reclusum propter leuitatem) reticulum propter leuitatem. Vetr. R. exclusum propter leuitatẽ, eo sensu: primo parilia, deinde pallia τὸ R. extrito ac reiecto.

περιπλιγίη, χλάμυς) περιπήχυα. V. T. vestis muliebris Hesych. & Polluci 7. 4.

COLVMNA 23.

Colendi) colligendi A. lego querendi & cogendi, vt in lege in instrumento 8. ff. de instructo. Paul. 3. sentent. 6. §. querendorum §. cogendorum: & vtrunque etiam re ipsa hîc exponit Varro.

sarriendo) sarciendo v. alii sariendo, serando, vt libro 6. est enim serare, claudere.

Rutum) Græci κρωπίον inde Rutellum apud Nonium, à ruendo, id est æquando. vide

Ciceronem 16. ad Atticum.

quod arauit terrã) quod eruit terrã. V. quod adruit. T. alii, quod aruit.

manicula) manibula. V.

à curuo curuum) à curuo vruum. V. alii ab vruo, curuum.

conum) cauum.

appellatur) oppilatur. V. id est oppletur clauditur. Cicero, iis oppilatis.

Conum) cauum.

Irpices) vrpices: alii Hurpices. Cato c. 9. de re rustica.

quæ in terra sunt sirpices) quæ in terra serpũt sirpices: sic infra, spinæ quæ in agris serpunt.

Sirpices) Græci ἐξιτάς. vide Hesych.

fenisecia) fenisecta. V.

quibus dentalibus] quibus dentatis. V. qui dentalibus.

à quo & Rutabri dicti) alii Rutabri: alii Rutubatri: alii Runcastri (quomodo legendũ 2. Gell. 25. alii Rumicestri S. alii Rubicestri: alii à quo erutum, Rastri dicti T. Vt ab rasu rastelli: à quo rutu Rastri dicti. S. ego nihil mutandum censeo.

Falces à farre) Imò à Syriaco Phelc. à quo πέλεκυς: vt à Phalga, Falx.

Falces fenariæ & adoreæ) alii, pro adoreæ arboreæ: alii arborariæ: quæ & putatoriæ in lege 8. ff. de instructo: & apud Paulum 3. sentent. 6. §. quærendorum: sunt & stramentariæ apud Catonem 3.

Lumariæ falces] linariæ. V: alii Lunariæ, alii Lunecta. quid si Dumariæ legas? vt sint falces quibus secant dumecta. Lumariæ tamen legi potest. Est enim Luma Festo genus herbæ & spinæ.

agricolæ soluunt. id est luunt) manifesta mutatio. est enim legendum agricolæ luunt, id est soluunt.

sirpata) sirpicia. V.

phancillas) falcillas. V. Zanculas. S. Ζάγκλη Syracusia lingua δρέπανον.

Chersonesicè] Chermonesicé. V. alii Cheronesitæ: alii Cremonenses. Scaliger Chermes Pœnicè dicunt, vt hæc videatur Varro ex libris Magonis Carthaginensis, qui de re rustica scripsit, hausisse.

Inde post in vrbe Lucilii pistrina &c.) Locelli. V. Inde pistor vel Lucilii pistrina, vel pistrix. S. citare autem videtur Lucilium, Is libro 26. teste Charisio libro 1. pistrina in genere fœminino extulit: vt Terentius pistrillam. Pistrix etiam legitur apud Festum in Mamphul.

Trapetes, mola olearia) dicitur Trapetũ in lege, Sed addes 19 §. 2. ff. locati. Glossæ Trapetum τὸ λαιῶν μύλος ἐλαιουργικόν.

molæ oleariæ) molæ oliuariæ in l. 21. ff. de instructo. Paul. 3. sentent. 6. §. cogendorum.

nisi Græcum) fortè à τρίβειν.

mola à molendo] alii à moliendo. vnde paulò post, moliuntur. sed tamen apud Plautum legitur molere, apud Horatium permolere, quod est subigere.

vallum à volatu) vanum V.

volant inde leuia] id ἄχυρα. ventilabro iactamus fruges, vt ventus dissipet paleam & acus. vallo ita in aerẽ proiicimus fruges, vt tamẽ in vallum recidant. vannus autem idem ferè quod vallum. adde Varronem de re rustica.

Fiscina à ferendo) fiscina ficorum dixit Tullius *pro Flacco*. est autẽ diminutiuum à fisco 20. *Isid.* 9.

Corbes) adde l. 8. ff. de instructo.

quod corruebant] quòd eò corruebant. V. id est coniiciebant. Catullus. & in quo me corruerit genere. nisi potiùs torruerit legas, propter ea quæ apud eundem auctorem sequatur de ardore.

tragula] trahula. V. à traha. Virg. Georgic. Tribuláque, trahæque. alii trahes. Glossis Trahea τυχάιη τὰς βῶλους ὁμαλίζουσα.

Sirpea quæ virgeis) sirpea quæ iunceis A.

sirpatur] id est colligatur. Nam Sirpare est colligare. vnde quæstiones obscuræ, sirpi Latinis. Græcis γρῖφοι.

in qua stercus aliúdve quid euehitur] v. l. 12. §. & molas 10. ff. de instructo.

aliúdve quid vehitur, quo ex viminibus vterentur, & quod eo vehitur, breuis veha vehiculum dictum] aliud ve quod geritur quod ex viminibus vietur: aut eo vehitur breui, est vehiculum dictum.

Arcera] dixi ad leges XII. Tabul. adde Nonium in Arcera. ¶. *vt area)* vt arca Bongar. vt apud Nonium 1. 270.

sed ea omni parte] sed à parte. V. sed apertè. T.

quòd perlucent] id est videntur. spectari palàm possunt.

nominata à parte) nominata apertè.

munitur) mœnitur.

vbi sint] vbi sunt. S. vbi sint & quod opus est ad vitam sustinendam, vbi habitent tutò.

COLVMNA 24.

tutò vel oppida quòd &c.) tutò, oppida. Quod S.

quò munitius essent) quò mœnitius essent T. quò muniti essent A.

& quòd aggerem contineret murus, &c.] cõtinent manus V. T. quòd aggerem contineret murum. Quòd muniendi causa parabatur murus: quòd sepiebant oppidum, eo mœnire. Munus enim summa T. Quod mœniendi causa parabatur, mœnus: quo sepiebant oppidum, eo munere. Mœnus. In summo pinnæ. S. ego sic legendum puto, quòd aggerem contineret, munium: quòd muniendi causa parabatur, quo sepiebãt oppidum, ex eo munio, murus: nisi malis ita, vel quòd aggerem contineret, munitio. Huic emẽdationi fauet Isidorus 15. cap. de ædificiis publicis, vbi do-

eet Munium dictum, quasi manu factum: & muros à munitione dictos.

quas insigniti milites habere solent] quas insignia milites. S. alii quas insignes: milites.

in gladiatoribus Samnites] docet Samnites milites galeas habuisse. hinc Iuuenalis Pinnirapi cultos iuuenes, puerósque Lanistæ. Per Lanistas Samnites intelligit, ab armatura Samnitum. Liuius 9. Clemens Alexand. Stromat. 1. Athenæus. Hinc Samnis pro gladiatore apud Lucilium & Horatium.

Turres à toruis quòd hæ prospiciunt antè alios) Ego verò ita lego, Turres à tuendo, quòd hæ prospiciunt alios: vel, quòd hinc prospiciunt exactè alios. nisi malis Turrim à Græco τύρσις.

Etrusco ritu multa] Etrusco ritu vt multa V.

Tauro & vacca) Cato, Qui vrbem nouam condit, Tauro & vacca aret: vbi arauerit, murum faciat: vbi portas vult esse, aratrum sustollat & portet, vt portam vocet.

aratro] vt aratro vrbs condebatur (quemadmodum superiùs est ostensum, & confirmatur lege pupillus 239. vrbs 6. ff. de verborũ signif. ita euertebatur. Horatius, Imprimerétque muris hostile aratrum: & Modestinus noster refert Carthaginem aratrum passam in l. si vsufructus 21. ff. quibus modis vsusfructus.

munita) muniti. T.

introrsum factum murum) introrsum factum, murum. V. T.

Posteà quòd fiebat orbis) qui postea fiebat orbis, vrbis principium. T. alii vrbs. Principium &c.

eiúsque ambitu auspicia vrbana finiuntur) Auspicia vrbana vocat, quæ fiebant à magistratibus, cùm in campum irent, ac pomeriũ transirent. Cicero 2. de Natura. Id genus auspicii perenne.

Cippi) Lapides pomerii finitores.

circum Ardolam Ardeam,) circum ars clam. V. circum Ardeam. T.

¶ *in latio stirpis Romanæ*) fortè ovde stirps Romana.

colonia) coloni. V. T.

quod ex vtraque &c.) quod dextra ex parte viæ, sunt ædificia, fundulæ à fundo. Quod exitum &c. V. T.

fundula à fundo quod exitum non habet) Ita lego, Fundulæ à fundo. Quod exitum non habet, ac peruium non est iter, Angiportum: quod id angustum ab angendo & portu. Et Fundo latum verbo, vt opinor, intelligit semitam planam. Nam Fundus, ager planus, à similitudine fundi vasorum. v. Festum.

ac peruium non est,) ac peruia non est. V. S.

& id Augustum] si id Augustum. V. T.

μακελλωτὰς) subaudi θυρὰς.

& Castelli μακέλλους) Glossis μάκελλος septũ.

secundum Tiberim] id est vltra, vel ad ripas Tiberis.

ad Iunium forum piscarium vocant. Ideo ait Plautus, apud piscarium vbi varia res] ad Ianũ &c. V. ad Iunonium &c. Alexander 2. genial. 2. & Vertr. ad Ianium. S. Nondum video in tot variis lectionibus rationem Etymi vocis, de qua noster Varro tractat. quid enim foro Iunio, Iano, Iuuenio & Ianio ad res varias? Interim tamen cupedinis forum, est piscatorium, vt cognoscimus ex Apulei locis.

Plautus) in Curculione act. 4. scen. 1.

Forum Cupedinis à Cupedio,] alii à fastidio, quòd fastidiosis quæruntur cupediæ: & Fastidium id Latinis quòd Gallis friandise, & fastidiosus friand. Fauorinus, quibus sumptus & fastidiũ pro facetiis procedit, & Isidorus cupes fastidiosus. Alii cupedinis forum dici, volunt, à cupediis seu cauponãdo (quod Grecis καπηλεύειν) dictum forum Cupedium qua forma Caupo, Cupo & Copo: Cupa Caupa & Copa. Cicero ad Pontifices, Panis & vinum à propola & de cupa. Virgil. Copa syrisca. Aliud Etymon. Varro 1. rerum humanarũ adfert forì cupedinis, quòd in area euersæ domus Numerii Equitii Cupedii fuerit. v. Festum in Cupedinis.

Macellũ) ridicula Varr. Etymol. nã à mactãdo potius dicitur macellum, quàm ab alia re.

Macellus) idẽ testatur Var. li. rerũ humanarũ.

Lacum Curtium] Tres historiæ hìc referuntur à Varrone de Curtio lacu.

Procilius] Porcillus. V. & malè. vide Ciceronem 2. ad Atticum.

(*Ælius Stilo*) L. Ælius Stilo Varr. magister.

Ex senatusconsulto] de quo V. Liuium 7. Plutarchum in Parallelis: Festum.

COLVMNA 25.

Deum manium) qui & summanus: quòd manium summus. alii legunt, Deum maino: alii Deum manio.

Postulionem, postulate.] id est postulationem postulare T. S. Est autẽ postulatio, cũ dii violati expiationẽ postulãt: quinimo, res ipsa petita, postulatio. sic Cicero, Postulationes decretæ Ioui, &c. Sed quid? Turnebus legit posti Leonẽ eo sensu: id est Deũ maniũ postulare Leonẽ, id est fortissimũ ciuẽ. alii legũt Pesti Leonẽ, sed quia historiæ testãtur nõ de peste, sed de hiatu terræ occludẽdo quęstionẽ fuisse, pręstat priorẽ interpretationẽ amplecti.

eodem mitti] eo dimitti. T. S.

& à Concordia versum] & à Concordia versum. V. & ad Concordiæ conuersũm. S. eo enim conuersum.

(*Ælius*) Cornelius. v.

Lutatius] Luceius.

Fulguratum) fulguritum v. T. ita apud Festũ in Fulguritũ. inde fulguritæ arbores: Plauto: loca fulgurita: de cœlo tacta & sacra. Latinis Bidental & Bidẽtale Glossis κεραυνόβλητον. κεραυνωθεὶς tactus, hinc fit vt apud Lucanum,

aruſpex collectas fulguris reliquias ſanctiſſimè condit.

Tullio) vide Saluſtium in Catilina.

quod Syracuſis) de Latumiis Syracuſanis, vide Ciceronis vltimam in Verrem.

Latomia) ſic Feſtus, & apud Liuium Triũuiri carceris latumiarũ. alii, lautumiæ: vt veteres libri. hinc lautumarius Ciceroni in Piſo nẽ dixi ad Feſtũ. Gloſſis λιτοθομεῖον lapidicina.

Armiluſtrum) erat etiam Romæ vicus Armiluſtri: & locus qui caput armiluſtri dicebatur in Auentino.

ſpecta culeis ædificatus.) id eſt locus contabulatus, vnde ludos ſpectant: loca autem erant diuiſa patribus, equitibuſque Gloſſis ſpectacula θεωρίαι.

Fertur pompa) in ea põpa ſimulachra deorum trãſuehebãtur, Victoriæ, Neptuni, Martis, Apollinis, Cereris. Ouid. Amor. ſed iam pompa venit linguis, animiſque fauete. Tempus adeſt plauſus, aurea pompa venit. Idem circus erit celeber pompáque deorum.

In cornicula) nomen Comœdiæ Plauti cuius meminit etiam Varro infrà lib. 6.

millies aduentu) milites ad vectim. vel milites ad vectũ. V. milites aduentu. T. (vt miles in ea fabula luderetur, & pro circo eſſet, cùm per ludibriũ circuiretur.) mulieres ad reſtim A. V. vt reſtim ducere, ſit cordax, genus ſaltationis Comicæ, de qua Ariſtophanes in Nubibus: Lucianus de ſaltatione: Pollux 4. Atheneus 1 in ea præſultor funẽ ducebat, quo adpreheſo, eum alii ſequebãtur. Terẽtius Adelphis, Tu reſtim ductabis. Horat. 1. Epiſt. 10. Tortum digna ſequi potius quàm ducere funem. Scal. ita emendat, milites ad vectim. id enim milites vocaſſe circum, quo in loco vecti aut palo ad terram adfixo circumeũdo ludebant. qui locus veteribus. ideo etiam Palaria dicebatur, teſte Chariſio.

Quid ceſſamus) verſus Trochaicus.

Circus noſter ecce adeſt.) Sic Plaut. in Milite. Iam eſt ante ædes circus, vbi ſunt ludificandi mihi. eſt autem apud Plautum eò loci idem iocus qui & hîc.

antequam magiſtratus miſit) anteq̃ ã magiſtratus ſignũ miſit A. Ouidius, Maxima iam paruo Prætor ſpectacula circo Quadriiuges ſigno, carcere miſit equos.

ſcripſit poeta) ſcripſit Ennius. V. fortè nihil mutandũ in hoc Varronis loco. cuius ſeculo, Poetæ vocabulo per Antonomaſiam fortaſſe Ennius intelligebatur: vt ſuccedaneis temporibus Virgil §. 2. Iuſt. de iure naturali.

ad murtium vocatus) ad murcie. v. ad murum. alii ad murtim.

quòd is locus eſſet) quòd alii ineſſe. A.

Murtiæ veneris) quæ & myrtea & murtea. Plinio & Liuio. Fuit etiã Romanis dea Murcia, de qua v. Feſtum, Tertullianũ, & ea quæ ſcripſi ad leges XII. Tabularum.

Ludis Tauriceis) ludis Taureis. v. ludis Tauriis. Feſtus. In honorem inferorum Deorum inſtituti fuerunt hi ludi, cùm peſtis in mulieres grauidas incidiſſet ex carne taurorum vendita populo.

COLVMNA 26.

Curiæ veteres) Vide Feſtum.

Roſtra) huius loci, qui Romæ, fit mentio in lege 2 §. poſtea 4. ff de origine iuris.

Græcoſtaſis) vide 33. Plin. 2. Aſconiũ 3. Verr. vide Feſtum in ſenacula tria. Tulliũ 2. ad At.

ſubſtructus) erat enim ſub ſenaculo, de quo mox.

ſenaculum) ita legitur apud Feſtum & Valerium. alii ſenatulum legunt à ſenatu, ex P. Victore & Lampridio.

Lautolæ) Lautulæ Feſt.

ad Ianum geminum) dicitur enim bifrons.

¶ *Aequimelium*) v. Tullium pro domo & l. 20. ff. communi diuid.

Locus ad h ſta Gallica) v. Liuium 5.

oſſa conſita] id eſt ſimul humata.

Doliola ad cloacam maximam.] Ruffus, & Victor hunc locum in Auentino ponunt.

vbi non lice deſpuere.] vide Feſt. in Doliola.

duæ traditæ hiſtoriæ] tertiam vide apud Liuium 5. & Feſtum in Doliola.

ab Argo] ab Argula, ſeu quod v. ab Argulapſu. T. id eſt Argus lapſu. vel ab Argula, ſeu Argo.

Publilius vicus] vicus Publii, Ruffo: vicus Publius. V T.

quod ab his viris dicuntur ædificati]. quod à viocuris. T. S. ego nihil mutandum cenſeo: vt, his viris, referatur ad ea quæ ſuperius poſita ſunt, Ædilibus plebeis.

ad florales vſus] ad floras ſuſus. v. (floras pro floræ ἀρχαϊκῶς. vt familias pro familiæ) ſuſus autem pro ſurſum. T. ſuſumverſum aut ſuſus verſum. S.

Capitolium vetus] quod in regione vrbis quæ alta ſemita prope templũ Floræ victori. inibi Iouis, Iunonis & Mineruæ ſacella. In altero Capitolio, quod erat in octaua vrbis regione communi tẽplo colebantur illi Dii. Medium Templũ Iuppiter: Minerua dextrã: Iuno ſiniſtrã occupabat. In Capitolio quoq. omnium Deorum ſimulachra erant. vnde à quodam Capitolium, Eccleſiæ Idololatria.

Vicus Ciprius à Cipro.] v. Liuium 1.

Ciprum Sabinè bonum.] ex Syriaca lingua qua vſi Tuſci antiquitus.

immitteret] iniiceret. A. V. T.

ὀπισθόδομον) ita poſticum templi Mineruæ Athenis: vbi publicum ærarium.

dicimus] dicamus. V. id eſt conſeruamus. vnde dicatio.

Cauum ædium] quod Cauædiũ. Id μεσαύλιον.

ſi nullus locus relictus erat ſub diuo qui eſſet) locus ſub dio Gloſſis, ſubdiua: ὕπαιθρον.

Teſtudo) vide Vitruuium: dixi etiam quædam de

dam de testudine superius, vbi de Instrumẽtis bellicis.

impluuium) Impluuium ad tectum: Impluuium ad solum.

compluuium, vtrunque à pluuia) est impluuium & compluuium, à pluuia. illud, locus in quam: hoc, locus à quo, atque ita intelligi oportet quod à Festo scribitur in voce Impluuium. Cęterùm quod hîc cõpluuium, confluuium dici existimo apud Nonium, in Vrnarium. Ad quam rem nobis est confluuium ad quam vrnarium? Glossis Compluuiũ μέσαυλον.

Tuscanicum) v. Victruuium.

COLVMNA 27.

Atrium ab Atriatibus Tusceis) Imò quod αἴθριον. S.

Cœnaculum) quod olim in plano: postea in edito. vnde Glossis ὑπερῷον. Ratus venit in cœnacula miles. adde Festum in Scensas.

Iunonis] Hostiliæ scilicet. Nam ea Lanuuij colebatur.

ibi cœnabant) vbi cœnabant. V.

hyberna) v. Plin. Epist. ad Apollinarem.

religionem) ligionem. V. regionem. T.

Porcius) potius. V.

Tutilinæ loca) Tullinæ, vel Titulinæ V. & ita Varro Menippea. Erat autem hæc Dea frumentorum reconditorum, cuius ædicula in XIII. vrbis regione. eiusdem etiam signum erat in Circo. Tutani verò tẽplum extra portam Capenam, cùm Annibal pedem ab vrbe retulisset. quod ea ratione ab euentu Rediculum. Tutani meminit Varro in Hercule. adde Festum, Plinium 10.

Nemoribus Næuijs) vide Festum in Næuia.

Randuscula) Randuscula quæ & Raduscula. Festo Roduscolana.

Mugionis) Mucionis. V. Mugionæ: Festo Myconis Halicarnasi.

à mugitu) à Mugio quodam. Fest.

Bucitatum antiquum oppidum) in buccinatum antiquum oppidum vel imbuccinatum. T. (id est buccina citatum. de quo vide Varronem: huius etiam consuetudinis meminit Polybius) Scaliger verò ita, quòd ea pecus in bucita, tum antiquum oppidum, exigebatur, &c. Nam Buceta & Bucita in antiquo glossario, quæ Gellio 11. c. 1. pascua.

antiquum oppidum) id est pallatium in quo Roma quæ & quadrata Ennio. Adde Festum in quadrata Roma. sic κατ' ἐξοχὴν Græcis ἄστυ Athenæ.

Romanulam] Romaniam. V T.

quæ habet gradum in naualia) in noualia. V. in noua via. S.

signum & ius institutum) signum & institutum. A.

Vt sit clausa] vt sit aperta. V, operta. T.

nisi cum bellum fit] hunc belli porta à Plutarcho de fortuna pop. Romani.

Vt etiam nunc fit in Castris] Lecticæ militares dicebantur Cubæ. Sabina lingua. vide Festum in Cubam Græca χαμευνάδες: Platoni in symposio χαμευνία: Euripidi χαμεύνας: Aristophani στιβάδες.

Lectos) lecticas. V. lectis. T. rectè. Nam lecti in lecticis ponebantur vt in feretro. lectus mortui. Est enim lectica, id quod lecto substernitur.

quam lecticam] quam lectionem. V. T.

quod inuoluebant) quæ inuoluebant. & ita Varro apud Nonium in Toral.

fere stramenta erant è segete] postea ex pellibus. Plaut. Anus licet in pellibus protenditur. & Iuuenalis, syluestrem montana torum cùm sterneret vxor Frondibus, aut culmo, vicinarúmque ferarum Pellibus. & Valerius Maximus refert Catonem hœdinis pellibus vsum pro stragulis, tanquam nihil mutasset è prisca frugalitate. Certè στέγαστρον pellem significat: & Latinum Dormio (quod antiqui Dermio) ἀπὸ τῶν δερμάτων à pellibus.

segestriam appellant) segestria appellabãt. Varro li. de vita pop. Rom. apud Nonium c. 1. in Toral. & c. 14. in penula. alij segestriam legunt. Glossis segestrum περίδερμον, στέγαστρον.

quod in ea sagum] quod in eas agus. V. quod in eas sagus. M.S. quod in eas acus. T. id est paleam. Græci ἄχυρον.

calcabant) inculcabant. V. S. rectè. id enim de culcita.

Culcita) Culcita est quicquid tomento inculcatur.

ac quicquid) hac quicquid. T.

puluinar] Glossis στρῶμα, κνέφαλλον, τύλη ...

à pellulei,] à pellibus. alij plumis: alij à pluribus: alij, à pollulis. V. à polulis T. non malè. Nam polluta, idem quod parua. Cato labellum pollulum. Igitur puluinaria & puluini, pelluli lectuli. Scaligero tamen polulæ seu Polæ sunt pilæ aluta moli tomento farctæ, quibus datatim ludebant in foro. vnde Pollice pila ludere Festo. inde Polliones & Pollæ cognomenta Romana.

in hoc multa peregrina, vt sagũ Reno Gallica gauna cumma. eius sagum & Amphimalon Græca] locus mendosus Antonio Augustino: Vertranius sic, vt à Senonibus Gallis quæis Gausapina est, vt sagum & amphimalon græca. Turnebus ita, sagum, Reno, Gallica, gaunacum (καυνάκη Hesychio stragula altera parte villosa vel genus pallij.) Scaliger ad hunc modum legit, sagum, Reno Gallica: Gaunacum maius sagum &c. vide Athenæum. Hesych. Pollionem 6. Ælianum de animalibus 17. c. 17.

Sagum) vox Gallica vel teste Strabone. Plinius ait inuentũ Gallorũ esse: erat autẽ scutulata & virgata, id est reticulatè distincta.

Reno) Gallis significat exuuias pecudum Cæsar 6. Sallust. Seruius. Sosipater.

COLVMNA 28.

Torale) Toral. A. Vertr. στρῶμα Glossis Toral. Stertum, stratus.

Torus à toruo) Torus funis ex loris retortus. Cato, ob id tori dicti quòd loris tenderentur. Herodotus τόνος.

Toruinus) Torulus. T. quo verbo Plautus vtitur in Amphitruone.

Scabellum] quod Glossis ὑποπόδιον: alij scamellum.

geritur ab inferiore in superiorem) gerit in inferiora superiorem. V.

Peristromata) l. 45. ff. de verb. sign.

sic aliud aliquid item conuiuij causa ibi) sic aliquid item in conuiuiis. vt gausapea. V. ea erant villosa tapetia: vt hodie Turcica. nec alioquin τὸ ibi referendum est ad ædeis, vt Turnebus existimat. Cæterû GausapiaGlossis βαρβάρικον παλλίον.

Assipondium) Assipondium as vnus.

ac erat libræ pondus) hinc asses librales. Festus in graue æs: olim enim asses erant librales. postea sextãtarij facti. vide Festum in sextantarij.

decussibus. bicessis) decussibus vicessis Vertr. T. vicensis. V. Est autem differentia inter illa duo, Bicessis quod est duos asses: & vicessis quod est viginti,

quod dixi solum) quod dici solitum. V.

decussibus bicessis) decussibus vicessis. V.

ducenti) ducenties. V.

se valet dimidium, vt in selibra & semodio) aliàs significat sine. V. Festum in Sed.

vncia ab vno) Imò à vocabulo Siculo de quo vide Aristotelem apud Pollucem 9.

Semissis quod semias id est dimidium assis) Glossis sesquas ἀσσαρίου ἥμισυ.

conclusum) conlisum. V.

Nummi, id à Siculis] Idem Pollux 9. ac proinde Suetonius apud Suidam malè à Numa, nummos appellatos scribit.

denos aris] denos asses.

sestertius quod semistertius) Idem Volusius Metianus libro de asse. Festus. Apuleius apud Priscianum libro 6. Charisius tamen libro 1. Institut. dici putat sestertium, quòd de tribus assibus ei semis tertius deficiat. adde 33. Plin. 3. Glossis sestertium δίδραχμον, δηνάριον.

retro ara dicerentur] id est id aere retro numerarent pro dupondio & semisse, semissem tertium dicentes.

sembella quòd sit libella dimidium) eadem se nilibra ἡμίλιτρον.

sembella quod valet dimidium, & est quarta pars) quod libellæ vt hæc quarta pars. V.

δωτίνη) δῶς. S. vt est apud Hesiodum.

ab eodem Donum] ab eodem demum. V.

Vt ipsi δῶρον) vt assedonium. V.

vt Asiæ δῶμον T. eo sensu domum, vel ab Asianis, vel à Græcis, vel ab Atticis.

¶ Vt reliquum reddatur V. 5. Isid. 25.

à Græco ἀῤῥάβων) Imò à Syriaco antea malè ἄῤῥαβον. Isidorus à re pro qua datur 9. c. 8.

refactum] refectum. vide refectum. T.

COLVMNA 29.

quam exoluerit) quàm vt exueleret. V. ex eo luerit, quàm quanti. A.

Intrigo] Intertrigo T. vt cùm inter se pedes vel femina teruntur.

dicta vt exigi poßint ob peccatum) dicata vt exigi possint ob reatum. V.

olim vnum dicebant multa) origo multæ inde sumpta.

vnum] vinum. A.

pœna à puniẽdo, vel à pœnitẽdo) pœna à pœniẽdo. &c. V. puniẽdo vel ponẽdo V. vel aponẽ. vt quòd post peccatum sequitur. Vert. T.

corollarium] vide Plinium.

μοῖτον) vide Hesychium.

Sophron) scripsit Sophron mimiãbos prosa oratione, vt eius imitatione Herodotus, vel Herodes, quem secutus Mattius, teste Mauro Terentiano & Gellio.

μοῖτον ἀντίθημον] μοῖτον ἀνθ' ὕμνου V. pro ἀντιτιμῶ. id est supero pretio. T. alij μοῖτον ἰσότιμον. Scaliger μοῖτον ἀντίτιμον, id est par pari.

ea pecunia] si is ea pecunia. V. super ea pecunia. V. T.

sacramentum à sacro) Vide Festum. Fab. 7. c. 16. Valer. Maximum. 7. c. de testamentis.

vterque qningentos aru ed pontẽ deponebãt) quinquagenos æris ad pontificem dependebant V. in Probi notis legitur, Quãdo negas, te sacramento quinquagenario prouoco: & apud Festum est quinquaginta.

quinquagenos asses) Renardus 2. Var. 18.

¶ *ad pontem deponebant*) apud Pontificem, Renard. 1. Var. 15. dixi ad l. 1. §. 36. ff. depositi.

¶ *certo alio legitimo*] certum alium legitimum Renardus 2. Var. 18.

qua à populo) quæ populo. T.

COLVMNA 30.

adtributa] adtributa pecunia, quæ tradita ea lege, vt alij soluatur. Xenoph. Cicero in Verr. & Asconius ibidem.

Tribuni ærarij] vide Fest. in Ærarij Tribuni.

Id quos) in quos. V.

æs militare] Hinc milites ære diruti, quorũ stipendia in fiscũ deferebantur. Festus in Distipendia in fiscũ deferebantur. Festus in Dirutum ære militẽ. Eo fine in militia & exercitu, librarij caducorum, & librarij depositorum, de quibus in lege vlt. ff. de munerib.

quod ait Plautus) Aulular. act. 3. scen. 5.

cedit miles) id est venit.

as quoq; stipẽ dicebant] vide Festũ in Stipẽ.

asses libra pondo erant) asses libras pondo. T. antiquus genitiuus, pro libræ.

à stipando stipem) sic Plutarch. & Porphyrio,

tio. hæc pecunia impensa Festo.

vocabulo] verbo. A.

Thesaureis.) id est deorum cellis.

stipem dicunt) vide Cic. 2. de legibus. Oui. Senecam in Epistolis.

¶ *qui pecuniam alligat*] an qui stipulatur? an qui spondet vt vult Festus? Alligati testes dicuntur quod ante iudicium placito alligati. 5. *Isid.* 23. vt & rei criminum Tullio *ad Qu. fratrem & pro Cluentio.*

¶ *Dispensator*] v. l. 51. l. 62. π. *de solut.* l. 1. C. *si aduers. fisc.* l. 4. C. *de fid. instrum.* Festū in *Dispensatores.* Nonium 3. n. 18.

stipulari] vide Festum in stipem.

stipulari] Glossis Restipulat ἀντεγγυᾶν Restipulatio ἀντεγγύησις.

milites.] militis. V. multi. T.

impendendo] pendendo. T.

& inde prima pēsio, & sic, aut secūda, aut qua alia.) & in prima pensione & in secūda sic. V.

quod compenditur.) quod cùm penditur.

accedebat) impendebat.

impendium appellatum.) impendium appellatur: Malaspina in 6. ad Attic. 1. impendium appellatam. T.

sors quod suum fit sorte.) Ex hoc toto notādū quid sors. quid vsura. quid cōpendiū, quid impendiū. sors quod suū vel nostrū fit sorte. i. sortitione vel Dei munere. vsura quod sorti accidit ex vsu, i. ob vsum. eadē, impēdiū quod in sortē vel sorti impēdeat. Compēdiū, quòd cū penditur sors, vna fit ac pendatur.

per trutinam solui solitum vestigium nunc manet in æde Saturni quod & etiam nunc propter pensuram trutinam habet positam.) idem Festus in Ærarij vbi dixi.

Finis libri Quarti.

Notæ in quintum librum Varronis de lingua Latina.

Loquitur) loquuntur. V. T.

Chrysippus, Aristippus. V. T.

plus litterarum.) id est doctrinæ.

amittant) mutent. V. mittant. V. T.

COLVMNA 31.

Turdario, Turdelice) Turdelice. V. Turdelico, Turdelice. T. alij Turdelicio.

Lucianum) Lucienum. V. T. S. sic apud Varronem de re rustica.

declinauit, vt à vetere vetustum, vt ab) declinauit, vt à vetere, vt ab. V. T. declinauit à vetere. T.

ab solo solū) ab solu solū. V. T. ab solo soliū, S. Putat autem Turnebus veteres solùm declinasse in masculino. Verū hoc velle videtur Varro, solùm & solus veteribus pro eodem.

ab libero liberū ab lasibus lares,) Quid hoc ab libero liberū? Ita emēdo ab lœboso liberū ab lasibus lares. emendationē nostrā confirmat Festus in Lœbesū. sic veteres Arbosē, plusima, pignosa, Queso, maiosibus, & meliosibus: & in *l. 2. §. fuit autē 36. ff. de orig. iur.* Valesij, Fusij: nimirum ante inuentam R.

Ab lasibus lares) v. Festum in R.

mundi & motus) mundi motus. T. S.

tempestiua & à motu eorum) Tempestiua ætas. motor eorum. S.

& à motu eorum) & à motore eorū. V. motor eorum S. & à motu deorum qui toto cœlo coniuncti.

mundus deo) mundus dio.

à quo tempus id ab hoc deo, dies) à quo tempus: & ab hoc deo, dies.

Meridies, &c.) adde Nonium ca. 1. & c. 6. in Meridiē, vbi hoc addiicit, Meridiē veteribus etiā significasse, mediā noctis adde Isidor. 3.

inumbrauit,) id est ex descriptione vmbræ comparauit. Huiusmodi horologium σκιατηρικόν. Glossis, vmbro σκιάζω.

à supremo) à superrimo. V. T.

hoc tempus XII. Tabula, dicunt occasum solis) Idem lib. 6. infrà cap. 2.

Lex pretoria) lex Pletoria.

crepusculum à crepero,) id est dubio. Creperū enim dubium. Festus, Creperum. 5. Isid. 4. Crepusculum igitur idem quod dubia lux.

Lucij prima luce in creatione.) Lucii prima luce in Reate. Varr. Lucii prima luce creati Vertr. adde Festum in Lucius.

vt Catulus ait) Catullus V. Paccuuius. S. vide Varronem 1. de re rustica.

ἑσπέρου) ita Homerus: & Augustinus 21. de Ciuitate 8.

Plautus) Amph. scena 1. 9. Vitru. 4. Fabius.

Iubar quòd iubata) ἥλιος ἰδίεχς ἕσπερος. Scal. Glossis αἴγλη φώσφορος. alibi σέλας ἡλίου fulgor solis.

Ennius, Aiax.) Ennius Aiace. V.

vt in Bruto Cassius) in Bruto Cassii. V. in Bruto. C. Attii. T. Actii Brutus à multis citatur à Cicerone 1. de diuinat. & in Sestiana: & à Varrone lib. 4. s.

nocte intempesta) sunt verba Lucretiæ conquerentis de Tarquinio. His simile illud Ouidii, Nox erat, & tota lumina nulla domo.

deuenit) aduenit. V.

Plautus) Asinaria act. 3. scen 3.

videbimus. Factum volo. redito conticinio) Idem lib. 6. vbi de temporibus & de conticinio legendum ita videtur: Factum volo, redito huc conticinio A. Vertr.

dies est) tunc dies est. A.

solstitium quod sol eo die sistere.) Solstitium quòd solo die sistere. S.

aut quòd sol ad nos versum proximum est.) aut quòd sol aduersum nos, proximè stet. vel ita, aut quòd sol ad versum proximum stet. S. Metaphora à bubus. Versum enim rustici appellant, cùm sulco ad finem perducto ite-

rum reditur eò vnde arationis initium suscipitur. Plinius 18. hinc in porticib. versura Vitruuio: & apud Lacedæmonios, τελώλαξ, certamen virginú, in quo tres versus percutiédi.

COLVMNA 32.

Æquinoctium) quod & Æquidiale: Græcis ἰσημέριον.

circites anni) circi anni. M. deest id Scaligero. Certè Festo circites circuli magni sensus est, Circulos paruulos anulos: magnos, annos appellari. (culus. A.

vnde annus) Imò ab ἔνος quod Græcis cir-

Huius tẽporis pars hyẽps) pars prima hyés.

ver, quod tum virere) quod tum viuere. A.

Autũnus) desunt multa. & quidé ipsũ Etymon Autũni, supplédũ è Festo, cui Autũnus dicitur, quod tunc maximè augeãt homines opes, coactis agrorũ fructib. Ideo Græcis τελεσφόρος ὥρα & Latinis Autumnitas, fructus.

ab sole hic menses, à luna motu) hoc innuit, Quatuor anni tempora à sole: ménses à Luna nominari, à Luna, inquam, quæ Græcis μήνη. vnde menses.

à mensibus intermestris dictus) sic Cato de re rustica, c.37. Antea legebatur intermensis. Vtrunq. tolerabile. significat autẽ intermenstruũ, spatiũ quo Luna silet & in coitu est, de quo videndus. Var. 1. de re rustica: & Ammianus. Hinc Plinio Luna intermenstrua: Iulio Firmico Synodica: aliis interlunium, quod Glossis ἀπόκρυσις σελήνης. legendum ἀπόκρυψις.

mensis senescentis) id est desinentis.

ἕνη καὶ νέα) alij μηνηκοῖαι. Menses Atheniẽsium primò xxix. dierum. Trigesimus additus à Solone, qué τριακάδα, & ἕνην καὶ νέαν, appellauit, teste Laertio, quòd Luna quæ biduo in coitu latet, quasi vetus & noua nondum trigesimo die splenderet.

lustrum tempus quinquennale.) ita Festus, Stat. Papin. Plin. vterq. l.4. §.1. ff. de reb. cred. l.30. §.1. π. de leg.3. l.67. in f. π. de furtis. Alij lustrum esse existimãt annis quatuor exactis quintũ incipienté, qui itidé lustri secuturi sit principium: sic dies qui bisſexto intercalatur quarto anno. Ouid. 2. Fast. lucrũ appellatur.

Vltrò tributa) sic Liu. li.39. alij vltra tributa.

per censores persoluebãtur) sic Neratius Priscus repetere per iudicem Iulianus 4. ad Minucium Natalé in l. vt π. de reb. ædit. per iudicé petere. Vlpianus prohibere per prætoré cauere per iudicé. Callistratus per iudicé reposcere, transferre per iudicem l. vlt. π. de rei vindic. per iudicem auferre l.4 §. quod si is 6. π. de doli mali per iudicem exigere vel petere, l. vlt. § 2. §.3 π ratam rem.

seculum) sæculũ. M. Vtrunq. Glossis dicitur.

αἰῶνα) αἰὼν quasi ἀεὶ ὤν.

Plautus) in Truculento.

est satis) sat est. A.

dies accesserunt) diem accesserunt. MS. id est ad diem venerunt.

Dicam prius qui Deorum caussa) ordinem mẽsium ferias hic percenset, Varr. de quibus consule Ouidiũ & Kalendarium vetus quod superiùs in eũ finem excudendũ curauimus.

dicti ab agone?) id est ferione. sic Oui. 1. Fasto. semper agátne rogat, nec nisi iussus ait. Senec. 2. Suas. eo alludit, Carnifex manũ porrigit, deinde respicit ad patré, & dicit, Agone?

per quos Rex in Regia) Ou. Fast. Rex placare sacrorũ Numina lanigeræ cõiuge debet ouis.

quòd interrogatur à principe ciuitatis) quod interrogat Princeps ciuitatis A. Vertr. Sca. adde Fest. in Agonium. & ex Plutarcho patet interrogari solitũ eum qui fundebat vinũ inter cornua victimarũ. sic apud Maronem ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido Candétis vaccæ media inter cornua fudit.

qui fornacalibus suis non sunt feriati) In sua Curia quisq. Fornacalib. (quæ indictæ feriæ erant) feriabatur & sacra faciebat: sed stulta pars populi, quæ sua Curia esset ignorabat. Itaq. ré diuinã Fornacalib. omissã, Quirinalib. faciebat. Proinde Quirinalia stultorũ feriæ vocãtur apud Ouid. & Fest. in Stultorũ feriæ.

Feralia) Ferialia. MS. T.

Feralia ab inferis & ferendo) Ouid. Hanc quia iusta ferunt. dixere feralia lucem. Inde inferia & arferia aqua Festo, quæ adferebatur ad sepulturam, vt libaretur pro mortuis.

Terminalia) Glossis ὁριστήρια pro ὁριστήρια alio loco ὁροθεσία ἑορτὴ ὁρίου θεοῦ. adde quæ de terminalib. scripsi ad Tit. π. de termino moto.

Duodecimus enim mensis fuit Februarius) anno à Martio scilicet incipiente.

& cum intercalatur inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense.) hæc à Varr. scripta ante annũ à Varrone emendatũ. Nam alternis annis binos, & vicenos ternos intercalabãt dies, menséq. cõficiebãt intercalaré: additis ei quinque dieb. vltimi mensis id est Februarij. His adde quæ de intercalatione dixi ad l. 2 π. de diuersis & temporal. l. cum bissextum 98 π. de verborum significat.

Equiria) sic Ou. alii Equurria à cursu equorũ

Liberalia) Glossis Διονύσια, quippe Liber pater Διόνυσος. v. Ouid. 3. Fast. Var. 1. de re rustica. August. 6. de ciuitate 9.

sedent) id est feriantur. Plaut. Venter meus residet esuriales ferias vsurpatur. & à Cicerone 2. de leg. *cum libis & foculo pro emptore.*

sacrificãtes) locus corruptus Anton & Vert. videtur: nisi quis existimet sua etiã sacrificia emptorib. librorũ sacerdotes Liberi patris vẽdidisse, neq. gratis sacrificasse. fortè nõ à verisimili cõiectura aberit, qui non. pro emptore sacrificãtes, sed pro foribus sacrificãtes legerit.

& foculo) Foculus ignitabulũ seu paruus focus. Eo vtebantur cũ ré diuinã extra tẽpla in loci nõ sacris. aut in quib. ara non erat, faciebant. Cicero pro domo, C. Attius bona Q. Metelli consecrauit, foculo posito in rostris adhibitóque tibicine.

COLVMNA 33.

Forsitan hic dies appellatur potius Agonica.) de die Liberaliorum loquitur. Eóque pertinet quod scribit Massurius Sabinus libro Fastorum 2. apud Macrob.1.Satur.4. Liberaliũ dies, inquit, à Pontificibus Agonium Martiale appellatur. Martiale autem vocat, quod veteribus idem numen Bacchus & Mars. de quo vide Varronem in Menippea ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς. Macrob.1.c.19.

Quinquatrus hic dies, vnus à nominis errore obseruatur.) Hoc innuit, Dies quinquatrium quinque fuisse, cùm dies vnus esse debeat. Quintus scilicet post idus Martias. Cæterum Glossis quinquatria παναθήναια.

proinde vt sint quinque.] vt sunt quartus sic quintus. A.al.perinde vt sint.

eo die] Quinquatrium. Fasti verò X.Kalend.April.& X Kal.Iunii.

in atrio sutorio) ita Festus, in atrio saturio. Alexand.11.Genial.22.in atrio satrii. Vertr.

sacrorum tuba) id est Mineruæ & Volcani: nec enim omnes Tubæ lustrabantur, teste Ouidio. de Tubilustrio adde Festum in Tubilustria.

accersita) arcessita. S.

Pergami prope murum Megalesion, vbi Templum eius Deæ). Pesinunte, vbi Megalesion templum eius deæ: vel ita, Pergami ἀπὸ μητρὸς μεγάλης vbi templum eius deæ. S. Est autem Megalesion templum τῆς μεγάλης θεᾶς.

Fordicidia)quæ Hordicidia Festo & Varroni 2.de re rustica : ex promiscuo vsu τοῦ Digamma,& F.Fastis Horcalia.

Bos forda quæ fert in ventre.) quæ prægnãs Varroni 2.de re rustica,& Fest.Græcis boues fordæ, φορβάδες Glossis fordas ἐγκυμονούσας. Forba θυσία ἐγκύμονος βοός.

Forda)sic Ouidius 4.Fastor.horda Varro 2. de re rustica & Festus. Et ita paulò antè fordicidia pro Hordicidia apud eosdẽ authores.

in curiis complureis.) id est triginta pro numero Curiarum, quæ totidem fuerunt, teste Ouidio.

Palilia.) sic Ouidius 4.Fastorum, quæ & Parilia Ciceroni 2.de diuinat. Athenæo. Fastis Marmoreis & Festo in Popularia & Paribus: sed facilis fuit mutatio τοῦ L.in R. vt in Remuribus & Lemuribus. Cæterum notandum hoc est obiter Paliliorum die Romam conditam.XII.Kal.Maias.

Cerealia) in hac pompa ouum poni solitũ Varro 1.de re rustica 2.

Vinalia.) dies quo Ioui vinum nouum libabatur. vide Festum in Calpar. Macrob.1. Saturn.4. Græci πιθοίγια. Plutarchus sympos. 3. Priora X.Kalend.teste Ouidio (IX.Plinio) Posteriora XIII.Kal Septemb & his posterioribus quæ hic dicuntur à Varrone, magis conueniunt quàm prioribus; quibus nemo tunc vindemiam auspicatur. Porro quod de vino diximus, idem penè in frumento. Nam quod primò præmetebant sacrificii causa, Præmessum Latinis, vel Præmetiũ teste Festo. προλογία Laconibus: quòd verò post messem offerebant Cereri, floriferium.

aliquot locis vindemiæ primùm à sacerdotibus publicè fiebant.) sic Athenis quandiu ferueret mustum, religio erat tangere. Plutarch. sympos 8.

vt iussi Vinum legere] vuas eadem forma à Catone vinum pendens dicitur.

aqua facit.)aquam facit.

facit.]id est sacrificat.

inter cius exta cæsa & porrecta. Exta cocta cædebãtur: deinde proiiciebantur in terram. Iis proiectis res diuina facta videbatur. Quid cæsa & porrecta, vide Festum in Exta & Prosiciæ. Nonium in Protecta Macrob.1.Saturn. 16.in pr.

flamen prorsus vinum legit.) mos enim fuit vt flamen prior auspicii causa vinum legeret.

Robigalia.) alii Rubigalia, ea fiebant viii. Kal.Maii.

secundum Tiberim]id est vltra.

Iunio mense.] Iulio mense. T. vide Ouid.& Macrob.

Popolifugia.) quæ opinor Fugalia & Fugalia appellat Augustinus 2. de Ciuitate 6.

Nona Caprotinæ.]vide Macrob.1.Satur.11.

mulieres sacrificant.)mulieres liberę & ancillæ sacrificant. Vert. vide mox addit Varro, ob hoc togam prætextam datam eis, aliàs ingenuorum mulierum prætexta, promiscua & communis erat.& ex Macrobio 1.c.11.apparet, Ius togæ, ea die ancillis datum, quòd habitu matrumfamiliãs & virginum assumpto hostes fefellissent.

sacrificant.)sacrificantur. Veteres ita habẽt. & antiqui quoque ita locuti, teste Nonio.

ob hoc toga prætexta.)cur toga.V.Vertr.togata prætextata. Turnebus ita legit, existimãs hunc locum referri ad fabulas togatas, quarum species Atellana, Prætextata.& Tabernaria, citátque ad id Horatium, illo loco, vel qui prætextas, vel qui docuere togatas. verùm hîc nihil de prætextatis fabulis.& hic locus ad prætextarum vsum Nonis Caprotinis ancillis permissum referendus.

Apollinaribus ludeis docui populum.)locus est mutilus, vt coniicere licet ex libro 25. & 27.Liuii. Fiebant autem hi ludi ante iii. Nonas Quintil.

cui eo die)xiv.Kal.Septemb.

in portu Tiberino.) in ponte. Æmylio. T. propè portam Colinam. Vertr.

vinalia rustica.) diuersa ab vrbanis quæ Ioui fiebant.ix.Kal. Maii mẽse Veneri sacro.

ante diem xy.)Kal.Sept.ante diem xiv.Kal.

Sept. Anton. Augúst. & Vertr. ex Fastis.

COLVMNA 34.

quòd tum Veneri delicata ædis.]hinc facilè coniici potest cur Menipeam suam Varro inscripserit Vinalia περὶ ἀφροδισιῶν. Vertr. S.

orti eius tutelæ assignati.] Idem Varro confirmat 1. de re rustica in Veneris tutela hortos fuisse. Næuius Coquos edit Neptunum Venerem, Cererem. id est, pisces, olera, pané.

Volcanalia.]X. Kal. Sept.

Opeconsiua.] Opiconsiua. M S. ea fiebant viii. Kal. Sept.

scriptum id dicitur.]tritum id dicitur.

dicitur vt à suffiendo subligaculum.] dicitur à suffiendo, vt subligaculum A. dicitur à subterfiendo. T. dicitur à suffiendo: vt à subligãdo, subligaculum, quidam ita legit: Festus ex eo dictum putat suffibulum quòd fibula cõprehenderetur: sed Varro ad Vestales hoc refert: quæ maximè omnium sacerdotum suffitionibus vtebantur. v. Nonium & Festum in Exfit.

cùm dicant, Nouum vetus vinum bibo· nouo veteri morbo medeor.] ita quoque apud Festũ in Meditrinalia. Alii ita legunt, Nouum vinũ vetus libo: vetus vinum, nouum libo. Nouo veteri vino, morbo medeor. vt hoc dicat Varro, Meditrinalibus mustum vinum nouum libantes & gustantes boni ominis causa vetus dixisse. ita enim Festus. Plinius 28. c. 2. Cur ad primitias pomorum, hæc vetera esse dicimus, alia noua optamus?

veteri nouo morbo medeor.]sic antè vinum & nouum & vetus libari & degustari medicamenti causa. & Plutarch. 14. symposiar. refert nouum vinum bibentes solitos fuisse precari ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τῇ φαρμάκου τὴν χρῆσιν γενέσθαι. S. & medendo Meditrina dea medendi & meditrinalia.

Fontinalia.] ita Festus. vnde porta Fontinalis: alii Fontanalia.

Saturnia]glossis κρόνια.

Armilustrium.] vide Festũ in Armilustriũ.

Opalia.]vide Macrob. 1. Satur. 10.

Angeronalia.]feriæ diuæ Augeroniæ. Macrob. 1. Satur. 10.

ab Augerona] dea, animorum angores depellente, quam ita vocat Festus in Angeronæ. Macrobius 1. Saturnal. 10. Angeroniam Plinius 3. c. 8. eam Angeronam vocat: non malè. Nam eius simulachrum erat obligato & obsignato ore. deáque ἐχεμυθίας existimabatur. Huius Feriæ verô XII. Kal. Ianuar. ei faciebant rem diuinam Pontifices in Volupiæ sacello.

cui sacrificiũ fit in curia Accalia. feriæ Laurentinæ is dies.)cui sacrificium fit eo die: ac cuius feriæ publicè, Laurentinæ is dies, &c. S.

in Curia Accalia.)in Curia Acculeia. T. alii in curia Acuseia.

Laurentalia.) Laurentinalia. Macrob. 1. c. 10. Laurentalia Festus.

Sexto)Festo. Macrob. S.

qui atra dicitur.) qui Acca dicitur. rectè. nec enim atra die licebat sacrificare. & alioquin Accæ meminit Gellius 5. c. 7: Macrob. 1. c. 10. Scaliger ita emendat, quia altera dicitur ob ditem Tarruntium, Acca Tarruntia. quasi diceret Varro, Laurentinæ feriæ ab Acca nutrice Romuli, quę Laurentia cognominata est, non ab ea Accaquæ nupsit Tarrutio nobili & diuiti viro. Eius meminit Augustinus licet à quibusdam Tarrutius: ab aliis Taratius: ab aliis Tarratius nominetur.

& dicunt hunc diem Tarentini, Accas Tarentinas.) & dicunt hunc diem Tarentini M. S Turneb. qui tamen totam hanc sententiam interpungit.

faciunt Diis manibus seruilibus sacerdotes.) faciunt Diis manibus eius sacerdotes Vertr. alii, faciunt Diis manibus eius ibi sacerdotes: vel faciunt diis manibus aruales sacerdotes. rectè. Nam Accæ aem diuinam faciebant aruales sacerdotes.

Septimontium ab his septem montibus.) Velia scilicet, Fagutali, Subutra, Cermalo, Cispio, Oppia.

feriæ non populi sed montanorum modo.) nó populi modò, sed montanorum. vt hoc dicat Varro, Septimontium fuisse ferias non populi, sed montanorum tantum. Et ita est, Septimontii etymon à sacris montanorum esse. mõtanorum, inquam, ad eorum differentiam qui in humilibus locis habitant. Vt ex hoc loco constet, non modò habitam fuisse differentiam apud Romanos montanorum, & eorum qui in humilibus locis (quod & apud Athenienses factum, quorum alii ἐπακρίοι alii πεδιεῖς) sed montanos & paganos (de quibus mox dicetur à Varrone) sua sacra ac collegia in vrbe habuisse. Cicero pro domo. Nullum est in hac vrbe collegium: Nulli pagani aut montani qui de mea dignitate non decernant.

vt paganalibus qui sunt alicuius pagi.) vt Paganalia, quę sunt alicuius pagi. M. S vt paganalia eorũ qui sunt alicuius pagi. ita lego. Paganaliorum meminit Macrob. 1. Satur. 16.

eorum qui sunt alicuius pagi.) Pagi inquã, etiam in vrbe & Paganos hîc opponi montanis constat. porro cùm paulò post dicat Varro de feriis Paganicis, apparet Varronem distinguere Paganalia à Paganicis feriis: priora, ferię priuatæ alicuius pagi: hę omniũ. Et Paganorum quidem Dea Ceres, quæ & Empanda Nonio cap. 1. in Panderæ numero 209.

De statutis dixi.) de statis dixi. M. S. malè. Nam stati dies profesti Macrobio 1. c. 16. statuti, certi solennes ac constituti quorum obserua-

ſeruationes ex Faſtis notabantur: quo ſenſu Cicero ſolenne & ſtatutum ſacrificium dixit. Solennes feriæ, extra ordinem impoſitis feriis opponuntur in l.6.§.4.ff. ex quibus cauſis maiores: & repentinis in l.3. Cod. de dilation.

de annalibus dicam) id eſt anniuerſariis, non tamen ſtatutis, ſed conceptiuis: quæ extra ordinem indicebantur quotannis.

¶*Laribus vt alibi*] laribus viatibus Bongarſ. ex inſcriptione Tranſyl. nauta Idem notat viales penalib. iūgi à Labeone apud Seruium 3 Aeneidos p.275. & 284. Alibi nos plenius

¶*Latinæ feriæ*) v. Liuium & Halicarnaſſ.

ſacrificatur) ſacrificant.

ſementinæ) ſementiuæ, ita MS. & Feſtus.

Paganicæ) quæ diuerſæ à Paganalibus, de quibus paulo antè. etſi Paganalia in conceptiuis numerat Macrob. 1. Satur. 16.

COLVMNA 35.

Nouendialis] Nouendiales. Nouendiale ſacrum, à nouem diebus quibus feriabantur, indicebatur, quoties lapidibus pluerat. adde Feſtum in Nouendiales.

Calētur) calantur. MS. id eſt pronuntiātur.

Curia Calabra) quæ in Capitolio prope Romuli caſā. v. Feſt in Curia. Macr. 1. Saturn. 15.

ſic dicta, Quinque calo &c.) ſic dicto quinquies, Kalo Iuno Nouella vel ſic, Dies te quinque Kalo Iuno Nouella. Septem dies te Kalo Iuno Nouella. Scaliger: eo ſenſu, Quinquies, cùm quintanæ erant futuræ Nonę dicebat: ſepties, cùm ſeptimanæ. Macrobius Saturnal. 15. refert, priſcis temporibus Pontifici minori hanc prouinciam delegatam, vt nouæ lunæ primum obſeruaret aſpectum, viſámque regi ſacrificulo nunciaret. Itaque ſacrificio à rege & minore ſacrificulo celebratis populo calato, id eſt vocato in Curiam Calabram (quæ caſæ Romuli in Palatio proxima erat) quot numero dies à Kalendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabant: & quintanas quidem quinquies dicto verbo ΚΑΛΩ. Septimanas, eodem verbo repetito ſepties.

Iuno Nouella) Iuno Couella. V. non malé à coho (quod eſt cauo & cœleſti) quę eadē ac ... Cæterùm Nouellā an Couellā Iunonē legas, nihil intereſt. Eadem autem erat quæ Luna & Lucina: quam mulieres, vt viri ſuum genium, habebant. In eiuſdem tutela Kalendæ Macrob. 1. c. 9. vnde Kalendariis Iuno. Macrob. 1. cap. 15. Neque hoc prætermittendum quod hoc loco vir doctiſſimus coniicit, poſſe & ita legi, Iana Nouella, quomodo & apud Varronem in libris de re ruſtica.

ferias primas) id eſt celebriores. niſi malis legere ferias priuas.

Tuſci Itus] apud Macrobiū Satur. 15. Itis, vbi alij Idis, eſſe verbum Tuſcum, quod Iouis fiduciam interpretatur, quòd Idus Ioui conſecratæ; vel à videndo, Vidus quòd eo die plena luna videatur: vel ἀπὸ τοῦ εἴδους, quòd eo die plenam ſpeciem Luna demonſtret, vel ab oue Iduli, quam Tuſci omnibus Idibus immolabant, vel ab Iddiuare Iduare, quod Hetruſca lingua ſignificat, videre, vt ſint Idus dies mēſem diuidentes. v. Iſid. 5. c. 33. Accurſium in l. 15. ff de publicanis.

poſtridie Kalendas) vide Afranium Fratriis. Ouid. Plutarch. Macrob. Gell.

dies noui inciperent) nihil noui inciperent. T. vide Gellium.

omnia verba) id eſt Do, dico, addico.

Comitiales) hi contrarij nefaſtis. Plautus Pſeudol. Iſtorum nullus nefaſtus, Comitiales ſunt meri. adde Macrob. 1. c. 16.

Itaque non poteſt agi, neceſſe eſt aliquo eorum vti verbo) ita quia non poteſt lege agi, neceſſe aliquo vti verbo, cùm quid peragitur. Vertr. antea legebatur. Neceſſe eſt enim &c.

Q. Mutius) C. Mutius. MS.

abnegabat) ambigebat. A.

Interciſi) vide Macrob. 1. c. 16.

Quando Rex comitiauit fas) Comitiauit, id eſt, ſacrificauit in Comitio, vel in Comitium venit. Fas, id eſt, Faſtus dies eſt. vide Feſtum in Quando Rex comitiauit fas.

Rex) herus, vulgata: & malé.

fas) fiſſus. Gyrald. libro de anno & menſibus, quaſi hic dies in Faſtis interciſus.

dicat ad Comitium) itat ad Comitium. Hoc enim vult Varro his verbis, Quando Rex comitiauit, fas: Regi ſacrorum in Comitium ire non licuiſſe, propterea quòd neque magiſtratum, neque verba ad populum habere poterat, niſi hoc die qui notatus eſt in Faſtis. Ibat enim in Comitium ſacrificij cauſa, eóque properanter patrato, protinus fuga ſe è Comitio corripiebat, teſte Plutarcho. proinde notas illas Q.R.C.F. quæ leguntur in Faſtis, quidam interpretantur, Quando Rex comitio fugit. Ouidius, Quatuor inde notis locus eſt, quibus ordine lectis, vel mos ſacrorum, vel fuga Regis ineſt.

Quando ſtercus delatum fas) vide Feſtum in Quando ſtercus delatum fas.

pertineat] pertinet.

Iunius Gracchus) Iunius Gracchanus. MS. citatur in lege vnica, de officio Quæſtoris.

cuius nomen ego, antiqueis litereis, quod nuſquam inueni) rectè, nec enim ſub antiquis regibus Veneris nomen nec Latinum, nec Græcum, teſte Macrob. 1. Saturnal 12. & Arnob. 2.

¶ *Nam primus id eſt Martius*)] v. Feſtum in Martius menſis.

quòd ver omnia aperit, Aprilem) quaſi Aperilem. vide Macrob. 1. Satur. 12.

COLVMNA 36.

à die Februato) id eſt à Lupercalibus.

teſtatur antiquum oppidum Palatium) luſtratum antiquum oppidum Palati. S.

gregibus cinctum) de gregibus Lupercorum intelligit, quorum alij Fabiani, alij Quintiliani dicebantur. T. de quibus vide Festum in Fabiani. sed tamen Scaliger ita legit, gregibus humanis cinctum eo sensu: Circa vetus oppidum initio greges pastos fuisse: eo verò in vrbem incluso, cinctum gregibus humanis.

verborum declinantium] verborum declinationem T. Declinationes, deriuationes, inflexiones, à primigeniis seu primitiuis.

adsignificat) id est, consignificat.

discrimina] discriminum.

aliquo) alió. A.

vna. In nullis) vna nullius. Vel vna cum multis, V. vna in nullius. T.

erant) erunt.

prauerbiis] id est præpositionibus.

& decessit, & concessit] & decessit, & discessit, & concessit. Vert.

hæc decem] Re, ad, ab, in, ex, sub, de, dis, con, præ. proinde rectè emendatum superius, recessit, accessit, abscessit, incessit, excessit, successit, decessit, discessit, concessit, præcessit.

discrimina) discriminum.

Democritus] Epicurus. T.

secuti & item alij] secutus, quod, Vettr. secutus T.

postulet] postuletur. S. vt sit Hellenismus: nam & sic dicitur, Exigi pecuniam.

non postulat) non postulatur. S.

COLVMNA 37.

Locus] locutus. V. pro, de iis difficile est loqui.

quorum repertum] quorum in promptu. A. quorũ in partu. V. T. id est, quorũ in origine.

& cùm hoc agitamus] & cùm hoc cogitamus. V. cùm nos agitamus. S.

Coactio) coemptio, vel coitio. V.

¶ *Concilium*) purpura eodem concilio non in vnum modum exiit. ita legendum apud Senecã 1. Natural. l. 3. in f. de subterminis studio, de luminis concilio & mensure temperamento. Tertull. lib. de pallio.

¶ *Quod vt vestimentum*) quod vestimentum apud fullonem cogitur.

apud fullonem cum cogitur, cõsiliari dicitur) Consiliari, pedib. argutari, Titinnio in Fullonib. A Fullonib. saltus Fullonius. Sen. Epist. 15.

cogitur) coacta vestimenta ex pilis, vocamus Feltra.

consiliari] conciliari. V. Conciliare: Fullonium verbum. Græci συμπιλοῦν, πιέζειν, ἐπισοῦν καὶ συμπατῆσαι.

sic alia vt Libentina] sic alia Lubentina. Ita Vetus: ita Nonius, & August. 4. de Ciuitate 8. alij ita, vt Libentia. alij, ac Venus Libentina & Libitina, sic alia, &c. Id autem epitheton Veneris fuit, teste Plutarcho, in Romanis & in Numa. ab ea Libitinarij in eius templo, quæ ad Libitinam & funera pertinebant, vendebant. Glossis Libitinarius, ἐνταφιαστής, qui & alio loco νεκροθάπτης, & vespillo. sicuti νεκροκομιστής, Rogarius, & bustuarius.

COLVMNA 38.

Mamurium Veturium] Mamuriam veterũ. Vel Mamuri veteri. V. Ex hoc loco constat multis in rebus, certa nomina dicis causa vsurpata. vt in Nuptiis Caiæ & Cęciliæ & Talassionis: in Vestali capienda, Amatæ 11. Gell. 12. Nonis Caprotinis, Caij, Marci, Lucij: in censu vel delectu faciendo, Valesij, Saluij, Statorij. & breuiter, in sacrificiis & aliis multis, bonis nominibus aliquos eligebant. sic in Saliari carmine, bonis ominis causa, Luciã Voluminiam, & Mamuriũ Veturiũ nominabant.

Terentius ait.) Iuuentius ait, vel Iuuentinæ ait. V. sed nihil impedit P. Terentium hæc ipsa scripsisse in Comœdia Agnorizomene, de qua Festus. ac præterea, duo Terentii fuere, vnus Afer: alter Terentius Libo.

sic cum) sic enim.

narrum] gnarum. id enim absque g veteres dicebant.

adiiciendu] à tacendo. V. à iacendo M S. à dicendo. T.

pueri dicũtur infantes] vide Æschylũ Choephoris.

fatuus] locus mẽdosus. A. fatuus nec fari. T.

fari) ὡς προφητεύειν.

iidem vaticinari] fatui primò pro vatibus, postea pro vesanis accepti. Sic apud Platonẽ μαντικὴ quasi μανικὴ.

poeteis) pœnateis. A.

fasti dies) vide suprá.

extra vrbem agris effati) vide Priscianum.

effari templa) adfari templa. V. τεμνίζειν Græci, sistere fana, Festo & Tacito.

pollutum) polluctum. vt infrà.

inde Herculi decima data est] Macrobius 3. c. 12. Re bene gesta decimam Herculi profanauit. adde quæ de decimis scripsi ad l. 2. in fin. ff. de decimis.

id dicitur. Pollutũ &c.) id dicitur pollutum A. Plaut. vt decumã partẽ Herculi polluceam.

Pollutũ quod à Porricendo) cur non potius à pollucẽdo? nisi fortè pollucere, à porricere est.

porrecta] proiecta A malè. Hinc Macrobius 1. cap. 6. Inter cæsa & porrecta fari. *Porricere* verbum solenne fuit sacrificantibus, 3. Macrob. 2. Virgil. 5. Æneid. Extáque salsos porriciam in fluctus. Hinc illa, exta porriciunto. Plaut. Pseudol. ait, Scen. 3. In manibus exta teneam, vt porriciam. adde Festum in Porriciam Varronem 1. de re Rustic. 29. Arnob. 2. Nonium cap. 2. in Atrox. 62. & Tullium n. 5. ad Atticum 18.

pollutum) polluctum, vt suprà. Id autẽ verbum solenne sacrificantibus. Cato de re rustica c. 132. Ioui dapem polluceri. Plinius 32. c. 2. Ne squamosi pisces pollucerentur: Festus. Herculi esculenta poculentáque pollucere. Est autem diuersissimũ pollucere à polluere. *vt cùm.*

vt cùm] at cùm Gyrald. 17. histor. Deorum.

profanum dicitur] profanatum dicitur. T.

Prætor vrbanus] Populus Romanus Vertr. malè. nam Prætor vrbanus in eo sacrificio laneam gestabat. 3. Macrob. 12. 5.

iuuencam] vide Halicarnas. Liuium. Virg 8.

falli] à Græco σφάλλω & φάλλω.

COLVMNA 39.

translatione] translatio V. translatitio. Vertr

pes beta] ita etiam loquitur Varro 1. de re rust. eo verbo intelligit propagines betarum.

Famiger, Affabile] famigerabile S. ita quoque Sipontinus legit.

& fatuus & fatuè] fatuus & Fautus. Vertr. Fatuus & Fatua. A. Macrob. 1. Saturnal. 13. vi.

loqui ab loco] Imò potiùs à λόγος, vel λέγω.

quisque] quidque.

in fanis Sabinis] sumptum id videri potest ex aliquo veteri scriptore.

ad aliquam locutum] ad aliquem locum. V.

consulendi] consolandi. V. T. παραμυθεῖσθαι.

concimè, &c.] continuè loqui à continuo V. dixi ad Festum.

à concinnè] à concinno A. à concino T. id est consono à cinnare, S. à cinno Nonius.

respondent] cudant V. cadunt S.

proscenio] in proscenio A.

poeta cogitante] Terentius, cogitare commodè.

ab his rebus] ab queis rebus V. à nouis rebus T. vt nuntium à nouo interpretetur.

Aelius] qui & Stilo & Præconinus vocatus est, Varronis magister.

senes aliquot nimiū nouum verbum] senes alij quod nimium &c. vide 10. Gell. 21.

nouum verbum] eo vsus est M. Cato, Sallustius, Cæsar in oratione pro Roscio Comædo & aliis locis: & vetus interpres Nouellæ, de Lenonibus 14. ἐσχάτας ποινάς vertit, nouissima supplicia, quæ Iulianus interpres vltima. & in Nouella vt defuncti cap. 2. nouissima sententia, pro vltima ac definitiua.

nouius) v. Gloss. Accursij 22. c. 3. in verbo differentia.

quomodo additæ] quom additæ A.

in legibus] XII. Tabularū: dixi ad leges XII. Tabularum, Titulo de pactis.

vbi nuncupatæ pecuniæ sunt scriptæ] id est in quibus legibus fit mentio nuncupatæ pecuniæ: Ne alioquin putes, hîc à Varrone, nuncupatas pecunias appellari, quæ sint scriptæ.

quis est qui meum nomen nuncupat] apud Censorinum, Quis meum nominans nomen exciet.

δικάζω, δείκω.

potest] cupit.

COLVMNA 40.

indicit illum) indicit bellum. V. T. indicit illicium S.

indixit funus] indictiuum funus S. indictiuum illi funus prædicit T. vide Festum in Indictiuum funus.

prodixit diem] prædixit diem. V. malè. Prodicere diem est diem antè denunciare.

dictum in mimo] dictum in mimo, idem quod dicterium.

dicta ducibus] dicta à ducibus MS. dice ibus T. dictum à ducibus παράγγελμα, tessera.

dicis immo] dicitur in imo V. dicūtino MS. dicitur immo. V. dicunt in os T. nisi fortè, dicuntino, sit Imperatiuus, ea forma qua præfamino apud Catonem, progredimino apud Plautum in Pseudolo.

dicis caussa) sic dicis gratia in l. 4. ff. commodat., vbi pleniùs dixi de ea re. hoc adiiciendum, Dicis caussa Sosipatro esse nomen indeclinabile vnius tantùm casus, & quidem genitiui.

si dice quid scienti &c. locus mendosus A. Vertr. sic dico quid scienti, quod &, &c. T. si dico nesc enti quid & quod ignorauit trado, hunc doceo. Id declinatū, vel quòd cùm docemus, dicimus.

ratio putari dicitur] putare ratione Plutarcho in tractatu de Adulatore, ἀντιθεῖναι λόγισμον. sic in lege l. 31. §. 3. ff. de negotiis, putare sumptus: in lege Thais 41 §. Titius 7. ff. de fideicommiss. libert. putata ratio.

disputare] disputat. lego disputatus.

cuiusque generis) vniuscuiusque generis A.

Sermo à serie) vel ab εἴρω vel ab ἔρω.

& in vestimento sartum] Imò sartum deducitur potiùs à sarciendo quàm à serie. Sarcire est integrum facere : vnde sanè sartéque in Augurum libris, id est integré. Festus in Sarte. hinc Sarta, tecta. in l. 7. §. 1 ff de officio proconsulis l. 7. § 2. ff. de vsufructu: l. 7. §. 2. ff. ad l. Iul repetundar. vbi quidam legunt sarcta, non sarta.

sic Augures dicunt, si mihi auctor es verbi) hoc in precatione sua dicebant augures: Iouis pater, si mihi auctor es verbi, populo Romano Quiritium hæc sanè, sartéque esse, vti tu nūc mihi benè sponsis benéque volueris.

Ex iure manu consertū vocare] ex iure, manuconsertum vocare. V. adde quæ scripsi ad leges XII. Tabularum. Titul. de possessionib.

nam adserere manu) locus est interpolatus. alij ita legunt, manum adserere. adde Festum in Adserere. & in Sertorem.

Consortes] vide Festum in sors. l. 14. Cod. de contr. empt.

sors est impendiū quod inter se iungat] quod in sortem, vel quòd sorti se iungat Malaspiria in 6 ad Atticum. 1. sors est quod inter se iūgit. T. In iure, sors, pecunia principalis quibus vsuræ accedunt, & lib. 4 S. in f. sors, quod suum fit sorte. adde l 24. ff. de vsufructu legato: l. pen. §. 1. ff. ad l. Falcid. l. 58. §. cùm autem 6. ff ad Trebell.

legumina] vide Varronem 1. de re rustica.

murmurantia littora] sic venter murmurari dicitur. vide Nonium in Murmurari.

COLVMNA 41.

Quirites à Curensibus] à Curetibus V. Vertr. alij à Curibus.

& ab iis] id est ab iis.

Itaque hos imitatus Aprissius ait in Bacche] imitans Chrysippus in bucco, quis me iubilat? vicinus atus antiquus. V T. Aprissius in Bacche. V. Itaque hoc imitatus aptè Attius in Bacchis. vel, Itaque hoc apertè Attius. S. Bacchas vertit ex Euripide Attius. Est tamen qui Chrysippi nomine personam ex Tragœdia Attici intelligat.

à θριάμβω Græco] θριαμβεύω.

sua voluntate] quidam putant hęc verba superesse: ac proinde hoc loco sponte suapte, id est sua voluntate.

Terentius] in Adelphis: vbi tamen hæc verba paulò aliter referuntur.

qui idem vt faciat] qui id dum facit V. T.

consponsi] fide mutua obligati.

qua pecunia] qua pecunia. Sipontinus & T.

contra sponsum rogata] id est ad mutuam quandam sponsionem. Itaque proximo libro legitur, sponsus contra sponsum rogatus, id est ad spondendum rogatus. adde 4. Gel. 4.

non enim si volebat] non enim si nolebat V.

cùm spondere] conspondere. T. id est simul dicere: sic, respondere post alium dicere.

cùm à sponte responderetur] ad spontem responderent. T. id est ad voluntatem: sponte tamen in ablatiuo vt frequentius inuenias: cum genitiuo etiam nonnunquam. hinc apud Gellium homo suæ spontis.

non spondet ille statim qui dixit spondeo, si iocandi caussa dixit) huc pertinet lex 3. in f. ff. de obligationibus & actionibus.

sequere &c.] sequere sequere Polybadisce: meam spem cupio consequi. Polyb. sequor hercule quidem, nam lubenter mea sperata consequor. adde Nonium in verbis Inter speratam, dictam pactam & sponsam.

Hercule] hercle A.

sperata) ἡ μνηστευθεῖσα pro denupta accipitur apud Plautum in Amphitruone & Afranium. vide Nonium d. loco.

& quod] & non.

dicunt] dicitur. MS. Vertr. alij dicitur.

neque illa speratur &c.] neque ille speratus qui dicitur adolescens: neque illa sperata est: eo sensu, cùm sine sponte dicunt, verè neque ille speratus est, qui dicitur adolescens, neque illa sperata est.

COLVMNA 42.

vas] hinc vadari Liuio 3. vades autem ideò dicti quòd qui eos dederit, vadēdi, id est discedendi habet potestatem. Acro ad illa verba Horatij 1. Satyr. 1. Ille datis vadibus. Glossis, vades ἔγγυοι, ἀνάδοχοι vadatur κατεγγυᾶται, μετὰ παραγγελίας συντάσσεται.

qui pro altero vadimonium promittebat) etiā in causa criminali. Liuius 3. Glossis vadimonium ἐγγύαι ἱκανοδοσία.

vades ne darent) alioquin ordinarium erat fideiussorem à venditore dari. l. vlt. §. vlt. ff. de rescindenda. Primus vades dedit Cæso Quintius teste Liuio. vide Demosthenem κατὰ Τιμοκράτους.

nec sine canendo tibicines dicti] sic suprà lib. 4. Nec vinalia sine vino: nec Curia Calabra sine calatione potest aperiri.

¶*Buccinator à vocis similitudine & cantu dictus*] quasi vociua ea pagani agrestesque ad omnem vsum ad cōpita vocabantur 18. Isi. 24.

alterum cum præpositione] cum R positione. Vertr. vt id dicat, osmen & osnamen (quod postea ornamentū dictū est. S. in R mutato) non idem esse. aliàs in osmen & osnamen nulla præpositio est.

facit fabulam] id est Comædiam: verbi gratia, Andriam, Perinthiam.

& qui aliquid agit nō esse insitionem] sic vocabāt otiosum. A. Augustinus putat locū esse deprauatum. Scaliger ita emendat, Et qui aliquid neget, esse inficientem. rectè, vt Negare, non agere est: ita inficientem esse, nihil facere.

adlucet] adlucere est cereum aut facem ferre. Plaut. Curcul. Luces cereum: in Casina, Lucebis nouæ nuptæ facem.

ab luere & luce dissoluuntur tenebræ] āb ad & lucere. V. abluere M S: alij ablute: alij ab luce. ego ita emendo, Id ab eluere, & luce dissoluuntur tenebræ.

Noctiluca] id est Luna.

Lucere item à luce] Luci item à Luce, quod &c. Lucaria item à luce, quòd propter lucem amissam is cultus institutus. S. vide Festum in Lucaria.

quæ res] id est aliqua res.

conquæstor] quæstor.

Actiaticum illud] Atticum MS. Arcticū. V. Actiacum. T. vitium illi obtulit, violauit: quod incidit in inuidendum, vel quod inuidit in videndum. S.

obliuio lauet] obuiolauit. V.

COLVMNA 43.

cum muliere fuisse] sic Cicero de Fato, pro connubere: τὸ συνεῖναι.

Cerno idē valet. Itaque pro video] Cerno pro video, atque idem valet. Vertr.

in membreis] in tenebreis.

Cerno à creo] à κρίνω MS. à cereo. V. quod idem ac creo. Nam & in Saliari carmine Cerusmanus est creator bonus. & Ceres quòd omnia creat, Cerno à κρίνω. S.

descripti] discreti.

& qui id in testamento] & quod in testamēto cernito. T. & quid in testamento. V. & quid in testamento dicit vel iubet. Vertranius. ita le-

ita lego, & cernito in testamento, &c. dixi ad Vlpianum, & libro superiore.

in creatione] in cretione. vide Vlpianum c. 22. cap. 28.

adhibere iubent] adhiberi debent, Vertr.

ab eodem] Ennio.

vitam cernere] multa cernere. V. malé. Nam ter sub armis vitam cernere dixit, ex Euripide. & alibi, vitam cernamus vtrique, id est, de vita decernamus.

vos epulo] Nos epulo. V. apud Festum ita legitur, Quos vbi Rex paulò specit de montibus celsis. vbi dixi de huius loci lectione.

qui habeant spectionem] vide Festum: Ciceronem Philipp.

quo oculos inungimus &c.] oculo iniungimus. V. ita lego, quod oculo iniungimus: quo spicimus, specillum.

poetæ] Ennij, scilicet. videtur autem hic locus sumptus ex Ennio: citatur autem à Cicerone.

aut ausculto] & ausculto, alij, haud ausculto sic audire & auscultare opponuntur apud Cæcilium & Pacuuium.

Repotatio] Repotia. A.

antiquum non vt nunc φρέαρ] antiquum πότηρ non vt nunc φρέαρ dictum. S.

mantellium] mantellum. V. mãtelum, Plauto.

manuterium] manutergium. A. χειρόμακτρον, χειρομάκτρον, μανδύλιον.

nuntium erit] nuntiatum erit: nuntiamus in lætis: obnuntiamus in malis.

Quod bonum &c.] huius formulæ, meminit Cicero, & 2. de diuinatione, & Liuius.

COLVMNA 44.

de mœris] ἀρχαϊκῶς pro muris.

voca inlicium hoc ad me] antiquum, pro huc ad me. vide Festum.

murrha, vnguentisque vnguũtur] distinguit inter murrham & vnguenta. murrha suo constat succo: vnguenta composita sunt.

Post autem] postante. V. potestate. T. prior lectio non mala: nam & ita Latini, Inante dicunt.

conuentionem] pro concione id vsurpatur. vt Vertranio necesse non fuerit mutare in concionem. Glossæ, Conuentio, συνέλευσις. σύνοδος.

C. Calpurni] C. Calpurnio.

Iudices] id est, Consules. sic Consulere pro iudicare. Qui rectè consulat, Consul fuat. vide Festum.

Hic accenso, illic præconi] Hic accenso, ille præconi.

Idem vt præco] item & præco. A.

Bœotia] An hæc comœdia sit Plauti, vide Varronem apud Gellium 3. c. 3.

alij esse dicunt] M. Attij. A. Aquilij Vertr. 3. Gell. 3. M. Accij Plauti. M. S. Ælij S.

circum aras] circum aures. M. S. circum aureas, vel circum mœros, vt & suprà & infrà: nisi aras pro mœris intelligas.

inquisitionis] anquisitionis.

accusaui] anquisiuit.

mittas auspicium] id est qui nuntiet secundum auspicium.

commeatum Prætores vocet ad te] Cùm eat præco, reum vocet ad te.

cornicine] cornicem. V.

ad priuati ianuam] Huius moris facit mentionem Plutarchus in Gracchis. Tacitus 2. Annal.

Argentarij tabernas] quæ in foro.

ex ara] exire.

concionem aduoces] concionem auoces.

quod adtingat] id est, quod incipiat.

Censoribus) antea legebatur cessoribus. vt coss. pro consulibus.

Classicus canat] Classicum canat. A. malé. nam classicum, Tubaris qui tuba vtitur, classicus. Classicum autem à classibus populi dicebatur, quæ in comitia centuriata conueniebant.

hostium] ostium.

ex heis quæ interea) ex iisque interea.

COLVMNA 45.

quod censor] locus mendosus. A.

id quod propter &c.] id quod per. &c.

Inlicio & Inlicius] Inlicis. V. Inlicium & Inlicio quod. S.

in choro Proserpinæ] erat in Laodamia Liuij Andronici. vbi Laodamia Proserpinam exorat, vt sibi frui liceat complexibus viri mortui.

pellexit] pellicuit.

quod Augur Consuli adest] vide Varronem 3. de re rustica.

ac præit] Præire. ὑποτιθέναι.

dicis caussa,) de eo dictum est superius.

COLVMNA 46.

M. Iunij] Gracchani.

Inlicium] Inlecium.

illintè illexit] Illigit, illecítque. T. illicit & illexit. Vertr.

quæ cum E] quia I. cum E. A. Vertr.

Errare ἔρρύειν] Errare ἔῤῥειν.

δομᾶν] δεσμεῖν.

ξύγκος] ἰκάνη.

NOTÆ IN LIBRVM VI.

VARRONIS.

Priore libro) id eſt, prioribus libris, quarto & quinto.

inde ſi poſt aliqua dempta ſint) inde ſi pôſt aliquæ demptæ ſint. Vertr. S.

obſcurior fit volũtas, in poſteriores non reprehẽdenda. Igitur] Obſcura fit voluntas impoſitoris. Non reprehendendi igitur illi &c. A. T.

facilius) vt facilius.

operam Myrmecidis] Myrmecides (vt & Callicrates Lacedæmonius) quadrigas fecit quas muſca tegeret : & in ſeſamo diſtichon elegiacon litteris aureis ſcripſit. ſed & nauem quam apiculá pennis abſconderet. Ælian. lib. 1. Plinius lib. 7.

verba omnia] non omnia verba. Vert. nihil mutandum cenſeo, vt mox dicam.

ab eo quod &c.] locus mendoſus videtur Antonio Auguſtino. Senſus eſt quidem obſcurus, at non deſperatus. ita poteſt reſtitui, ab eo quòd non ea ſunt in locubratione liberali proſecuti. Id vult Varro. Non multa eſſe verba in ſoluta oratione & poeſi, de quorum etymo non conſtet. ab eo quod, id eſt, propterea quòd viri litterati qui de Etymologia ſcripſerunt, paucorum vocabulorum originem reddiderunt, ídque probatum iri oſtendit ex C Ælij lectione.

licet multum legerent] licet multum legerim. A. licet multum legeris Vetran. non malè. vt reſpondeat ſequenti, videbis.

in primo) in primis. V.

exili littera expeditam]. i. leuiter explicatã.

cùm non modò Epimenides poſt annos quinquaginta expeditus] pro expeditus Turnebus legit experrectus, pro Epimenides Epimenidis. alij ita, Epimenidis opus poſt annos quinquaginta expeditum. Scaliger. verò Epimenidis corpus poſt annos quinquaginta expergitum. Hæc ille. Expergitum verò antiquè pro experrectũm, Feſto.

poſt annos quinquaginta] ita Plutarchus & Laërtius.

Teucer Liuij) id eſt, Tragœdia Liuij Andronici. Teucrum etiam Paccuuius compoſuit, teſte Cicerone, 1. de Oratore.

duodecim] decem.

Pompilij) ab eo inſtituti S alij, ab queis ſaliare carmen.

fons in carminibus ſaliorum) foris in carminibus ſaliorum. V. S.

COLVMNA 47.

multo propius nobis fanto] hæc non expungenda, vt cenſet Auguſtinus, cùm id Plautino more dixerit.

prima verba poetica] id eſt Carmen Saliorum, qui primi poetæ apud Romanos.

vt quia quare] vt quærere à qua re ſit. T.

ad medendum medicina] à medendo medicina. A.

non poſſem) non poſſim.

equites ab equite: equitem ab equo] equites ab equito: equito ab equo. V.

vnus erit &c.) verſus ex Annalibus Ennij paulò immutatus ab Ouidio in Metamorphoſi, & 2. Faſtorum. Sunt autem verba Martis ad Iouem de Romulo in numerum deorum referendo.

Hecuba] Ennij fabula.

ô magna templa cæli, tum commiſta ſtellis ſplendidis) ô magna templa cælitum commiſta ſtellis ſplendidis. S.

in Periboea] Paccuuij.

ſcrupea ſaxa &c.] Ardua per loca agreſti Nititur, ac trepidante gradu, ſaxáque ſcrupea Bacchi, altáque templa propè aggreditur. S.

ex Andromacha) Ennij. Vt conijci poteſt ex Cicerone: quanquam apud Ciceronem citatur aliter hic verſus. v. Tullium Tuſculana ſ.

quàm quia initiũ erat oculi] quaqua intuerant oculi M S. quaqua intuemur oculis.

in hemiſphario] in Hemiſphærium T. Eſt autem locus vbi æther conſpicitur.

vbi terra cœrulo ſeptum ſtat] vbi concha cærulo, M. S. vbi concha cæruli T. vbi æthera cærula ſeptum ſtat. V. S. poteſt ita legi, vbi terra cærulo ſepto ſtat. Cærulum autem ſeptum, mare : ſtare, vel pro contineri, vel pro replere.

in arce itemq] in arce ita. M S. in arce autè. S.

Teſtáque meta ſunto &c.] Locus mendoſus videtur Antonio Auguſtino. Veteres excuſ. ita habent, Teſtáq; me ita ſunto, quoad ego eas te linguã. alij, Teſcáq; me ita ſunto. Scal. ita emendat in Coniectaneis, Teſca dumecta ſunto, quoad ego caſtè lingua nuncupauero, quo loco Teſca dumecta interpretatur deſerta dumecta. In Appendice verò ita, Templa Teſcáque incita ſunto, quoad ego caſtè lingua nuncupauero vbi, incita, idem quod immota. hinc calculi inciti Iſidoro 18. cap. 7[illegible]. & Ciere calces, Plauto [illegible].

olla vel arbor) olla ter. V. vlla ber. M. S. olla vera arbor. T. alij olla fera: alij olla vber. S. ad hunc modum reſtituit. Olla veter arbor quiſquis eſt, quam me ſentio dixiſſe, Templũ tectũmque eſto in ſiniſterum: olla veter arbor quiſquis eſt, quidquid eſt ſentio dixiſſe Templũ, tectũmq; eſto in dexterũ: intra ea, &c. S.

quoad ego relinquã nuncupauerò) quod ego eas te linguam. V. quoad ego caſtè lingua nuncupauero. S.

quam

quam me) quod me: sic infrá.

interea) intra ea. V. S. tesca spatia & effata.

concretione) concrecione. V. conregione T. conrecione. S. quod idem est quod conregione, sic veteres subicitare, Inicere, pro subigitare & inicere. Conregione autem est è regione, vti Festus notat. Turnebus contrà, corregionem definit, regionem intra fines comprehensam. moris enim fuit in dedicandis templis & fanis, etiam fines ipsos concipi.

sensi] sensit.

Ennius in Medea] hîc præponendus est hic versus, Astu atque Athenas antiquum opulentum, oppidum.

COLVMNA 48.

quod addit templa] quod ad id templum.

Curia Hostilia templum est, & sanctum non est] adde 14. Gell. 7.

Tesca) vide Festum.

Lemnia quis tu es &c.) Quis tu es mortalis qui in diserta Lemnia & Tesca te apportas loca? S.

Lemnia præstolare) Præsto littera rara. vel Lemnia Peræ esto litor arat M S. Qui Lemni aspera tesca tuere & celsa Cabirum delubra tenes, mysteriáque &c. sunt autem versus Anapæstici, ex Philoctete Attij.

et cel'a] excelsæ.

Cabirum) Cabirorum mysteria erant in Lemno & in Samothrace, de quibus vide Strabonem.

deinde Volcania) & Volcania.

ab limine) ab lumine.

Et Nauius &c.] Ætnea vi spirante vapor feruidus. S.

vides, vnde ignes cluet mortalibus diueis] vidđemus, vnde ignis lucet mortalibus clam diuisus. Faernus ita hunc locum emendauit ex Cicerone 2. Tusculana. ab eo sunt, A. Augustinus, Vertranius, Turnebus. Scaliger hos Anapæsticos contrà. ita restituit: vnde ignes mortalibus Diuisse cluet doctu Promethæus clepsisse dolo, pœnásque Ioui fato expendisse supremo.

cluet] clauet. M S. claret T.

diueis] diuus M S. diuisse S.

ideo quòd sancta) ideóque sancta T.

ibi] id est in Lemno.

illud] ex Medo Pacuuij.

Quis pater) versus Ennij.

Bellum tueor &, tueri villam) velle tueri villam. V.

Aedituumm] ita Varro 2. de re rustica: adde Gellium 12. c. 10.

Tu domi] Tueri. V.

quod opus fiat) quid opus fiet. V. quid opus fuat A. quod opus fuat. V. quod opus est, vt fiat. ita apud Plautum Menæchm. actu 2. scen. 3.

etiam inde idem, illud enim extemplò] etiam indidem illud Ennij, extemplo, acceptum me necato & filium. S.

Extemplo] verbum sacrorum: vt Ilicet iudiciorum. hoc, dimisso senatu: illud patrato sacrificio à prætore pronuntiabatur.

Peruade polum) Anapæstici.

continueis secepit spoliis) se cæpit. M S. si vel sic cæpit spoliis T. continuus sex apti: Scaliger ita hos Anapæstos restituit: vt hoc quidem loco τὸ S. significet signis.

circum septum) contra septum V. conseptum S.

insidunt] ἐςηρίκται.

signum candens) signum cadens. V.

In rectore] ita Vertranius: in pectore. V. in Eurysace T. Est autem in hunc modum locus hîc restituendus. super oceani stagna alta patris, terrarum anfracta reuisam.

ab eo leges] XII. Tabularum. v. l. 8. ff. de serui. rustic.

In directo pedum octo: in amfracto sexdecim) Idem habetur in l. 8. ff. de seruit. rusticorum prædiorum, nisi quòd pro in directo, in porrectum ibi legitur.

octo) d. l. 8. & l. 23.

in amfracto] in anfractum, id est vbi flextũ. d. l. 8.

sexdecim) imo XXIIII. Nam ambitus tres dimetientes suas & septimam complectitur. ac proinde Scaliger in Appendice putat hîc non agi de toto ambitu, sed de dimidio, ídque angulorum cuiusuis viæ rationem exposcere.

Triuia] τριοδῖτις. 1. Macrob. 9.

quod in Triuio ponitur] cum corona quernea & draconum voluminibus. vide Sophoclem ῥιζοτόμοις. Estque querna corona, deorũ inferorum, ad quem etiam modum Parcæ coronantur.

COLVMNA 49.

Titanis) quæ & τιτηνὶς Apollonio 4.

Manilius) Manlius.

Latona parit &c.) Latona pariit casto complexu Iouis Deli gemellos creta Titano deos. ita restituendi hi versus.

obtines) obsides. Cicero 2. de diuinat. apud quem pleniores hi versus.

quòd is medius sit locus terrarum] Creditum ab antiquis, Delphos in eundem locum conuenisse duos coruos. vide Strabonem libro 9. (duos olores fuisse Plutarchus scribit duas aquilas, Pindari interpres) missos à Ioue, hunc ab ortu, illum ab occasu. Inde (referente Pausania) posteri rati sunt illum locum medium terrarum esse, in cuius rei memoriam inibi in lapide extructum monumẽtum cum hac inscriptione ὀμφαλόν. Eo pertinet Ouidianum illud 10. Metamorphos. Et orbe

In medio caruerunt præside Delphi. & author obscœni carminis. Delphos Pithius, orbis vmbilicum vocat.

Neque hic locus terrarum est medius] Idem refert Plutarchus libro De defectu oraculorum.

Neque noster vmbilicus, hominis est medius) Andreas Vesalius aduersus receptam veterum authoritatem (id enim ita sentit Vitruuius 3.c.1. Galenus libro XV. de vsu partium: & libro XI. de placitis Hippocratis & Platonis) libro sexto, de hominis fabrica tradit, non in vmbilico, sed in pubis ossium coalitu corporis humani exquisitum mediū esse. quod & Pythagoras existimat, vt mox dicetur.

" *Itaque pingitur qui vocatur ἰχθὸν à Pithagora*) Itaque pingitur ἠχθών Terra Pythagorę. M S. ἠχθὼν Πυθαγόρα, id est Terra Pythagoræ. vt Pythagora sit genitiuus Doricus. sed planè sensus perturbatus est. ita lego, Ita pingitur (quæ vocatur ἠχθὼν à Pythagora, vtque media cœli) linea ducta infra vmbilicum, parte qua discernitur homo, an fœmina sit: vbi ortus humanus similis vt in mundo. quasi diceret Varro, Media pars hominis non in vmbilico eius, sed in pubis parte. ea enim discernitur homo, mas an fœmina sit. ' Eandem partem Pythagoras obscurè (quemadmodum multa alia) videtur appellasse terram) ad differentiam fortè alterius partis quā cælestem aut cælum nominabat] terram, inquam, mediam cæli: nec enim duo illa verba, ac terræ, hîc quidquam conferunt, sed potiùs à quodam prauo ac distorto interprete, è glossa in contextum coniecta.

per id quod discernitur homo, mas an fœmina sit) hac enim parte sexus æstimatur l. quæritur 10. ff. de statu.

vbi) sibi.

terra mundi media) mirum id tribui Pythagoræ à Varrone, cùm id apertè neget Pythagoras apud Plutarchum in Numa.

sed quod vocant Delphis in æde &c.) sed quod vocant Delphis μεσομφαλίαν in æde.

adlatum est quiddam vt thesauri speciē &c.) allatus, vel allatum. V. ad latus foraminis est quiddam vt thesauri specie, quod Græci ὄμφαλον dixerunt. Vertr. Scaliger ita legit, foramen allatum est quoddam thesauri specie: vel, thesauri specie allatum (Straboni 10. est τεταινιωμένον, à fasciis, in modū alarum vtrinque pensile. adde Strabonem lib. 9.) Idē apud Festum in Fauissæ ita legit, foramen ad latus est quoddā thesauri specie &c. id est ad modum illarum fauissarum, quas Græci θησαύρους vocant. vide Plutarchum in Philopoem. & Liuium 39.

vt thesauri speciem) vt thesauri specie Vertr. vt tensauri specie S. quasi diceret, est foramen Delphis simile tensorio foramini, eo sensu: Foramē illud tęniis vtrinque vinctū est, quēadmodum & tensorij vmbilici, in quos inseruntur funes illi, quibus vtrinque ad latus vinciuntur equi funales. sed præstat his verbis intelligi foramen quoddam allatum fuisse Delphis, vt ibi esset thesaurus.

vmbilicum) hanc vocem dispungendam existimat Scaliger.

altrix terra) βωθιάνειρα, κουροτρόφος.

Ennius) in Eumenidibus, quas ipse vertit ex Æschylo.

Areopagitæ quid dedere aliud quàm pedam) quàm peram V. quàm pudam T. id est quàm pudet. Scaliger ita, Areopagiticam ea de re vocant petram.

Musæ quæ pedibus magnum pulsatis olympū) vnicuique Musæ veteres sedes in cœlo adsignabant. qua de re vide Macrob. 2. in somnium 3. atque ita è cœlo Musam inuocat Horatius: Descende cœlo.

pulsatis olympum) citatur à Seruio.

quasi Hellespontum & claustra) Qua Pontus Helles T. ad Hellesponti claustra, quod Xerxes S.

concludit) conlidit, malé. Nā Æschylus dixerat κλεῖσαι βόσπορον. Herodotus ζεῦξαι.

loqui in Aegeo freto] alicui in Ægeo freto, V. allicui in Ægeo freto. S. id est allexi.

ab insulis) id est scopulis: alij legunt ab hinnulis.

Paccuuius) in Duloreste.

Aeges) dispungenda hæc vox est.

dicitur] dixit. V.

Ennius] Næuius.

Cōferre aut ratem æratam qui perit, & quidum mare] conferre queant T. conferta rate, inæratáque peritè, Qui dium mare &c. S. vt conferta, hoc loco sit, numerosa: Inærata, χαλκέμβολος: diū mare. id quod Græci, εἰς ἅλα δῖαν. alias, conferre ratem, est eam agere. sed quid? Idem ipse in Appendice hunc locum ita legit, vt conferre queant, rate, mo eratáque peritè, per liquidum mare. vt Varro hoc loco videatur referre, quo primùm classem fabricare, & in ea se exercere cœperunt Romani. de quo vide Polyb. 1.

videntur. Ratis enim &c.) videntur, rarescunt, & hoc ratis. Stiatum illud, vbi plures mali aut asseres ac restes ab lato. S. vt ratis ab rarescendo dicatur. aliàs nullum hîc Etymon ratis adfertur.

dextra & sinistra] dextra sinistra S.

COLVMNA 50.

aut asseres. agrestis ab agro*) aut asseres ac restes ab lato, S.

Insulas

Infulas]ab Infilare dictæ infulæ. Infilare autem est amicire.

cùm ad sepulchrū]velari.n. solita sepulchra.

sed velatas)cùm velatas. T. locus mendosus videtur Antonio Augustino. velatas frondentes comas. S.

Cornuatam vmbram iaci] Cornua taurum. T. Cornuat aurum, vmbram iacit. icere paret. Cornuata à cornib. S. Cornuare est inflectere: paret, idem quod apparet, vt ex formulis iurisconsultorum constare potest, si paret eū dare oportere l. 5. ff. de rei vindi. l. 11. §. proscribere π. de instit. l. 47. §. sed si π. de legat. 1. l. 7. ff. secundum tab. l. 7. §. illud sciendum π. ex quib. causas in possess. l. 179. π. de verb. signif. l. 34. π. de regulis iuris, vmbram etiam iacere. Plinius dixit lib. 2. nisi legas vibrans iacit. vel, vibrat, iacit.

curuamus]curuantur. A.

Cosauli, dolosi)osculo, dolori. V. orculo, dolosi. T. Coesuli. S. id est cæruli vel Cosaulæ.

omnia verò adpatula coemisse]Locus hic corruptus Antonio Augustino videtur. omnia ad patula, est in veteri. Scaliger ita emendat, Ennio verò ac Pacuuio misesia incusia, &c. In Appendice verò ita, omnia dapatilia coemissetani Cusiones, Duonus, Ceruses, Diuius, Ianúsque venit. Putat autem duos esse versus Saturnios, in queis τὸ Coemisse, vel Comisse, Comedisse: Duonus Ceruses, bonus creator Cusiones, Curiones. Quin, in coniectaneis scribit, errores qui hîc sunt, vel eruditissimos, deterrere à tanto negotio adgrediendo, hoc est ab emendatione huius loci. Ego verò tentabo vt potero hunc iocum restituere, verbis Varronis paulò altius repetitis, ad pleniorem intellectum. Ad hunc itaq; modum, restituo, vt in multis verbis antiquis dicebant. S. postea dicunt R. vt in carmine Saliorū sunt hęc, Cosauli, Dolosi, Eso, osnamenta, arbosem, quæsere. Item Cusiatii Muses, Ruse, itemque lases, fesiæ &c. pro Corauli, dolori, ero, ornamenta, arborem, quærere, Curiatij, mures, rure, lares, feriæ. Rem ita esse deprehendet lector exacta collatione, Festi, Varronis, ac veterum adhibita.

coemisse]conuenisse. V.

Iam Cusiatij] incusia vel Iani Cusiones. S. Iani Cusianes. M S. T.

muses Ruse] mesidie onese vel Duonus Cerusus. S.

Ruse dúmque] rudesúmque. S.

dumque Ianus venet post]Venese quod Venere post. vel Diuius Ianúsque venet. S. Turnebus, sunt Curiones qui iam venerant ad omina Diuius & Ianus.

dium exta cante]Diuum, id est Ianum.

cante]id est cantate. sic apud Festum Canta pro Cantato: vbi tamē emendo Cantæ pro Cantate.

supplicè Cantè]id est suppliciter.

Nauibus) idem Varro 4. de lingua.

Nauti consulatu) *T. Sicini Volsii*) vide Dionysium libro 8.

Sepulti in crepidine) hic locus indicio est hîc agi de iis qui intra vrbem sepulti vel combusti, contrà quàm leges XII. Tab. permitterent: qua de re vide Ciceronem 2. de legib. Plutarchum in Problemat.

Nouæ curiæ) *vt in iis ea sacra curarẽt, quæ cũ ex veteribus in nouas euocarẽtur*) dicam plenius ad l. 9. §. 2. ff. de rer. diuis.

COLVMNA 134.

Nixi di.) *mensæ*) mensæ tripedi. M. S. nullo sensu.

Ningulus) *atque in te*) atque vt te.

Niger lapis) *& Quintilium*) ab eo Luperci Quintiliani. vide infrà Quintiliani.

COLVMNA 135.

Nuces mitti) Mos hic spargendarum nucum habetur in veteri inscriptione quæ extat apud Vrsinum.

Nouendiales feriæ lapidibus pluisset) vide Liuium 1. & 33.

Nonarum) V. S. Agellij 17.

oculissimum) *oculatum Argum*) Græci πανόπτην.

COLVMNA 136.

October equus) vide Plutarchũ in Problemat. & Asconius pro Milone.

COLVMNA 137.

Occupatitius ager) de agris occupatitiis, vide scriptores de limitibus agrorum.

COLVMNA 138.

Ortygia nunc) non. Ant. August. malè.

orbius cliuus) Vrbius MS. vrbicus Liu. 1.

COLVMNA 139.

¶ *Est cum ait*] lege, Perimere est cum ait.

Ordinarium) *est cùm ait*) pertinẽt hæc verba ad explicationem verbi Peremere.

Persicus) alij persibus. vide Varr. 6. de lingua Lat. vide in Sibus.

Perpetrat) *imperia qui detinuit patris*) nec pretio quit. Et in Nyptris.

Puteum) vide Varronem 4. de ling. Lat.

COLVMNA 140.

Putitium) Potitium.

Pegasum equum) vide infrà Pegasides.

Porca præcidanea) *præcidariũ*) ea præcidaria Mario Victorino. differt autẽ à præsentanea.

Placẽta) *ex tribus pultibus factum*) id est farre oleo & melle, teste Seruio. 7. Æneid.

Porriciam) *quod est profanatum*) vide Varronem de lingua Lat.

COLVMNA 141.

Postliminium) *in opinione*) in ditione, ita videtur legendum. Nã & in fragm. legis Seruiliæ, sic est, quive in arbitratu, dictione, potestate, amicitia.

Propter viam) vide Plaut. in Rudente.

COLVMNA 142.

Punicum) dicitur etiam vestis nomen. vt apud Horatium in Epodis, &c. ode 9.

Profusus) vide in Occisitantur.

COLVMNA 143.

Plebi ædiles] plebei ædiles v.l.2.ff. de orig. iur. Dionyſ. Halicarnaſ. lib.6.

plorare) Sinurus ſacra &c.) ita legendum, Si Parentem puer verberit, aſt ole ploraſit, puer diuis parentum ſacer eſto.

eſto] eſtod: ita veteres teſte Quintiliano.

Penem canis puris] ſic Gloſſ. cæna pura ἀπαρτιλὴ, προσάββατον. vide Auguſtinum in Ioannem.

Poſſeſſio] *ad interdictum venit*) id eſt ad ius, ad Prætorem, teſte Petronio arbitr.

COLVMNA 144.

Papiria tribus] vide Liuium lib.9.

COLVMNA 145.

Parare inter ſe munus] pro quo Liuius Sepius dixit, Comparare lib.30.& 32.& 37. vide Salluſt. in Iugurth. Cicer. 1. ad Attic.

Pereginos inter prator) vide l.2.§. poſt aliquot.ff. de orig. iur.

Polimenta) ita Plaut. in Menæch. polimina Arnob. lib.7.

COLVMNA 146.

Potitium) *decima bouum*) ſic antiqui in foro bouario. De decima quod ait, vide Plutarchum in Problem. vide Varronem 5. de lingua, Tertullianum Apolog. c.14. dixi ad l.2.§. 2.ff. de pollicitation.

COLVMNA 147.

Prætexta bulla) vide Verrium apud Macrob. lib.1. cap.7.

Porcas) vide Varronem 1. de re ruſtica cap.29.

COLVMNA 149.

Poſſeſſiones] *collidebat*) colebat. Ant. Aug. legendum, poſſidebat, ex libro 15. capite 13. Iſidori.

Poteſtur) v. Nonium 10.34.

Poteratur] *in ea quæ vocis eſt cum*) in ea quę eſt, cum.

Punici] *non Pœnici*) imò ita in columna roſtrata, claſſes Pœnicas : & in frag. bellum Pœnicum.

COLVMNA 150.

Pellicolationem à pelliciendo] ſeu perliciendo, vt Vel Longus in libro de orthographia monet.

Paſcales oues) quibus opponit Pelitas Tarentinas. vide Columellam lib.7.c.4. v. in Solox lana.

Pronuba] vide Tertullianum in exhortat. ad caſtitat.

COLVMNA 151.

Pilentis] vide ſ. Matronis.

Pullus] antiqui autem puerum quem quis amabat pullum eius dicebat : idem Placidus in Gloſſis. Arnob. lib.4.

Puls) vide infrà in Tripudium.

COLVMNA 152.

Pullarium) hoc verbo vtitur Liu. lib.10. Valerius lib.1.c.4.

Publici augures) vide in Publicus ager. vide in Quinque genera ſignorum, Ciceronem 2. de Legibus.

templo cœli regionibus, deſignato] Templum dicitur hîc, locus manu deſignatus in aere poſt quem factum, illico captatur augurium, teſte Seruio 1.& 6 Æneid.

lituo qui quirinal appellatur] vide Seruium Ecclog.9.

Picus rex] vide Lactant. lib.1.

Pollubrum] vide Nonium.

Publica pondera oetier] alii oitier, alii vtier.

COLVMNA 153.

petuum M. Cato] in oratione pro Rhodienſib. quæ extat apud Gell. lib.4 cap.7.

Procum] *in iudice conlocando*) id eſt adeundo vel eligendo.

prærogatiuæ centuriæ] Sic Auſonios in gratiarum action. prima.

Præciamitatores] *abſtineant ſe opere*) ab opere ſe abſtineant.

COLVMNA 154.

Procincta claſſis] vide ſuprà Endo procinctu.

Proſimurium extra Auentinum, nunc etiã intro ædificia) mons Auentinus olim extra Pomerium, deinde à Claudio intra Pomeriũ receptus, de quo Tacitus libro ſecundo. adde Varr. lib.4. de lingua Latina, Liuium lib.1. Vopiſcum in Aureliano.

COLVMNA 155.

Penus ſegetibus ſæpius] tegetibus ſeptus. hãc lectionem confirmat Ouidius 4. Faſt. loquens de æde Veſtæ, de qua hic illo verſu, Et paries lento vimine textus erat.

COLVMNA 156.

Purimenſtrio] purimenſtruo : Sudæ μυστωακοί.

Pollucere merces piſces) vide Plinium libr.31. c.1. vbi de piſcibus pollucendis. De pollucendis mercibus, vide Varronem lib.5. de lingua Latina, Tertullianum Apologetic.c.39.

Pecunia] *appellatur Lucarie*), huc pertinet fragmentum vetus Senatuſconſulti, in quo inter cætera leguntur, V.F. De Lucari ludorum Sæcularium.

COLVMNA 157.

Quirites] *in funeris indictiuis*) in funeribus indictiuis. vide ſ. Indictiuum. adde Varr. lib.6. de lingua Latina, & infrà Simpludiaria.

COLVMNA 158.

Quintipor] vide Plinium 33. cap.3.

COLVMNA 159.

¶*Quintanam classem*] v.16. Gell.10. Dionys. Liuium.

Quando Rex comitia sic) legendum ita, quando Rex comitiauit, vt apud Paulum.

dicuntur) edicuntur. Nam & ita Varro suprà de lingua Latina.

COLVMNA 160.

Quondo stercus delatum] *aluum*) cliuum. nam & ita Varro 5. de lingua Latina.

COLVMNA 161.

Quot serui tot hostes] *Benificæ*] alij beneficæ: de quo vide Macrobium 1. Saturnal.

COLVMNA 162.

Rufuli] videndus Asconius Verrina 2.

Romani) artificum] alij, artificium.

equitando] vide Dionem lib. 43.

paribus] fortè hæc vox ita accipienda est, vt apud Virgilium, prima pares ineunt.

Rubidus panis) vt parũ coctus) vt per coctus. Est enim recoctus Isidoro c.2.

¶*atque ibi torreto pro pane rubido*] lege, torreto me pro pane rubido, vt apud Plautum Casina, scæua Vna œdepol.

Romanam portam] quæ Romanula Varroni 4. de lingua.

COLVMNA 163.

Rutilium Rufum) Rutilius vel Rutulus Rufus. adde Varron. 4. de lingua.

COLVMNA 165.

Romam) eadem extant apud Plutarchum in Romulo.

COLVMNA 166.

Romam ante Romulam) Proprium Romæ nomen vetitum publicari: atque ob id Verranius Soranius neci datus. vide Solinum ca.1.

Romanam portam quæ & Romanula] Varroni 4. de lingua.

COLVMNA 167.

Ruminalem] vide Varronem 2. de Re rustica c. vlt. Nonium in Numa.

COLVMNA 169.

Radere genas) vide Seruiũ in 12. Æneid. & ea quæ scripsi ad ll. 12. Tab.

COLVMNA 170.

¶*Plautus vbi si quid*] in Aulularia.

¶*Item experiurauit*] v. Plautum Cistellaria.

Ratumena porta) vide Plinium 8. c.43. & libro 18. cap.2.

Reconductæ) alij reconducie.

COLVMNA 171.

Refriua] *teuirtico*] alij è tritico. scribendum reuertantur.

Remurimus] vide Dionys. Halicarnas. 1. & Plutarchum in Romulo.

COLVMNA 172.

Regifugium] *Tullius*) Iulius: & ita Macrobius in Saturnalib.

Saliares) virgines) vide infrà Salias virgines.

statim fugit) vide Plutarchum in Probl. Ouidium in Fastis.

Quando Rex] vide Varronem 5. de lingua.

Relegati] *Senatusconsulto*) Senatusconsulto.

Magistratus) magistratuus.

Religiosus) *& alij senes*) Alliensis dies: de quo vide Liuium lib.6.

COLVMNA 173.

Repastinari] *abstinui*) obstinui: vide s. in Obstinato.

COLVMNA 174.

Reses & residuus) ita Placidus in Glossis.

Somno) alij sumnos: antiquè, vt fruns pro frons.

Pacuuius) alij Pacuius, antiquè, vt fluius pro fluuius.

COLVMNA 175.

Remanant) reuitant, & ita apud Plautum in Captiuis.

Desunt riuos, campósque remant) deserunt cliuos, campósque reuitant.

COLVMNA 176.

Religionis præcipuæ) *Marco Aemilio Lepido*) vide Valerium 4. c.2.

Quint. Fuluius) adde Liuium lib. 43.

Tit. Sempronius) vide Valerium 6. cap.5. Ciceronem 6. de Repub. Agell. lib.6.

L. Amil. Paulus] Lucius Æmil. Paulus. vide Liuium in epitoma libro 46. Plutarchum in Paulo.

P. Corneli Scipionis &c.) vide Plinium 34.

M. Valerius Messala] v. Plinium 17. cap.26.

In ara ipsa Iouis) alij in ara Iouis. anteà malè, in capite bis. v. Plinium 17. c.25.

L. Cornelij Lentuli] vide Valerium libro 5.

P. Africani Luci Mummi] vide Ciceronem lib.2. de Oratore. Plutarch. in Apoh.

Q. Fului nobilioris) huius censuræ nulla extat memoria in veteribus monumentis.

Q. Pompeij) vide Plinium 7. cap.43.

COLVMNA 177.

Romanos) vide Dionysium Halicarnasseum lib.1.

Rigido) nauibus ambulabant] ita locutus Cato in libro de re rustica c.1. quin etiam Cicero, maria ambulauisse dixit, Xenophontem imitatus.

ambulabant) ambullabant. nam Ennius, vt sæpius geminauit literas, vt s. habuimus in Solitaurilia.

Respublicas) *Caius Gracchus*) vide Ciceronem in Bruto.

recipie] recipiem.

COLVMNA 178.

Rustica vinalia] vide Varronem 5. de lingua. Plinium 9. cap. 4. Plutarchum in Problemat.

COLVMNA 179.

Suppum] alia significatione sumitur hoc verbum apud Isidorum 18. cap. 65. pro iactu quodam in tesseris.

COLVMNA 181.

Sublicium] *vocabulo Volscorum*) Latinis verò Sub-

rò Sublicæ, vide Vitruu.3.cap.3.legitur tamen apud Sallustium lib.4.sublices ad Sublicium pontem agentes erant & qui manum ad stipem porrigebant Seruius de vita beata c.25.

Suberies) vide j.suber: Isidorum 17.cap.17.

Silicerniũ] vide Non.& Placidũ in Glossis.

COLVMNA 184.

Surum) vide s̃.in Crebrisuro.

Scyrium] alij Surium.

Summussi) apud Seruiũ in fragmentis mussare pro tacere, & murmurare accipitur.

COLVMNA 185.

Solatum) arquato) vide Noniũ in Arquatus.

Sospes] *parentem & patriæ*) hic titulus tribuitur Cæsari in denareis argenteis.

COLVMNA 186.

Ad patriam sospes) sumptum ex Homero καὶ οἶκαδ᾽ ἵκοιτο.

Sucrotilla) vide in Todi & Crocotilum Var.lib.6.de lingua Latina.

Saburanam tribum] vide in Suburam.

Succidanea hostia) vide Agellium 4. cap.7.

COLVMNA 187.

Sulci] *victum*) dictum.

COLVMNA 188.

Superstites) vide Seruium lib.3.Æn.

Supernati) alij Supernata. & ita Politianus in Miscellaneis, cap.73.alij legũt, expernata.

Supremum] *belli & armorum mauors potens*) Mars hîc belli potens dicitur, vt apud Horatium Venus Cypri potens.

Subsidium) vide Præsidium.

COLVMNA 189.

Subsiles) vide in Ipsulices.

COLVMNA 190.

Subuerbustam verubus vstam] verberibus stam. Sic apud Horatium, vsti virgis.

Supplicia sunt quæ caduceatores portent) Hoc significatu supplicium sumitur apud Sallustium in Iugurtha.

Sinnius capito ait &c.) ea significatione vox suppliciũ sumitur apud Isid.5.& 25.& 6. c.28.

COLVMNA 191.

Sufes] vide s̃.in Meritauere.

Sub vitem] *subijcit*) alij subit. alij submisit.

Supa) alii supat.

Olam) alii ollam. vide in Solitaurilia.

COLVMNA 192.

Struere adicere) alij adiicere.

COLVMNA 193.

Stipem] Stipem Glossæ ἐλεημοσύνην.

Stirpem in masculino genere) vide in Nautiorum: Carisium lib.1.

Stipes) *hostium*) alii ostium, sic s̃. in Scrupi hostreis pro ostreis.

COLVMNA 194.

Satura] in fragmento legis Seruiliæ sic est, extra quam seu quid in Saturam feretur.

Suber arbor ac suberies) vide in Suberies

COLVMNA 195.

Sterilem mulierem] *cipit*) alii concipit.

Seplasia aut seplasium] vide Nonium in Seplasium.

Pomponius in Adelphis) citatus ab eodem, Nonio, in Daratim. vide in Seplasia.

COLVMNA 196.

Sanctum] vide Macrob. in Saturnalibus.

Saccomorum] Syccomorus Isidoro libro 7. cap.7.alii saccomorus.

Sacrem] Plautus in Menæch.

Synceri] alii Synuri, ita apud Plautum. MS.

Sacrificulus] *sicinius bellutus*) imò Manius Papirius, teste Liuio & Dionysio. Sed fieri potest vt Festus, aut potius Verrius, alios authores secutus sit.

COLVMNA 197.

Sacratæ leges] vide in Publica pondera.

Sagmina) *ius sacratum*) Cicero O fides alma apta pinnis & iusiurandum Iouis.

COLVMNA 198.

Sanates) vide Festum in Sanates.

Sani forcti) alii sanati facti: alii sani forctique, adde Festum in Fortis.

Sarcta vinea) vide in Sarpiuntur.

COLVMNA 200.

Scæuam & in bona) Plaut.in Pseudolo, Bona scæua est mihi. adde Varr.6.

Saperda] *sapientem etiam significat*) Varro apud Noniũ in Saperdæ. Omnes videmur nobis belli, festiui, saperdæ.

COLVMNA 201.

Salua res] *parasiti Apollinis*] vide Atheneum lib.6.

COLVMNA 202.

Salias Virgines] vide in Regifugium.

COLVMNA 203.

Seculares ludi] vide Acronem in Horatii carmen sæculare.

Operatus tribus diebus totidémque noctibus) vide Acronem dicto loco.

Scutilum] *ex Græco*] σκῦτος.

In pópa aliud dicimus scutilũ) v. Manducus.

Squalidum] *quod proximè ad similitudinem squamæ piscium accedit*] idem Agellius 2.c.6.

Schoeniculas) vide supra in Prosedas.

Scorta) *ex pellibus facta scortea appellantur*) idem Varr.7 de lingua Latina.

Scaptensula) σκάπτειν Græcis ὕλη.

COLVMNA 204.

Spetile] *suis*) sueris. Varro.

Spicit] *vlo spexit de cõtibus celsis*) Vltro spexit de montibus celsis. Pompon. Lætus: alii pro, vlo, legunt, sedulo, vel paulò.

COLVMNA 205.

Scraptæ] scrantiæ. Varr.lib. 6. de lingua Lat.

Scrupi] *in Andromacha*] ita apud Nonium in Scapres. Alii, in armorum iudicio legunt.

Asperi) alii aspera.

Scribonianũ] *puteal*] hoc ipsum Scribonianũ puteal expressũ est in argẽteo quodã denario cum inscriptione, Puteal Scribonian.

antea atria] ante attia.nã & ita j.in Tablinũ.

COLVMNA 206.

Sceleratus vicus] vide s̃ in Orbius cliuus.

Sexagenarius] (*scirpeas hominum effigies, &c.*) vide Dionys. lib. 1.

COLVMNA 207.

Simpludiarea) vide suprà Indictiuũ funus.

Sinistræ aues] videndus Plutarchus in problẽ.

à deorum sede] ab hospitiorũ sede: sic enim apud Varronem 5. de ling. Latina.

Senatores] vide Agell. 3. cap. 8. Liu. 26. c. 36.

Septentriones] *Ennius*) plenior extat versus apud Varr. lib. 6. de ling. Latina.

COLVMNA 208.

Septimontium] vide s̃. in Sacrani.

Sifus] *Prætoris*) alij curatoris, vt in lege Manilia apud scriptores de limitibus agrorum.

Siparium] idem Isidorus, 19 cap. 13.

COLVMNA 209.

Seruorũ] *seruos*] alij ceruos. v. Crinitũ 19. c. 18.

Sispitem Iunonem] alij sospitem.

COLVMNA 210.

Saturno] *sacrificiũ fit capite aperto*] idẽ suprà *Metellus*) de quo v. 3. Macro. 13. (in Satur.

Claudium augurem] Vide Liuium 45.

Iussisset) adesset) Nam in auguratione eius qui augur creandus esset, alius augur adesse solitus erat. de quo vide Macrob. lib. 4. in Indice: Liuium 36. Suetonium in Caio.

Sacra sibi familiaria] de sacris familię Claudiæ, vide Festum in Propudianus capite 12. & Macrobium lib. 1. cap. 16.

Scaptea] de qua V. Plin. & Liu.

Stellatina tribus] *Vrbe Capena*] vide Pliniũ lib. 3. sunt qui etiam legunt hoc loco, regione Capena.

Sabini] *quod ea gens PP.*] in argenteis denariis. DPP. significant deos penates.

COLVMNA 211.

Cella Curulis locus in Circo datus est Valerio Dictatori] vide Liu. lib. 2.

Sontica causa] *M. Porcius lato de re*) M. Cato de re floria ita citatur ab Agellio 16. c. 13.

Spiciunt] *inea quam habuit in Q. Thermũ de septẽ hominibus*) citatur oratio de decem hominibus in & Thermum sæpe à Festo, & ab Agellio 13. cap. 14. ita vt hic pro septem hominibus sit legendum, decem hominibus.

Spatiatorem) citatur hic locus ab Agellio, 7. cap. 12. paulo aliter, sed corruptè.

Stata sacrificia] *de sacrificio commisso*) ita legitur apud Agell. 7. cap. 22. de sacrilegio commisso, ita legitur in Prohiberi comitia s̃. & in Epitoma Pauli.

COLVMNA 212.

Sacramentum] *post hoc factum erit*] alij post hac; alii, post hanc legem rogatam.

Quicunque facti erunt] *quicunque ex hacce. Id aes dici ceptum est*) idem Varro.

Sextantarij asses) *quod propter bellũ punicũ*) quod per bellũ Punicũ. ita legit Hermolaus.

Sextantarij per quos cum solui cœptum esset, & populus aere alieno liberaretur) vt populus aere liberetur.

Septuẽnio quoq; anno vsus est vt priore numero) septuẽnio quoq; ꝙ eo vsus est vt priore nummo.

Sesterti] vide in Sextantarij.

COLVMNA 213.

Solida sella) vide in Silẽtio surgere, adde Liuium lib. 10. & in Silere.

Expresse] ita antiqui per S. simplex.

Silatum] *iantaculum*) ita in quibusdam, vt & infrà, iaiuni: & in glossario iantat.

Suffragatores) *notabat apposito puncto*) antiqui suffragia non scribebant, sed puncto notabãt, teste Porphyrione in illũ Horatij versũ, omne tulit punctũ: adde Cic. pro Cn. Plãcio.

Struppi) vide s̃. in Stroppos.

Secespitã esse Antistius Labeo ait ferreũ cultricum] Suetonius in Tyberio, inter Pontifices sacrificanti pro secespita plumbeum cultrum subiiciendum curauit.

Qua in sacrario) Sacrariũ tẽpli locus secretior erat: vt adytũ, locus ad quẽ nulli erat aditus, nisi sacerdoti. In eo res sacræ reponebantur l. 1. ff. de rer. diuis. Seruius 2. Æn.

Rediculo) reticulo. natus hic error ex antiqua consuetudine ponendi d. pro t.

Tubæ) id est tubi. antea, nube.

In templo Bonæ deæ) nõ quod vltra Bouillas in via Appia fuit (cuius pro Milone Cicero meminit) sed quod in Auentino, cuius P. Victor facit mentionem.

COLVMNA 214.

Sinistrum] vide s̃. in Silere.

Stipatores] *destituantur*) ita apud Agelliũ 10. cap. 13. alij constituantur, alij destinantur.

COLVMNA 215.

destituatur] id est figatur.

Tappatæ) alij tapete. v. Non.

Tauri ludi] v. in Talipedare.

Tribunitia rogatione) *Aelius in XII. significat verbor.*) ita citatur s̃. in Postliminium.

COLVMNA 216.

Tauras) vide Varr. 2. de re rust. cap. 5.

Tullios alij dixerunt esse Silanos) pro Sillanos glossę Siluanos legũt in quibus Siluanus exponitur κρουνός. in lege Fũdi 17. §. itẽ constat ff. de act. empti. Siluani dicuntur personæ ex quorum rostris aqua salire solet.

Topper) *humanũ*) homonẽ. ita in Hemona.

Topper vt sit patris eiicit iras) alij eiecit iras, alii, pater eiecit foras.

Torrens) vide Varr. 1. de re rust. cap. 12.

COLVMNA 217.

Tutulũ] *forma metalli*) alii formam è tali: alii, forma è tali. adde de Tutulis Varr. lib. 6. & Tertullian. in lib. de Pallio.

Tuguria) *Valerius in explanatione Duodecim*) ita citatur in verbo Sanates.

COLVMNA 218.

Tumultuarij) vide Seruiũ initio lib. 8. Æn.

Domesticum) id Cic. 8. Philippica. Italicum.

Tesca] vide Varr. lib. 8.

COLVMNA 219.

Tonsillam] *Phinidis*) ita apud Nonium alij Phœnissis malé.

COLVMNA 220.

Tablinum] atrium) vide suprà in Scribonianum.

NOTAE IN SCHEDAS.

COLVMNA 221.

Manubiae] vide Acron. in Horatium lib.j. Odar. 11. & Seruium lib. 1. & 11. Æn. & suprà in Trisulcum.

COLVMNA 226.

obiurare] vide suprà in Obitu.

Ommentans]id est expectans,ita enim glos sæ à mantando,id est manendo. adde Noniũ in Mantat.

COLVMNA 227.

Obstitum] *qui deo deaeque*) qui deo qui deæ. alij, siue deo siue deæ,ita Macrobius 3.Satur. 9.Cato de re rustica. c.89. Agellius 2.cap.28. Arnobius libro 3.

Obsidium] *obsidium cœpit*) Sic Tacitus libro 4.

COLVMNA 228.

Optima lex] *magistrorum*) magistratuum.

vt optima lege] de antiqua formula, Vti quod optuma lege fuat, vide Agellium 1. c. 12.Liu.lib.9.

COLVMNA 230.

Oppidorum] *Cato*) hæc vox dispungenda.

Pa pro parte] sic apud Ausonium, do pro domo.

Praedotiunt]alij prædutiunt. vide suprà in orcus.sic veteres exsociunt.

Triuiclioes]id ita dicitur.vt Aboloes.

pilare]*sunt quiGraecare originis*) nam Grę ci fures φιλῆτας dicunt. ita scribendum. Seneca lib.7.epistol.22.filistas vocat.

Picati] *Dori*) imò Bæotij, si verum dicit Hesiodi antiquus interpres in Theogonia.

COLVMNA 231.

Petrarum]*Leuius*) alij Liuius,alij Læuius ex Agellio 12.c.10.

Pisalitem]alij pisatilem.

COLVMNA 234.

Tagax] *& Mutonis,&c.*) ita legendum & Mutoni manu perscabere posse tagacem.

Talionis]*rabit*)alij rupit,alij rapsit.vide suprà in Pacionem.

COLVMNA 235.

Tappulam]alij tapullam.v.in Sodales.

Tripudium] vide suprà in Puls.

COLVMNA 236.

Tintinnare]*molae*)alij mollem.

Tentipellium]*indéque*)alij idem.

Vici appellati, item magistri paci] antiquè, pro magistri pagi. V.suprà in Orcus. sic antiqui dicebant leciones.

distributa inter se distant nominibúsque dissimilibus]hæc verba desunt quibusdam.

in Oppidi vicis]in oppidi vicani.

Viginti quinque] Vide Agellium, 20.c.1.6. Plin. 1.

Victimam qua vincta ducatur]alij vitta legunt. Nam vittati boues ad aram ducebantur,teste Seruio 2.Aen.alij legunt,victa.

COLVMNA 237.

Via) in hoc fragmento agebatur de viis muniendis, & lapide sternendis, & de iure per eas iumenta agendi.

Vastum] vide Non. in Vastitudine.

Ve victis] *adpenderetur*) pensum.

Brennus Rex]alij Brennus dux.

Vira] vide Varron. 4.de lingua.

Vruat]Placidus in gloss. oburbat, circumscribit.

Vngulus]*nacta est qui eorum excurreret*) nacta siquis requirit.

ebrio]alij elirio.

COLVMNA 238.

Vindicia]*tor arbitros tres dato*) prætor arbitros tres dato.

NOTAE IN FESTVM & *Paulum*.

Abacti qui coacti deposuerunt imperium] vt abacti magistratus qui per vim depositi : ita in iure abactus venter Paul. 4.sent.9.§. abortus (qui Grecis ἐγκυμονούμενος 31.Eclog.6.) qui per vim eiectus,dicitur. Ad eundem modum oues abactæ, porci abacti l.3.ff. 3. de abigeis. abacti caballi Cassiod.8.variar.32.nam vt sæpius vis in abigeatu admittitur l.1. §.3.ff. de abigeis.

Abalienatus] Glossis Abalienat ἀπαλλοτριοῖ. Abalienata ἀπαλλοτριωθέντα.sic in l.8.ff.de alienat iudicij mutandi iudicij mutandi causa abalienare. & in l.38.in f ff.de leg.3.prędia abalienare dicitur.adde infrà Alienatus. adde legem Alienatum. 67. ff. de verborum significat.Ciceronem in Topic.

Abambulo] Glossis Ambambulo κατ' ἰδίαν περιπατῶ.

Abarcet] vide infrà Arcere.

Abauus] Glossis προπάππου πάτηρ. in iure proaui paterni aut materni pater.l.10 quarto gradu 15.ff.de gradib.

Abditiui, abortiui] Abditiu⁹ qui & auulsus Glossis & ὑποβαλιμαῖος quasi Abeditiuus aut malè editus. Eadem ratione subditiua. Arnob. 5. non tantum mystica sed supposititia & Glossis subditiuus ὑποβολιμαῖος. id est suppositius & subdititius & ὑποβολιμαῖος. Est et

qui hoc loco legit, Abactiui, à partu abigendo, vt in l.4 ff de extr.crim. l.8. ff. de sicariis. l.39.ff. de pœnis. Abductiui.

Abemito) emere pro accipere) idē in Emere infrà. hinc surremit, sumpsit, infrà in Surremit: & surempsit, sustulit. infrà Surrempsit. Sed & Glossæ Abemit, ab eo accepit ἔλαβεν.

Abgregare. Glossis ἀπαγελάζειν, διαχωρίζειν.

Egregius] idem infrà Exgregiæ.

vt Pocunia] idem in Peculatus.

peculia] vide infrà Peculium.

Abietaria negotia] abietaria negotiatio.

quam materiam] quam materiariam: alij materiationem. ego ita lego, quam materiaturam. Hoc enim verbo vtitur Vitruuius. 4. c. 2. ea Græcis ξυλουργία (Galli minutiariam vocant) vnde ξυλουργοὶ Cedrēno. Propius est huic loco, quod itidem appellantur Matricarij Nouell. 13. c. 5. quasi materiarij, ac vix scio an corruptè inibi legatur Matricarij pro Materiarij. Cæterùm Materia id dicitur, vnde fieri potest ædificium (quam Græci ἐργασίμην ὕλην. 2. Eclog. 2. cap. 171.) ac proinde ligno (quod comburendi causa paratur) opponitur l. 12. ff. de vsufructu. l. 18. ff. 2 ff. de pignoratitia. l. 14. ff. de periculo: l. 47. ff. de act. empti. l 55 l. 56. l. 57. ff de legat. 3. l. 1. 62. 167. ff. de verborum significat. Est autem materia Glossis ὕλη ξύλων καὶ ἑτέρων. atque ita potest accipi. 19. Eclog. 6. c. 7.

Abiisse pro adiisse] pro obiisse. rectè: nam & infrà Abitio pro morte.

Abitionem, &c.] hinc abiit pro obiit suprà Abiisse. idque dicebant veteres δυσφημίας vitandæ gratia. Plutarch. in Cicerone. Tertull. de testimonio animæ, Si de aliquo, inquit, iampridem defuncto, tanquam viuo, quis requirat, præ manus occurrit dicere, *Abiit iam & reuerti debet.* Inde est quod in Titulis monumentorum nunquam, Obiit vel mortuus est, sed semper, vixit. vtebantur & hac formula, beatum esse. vide Ammianum 25.

Abnutare sæpe abnuere) est enim frequentatiuum Abnuto. sumitur etiam plerunque pro negare. hinc simplex abnutiuum in l. 83. ff. de verb. obligat. Caper in libro de orthographia, confessiua vox fit, ex duplici voce abnutiua, vt non nolo. id Glossis ἀπομοτικόν, & abnuitio infrà in verbo In. & abnuit infrà in Pro. cui ibidem opponitur adnuo. vnde Adnutrium. Glossis κατωμοτικόν.

Ab oleos pro ab illis] potest hic locus etiam ita accipi quasi diceret τὸ oe pro i apud veteres vsurparum: sic infrà Loebesum pro liberum: Loebertatem pro libertatem. vide infrà Loebesum. sic infrà Pilumnoe & pobloe, fascinoe, pro Pilumni pobli, fascini: & alibi infrà in Plorare, ast oloe plorassint, Sed verisimilius mihi fit, alio fine id à Festo dici, nempe vt ostendat oloes pro illis dictum à veteribus, tunc cùm abhorrerent à geminandis litteris. id quod sequentia satis ostendūt. probantur autem euidentissimè infrà in. Oll c.

Aborigines quòd errantes] dicti igitur quasi aberrigines & à montibus, quos Græci ὀρεινοὺς vel quòd αὐτόχθονες, id est auctores generis. Nam & Glossis αὐτόχθονες. v. Stephanum de vrbibus. Sic origines Sallustio sunt, quas Græci μητροπόλεις vocant. tametsi alio μητρόπολις in lege 4. §. 5. ff. de off. Proconsul. pro capite prouinciæ. Cuiusmodi vrbem Ammianus matrem vrbium, Curtius maiorem patriam vocat. eam autem rationem ad vrbes reliquas habebat, quàm Metrocomia πρὸς κώμας.

Abortum] hìc in neutro, vt in lege 20. §. 4. ff. de aquir. hæred. dicitur & Abortus in lege 2. Cod. de posthumis: & abortio. l 38 § 5. ff. de pœnis. fit autem circa tempus pariendi, vt Aborsus circa tempus conceptionis, de quo vide Nonium.

Abrogare] abrogo. Glossis Ἀποκυρῶ. ἐλάττω. adde legem 102. ff. de verb. signif.

Aceratum] vide infrà in Acus, palea: & in Obacerare, Nonium in Acerosum.

Acerra] alij dicunt arculam esse thurariā) vnde Glossis Acerra, Accepturaria, Turibulū, & λιβανωτρίς. Turibulū vero alibi θυμιατήριον.

Acetare pro agitare] ac proinde c in g mutatur propter affinitatem & cognationem litterarum inter se: vt in κυβερνήτης gubernator: κωβιὸς golius. vide Priscianum libro 1. Ea re fit, vt cùm agitandi hìc mentio fiat, pro acetare, legendum putem, Acitare, non Acetare.

Acieris] Aceres. Gloss. ἀξίνη ἱεροφάντου ab Acieri, Aciarium στόμωμα Glossis, vbi male στόμωματα: & in iisdem Denticulum Aciarium σομωμάτιον: iisdem Aciarium diuersa significatione ῥαφιδοθήκη.

Aclassis tunica] vide infra Calasis. Glossis Aclassi λώματα.

Acrumaruma vtensilia ampliora] alij ærumeruma. alij Aerumina. Vetus Acrum ærumautensilia. verendum estne vna dictione legēdum sit Macrærumina, vel Macraerumenta vt sint in vasis æreis, maiora. Glossis Aeramenta χάλκωμα Æramenta χαλκώματα.

Actus] *in Comœdiis & Tragœdiis certa spacia canticorum)* nam scenici agere dicuntur. vide infrà Agere.

modo inter vicinos quatuor pedum latum) Hinc mirum videri potest quare, Iauolenus viæ latitudinem legitimam fateatur: latitudinis, arbitrariam faciat, in lege, certo generi 13. §. latitudo. 2. ff. de seruitutib. rusticorum prædiorum.

in Geometria maiorem partem iugeri id est cxx. pedes] idem Boetius 1. de Geometria: & Epistol. 38.

actuosi] axitiosi vt infrà Axitiosi.

Acupe-

Acupedius] Aquipedius. vel Agupedius. ἀγχιπόδιος:vt pegunia pro pecunia: alij legunt, Acrunipedius.

Acus palea]v.infrà Obacerare.

substruendum] substernendum.

Idem in eodem]Idem eodem.

Primo]Primò.

argillam mixtam acere] vide s. Aceratum & Obacerare.

Acus dicitur]*vel etiam ornatrix vtitur*) Acus inter alia significat ornamentum capitis. l.25 § 10.vers.ornamentorũ. ff. de auro.Constantinus in lege 1.Cod.Theod.de repudiis,si præter hæc tria crimina repudiũ marito miserit,oportet eam vsque ad acuculam capitis in domo mariti deponere. Id discerniculum Latinis;Græci καλαμίδα. Glossis Acucla. ῥαφίς.

Ornatrix]vide legem 49.& l.65.§. ornatricibus ff.de legat.3.Græci κοσμήτριας & κομμώτριας vocant. quo nomine Fabula edita est à Næuio. Iisdem ornamentarius κοσμήτης & κομμωτικός.

exercetur quoque instructio]falsò hîc Festus legi videtur,acum pro acie.

cum sarcire]quia sarcire.

ἀκέσασθαι] ἀπλεῖν.

Adasia]*ouis recentis partus*)& maior natu. Isidoro in Glossis.

Adaxint]vide Nonium in Adaxint.

Adcensi]vide infrà in Adscriptitij.

Addicere damnare est] inde Addicti,pecuniæ dãnati.Valerio 6.c.1. Quintiliano 5.& 7.

Addubanum, Danubium]Ad Dubanum,ad Danubium:vel ad Danuuium.A.id est ad Danuuium.Alij ad dubienum,ad dubiũ. vt dubienus ea forma pro dubius ponatur, qua sociennus pro socio apud Noniũ. Potest tamen & ita legi, Ad dubenũ, pro, ad dominum. vide infrà Dubenus.

Addues]veteres adduo pro addo:vt venunduo,pro venundo:creduo, pro credo. Glossis Adduo προστίθω.

Adeo)*idem significat quod accedo*) Glossis προσέρχομαι.

quod vsque eo)ea significatione τὸ Adeo sumitur in l.8.ff de iurisdictione. l. 7. §.6.ff.de pactis:sed & eadem ratione apud Nonium legitur, Adquo,pro in quantum:& Glossis Adeo καὶ τοσοῦτον ἐπὶ τούτοις.

non quidem secundum rationem] hoc vult Festus,neglecta ratione,particulã Ad, in verbo Adeò, iungi alteri casui quàm accusatiuo.

Ad exitam] ad exitimam. ita legendum censeo:mihique fidem facit id quod infrà legitur in Extimum.

Adfabrum]à quo adfabrè Gellio 7.c.7. Affabrè Glossis καλῶς.

Adfatim]Glossis μεμοιραμένως:ἀπὸ τῆς μοίρας. *lusi*) Homerum exprimit, qui in Odyssea scripserat, καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα id est ἀφροδισίοις: sic primo feudorũ 5.cùm aliqua turpiter ludere, nihil aliud quàm quod paulo antè dictũ fuerat,adulterare: &,vt verbo Feudistico vtar, Cucurbitare.

Adfectare] v.l.8 in f.ff.ad L. Aquil.sic adfectatæ tutelæ § item tria.Inst.de excusat. tutorum ἐπιδίωξις. Theophilo ibidẽ. Adfectare apud Nonium etiam significat, afficere.

Adfines in agris vicini.]ea significatione sumitur in l.12 ff.finium regundorum. Glossis Adfinis ἀγχιτέρμων.

consanguinitate coniuncti] Glossis Adfinis ὁ κατ' ἐπιγαμίαν συγγενής. v.l.4.§.3 § 4.§.5.ff.de gradibus l.17.Cod.de Nuptiis:§.6.Inst.de Nupt.

Adgrettus]Adgretus. vide infrà Egretus: dicitur autem vt meretus,pultus.

Adigas]*dare cogas*) ad rem cogas. vel adire cogas.alij,valde cogas.Cõstat enim τὸ, Ad, ἐπίτασιν addere:vt in Adfabrè Adprimè.v.7.Gellij 7.Hinc illa in iure,ad iusiurãdũ adigere.l. 8.in fi.ff.de in ius vocãdo.iureiurãdo adigere l.31.ff qui & à quibus:l.adigere iureiurãdo 6. in pr.& §.3.ff.de iure patronatus.

Adlecti]*qui propter inopiã*) Senatorum intellige, quia numerus eorũ plenus non erat.Id autem factum post pugnam Cannensem. Alia significatione Adlecti Varroni dicuntur suffecti in alterius locũ.vt & in l.11.12.13.Cod. Theodos.de suscept.Aliàs, adlegi est adscribi & referri in numerũ l.3.§.2.ff.de decurionibus. vnde allectio:vel adlectio l.7. Cod.de incolis. Glossæ Ex allectis ἐκ τῶν λογογράφων.

nam patres]Alij igitur Adlecti à patribus & conscriptis.

patres)vide infrà Qui patres.

conscripti] vide infrà Conscripti.

Adlicit]vide infrà Lacit & Lenones.

Lacit]vide infrà Lacit.

Inlicere]vide infrà Inlex.

frustrantẽ inducere]frustrari seu inducere.

Admijssiue iuberent] iuuarent.

Adnictat]Adnutat.ita veteres libri. Differentiam facit inter illa duo Nonius. Adnictare oculorum:Adnutare aurium vel Labiorum esse vult.adde infrà Nictat.

Adolescit]Glossis ἀκμάζει.vnde ἀκμαῖος adultus.vide infrà Suboles. Nonium in Adolere duobus locis,& in Adolescere.huic contrariũ Abolescit Glossis ἀπακμάζει.

ἀδολέσχω]ἀλύζω Vet. ab olesco. S. vel ab ἀλθαίνω vel ἀλδαίνω.

altare]vide infrà Altaria.

exoletus)vide infrà Exoletus.

olescendi, id est crescendi] vide s. Suboles.

Adoptatitius) Adoptiuus. V. Adoptitius M.S.adoptarius Isidoro in Glossis.

Ador]Græci ἀθήρ, quod nõnullis Adur (aliis Adus)cuius genitiuus Adoris, penultima nunc longa nunc breui apud Sannium veterem poetam & Ausonium. Glossis Adis σῖτος adde Nonium in Ador & Adoreum.

Adorare]vide Nonium in Ador.

significat agere) quin & transigere. v. ĩ. Nec, ibi, si adorāt furto.

oratores] v. aliud Etymon. ĩ. Oratores.

Adoream] *Adoriā. Glossis Adoria* εἶδος σίτου

laudem] vnde Adoriosus Glossis ἔνδοξος & Ador νίκη. Plautus, adorea affecit populares suos. aliud autem adoreum apud Nonium.

Adpromissor] adde legē 64. §. 4. ff. soluto. l. 5. §. 2. ff. de verb. obligat. l. 43. ff. de solutionibus.

Adrumauit] id φιμάζειν Gręcis & Isid. glossis. simile apud Non. Rumiferare & Rumitare

à rumine) vide ĩ. Rumen & Subrumari: adde Nonium in Rumen.

Adscripti] vide Liuium 4. vide legem 6. l. 20. l. 22. l. vlt. Cod. de agricolis. (accensos.

Adscriptitij] *adcensos*) v. š. Adcēsi alij legunt

velatos] v. ĩ. Velati. Iidē dicūtur etiā velites.

Ferētarios) v. ĩ. Ferētarij & Non. in Ferētarij.

rorarios] v. ĩ. Rorarij & Noniū dicto loco.

Adsectata] Adfectata.

vel in malā] v. l. 19. §. 19. §. 22. ff. de Iniuriis.

Adserere manu est admouere) adserere, est manū admouere. MS. asserere manum, est admouere. vulgat. (inde enim assertor qui manū alicui asserit eius educēdi gratia ex seruitute in libertatē. vide ĩ. Sertorē. & Glossis Adsertor καρπιστὴς, εὐεργέτης Adsertio καρπιστία) alij ita legunt, Adserere, est admouere.

quod ea] quò ea. (mittuntur.

quæ in terram dimittuntur) quę in terrā deferi dicuntur] sic dicimus adserere arbores. l. 7. §. 3. ff. de vsufructu. translatitiè verò adserere prolem, pro adoptare: adserere in libertatem, id est libertati: liberis inserere.

opponuntur] apponuntur.

Adsidelæ[Asidelæ.

Adsiduus] Adsiduus, vulgata & quidē rectius. nā ab asse dando, assiduus, Charisio lib. 2. Gell. 26. cap. 20.

Adsipere] *à sapiēdo*) vnde Glossę sapit, saporem habet: interdum, actiuè pro saporem immittit. vt apud Tertullianum, Fermentum modicum desipit totam conspersionem.

Adstassent, statuerunt] Astassent statuerunt. vulg. Adstassint, steterint. S.

Adtegrare, &c.] Adtegrare est vino sacrificium augere.

Integrare enim, &c.] Adtegrum, minus factum; Integrare, in statutum redigere. S. vulgata, in statum redigere.

Adtestata) hæc fulgura contraria peremptalibus. vide infrà Peremptalia.

quæ iteratò fiebant) v. ĩ. Renouatiuū fulgur.

Adtritum] τριβώνιον) τριβώνας alij τριβόνιον. Glossis τριβώνιον, Velum.

Adtubernalis] Attibernalis. vulg. Attarubernalis (Glossis καπηλογείτων) alij Attubernalis adde infrà Contubernalis & Tabernacula.

continue] continuè. vulg. legendum puto cōtinuus. nisi quis malit hanc vocem vt superfluam atque otiosam dispungere.

pellibus contegantur] v. ĩ: Contubernalis & Tabernacula. l. 7. ff. de supellectile. inde pelliones vel polliones in lege vltima. ff. de iure immunitatis lib. Cod. de excusat artif.

tabernacula] v. ĩ. Tabernacula: legem 183. l. 184. ff. de verb. significat.

Aduelitatio) *iactatio quadā verborum*) iactatio quædā probrorū. ita legitur ĩ. in dictione Velitatio. adde Nonium in Velitatio.

velites) v. Nonium in Veles.

Adulari) Adolari. M S.

compositum ex accedendo & adludēdo) cōpositum ex ad & ludendo. S Est autē propriè Adulatio canum blandimentum Nonio: fortasse ἀπὸ τῆς οὐρᾶς, à cauda, qua mota canes accedendo blandiuntur.

Adulterium), adde legem 101. l. 225. ff. de verb. signific.

Adulterina signa) v. legem 30. ff. ad legem Cornel. de falsis: Paul. 5. sentent. 25. §. 1 & §. 7. Inst. de pub. iudiciis. Eadem ratione in iure adulterina moneta, monetæ adulteratores, adulterinum testamentum, adulterinę staterę.

Aduocitat, sæpe vocat) hic iūgēda est significatio verbi Aduocat, quę in l. 18. ff. ratā rem. vbi τὸ aduocare, est aduocatis vel testib. sumptus ministrare, vel negotiis auocari.

Aduosem aduersarium) Glossis Aduoces ἀντίοι Fortasse legendū Aduorsem vel Aduersē.

Ae) A 1. *scribebāt*) idq. frequētissimū Poetis.

Aedilis) *magistratus*) hęc vox dispungenda: nam mox sequitur, postea hoc nomen ad magistratus translatum.

quòd facilis ad eū plebi aditus esset] Imò quòd ædibus publicis præstet. l. 2. § 21. ff. de origine iuris. vnde æedituentes Lucretio. apud Gelliū 12. c. 10. de ædilibus passim in iure.

Aedilatus) Ædilitas: & in l. 17. ff. de cōpens. Ædulitas.

Aedis) *in edito*) in aditu. S. hinc enim ædes Varroni quòd plano pede aditur: vel, vt Tertullianus in libr. de Pallio loquitur, planitus.

αἰών) αἰώνιον.

ponitur pro omni genere constructionis) hinc nauem ædificare dicimus l. 46. §. 2. ff. de iure fisci: & insulam l. 27. § 5. ff. de rei vindic. l. 11. §. 9. ff. de Publiciana.

Aeditimus ædis intimus) hoc Etymon displicet Ciceroni in Topicis. Gellio 12. ca. 10 adde eundem 6. c. 12. (lin. 32. c. 2. Charisium lib. 1.

Aedituus] *sacræ ædis tuitor*) sic Theophilus. §. Tutoris Inst. de Tutelis. & ita Ædilis accipitur in l. 3. § 3. ff. de Tabulis exhib. ob id Hierophylax appellatur in l. 28. ff. de annuis. hinc Æditumari in tēplo apud Non. dicitur. Glossis Æditilis Νεωκόρος. Iisdē νεωκόρος & ναοφύλαξ Ædituus.

tuitor) tutor.

Aegeum) *Aegea*) Æge.

Aegrum) hinc ægræ mulieris offensam placare. l. vlt. ff. si quis aliquem testari.

Aegyptinos, Aethiopas) id est nigros & fus-

cos. Nã glossis Ægyptiũ, nigrũ à colore vulturis qui αἰγύπτιος. iisdem Æguptium φαιόν.

Aemidum, tumidum] alij timidum. ego vuidum pro humidum. tametsi Aemidum quidam ἀπὸ τὸ αἷμα, vt inflatum significet. Glossis Aemidus πεφυσημένος.

Aenatores] Aenatores. Glos. σαλπικταί. Κυμβαλοκρούσται.

Aeneolum] Aeneolo. alij Aenulum. Isidorus Enulum. *fit*] sit.

Aequidiale] ἰσήμερον. Glossis.

nox diei potius quàm dies nocti adnumerari debet] al. quia nocti dies potiùs quàm nox dici adnumeratur, vide quæ scribam ad l. more Romano. 8. ff. de feriis & Gellium 3. c. 2.

ἰσονεμίαν] & ἰσήμερον, vt suprà dixi.

Aequilauiũ] sic Aequilotiũ, aequatio. Isid.

Aerarij à tribuendo ære] Glossis Herarius ταμιοῦχος: vide quæ de ærario scribam ad l. 42. ff. de iure fisci. alio significatu χαλκευτής, χαλκουργὸς, χαλκότυπος. & Aerifex seu faber Aerari⁹.

Aerarium in æde Saturni habuit] Idẽ Varro lib. 4. in fine. Macrob. 1. Saturnal. 8. & Plutarch. s. adde quæ scripsi ad l. 6. C. de fide instrument. & Liuium 3. Glossis Aerarium χρηματοφυλακεῖον

Aeribus] *ab ære, id est aceramẽto dicit Cato*) ab æres quod & æramentum dicit Cato. Glossis æramentũ χάλκωμα. Aeremẽta χαλκώματα.

æramentum] æramen, species ex ære. l. 12. Cod. Th. de operib. publicis.

Aerosam] vt ærosa Cyprus, sic ærosa pecunia in l. 102. ff. de solutionibus: vbi dixi. vnde & Glossis ἰκτερικός Auriginosus, ab auri colore: & aurosus πολύχρυσος.

Aerumnulas] *furcilias*) vide infra furcilles.

retulit] reponit.

muli Mariani) vide infra Muli Mariani.

onerosos] oneroso.

ἄρειν] inde Aerumnulæ.

Aeruscare] inde æruscatores, qui æsculatores. Glossis Aesculator χαλκολόγος (qui & Nũmularius) à χαλκολογῶ Aesculor.

Aestimata pœna] *ouem decussi, bouẽ centussi*) vide J. Multam, Ouibus, Peculatus. 11, Gell. 1.

Agazones] l. vlt. ff. si quadrupedes. Glossis Equilio & ἱπποκόμος.

minantes] sic infrà in Agere, & infrà Inigere ante se pellere, id est minare. éstque frequens verbum Hieronymo & legibus Langobardorum, Burgundionum, Alemanorum, sed & legi Salicæ. Ad eam normam Apuleius prominare dixit. & Amianus ad Paulum 1. sentent. 17. actum interpretatur qua pecora minare consuemus. & in Ausonij versu de Myronis bucula, Ageret iuuencas cùm pastor domum suas, suam relinquens me minabat, vt suam.

Agea via in naui) quæ & Agear Glos. πάροδος πλοίου. *vide*) Isidorum 19. Etymol. 2.

Agere] *id est minare*) dixi supra in Agaso.

agit cum eo furti) vide legem 25. & passim. ff. de furtis. *indicare*) iudicare.

causam ago) & post.

scenici agere dicuntur) vide suprà Actus.

Agina] *qua*) quo Glossæ Danielis, Agina scapum trutinæ quòd eo mensura ponderis æquatur. Bongars.

vnde Aginatores) Glossis Aginare est πραγματεύειν negotiari, in quibus tamen perperam legit στρατεύεσθαι & στρατεύει, pro πραγματεύεσθαι & πραγματεύει. vnde πραγματευταί, Nouella 30. c. 2. & 118. c. 24. Edic Iustiniani 13. c. 7. At Isidoro & glossis Acinari est tricari: Aginantes exstricantes. aliis Aginat διαπράσσεται, στρέφει μηχανᾶται. aliis Aginatores negotiatores actus.

Agnus) *communis erat generis*) vide infrà Recto fronte. sic in Numæ legibus Agnus mas, Agnus fœmina.

sicut & lupus) vide infra Masculino & Recto fronte. sic apud Ennium lupus fœmina.

ex Græco λύκος) ex Græco ἡ λύκος. S.

Agolum) *quo pecudes agũtur*, fortasse à Græco ἀγελαῖον. inde etiam Galli bacillum oblongum vocant *Gaule*.

Agoniam) *quo Rex hostiam*) vide Varronem 4. de lingua.

rebus agendis: Agonalia, &c.) rebus agendis cuius festa Agonalia dicebant. & hunc quidẽ in modum postrema huius dictionis explicatæ à Festo verba in hanc sedem aduocanda. S.

Agonalia eius festiuitatem) dispũgenda. Cæterùm Agonalia Glossis Agonaria θυσεια.

Aegonis) Aegonus.

Aegonensis] Agonensis.

Agonium) *id est ludũ ob hoc dictũ, &c.*) Agonium locus est in quo ludi initio facti sunt. ob hoc dictum, quod fuerit sine angulo. S.

Albegmina) Ablegmina. quę quòd Diis porricerentur, porricię & prosecta & prosegmine. Prosiciæ Glossis αἱ ἀπὸ θυμάτων ἀπαρχαί. Tertullianus ea ita descripsit, de opimis & integris superuacua quæque truncatis capitula & vngulas, quæ domi pueris vel canibus destinatis: hinc ablectę ædes Plauto, derelictę.

Albesia] *decumana scuta*: *& post decumani fluctus*) adde infrà Decumana oua: & Decumanus appellatur limes.

Albula) *Tiberis fluuius*) vide infrà Tiberis.

Tiberio) Tiberino.

Alcedo) *Catamitus.*) vide infrà Catamitum & Alumento. (mento.

pro Nilo, Melo) vide infrà Melo. & Alu-

Alebria) Alebrius vel Alerius. Glossis εὔτροφος. Alebra, quibus alimur: Alibre, Alimentum.

Aleonem) Tertullianus de fuga. Nescio dolendum an erubescendum sit, cùm inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum & aleones & lenones, Christiani quoque vectigales continentur. Glossis κυβευτής, Aleo.

aleatorem] vide Titulum de aleatoribus. l. 4 §. 2. ff. de ędilitio: l. 225. ff. de verborum significat. Glossis κυβευτής, κυβευτής, à κυβεύω, quid est Aleo seu alea ludo.

ganeo] vide infrà Ganeum.

lurco) lustro. Vet. & ita legendum Catullo in Mamurram, pro vltor. Facit infrà Lustrum. sed tamen nihil necesse est mutari. nam & Lurco vox nota: vnde Lurconiana condimenta Tertulliano in libro de Anima c. 15.

Algeo] *coniectus*) collectus.

Alica] vide incerta Verrij Flacci: adde infra Pollucere merces.

Alicariæ) *hæ*) eæ.

Prostibulæ] vide infrà Prosedas.

Alienatus] vide l. 67 ff. de verb. sign.

Ali rei] Plautus in Milite, Nulli ali rei est improbus.

Alites] *Buteo*) vide infrà Buteo.

sanqualis] vide infra Sanquallis.

immusculus) vide infra Immusculus. alij legunt Immustulus. adde 10. Plin. 7.

Aliuta] *ipsos Ioui sacer esto*) ipsos antiqui pro ipsus. sic iidem Consol pro Consul: & è contra funtes pro fontes: frundes pro frondes. vide Velium Longum de orthographia.

Allus] Allex, alij Hallus, vt infra in dictione Hallus, pedis maior digitus.

Alma, *(sancta)* ἁγνή. Gloss.

pulchra] καλή, ὡραία. Gloss. inde Almus iisdem κλυτός, ἔνδοξος.

alens] θρέπτειρα. Gloss.

Almities) ea Charisio libro 1. εὐπρέπεια Glossis αὔξησις ἀρχῆς. Almitus ἀνατεθραμμένος, ἀναγωγή. Almetes, κάλλος ἀνατροφῆς.

Altaria) aliud Etymon vide supra Adolescentia. Cæterùm non obmittendum Altare dici & Altarium. Gloss. Altarium θυσιαστήριον.

Altellus) *quasi altus in Tellure*) vide infrà in Altus. Est autem idem ac expositus & Alumnus. Græci θρεπτός. Eclog. 1. c. 6. οἰκοτραφής, τρόφιμος. Latini alumnos appellant. l. 26. Cod. de Nuptiis. l. j. Cod. quę res pignor. sed & Gręci χαμένοντα βρέφη appellant Nouell. 253. adde de expositis. l. 152. ff. de iuris. & facti ignor. l. 4. ff. de agnoscend. liber. l. 1. & passim de infantibus expositis.

A macro Macellus) à Marco Marcellus: ego lego, à Marco Marculus. v. infra Marculus.

ab altello altellus) ab alto, altellus. ita legendum censeo. id. n. conuenit superioribus. facit & id quod infrà in Altus vel ab alter, altellus. Dicti nãq; altelli singuli geminorũ: inde nomẽ Altelli aptus Romulũ impositũ Bongars.

Alter) *altera auis non bona*) si modò priori vitium facit. ad quem modum fulmen peremptale, quod priori vitium fecit. Cæterùm alteram auem potius, quàm aduersam Augures efferebant, vt ita malum omen viderentur minuere, atque eleuare.

Altercatio) Glossis Altercatio ἀμοιβὴ φωνῆς. reperitur. hoc vocabulum in l. 4. Cod. de necessariis seruis, &c. Quintil. 5.

Alternatio) hinc Alternatim per vices. vide Nonium in Alternatim. & Glossæ Alternis ἀνὰ μέρος, ἀμοιβαδόν. Alternatim testis, qui vacillat. Alternationem verò nostri pro disiunctione vsurpant. l. 2. § 2. ff. quod certo. l. 7. §. 4. ff. de iniuriis In lege verò 9. ff. de seruo corrupto, sine alternatione, est illo vno casu vel vno tantùm casu.

Alterplicem, *duplicem*) id est dolosum Isidoro in lexico. ita Horatio Vlysses, duplex.

Alterta) Alterria.

Altum) vide Nonium in Altum.

Altus) vide supra Altellus. alias ab altitudine, vnde Glossis Altus ὕψηλος.

Alucinatio) *alij Hallucinatio*. Est enim Hallucinari Nonio aberrare, & Gellio 16. c. 12. Hallucinari ἐκ τοῦ ἀλύειν quod Glossæ etiamnum confirmant. non tamen necessariò requiri aspirationem in hoc vocabulo, vt & in multis, Gellius scribit 2. c. 3.

Alumento pro Laomedonte) alij Laumento pro Laomedonte, &c. sic Lautumię pro Laotomiæ: Laudicea pro Laodicea.

Melo pro Nilo) vt supra Alcedo: & j. Melo.

Catamitus) v. supra Alcedo: & j. Catamitus.

Aluus) adde Nonium in Aluus.

Am præpositio loquelaris, *&c.* Am præpositio significat circum. vnde suprà locellaris seruus ambactus, id est circum actus, dicitur. ita hunc locum restituit Scaliger. cui seruus locellaris vel lucellaris est μισθωτός: cuius operas quotidianas dominus locatu, lucelli & quęstus gratia: aut qui in eã rẽ discursat. nisi loquelaris seruus accipiatur pro internuntio: aut vox loquelaris omnino dispungatur.

significat circũ) *ab ἀμφὶ. supra*) infra. id enim infra est in dictione Amnis. sed Festus non seruat exactum ordinem Alphabeti in syllabis, suo quoque loco digerendis.

Seruus ambactus) seruum libertate donatũ intelligit Pers. Satyr. 5. Quibus vna Quiritem vertigo facit. & pòst. Verterit hunc dominus momento turbinis exit Marcus Dama. hinc circunductiones manumissionum inextricabiles. in l. 6. Cod. de emancipationib. vide infra manumitti. l. 23. ff. de manumissionib.

Ambactus apud Enniũ, *lingua Gallica actus dicitur*) potest & ita legi, Ambactus alius Ennio, quam qui lingua Gallica Ambactus dicitur, & ita est. Nã Ambactus Gallis, teste Cęsare cliens: Ennio, δοῦλος μίσθωτος. nisi actum eum esse Gallis, qui Ennio ambactus.

Actus) seruus.

Amatio) Amutio, alij Amasco, amare cupio, vel amare incipio. ego nihil mutandum esse necessariò, censeo, vide Noniũ in Amatio. al. Amato ab Amo. Bongars.

Ambar-

Ambaruales hostiæ) vide j. Amtermini.

à duobus fratribus) ac frugibus. ita in veteri. Alij legũt à XII. fratribus. totidem enim Plinio 18. c. 2. 6. Gell. 7. Fulgent. Macrob. Auson.

Ambaxioqui, circũeuntes cateruatim) Ambaxiqui circumeunt cateruatim: ab Am & Axes seu Axi. id est glomerati. vide infrà Axes.

Ambegni) vide Varron. 5. de lingua & Fulgentium.

Ambest ita tertia personæ, verbum est) eadem ratione Comest apud Nonium dicitur. dicitur aliàs regulariter Ambedit, vt in l. 38. ff. de adquir. rerum dominio.

Ambidens siue bidens] vide infrà Bidental & Bouem & Bidentes. adde 6. Gell. 7. 18. Plin. 2.

Ambiguũ] vide l. 3. & passim ff. de rebus dubiis. l. 125. ff. de verb. signif.

Ambitio] adde Varronem 4. de lingua. Nonium in Ambire.

Ambitus) de legitimo spatio à vicina insula dixi ad l. 14. in fin. ff. de seruit. vrb. adde Isidorum lib. 15. Ciceronem in Topicis. Vitruuium 1. c. 1. Varronem 4. de lingua.

Ambo) vide incerta Verrij.

dictum) ductum.

Ambrices) Inde Galli Lambrices.

regulæ) alij tegulæ, malé. nam & mox sequitur, tegulis imponuntur.

Ambrones] *gens Gallica qui subita inundatione maris &c.*) hanc narrationem Ephori ridet Strabo.

vt & turpis vitæ homines Ambrones dicerẽtur) inde Glossis Isidori Ambro, deuorator, decoctor, luxuriosus, profusus.

Ambulacra) Glossis Ambulacrum, διάστημα, περίπατον, quod & vno in loco Ambulacio: alio, Interspacio: vbi malè Intercaptio.

Amburbiales hostiæ] inde etiã Amburbium, infrà in Amtermini. (μένος.

Ambustus) Glossis περιπεφλεγμένος, περικεκαυ-

Amenta, quibus vt mitti possint, vinciuntur iacula) Glossis Ammentum, ἅμμα λόγχης.

¶ *Amia genus pisciũ*) al. Amio Isidoro 12. c. 6. quod Samo capiatur.

Amicinum) *Anucinum*.

vtris pediculum) Glossæ Amicinus, ἀσκοῦ στόμα. alibi Aruianus.

Amicitiæ) *ab antiquis ameci & ameca pere*) ab antiquis amæqui & amæquæ. S. Gloss. Animecũ ἰσόψυχον. Animæquus, patiens animo.

Aminula vrbs] Animula vrbs.

Amita patris mei soror) ita Gaius 2. Inst. 8. Amita verò magna, aui paterni soror: l. 1. ff. quarto. l. vlt. §. quarto. ff. de gradib. Amita maior, proaui soror. Paul. 4. sentent. 11. quę & proamita l. 1. in fin. §. 7. ff. de gradib.) Amita maxima, abaui soror. d. l. vltima. §. septimo. (eadem ab amita dicitur) Atavi soror, nomine caret. Amita à me tertia: à patre amata.

Amites) στάλικες.

perticæ aucupales) Glossis ἰξευτικοὶ κάλαμοι.

Amnenses] *Interamnæ & Antemnæ*) alij Inter amnenses & Amnenses, nihil mutandum censeo. nam & Interamnæ Latina vox est. Græcis μεσοποτάμιος. sic Glossis Interdia, μέσος ἡμέρας.

Amnis] *Am*) vide suprà Am.

Amœbeum carmen] *ex æquali numero*) ęqui numero. & ita Seruius in 3. Eclog. adde quædã his nõ planè dissentanea ex Isidoro 6. c. 19.

ipsa] dispungenda hæc vox.

malum) maius.

Amœna] vide incerta Verrij.

Amosis annuo) Annos, annua. sic enim Glossarium, ídque interpretatur πολυέτης. eidem Annua, est anus γραῦς. Anet γηρᾷ. Antites γερουσίᾳ adde infrà Anatem, morbum annuum.

Hirquitalli) vide j. Hirquitalli à libidine hircorum, vnde Irquis. Glossis τραγιᾶν ... Censorinus c. 4. de die Natal. Vox crassior & inæqualis fit homini tertia hebdomada. hoc Aristoteles appellat τραγίζειν, antiqui nostri Hirquitalire, & inde ipsos putant Hirquitallos appellari, quòd tũc corpus olere Hircum incipiat: Velius Longus Hinc tractum est vt eos qui sunt in adulta ætate Hirquitallos vocemus. his adde quæ de hircoso scripsi ad l. 12. in fin. ff. de ædilicio.

Hirrire) *garrire*) ringere. v. Excerpta gloss.

Histriones) glossis παντόμιμοι.

Hodidocos) ὁδοιδόκος.

Horctum & forctum] fructũ, alij Horctũ & forctem, suprà in Fortis: & j. in Sanates.

Horda prægnans) *horricidia*, Fordicidia. vide suprà in Fordicidiis & Hordicalia. Varr. 2. de re rustica 5.

Horreum] in fœminino etiam dicitur Nonio, in Horrea.

Hortus apud antiquos omnis villa dicitur) adde quæ de hortis dicã ad legẽ pen. §. Virgini in hortos. ff. de donationibus vir. & vxor.

oxiëtur) est ig t scribẽdũ ortus nõ hortus.

Hestia

Hostia] quid prima hostia & prodigua, vide ĵ. Opimæ & Prodigæ.

hostire) Ouid. 1. Fastor. Hostibus à domitis hostia nomen habet. adde ĵ. Redhostire Nonium in Hostire & Hostimentum.

Hostimentum] adde s̄. Hostia, Nonium in Hostimentum. Liuium 5.

Hostis] ab hostiendo, quòd ex æqua causa pugnam ineat. vide Nonium in Hostimentum.

apud antiquos peregrinus] Ita Persæ hostes à Lacedæmoniis ξένοι apellati. de peregrino dixi ad l. 1. Cod. de heredib. instit.

& qui nunc hostis, perduellis] perduellio. adde legem Quos nos hostes 2. 34. ff. de verb. signific. Varronem 4. de lingua: Ciceronem 1. offic.

I

ICadion] ita legendum infrà in Rhonde, non Sicadion.

Icit] *percussit*) Icit, percutit. Nonius in Icit.

Idulis ouis] Ouid. Idibus alba Ioni grandior agna cadit. adde Macrob. 1. Satur. 15.

Iecunanum] Incumanum, vel iecinorum. V.

Igitur[*postea*) vide Nonium in Igitur.

Ignia] Glossis ignia νοτιά.

Ignis vestæ siquando interstinctus esset] dixi ad leges XII. Tabul. adde Liuium 28.

tabulam] clabulam. S. est deminutiuum à claua.

terebrare] verberare: alij, terere.

Ilia] *ab ina, quæ pars chartæ est tenuissima*) v. s̄. Exile. vbi legetur ilia pro ina. Ilum videtur apellari ab Isidoro 17. c. 9. in Ferula.

Ilicet) Glossæ, Ilicet, scilicet, sine dubio.

Im pro eum) Macrob. 1. Satur. 4.

Imago) *ab imitatione dicta*) ob imitationē. V. Non tantùm autem imago similitudo, sed & vagina. Nonium in Imago.

Imbrex nomen cuiusdā Comici) vide 13. Gel. 4. & 15. c. 24 vide ĵ. Obstitū, Obliquū: aliàs diuersam habet significationem. vide Noniū in Imbrices.

Imbricat) *tēpestate pluuiam videtur significare*) à tempestate. ita lego. vt Imbrica sit à tempestate pluuia.

Imbutum) adde Nonium in Imbrices. alij

Immolare) *mola*) vide infrà Molæ. imbulum legunt.

Immunis) vide ĵ. Munem. adde etiam infrà Impetum.

Plautus) in Trinummo, immune est facinus. in excusis Plauti: vt & apud Cicer. 1. de inuentione, à quo hic versus refertur, legitur immane: eóque loco nonnulli legunt immene.

Immusculus) alij Immusulus: alii, immustulus: alij Inemustulus. vide s̄. Alites. Plin. 10. c. 7.

Immustulus) *immittat*) alij mutat: alij, immutat.

pangendo) vide ĵ. Pangere.

figere) figendo.

infligere) infigere.

Impensam stipem] Impensam stipem.

Impetritum] id in auspiciis, quod in sacrificiis litatio.

Impetum] *immunis*) vide s̄. Immunis.

Impite] Impete: alij impetite: hinc Impeteius βιαῖος.

Implorare] adde suprà Endoplorato: & ĵ. Plorare.

Impluuium] inde impluuiatus color Nonio.

compluuium] dixi ad Varr. 4. de lingua.

quo] qua: ita apud Varronem 4. de lingua.

Impolitias] hoc verbo vtitur Gell. 4. c. 12.

porca] vide ĵ. Porcas.

Impos] ἀνεξούσιος. Gloss.

Improlus] locus obscurus & mendosus A. Improles Gloss. Improles qui nondum vir est: ἀφῆλιξ, μήπω πολιτευμένος, cui contrarius, Duicensus, qui cum prole in ciuitatem adscribebatur: vide suprà Duicensus: vel qui liberos non habet. vnde Glossis ἄγονος, ἄτεκνος, ἄπαις. adde Victorin. de orthographia.

Imputatum] *putum*] vide ĵ Putus.

In] *abunitionem*) abnuitionem: Abnutionem dixit Paulus in l. inter stipulantem 83. ff. de vsurpationib. & vt quidam putant, infrequens, probo: frequēs in l. 1. §. 2. ff. demigrando. Sed Vrsinus legit, pro augmento, quod non probo: mox enim Festus aliam τῷ, in, ad significationem ponit, ibi, modò auctionem. Brissonius legit, additamento.

inclamando] vide ĵ. Ingens & Insanum.

modò auctionem] vide s̄. Clutum.

qui] quis.

Inarculum] quod & Arculum Seruij Fragmentis.

ex malo punico incuruata] & ex omni felici arbore 10. Gell. 15. vide Scalig. 4. de lingua.

sacrificans] deest Vrsin.

Incauillatio] Glossæ MS. Incauillatur, inderridetur.

Incessere] adde ĵ. Petissere.

immittere] inniti.

iactu] iaculo.

Incestus] adde Nonium in Incestus.

Inchoare] *quod Hesiodus*) vide Varronem 4. de Lingua.

chaos] vide s̄. Chaos. Ergo à chao Inchoare, quod & Terentius confirmat: ac proinde per h scribendum.

Incilla] Inciliæ vel incilia V. adde ĵ. Inlices & Inlicium: & suprà Elices. l. 1. §. 5. ff. de Riuis.

Incita] significat etiam egestatem Nonio.

Incitega] Intega, quòd partem mensæ integeret, (nam veteres pro integere incitegere) ἐγγυθήκη & ὑποκρητήριον. In earum locum

gausapas postea instrauerunt Romani.
Inclutus] vide s̄.Clutum.
Incocta vsa.] vstæ.
Incomitiare]*Plautus*) in Curculione.
In conuentione] Cōuentio pro concione, vt apud Varronem 4.de lingua.
Increpitare] vide s̄.Creperum.
Increpitato] increpato. V. adde Nonium in Increpitat.
Indepisci] adde Nonium in Indipiscere.
Indictiuum funus] adde infrà Quiris in f.& in Simpludiarea. Varronem 4.& 6.de lingua Latina. hoc autem modo funus indicebatur. ollus Quiris letho datus est.& apud Terent. Phorm.actu 5.scen. vlt. Exequias Chremeti, quibus est commodum ire, iam tempus est. eo allūdens Ouidius 2.Amorum, loquens de Psittaco, Occidit (inquit) exequias ferte frequenter aues.
Indiges] ἡμίθεος, Gloss.
Indigitamenta) Gloss. ἱερατικὰ βιβλία.
Indigitanto]*imprecanto*) indignitando, imprecando.
Indoles] adde infrà Suboles: Nonium in Indolem.
incrementum] olere enim est crescere.
industria] καλὴ ἐλπὶς ἐν νεωτέρῳ. Gloss.
Inebræ] inhibæ 12.Isid.1.Inibræ, Glossis ἐναντία. vid s̄ Enubro.
Ineopte) vide j̄.Ipsipe.
Inermat] hinc Inermus Nonio
Iners] inde Inertitudo.
Infectores] βαφεῖς.
effectores] vide j̄.Offectores.
efficiunt] officiunt.
Inferiæ] quæ & inferilia, Glossis καταχθόνια. Inferiæ iisdem χόαι. Iisdem Infertilia εἰσκομίσματα.
inferium] inferum.
Infibulati]*flamines*) sacerdotes.
Infindere) infendere, Gloss.
Infit, incipit) hinc info, ἄρξαι.
Infitiari, creditum fraudare) Isido.15.c.26.l.14.ff. Depositi. 2. ff. de except. l.7. ff. de solution. l.61. ff. de furtis. hinc inficiator. Cicero 1.de Orator. Quintilian.7.c.2.7.c.2. Martiali. Nonio tamen Inficiatores, falsi criminis obiectores. hinc inficiatio §. quædam Instit. de act. l.16. ff. Iudicatum solui l.67. ff. de furtis.
infra classem) primam scilicet: in qua censebantur ij, qui centum millia æris, aut supra possidebant, Dionys. Liu. aut, vt Plinius scribit 37 c.3. centum & decem millia. Asconius 3.in Verrem, centum millia sestertiorū. Gell. 7.c.13. cxxv. millia æris.
absuitne) furtine.
Insulæ) vide s̄.Exinfulabat.
Ingens) *augendi*) vide s̄.In.
gens) vide s̄.Gens.

Ingluuies)*grumia*) dixi ad Noniū 2.numero 377.adde s̄.Degunare.
guttus] gutta, alij gluttus, qui aliis glutto: βρόγχος Græcis.
Inhibere] vide Ciceronem 13.ad Atticum.
iungere) fugere.
Inigere, iungere) inigere.
minare) vide s̄.Agere & Agasones.
Iniuges) adde j̄.Iuges.
Iniurium, periurium) iniurius, periurus, ita lego. aliis Iniurius, qui contra ius facit.
Inlex) Illex. Nonio & Illix.
ab inliciendo) vide suprà Adlicit.
Plautus) in Asinaria.
Inlices) vide suprà Incillæ.
Inlicitator) adde j̄.Licitati.
Inlicium) vide Varronem 4.de lingua. alij Inlicum.
concionem) concilium.
collicia) collicia V. adde suprà Incillæ, Inlices, Elicium. Catoni 1.de re rustica, colliciares.
Inori minores] Inori sine ore. alij legunt Inori, Inores. hinc Inores ostreæ Lucillio, Sat. apud Nonium in Ostrea. vide Gellium 7.c.6. Quædam animalium alia alio carent sensu. aut cæca natura gignuntur, aut inora, inauritáve.
In pelle lanata noua nupta cōsidere solet] hoc tribuitur sol. Flamini & flaminicæ à Seruio.
In procinctu) ἐν προτομῇ πολέμου: adde suprà Endoprocinctu.
Inquilinus)*vel*) velut.
Insanum) adde & confer huic loco Noniū in Insanum.
pro valde) deest Lipsio: & aliàs ita, apud Plautum.
Plautus) in Mostellaria.
Inseque) εἰπέ Gloss. hinc Liuius Andronicus initio Odysseæ, Inseque musa virum. & infrà, secessiones narrationes. adde 18. A. gell. 9 L.
Insignes)*feminæ*) femore.
quasi insigniti) vide Nonium Insignité.
Insipare, iniicere) vide infrà Supat: Varronem 4.de lingua.
Insipere farinulam] vide s̄. Supat.
pultis] pullis.
Insons) vide j̄. Sons.
Sonticus] vide j̄. Sonticum.
Insuasum) suasum. vide j̄ Suasum: alij legūt insuorsum.
colorem] is color impluuiatus à Nonio appellatur c.16.
ex fumoso stillicidio) fumato stillicidio. Nonio. hinc Glossis Insuasum εἶδος φοινικίου καπνιζομένου.
Insulæ s frequens verbū in iure, quod quid sit, vide in l.3.§.2.ff.de offic. præfect. vigil. l.58.ff.locati. l.91.ff.de legat.3. Inde Insularius.

l.16.§.1.1.ff.de vsu.l.5.§.1.ff. de Institor.action.

cinguntur) coniunguntur.

Intempestam) Glossis Intempesta, ἄωρος, ἀκαιρος, βαθεῖα, ἄκρατος.

tempestatem) v.infrà Tempestatem.

Intercapedo) Glossis διάστημα, διάστασις χρόνου.

Inter cutem) flagitatos, Intra cutem flagitatos. v. Intercutitos.

Intergerini) alij Intergerij: alii, intergerini: alij Intergerriui, à gerris, id est, cratibus. Vnde Craticij & concraticii dicuntur in iure l.cùm duobus 51.§.Itē Mela 15.ff.pro socio.dixi ĵ.in Solea. Glossis Intergerinus paries, τοῖχος ὁ δύο κτίσεις διορίζων.

Interneciuum) Internecinum, Græci ἰντερνέκιον, Glossæ MS. Internecida, qui falsum testamentum fecit, & ob hoc hominē occidit.

Internectio] Glossis Internecio, ἀναίρεσις.

interfectio) deest Vrsino.

Inuoluus) Inuoluulus.

Iouista) locus mēdosus. Scal.legit, Ious esto. Sed tamē quia id minimè cohęret cū sequentibus hāc lectionē postea repudiat. Lips.39.c.20 ita emendat, Iosipse, pro, ipsipte: & ita Gloss. Iosipse αὐτός. Fortassè legendum Iouiustæ, vt sit compositum à Ioue & vstæ: ea forma qua dicimus subuerbustæ.

Ipsipe) ipsipte Gloss. αὐτός. Sic Cato mihipte posuit, pro mihipsi. alii ipsiti pro ipsimet. vide ineopte. Hîc notādū Claudiū Imperatorē multasse Senatorē, ꝙ Isse pro ipse dixisset.

Ipsulices] Ipsiplices quæ Glossis αὐτόπλυκτα φύλλα.

Ircei genus) Ircens, vt in voce sequenti infrà. fortassè legendū Isicia, vt apud Isid.20.cap.2.

Irnella) fortè vrnula.

Irpices) ita apud Varr.4.de ling.alii Ircipes.

Irquitallus puer) Hirquitalus s̄.in Hirquitalli. Glossis Irquitalus νηπιώτατος: & Irquis τραγίσκος, ἀρρενικόβοσος, vbi fortasse legendum ἀρχὴν ἡβήσας.

Ita me hercules] ita me Hercules.

Italos] virulos.

Itali] ab Italis.

Italia] adde Thucydid.6.Varr.2. de re rust. 5.Colum.6.in prin.Virg.Æn. Dionys.1.Antiquit.11. Gell. 1. Apollodorum in Bibliotheca Stephan.de vrbibus.

ab Attelido appellata] de eo nihil extat.fortè legendum, ab AtteLydo, quasi Attalia Lydos alias in Italiam venisse constat ex Strabone 5.Herodot.1.& Dionys.1.

Itonida) Itonis.

Iubar] v.Varr.4.& 6.de lingua.

Iubere] adde Nonium in Iubere.

Iubilare] Idē Varr.5.de ling.alii Iobilare.

Iuge auspiciū] Cic.2.de diuinat.v.Seruii fragmenta in illud, Primum omen equos in gramine vidi. Iugetis enim, quod ex iunctis bob. fiebat: etiam obseruabant ne prodituro magistratui disiūctis bubus plaustrū obuiā veniret.

cum iunctum] cum vinctum.

Iugere) v.Nonium in Tegillum. vbi vigere mulsus, pro, iugere miluos. Glossis Iugit. κώτω βοᾶ pro ἰκτῖνος βοᾷ.

Iuges] adde suprà Iniuges. Glossis Iugites συνεζυγμένοι.

Iugula) Glossis ἄστρον ὠρίωνος.

quasi nux iuglandis) aliter. v.Varr.6.de ling. quòd inter eius humeros videtur iugulum.

Iugum sub quo victi) v.Liu.& Flor.ū. alia significatione Iugū ζυγὸς, ἀκρωρεία, ζυγοκέφαλον.

Iunium] à *Iunone*, Varr.9.de ling. à Iunioribus: quin & ipse Festus in Maius: adde Ouid.6.Fastor.& Macrob.1. Saturnal.

Iurare Flamini Diali fas non erat] Hinc illa verba Prætoris in Edicto perpetuo, sacerdotē vestalem & Flaminem dialem in omni mea iurisdictione iurare non cogam 10. Gell. 16. adde Plut. Problemat.

Iurgatio] *iuris actio*, iuris agium. ita iurgiū definitur in c.forus §.iurgium.de verb. signif. adde Nonium in Iurgium.

Iussa] Iusa.

Iusti dies, &c.) alia significatione Iusti dies sumūtur apud Gel.20.c.1 ꝑ Iustitio, id est iuris interstitione & cessatione inter litigatores.

Iuuenalia] Iuuenilia, non malè. nā vtrunq; Iuuenalis & Iuuenilis dicitur Glossis.

Iuuentutis sacra] Iuuentatis: adde Nonium in Iuuentus, Iuuenta, & Iuuenilitas.

L*Abes*] alio significatu Labes: in iure hiatū terræ & χάσμα signif. l.15.§.2.11. Seruius.l. vlt. ff.locati: & Glossis Labes λύμη idē ꝙ Lues.

Lacerare] *Lanius*, alia ratio Etymi apud Græcos à quibus κρεοπώλης.

Lacinia] v.s̄.Dilaniare. Glossis κρασπέδον Lacinia, fimbria.

quod] quædam.

capitio] pectoris ornamentū v. Vario malè Nonio capitis ornamentum. (seductio.

Lacit] vide s̄. Adlicit hinc Gloss. Lecebra.

Lacessere) v.ĵ.Petissere. Non. in Lacessere.

Lactat] v.Nonium in Lactare.

Lacobriga] *Briga*, ex Arcobriga V. & ercobriga. Vrs. Cęterum Bryga veteri Hispanica ling. oppidū dicitur. hinc illa in Hispania oppida Arcobrega, Arabriga, Augustobriga, Cartobriga, Croliobriga, Deobriga, Iul obriga, Lacobriga, Mirobriga, Midobriga, Meiebriga, Nertobriga, Nemetobriga, Obriga, Segobriga, Tudtabriga, Talabriga, siue Alabriga, Turobriga, Vertobriga.

Lacuna] *lamam*, limam, alii λίμνην. Lamæ Glossis, πηλώδεις τόποι, id est Lutulenti loci.

lustrum) λουτρόν. v.ĵ.Lustra, à luendo.

Lacus] *eruendus*, fruendus Vrs.

dilectu) v.s̄.dilectus.

Læna) militare vestimentum esse ait Nonius in Læna.

habitus) habitu Vrs.

χλαίνη) χλανίδα. Vrs.

Lãce & Licio] dixi ad §. cõceptũ verſ. quum enim, ibi, ſecũdũ veterẽ obſeruationẽ, Inſt. de obligat ex delicto: & ad leges XII. Tabularũ.

Laneæ effigies] vide infra Pilæ.

in] ad.

redactæ] ſedatæ: alij, relatæ,

Lauerum] Lauerum.

Lapidem] *ſi ſciens fallo*, Liu. 1. id eſt ſi dolo malo.

Lapidicinæ] alij Lapicidinæ, Gloſſ. MS. meis, lapidicina, locus vbi lapides cæduntur, Græci λατομία ἢ λιθοτομία. v. 9. l. §. l. 13. §. 5. ff. de vſufructu. l. 32. de Iure dotium.

excinduntur] exciduntur. Vrſ.

Lapit] ita quoque apud Non. alij, Lipit, alij lipuit, alij lapuit, alij labit.

Larentalia] Laurentalia, alij Larentaria.

nutricis] alii inuentoris. Inuentor eſt minus quàm nutricius, qui expoſitos ſuſtulit & educauit. de expoſitis dixi ad Titulum de Infantibus expoſitis.

Larentiæ] Laurentiæ.

Latinè loqui) *vt vix eius vlla pars maneat*) idem Polyb. lib. 2. 3.

innotita) innoxia.

Latrones eos antiqui vocãt qui cõducti militabant] v. ĩ. Stipatores, corporũ cuſtodes. hinc Nonio latrocinari, militare mercede.

τῆς λατρείας) τοῦ λάτρου, ita Varr. 6. de lingua.

Latumias] ita Cic. 7. in Verr. hinc Gloſſ. Latomii, lapidũ cæſores. alii, lautumias legunt. v. in l. 9. ff. ex quibus cauſis maiores. l. 1. ff. de Aleatoribus, Senecam 9. declamat & 5. controuerſ. Sic Laumedon & Laomedon. Quin, paulò pòſt, Gloſſæ meæ manuſcriptæ, Lautomia, cuſtodia carceri: Lautumiæ Vincula, cathena, carceris cuſtodiæ: Lautumnum, ſupplicii genus.

Laudare] *apud antiquos nominare*) & verbis efferre. v. Non. Laudare. Gell. 2. cap. 6. dixi ad legẽ Tenetur 6 §. 5. ſi tibi iter. ff. de act. empt.

Lauerniones] *deæ Lauernæ*) dea erat furum, quam, vt faueret, fures inuocabãt: vt & Græci ſuã πραξιδίκην. ita enim Gloſſis Lauerna appellatur. v. Noniũ Lauerna. dixi etiã de Lauerna ad leges XII. Tabul. inde Gloſſis meis Laberna qui filios alienos ſéducit. Cęterũ Lauerna, caput ſine corpore. Auſonius, Carminum Lauerna.

ſoliti] ſolitos.

luere) diuidere.

Laureati milites) *currum triumphãtis*) curru triumphantes vrbem ingrediebantur, vt ouantes equo: ſequentibus eos, non militibus, ſed vniuerſo ſenatu v. 5. Gell. 6.

Lautia] Lauticia: v. ĩ. Dautia, quæ ξένια l. 6. §. 3. ff. de offic. Procõſ. & παροχή. vnde Xenoparochi in l. 18. §. 10. ff. de munerib. & honorib.

Lautulæ] Varro 4. de lingua.

Lectoſia] Leucoſia. ita Dionyſ. li. 1. alii Leucaſiam, vt Canterus 3. Nouar. c. 10.

Legimus aut ſcriptum &c.] plures ſignificationes τοῦ legere v. apud Nonium in Legere.

oleam] olera.

glandemne) v. ff. de glande legenda.

Legio Samnitium] vide Liuium lib. 10.

circumdatam] circumdati.

iurauerunt] iurauerant.

Lemniſci] Gloſſ. Lemniſcata, maior palma gladiatorũ.

faſcæ coloriſiæ) faſciæ coloriæ.

Lenones ab alliciendo) id eſt decipiendo, v. ſuprà Adlicit & Lacit.

Lepiſta] dixi ad Varr. 4. de ling. adde Non. in Lepiſtæ. Næuius apud Fortunatianum de Saturnio verſu, Ferunt pulchros pateras (alij; crateras) aereas lepiſtas.

Leriæ] Lęna alij λῆροι ornaméta muliebria, de quo v. Pollucẽ. Heſychium & 6. Epigram.

Leuir] *vxoris meæ frater*] vxori meæ frater meus v 9. Iſidor. 8. quaſi læuus vir: v. Non. in Leuir. Viri frater leuir. græcis δαήρ. l. 4. §. 6. ver. Viri frater ff. de gradibus. gloſſ. ἀνδράδελφος.

Libella) v. l Iudices. C. de Epiſco. audiẽtia.

Liberales) hinc noſtri, liberalia ſtudia, quæ ἐλευθέρια in l. 1. ff. de extraordinariis cognitionibus.

Liberalia Liberi feſta.)

loquemur) loquuntur.

Liberata, &c) effata, liberata, deſanata, S. Arnob. ſpatiola Tẽplorũ deſanata ponebãt.

ponebant) v 11. Tabularum authores.

Libertatis) *conſtructum*) conſtitutum.

Librilla) alij librilia. id eorum locum Fuſtibalũ poſteritas excogitauit: de quo Vegetius. Cęterum hic deeſt verbum à quo regatur oratio. *Licitati*) adde ĩ. Inlicitatum. hinc animoſè licitus in l. 29. ff. familiæ. de veſtibulo liceri. in l. 19 §. ff. cõmun. diuidundo. hinc licitatio l. 6. l. 22. §. 1. ff. familiæ. licitatione vincere. l. 9. ff. de Publicanis ſuperiorẽ eſſe in licitatione l. 4. Cod. de vectigalib. & cõmiſſis calor licitantis l. 9. ff. de Publican.

cõtẽdẽtes) hinc licitari Nonio, pugnare, rogare. gloſſis Licitare ὑπερθεματίσαι Licitatio ὑπερθεματισμός: & διακήρυξις. (dicta 12. Gell. 3.

Lictores (adde l. 8. l. 23 ff. de manumiſſis vin.) *quod faſces virgarũ ligatos ferũt*) hinc Gloſſis lictor ῥαβδοῦχος lictor ſũmus ἀρχιραβδοῦχος à ligando Nonius deriuat. Hinc illud lictor colliga ad palum 12. Gell. 3.

parẽtes) apparẽtes v. ĩ. Viatores (λυμενωνησιν

Limaces cochleæ) Vermes dicũtur gloſſis &

Limitatus ager) de limitatis agris v l. 16. ff. de adqu. rerum dominio: Iulium Frontinum de limitibus agrorum.

Limites) *in agris*) ſunt etiam imperiorum limites l. 5. Cod. de annonis. ſeu limina: vnde poſtliminium dictum §. 5. Inſt. quibus modis ius patriæ poteſtatis.

termini) *duo præcipui limites*) Cardo à ſeptẽtrione in meridiẽ Decumanus, ab oriente in occidẽtẽ per trãſuerſũ direct⁹, vt formã denarij faceret. v. 18. Plin. 33. 15. Iſid. 14. v. Siculum Flaccum & Hygenum.

obliquus) v. Hygenum & Non. in Limum obtortum, & Gloſſæ Limis, obliquis oculis

Lingua] *pars corporis*) eo significatu sumitur in l. 1. §. 1. Cod. de off. Præto. ibi linquis abscissis pœnas loqui.

differentia sermonis] hinc lingua Latina, Græca, Punica, Gallica. l. 11. ff. de legat. 3.

promontorij genus] lingua eo significatu accipitur à Liuio 5. Cæsare libro 3. belli Gallici.

Lingulata genus piscis] Varro de lingua.

auguratrix] alij garrulatrix, rectè: lingulacæ Nonio verbosi & Locutuleiæ. alij etiam hic legunt, argutatrix, vt Canterus 4. c. 28.

Litatem] *solutum*) solitum.

Leti cecidisse] litis.

Lituus] *liticen*) 20. Gell. 2. Ouid. 6. Fastor, dixi ad legem XII. Tabularum. Glossis Liticen ἱεροσαλπιγκτής.

effundit] effudit.

Lixa] à lixa, id est aqua, Non. lixas deducit.

Lœbesum] adde suprà ab oloes, pro ab ipsis. alij Leibesum. sic in quibusdam denariis Cassij Leibertas: in aliis Deidi, Opeimi, Serueili. De vsu diphthongi ei vide Quintilianum, Nigidium apud Gellium: Longum, Terentium, Cicer. 3. de Oratore: & in Seruianis schedis Lœbasi?, quia Græcis λοιβὴ res diuina.

Lotos] *tibia*) inde loton pro fistula Athenæo.

Lucani] *cretosa*) ætherosa alij ærosa.

Lucar] *quod ex lucis captatur*) capitur πλουμένων εἰς θέας, sumptus in impensas scenicas. Plutarch, Problemat. θεατρικὸν ἀργύριον Gloss. Item μισθὸς ἀπὸ φίσκου Liuius 3. Lucaris meriti (vbi male lucris meritis) docuimus mittite. Tertulianus aduersus Gnosticos, loquens de Iohanne Baptista, Truncatur, inquit, in puellæ saltricæ lucar. Hoc ad intendum, Tiberij temporibus, lucar histrionum coercitum. Quæ cum ita sint legendum hîc, non lucis, sed ludis. dicam ea re plenius ad l. vnicam Cod. de expensis ludorum publicorum.

Lucerenses] *à Lucero*) à Lucomo. vide infrà in Lucomedi. alij, à lucumone vel à verbo Etrusco. Varro 4. de lingua. à Lucumone. alij à Lucretino. Asconius libro 3. Verrin. à Luco asyli, Plutarch. in Romulo. vt non immeritò huius verbi incertam causam originis scribat Liuius 1.

Lucetium Iouem] Gloss. λουκέτιος Ζεύς.

Lucius] Idem Varro lib. 5. de lingua circa principium.

Lucomedi] *Lucomo*) alij Lucumone, qui & Lucmo Propertio.

Lucerenses, vide suprà Lucerenses.

Lucomones] *infesta*) festa.

Luctus] λύπειν) λύζειν.

Lucuntere] Lucentem, Lacuntem: alij Lucunter, Græcum λευκὰ ὕνη ab aspersione albæ farinæ, Dicitur & Lucuns, Lucuntis. Non. 2. 493.

Lues] adde Nonium in Lues.

diluens) dilues.

Luma] lima vel lina. V. Excusa magis placet. Nam à luma Varroni 4. de lingua, falces lumariæ. Glossis Luma βοτάνη ὁμοία ἡ δυσόσμῳ ἥν τινες ποταμογείτονα καλοῦσιν, ἄλλοι καλαμίνθην.

Lumbago] Glossis Lumbaga & Lumba.

Lura] lora.

Lucrones] à lucrando, Nonius in Lucrones. Glos. MS. Luricones, deuoratores: & Lurco, glutto.

Luridi] Gl. Lurida, pallida, sordida ἰκτερικά.

Luscitio] qui & Nonio lusciosus, qui ad lucernam nihil videt. μύωψ. Glos. Lucinosus, qui Vespertilio aut parũ aut nihil videt: Iuri νυκτάλωψ, & luscitiosus. l. 10. §. 4. ff. de ędilitio.

Lustra significant lacunas] v. s. Lacuna: alij lamas legunt.

aprorum cubilia] vt & ferarum habitacula. Nonius in Lustra.

in lustris vitam agere] lustra enim pro lupanari, Nonio. Eidem, lustratus, luxuriosus.

tempus quinquennale) frequens in iure lustri mentio hoc significatu, id est pro quinquennij tempore. Glossis instrum πενταετηρὶς Lustrale πενταετηρικόν.

Lustrici dies] vide Macrobium 1. Satur. 16.

nomina imponuntur] hinc Nominatio apud Tertullianum libro de Idololatria. dixi ad Non. in c. 15.

Luxa membra] *Luxuriosus in re familiari solutus*] hinc mulier luxuriosè viuens in l. 15. ff. de Curatore furios. & aliis & luxuria in l. 40. ff. de damno. l. 1. ff. de ædilitio, impensa profusa. vide Nonium in luxuria.

luxantur] Sic & Nonius, Luxum, interpretatur vulsum, loco motum.

Lycophos] à λύκη ea lux apud veteres: inde lycophos.

Limphæ à Nymphis] Imò, Nymphæ à lymphis.

M*Acellum*] v. Varronem (differt autem à macellum, quod diminutiuũ à Macro, de quo s. Altellus. Nonius in Macellum) à macello Macellarius; glossis ὀψωνιοπώλης.

Mactus] *magis auctus*) Nam mactare magis augere. v. Non. in Mactare.

Madusa] madulsa. ita in Pseudolo.

sit) satis.

Meandrum) Mæander. Nonio 2. 550. inde meandrata facies apud eundem. Mæandri meminit apud Virgilium libro quinto.

Mæniana) meniana Nonio. adde Varronem l. 20 ff. de seruitutibus vrbanor l. 2. §. cùm quidam 6. ne quid in loco publico. l. 242. ff. de verb sign. 35. Plinium 10. & 34. c. 6. 9. Valer. 11. 15. Isid. 3. & mœnianum græcis ἐξώστης. in l. Meniana. C. de æd. f. priuatis.

à Manio] a Menio quodam Censore. v. de eo. v. Plin. 34. c. 5.

Mœstus) *oscos*) oscor vel oscorum.

Magister) magistrare vel magistrari.

vnde magistri) l. cui præcipua 57. ff. de verb. signif. magister etiam dicit Theophilo Tit. de successi. bonorum. qui bonis debitoris vendendis constitutus erat à creditoribus.

pagorum] Glossarium, Magister Pagi ἀμφοδιάρχης: adde Siculum Flaccum de limitibus agrorum.

pagorum societas) pagorum, curiarum societas Vrs. & Plaut. Aulularia, Nostræ qui est magister curiæ. adde ĩ. Vici.

societatum] l. 4. ff. de Pactis.

vicorum] Sueton. in August. c. pen. & vlt.

collegiorum] Equitum. l. 2. §. 19. ff. de origin. iuris. l. de offic. Præfect. vrbi.

magistratus] l. 57. de verb. significat. vide Varronem.

dicimus] dicitur.

Magisteria] magistri v. hunc locum emendatum: s̃. Columna 121.

quæ qui.

magis cæteris possunt] v. l. 57. ve verbor. sign.

. . . *linis*] hoc fortasse referendum ad magisterium aliquod Apollinis ludorum.

contra ora . . .] fortè contra orationem alterius oratoris.

Magmentum) vide Varronem 4. de lingua. vbi de victu. aliud est autem Glossis Magmentarius μύρεψος. & magmentaria vasa, in quibus Magmenta & exta sacra imponebãt.

magis augmentum) maius augmentum.

Magni Catonis, Atei, & Nepotis Catonis.

Magnum socerum. l. 4. § 6. socer magnus. ff. de gradibus, quem nostri authores prosocerum appellant. l. Is. ff. rerum annotarum. l. 3. §. 2. ff. de in ius vocando. l. 146. ff. de verb. sign.

Magnam socrum) quæ & prosocrus. l. 4. §. 6. versiculo, item prosocer. ff. de gradibus.

Maiestas) Glossis μεγαλειότης.

Maijs Idibus) *Mercurij ædes*) vide Liuium. 2.

Maius mensis) *Iunius*) vide aliud Etymon. s̃. in Iunium.

res diuinæ . . . . *fiant solemnes*) res diuina fiat Idibus eo mense. S.

Maior patruus) l. 10. §. 16. vers. patruus maior. ff. de Gradibus.

Maior amita) l. 10. §. 16. vers. Amita magna, ff. de gradibus.

Maior Auunculus) l. 10. §. 16. vers. Auunculus maior. ff. de gradibus.

Maior Græcia) adde Festo, vel, quòd propior Romanis esset Transmarina Græcia, eandem exoticam vocat Messenio Siculus, seruus apud Plautum non ex sua persona, sed ex persona Græcorum.

Maior socrus) . . . *iora auspicia*) id est maiora auspicia: quo vt intelligas, v. 13. Gell. 4.

Maiorem Consulem) *Prætorem autem maiorem*) vide infrà maximum Prætorem.

Maledictores) *Hispania*) hoc quid sit non constat.

Maleuoli Mercurij signum) vide hunc locũ emendatum s̃. apud Festum.

Maleuoli) *Ianum qui item erat in Turdellis*) hoc quid sit etiam non constat.

Malleoli) *videlicet*) *scilicet.*

ij qui ad incendium) hinc Gloss. Malleolus σφύρας πυρίκβολα. & alio loco πυρίβολα, adde Nonium in Malleoli.

Malluuium) malluuiæ.

pelluuia) vide infrà Pelluuiæ.

malluuium latum) *commentarium*) commentario. *Maltha*) hîc pro pice sumitur: apud Noniũ maltha mollis. Glossis Maltana. πιασίκηρον. aliis, malthana.

Mamercus) *appellant*) dicunt.

Mamertini, *&c.*) Mamertini appellati sunt Messinenses hac de causa A. vide Strabon. 6.

ver sacrum) v. ĩ Ver sacrum.

Tauricana) Taurominitana.

.cite) exercitum.

Mamilia Turris) vide ĩ. October equus.

sabura) suburæ.

Mamiliorum familia) *Mamilia Telegonis filia*. Manilio Telegoni filio ita legendum intelligit autem Octauium Mamilium Tusculanum, Superbi generis & Latini nominis principem, de quo Liuius 5. Dionys. 4. Qui primus ciuis Romanorum ex hac familia L. Mamilius, C. Nautio & L. Minucio Coss. Liuius li. 3. *condidisset*) est appellata.

Mamphula] *panis Syriaci genus*, Mamphul pistrinorum manceps, à Græco μονοπώλης. Nec id mirum, cùm multa Scyri à Græcis habuerint.

pistricem) dixi ad Varronem 4. de lingua.

valida) validam.

addas) nunc addam: vel, ad classem.

Mamphur) Mimphur.

in operibus tornandis) in torno id Mamphur, quod in machina tractoria, sucula.

Mamurij] *cantibus*, carminibus.

latius] latus.

Manalis fons) locus obscurus, & fortasse mendosus. A. V.

spiciendius) spiciendus.

Manalem lapidem] Manal vel Manale, vel manalia apud nonium in Trulleum c. 15 numero 32. vt sit ostium manium & Orci.

Orci ostium) Ethnici orci ostia collocabant iis potissimum locis quæ fœditatem odoris exalabant. Verbi gratia in Auerno lacu. Cicero 1. Tusculanar. Plautus, Acheruntis ostium in nostro est agro. Lucretius, Ianua nec puteis orci regionibus illis credatur.

manalem etiam lapidem) v. supra Aquilices. Non. in Manalis lapis & Fulgentium.

protraherent] pertraherent. Vrs.

Manare] manat, ῥέει.

mane) vide Mater matura. Varr. 5. de ling.

Manare Solem) *mane*, v. ĩ. Mane.

Manum bonum) Idem Varro de lingua: numer. 2. Non. in Manum.

. . . . . . *olitos*) manare solem solitos. v. hunc

vide hunc locum emendatum s. Colum. 124.

Mane] vide s. Manare: & Nonium in Mane.

à dijs manibus] v. j. Manes dij.

mana] mania.

mater matuta] v. j. Mater matuta quæ Græcis λευκόθεα. adde Ciceronem 1. Tusculanarum: Nonium in Manum.

Manceps) adde j. Mancipatio, s. Emãcipati. v. l. 3. Cod. quibus iunioribus, lib. x.

capiatur) capit. conducit l. 53. ff. locati.

idem præs) adde infrà Præs.

pro eo) pro quo.

Mancini fama) Mancini Tifata.

Manducus, &c.) Manduci effigies in pompa antiquorum inter cæteras ridiculas formidolosásque præferri solebat. Vrs.

clare) quia pol claré.

Manes dij) adde suprà Manc.

terræ neque, terrenáque.

Manuos, Manes.

Aelius Stilo) Aurelius vel Ateius.

&] vnde.

Maniæ, *dici ait*, dicunt.

appellant, vocant.

vt Mania, &c.) sunt qui Maniam laruarũ matrem auiámque putent.

Manius agrum, Manius Aegerius Lucius: alij Manius Ægerius Nemonensem Dianam consecrauit: cuius Rex Nemorensis, eius sacerdos. ea autem erat Aricina.

consecrauit, id ei signum posuit.

Asinius] Finnius.

initio, deest Vrsin.

Lucius, vide s. Lucinus, ita Varro 4. de lingua.

Mansucium, Mansucum.

Mansues, vide Nonium in Mansuetus & Mansues.

Mansuetum] vide Nonium in Mansuetus.

Mantare, vide Nonium in Mantat.

Iam ore, Iam ohe adeo, manta iam, hoc vide. vt cæcus animum aduentus angit. S.

Manticularum vsus, ad manticulandum astu aggreditor. scite quid prome, erue, erue. item, Educ. I, manticulator. ita me facti oppressit iugo.

manticula tactu, manticulatã astu, sanctiora addicis. iura iuranda.

Plautus) Planius.

extergeantur) manticulæ igitur etymon à mantilibus seu monticulis quibus extergentur: nisi hoc verbo mantile, quis putet iuramentum hîc prouerbialiter definiri, quòd iuramento quotidianæ noxæ extergeantur. Vnde & à Laberio, emplastrum æris alieni.

Mantisa, Tusca, osca, imò Latina, pro manutensa, quod manu porrigatur, vnde mantesa, & mantessa.

Manubiæ Iouis] adde j. Peremptalia, de manubiis. adde Nonium in Manubias.

dicuntur) creduntur.

placidéque] placatæ.

superarunt) superorum.

Manum & mentum prouerbium] v. 13. Gell. 18 Lycophr. Interpr. in Iambicis: Eustah. in 1. Homer. Iliad.

Manumitti] v. hunc locum emendatum s. pag. 123.

Hunc hominem, &c.] vide l. 23. ff. de manumissis vindicta. §. Caium li. 1. Instit. Boetium in 3. Topic. adde s. Am. & Ambactus.

Mapalia] Gloss. Mappalia καλύβη.

poenicæ) punicæ.

solet solute viuentibus obiici] Seneca in Ludo, mera Mappalia fecistis, id est dissolutè egistis.

Marculus deminutiuũ à Marco] ita legendum censeo s. in Altellus in fin. Glossis Marculus alio significatu & Marculũ σφυρίον seu σφύρα σιδήρου & κέστρον, dominulus à domino, in l. 41. §. 4. ff. de legat. 3. eadem forma, vt dicitur.

Marspedis] v. hunc locum emendatum s. Col. 125.

imprecatiue sesita vallium] quidã pro, sesita, legit solita, & sic in precatione solitaurilium & Saturnalium 10. Turneb. 15.

ne Messala quidem Augur &c.] fortè Marspedis, id est quod Martis puer aut filius.

Martialis campus] *Equiria*) vide Ouidium Fastorum. 3.

Martias Kalendas Matronæ celebrabãt) hinc illud proponitur in l. Sed si Vir 31. §. Si vir vxori munus immodicum Kalendis Martiis aut natali die dedisset, donatio est 8. ff. de donationibus inter virum & vxorem.

cœpta sit] cœpta erat vel est.

Martius Mensis initium anni.] v. Varronem 5 de lingua num. 4.

Masculina] vide hunc locum s. emendatũ col. 120.

sed ἀπ] ἀρσενικὰ καὶ θηλυκά.

Masculino genere parentem apellabãt antiqui etiam matrem] facit l. 51. in fin. ff. de verb. significat.

dixit Gracchus] huius orationis meminit Gellius.

malo Cruce] v. Nonium in Crux.

posteriorem) posteriore.

hunc frontem) v. s. Frontem. Nonium cap. 3. in Frontem.

hunc stirpem) v. j. Spicum: Nonium cap. 3. in Stirpem.

hanc lupum) v. s. Agnus.

hanc metum) v. j. Metus: Nonium cap. 3. in Metum.

Idem cum in Popilium & matronas &] in populum & Mathonem A. in populum & ma-

tronas, eo exemplo instituto dignus fuit qui malo cruce periret.

Matellio] adde Nonium in matella.

Materfamiliæ] qui & materfamilias. adde Nonium in Matronæ & Matresfamiliæ. l.3. in fin.ff.de liberis exhib.l.195.in fin.de ver.sig.

apellaui] vocaui.

Mater Matuta] v.s̃.1.Manum. Glossis λευκοθέα, adde Nonium in Manum.

materiæ] materies.

Matertera] l.10.§.14.vers.matertera ff. de gradibus.

mater] matertera.

Matralia] v.Varronem.4.de lingua.

Matrici] Mattici vel Martici, Mattici à magnis malis, non quasi Malaticij vt hîc putat Festus, sed quia veteres ματύας τὰς σιαγόνας. vocabant. vnde etiam γναθῶνες gulosi.

Matrimes] v.j̃.Patrimi & Matrimi & Palin.patrimus.

Matronæ] v. hunc locum emendatum s̃. col.122.

in vehiculo descendere cogebantur) videndũ num hęc pertineāt, ad ea quę de Vestali Claudia prodũtur, quæ patrem complexa de curru se detrahi passa non est, Cicero pro Cælio Valer.Max.4. Suetonius in Tiberio.2.

Matronas]*fere*) forté.

quibus stolas habendi ius erat] v.l.Vestis 23. §.vestimenta 2.ver.muliebria ff.de auro.Cic. Philipp. Sed citò Curio interuenit, qui te à meretrico quæstu abduxit, & tanquam stolā dedisset, in matrimonio certo collocauit.

Matronis aurum redditum] Liuius 5.&lib. Plutarchus tamen in Camillo donatum Appollini: Plin.33.c.in Iouis cella collatũ scribit.

contulerunt ornatus) v.j̃.Polentis.

Matronis) v hũc locũ emendatũ s̃.col.120.

Matula) l.25.§.10.ff.de auro argento. Gloss. ἀρύταινα. vbi tamen legitur matulata : eo Matella Nonio.

Maximæ dignationis) v.j̃.ordo sacerdotum.

inter quindecim) decẽ cōstituuntur à Var.4. & 6.de lingua, Dialis, Martialis, Quirinalis, Volcanalis, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomanalis, Adde Carmentalem ex Cicerone in Bruto: Portumnalem ex Festo: item diui Iulij & Augusti ex eiusdem & eorum temporum historia.

minimi habetur) minimè habetur.

Maximam hostiam ouilli pecori) maxima hostia ouis: maxima victima. Taurus, Virgilius & maxima Taurus victima, Victimę maiorũ animalium: hostiæ, minorum.

ab animo placidiore) si compares cum suibus & capris.

Maximi Annales)*consecrasset*) confecisset. V.& Vrs.

Maximum Pretorem) Sic in carmein Marcij Vatis, His ludis faciundis præsit Prætor, qui ius populo plebíque dabit summum. adde Liuium lib.25. Macrob.1.Saturn.

quia] *qui quod in salutis augurio*) V. Ciceronem de diuinatione, Tacitum 12. Dionys.37.

Pretores maiores] v. s̃. Maiores consules.

Maximus Curio] v. Liuium.27.

Maximus Pontifex]*religiones*) religionem.

Vindex cõtumaciæ priuatorũ, magistratuumque] suspecta sunt hæc verba pauli quibusdā, quæ tamen, minus quàm suspecta esse debét. Nam & priuatorum contumaciam coercebat Flamen, si festis operabantur. v. Macrob.1.c. 16 & j̃. Præclamitatores & magistratuũ. Sic apud Valerium Maximum Metellus Pontifex Posthumium Consulem, eundémque Flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petẽtem, ne à sacris discederet, multa indicta, Vrbem egredi non patitur.

Me castor]*diceretur*) dicerent.

Meddix) Medix, qui & Medixtutichus. Liuio 26.&24. malè apud Senecam 1. de Tranquillitate 3. Ceryx. hic tamen alij legunt Medistriticus.

Medialem) Medidialem: ita legunt antiqui, medidies pro meridies.

Mediocriculo) locus obscurus & mendosus emendatus s̃.col.121.

genere) gerere.

Medioxumum) medioximum Nonio. antiqui mediotũnus, à numero, vt à quoto quotumnus.

Mediterreum) *mediterraneum*) Glos. mediterraneus μεσόγειος, mediterranei, μεσογειωτικοί.

meditrinalia) dixi ad Varronem.5. de lingua numero 3.

diceret) dicere.

ceptum) conceptum.

meditullium) τὸ Tullium, in hoc verbo extensio est vocabuli nihil significans, testis Cicero in Topicis.

medius fidius) iuramenti species cõpositũ ex Me & dius. Fidius ita Mecastor, Mehercules alij ex E compositā dictionē putant vt Ecere, Equirine, Ecastor.

Iouis filium id est Herculem) Iouis filius, id est Hercules MS. Vrs.

Et) vt.

Fidius pro filio) Varr.4.de lingua num.10.

Medullitus) adde Non. in Medullitus. Glos. Medullitus nomen, ὁ γνησιώτατος.

Mesancilum) Mesancilum, Mesancylum. μεσάγκυλον, ansatas vocat Ennius.

Mœlibea) *dicta*) vocata.

Melis) Meloas vel Melia.

Melo) v.s̃. Alcedo.

Melos) alia significatione sumitur apud Festum.

Meltom) ita lego Meliō, meliorẽ dicebant.

Membrum

Membrum abſcindi mortuo dicebatur] dixi ad Varronem 4. de lingua. num. 4. & ad leg. XII. Tabul. in quibus ſic erat, Homini mortuo oſſa ne legito, quo poſt funus faciat.

Memorare(*dicere*) hinc Gloſ. Memora εἶπε.

Memorioſus) Gloſſis μνήμων.

Mendicum] pro velo hic: aliàs Gloſ. mendicus ἐπαίτης.

Mendicum] *quem*) quam. A.

Menſa] Meſſe.

menſam] meſſem.

Menſæ] vide hunc locum reſtitutum ſ. columna l. 123. vt Feſti verba intelligas, lege Pauli Epitomen, Macrobium 3. Saturn.

Menſarij] Liuius 7. Cicero pro Flacco, qui & Menſularij in l. ſi ventri 24. Gloſſis τραπεζῖται. Hi rationes publicas, vt argentarij, priuatorum conficiebant. vide Sigonium 2. de iure ciuium. 11. Huc referenda, frequens Menſæ mentio, de qua in iure & in l. 4. ff. de edendo. l. 47. ff. de pactis. l. 5. §. 1. l. 19. §. 1. l. vlt. ff. de Inſtitoria l. 77. §. menſæ. ff. de legat. 2. l. 29. §. 1. ff. de liberatione legata. l. 27. ff. de furtis. l. 3. Cod. de Inſtitution: b. Nouell. 137. 14. Gell. 2.

Mente captus] v l. 25. Cod. de nuptiis.

hominis poteſtate] hoc Feſti Fragmentum ſupplendum eſt ex ſuperiore Feſti Epitome.

Mercedicius] Mercediuus. Gloſſ. Mercenarius μισθοφόρος, μίσθιος.

Mercedonias] dies ſcilicet hoc eſt intercalares. Nã intercalaris dies, Mercedonius. Plutarchus in Cæſare, vel Mercidinus. Idẽ in Numa.

Mercurius] *deſtinabant*) feſtinabãt M S. Vrſ.

Merendam] quaſi medẽdam ἄριστον δειλινόν. *pro prandio*] Nonio verò merenda, poſt meridiem cibus.

Mergæ] *vt illæ ſe in aquam mergunt*) idem Varro 4. de lingua. numero 13.

Meritauere] v hunc locum emendatum ſ. col. 121.

Mertat pro merſat] v. ſuprà Exfuti. Non. in Mertaret, Mergeret. Mertare eſt etiam merentem facere Nonio, in Mertaret, pro merentem faceret.

Merum] pro ſolo hîc accipitur, vt & apud Varronem 4. de lingua num. 11. & Nonium in Merum: & Gloſſ. Merum ἄκρατον, μόνον, ψιλόν.

Meſon] Mœſon. alij Mæſon. v. Athenæum.

Meſne] Moeſone.

Metaphoram] v. Quintilian. c. 8. c. 6. vide hunc locum emendatum ſ. col. 119.

Meta .. ſtices] Metaphraſtices. alij Metaphraſticen. alij Metaphraſi. alij Metaſtaſi. alij Metabaſi. vide emendatum hunc locum ſ. col. 119.

Metari] vide Non. in Metari. vide Titulũ Cod. de Metatis. hinc metatores l. 3. l. 5. Cod. de aduocat. diuerſor. iudic. l. 9. Cod. de prox. ſacror. ſcrinior. 2. Vegetium 7. Cyprianum 1. Epiſtol. 4. & Iſidor. hinc metatus miles.

Meeelli] μίσθιοι. *in re*) in lege. *quaſi mercenarij*) hinc Glo. Metellus μίσθιος. *annalium vigeſimo ſeptimo*] Annalibus. *Calones*] v. ſ. Calones. *caculæ*] v. ſ. Cacula. *ductum*) dictum.

Metonymia) *tremis*) tremit.

Metus feminino) vide ſuprà maſculino & ȷ. Recto fronte: Nonium in Metus.

Migrare] vide hunc locum ȷ. emendatum col. 123.

Militem] à mollitia. v. l. 1. ff. de teſtament. (militis. κατ᾽ ἀντίφρασιν) *per, antiphraſim.*

Millium) κέγχρον) Glo. miliũ κέγχρος ἔλυμος. μελίνην) ita Varro 4. de lingua.

Millus collare canum) adde ſuprà Catulus. *Vobis*) Nobis. M S. Vrſ. *eritis*) erit is.

Miluina) v. Solinum c. 10.

Mina ſingulariter d...) Minam ſingulariter dici pro eo quod, Minæ, pluraliter dicimus, Curiatius author eſt. Item M. Cato in Suaſione ... mina colligi nulla potuit.

Minora templa) vide hunc locum emendatum ſ. col. 122. adde Varronem 6. de lingua. *templum*] v. ȷ. Templum. *angulúſque adfixus*] angulóſque adfixos.

Minorem) *Delos*) Delus. *Dicæarchia*) v. ſ. Dicæarchia.

Minores & maiores inter cognomina feminarum) hinc Gloſſ. minores μεταγενέστεραι. & minor μικροτέρα, Si tres erant, dicebatur prima, ſecunda, tertia Seruilia: ſi duæ maior, minor, Seruilia. Liuius, Tullia minor: Horatius, Sagana maior.

Minotauri) vt & porci. vide infrà Porci.

Minucia) eſt) eſſet.

Minucia porta) Pauli eſt hoc fragmentum non Feſti, vt ſuperius.

Minuebatur) dixi ad l. 15. ibi deminuto Cod. quibus ex cauſis infamia. *familiam*) familia. *caſtro Cereris*) caſto Cereris. dixi ad Varron. & ex Liuio 20. conſtat, à lugentibus Cerealia celebrari non licuiſſe. *conſtitiſſent*) conſtituiſſent.

Minuitur populo luctus) vide col. 122. *gratulationi*] gratulatione.

Minurritiones) minurrationes. Gloſſ. minurit μινυρίζει.

Minuſculæ) Quinquatrus) v. ȷ. Quinquatrus

Minutum) μειοῦν) μινύειν.

Mirachidion) Miracidion. (Varroni.

Miracula) ita Nonius in Mira: miraculæ

Mirior) idem Non. mirius magis mirium.' *inquam tibi*) tibi inquit.

Miſeratur) adde Nonium in Miſerari & miſereri. Gloſſ. Miſeratur, ἐλεεῖ.

Moene) *per*) *pro*.

Moenia) & *alia*) & cætera.

Neruolaria]extant hæc in Sticho Plautina.

fungar]fungor.

Mola salsa] vide suprà Immolare. & Varronem. Glossis Molæ salsæ οὐλαὶ πεφρυγμέναι.

molitiones]molitores.

monendo]molendo.

molestras]*ouiles)*ouillas vel ouinas.

Molucrum]μύλικρον) μύλακρος.

mola]rotæ.

vertuntur]verruntur.

Afranius in Virgine Ferme Virgini] ferme, Virgini tam crescit vterus, quàm grauidæ mulieri, vocatur molucrum, transit etiam sine dolore. Gabriel Faernus ita legit, ferme Virgini tam crescit vterus, quàm grauidæ mulieri, Molucrum vocatur, transit sine doloribus. Sunt autem senarij duo post verbum Virgini. Scaliger ita, ferme excrescit Virgini vterus tanquam mulieri.

Momar]Idem Isidor. Gloss. & Plaut.

vocat]appellat.

Momen]*si paruo possent*] si à paruo possunt.

Monimentum]momentum. adde Nonium in Momenta & Monimenti. adde l. 2. §. 6. ff. de religiosis.

Monitores]*qui in scena monẽt histriones)* ὑποβολεῖς. & qui opera rustica vrgebant. l. 8. ff. de Instrumento, & apud Paulum sentent. 6. & qui dicentibus oratoribus præstò aderant, subsidij causa. Cicero in diuination. Plini. in Panegyrico.

Monodos]7. Plin. 16.

Monstrum] v. l. 38. ff de verb. signif. l. 7. in fi. Cod. de posthumis heredibus.

Prodigium] v. ĵ. Prodigia. & d. l 38. & d. l. 3.

prædictum & quasi prædictum] prodictum vel prædictum.

ostentum] v ĵ. Ostentum. & d. l. 38.

Morbosum]adde l. 16 ff. de Ædilit.

Morbosum obiisse]obiisse: inde obitus.

ob Romam] vide ĵ Ob.

vadimonium obiisse]obisse.

esse]isse.

Mortis causa stipulatio] v. legem mortis causa. 34. ibi, vt quid stipuletur. ff. de mortis causa donationibus.

Mortuæ pecudis] *Flaminicis)* Flaminibus.

suo morte extincta]id morticinium vel morticinum Varroni, & l. pen. ff. de via publica. Glossis Morticina θνησιμαῖα.

Mos est] v. Macrobium 3. Saturnal.

Mosculis] Moscillis.

Muger dici] *castrentium)* castrensibus.

Muginari est nugari] murmurare Nonio. Isidor. caussari: hoc verbo vsus Plinius in Præfatione.

Mugionia] ita Solinus 2. Mucionis à Mugitu. Varro 5. de lingua.

Mulciber]molliendo.

obtutu]obtuitu.

Muli Muriani] v. s̃. Aerumnulas.

Mario instituti] Marij instituto.

Mulis) currui vehiculóque adiũgi) hinc mulæ charruchariæ in l. 38. §. 8. ff. de Aedilitio. & Rhedariæ.

Mulus] *tam sterilis, ea si quam mulus*] hinc mulus ad generandum inhabilis dicitur in l. ædiles 38. Sed enim 7. ff. de Aedilit.

equi creetur) equus oriatur.

Mulleos] *quibus Reges Albanorum primi* quibus verò Imperatores Romani aliquando vsi Campagij Nouell. 126.

alucinatos) alij alutocinatos. alij, lunatos, alij alutatos. Iuuenalis, Appositam nigræ Lunam subtexit alutæ. adde Horatium lib. 1. Satyr. 6. ibi Nam vt quisque insanus. Tertullianum & Plutarchum in Problemat. Scaliger ita, alij vncinatos: eo sensu, magistratũ functi, mulleos: milites fulmentatos: cæteri Romani, Perones.

perones]iis vtebantur per niues & glaciem. Iuuenal. Satyr. 14. Sidonius Apollinaris epistolar. 4.

tibialis] tibiatim S. id est ad mediam tibiam. ita erant genera omnia calceamentorum, qualia Turcarum hodie. Tertullianus in libro de Pallio, Impuro cruri, purum aut mulleolum inducit calceum.

mullando id est suendo]quid si à mulli à rubro colore? vt, Isidorus & Dion.

Multam] *pœnam quandam)* pœna quidam.

pecuniariam]multa, pecuniaria pœna hic, olim non ita. l. aliud. 131. ff. de verb. sign.

maximam multam) v. ĵ. Ouibus.

quia non licebat) v. ĵ. Peculatus furtum publicum.

æstimatúrque bos) v. ĵ. Peculatus ouibus: & s̃. Æstimata.

Multifariam] Gloss. πολυτρόπως πολλαχῶς. Eadem forma Totfariam à Varrone, dicitur & Glossis Difariam διχῶς. Trifariam τριχῶς. Quadrifariam τετραχῶς, τετραπλῶς. Septifariam vide Nonium.

in multis locis fari]in partibus multis. Nonius.

Mundus appellatur) etiam dicitur ornatus muliebris) vide ff. de auro argento & mundo, v. Nonium in Mundus. Glossis κόσμος.

Atteius) Attius.

pater) patre.

idem loco) vide hunc locum emendatum s̃. col. 122. adde Macrob 1. Saturnal. 16.

Volcanalia) Volcanali.

ex iis, qui intrauere, cognoscere potuit) vt ex iis qui intrauere cognosci potuit.

Commentariis iuris ciuilis) vi. 3. Gel. 18. l. 4. §. 1. ff. de verb. signific.

ille eius) illi eius.

per eos dies) adde infrà Religiosus. Præliares dies, Prohibere Comitia.

Mundum)

Mundum] *eo tempore*) eo die.

Munem] pro officio hìc : apud Nonium Munes consentientes ad ea quæ amici velint.

immunis] vide suprà Immunis & Impetū.

Muneralis) Muneraria.

Muneralis lex vocata est, qua Cincius cauit) vnde Cincia lex, de donis dicitur Liuio 3.4. Arnob.2. Tacito 11 13.& 15. Ciceroni in epist. 1.ad Atticum. Plin.lib.5. Epistol. ad Valerianum. adde l.1.ff. de extraordin. cognition. ad legem Cinciam scripsit Paulus librum singularem, vt constat ex inscriptione legis 29. ff.de legib.

neque] Neu.

Neque] neue.

roga) rogato.

fuerat] nec fuerit.

Municeps) Gloss. πολίτης. adde l.1.§.ff.ad Municipalem.

item qui in Municipio à seruitute se liberauit] item quem municipium à seruitute liberauit. Nam & ita apud Varronem 7.de lingua, à municipio manumissi.

Municipalia sacra) id est municipiorum.

conditam] acceptam. vt j.

Municipalia] *adfuissent*] assuescent.

Municipium] adde suprà Municipes. & l.1. §.1.ff.ad Municipalem.

Acerrani] Corani.

Arpinates.) Vizinates.

Bononienses] Bobutinienses.

Munitio] Molitio.

morsicatio] mortificatio, vel mollificatio. alij morsificatio. adde Nonium in Morsicatum.

Munus) vide l.munus 214. ff. de verborum signif.

donum) vide d.l.214.

Murcia dea) Liuius 1.Varro 4. de lingua. & Plutarch. in Problemat. adde quæ scripsi de murcis & murcia ad l.4. §. eum qui 12.ff. de re militari.

Murcus] murtus. Nam à murteto murtia primùm, Varro, Plin. Plutarch.& Metæ Murtiæ in Circe apud Tertullianum de spectaculis. Apuleius apud Varronem, Intimus circus ad Murtim.

Murgisonem] Murgiso tāquam Moriciso.

Muries dicebatur] Glossis Muria, ἅλμη.

dehinc) dein.

Muries est] vide emendatum locum suprà col.124.

in seriam caniecto) seriæ dolij genus l.15 §.6. ff.de Vsufructu.& dixi ad leg. 206.ff.de verborum signif.

addent] addunt.

Murrata portione] vide quæ dixi ad l. 16.ff. de Tritico, vino, &c.

duodecim Tabulis cautum] dixi ad L. XII. Tabular.

Murricidum] murcidum. V. lego muricidum, qui mures tantùm audeat necare. Μυοκτόνον Græci appellant.

Plautus] in Epidico.

Murrina] murrhina Nonius. dixi ad l.16.

nectar] vide j.nectar.

Mussare] vide Nonium in Mussare, Mussitare Gloss. γρύζει.

Mussabant] mussabat.

Mustricola] forma calcei dicitur in l. sed etsi 5.§.si magister.3.ff.ad l.Aquil.l.Item quæritur.13 §.item.4.ff.locati. Mustricula verò Glossis, machina ad stringendos mures, quæ & Muscipulum & Muscipula iisdem μυάγρα καὶ παγὶς ἐπὶ μυῶν.

Muta exta] vide emendatum hunc locum suprà col.123. non muta igitur, ex quibus aliquid diuinationis animaduertebant: putà si ab incendio, veneno, aut alio tali periculo cauendum esse respondisset augur: aut si finium diminutionem portendi dixisset. Id enim ex Festi fragmento facilè potest intelligi.

Mutini] vide emendatum suprà col. 121. dixi ad l.XII.Tabul.adde Tertullianum Apologet.c.24. Arnobium 4 Lactant.1.c.20. August.4.de Ciuit.Dei 11.

Velis) Veliis.

Mutini] *prætextatis*) prætextis.

Mutire] vide suprà Amussim. Est autem mutire, ne Mu quidem audere facere γρύζειν Muttum, Gloss. γρῦ. adde Nonium in Mussare.

Myoparo] ita Nonius. alij Mioparo. adde infrà Parones.

Nam Midion, & Paron] Nam & Myson & Paron, inde Myoparo. nauicula pyratarum, Nonio. Inde Parones Cercuri.

Myrmilonica] murmilonica.

ipsum) vsu.

Myrtea corona] vide j.Oualis.

. . . *vt patri sui*] huius fragmenti initium, vox Mancipatus: cuius restitutionem vide suprà col. 121.

M . . reip. . pub.) hoc fragmento quid sit Munus explicat: cuius restitutionem, vide suprà in Munus.col.123.

M . . . letabarum] huius fragmenti initium, Mille vrbium : cuius restitutionē vide suprà col.123.in Mille vrbium.

N.

N*Acca*] emendatur suprà col.129.

nauci] vide j.Naucum.

id est) id quod est.

Nauia) ita Nonius, & Gloss. Gręcè Nenia ἀτονία. alij Nænia. dixi ad Varronē. vide hunc locum s.col.125.

aiunt) autem.

dicitur) dictum.

νοτον extremum dicunt) νῶτον. alij νέστιν extremum intestinum dicunt.

νότη] νεάτη. alij νήτη.

Nania est] *Plautus*) fortasse in Truculento.

Alparticulones) qui re in partes cōcidant. Alludit. n. ad eos particulones inter quos res aut hereditas aliqua est communis.

72 *si quæ opificio non probiter clepere*, scítque opificio non probiter clepere, ita lego.

74 *annos instititit*) anno in cursu institit Val. annuo in cursu institit, Lips.

75 *venenum Pharmacum*) vide l. 2. 16. de verb significat.

76 *modò sursum, modò deorsum, tanquā collus cernui*) hi sunt Petauristæ & funambuli.

consualia) vide Varr. 5. de lingua.

78 *hic inquam rudet &c.*) Hæc inquam rudet. Varro 6. de lingua.

eiulitabit) hinnilitabat. Varro 6. de lingua: heilitabit: nam & quidam ita legunt apud Varronem.

veluti arenarius) ancarius MS. Turnebi 17 aduers. 24. Vbi Ancarium ex vrbe Ancara Italiæ interpretatur. alij legunt aggarius, vel perangarius, Iun. velut angarius. Scal. 6. Coniect. Var.

clamat quiritatum) clam it quiritatum ita lego.

79 *Ciperi*) aperi Iun. Hei perij.

curiosior) curiosior, Iun. id est curis magis enecta, & macilentior. vide Guil. 1. 3. Verisi. Plaut. Aulularia, sat scio magis curiosam nusquam esse vllam bestiam. Ma volo ego, ex te

ex te scire qui sit agnus curio. ε v. Qui ossa atque pellis totu'it ita cura macet.

81 *Caprona*) vide quæ scripsi ad Festum in Capreoli.& Capronæ.

87 *Disumma*] Decio summa.Iun.

84 *Trulleus Postomis*) Trulleus Postomide l.Prosto nis Turneb.17 aduers. 24. id imponitur naribus equorum.

85 *Tricones*) vide Capitol'n.

Panœi) πανηγυ.. Iun.id est splendidi, atque in reddendo facilis, alioquin Lucilius Græcas voces sæpenumero atyris suis inspersit. Sed tamen Turnebus 17.aduers.24. legit Paceni. Muretus verò 3.Var 18. perater.

Lentus id est facilis) fortè quòd quæ lenta sunt, vt vimina, ad opus facilitatem habent.

88 *Amicis nostris videmur viri*) Viri videamur amicis.I.

91 *Senatui*) senatum Lips.

93 *Deliciis*) delicis: fortè, Deliacis: vt sint versus Trimetri.Iun.

95 *Bonam*) bouam Turneb. 17. aduers.24. Vas vinarum longum, turgidum, bouæ serpenti simile. Boua etiam significat etiam papulas toto ebullientes corpore, & in Lexico dicitur νόσος βόαι.

obleuisse) aboleuisse.

ara induxere) æram duxe: Iun. pro dixisse: de æra vide pauiò inferius.

98 *Varro Bimargo*) Bimarco.V. Bimarcus nomen Satyræ Varronis, in qua fastum & arrogantiam stolidam & ineptam Romanorum in prænominibus irridet: vt qui non semel, sed bis, si ita dicendum est, Romani dici affectarent.

99 *Vatrax & Vatricosus*) Vatrax tortis pedibus, à ranę vocabulo, quæ Gręcè βάτραχος dicitur.

Qua varicosus) qua verrucosus MS. Cognomentum Fabij Maximi, vide Plutarchum in Fabio.

100 *Catax*) quem nunc coxonē dicimus, vt hic attestatur Nonius. Est autem claudus coxus Isidori Glossis. Coxus autem vt & choppus χωλός, vnde in Glossis coxigat, χωλαίνει, adde Festum in Catax.

102 *Bronci sunt producto ore*) in vetere lexico Bronchus appellatur, qui superiore labro est tumidiore.

Nouit) ouat I.ouat. Iani M S. bouillanus, Turneb.17. aduers.24.

103 *Num censes*) ita reponendæ hæ dictiones, Iun.

Τυρώ) Locus est apud Homerum Odyss.λ. Iun. Turneb. 17.aduers.24.intelligit εὐρὺν ἐυπατέρεια.

Verucam) verrucam, T.

pictum) dictum.T.

105 *Papiapapa*) papias significat paterculum, atque ita seniores à iunioribus vocabātur. Papiapapæ verò, Papæ patercule, in ea Satyra Varro nimios laudatores & admiratores reprehendit.

Quare resident lingulacæ) Quare fit, vt lingulacæ, Turneb. 17. aduers. 14. adde Festum in Lingulaca.

109 *Quos strabos*] quos scambos Turneb. à deprauata oculorum acie.

Flextabul περὶ ἀρχιῶν] Flexabula M S. vt de prouinciis administrandis, & tanquam flectendis prouincialibus, disserat Varro. (Est enim Flexabulum instrumentum ad flectendum) in hac Satyra verisimile est Varronem multa in Magistratuum sordes & auariciam disputasse.

110 *extra*) præter.

111 Ἑκατόμβη περὶ θυσιῶν) In ea Varro sumptuosa sacrificia reprehendebat, verumque sacrificium esse puræ & integræ mentis dicebat Sic J. Putus numero 112. Mea hecatombe pura ac puta.

Ἕως πότε περὶ ὁ ἐγῶ.) Satyra Varronis in qua de temporibus & negotiis vitæ humanæ tractabat.

Ταφὴ Μενίππου] Satyra Varronis in qua nimiam sepulturæ curam irridebat.

112 *Chrysosandalos*) Chrysen δοῦλος vocat amiculam, de lacte & cera Tarentina, vt Turneb.17. aduers.24.

vocat) locat.Iun.

ceram Tarentinam) cera aretina M S. cera Reastiua vel Reatina.I. Ego nihil mutandum censeo. Sunt autem verba amatoris amicam suam à teneritudine commendantis. Sic Horatius Od.13.laudat cerea Telephi bracchia.

rationes) orationes.

ambiguos) ambigiosos.

113 *Idem Parmenone*) idem J.c.6.n.20.

timentes) timentis.Iun.

sagenam] fugamque Turneb.19. aduers.19. fugelę. Scal.4.de lingua.

compedem) compedam.Scal.d.l.

Idem Sesquivlysse) Satyra Varronis in qua mores hominis astutissimi depingebat. Est enim Sesquivlysses apud Varronem, astutissimus.

vellemus) vellem is I.

aerinas] aërinas M S.ab aëre ita legendum, Turneb.26. aduers.17.

114 *Tonitrum fulget, &c.*) tonitrus & I. cognitio fulgetrę, tonitrui, fulguris à fulgure orta.

tonitrum] tonitrium.

à flumine) à fulmine.

115 *Varro est modus matulæ περὶ μέθης*] est modus matula. In hac Satyra Varro modum comparationi iniiciebant. Nam è macula potum significatur, cùm cibum ficciorem in ventrem: liquidiorem in vesicam descendere censerent, vide Turneb.17. aduers.21.

ad medendam) ad medendam. V.

cui nihil] qui non M S. Vino nihil. I.

coagulum) id est glutinum.

117 *flagrionibus priuigno*) desunt nonnulli, qui sequuntur Iambici, ex Afranij Priuigno, alieniori loco inserti. Iun.

118 *merendam occurro lautè, cùm veni iuuat*] merendam accurro lautè, quod Venus iuuat. Lips.

lautè) ad cœnam. Iun.

iuuat) iubet.

122 *vestibus*) vestitus Iun.

vt quàm pessimum) quàm vt opes summum MS. quàm vt pessimum. I.

126 *Et camoris*) & camuris. vide Festum in Cimara & Camuri boues.

127 *diritas*] duritas. Vulgati.

132 *irruunt*) irriunt I. irrire canes dicuntur, dum ringuntur & irritantur. adde Festum in Hirrire.

irritata cane &c.) Donatus hunc locum ita citat. Irritata canis quod homo quàm plurima dictat I. Chærisius citat, Irritata canes.

140 *versus*) vide Iunium 6. Animaduers. 2.

142 *effœminatum*) feriatum. I.

certè ignauia) inertæ. Vulg. Inertis apud Ciceronem: ego, ignauæ.

144 *seruum serium*] toruum serium. alij, seruum sæuum.

148 *baculo*) bacillo. Turneb. 29. aduers. 17.

149 *valde*) non valde.

Non) Nec.

τοῦ σοῦ κράτος) ὁπλίτου I. quam ὁ πολὺς ἄχρατος Turneb. 29. aduers. 17. quàm τὸ σοῦ κράνος, id est, quàm tua hæc galea. Andabatam enim hic alloquitur eo sensu, Aurum non minus exercet oculos, quàm tua hæc galea. Certè Andabatæ pugnabant ex equis, galea, fronte, oculísque tecti. Lips. 2. Saturnal.

151 *nam vt arquatis &c.*) Nam vt arquatus, &c. quæ non sunt, & quæ sunt, lutea videtur, &c. Turneb. 29. aduers. 17.

Animos] animum.

162 *catulo*] catulus, est vinculi genus. vide Festum in Catulus.

164. *ἱπποσύνη*) id est equitatio, quæ inscriptio facit, vt quod mox legitur, Apollonium ita excuriant, quia nihil habebat, referam ad Censoriam illam notam, cuius meminit Gellius 4. cap. 20. qua P. Scipio Nasica, & M. Pompilius censores equitem quendam id ærarios retulerunt, quod ipsi vberrimo & habilissimo equus strigosus & malè habitus esset: & fortasse pro quia nihil habebat, hîc legi potest, quia nimis strigosum equum habebat.

170 *impertit, fleuit*] in partibus flent. Iun.

Fleuit facilius) eluit facilius. Eluere est decoquere, substantiam lancinare.

171 *salutem*] populum salute & I.

172 *scripturarios quos nunc Tabularios*) Imò scripturarius erat, qui commentarium scripturæ conficiebat pecoris in pascuis publicis pascentis, & ex singulis capitibus vectigal exigentis, idque scriptura dicebatur. vide Festum in Scriptura, Turn 29 Aduers. 17.

publicanum &c.) Publicanus ve ò Asiæ, fiam vt scripturarius, Iun. Turneb. 29. aduers. 17.

173 *versipelles*) vide in Mutare.

176 *tibi quod*) si quod. I.

Illuuiem) eluuiem T. Eluuiem facere, est egerere cibi reliquias per ventrem.

179 *quonam clam vos eliminat*) quia nam clamore eliminat.

cantabit: istic manet, eliminabo, &c.) concauos M S. Cœna. Sosipater, cœna, vos istic manete. I. Concha vos istic manet, eliminabo, &c. Turneb. 29. Aduers. 17. Concha vos manet, id est cœna vobis parata. nam in mensa concha salis poni solebat.

180 *sidere*) edere.

incoxaui nate) viua te M S. I. incoxaui nates, Fab.

181 *insipui*) Insipaui I. à sipare, quod est iacere: vnde dissipare.

182 *animaduertite*) animo attendite. I.

culpam ampliare) culpam applicare.

184 *quàm pugnæ pilant*) quàm pugæ pilant. Pal. Pugæ, id est nates: & alioqui sermo est hîc de pueris pathicis.

186 *Varro, idem Atti quod Titij*) Varro Atticus Tettix Turneb. 29. Aduers. 17. id est Attica cicada, quam Athenienses gerebant olim, indigenas se indicare volentes. Capillos enim inuolucro comprehensos, cicadæ morsu nectabant Proinde Virgilius, Ergo omnis cano residebat cute capillo, Aurea solemni comptum quoque fibula ritu, Cecropiæ tereti nectebat dente cicadæ.

quid blateras) quid latras. T. d. loco.

Hypobolimæo Rastraria) dixi de huius loci emendatione superius.

tintinnabula] tintinnacula I. Vtrumque est licitum Glossis. vide notas in Festum in verbo Titinnire.

Altanus) Albanus Lips. mons.

187 *hirnea Pappi decimus*] Hirnea, I. vel (vt in dictione Expedibo) Vernionibus papa decimus I. alij, papæ legunt.

turgens verminatur] turgens venter verminatur, id est parturit.

192 *barbaricam pestem*] barbaricū pestem forte, restem legendum. adde cap. 4. numero 46. infrà.

nauibus] Sabinus. ita legitur malè infrà c. 4. 46.

203 *vernaliter*] verniliter.

206 *vitabili & maledicto*) vitabili maledicto. Iun.

207 *La-*

207 *lachrymanter ex habitu*) lachrymante ex habitu I.

cinnus] à Cinno, concinnare deducit, melius quàm infrà à concinere, vt & Varro 5. de lingua.

concinnabatur) concinebatur I.

concinnare) concinere I.

209 *hanc Deam melius &c.*) Hanc deam Ælius. Scal. in Coniect. Var. Intelligit autem hoc loco Varro, cuius testimonium hîc citatur à Nonio, Empandam Deam paganorum quæ & Ceres. De paganalibus paganorum feriis, dixi ad Varronem.

210 *blatis*) In M S. Lacuna est defectus index. taque potest id substitui, ἀπὸ τοῦ βλάζειν, siue βλέχειν, aut à balatu.

213 *incursatione*) incursitatione I.

iuuenem) viuere M S. I.

214 *calcitrones*) cal itronem equum Xenoph. 3. ἀπομνημονευμάτων, λακτιστὼ. hinc mula λακτίζουσα dicitur 19. Eclog. 10. c. 31. quæ in lege 43. ff. de Ædilicio, cessum dare dicitur.

horridum miles) horridus miles. I.

non vitabat] non vitabat. Nunc emũt trossuli, nardo nitidi, vulgò, Attico talento, equũ. Varro ĵ. Trossulo, numero 240. ita hunc locum coniungunt.

221 *varro Marcipore*) Marcipore Satyra Varronis, in qua de seruitute & herili imperio: de numero seruorum enormi, de dominorum immanitate & sæuitia in seruos disserebat.

nubes) vide ĵ cap. 6. Meridiem.

aquali] æquali. Turneb. 29. aduers. 17. numero 221. Porrò Turneb. 29. aduers. 17. ita legit, Ventíque ab axe se eruperant frigidi.

222 *ventique*) vide s̃. numero 221.

223 *spatulæ*) spatale I. Turneb. 29. aduers. 17. quo vocabulo luxus & voluptas notatur.

225 *febris proprietatem &c.*] Lipsius ita legit, sublato glossemate: Febris proprietatem Varro Andabatis aperiendam putat, ídque cum.

candorem] caldorem. I.

228 *praparat*] proferat. I.

229 *Eudæmionibus &c.*) Endymionibus Quare si in somniũ recideris, & ἀλλ' οὐδέποτε I. alij legunt Endæmonibus: alij Eumenidib. Cæterùm hũc locũ Turn. 29. adu. 17. ita emendat, Quæ res, si in somnum recideris, οὐδέποτε eris, iterum experrectus. Alij, Quæ res si in somnium.

233 *reponant*) respondeat I.

234 *taciturus*] tacitus I.

Taximus os is] taxim vxoris I. Turneb. 29. aduers. 17 vt sit tetrameter, & ita in Taxim. ĵ. id est sensim tangendo. potest & ita legi, Nonnis maritus tacitus taxim vxoris soluebat cingulum. vide Festum in Cingulo, & Cinxiæ.

silicernium) vide Festum in Silicernium.

exequiati laude] exectii: cum laude, I. exequiati laute Lips. exequiati cum Lauso, Palin. & Guil. 5. Veris. 12. hinc illud Plauti, Thetis quoque etiam lamentando lausum fecit fillo. Tria enim præcipua in funere, exequiæ Laudum siue lessum, & silicernium.

236 *lapidibus*) Lapiditus.

ἡ ἀπάντησις &c.] οἱ ὃ ἀπημύναντο Edones Romani, vt turba intendant annonam I. Est autem Homer. cum hemistichium, intendere annonam & vexare. I. annonam adtemptare. 6. ff. de extraordinariis criminibus. alij pro intendant, legunt incendant.

239 *parochus*] vide quæ scripsi ad l. munerum 18. & l. honorem 16. ff. de muneribus & honoribus.

hoc schemate enim Græcè) hoc σχήματα enim Græcè.

240 *nunc emunt*] dixi s̃. numero 214.

241 *caluum*) Grillum I. vide infrà Ericius.

242 *varro ὁ ἡρακλῆς Tuam fidem*) Varro: ἡρακλῆς tuam fidem. Est autem nomen Menippeæ Varronis, cui frequentissimum fuit Satyras prouerbialibus aut vulgaribus Titulis præscribere.

tutanus) tutatus I.

Hac propter] hoc propter.

244 *cùm videre volunt in mari thunnos*] vnde θυννοσκόποι.

non inani) νόμιμος sonitus I.

sonitu matris deum tonimus) sonitus matri deum tonimus Tibinnos scemnici M S. Fab.

246 *tibinos à tibiis modos*] Insani legendum Insanitas: nec enim Nonius hoc loco Tibinnos exponit, sed insanitatem: id quod euidentiùs fit, infrà in dictione Insanitas, vbi hæc eadem verba habentur. Estque alioqui solenne Nonio, dictiones easdem diuersis locis plerunque interpretari. vide Fab.

apage in dierectum] in derectum. sic infrà Festum in Derectum. aliàs dierecti, cruci fixi.

347 *vetera*] veterina. I.

melodinis tonos lyras] μελῳδεῖν ἄτονος lyra, Iun. vel ἄτομως I. melodinis, ὄνος λύρας. Turn. 29. aduers. 17. μελῳδεῖν εἰς ὄνος λύρας Canterus.

251 ἀπὸ τῆς ἕω] ἀπὸ τῆς υἱοῦς.

Homerus) Iliad. ψ.

Homerus) Iliad. ξ,

Κύματα τέσσα:) κύματος. T.

257 *ita enim carnificis*) Ii enim: vel isti enim carnificis officium antiquitus fungebantur. Lips. 23. Elect.

58 *Maximi*) maxime I.

60 *comitate*) communitate I.

praterquam) absque I.

261 *humidiore*) humido.

262 *aquilo*) Aquilino. vide 3 Agel. 28.

263 *cognitionem*) consitionem MS. Constitionem. I. constitionem Turneb. 29. aduers. Sic Cicero institiones stellarum dixit, in Tuscul. Græci στηριγμόν, Stationem Astrologi, cùm astra stare videntur, appellant.

264 *bidental*) vide Festum.

quòd binæ pecudes immolentur) vide 16. Agell. 6.

267 *Receptitium*) Receptiuum.

268 *coniectaneis*) conlectaneis. I.

districtore) distractore I.

273 *culinam*) colinam MS. adde Festum in Culina.

Coquinam) non coquinam Lips.

quæ finis it vt antica & postica) qua fini sit antica & postica. Palin.

274 *vixerint*) vixent MS. pro vixissent.

Curius) Lucillius I. ita legendum ex Lactantij testimonio.

priusquam infans esses facinus) priusquã infans, facinus Lips. id est infandum.

vescuntur tui) vide ȷ̃. Vescor, vbi hic locus rectè habet & explicatur.

aliquis) aliquid I.

philosophus] Philosophis I.

suppetit ac) suppeditat aut I.

276 *quod plurimum vestium sumant*) quod plurimum vestium suant.

sarcinatricis) Sacrinatrices. I.

machinis) id est pergulis in quibus sarcinatrices opus faciebant, non Mineruæ modò, sed & Veneris.

277 *schœnus*) Scenis I. Schemis. Turneb. 29. aduers. 19. Latini etiam dicunt Schema & ita legendum apud Tranquil. in Tiber. v. 43.

cinædon, Laconicon) cinædologon Nicona Turneb. 29. Aduers. 19. Cinędologi qui sint, vide apud Athenæum 14. c. 7.

salio, &c.) salio in genere sunt ludij velites Galli. Pal.

278 *quo suam quisque senator*) quo sententiam quisque senator Lips.

279 *tum*) Tamen I.

280 *quod assint iijs quos nutriant*) melius dictasse à Græco ἀντί. vide Eustath.

281 *Nixis*) enixísque. I. enixis. Turneb. 29. Aduers. 19. A nixis Lips. eo sensu: enixæ à Nixis Diuis. de quibus vide Fest. in Nixi Di.

præsunt] præeunt.

282 *remulcare trahit*] remulcat I. id est remulco trahit.

283 *Romanis præcipitatis*) Romanis præcipitati Scal.

voluit) voluit I.

284 *neque fossas aut bellum*) neque fossas aut vallum.

285 *amant*) alij armati, alij armant.

286 *metus &c.*) menis MS. mentis. I. mœnus propriè id ab Nasica traditũ, vt sine metu videretur, primò antè testudinem constitit, vel cui mœnus propriè id ab Sura traditum Pal. Is enim sub Sylla res gessit. Mœnus valet munus.

288 *Adolere*) vide s̃. c. 4. dixi etiam ad Varronem 4. vide victu.

& aucta ætate] & aut ætate, aut aliqua, Lips.

289 *accensiti*) Accersiti, I. Turneb. 29. Aduers. 19. Accersiti, deputati.

293 *Ecclesiam*) Varro Ecclesia Scal. vt sit titulus Comœdiæ: MS. alij legunt, Varro è culina.

Arcam) aream I. arctam Turneb. 29. aduers. 19.

295 *Cinnus*] vide 6. Concinnare.

298 *Canina facundia*) vide Lactant. 6.

299 *Medidiem*) Vide Varronem 4 de ling.

300 *ductum*) dictum.

301 *Sanniones*) verisimile est Italicos Zani inde esse.

Quid porrò) quid enim potest. I.

est) esse. I.

303 *libro primo*) cap. 10.

libro primo) cap. 23. & 32.

304 *Vellantur, &c.*) legantur: Cætera quæ velluntur è terra, neque subferantur, quod ita agi I.

305 *libro primo*) cap 19.

istriam facit) striam vocat, facit MS. striam vocat. I.

seges) secus I.

proscissas cossigerare) id est in coxam aggerare. Turn. 29 aduers. 19. MS. Possigerare. alij ita legunt, prosit aggerare. I. Cossimgirare, Scal. in Fest.

deruere) diruere MS diribere I.

307 *libro primo*) cap. 31. à quo abest τὸ Vesperi.

310 *Homerus* πολλὰ *&c.*] Hesiod. πολλ' ἐπικάμπυλα κᾶλα. Πηδ' ἐξ κωλ' ἐπιθείς. Turne.

311 *conuentum*] conuentu I.

313 *miri*] mihi sed auctoritates. I.

315 *cùm incuriosum locaretur*) cùm in curiosum iocaretur. Turnebus 29. Aduers. 19. Lips.

terebratum quidem pertundis] Terebra tu quidem pertundis, Turneb. d. loco.

316 *in qua directa quatuor*] sic in castris & coloniis capiendis & agris assignandis groma ponebatur in tetrantem antica & postica linea se inuicem ad angulos rectos intersecãtibus. v. Sudam, Polyb. Turn. 29. Aduer. 19.

Est autem gruma) Gromam vocat Festus,

qua flexæ] qua fixæ I.

319 *Ful-*

319 *Fulguratoris, &c.*] Fulguratores vt exstipices & aruspices I. Turneb. 29. Aduers. 19.

Inspectores) inspectores I.

321 *Pastus quod esset pascere dicebant*) pastus quod esset, pascere dicebant, Turn. d. l.

Esset) esse I.

323 *Quasi è vitiis locum*) quasi è vicis loqui quia, &c. & post pro cauilletur, cauillentur, Lips. Sic Festus, conuicium à vicis.

324 *Prolubium est patere amicitiam & fidē*] prolubium est libido: prolubium est petere, &c. Lips.

Nouius] Næuius I.

Veneri) Veneris I.

325 *pro repetitu, vel accessu*) pro impletu, ingressu, incursu, Turneb.

327 *Nonis: vnde florent, &c.*] Nobis vnde ferent fructus, vitæque propagmen I.

328 *Pacuuius Attalenta*) Pacuuius Tantalo, Scal.

canterem ipsum pregradat Parthenorē) cāpterem ipsum prægradat Parthenorē Turn. 29. aduers. 19. Campter, flexum in curriculis. Campterem ipsum, Iam pregreditur Parthenopeum. Scal. 4. de lingua In manuscriptis Iunij Cancerem legitur Ipse verò Iun. legebat carcerem, vel vt in aliis M M S. Cancerem pro cancello.

Neuius) Agrypnuntibus: vt Boethuntibus I. ἀγρυπνοῦσι, Turneb. 29. Aduers. 19.

330 *Alcion, &c.*) Altion hunc genuit, I.

331 *Musarcus*] Mnesarchus I.

333 *columna Maniana*] columna Mœnia Turneb. 29. aduers. 19. alij Mœuiana.

339 *dentefabres*) dente faber I.

Quid mirum, &c.] Quid mirum? ex agri, Turn. 29. aduers. 19.

340 *Deinde Naniam Cantari*) v. Principium huius sententiæ infrà in Nænia, numero 594. cap. 2.

Cantari) Cantoris M S. & malè.

340 *Ludistricas*) ludis tritas preficas. Idem I. in M S. malè ludis trigas.

341 *Parectato*) parectati. Scal. parectatos & chlamydes Turneb. 29. aduers. 19.

342 *Tunc Marcus Praco*) Tūc Marcius Prętor. Lips. quid enim præconi cum cura belli.

Idem: Adsiduo neminem vindicem) Idem Adsiduo neminem vindicem nisi adsiduum esse voluerunt. Turn. 29. aduers. 19.

IN CAPVT II.

1 *vitium*) vinum Fab. V.

Cato] capto M S. Capito I.

2 *Deligat. signinum redeuntis*) legatos Signiam redeuntes, alij legatos Igunium redeuntes, Turn. id oppidum Eugubium.

5 *Adhamauerunt*) vide Ciceronem 4. epist. 2.

8 *Hero filius Diogenis*) Herophilus Διογενής. Ego nihil mutandum censeo, vt mox dicam.

è ventre aquam mittit) ventris aquam mittit, ita emendo, An hoc præstas hero, fili Diogenis, quod illi ex vtre aquam mittis? An hoc te iactas?

9 *Merces pro eo quod dicitur admissum*) hoc innuit, equimentum mercedem esse, quod pro admissura equi pensitent, vt sequens exemplum Varronis ostendit.

10 *Nihil sunt Musa, &c.*) Nihil sunt Mūsæ policis vestiæ, quas ærifice duxti, ita legitur infrà capite 4 numero 130. in Ducere. Ærificere est ex ære ducere: Policis πολυκλεῖς vel ἐμπεδ...ῆς, Lips. ita legit, Nihil sunt Musæ Polyclis, vestis quam arsifice duxit: aliâs quasi ærifice dixit. Puto à Varrone id innui, nihil ad sapientiam facere, cupiditatem illam imaginum & statuarum comparandarum: sed potius in seipsum descendendum, hæc enim verba ex Poemate Varronis, cui titulus γνῶθι σεαυτόν. Porrò ærifice ita dictum, vt apud Cicer. regifice.

11 *In Astraba*) Fabulæ nomen à dossuario iumento, vti & nomen refert.

12 *in primo*) cophino I. ex Agellio.

14 *Ad se vnum esse, &c.*] asse vinum, asse pulmentarium.

Secundas] Victor 10. Varr. 13. sed edas & ita I. in Necessitudo.

Quo natura) quo naturæ aurigatur necessitudo, Muret.

22 *Inani tetra ordo mensem*) in anni tetrachordo mēsem, Turnebus. in anni tetrachordo mensem. v. Iuniū. c. 3. de anno. Eleganter Varro quatuor anni tempora à musico instrumenta ducta similitudine, anni tetrachordon appellauit.

Cape hanc caducam &c.) cape hanc caducam Liberi mollem dapem, De fronde Bromiæ autumitatis vuidam Scal. in Coniect. Varr.

Nauali Etesia) Nauales Etesiæ vel Niuales Lips.

23 *Varro Prometheo libro primo, Humanam quandam*) Varro Meteoris libro primo rerum humanarum.

humanā quandam gētem stirpis inquit &c.) Humanarum: Quandam conquit M S. concoquit I. Humanæ, quandam stirpis gentem concoquit frigus calori atque humori ariditudinem miscens Scal. 4. de lingua.

24 *Varro pro Callio vel Fundanio*) Varro Gallo Fundanio, de Admirandis Scal.

Vinum quod ibi natum sit) id est in Corynia loco Achaiæ quam vt suspicari licet, nominatat. v. Theophr. 9. Plinium lib. 14. Victor. 7. Varr. 1.

25 περὶ εὐτηρίας) περὶ εὐτελείας. Turn. Satyræ Varronianæ nomen.

26 verum] Viri.

28 Varro ἔχω σε ἢ περὶ τύχης: *Leges ruina, &c.*] Varr. ἕως πότε περὶ ὁρῶν, Teges ruina ſubiacentẽ ne ſub dio ambeſſet algus dentientem frigore, Scal.

nam tam] Nautam.

maius) manus.

algóque) algúque.

29 *Aetatem pro ſæpe*) ita quoque vſurpatur à Terentio, Eunucho & Heaut.

Libanum vt] Libanum qui.

31 *paullo da adſimile*) Pullo da, ille ſimul aſſulatim viſcere.

32 *Ibi anxitudo*] vbi anxitudo.

34 *Affigere*) Affligere.

36 *feri*) fert.

39 *ad ſeſe*) adeſſe.

40 *vel poſteros*) vel improſperos.

42 *Hæc eſt ratio*] hæc eſt ratio, peruerſa æra, ſumma; Turneb. Æra, in rationibus ſubducendis, ſingula capita veteres vocabant: nam ad aſſem, rationes putare ſolebant, & capita æris mutis numeris notabant. Cicero in Hortenſio, Si æra ſingula probaſti.

45 *Hinc licet*) hinc ilicet.

Anus rurſum ad armillum) id eſt ad ingenium redit. Citatur hoc prouerbium ab Apuleio libro 6. & 9. vide Feſtum in Armillum.

49 *Dij maluerint*) meliora Dij mihi nuerint M S. I. Dij mouerint. Idem.

Dij monuerint) diminuerint MS.

Iſtam] iſtanc.

50 *Effutiam*] effugiam I. alij efficiam.

55 *Anima mater*) animam æther Turneb. & ita apud Varronem 4. de lingua.

56 *Mortalibus*) mortalis, I.

58 *Varro caue canem*) id ianuis inſcribi, veteribus mos. vide Nonium infrà numero 647. Petron. in Satyr. Ariſtoph. in Lycoſtrat. adde l. 40. l. 41. l. 42. ff. de Ædilicio.

59 *Nunquid abſcondiſſe*] nunc quid abſcondidiſti.

60 *Attigit*] contingit, Attigas, contigas.

61 *Quid ſit*) Quid fit, ſeditio. tabétne?

62 *porricerent*] proiecerunt Turneb. proiecerit MS.

70 *alij vocibus*] Muſicis I.

in conuiuijs] v. Ciceronem 2. Tuſcul.

73 *Betere, &c.*) Betere eſt ire, Varr. τοῦ πατρὸς τὸ παίδιον, περὶ παιδοποιίας. Nos multos, quod parere ea non poterat mulier, foras betere iuſſit. Pac. Nyptris, Vos hinc defenſum patriam in pugnam betite. Idẽ Medo. Si recte pergit iter, tunc ſi ire conor, prohibet betere I. Aſſa non multò poſt quod ea non poteſt parere mulier, eam betere foras iuſſit, Scal. in Conie&ct. A ſe annos multos quòd ea parere non poterat mulier, eã betere foras iuſſit, Muret. Nonius referre videtur vera Varr. ad Sp. Caruilium, qui primus Romæ diuortium fecit, de quo v. 2. Valer. 1. 4 Gell. 3. & 17. cap. vlt. adde l. vitricus 60. in fin. ff. de donationibus inter vir. & vxor.

Varro Aſſanos) Varro τοῦ πατρὸς τὸ παίδιον, vt ter ſuprá.

iam ſi) tam ſi.

74 *ad alterum*) adulterium.

76 *addamus*) condamus.

79 *Cæcilius Hymnide ſiue*) Hymnibus. Deſine V. malè. Eſt autem Hymnis fabula Menandri, quam Latinam fecit Cæcilius, cuius teſtimonio vtitur Cicero 2. de finibus.

inermus) inermis.

80 *reboant*) reboant.

dominum] colorum.

81 *delime bipennis, &c.*] delimat bipenni Velleius Paterculus I. ex MS. vt Leius Paterculus Palmerius ita legit, Delimat bipennes velis paſſis ſeruaculus. Delimare eſt obliquare, obtorquere. Seruaculus, gubernator. Scaliger verò ita, Delumbe pennis fortaſſe ita legendum, delimatur pennis vt leuis paſſerculus: vt videatur Varro in ſua Marcipore ſegnitiam dominorum in ſeruos depingere.

annos, &c.] At nobis caduci naufragi, vt Ciconiæ. Quarum bipennis fulminis plumas vapor, Percuſſit, alte moeſti in terram decidimus I.

83 *Varro lege Menia*] lege Meuia dixi s.

metamelos inconſtantiæ filius] quem enim pœnitet, is à conſtantia recedit.

85 *non defuit*] defuit Plaut. Moſtellaria. decet me amare, & te bubulcitare MS. Fab.

92 *Bura*] Buris, Fab.

in aruo) in agro.

94 *lanigeræ*) lanigenæ, I.

buceriæque) buceræque I.

Cælius) Cecilius, I.

97 *potionem poſitam paruulorum*) potionẽ vocitant paruuli, Fab.

docent) vocent.

cum vinulentus diceret, viui buas deſignauit. Cùm vinulentas diſceret, vini vuas deſignauit. v. Vinib bas deſignauit. Bong. Planè nihil mutandum cenſeo, neque Vini vuas. neque V nibibas, cùm dictionem Buas Nonius hic velit interpretari.

98 *qui te plus*) qui pote. v. Iuniũ 6. Anim. 18

nutrire] intritæ.

comeſt) comes.

commanducatus) commanducatur.

102 *turba*] turbæ.

103 *patrem*] partem.

108 *pingentis cœlum*] pigmentis cœlum.

compoſiti] contemptitij.

109 *commictilis*) mictilis.

110 *plauta*) plauda. planta vna eſt pedibus carioſis menſa libauit. adde Feſtum in Ploti.

menſulibano

mensulibano] mens elephanti I. vel mensu elephanti, vt vel stupidam vel molem corporis insinuet.

112 *Promiscari meus*] promis carus, meis, I. Promiscam Scal. dum vixi, Promisca is me meis in cortibus pauit Palm. id est promiscuè me pauit: vel ita, dum vixi, Promus caris mei. Promus, id est liberalis.

in propatulo] in loco.

113 *opicillum*] inops villum.

Se] è.

114 *petisset*) Pæti, set cura I.

119 *pater copem causa rem facit*) pater capē cassum facit, vel casnarem facit, Palm. ego italego. Te quidem enim iam pater copem cum sua re facit. Copem id est heredem. Sunt enim verba Turpilij in Epiclero, seu de hæreditate. Copis nihil aliud quàm copiosus.

120 *te honestet*] dehonestet.

duxeris) dixeris.

121 *Fidicinus*] Phenissis: quidue Adrastio. I.

122 *Pro industria ne te regem, &c.*) pro industriant te MS. pro ■ Dryante rege prognatum patrem, &c.

Aeneum) en eum.

125 *Accius Engona*) Accius Antigona.

127 *gratia ea est*] grata ea est.

si me esse, &c.] si med esse eodem letho, Conqueritur Antigone quòd non eodem letho data esset comes patri Agamemnoni ab Aegysto, vt comitatæ sit comitem mittere. Est qui ita legit, eodem lecto cobitasset patri. Sic apud Plautum in Curcull. cubitare cum viris.

132 *in quibus*) In queis Libyssā citrus fasceis.

fasca] v ʒ. fasciæ.

136 *carnales sedules*) Casnares senes. I. ex MS Carnales se. Nam Casnar Osc. è, senem significat Varroni 6. & Festo, Scalig. in Coniectan. Varronis ita legit, Casnares seniles Varro sexagesimo, vix ecfatus erat cum more maiorum vltro Casnares accipiunt de pōte in Tyberim deturbant senibus crassis. heu muli, non videmus quid faciant. Nam quis patrem nunc decem annos non modò aufert, seu tollit, ni si veneno? alludit autem Varro ad vetus Prouerbium, Sexagenarios de ponte, vnde & depontani. Ab eo inscripta est Satyra Sexagesimus Hoc etiam fieri in Ceone insula, testis est Menander. v. Strabonem, Stephanum, Aelian. dixi ad Festum in Sexagenarios.

vix & fatus) vix ecfatus, vel vix hæc fatus. I.

137 *humili, &c.*] homuli M. heu muli non videmus quid faciant. sic Catullus, mule, nihil sentis.

141 *lignantur*] Plaut. Captiuis, Num lignatum mittimur?

Calius] Q. Claudius. vide 17. Agell. 2.

142 *architecto omnes*] Architecti omnes.

144 *letium genus*) lentium genus. V. leti omne genus cognominatio. morborum cognomen est vel cognomine est Lips.

galeare) calcare MS.

147 *treginus calix*] Terginocalix I. à tergendis & exsiccandis calicibus. alij Tegiuocal. x.

sed hæc] sed hi. M S. I.

Pacuuius, &c.] Pacc. discipulus is bicorporis cluit. Ennius, Musarum Pomponius cludo I.

148 *cibicidas*] cibicidæ, edones. Glossis Ciuicida σκατοφάγος. vbi manifestè legendum σιτοφάγος.

149 *me ruperint*] ruperim. I.

150 *quam*] quanti. I.

Maconis] Magonis. I.

152 *communitum*) commonitum. I.

153 *in laterem*) fila tenerem.

157 *repelli*] refelli. alij repefelli.

adfinem esse) adfines esse.

is ego) iis ego. I.

159 *Cæcilius Peribœa*) Cæcilius Hypobolimæa. Rastraria.

dum abeam, &c.) dum habeat, tum amet, vbi nihil habeat, alium quæstum cœpiat. I. dum abeam quoquam.

160 *aqua*] atque. I.

161 *decet*) docet. I.

164 *concalluit*) concaluit.

165 *extemplo*] exemplo S.

egisti] Aegisti I.

166 *Thyeste*] Titthe. I.

167 *congerminati*] congermani.

168 *annalium: Peranna*] Anna, Peranna.

171 *scinde vnam*) scinde inam. Pal. idem, quod alibi dixit Valerius, cædere hillas Petronius diuidere.

172 *& ratione*) Atacinnus, vel Serrano. Ne aut I. Et trionem MS. alij Septentrionem.

ista) icta.

133 *cui potestas*) potestas cui. I.

discrepat) discerpat. I.

175 *coniectarium*) coniecturarium: vel conlectarium I. coniectarium legitur apud Ciceronem.

178 *crebritudinem pro crebritate, &c.*) celebritudinem, &c. pro celeritate. v. Fab.

celeritudinem clandestina celeriter) clandestina celeritudine. Fab.

cogitata dici decet, non explanari) cogitatè dici debent, non explanari, Fab.

179 *magni modi*] nitidi I.

Sallustius] libro 1 histor arum.

180 *auspicari*] auspiciari.

182 *Concalfecimus*] calficimur. alij calefiamus. I.

185 *Quadam tristitia liberari*) quadam tristitia librari Lips. Ego verò lego, quadam tristitia ligari.

188 *cubiculo*) Bucolico. Dormire mallem scilicet, Lips. hæc verba expungit. Iunius verò legit edormire.

potius) potus. I.

dominus] domi I.

peregrinanti] peragranti. I.

189 *fore*] fere. I.

nota] Notha. Victor. 19. Varr. 10.

voluntate comedunt, &c.] voluptate cum edunt. I.

191 *Continuare*] continuare iubet. I.

194 *De re rustica lib.* 1.) cap. 24.

Salentinã, Orchitem, Pausiam, Sergina, colmineam] apud Varronem ita legitur, Sallentinam, Orhitem, Poseam, Sergianam, Colminiam.

195 *videtur*) videretur. I.

196 *Ad Apollinem*] ad Apollinis.

198 περὶ ἐξέων] περὶ αἱρέσεων. & ita Priscianus libro 3. Satyra autem hæc Varronis erat, de diuersis dictis & sententiis discrepantium Philosophorum, quos more suo insectabatur.

Exitum ad cælos habent proprium] exitũ habent an telos proprium Lips. 11. Varro disputat de finibus bonorum aduersus Philosophos.

200 *Varo*] varto M S. Barathro, vel Barbato.

202 *Sador*] sader. M S. sudor. I. id est abstergor à balneo. vnde sudum. alij legunt Sabor. alij Scabor vel Rador. v. Turn 29. adu. 22.

Subellor] id est subere defricor. nisi legas subellor, id est nitorem concilio. alij legunt Suppellor.

punicor] punicor I. rectè: pumicis enim vsus leuigando & exterendo corpori expetebatur. Hinc Pumicare Tibullo & Catullo.

203 *deunctus*) deunciatus M S. deruncinatus I.

208 *debilo homo*) debil homo. Lips.

209 *Danaus*] Danais I.

211 *plenus*] Blennus. I. v. Festum. Blennúsque annos rusticus. Palu, id est blennus asinus.

112 *Partis quantam*] parabis tantum.

113 *In molis*) in Scholis, vel in choris L. si molis retinemus, videtur hoc velle. seruos inter molendum de polenta rapere & inuicem alium alij dare.

Raptim pila, datatim] Tria genera ludendi, datatim (vnde Datatores Plaut. in Curculione) raptim & expulsim, v. Turnebum 6. Aduers. 4.

215 *dulcedine*) dulcitudine.

218 *Depeculassere*] depoculassere.

decalanticare] decalauticare, alij decaleanticare & malè. Decalanticare est calanticum detrahere seu tegmen capitis muliebre. alij decalanticare. Vlpianus in l. 25. §. 10. ff. de auro. mitræ semimitiæ, alantica. alij decacauticare. Est enim Gloss. Cacautica, εἶδος ζώνης.

220 *Ad vitam*] adiutam.

danunt) dant.

221 *Qui det, & de illa*] quippe & de illa pessimè quam. Palm. Qui de te & de illa pessima quam deamas promeres. Scal.

222 *Notonicassioni*] Notonicas ioni M S. ἀκοντιζομένη. I.

223 *Occubuisse*] obbibisse.

224 *Thyeste*] Thersite.

simul oppugnare) simulare.

226 *patrio exemplo*] Decij s. adde huic loco 7. eodem, in Verrun. ent. num. 895.

deuorabo] deuotabo. M. S. quo vocabulo vtitur Cicero in Paradoxis.

227 *hosteis*] hostiis. I.

229 *De magis valde magis*] mirum igitur pro valde minus accipi apud Festum, cum & Glossis De magis sit, σφοδρῶς.

Rex Corus, &c.] Rex Cotys ille duos ventos Austrum & Aquilonem, nouisse aiebat solos se demagis istos, ex nimbo austellos, vel nec nosse putare, nec esse putare.

232 *armata dextera*] armati a dextera: vel, armati dextra magis magisque. quo exemplo Plautus Aulularia, plus plúsque minus minúsque.

234 *Sed tibi, &c.*] Hic alius tibi molit, ac.

235 *robore*) ebore. Vul. malè. v. Fes. in Robú.

236 *In sylua currere*] curare M S. Sic Propertius 4. curare pastorem. Sallustius curare in agmine. Sed Palmer. leg t gurare, idque gyrare seu venari Glossis γυρεύειν. Cæterũ in sylua currere, non displicet: nam & Titulus saturæ. vnde hic versus Meleagris seu de venatione.

238 *Desubulare*) desabulare Scal. 2. Auson. 32. quod est stabilem reddere, vt in interpretatione verbi falsus sit Nonius.

vnam veniam) vnámq. viam Zenona mouisse duce virtute: vel potius, Zenona muenisse. Nam Varro hic refert Zenonem stoicum solam virtutem sufficere ad beatam vitam putasse. Carneadem non sufficere sine bonis externis aut certè firmiorem reddi.

219 *Vigilabis*] vigilabilis.

242 *Duodeuicesimo*] duouicesimo. I.

Duodeuicesimo] duo & vicesimo 5. Agellij, 4. duóuicesimo. I.

243 *Diurnare*] v. 12. Agell. 2.

244 *norat*]

244 *notat*) qui norat, I.

quem nobilem diuinum,&c.) Quam mobilem, Dinum lirans Sol, harmoge Quadam gubernans, motibus diis veget. I. Nam apud Aristophanem δῖνος pro Ioue rerum potitur. Harmoge verò Eupolidi & Polluci, harmonia: aliter etiam hic locus legitur ꝗ. numero 876. in Veget. pro diuino alij legebant clicium. alij diuum.

249 *dicteria*) vide Macrob. 2. Saturnal. 2.

neque orto psalticium) Atq; Orthophallicum I. Et orthophallica attulit Psalteria, quibus sonant dicteria.

254 *tantas etiã optumas*] tãtas & tã opimas.

257 *denasci decrescere*) Varro 4 de lingua vt qui denascitur ignem amittit & frigescit. Glossis Denasci ἀπογίνεσθαι.

quæ nata sunt in omnia denasci aiunt) exprimit Græcum prouerbium πᾶν τὸ γινόμενον καὶ διαφθείρεται.

259 *qua ego,&c.*] Quia ego hodie extorrem hanc domo faciam, pilatricem pallij, euallauero pulchre.

261 *atque*) itaque I.

ex officio) exefficio. Plaut. Trucul. Nunquã hoc vno die exefficias opus.

262 *iamque*) iam quod.

dicam) edicam.

esurienti) esuriente, Porrò esurienti leoni ex ore prædam exsculpere, species prouerbij.

263 *auersis*) aduersis I.

270 *nascens & sine modo desistens*) nascens & sine modo existens, Vulg.

272 *nata licet similis*) Natta similẽ rationẽ.

274 *ventum*) ventrem.

278 *exite*) excite.

280 *domina*) vide Iunium 6. Animal. 10.

281 *Varro sera parecte*) Varro Serapi: Rectè purgatum scito, quum videbis Romæ in foro ante Ian', ad pueros pila expulsum ludere, I. Videtur autem hic locus petitus ex Varronis Eumenidibus: vbi de Serapide multa mentio, vti apparet ꝗ. in dictionibus Precantur & Miras. Fortasse parecte, Est adolescentia, Nam parectatus est Ephebus.

282 *morbiferis operis*) morbifer aer infecti aeris tractus I.

284 *damacrinum, &c.*) Damacrino insano equisoni exhibet, is morbi fluctibus educet nunquam, I. alij, Damacreno insano.

cocleatum) sceleratum I. coleatum Scal. Sic infrà Equisones.

293 *elucifacere*) Elucificare, MS. v. 10. Agel. 17

294 *exigor*] v. 15. Agell. 14.

299 *recubuisset*) requieuisset.

300 *donati*) donari.

304 *ac destina*) ac hyeme: quidam ita legũt. alij, de Acdesti hunc locum intelligendum putant, de quo Pausanias in Achaicis, Arnob. 5. aduers. Gentes.

centenario) centonatio.

ascendis) conscendis.

306 *ebriacus, &c.*) alij Ebriatus, alij Ebriolatus, ebrius factus,

hilarem) hilariam.

arripiunt) arripiant.

ebriacus) ebriolatus.

307 *exfundere, &c.*) exfundare à fundo euertere.

antipater) Annalium.

310 *pro cibo*) primo MS. Sic ꝗ. Sacrificantur, Lips. cum primore cibo. hunc locum coniungit Guilel. cum alio qui ꝗ. in Statilinum c. 12. num. 56. vbi de Deo Fabulino.

nutrici) nutrices.

311 *fortunasse illos*) fortuna se illos.

315 *nostra*) vestra.

316 *falla pro fallaciam*) pro fallacia, ita lego Falla quoque significat turrim ligneam: sed hîc ad fallaciam æquè transfertur, vt & illa machina, fabrica sutella Turn. 29. aduers. 23.

317 *iners.*)

318 *flaminis fieri flora*) fimbriis fieri florida, aliâs exemplum Næuij nihil ad fimbriæ interpretamentum.

322 *Mortalem summum fortuna repẽte, &c.*) mortalem fortuna repẽte Reddidit è summo regno, vt famul infimus esset: alij ita emendant, Redditus ex summo regno famul vltimus esset. Quid si pro mortalẽ, legamus, cortalem, id est cohortalem, & gregariũ, eo sensu: Cortalem summũ fortuna repente reddidit, id est fortuna summum reddidit cohortalem ac gregarium, vt, summo è rege aut regno, famul optimus esset.

323 *si agron*) syagrion.

sunt) sum, I.

324 *Nonius sane à suo*) Nęuius Danę: suo, I.

luporum ex auctore maluanũ & fulguritatẽ arborum) Luporum exactorem Maluanũ V. Luporum exactorem Siluanum Turn. 29. aduers. 23. id est Martẽ: is enim lupos arcere credebatur. & à Catone ca. 38. de re rustica, Mars Siluanus dicitur. alij tamẽ hunc locum ita emendant, Luporum exactorem Siluanum & fulguritarum arborum. Grammaticis Syluanus dicitur, πᾶς θεὸς ὑλαῖος, omnis Deus Syluicola.

327 *Folliculum Lucillius posuit pro corpore*) adde quæ scripsi ad Festum in Folliculare.

329 *heu cuiates*) delendum τὸ, Hem: vel legendum, pro cuiatis, cuiam.

330 *ne maialis suam*) id est ne castratus fiã.

Anticile) Anchiale.

331 *perficiendo*) præficiendo.

332 *deuincat, &c.*) Deum Cadmo semel generatum semel affare, I.

334 *mi reliqua fidei, regno, vobisque Quirites*) Ea mi Reipublicæ fides regno.

335 *passerinũ prandium*) ego ita lego, vt se obiectent frustratim passerinum prandium,

Lucillius Satyr. &c. Colloquium enim duorũ est in hoc Pomponij Verre. vnus enim alterum exhortatur ad venationem leonum, & qui se in eo genere exerceant valentes esse ait. alter cum irrisione ita respondet, id quidem dici posse, sed tamen in eiusmodi venatione homines se oblectare frustratim discerpendos leonibus, iisque esse veluti passerinum prandium: quasi diceret hoc, deuoratum hominem leoni esse, quod homini passerem seu passerinum prandium: idque videtur prouerbij species.

Saturarum) Lucillius Satyrarum, Nonius, I.

336 *cras credo, hodie nihil*) in morosos & auaros, vel in fictos amicos intempestiue se excusantes inuectum fuisse Varronem in hac Satyra, verisimile est.

Non habere, &c.) habere & non habere fastidiliter habere, v. Ĵ. Mutabiliter: auet habere & non habere, Pal.

340 *fieri initia*] fieri initio.

foro) è foro.

ex pinu ablata) ex spina alba, Iunius: ex spinu, Scal.

vt) vti, Scal.

afferret) coniunge cap. 4. Ĵ. Fœlix.

341 *fauissas*] fauissas Festus appellat, vbi de ea re dixi & apud Varronem.

quintum) v. 2. Agell. 10.

Latinè) Latinos.

eas) eos.

343 *Cœlius*) Claudius, adde 12. Gell. 2.

Nouius] Næuius.

344 *tum*) tam.

347 *ferabite*) fera vite, Turn. 29. aduers. 23. Scal. in 4. de lingua, Nec audiendi sunt qui in suis thesauris Ferabite, pro agresti sumi apud veteres scripserunt.

myrtetis) murretis.

350 *frons pro fronde*] fros pro fronde. ita Charisius: alioquin stulta inculcatio frondis à Nonio affertur. Lips. Sic pos pro ponte, mos pro monte.

354 *Adpol. &c.*) Æpol. ego cui.

ego neque florem, neque flores volo mihi) Tria sunt in vino, Flos, flox, vinum. Flores sunt feces, quòd in fece sunt, flocci & panni, vnde Persius pannosam fecem vocat, Turnebus 29. aduers. 23.

355 *incerni*] inicere.

356 *suis*) suis.

357 *ad honorem*) ob honorem.

358 *Nec grandiri*) chorus apud Sophoclem in Oedipode, v Victor. 15. Varr. 20.

360 *grauedinosi*) grauidinosi.

361 *περὶ ἀγορασμοῦ*) περὶ φωρισμοῦ. Scal. Aus. lect. 18.

ligneæ ab homine isto, &c) ligneæ finare molei ab homine isto. Vulgata hæc est lectio mirè deformata. fortasse ita legendum est quibus ambulare solent homines, qui in viis agitant, Varro: sic illi animi nostri sunt grallæ: crura ac pedes nostri cesia, re ἀκίνητοι, sed ab animo mouentur: Palmerius verò ita legit, Grallæ sunt fustes, queis innituntur grallatores, qui gradiuntur grallis, quæ sunt perticæ ligneæ in arena & ab homine, qui instat, agitantur, Varro mulum muli scabunt περὶ χωρισμοῦ sigilla animi nostri sunt, grallæ: crura ac pedes nostri, cilia, re ἀκίνητα, sed ab animo mouentur, Sigilla, vocare videtur νευρόσπαστα, αὐτόματα, vt est apud Petronũ larua argentea. Horatius, Duceris vt neruis alienis mobile lignum. Muretus 13. Varr. 19. in hunc modum legit, Grallatores qui gradiuntur grallis quæ sunt perticæ ligneę: sed ab homine qui iis stat agitantur, sic illi animi nostri sunt: grallæ, crura ac pedes nostri: ex se ἀκίνητοι, sed ab animo mouentur. Scal. verò in Cõiectan. ita, Grallatores sunt callobathrarij vel καλοβάται, Grallæ enim sunt fustes qui innituntur, Varro Mutuum muli scabunt περὶ χωρισμοῦ, Grallatores qui gradiuntur, perticæ sunt ligneæ, Ab hominis quoque vi istæ agitantur, Sic illi animi nostri sunt colla crura, ac pedes nostri etiam κινητά, sed ab animo mouentur, γύπαι: à Græcis dicebantur.

366 *facit ne dubitem*] Ne diu bitem, Guil. Bitere & Bitare est ire.

demia) Demi, à I.

367 *sparsi globis*) sparsi alij globis.

368 *puerum mulieri præstare*] separandũ hoc scholion Marcelli à Poetæ Nonij verbis, Nemo scit.

Fusium) Fufium, Sic apud Dionem Φούφιος.

quintiporis] Quintipor significat Q. filius, Eadẽ forma dicitur Marcipor Publipor, Porcipor: Porro hic locus ita legitur a quibusdam, Quintiporis Clodiani feriæ, ac poemata gargaridans dices, ô fortuna, ô fors fortuna, quantis commoditatibus hunc diẽ: idque ita esse euincet locus qui Ĵ. c. 5. num. 15. in fi.

clodiant] clodicant MS. Clodiani, Scal. 4. de lingua.

373 *absolutis*] obuestis MS. ab oluistis, I.

375 *ad quem herpestica*) atque herpos ita, I.

Geniũ suũ defendet) Sic Terẽ. in Phormione.

Varro περὶ ἐξαγωγῆς] Varr. hac Satyr. disputare videtur aduersus eos Philosophos qui ægritudine aut cura aliqua oppressi, vel, vt cũ Iurisconsulto loquar, in l. 6. §. 7. ff. de iniusto, iactatione sibi mortem consciscebant.

377 *genua*) Gemie MS. lego Gumiæ, vt apud Fest. in Ingluuies. (improbæ, ineptæ.

quod] ita quo veniunt illæ gumiæ, vetulæ, *illa vetulæ*] illiæ MS. illepidæ.

383 *vt*] qui esset vt.

384 *egredere*] aggredere.

386 *Varro cum ill.*) Varro in Eumenidibus. *uento, &c.*] aduecto vel vẽtito, video Gallorum in

rum in tẽplo frequentiã, qui dũ eſſet, iã hora, deã adlatã, imponerent ædis ſigno: ſic deam gallantes vario retinebant ſtudio, I.

ſtudio eodem Nam, &c.] ſtudio.codem. Nã quæ vetuſtas.

venuſtas] vetuſtas, M S Fab.

389 *gramia*] gramiæ.

390 *gigeria ſunt*] gigeriæ ſunt Scal. in Feſt. in Gigeria.

394 *hora iuuentutis dea*] eadem & iuuentus: dixi ad Feſtum in Iuuentus.

395 *danunt*] duint.

396 *vehutes, &c.*] vehutos.

Hippocampus macter] Næuius ſireno Circes Delphino, M S. inclytos hippocampos mactat, Næuius Sirene. igitur Delphino I. [illegible] (Scalig. 4. de lingua. multa enim ſunt huiuſmodi apparẽtia in aere) Sirenes citis delphino iunctis vehiculis, hippocampiſque aſperis. adde quæ ſcripſi ad c. 4. in Luſtrare.

hippocampus] hippocampos. adde Feſtum in Cappas vbi emendandum campas.

hippocampi elephanto camillos] hippocampelephanto camillos. Scalig. ita legit.

398 *producte*] produete: alij producte.

399 *ſiue*] eo. bibe.

403 *nano an horno*] annuo an hórno I. anno an horno, Scal.

abſtuleris] abſtineris.

inſcribit, &c.] inſcribi T. Scantius horno per Dionyſia: quod ea die mea erat præbitio in ianua. Caue canem, caue canem, Scalig. in 4. Propert ita hunc locum iungit alteri Varronis, qui ĩ. numero 647. in voce Præbitio. Porro anno & horno aduerbia ſunt: vnde Annotinus & hornus. quod de cane dixit, idem apud Petronium. Non longè, inquit ab hoſtiarij cella canis ingens, catena, vinctus in pariete erat pictus, ſuperq; quadrata litera ſcriptum, Caue canem, caue canẽ. adde ſ. Albicatur numero 58.

inſcribit] irrepſit.

404 *votum*] noctem.

coerceo] coercuero, Fab.

405 *hoſtire, offendere, &c.*] hoſtire, defendere, cedere: Pacuuius Erotopegniôn libro 2. Hunc quod.

voluntatem] voluptatem.

413 *infinitatem*] infirmitatem.

417 *animalium*] animantium.

Hic implicabatur caput, fateor) huic implicabatur caput faſceo.

422 *exſulatum*) exſolati.

mediaſtinum] mediaſtrinum.

ne) me.

426 *ſenectuti*) ſeruituti.

427 *gignatam*] ignotam.

Tam iam potiuntur frugum] aut iam potiũtur frugum. Frugum dixit pro Phrygum.

428 *Næuius*] Ennius.

430 *matre meo iure factum incilas*] mater me eiuras, aſtu incitas, genitorem iniuſtum approbas: vel matrem eieras, aſtu incitas: vel mater mea iure factum incilas. quo loco Aſtu vrbem ſignificat, vt apud Terentium Eunucho.

435 *tolerari*] tolerare, ita apud Terentium tolerabilis qui poſſit tolerare.

437 *denique*] deinque, I. hi verſus repetuntur ĩ numero 700.

Varro Manio] Feſt. in Vaſtũ: id tribuit Pacuuio, quemadmodum & infrà, num. 769.

ac periret] aſperum, V.

ſquale ſcabieque, &c.] ſcabie illuuie I. alij, ſquale, atq; ſcabieq. apud Feſt. in Vaſtũ. Quales ſcabres quod inculta vaſtitudine & ita legit ĩ. c. 2. in Vaſtitudinen. 891. Quales ſcabres quam inculta vaſtitudine: & infrà, numero 761. ita legitur hic locus, Ager derelinqueretur ac periret ſquale ſcabréque, illuuie ac vaſtitudine: aliter etiam c. 1. & 5. num. 769.

inualnicie, improfundie] inualentia, imperfundie. V. alij inualnitie.

ſqualitate, &c. ſqualitate ſumma ac ſcabie ſumma, in re ſumma.

439 *Baſſus*] craſſus.

442 *Nouis dictis*] nobis dictis.

445 *námque huic inuenio, &c.*] namque venio huc vt mea ope, opes Troiæ integrem I.

447 *Rhodienſis eſt*] Rhodienſis ſt.

liber eſſem, &c.] libera eſſem iamdiu, ſi habuiſſem, ingenio iſtoc coamatores mihi.

430 *inſanus valde*] τὸ valde, expungendum videtur.

451 *obtruncatur*] detruncatur.

458 *iudicatum atque indictum*] iudicatum comdemnatum atque addictum MS.

460 *indipiſces*] indepoſces, quod vix admitto. Perit enim alioquin τοῦ indipiſcere interpretamentum, quod Nonius hic proponit.

461 *cruſtatos*] incruſtatos.

465 *cupiditatis*] cupidinis.

466 *Cœlius*) Q. Claudius v. 17. Agel. 2.

inermes in latebras) inermi inlatebrant ſeſe.

467 *in frontem*) in fronte.

468 *impudens* impudenter.

impuratus) impudicus.

impune) & impuno.

rapiſtor) rapinator.

470 *perduxit*) produxit.

476 *inficiatores probaſſent*) inficiator probaſſet.

479 *male*) mala.

481 *educantur barbati*) edicuntur barbari.

482 *Lucuus*) Lucuns. Sic & ĩ. eodem paſſim: & Lucũculus pro luculentulus. vide Feſtum in Lucuntere.

483 *& non allium, & ſardæ*] & non alia ſardæ I. non alia ſardæ, panu pemma, lucuns, cibus qui puriſſimus multo eſt S. apud Feſtum in Lucuntere.

penia] pemma. I.

remma, &c.) pemma.

lucuus nihil) Lucuns illi nihil. Iſta miniant Scal.

adiuuat iſtam) iſta miniſtrat, M.S. Iſta miſtrant. Scal.

piſtori nouat) Piſtor ouat, I. Piſtor nouat M.S. Piſtori nubat, cur non ſcriblitario Lipſ. Scriblitarius, qui placentas conficit. Prolog. Pœnul. Nunc dum Scriblitę ęſtuant, accurrite, piſtori non, at cur non ſcriblitario, vt mittat fratris filio lucunculos, Scal. in Feſt. Lucunculus deminutiuum à Lucuns. Tertull. de Spectaculis, ſtillicidia mellis de liuacunculo (legẽdum lucũculo) venenato. Apuleius 10. de Piſtore dulciario, hic panes, cruſtula, lucunculos, &c. Et Feſto lucuntere, genus operis piſtorij: Græcè λευκαντὴρ, ab aſperſione farinæ, quæ alba eſt.

ſcribitario) ſcriblitario.

484 *περὶ ἀῤῥενότητος)* περὶ ἀρετῆς κινήσεως.

narro, &c.) narro ideo ita hic.

485 *Varro)* Barathro.

cuculator) circulator.

486 *mea)* modo.

487 *repoſitum)* depoſitum mœrentem. Pal.

immerentem) & merentem. I.

488 *videt)* vides, vt M.S. videlicet.

acos) Fabricio. M.S. à Coſſ. aut Samnitis copiæ Curio defuerunt. M.S.

489 *iactuoſæ)* actuoſæ.

490 *luſus)* luſum.

490 *gallus)* caluus 9. Agell. 12.

fugite) fugis & M S. I. fugit & Fab.

404 *viri)* diui.

ſuperna) ſupernè.

496 *Accius)* Publilius, M S. Turpilius I.

497 *acta)* Atta cuius meminit etiam Horatius.

placent, tunc, &c.) placeat, tu. I. ſi placeat, tu impunè ſuperbis.

impune ſuperbis) impune luparis. Bong. recte. Nonio lupari, eſt ſcortari.

498 *ſanguine)* citatur hic verſus ab Agellio è Furij poematis.

fuerunt] inerunt.

qui] quod.

501 *Socratem*] Iſocratem.

502 *vitioſo*] vitioſe.

504 *tigello*] tigillo.

503 *ſcitras*] chytras.

aduerſum] ahenum.

507 *ligurrierit Attius*] liguerit ius I. ligurierat Victor. 12. Var 3.

508 *decem mercedem*] Demetrio, ex Varr. *quas,*] ecquas.

Iterſerare] inter ſe memorare M S. inter ſe memorent.

509 *litaueram, &c.*] militaueram. nam in furtis celebraſſit M S I. mihi Lauerna in furtis celebraſſit manus I. celebraſſis manus, Scalig. in Feſt.

Muſas] inuiſas.

510 *Tucca*] Tuſco.

vnde es, &c.] vnde is nihili? vnde? vbi luſtratus? vbi bibiſt? I.

511 *luſcioſi*] v. quæ ſcripſi ad l. 10. §. ſed & ff. ædilicio.

513 *fabam, &c.*] eadem v. apud Feſtum in Fabam Ouidius, Cúmque manus purè fontana perluit vnda, Vertitur, & nigras accipit ore fabas. Auerſúſque iacit, ſed dum iacit, hæc ego mitto. His, inquit, redimo méq; meóſque fabis. Hæc nouies dicit, nec reſpicit, vmbra putatur colligere, & nullo terga vidẽte ſequi.

514 *demonſtrat*] demonſtrant.

De oratore libro 6.] manifeſtũ mendacium, neque enim Cicero plures tribus compoſuit.

leuitatis) lenitatis.

515 *ſubſilis, &c.)* Non ſubſilies ac plaudes & ab Arato poſces Aſtricam coronam, quid hoc mirius? v. J in Poſcere.

520 *Quam ſit)* qua ni.

321 *memorant)* commemorant.

522 *qui*] cui.

525 *noſter Atticus riualis homo iturus)* noſter antiquus riualis domum iturus. Riuales, qui vno riuo vtuntur.

iturus) item lectus.

cum mateſcebat) commaceſcebat.

127. *actum)* ac tum.

ordinum munia) ordinum extrema munia.

munia) munem.

528 *tertio)* ſexto.

530 *deletorio)* de Lætorio.

531 *mobilitate mœſtas)* mobilitata mente.

532 *mictyris)* mictilis, v. ſuprà Commictilis num. 109.

pulmentaria vtentibus) pulmentar aut intibus, aut aliquid genus herbæ, & ius mœnarum bene habet, ſed myctilis, hoc eſt merx Scal. in Catul. adde numerum 109. ſ.

533 *mertaret)* mœraret.

quod ſicut res iſta mecum) quod ſi, vt decuit, ſtáres mecum aut meus mœraret dolor.

534 *nam mœnia)* amnia.

539 *petere aurum ex flamma, expediat è cœno cibum)* Hoc Lucilij. vt & alia multa imitatus eſt Terentius Eunucho, E flamma petere te cibum arbitror.

&] en.

541 *boni miniſtrantur, illum nunc irrident mali)* Boni im miſerantur, illum irrident [illegible] Eſt autem ratio li, Lip. Im [illegible] verſus prioris [illegible]
hæc di [illegible]

dixerat, Pauperi melius esse mori, quàm mẽdicari, quia si moritur, inquit, misericordiam à bonis, si viuit, irrisum à malis consequitur.

542 *an sit quod hic non mertet*] an sint quos hic mertaret.

ea] ita.

546 *Calleci voce*] Gallei voce. Loquitur autem de Gallis.

548 *habet habere, & non habere*] auet auere & non auere, ita lego.

550 *vermiculata*] vinculata.

ingens]. ingens.

551 *sperans ætatem eandem hæc proferre posset mansum ex ore daturum*] sperans ętatem eãdem hæc profe:re potuisse, & mãsum ex ore daturum, &c. Vbi notandum prouerbium, Mansum ex ore dare.

552 *ophebetum &c.*] Ephebum mulierauit, hic Admecadæ cubile primus polluit: alij ita: ephebum mulierauit ad me accedens adolescentem cubiculum, &c. I. alij, pro ephebeto, effebitum vel effœtum legunt: nisi ita legas, hic annorũ decem adolescenti cubiculum pudoris primus polluit.

553 *Homlia: Atrice vrsum*] conciliatrire visum, ex 7. Agell. 9.

callis] Gallis. Agell. ibidem.

555 *manstus*) manuatus. vide 16. Agell. 7.

556 *ἄγαν μέθαι, viduam*) ἄγαν μηδὲν quam.

557 *vincor non esse masculum ad rem*) alij ita, Vincor non esse masculum.

Arem) Arem, id est Martem. Sic Plautus in Trucul. Ad legionem bellator clues: at ego in culina Ares. Est autem species Prouerbij, perinde ac si quis diceret, si id probaueris, dabo Martem non esse mansuem ac fortem.

561 *requiescendi*) quiescendi.

condensiores manipulatim cùm densi in orbes manipulatim, orbes facere, in orbem pugnare, notum in re militari.

562 *paluſtria quæ erant*) palustri áquæ erant.

565 *putandi modiperatores*) bibendi MS. potandi modiperatores, ita lego.

magistri) vide Varronem 4. de lingua vbi de Mensa vinaria.

573 *Mediastinos*) mediastrinos.

mediastinum) mediastrinum.

mediastinus) mediastrinus.

575 *ingenium*) ingenio.

576 *ocule*) occulté.

577 *afra*) vafre.

580 *Nenum*) Nænu.

nenu] nænu.

Fusium] Fufium.

natalis fortunæ) Natali fortis.

583 *Quin id Circeo*) Idcirco.

pripendantur soni) quæ prepedinatur soni pedum.

584 *xxx*) xxxv.

588 *quam lympham melius è lacuna fontium allatam, nidos potili permiserat*] nidus poculi MS. nidos pocilli misceat. Palm. & τὸ nidos pro nidore accipit, quem Nonius hîc pro poculo eo sensu Varronem luxum temporum suorum reprehẽdere, quod Romani aquam niualem permiscebant, cùm salubrius è lacuna fontium aquam haurire possent, ac nidorem pocilli permiscere hîc nihil aliud esse quàm vinum Lympha. ego ita legi posse arbitror, nido potaturi permisceant, Nido potaturi, id est è poculo. Nonius enim hîc Nidum interpretatur.

597 *cumanos calices*] cum ansis calices MS. fortè legendum, Decumanos calices, id est prægrandes. Nam grandia pocula commemorat Varro.

598 *faciam*] factam.

601 *obscura*] obscurè.

603 *quin illa facta*] quin illa stacta, Lips. Plaut. Mostell. Vbi vnguenta sunt. Quid opus est stacta acculo.

605 *obstringillare*] hoc verbum reponendum apud Senecam lib. 1. epist.

609 *vt simulatim*] si minutatim MS. vt sit minutatim.

611 *denique*) tum.

de republica] de re rustica lib. 1. c. 59.

615 *campis*] patriis 18. Agell. 11.

618 *Fullonico*] Philonico.

sonaram] sonorum MS. zonulam I.

absedet] abscidit.

619 *pleuitatem*] plebitatem I.

610 *Plotino*] Plocino MS. Plociona, πλοκιωνὴς, stuprum emptor.

coloratam frontem] vide infrà Frontem.

petilis habris] petilis labris Iun. id est exilibus.

petilis &c] hoc interpretamentum nõ esse Nonij Iunius putat.

habris mollis] habra mollis.

622 *herona mille*] herona mole MS. heroa à mole MS. vel cum heroa, malè, λόγ. à mole. Vilel. Canter.

623 *panulam*] vide Varronem de lingua, vbi de vestitu, alij legunt, panuclam.

subtegminis] subteminis. vide Cuiac. 11. Obseru. 6.

624 *pallio datur*] palliolatur I.

625 *diu*] diui MS. Sunt autem verba Decij, vide Accium in Æneide seu Decio.

626 *idem eodem*] ideo.

628 *magnus poeta*] magnius poëma MS. Mac geminis poema.

629 *Nauius*] Nouius.

Amna Grenuntius] Agrypnuntibus, vide infrà Promicare.

630 *coquentibus hœdum*] loquentibus dum.

631 *Afran.*] Nouius.

Aliber totius] Aliber totus MS. Æqualibus

Nun j

totus I. Scaliger ita, Aliter eius. Ego vero ita lego, à libertate ius monilis posseſtricem, id eſt petentem: vel, à liberto eius monilis poſſeſtricem.

tonſtrix) contextrix. Fab.

633 *Nauius Aulularia*) Ennius Erularia. vel Herularia MS. Carbonaria, Feſtus in Spetile.

præciſum, omaſum, pernam, callũ, glires, glandia) Apud Feſtum in Spetile ita legitur: Ego pernam, ſumen, ſueres, ſpetile, callum, glandia.

634 *origine*) expungenda eſt hæc vox.

oritur ex Catinatis) ex Cantabris, ita legendum ex Mela, Plinio, Strabone.

635 *Syracuſis*) Syracuſæ.

ſola) ſoleas. Palm. Syracuſis ſoleæ ſunt Syracuſanæ, vt Trinũmno, ficus zacintho, Zacinthiæ, apud Varronem, cultu Bithynio, id eſt Bithyni.

pueri in ludo ſolent &c.] pueris in ludos tellos (fortè talos) paſceolos furare, I. Pueris in ludo ſoleas & ſacellos paſceolos furari. Palmer. Spicileg. Sacelli, id eſt parui ſacci. Ideóq; Cato Paniam hîc incuſat, quòd is iam puer in ſchola inſuerit furari.

637 *Portiſculus*] Pertiſculus, Fab. Vnde mox Nonius qui eandem perticam tenet.

Thus antè] Tùm ſanctè.

Cithera] Sic S. Exo: i: ũ: alij, chere: alij, There: alij, cithereis: alij, Hetera.

pulſus] curſus.

638 *faciat*] iaciat.

640 *te*] deeſt. Scal apud Feſtum in Occentare.

differam] differam te, Scal. d. loco.

641 *Pici diuitiis, qui aureos montes colunt, ego ſupero*) dixi ad Feſtum in Dracones.

644 *nocte te tabernas*] noſtra taberna.

645 *ſi inde &c.*] is endo naues putidas, atque ſenticoſas, commeatum moinire volebat. Palm. Is indu naues putidas, atque ſenticoſas commeatum ponere, vel commeatu onerare.

647 *caue canem*] caute MS adde quæ in hunc locum ſcripſi. ſ. in voce Albicatur numero 58. & Hornum num. 403.

650 *prapriſtini*) & præfiſcini.

652 *ſe ſeneces*) ſeſe neges te.

654 *latantem*) lactantem.

nec aſſat &c.) necaſſet, quo quis cruciatu perbiteret.

656 *prouidere*) prouegere.

prouideam) prouegeam.

657 *puellaſcere) effeminari*) puellaſcere & effeminari MS Puellaſcere eſt effeminari.

658 *per*) Papæ:

660 *extra*) exta.

proieciſſem) porreciſſem.

Mania Medicate) mania meditatè MS. Mania medica. Te mania medica, Titulus fabulæ infrà in Piſtillus.

661 *primiter dapes*) primitus de pannibus, vide infrà Pannibus.

ſicuti &c.) Sicuti cùm primos ficos propala recenteis, Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos I. vt cũ primitus, &c. Turn.

664 *Ariſtotius*) Ariſton Chius. vide Ciceronem lib. 1. de legibus, & de natura Deorũ 3. Laertium in Zenone.

666 *Proletarij &c.*) Proletarius publicitus ſcutis, ferróque ornatur. Hi verſus pleniores apud Agellium 16. c. 10.

667 *Aſsitogiola*) Agitatoria.

669 *Cupiuncula*) capeduncula.

adolabitis) adulabitis.

678 *Synephebo*) in Ephebo:

octo medicarios &c.) tot ero medicarios honeſtos audiuiſſe MS. clare poſſis, l. cum hero medicari hos boues tot aur. HS. Semis dare poſſis. Effuſiſſimi erant veteres in danda libertate, Caſina. Quid tu me verò libertate territas. Quid tu ſi nolis, filiú'que etiã tuus? Vobis inuitis atque ambobus ingratijs, libella liber poſſum fieri. Itaque metuendum non erat, ne qui ſeſtertium ſemis daret, libertatem non impetraret.

audies, cùm &c.) audies. Lucillius, Amicula aſpera atque præcox. Varro Synephebo, Cùm tempus &c.

679 *Acari ſtudio*) Achariſtione.

& aduorſum] te aduorſum I.

Aequũ eſt me habere eos pauperẽ ſumptu meo] Æquum eſt me habere, eos pauperaui &c. MS. Æquum eſt me alere, quos pauperaui, ſumptu meo.

681 *inquit*] iniquè.

682 *pollinctores ſunt qui mortuos curãt*] ab antiquo Pollingo. Gloſſis Pollingo, ἐκκομίζω νεκρὸν, σορεμπλέκω, ἐνταφιάζω, τειχίζω. Ii dem ταριχεύω νεκρὸν, Pollingo & Pollinctor, ἐνταφιαστής.

& id æſtate] & ex æſtate.

688 *vado*) fato.

Peliam me &c.] Peliam Medeæ promiſiſſe, vt ſe vel viuũ degluberet, dummodo redderet puellum: Vel ita, Peliam Medeæ promiſſe (pro permiſiſſe) vt ſe vel viuum degluberet, dum modò puellum redderet, I. adde Petr. Victor. 5. c. 6.

vltra intra pectus &c. O ſtulta noſtri pectoris dormitio, inuigilabilis, Quæ me puellum impuberem cœpiſti, I.

689 *Squamigerum*) Squamigeræ.

691 *Phrygia, & terminis*) Phrygiæ terminis.

Paſſim que præda pecua] paſſim quæ pretia pecua. Precia autem à præciendo ſeu clamãdo. vide Feſtum in Precias.

695 *os*] hoc.

696 *magna te*) magnus, vel mignate Iun.

Deum

Deum me sentit] Deum me incendit, Lipſ. Putat autem eſſe verba Oreſtis, qui oraculo iubebatur matrem interficere: hominum tamen verecundia tardabatur. ſimile eſt quiddam Sapphus apud Ariſtotel. in Rhetoricis.

698 *Perfice*] perfica.

perfeceris] perficiens.

perfice] perfica.

699 *Pediolus*] Petiolus.

700 *petico*] petigo.

denique] deinque, vt ſ. numero 437.

702 *paſsiuum ad vſum*] Peſſimum MS. paſſim ad vſum Lipſ. Paſſimum ad vſum, ita legi poteſt: vnde etiam paſſimitus vox frequens Tertulliano: apud quem paſſim ac perperam legitur paſſimitus. Paſſimũ ad vſum trahi eſt ad promiſcuum vſum, quod hîc oſtendit Nonius.

internecionem] interitionem MS.

ſolùm] ſolutum) MS. abſolutum.

704 *Vt*] vel.

705 *honeſtam*] inhoneſtam.

706 *puticeſceret*] putreſceret.

709 *tacitique aduenientium*] tacitéque aduentum.

713 *leuitate*) lenitate.

715 *occultáque ſunt conſentanea quod*) eo cultu quod.

716 *plagis*) plagiis.

717 *aut*) at.

722 *argilla*) argilloſa.

ſitu peminoſa) æſtu rimoſa.

732 *Longè ab vrbe villicam*) nam longè ab vrbe villicarier. & ita legitur ĩ. Rarenter c. 11. numero 52.

737 *Riſcus*) riſus MS. rurſus.

738 *Repedare Lucillius*) pede iterare Lucillius.

vt Roma vitet gladiatoribus) vtrum euitet gladiator I. Romam vt bitet, q. i. ſpectaculũ gladiatoriis. Palm. vt Romæ videret gladiatores.

Idémque &c) Idem poſt, quod factum MS. queis cunctis ego à Metello repedabam numero: id eſt celeriter, ocyus, niſi pro Queis cunctis legas, ludis factis: vel, vt factum, id eſt cùm primùm id factum.

739 *Redandruare*) Redantruare.

vt vulgus &c.) ſic vulgu redandruat inde: hic verſus paulò aliter apud Feſtum.

Chryſe Græcos) In promerenda gratia ſimul cùm videam Graios nil mediocriter Redantruare, opibúſque ſummis proſequi. vide Feſtum in Redantruare.

740 *Redhoſtis rediýt*) Redhoſtit, reddit.

quid hîc &c.) edo quid hic redhoſtis eam, cum mi aſſem obhiet facilius. Aliter enim hic locus extat apud Feſtum in Redhoſtire.

aliter relatum) aliter ac ſit.

742 *Medico*) Macco I.

& propter) ea propter. MS. & Lipſ.

743 *pulmones*) perniones.

appetitus) arthriticus MS. quod pædidus, Lipſ.

ramice) cum ramice.

an neſcio quo) à neſcio quo M. & Lipſ.

rapturis) raptori, Lipſ.

ramicis] ramices.

744 *ſextam teſſeras*] ſextantes ſyluas feras vel ſectantes. In ſyluis feras I. Sectantur feras Fab. ſyluas ſectantes feras, Lipſ.

746 *ſequius*] vide Cuiac. 1. Obſ. 3.

voſter ruminabitur] voſtræ ruminetur.

749 *Redurare*] Returare I.

750 *Roma*) Romana.

pudentis] pudentes: alij, prudentes MS. putantes Lipſ.

Viuere tum in patriam) patria, vixere in patria Guil. cum patria Lipſ. Ergo tum Romæ parcè puréque putantes viuere cum patria, nunc ſumus in Rutuba, id eſt in perturbatione.

751 *aduocare*) ac vocare.

756 *hiſce manibus*) hic ſermonibus Lipſ. in antiquis & epiſtolis, ita legit, Moniabus. Scaliger Maniæ infantium terriculamenta & lactentium facies, Dij præſides propter rumam. v. 15. Plin. 56.

758 *æſtate*) ætate. *aut*) ac.

759 *Margo*) Vimarco.

760 *è*) à

761 *Scrabréque*) ſcabræ atque, dictum eſt de hoc loco ſ. numero 437.

762 *habitiſſimum*) habiliſſimum.

765 *Scraptas*) ſcreatias, vel ſcreaptas I. ex Feſto Scranctias vulgat.

ſtritabilas) ſtrictiuellas, alij ſcrutibillas: alij arictiuellas.

766 *Cryptis*) eurypis.

ambulare] habitare Scal. 4. de lingua.

767 *crementa*) cremento.

ſcapréſque] ſcabre atque.

769 *ſquale*) ſquales. dixi de hoc loco ſ. numero 437.

771 *Sunat*] ſimat I. *fortè* ſupat quod eſt diſcere & diſſipare, Feſto.

773 *cum*] cui.

775 *ſublimat*] ſublimas.

777 *abs te*] ab deo.

779 *Septifariam*) ſeptemfariam.

781 *ſcriptat*] ſcriptas.

ſcriptis] ſcrupi.

ſolemus] olim.

783 *Cryſicum*] Cryſæ cum.

786 *Neque in puluere &c.*] Nec in poluto myſtico coquam carnes, quibus &c. Scal. 4. de lingua.

788 *noti*] nomina tuo.

790 *Somnerinas*] ſommurnas.

Leuius] leuis meus.

791 *r. tineret*) recineret.

tum) tamen.

793 *interstringam*] stringam.

794 *Manias*] Ismenias I.

Theobogenes] Thebogenes I.

796 *molle*) mole.

803 *solitatem &c*] soliditatem memoras? formidas tibi: sic J. c. 5. numero 96.

804 *æstuat*) exciuit.

806 *profecti &c.*) profectò haudquaquam est ortus mediocri. vide Iunij Animadu.

810 *curre, & nuncia venire, & mecū sperata tum adduce &c.*) curre & nuncia venire me, & meum speratum adducere. vide vt puellam curent Lips. 5. Epistol.

mecum] metum.

812 *fluctiuago*) fluctifrago.

814 *illis quæ sibi*) illísque tibíque I.

819 *populo*) populúmque.

821 *Solennitus à declitati*) solēnitúsque adeò ditem.

822 *nitidi*) nothi dij.

823 *κάπεροι*) τάπεροι.

826 *fonicia sunt &c.*) phonascus adsum. alij Phœnix, legunt. Phonascus, ἀπὸ τῷ φωνὴν ἀσκέω, quòd vocem exerceat.

833 *cœptum*] exceptum.

835 *dissipare*] dissoluere.

838 *probat vltorem*) probat victorem.

840 *perspectaui percautum*] prospectaui periculum, MS. perspectaui perculum.

841 *Temerius*] Temerus.

844 *nibis, tibive tudiculasse*] bis téve tu dic.

846 *Vigere &c.*] in aere volitans miluus aquam è nubibus tortam indicat fore, tegillum vt pastor sibi sumat I. Iugere dicuntur milui, cùm vocem emittunt. Id autem prognosticon pluuiæ, alij, pro tortam indicat, Terram legunt.

851 *melixa*] melexia.

852 *par neci orbificor*] pernici orbificor.

856 *taxit pro tetigerit*] taxis pro tetigeris.

857 *leuis tippula &c.*] vt leuis tippula lympharum frigidos transit lacus I. de Tippula, vide Festum in Tippula, in MS. lymphotum legitur.

leuior es] vide Festum.

859 *transenna demissus*] id est fenestra, vt hîc Nonius interpretatur. Seru. vide 5. Æn. fune demissus interpretatur, cuius opinionē vt veriorē defendit Turneb. ex Valerio, Macrob. Plutarch Plinio, Isidoro.

861 *artificis*] aurificis.

865 *tetrica horrentis*] tetricè horrenteis: alij, tetricè horrenteis.

868 *hîc vt muscipula contenta*] hîc vt muscipulæ tentæ: atque vt scorpius cauda sublata, Turneb. muscipula, id est, insidiæ.

869 *tristitias aute diuortiū*] ante dorcium MS. tristias anted hostium, Lips. id est præsens. Anted autem hîc dictum more antiquo.

diuortium] dorcium.

872 *vbi*] ibi.

874 *cum*] cur.

& idm qualis qua] & in aquali aqua. Sic J. in Fœlix, legendum.

876 *quàm mobile*] hic locus emendatior legitur & exhibitus est etiam à nobis suprà numero 248 in Diis, diutinis.

878 *Nemæa*) Medea I.

882 *Cæde vsti hac*] Cæsíque Næa atque.

886 *nimis*] ne mi.

887 *necdum*) nedum.

890 *vetustati, que*) venustatísque.

891 *vtratusta*) vtere tu ista.

891 *& rauestie & vastitudine tardè forma tuis*) atra veste, & vastitudine terra formatus, Scal.

tarde forma) trade formam M S. terra formatus, Scal. vt s̄.

quales scabres qua) squale scabre atque. dixi de hac lectione s̄. numero 437. in Illuuies. & apud Festum in Vastum.

892 *exsilium*) exsulem.

893 *imperandi*) imperitandi.

895 *verans*) venerans. adde huic loco alium, qui s̄ numero 276 in Deuorare.

& puncto) & ponito M S & Ponti auerruncent censuram simul, Lips. Cursura Ponti nauigatio. Virgil. Hic cursus fuit. Horat. Qui per mare currunt.

cur Syriam) tum Syrmia. de Syrmiis vide Festum.

898 *sensilo cum*) sensiloquum I.

903 *contra &c.*) flagitium nescis bello vinci à Viriato Annibale I. Hunc locum Scaliger apud Festum in Viriatum, ita restituit, Lucillius libro 26. vt populum Romanum victus vi: & superatus præliis. Sæpe est multum, bellè verò nūquam, in quo sint omnia: contrà, flagitium nescire, vinci bello à Barbaro Viriato Annibale. Idem lib. 2. In viriatum hunc infamem iuuasse, animámque Ellisisse illi.

907 *vir Viratium vxorem habere Atalantam*) Viratius M S: Viratiam vxorem Atalantam Scal. apud Festum in Viriatum Viracia ἀντιάνειρα.

908 *vulga*) bulga.

909 *verrucam*) 3 Agell. 7.

910 *vibices*) vide 10. Agell. 3.

Vis) eos.

911 *æstate*) ætate.

912 *excrescunt*) increscunt 18. Agell. 11.

913 *concoctásque*) concretas apud Priscian.

916 *Tonso*) intonso.

918 *vermiculato*) vermiculatum multis segmentis elaboratum, veluti multis vermiculis concinnum.

920 *si de iure*] si de re.

926 *prætextas*] prætextatas.
928 *Cinerans cludebat*] crunetum is cludebat I. cinerarios eludebat Lipſ. de puero qui iam tondendus, in gyrum currens, volebat effugere cinerarios. Catul. Iam tuus cinerarius tondet os.

IN CAPVT III.

2 *vlla*) illi.
3 *Ennius*] eò Liuius I.
ad armentas &c.) ad armentas ipſius eaſdē, Tucu. uifrontes paſcere armenta ſoles. Scal. 4. de lingua.
curuifrontes) cornifrontes paſcere MS.
9 *iugatos*) iubatos.
in ſeſe) ſinu ſe.
Acinnius) Atacinus.
11 *Feminino*) vide Feſtum in Petronia amnis.
Epinauſimacheumandria] ἐπὶ ναῦσι μάχῃ: cū Andria vndam.
ſalſo ſanctum) iactatum
acerbos) aceruos.
12 *operas*) telas.
15 *quamque*) quaqua: vel, quacunque, idq; metri cauſa.
18 *diſpenſatorem*) à diſpenſatore.
21 *Frigidiſſimus*) fragiliſſimus. huic lectioni ſubſcribit Priſciani codex.
mala) maia.
22 *accubitionem*) accubatiouem.
23 *in columna*] in culmine.
25 *actoribus*) *auctoribus*.
26 *victa taxit*) vincta taxus.
27 *meam eſſe leuitatis*) notam eſſe leuitatis, vel meram eſſe leuitatem.
32 *coquinari*) coquinatio.
cultelli empeſtati è Bithynia) cultelli illi importati è Bythinia, Lipſ.
33 *de me hortatur*) dehortatur. 7 Agell. 2.
credit) credidit. Agell. d l.
34 *cupreſſas*) cupreſſus.
35 *cæli*) de ſcenicis origin. I.
36 *accolis celeriter*) Iacolis celeriter, Lipſ. iaculis.
39 *diſſoluatur &c.*) diſſoluetur omnis humana conſociatio. Vulg.
40 *nec ſic, vbi*) Neſcis vbi. Græci, vbi nunc Socratici charti? quid quæritis? primus Lipſ.
petimus) perimus.
41 *in Marte*) in Macer.
puluem) peluem.
43 *abroico*) ἀγροίκῳ.
quaſi lupus ab armus valeo, clunes infractos gero) Fuit opinio olim, lupum armis validum tergo infirmum eſſe, quod in prouerbialem ſententiam propè abiit.
deſertos) infractos. ita apud Feſtum in Clunes.
44 *magnus &c.*] cœlus mater magna his eſt tellus.
45 *caſtu*) caſtitu.
caſtus) caſtitus.
46 *niſi pecorum &c.*) nos hîc pecorum more per æſtiuos. vel (vt alibi) per æſtiuos ſaltus deuiâ que calles, Lipſ.
48 *viarum*) vuarum.
52 *decilla*) egilia.
54 *Pol &c.*) Pol à cubitura, mater, magis ſum exercita Fere quàm à curſura, eo ſum tardiuſcula I.
55 *currentis*) Victorius putat hanc vocem expungendam MS.
58 *catellæ*) catellum.
59 *corius*) vide Feſtum in Corius.
depuuit) depauit MS. non male, ἀπὸ τοῦ παίειν.
60 *nemini &c.*] Nemini fortuna currum miſſum à carcere intimo leui, Inoffenſum per æquor candidus ad calcem ſiuit.
61 *quercu*] querquero.
altitudine] amaritudine.
64 *cor vtrunque &c.*] colare: Vtrum ſcapulæ plus, an collus calli habent, neſcio.
66 *abtorque*] obtorque, ſic Virgil. obuertūt pelago proras.
ſupra] ſipa MS. id eſt eiice.
tortas capulas] id eſt funes.
67 *talpæ*] cillæ I. vt ſit cæparum genus. Alioquin nemo audiuit lachrymoſas talpas. Scaliger legit, thalle.
lippus edenda &c.] Lippus edendo acri aſſiduo ceparius cepa, I. vt ſit hexameter.
& ſeſſiminum] veſci cuminum.
69 *iam diſrumpetur medius, iam vt Marſus colubras Diſrumpit cantu, &c.*] Virgilius Eclog. 8. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
73 *Graius*] Granius.
85 *noctu*] nocturna.
86 *errantia*] errantiæ.
88 *Longè fugit, qui ſuos fugit*] Titulus prouerbialis Satyræ Varron. Sic Terentius, Ita fugias ne præter caſam. vide Turnebū 15. aduerſ. 5.
ſed vt is erat &c.] Sed is viſcerat hæc, legumina, ſarta, rapa pauca, cicer, eruiliam cæpa: allia ac pyra cæteris. Palm. Vt hæc iocoſè vocet viſcerationem hominis agricolæ & tenuioris.
pauca &c.] Parata, cicer, eruiliam, cæpa, regia, allia, cypria cæteris I.
89 *maſculino*] vide Feſtum in Maſculino & in Frontem.
repugnatio] depugnatio.
vitare ſcias] vt amittas.
coloratum] coloratilem.
92 *craſſa*] creſſis.
ſerrano: cæli &c.] erance cili MS. An Siculi nominet ſalis fretus.
more] ore.

dictis segregans) dicta segregent I. vide infrà Obsceenum.

98 *fulmentum)* fulmenta, lectum scandunt Turneb. 15. aduers. 5. Prouerbium quo significatur id quod subest præesse velle. vide Iunium in Adagiis.

supponi foco) suppinge soccis

tumulo in excelso loco propter mare) tumulo in excelso propter mare. adde quædam infrà c. 6 numero 26.

104 *Pisia diacematico foro præstãtur virtuti laus gelu, sed multo ocyus venio tabescit)* Pisis diademati o foro præstatur virtuti laus, gelu sed multo ocyus, senio tabescit, Turneb. 15. aduers. 5. Diadematicum forum vocat, Pisæũ, in quo victoribus diademata & coronæ tribuebantur.

110 *murena villa)* muri, villa.

111 *pedibus tristeis)* pedidos tristes, graue olentes. vide Festum in Pædidos.

acres) atros.

114 *sensus, Poria &c.* Sensus, portæ, venæ, hydragogia: cloaca, intestini I. id innuit. sensus esse fontes quosdam naturę venas: hydragogia & canales: intestina, pro cloaca esse corpori.

115 *orat. perfecta hac video)* orat perfecta ac vide MS.

duella rapula) heluellæ I. sunt olera minuta, teste Festo. Sed Turneb. 15. aduers. 15. legit duella, rapula. Duella, id est, bella, quo pacto ex duello bellum, ex duellona bellona. Scaliger ita apud Festum, in Heluella: Lenti calido, eluella, rapula, rumices.

romiæ) rumici MS rumicæ. Turn. d. l.

120 *Nauius Maccho &c.)* Nouius Macco exsule: Verberato populus.

ergo) ego, I.

spirion) Zopyrion, Labias discidit vtrũque secutus.

123 *lepides)* λιθάς

124 *lepidus statues)* luxuriæque tuæ statues.

129 *limphorem)* lympham.

130 *in paupertatem eo licentiatus)* in paupertinum eo licentiam. Alius legit, in paupertatem eo licentatus.

131 *latrina)* lauatrina.

lacuque) languet.

neutri) ventri.

133 *vestigium)* vestitum.

134 *ruralibus)* opusculis.

sumptum comitia) vbi tum.

instant) instat.

rem faciet) peiorem faciet.

136 *acri crepitantes)* acres crepantes.

thesiantem) Thyasiantem, idest thyaso bacchantum conuenientem.

paci huius) pari in hui⁹. MS. Palm. bacchiis.

138 *margaritam &c.)* margarita, vt Amethystus, smaragdus, I.

141 *metus)* v. Festũ in Masculino & Metus.

1142 *iactati sumus &c.*] Acciti sumus vt depontare MS. Accitissimus vt deportaremur, murmur fit verus: nisi malis legere depõtaremur: vt alludat ad morẽ de ponte deturbãdi senes

145 *maiores*] vtri magis.

suus] lusum.

inter nundinũ barbam radebat] internundinum, est spatiũ quod internundinas est. Hinc intermenstruũ quod inter menses. vide Turnebum 19. aduer. 5.

Romam ipsam in arcosice, non] Romã ipsam narcosinæ non, I.

146 *quos*] queis.

qualia sunt] cilia fronte.

suræ, nec pedes] suræve pedésve.

147 *iliada: nepos*] ilia dia Nepos I.

149 *tendamus neruias*] extendamus, id est comminuamus fides.

151 *neque offerre &c.*] Neq; ferre hũc diutius errare & conqueri necesse tuæ obsequelæ. Valem. Canter. Neq; ferre hũc diutius tricari & cõqueri, nec esse suæ opsequelæ. Gell. 2. Verisi. 21. Tricari est Fallere. vnde Tricones.

carique] cari.

152 *in acta cooperta age inoras*] in arca cooperta age minores. MS. in acta cooperta alga, Palm. & Fab. Acta, id est littore.

multum numus piscis] multis nummis vel multinummis.

inoras ostreas] inoræ, quæ ore carent. 7. Gell. 6. dixi ad Festum in verbo Inori.

ostreas lucrinas] ostream lucrinam.

hus itidem] hoc fit idem.

153 *vt etiam putantibus*] vt æstimantibus.

μηλ'] πόλλοι ἢ οἶες.

Terentio: quando citatus] idẽ Terentio quãdo MS. idem M. Terentio.

excitatus] excusatus MS.

eum] ei. MS. adde 11 Gell. 1.

vnum ouem multam dico] vide Plin. 8. c. vide Festum in Ouem, & in Recto fronte.

154 *suo*] sæuo.

Titanum] Titana.

155 *statuis aquis*] statiuis aquis.

158 *protundit*] profundit.

appositum, posticum] appositis, postico.

quæ exierunt] exierint.

159 *nam*] nunc.

160 *cessum ad præsepiã suam)* Esum ad præsepiam suam. ita apud Plautum.

162 *putrem panticas)* putent pantices.

164 *vallato mobilis septos)* vallatos. alij, Vallatos mobili septo. alij Vallato mobiles septo MS.

166 *licio)* lino.

167 *non)* nobis MS. vide suprà in Catax. c. 1. num. 100.

170 *pigre)* pigret.

Potestate pigne) post ætate pigret MS. post ætate pigrent, I.

174 *Pomp. Dogali: vnum penum quæ)* Do illi

vinum, penúmque omnem M S. Pomp. Dotata: vinum penúmque omnem. Nonius Dotata. Cæterùm alium præberem penum. Atta, meum in penum componam satius est. Palm. Dotatam Pomponius & Nonius scripsere. Attæ verò togatæ scriptorum fit mentio apud Horatium.

dofacta) dotata.

meum) mecum.

175 *cui medentia)* cui me dem edet hac Iun.

178 *Lyde)* vide.

179 *vulgari)* Vulcani.

cum virgis] cum fibris MS. alij cum vigris. Nonius Gall. macto te hisce vigris verbenis: macta tu illum infortunio.

porrigere) proficere, vel porricere.

182 *minia)* mania, vt suprà in voce Præsente.

pestinas &c.] patinas pastillos mihi cantant.

Muntius) Horatius.

183 *boni secundè &c.*] Nobis vnde forent fructus vitæque propagmen I.

184 *Lucillius &c.)* Li cinius rerum Romanarum.

patibulum ferat per vrbem] patibulus ferat per vrbem: alij, Patibulo ferat per vrbem.

affigar) suffigar.

185 *factos)* facito.

tremunt) premunt.

188 *admouebat)* appone bat.

sexus) sexu. Scal. in Fest.

197 *tessit & sale &c.)* exfit, est sal sordidum quod vstum est, & in ollam rudem fritilem obiectum. postea &c. vide Scaligerum in Coniectaneis Varronis: & apud Festum in Exfit.

200 *vbi atque erunt dum sibilus institis)* aquæ MS. vbi acquierunt dum sibilus instat. Lips. vel sibilus insit.

201 *tergius)* tergum.

203 *viscere suo)* hiscere MS. miscere.

exercitum) exercitúne.

Africa terribilis &c.) Africa terribilis contra concurret Iberis, Ac gens Æneæ miscebit sanguine sanguen, Lips. Africa terribilis contra concurrere ciuis Ciui, atque Æneæ, &c. Fab.

206 *si valebit plus)* si valebit puls, in buccam betet: si licium in schemam Palm.

dicite[die in.

gymnasio &c.] gymnasióque: vt schema antiquo spectatores retineres.

230 *calamóque*] culmo.

231 *erumna)* in re summa. vide suprà c. 2. numero 438.

233 *Masc.*]. adde Festum in Masculino.

240 *nulla est, tale etiam est*] est tali. Setiæ I. Fit autem Sitia (vnde fabulæ nomen) oppidum Campaniæ.

241 *durum*] durius.

243 *Nyctegresia scendit hora laterum*] Nyctegersia ascendit hora laterum MS. Ascendit aura laterum texta Vulcani vorax. Palm. aura Vulcani, flamma. Scandit ira laterum texta Vulcani. Vil. Cant. Ira Vulcani μῆνις ἀφαιστίο.

245 *russatia*] russa tria.

246 *incauti*] in caussis.

247 *masculini)* masculini & neutri: ita lego.

vt videret, totũ denique etiam suis manibus &c] vt videret tortam: denique etiam suis manibus lanea tracta ministrasset infectori. Palm. Tortam viere, est restim nectere: paupertatis indicium.

250 *orbepsit*] oppressit.

254 *videas agrotum*] videns ægrotum? & eius prius turdum, quàm aluum subducere malis, Lips. 3. Veris.

album quam tympem) alphum quàm typen, MS. aluum quàm turdum Scal.

235 *pradatus*] pedatus.

cum prytimon certum] cercum MS. πρυτίμον κέρκον.

256 *Quare &c.*] quæro meas libidines ad tibias bilingues.

260 *patri)* patrio.

quod) quos.

iuxtim) mixtim.

riuos) vos.

261 *Diffidam amantem cidere)* diffidam amantem cedere MS. Diffugiam, an mantem, ne quid ea re turbem vulgum ambigua Lip. Diffidam autem, & de re turbat vulgum ambigua ac ius vitat, mœros disicit, Scal.

ambigua) euitet.

263 *manu)* nam.

264 *portoperipocons &c.)* Portit per ὑποκόρισμα. Dede cedo cacatum. vipera est in vecrecula Scal.

265 *Stipidius)* Fufidius.

spiras) asperitatem.

266 *optatum germanus meas)* Oppius: tu n germanas I. Turpil. Dotata. Mauors meas vespera oriente clanculum Ferri ad specie n declino Scal.

speciem delino) specum destino.

267 *Lucillius Andronicus*) Liuius Andronicus.

tege) teget.

268 *toto orbè)* tota vrbe.

superet) sumeret.

curuantem) ouantem.

IN CAPVT IIII.

F*Abulare)* fabula verè.

explicatione) expiatione.

Ni ego illi puteo, si occepso animã omnem in-

tertraxero] Victorius 2. Var. 2. negat hunc locum in Plauti à Nonio intellectum, animam enim hic aquam non efferri simpliciter, sed putei animam dici.

Phrygios] Phrygiis.

cātus] cornus: videtur pro fistula. aut tibia dici, vt lotus I.

iracundum vel furiosum] iracūdiam, & furorem. ita lego.

de Republica libro 1.) libro 5. Fab.

Noctilucam tollo] noctu lucam (bouem) tollo, vel, noctilegam, Lucilliano vocabulo. dixi ad Varronem & Festum de Noctiluca.

lassis] lasses.

3 *obiectū vino atque vmbram*) obiectu suo. vmbram Pal. Eadémque obiectio sui corporis, vmbram, noctémque efficiat, cùm ad numerum dierum aptam, tum ad laborē quietem Vil. Cant ĵ. Terræ mentionem facit.

Obuia mens] obuiamus.

alteri) alter.

celebro) crebro.

Hinc colemena &c.) hinc colomena lece minis MS Hinc colo Mænalium geminis aptū cornibus I. Hinc columen alæ. Turneb. Columen, auxilium, firmamentum.

Consellas) tonsillas.

miles, obrepere &c.) milites occepere I.

laxiore] vt laxiore.

vnus consternit] Imus consternitur.

pestibus] restibus.

aptéque [aptà MS.

4 *Veterum vnum &c.*) Verum vnum recidisse, tamen à sene Tiresiai æqualem.

tamen] à mense.

5 *ne si quo casu*) nisi quod casu.

aduersos] aduersos.

9 *Accius Medea &c*] Tunc dia Medea es, cuius aditum expectant &c.

animos] animum MS.

animum attendo] animo attendi.

Pomponius Macco] Macco, idē quòd stultus, à Maccone muliere stultissima, vt ex Aristophane in Equitib. cōstat: inde fortè Maccus, Turneb. 17. aduers. 21 & 29. c. 20. Apuleius Apolog. 2. macci prorsus & buccones videbuntur, citatur quoque Pomponius in Maccis geminis.

Appellare] applicare.

13 *amulatus*] æmulus.

audio quando]. desideratur hìc pars sententiæ.

15 *armis*] Arimini. Sic infià in Rogare scriptum est.

16 *Ignoscere*] igniscere.

17 *factum*] Acetum. vide Turneb. 19. aduers. 20.

acrius mel] acre vt.

Aut philippo] aut Philisto.

Theopompo acrius] Theopompo acrius, aut Ephor mit us inueniri potest.

18 *vlla*] vllo.

perculeris] pertuderis.

22 *potes &c.*] potest, qui Augiæ egit κόπρον. designat Herculem. κόπρον Græcè dixit pro stercore.

25 *fefellerunt*] fallarunt I. id est suxerunt.

Atticè] Atticis.

26 *in omne*] & omnem.

27 *amantis æstuantis*] amantes æstuantes.

31 *aridum siccum*] arida caro, Macrobio videtur opponi salsamentis.

aures terget] aure sedet.

33 *adactus*] adauctus.

34 *Ennius quem incertum*] quo enim cœtū MS. Ennius Chœnice: Tum tu isti crede, atque exerce linguam, vt argutarier possis. Turneb. Chœnix fabula Ennij fuit de nomine mensuræ Græcæ, vt modius Varronis, quæ mediocritatem victus ostendit, Turn. 29. aduers. 20.

Fullonibus] Fullonia.

36 *Quis se magis*] Chryse magis.

Embono] Hypolimæo MS. Symbolo MS. Emporo, id est mercatore, Turneb. 25. aduers. 20.

vel tantis) velitantes.

Asia) Asina MS. Astu Lips. Turnebus de loco.

Videt) video.

39 *Cacilius Plocio*) Cæcilij Plautium MS. Plocion, Cæcilij fabula ab ornamento capitis.

40 *Quo*) quam.

41 *Varro. Agath*) Plato scripsi symposium de conuiuio Agatonis poetæ, in quo de amore disputat. Cuius fortè exemplo hanc fabulam Agathonem inscripsit, hoc est de amore Turneb. 29. aduers. 20.

abdicatur) abducatur.

42 *Aduersi venti &c.*) aduersi venti concident: quòd si pergunt diutiùs mare voluere, vereor ne me quoque, cùm domum iā ab Ilio Cessim reuertero, præter canem cognoscat nemo, Turneb. 29. aduers. 20. I.

44 *macte*) vide suprà cap. 1. in Adoleo, numero 288.

Dūmque adolescendi) donicum olescendi. alij, dúmque olescendi.

gloriae) glória.

45 *dum vsioni*) tum vsioni quod satis esset, tum quod etiam quod acroasi bellorum hominum, Turneb. 29. aduers. 10.

nunc quod etiam) nunc quod sum MS. tum quod etiam Turneb.

Acta bellorum] acroasi, MS.

in carteo stadio ἐπιτάφιον, *à quo qui certasset*) in charteo stadio Epitaphion agona, &c. Turn. 29. aduers. 20.

afferas) auferas.

46 *bar-*

46 *barbaricam pestem Sabinus*] Barbariam vestem nauibus. Sic s. c. 1. num. 192.

multitudo, minus, &c.] mussati, dominus matura oua ad cœnam cõmittit, v. s. Dominus num 125. & Maturum, 306.

Quòd] quid.

50 *post messem*] præter messem.

qui] quis.

51 *velocius, &c.*] velocibus iuuenis membris.

54 *iuuatque*] iuuántque.

55 *curationem differre*] deferre MS. cum ratione differre, Lips.

57 *populum istum*] populo.

volumus) voluimus.

necesse luctu) necesse est lautum. vide infrà numero 280.

62 *duxit*) dixit.

comparant) componant.

Sic vintus animus, &c.) sic multis animus quorum atroci vinctus malitia est.

Cum Plocio, &c.) cum poclo eodẽ, amplector labra, labellas. Fictrices cõpono, hoc est, tum ψωλοκοπῶμαι, I. Ita legendum, indicio est id quod infrà in Fingere num. 202.

63 *propter crepas*) percrepas MS. alij perterricrepas. Sic Lucretius pe terricrepum sonitum dixit.

molliciem) militiam.

64 *ad te retardat socium*) ire tardat. si aliũ, Lips.

nec est) necesse.

66 *callent domi*) callent domitum, MS. callent dominum imperium.

viuendi) bibendi.

Lucillius) Lucinius.

festus desidet) Festum residet, id est agit. Plaut. Captiuis, venter guttúrque resident esuriales ferias.

63 *Vidularia*) Aulularia.

Ixionas Archilochio) Ixionis ἀρχολοχέω.

Hunccine vnquam) hunc ne vnquã MS. Huccine v..quam Hyacinthi hominis continupotentis Scal.

Delicijs) Deliacis, MS.

vtier, vt vim, &c.) vtier, vt cum contendas tuam maiestatem viris.

philotoreon) φιλεθέωρον.

iam potero incipiam] iam pater incipiam.

vt hinc comportet, &c.] vt hinc compostet, MS. vt hic compos & Citium & Salaminem.

Salaminem habeam] Salamine habeam.

Lemnijs] lenonibus.

nihil coniectura] nil coniectura.

flexiuice] flexa ceruice.

quò contendisset] quà con tendisset MS. quò contendi, sed te ita: vel, sed te Tita, Palm. Quod loco, sed te, significat sine te. alius legit, qua contendis semita.

Tarentinum tuum) Tarentum hunc.

69 *subarmis vitã cernere*) Euripides ex quo Medeam exulẽ vertit. Ennius scripserat πατρίδ' ἀπώλεσα. Cæterũ Turneb. existimat in hoc loco τὸ cernere, nõ significare amittere, quẽadmodum interpretatur Non. sed dimicare.

impetrem) impetrent.

Babium) habitum.

nisi) ni.

ad finem) ad fines.

malunt) malim.

exercitum) exercitus.

70 *farto*) fartum hîc, prolibamento furiosis lustrandis recepto, accipi videtur.

71 *videntur frigus, &c.*) videtur Phrygius ex incessu, quàm est confidẽs. Dij hunc perduint I. viden tu frygis incessũ, quàm est cõfidẽs: dij istũc perduint, Lips. videtur frigus incesse, quàm tu es confidens, dij te perdant MS. Fa. *infrenis obstes, &c.*) infrenes, obstes animis.

duas sibi res) duas Isocrati res, Victor 4. Var. 4. hoc enim de se testatur Isocrates in Panathenaico.

72 *& voluere*) heret, voluere. (modo.

quod de nata est modo) quod re nata subito

23 *epiroti*) biroti.

mihi) ni.

exemplo) extemplò.

75 *veteres*] veteris.

secus, vel adiliciũ modius purus, &c) securus ledæ delitium, modius purus, putas, si adhuc characterem Cleophantus cõueniet, I. Secus, vel ad ædiliũ modium purus, putus, si ad hũc charectera Cleopater conuenit Fab. æquus vel ædilium modium MS.

si adhuc) si adhunc.

Cleophantus) Cleopater.

tui) tu.

insidiisque locaui) insidiásque locasti. A.

76 *ecce caldis pedibus*) ecce tibi calidis. p. q. n. s. irrumpit in Fab.

semiustulatus) semustulatus.

78 *aruus*) æuus.

contenti sumus) contentus sum.

79 *sed pauca otio coacto*) Pãcarpine ocino M S. sed pancarpineo cibo coacto I. vt sint versus Phalecij. Vocat autẽ Pancarpineũ cibum, è miscella generis frugum congestum.

85 *bisquinoctoginta*) Bisquinoctogena.

87 *luctus*) curas.

88 ὡσεὶ μέδης] ὡσεὶ κίδονης, vt j. in Ferre nu. 186

89 *vel*) mel.

Caussam coniicere hodie ad te volo) v. l. 1. ff. de Regul. Iur.

in casio) Nicasio.

& coniicere) it coniicere hac nescio quid de ratiuncula. Atque eccum incedit, hoc procul cõcessero. It coniicere, id est parat coniicere. sic Terentius, it visere.

quicquid de latratiúcula) quid de latriuncula MS. quid de ratiuncula, I.

91 *occidisse*] concidisse.

93 *fert*) ferret.

97 *maximum cadit ferro sed cadere Vlyssé*) Ai ix dum credo ferro se cædere Vlyssem.

libro xxix) libro XXVIII.

grato vrgere &c.) gnate vrge, restant, perimus, MS. Sic J̃. num. 48. in vrgere.

99 *constare dicunt*] constare hominem.

101 *de Bruto*] D. Bruto.

102 *ferre*] tenere.

tueamur] teneamus.

in continentibus] Ne in.

103 *est natum*] æstimatum.

coci] foci M. Sociis.

104 *quidem*] quod.

105 *concelebrare, diu amare*] concelebrare, disamare vel diuulgare, Lips.

multis inductis] multis inde locis, MS. multis endo locis Cuiac. 11. Obs. 9. alij multis in- (du loci.

107 *Certa*] cætera.

mutandis] mutuandis.

109 *Pansa, &c.*] sponsa: Papæ Pol eò magis curabo, vbi cognorint.

eos ipse] quos ipse.

111 *quem Index*] quidni Iudex.

notum fuisse] votum fuisse.

Et amplius illam apparere] etiam thus illã apparere. loquitur apparatu rei diuinæ.

114 *vel*] &.

te satis qui audem a che] te satis qui laudem Lachis Scal. rem satis qui delicem, Idem Pansimacho. Imò verò in antè, soli dum sumus (delica.

hic] hæc.

solitus sum] soli ius suum, Scal.

istum ventrem] istum in. (deliciis.

115 *præseruit, labra delicit*] Præsternit labra

118 *etiam hoc versibus*] atque hoc versibus.

Animóque ægrotat &c.] animo qui ægrotat videmus, hoc innuit, Habitum corporis, indicium esse animi turbati.

119 *vbi*] si. (quam.

nónunquam faciunda) nõ facienda nõnun-

iam tum depositus bubulcus] iam tum depostu bubulcus. fitus.

vecors flãmeus, &c.] vecors flãmeo, Depo-

quæ scribi] quæ scribo.

121 *Aduereor*] At vereor. (& quoniam.

122 *Igitur quiescet, quoniam*] igitur quiesce

pareas] parcas.

De rustico] Det rustico.

quicunque dixit] qui condixit.

123 *quo more*] quem ore.

125 *Dominus rursum*] v. Lips. 1. Saturn. vlt.

libro sexto] libro 7.

inquit, Crasso Mutium] inquit Crassi. sic apud Mutium.

XIII] XXX.

meretricis, &c.] meretri ces ad me delenificæ, Atticæ, conuenerant, condixerántque, I.

extra cubui] dextra accubui Libs. est enim sermo de conuiuio, in quo se dominam dextro loco accubuisse ait.

Alteri scribam] alter scribã MS. de hoc loco V. Lips. 3. Scal. Castigat: Guilelmiũ Verisimil.

Discumbimus mussati, &c.) v. s̃. num. 46. & J̃. numero 306.

128 *fortis turba*) Parthis turba. (vt.

omnes, nam discrimen, &c.) omnes natura,

neque signat linea alba) prouerbiũ quo ostendimus nullum discrimen à nobis fieri. videtú: que hic locus desumptus è Chamide (Plat.

pistri) pistrix.

129 *aduocari*) auocari.

130 *Aidus iudex reũ ducebat esse, κοινὸν, hoc modo*) κοινὸν ἕρμην Turn. 29. aduers. 27. perstringit Iudicũ nũmariorum auaritiam, qui reum cùm habent, prædam habere se putant. Ducere igitur κοινὸν ἕρμην est, reum promiscui vsus ac communis ducere.

Orco spondent septimum) Hæc verba aliena à Lucillio, Lips.

ducatque æri simul, &c.) duc atq; ęris simul adde alieni.

Hercules Antianus) Hercules Antæanus MS. Tabula Herculis cum Antæo luctantis.

vbi ille abit) vbi ita, abit.

131 *Tamen aliti verruca*) tamẽ alij verruca, aut cicatrix neuúsue: vel papulę differũt. Notandũ obiter τὸ alij, in dandei casu hîc positũ eo sensu, Etiam eos, qui forma sunt eadem, habere aliquit diuersum.

133 *existimatio*) æstimator, sic legendum J̃. Referre, numero 394.

eum) meum.

134 *demisso*) fractóque fiant.

affert) aufert.

135 *machinis*) machinæ MS. machinato, s̃. in Transenna.

136 *discere labora, &c*) labora, discere neres ipsa, ac te ratio.

138 *consenescit*) consenescere.

139 *adæque*) atque.

claram allatam) illatam MS. illustrémq; I. adlata ἀρχαϊκῶς clarans alata dicasset Lips. vt clarare pugilem apud Horat. Alata fama à celeritate dicitur.

140 *Asiduo*) Asside.

locum) lutum.

descendant) escendant.

142 *Adest alba &c.*) Adest alba n. c. C. q. tu restitui iussisti, sed &c. M. at. est statua nescio c. C. q. cum r. i. A. c. ea deiecta tum esset ex se natusconsulto. Palm.

143 *te recedere*) det cecedere.

definitam viam) infinitam.

144 *illuc oculi*) illò oculi.

deductat hunc voce Leo) deducta ad hũc voce Leo. Palm. deducta tũc voce Leo, Fab. hic enim exprimit Apologũ Leonis cubantis in morbo, & omnia animalia, vulpe excepta, ad se adlicientis. Deducta igitur voce hic dixit, vt & Terentius deducta oratione.

147 *At non sunt*) aut nisi.

Acceperisne) Accipere se.

148 *Diligit*] dirigit ita hîc legendum, vt & infrà duobus locis. Nam & ita legitur apud Festum in Dirigere, vbi tamen perperam legitur discedere pro discindere.

totam) coctam. alij, coactam.

diligit) dirigit Scal. disiicit.

150 *Ennius*) Ennius Erechtæo Muret.

eripite ô cui, &c.) eripite ô ciues, quibus nunc ærumna mea libertatem paro, quibus seruitutem miseria deprecor I. extant autem hi versus paulò aliter apud Agell. 6. c. 16. Porrò hic sermo est de Erechtei filiabus, quę pro salute patriæ mortem oppetierunt.

154 *vt sæpius faciunt*) vt sæpiis faciunt.

iniuriatum) in viriatum, Scal.

inuolasse) inuasse MS. inuasisse.

tamen) tandem.

155 *non potest, Menalippe, hic sine tua opera exanclari clauos*) Species Prouerbij: de clauo autem vestimenti id intelligit Turneb. 29. aduers. 27. Fab. pro clauos, legit latos, quod certè magis probarē: nisi de clauo trabati, id intelligendum esset.

quantásque) quantas, quoque.

ferè exanclauimus) feri, exanclauimus: vt ad Tyranum referatur.

vlciscerer) vlciscerem.

156 *ædilis*) *herilis.*

eliminat) eliminor.

accindit) accidit.

ariuodeo) Armodio MS. A Riuo Deo, Turneb. 29. aduersar 27. armos deo I. quasi diceret se obuertisse Deo humeros. Ego ita lego, occipitium A'ρει deo ostendo: ex oraculo elimino me: vel aris deorum, &c.

quoniam) quam.

Conclauos, &c.) cœna: vos istic manete, I. Turneb. 29 aduers. 27. putat hîc agi de clauo vestimēti ac trāslat tiè, de negotio aut re maximi momēti, ac difficili, quæ sine alterius opera præstari non possit. Ego vero aliud sentio ac ita lego, cōclaui in isto manete, eliminabo extra ædes coniugem.

157 *quid hic cœptat, aut quo euade: hodie*) scin quam? quò euadat, vide.

post concitata) passim.

160 *prius domes*) vt primum domes.

164 *exeatis*) is exeat.

165 *foribus imposita periclitantur*) foris imposita periclitantur.

167 *vbi*] nisi.

me de cordis) Medea, M S.

extulisse) extulisses MS.

gaudij dator] gaudij πάθος vel patho.

suscipiunt] suspiciunt.

169 *ingluuiem*] illuuiem.

176 *dare*) venire.

177 *ibi erat*) vbi erat.

scopios) scopos.

178 *purges*] perurgeas.

deauras] deuras, peruras.

183 *Suámque vt culpam, &c.*) sua si quid culpa expeteic mortalem vt sinat.

184 *Exiit*) exsilit.

libro ij.) adde alium locum s̄. c. 2. in Fax.

cum item] cur.

inæquali) inæquali: & in æquali: Scal. 4. de Lingua.

186 *prælio captiuos, &c.*) Varro Prœlio captiuo περὶ νόσων. Non posses eā amplius perferre. tamē suadet vt noceat, v. quæ scripsi s̄. num. 68. in Censere.

colligere auxiliū, &c.) collegæ auxilium tamen, etsi indigno, feramus. Verba sun Fabij Dictatoris auxilium ferentis Minutio, adæquato sibi imperio. alij legunt, colligo

vt ad te] & ad te.

vestigia sed) vestigia se.

191 *ea sum*] eam ium.

noctis factiones.) nouī factiones. vel nostris factiones.

Non vtilitate) Nobilitate.

intercedere] intercidere.

192 *formosissimam esse*) formosam esse.

donatum equum] domatum equum M. S. vt adornatur in œchum Lips.

ne feroci oratione, &c) ne ferociorem faciant te tam præclara cæli.

193 *directius sese*) dat rectius se.

ei cognatio] ei cognati.

videre] viderunt.

195 *ergo improbus esto*] improbus ego: ēsto.

Hæc effatus, ibique.] Hæc effatus ibus Lips. Ibus posuit. ἀρχαικῶς pro iis.

Imis, &c.] inimicis, vt ȷ̄ in Adiuratur.

potiri, &c.] es potin' vt dicta facessas.

aliquis vestrum nuntiet Geminæ, vt res suas procuret, ædibus facessat) formula diuortij, de qua dixi ad l. ij ff. de diuortiis.

naturam dico facessi] naturam dicto facesse, Fab. matura, & edictum facesse Palmer.

197 *aperire, &c.* aperiri prorsum aut.

ante fatiscar qui] haud fatiscar quin.

Simpulator, conuiua.
Sarga, non idoneus cuiuslibet artis professor.
Scorio stultus, fatuus.
Separ scorsum à parte.
Stringina, restrictio vrinæ.
Sumptuarius, qui erogat. Sumptus.
Superaria, vestis quæ super induitur, suppara.
Scurra, parasitus buccellarius βυκίον.
Semiiustus, dimidium iusti.
Sentio sententia.
Simpulator, amicus sponsi qui est assiduus.
Saxatum eo in conuiuio.
Scillæ, saxa latentia in mari.
Sabbatine, aranearum.
Sexteretiarius ipse qui erogat.
Silo, naso inciso vel reducto.
Schefarius, strofosus impostor, fraudator.
Sauium, osculum vxoriosum.
Subcisiuus, malus interpres.

Scapus, certus numerus tomorum chartæ scriptæ.
Scurra qui incopiatur.
Scurrule, qui incopriat.
Secus, malum.
Semiuecors minimus à vecorde.
Scolaces quod nos fumalia dicimus eò quod sint scoliæ, hoc est, intorti hos Romani funes & funalia nominabant. In alio Glossario Scoliares.
Seruitium multitudo seruorum & ingenuorum obsequium.
Scansa ferrum per quod equus scandit.
Subcus, Subcutaneus intercus.
Subsex, qui subtus sedet.
Sauilubris, artibus.
Sauilubre, artificio.
Sario, sarculo.
Scauellum, symphoniaci scabillum.
Scipiones, virgæ Consulem.
Salettarius, portator armorum stlattarius.
Scopelum, fustis longus.
Scaturrio, lepra.
Scispadum, in patrum Lycospodum lapatum.
Scabra punicia aspera.
Serenitas, iniquitas.
Sebra, vetusta.
Strenuares, cupidi δωροφόροι.
Sarapia, rapinæ.
Saga, nomen genij.
Stlatariata vestis piratica *iuuenalis*.
Stauio, partus.
Stellionatus crimen cum vna res duobus venditur.
Supparant, supplent.
Supera, nauis.
Solerare solidare à solus. Soleris, i. solium.
Scrutitum, pellicium.
Scrutulus, venticulus fartus.
Stagnare, serenere, metalla mixta.
Stica, tunica.
Susurrio, seuiltosus, bilinguis.
Sutrium, locus vbi suuntur species aliquæ.
Suppes, suppumpis hoc est supinis pedibus *Petronius*.
Sica, genus armorum est simile vidubij. Hoc maximè vtuntur qui apud Italos leptiniam exerceat.
Sputarium, sputum.
Suprema, quando sol.
Suppremitur.
Stultomalus, stultus malus.
Sepia incaustum *Persius*.
Sorbillator, degustator.
Surus, musculus brachiorum.
Sugrudaria, sepulchra.

Sugrudia, fundamenta.
Scipio virga antè triumphantes delata.
Sirascula vas aquarium.
Salmentum, salsamentum.
Sutela, corrigia quæ tenditur sub cauda equi.
Sububeres, infantes qui adhuc sunt sub vbere.
Scatus, impetigo, sicca scabies.
Sublestus, infirmus tristis.
Sublestia, infirmitas tristitia.
Submeies, qui in lectulo mingit.

T

TEnilis, qui potest tenere.
Termentum, nutrimentum, intertrimentum.
Titonatum, udimen.
* Togillatim, singillatim.
Togipurium, toga pura.
Tritile, quod teri potest.
Trotinus, sectæ genus arduum.
Tuligarium, carpitum.
Turpeilen, manna genus figmenti.
Tautones, palpebræ.
Teloneum, quasi omnium littore fiscalis conductio.
Tiaries, portitores signorum iriarij.
Tollerunt, genuerunt *Vlp.*
Tugellaria, malefica eò quod supra tagulas taceificent.
Tullia, media vel regia *Petronius.*
Tragium, veniculum.
Telax, stamus.
Telitres, colaphus in talo.
Tanes, cruor, sanguis, tabes.
Tiliensis, clangori, id est sonitus cum tumultu.
Tam nefas, tam detestabile factum.
Tellus, calculus tabula.
Termus, vermis in carne.
Tagax, furunculus.
Tahax genus vestis.
Tenigipinæ, quæ terram capiunt, i. piscinam quas & lacus rustici vocant terripiscinæ.
Tinctorium, gladius cinctorium.
Taca, flauus vel vestis Nonius.
Tocrus, calculus dictus est Compito * solo pilis quod ĩ sibi componit. Calx enim lapis est, calculus diminutiuum.
Trictilia, vbi pendent variæ.
Tuætum, bula condita apud Alpinos Gallos.
Tuore, visu.
Tongilliatim loqui, prauis verbis à Tongilio parasito qui in hoc inuenerat risus aucupium, vt salutatus conuicio responderet & maledicentem blandissime salutaret.
Turturilla, locus in quo corruptelæ fiebant quod ibi turtari opera daretur. *Senec. epist.* 97.
Tuber, fili subterranei.
Tironizare, militare.

V

VSia, vermis porci.
Vani parentes inanes, inutiles, mendaces pellaces.
Verax, sonticus fidelis.
Verbosus, nugator pessimus.
Vespelliones, fossarij qui mortuos sepeliunt.
Vestiarium, erogatarium.
Victimo, immolo.
Vidubium, quæ duos maritos amisit.
Villicus, actor, exactor.
Villæ, pensionum, insulares.
Votificantibus, dona libantibus.
Vallemachia, inhonestæ cantationes & carmina iocáque turpia βαλλισμάτια.
Vultuosus, tristis.
Vabra, callidus, artificiosus.
Vabrum, varium, multiforme.
Vadimonium facit, fideiussorem dat.
Valitant, valent.
Veritat, deuertit, ambulat.
Verbotenus, verbi gratia.
Vestiplica, quæ vestes plicat.
Vespertilio, serotinus.
Vespillo, sepulchrorum violator.
Viriosus, austerus.
Vnorum, multorum.
Vtensilia, viatici sumptus.
Vnicuba, vnius viri vxor.
Vagurrit, perotium passim vagatur.
Varicauit, ambulauit.
Vadatur, promittit, pollicetur, fidem dicit.
Vestrà, balba.
Visor, ardens.
Vitricus, patreus.
Vaginatus, exagitatus.
Vagitatur, violenter flet.
Virginal, membra cadauera virginis in quo habitat.
Vexilla, impetus fortis carrorum.
Valgis, foras versum tumentibus.
Vatia, diuersis plantis.
Varam, tibiam, libianam pedio duæ sunt inter se calligatæ quæ asserem sustinent, vnde prouerbium Sequitur tibia varam *Auson.*
Ventriloqui, præcantatores.
Veruarellus, qui suscitat, vsitat per dies festos.
Vepia, callidus, testificator, diuersipellis.
Veligebum, genus fluuialium nauium apud Gallos.
Veteratricem callidam circunscribendum.
Vestis, ludicra, histrionica leuis.

Vidubium, viduertas.
Villaturia, territoria.
Virops, quæ iam opus habeat viro.
Viripos id est viri potens.
Vuca mare, stricta manu κυλλῇ.
Verilia maris exæstuatio & solaria quæ ad mare redit *Varro*.
Ledo maluia hedi.
Veneripeta luxuriosus.
Vascillum vas paruum *Macrobius* soluens radiis in aqua subiectum vascilli Glossi vascillium.
Vetulia, paruæ fabæ.
Viria, viriale, brachiale.

EXCERPTA DIFFERENTIARVM.

AB AMPLISSIMO VIRO IACOBO BONGARSIO LEGATO REGIO COMMVNICATA.

Incipit de proprietate sermonum vel rerum.

INTER *pollicere* & *promittere* hoc interest, quod promittimus rogati, pollicemur vltrò.

Inter *nullum* & *neminem* hoc interest, quòd nullus potest referri, nemo, ad hominem, & est nemo quasi nec homo.

Inter *intus* & *intrò* hoc interest, quod intrò eo, intus sum, intus venio, foras eo.

Inter *lustra productè* & *lustra corruptè*, hoc interest, quod lustra sunt certa tempora: Lustra latibula ferarum, vel turpium hominum receptacula.

Inter *seruitium* & *seruitutem* hoc interest, quòd seruitus necessitas seruiendi: seruitium dicimus numerum seruorum.

Inter *terminum* & *finem*, hoc interest, quòd terminus non sine manu ponitur, finis vel sermonis vel voluntatis vel cuiusque rei alterius intelligi potest.

Inter *asperum* & *ferocem* hoc interest, quòd asperum ad tempus, ferox, à natiuitate.

Inter *flumen* & *fluuium*, *amnem* & *torrentem* hoc interest quòd flumen à fluere dicitur, fluuius à temporali aqua est, Amnes an[illegible] cognominatur. Torrens qui hyeme intumescit, & imbribus nutribúsque completur.

Inter *innocentem* & *innocuum* hoc interest, quòd innocens sanctitate morum intelligitur, innocuus qui non habet vim nocendi.

Inter *generosum* & *nobilem* hoc interest, quòd generosus nascitur, nobilis opibus fit.

Inter *Regium* & *Regem* hoc interest, quòd Regius puer Regalis est, Rex quia regit regnum.

Inter *dementem* & *amentem* hoc interest, quòd amens in totum caret mente, demens partem retinet dictus quasi diminuta parte mentis.

Inter *pecodes* & *pecora* hoc interest, quòd pecodes tantum oues accipimus, pecora autem mixtura omnium animalium est.

Inter *monstrare* & *demonstrare* hoc interest, quòd monstramus semel, demonstramus sæpius.

Inter *diuitem* & *honestum*, *pecuniosum*, *beatum* & *locupletem*, *opulentum* hoc interest, quòd diues auro argentóque, honestus moribus dicitur. Pecuniosus à pecoribus dicitur, beatus ab animo: locuples, ab eo quòd sit locis plenus, opulentus omnibus his plenus, tanquam opibus suis eminens.

Inter *palàm* & *coràm* hoc interest, quòd [illegible]

palàm hominum præsentiam notat, coràm, personam accipere, desiderat.

Inter *album* & *candidum* hoc interest, quod album naturale est, candidum cura facit.

Inter *sensum* & *intellectum* hoc interest, quòd sensus naturale est, intellectus à re obscura.

Inter *exanimum* & *inanimum* hoc interest, quòd exanimus qui anima priuatus est, inanimus qui nunquam habet animam.

Inter *imbrem*, *nimbum* & *pluuiam* hoc interest, quod imber à Græca significatione descendit quasi vmbrosum, qui summa vi cadit, sed citò descendit. Pluuia est, quam impulsu venti nubes exprimunt. Vnde etiam plorare est dictum, cùm coactæ dolore lacrymæ exprimuntur. Nimbus etiam erumpit, ita vt aliquam partem minorem occupet cœli, maiorem serenam relinquat.

Inter *sanguinem* & *cruorem* & *saniem* hoc interest, quòd sanguis dicitur, cùm intra corpus est, dictus quòd nos sanciat id est, contineat. Cruor cum fusus, ideò dictus quòd conruere cogat. Sanies corpus putre.

Inter *terga* & *tergora* hoc interest, quòd terga hominum sunt, tergora animalium: numero singulari, hominis tergum dicimus, animalis tergus.

Inter *mi* & *mihi* hoc interest, quòd mi pronomen est simplex, mihi compositum, vel mi vox affectus, & vocatiuum semper desiderat casum.

Inter *tum* & *tunc* hoc interest, quòd tum ordinis habet significationem. Tunc temporis.

Inter *iram* & *iracundiam* hoc interest quòd ira ad tempus, iracundia continetur in corde.

Inter *noctu* & *noctem* hoc interest, quòd noctu sic dicitur, quomodo interdiu, & significat aliquam partem diei, noctem autem totam noctem intelligimus.

Inter *fari* & *loqui*, *sermocinari*, *narrare* hoc interest, quod famur cum aliquid facundè dicimus, loquimur natura. Sermocinamur quando cum aliquo sermone contendimus, narramus doctè.

Inter *tenere*, *sumere* & *accipere* hoc interest, quòd tenemus quæ sunt in nostra potestate, sumimus posita, accipimus data.

Inter *aspicere*, *suspicere*, *inspicere*, *prospicere*, *dispicere*, *intueri*, *videre*, *spectare* & *visere*, hoc interest, quòd aspicimus casu, suspicimus in superiorem partem vel veneramur, Inspicimus iudicaturi, prospicimus quæ longè sunt. Dispicimus inferiorem partem vel languidam, intuemur cùm causam videmus, natura visimus experta.

Inter *furorem* & *insaniam* hoc interest, quòd furor temporis vitium est, insania perpetua.

Inter *alium* & *alterum* hoc interest, quod alius ex multis, alter ex duobus.

Inter *scelus* & *facinus*, hoc interest, quòd scelus crimen est, facinus etiam in laude rectè dicitur, Salustius dixit bonum facinus.

Inter *dona* & *munera* hoc interest, quòd dona dono dantur, munera hominibus tribuuntur, & munera quibus milites officio funguntur, quæ quidem munia vocantur.

Inter *vestem* & *vestimentum* hoc interest, quò vestis fœminarum dicitur, vestimentum virorum.

Inter *humidum*, & *vuidum*, hoc interest, quòd humidum penitus permaduit, vuidum quod medium vsque peruenit.

Inter *vetus* & *vetustum* hoc interest, quod vetus nouo comparatur, id est contrario, vetustum ad antiquitatem refertur.

Inter *terrere* & *deterrere* hoc interest, quòd qui terret timere cogit, qui deterret prohibet perseuerare.

Inter *solum*, *vnum*, *solitarium* & *vnicum* hoc interest, quòd solus quià cæteris relictus est, vnus initium multorum ait: solitarius, qui semper sine cæteris quit vnitarius, qui semper sine cæteris quit vnitarius, solus propter inopiam aliorum.

Inter *aphæresin*, *syncopen*, & *apocopen* hoc interest, quòd aphæresis ex prima parte vocis fit, litteras, vel syllabas detrahens, Vt si genus humanum & mortalia temnitis arma pro contemnitis: syncopen mediam perdit, vt Apparent rarò nantes, pro natantes, apocopen ex vltima, vt ad domus luxu instruitur pro luxuria.

Inter *solœcismum* & *barbarismum* hoc interest, quòd solœcismus in sensu sit, barbarismus in voce.

Inter *relictum* & *desertum* hoc interest, quòd relinquimur voluntate, deserimur inuiti.

Inter *misereri* & *miserari* hoc interest, quod miseremur cum eodem tempore, & dolet nobis de alicuius casu & subuenimus laboranti, miserari consolari tantum & intra affectum doloris esse.

Inter *orare* & *precari* hoc interest, quod orare dicitur quum oris ratio ducit & qui orat & iam precatur, aut qui rogat deprecatur, non vtique qui orat, quia etiam imperiti ad preces descendunt.

Inter *nescire* & *ignorare* hoc interest,

quòd qui nescit omnium notitiam caret, qui ignorat aliquid nescit.

Inter *legatum* & *oratorem* hoc interest, quòd Legatus electus est ad officium à ciuitate & est sacrosanctus: orator ad orandum missus vt oris rationem exponat in quod petit.

Inter *tardum*, *pigrum*, *inertem* & *segnem* hoc interest, quòd tardus dicitur qui trahit tempus, iners sine arte, nullius officio capax, piger per omnia ægro similis, segnis semotus est à calore.

Inter *natum* & *ignatum* hoc interest, quòd natus particulariter dicitur à verbo id est nasci, ignatus filius à generatione.

Inter *infamem* & *famosum* hoc interest, quòd famosus tam in bona cogitatione quàm in mala, infamis tantum in mala.

Inter *iuuentutem* & *iuuentatem* hoc interest, quòd iuuentus dicitur multitudo iuuenum, iuuentas vnius ætas, iuuenta Dea iuuentatis.

Inter *decus* & *decorem* hoc interest, quod decus ad virtutem refertur, decor ad corpus.

Inter *super* & *supra* hoc interest quòd super est quod eminet, suprà quod aliquid substratum habet.

Inter *metum*, *timorem*, & *pauorem* hoc interest, quòd metus frustrà prospicit: Timor subita mentis consternatio est: pauor animi motus, vnde & iam pauida iumenta dicimus.

Inter *que* & *ve* disiunctio.

Inter *omnes*, *cunctos* & *vniuersos*, hoc interest, quòd omnes quorum mentio est, cuncti qui vbique sunt, vniuersi qui in vno loco versi.

Inter *vndam* & *aquam* hoc interest, quòd vnda copiosa aqua est, aqua etiam naturalis.

Inter *tacere* & *silere* hoc interest, quòd qui desinit loqui, & qui nundum cœpit tacet.

Inter *auxilium*, *præsidium* & *subsidium* hoc interest, quòd auxilium laborantibus mittitur, præsidium præparatur, subsidium seruatur, vt cum exegerit necessitas detur.

Inter *sequi* & *consequi* hoc interest, quòd consequimur præcedentem, insequimur inimicum.

Inter *principium* & *initium* hoc interest, quod principium totius corporis est, initium quasi primum.

Inter *simulare* & *dissimulare*, hoc interest, quod simulamus quæ nescimus & negamus non scire, dissimulamus quæ scimus.

Inter *simul* & *simitum* hoc interest, quòd simul vna pariter quæ res clareat, vt simul legimus, simul scribimus, simitum lucri recipit significationem, quasi simulitum.

Inter *sceleratum*, *scelestum* & *scelerosum* hoc interest, quod sceleratus suo scelere vel alieno contaminatus, scelestus scelerum cogitator, scelerosus quasi insidiosus periculos vel totus vel dies vel animus propter arduitatem.

Inter *reliquos* & *cæteros* hoc interest, quod reliquos dicimus relictos ex omnibus, cæteros quos nescimus.

Inter *redibibum* per b. literam, & *rediuiuum* per u. hoc interest, quod redibibum est quod nascitur, rediuiuum est quod reuiuiscit.

Inter *patrium* & *paternum* hoc interest, quod patrium à patria venit, paternum à patre.

Inter *pometa* & *pomeria* hoc interest, quod pomeria virga dicimus, sicut olearia & figaria, pometa qua maleta, ficeta & olíueta.

Inter *ægrum* & *ægrotum*, hoc interest, quod æger animo, ægrotus corpore.

Inter *prior venit* & *antè hoc venit*, hoc interest, quod prior ad dignitatem, antè ad tempus refertur.

Inter *inficere* & *officere* hoc interest, quod officit qui nocet, inficit quasi qui lanam aut alia inficit.

Inter *contingere*, *accipere* & *euenire* hoc interest, quòd contingunt bona, accidunt mala, eueniunt vtriusque.

Inter *gratis* & *gratias* hoc interest, quod congratis referimus, gratias agimus.

Inter *oleas* & *oliuas* hoc interest, quod oleas ipsum fructum dicimus vnde fit oleum, oliuas arbores vnde fiunt oliueta.

Inter *nixus* & *nisus* hoc interest, quod nixus ad corpus refertur, nisus ad animum, id est conatus.

Inter *nefandum* & *nefarium* hoc interest, quod nefarius à præteritis intelligitur, nefandus in opere.

Inter *nutrit* & *nutricat* hoc interest, quod nutrit mulier, nutricat nutricius.

Inter *maritimum* & *marinum* hoc interest, quòd maritimum proximo mari, marinum ex ipso mari.

Inter *laniat*, *lacerat*, & *lancinat* hoc interest, quod laniat cum membratim distendit, lacerat qui partibus suis mēbra distruit, lancinat qui inutiliter membra discerpit.

Inter *patulum* & *patens* hoc interest, quod patulum est, quod claudi vel tegi non potest, patens quod cum reseratum fuerit, iterum claudi potest.

Inter *guttam* & *stillam* hoc interest, quòd

quòd ſtilla cadit gutta ſtat.

Inter *delictum* & *peccatum* hoc intereſt, quod delinquimus cum iuſſa ſalubria non implemus, peccamus cum ea quæ iubentur, non agi præſumimus.

Inter *incolam* & *accolam* & *aduenam* hoc intereſt, quòd incola eſt qui propriam terram in qua natus eſt excolit, accola qui terram natiuitatis ſuæ, ſed alienam colit, aduena qui de ſua terra in alterius terram aduenit.

Inter *heſternum* & *externum* hoc intereſt, quod heſternum ab heſterna die dicitur, externum verò extraneum. Nam multi imperitorum externa dies dicunt, quod non admittitur.

Inter *baltea* & *balteos* hoc intereſt, quod baltea ipſa loca ſignificamus, cæteros balteos dicimus.

Inter *bibere* & *ebibere* hoc intereſt, quod bibit qui aliquid reliquit in poculo, ebibit qui totum exaurit.

Inter *geminatum*, *iunctum* & *duplicatum*, quod ſit quamuis acutè intelligentibus breuiter expoſuerimus: tamen ſub exemplis latius doceamus, geminatum eſt quod ex duabus rebus ſimillimis conſtat, (vt Cicero gemina audacia.) Iunctum eſt quod ex duabus rebus paribus conſtat (vt Virg. iungentur iam gryphes equis) duplicatum eſt, cum vna res bis ponitur, ingens ad terram duplicato poplite.

Inter *decline* & *decliue* hoc intereſt, quod declinis ſol, decliuis locus. Sic intelligendum eſt, adclinè & adcliuè, vt adclinis homo, adcliuis locus, ex hoc adcliuum dicitur.

Inter *commentarios* & *commentaria* hoc intereſt, quod commentarij libri, commentaria volumina dicuntur.

Inter *primum* & *priorem* hoc intereſt, quod primus è multis, prior ex duobus, ſic inter poſtremum & poſteriorem obſeruabis.

Inter *diſertum* & *deſertum* hoc intereſt, quod diſertus orator dicitur, deſertus derelictus.

Inter *dilatorem* & *delatorem* hoc intereſt, quod delator eſt qui defert ad accuſandum, dilator qui defert ad proferendum.

Inter *aduerſum* & *aduerſus* hoc intereſt, quod aduerſum te aduerſarius, aduerſus te imitatur.

Inter *pauperiem* & *paupertatem* hoc intereſt, quod pauperies damnum eſt, paupertas qui nihil habet.

Inter *exprobrare* & *obprobrare* hoc intereſt, quod exprobrat qui quod præſtitit commemorat: obprobrat qui proprium obiectat vitium.

Inter *accerſere*, & *arceſſere* hoc intereſt, quod accerſit qui euocat, arceſſit qui accuſat.

Inter *aceruum* & *acerbum* hoc intereſt, quod aceruus moles eſt, acerbus immaturus & aſper.

Inter *labrum* & *labium* hoc intereſt, quod labrum ſuperius labium inferius dicitur.

Inter *toga*, *tuga*, *tuba* & *tufa* hoc intereſt, quod toga veſtimentum eſt, tuga quibus aqua deducitur, tuba qua clangitur, tufa lapis, quibus ex aqua coagulata efficitur quod tufum dicimus.

Inter *comoſum* & *comatum* hoc intereſt, quod comoſus à comæ vſu dicitur, comatus natura, vt comata gallea.

Inter *certo* & *certius* hoc intereſt, quod certò eſt à certa, certius à certè.

Inter *cæcitudinem* & *cæcitatem* hoc intereſt, quod cæcitas vis ipſa tanquam feritas aut calamitas dicitur, cæcitudo autem affectio vt lippitudo.

Inter *caſtimoniam* & *caſtitatem* hoc intereſt, quod caſtimonia quaſi cęrimonia dicitur, caſtitas autem tantum corporis.

Inter *copias* & *copiam* hoc intereſt, quod copias exercitus ſignificatione dicimus, copiam autem rerum.

Inter *circum*, *circa*, *circiter* hoc intereſt, quòd circum ad tempus, circa ad locum, circiter ad numerum refertur.

Inter *fidum* & *fidelem* hoc intereſt, quod fidus amicus, fidelis famulus dicitur.

Inter *illius ſimilis* & *illi ſimilis* hoc intereſt, quod illius ſimilis moribus, & illi ſimilis vultu.

Inter *flemina* & *plemina* hoc intereſt, quod fleminas cùm crura abundant ſanguine, Plemina cum in manibus vel pedibus callulis ſulci naſcuntur.

Inter *mammas* & *vbera* hoc intereſt, quod mammas hominum, vbera peccorum accipiuntur.

Inter *auena* ſine aſpiratione & *habenas* per aſpirationem hoc intereſt, quod auena germen eſt ſterile, habenæ autem retinacula iumentorum.

Inter *donum* & *munus* hoc intereſt, quod donum dantis eſt, munus accipientis, illud à dando hoc ad muniendum.

Inter *coarguere* & *arguere* hoc intereſt, quod coarguere, coercere vel compeſcere eſt, arguere oſtendere & patefacere, (vt *Virgil.* Degeneres animos timor arguit,) vnde & argumenta dicuntur quæ cauſam oſtendunt.

Inter *afficere* & *adficere* hoc intereſt, quòd afficimur honore, adficimur morte vel iniuria.

Inter *aduocatum*, *inuocatum* & *euocatum* hoc intereſt, quod aduocatur daturus pa-

trocinium. Inuocatur præſtaturus auxilium, euocatur præbiturus obſequium.

Inter *inluuiem* & *ingluuiem* hoc intereſt, quod inluuies ſordium, ingluuies ventris, illud à non lauando, hoc ab inglutiendo dictum.

Inter *commonere admonere* & *monere* hoc intereſt, quod commonemus præterita, admonemus præſentia, monemus futura.

Inter *temeritatem* & *audaciam* hoc intereſt, quod temeritas ſine conſilio dicitur, audacia poſt conſilium.

Inter *velocitatem* & *celeritatem* hoc intereſt, quod velocitatem pedum & corporum dicitur, celeritas animorum atque factorum.

Inter *viuum* & *viuentem* hoc intereſt quòd viuus de viuituro dicitur, viuens de morituro.

Inter *naſci* & *enaſci* hoc intereſt, quod naſcitur, quod de vtero decedit, enaſcitur, quod de terra, aut aqua exſurgit.

Inter *abducere*, *perducere* & *deducere* hoc intereſt, quod adducimur ad rem inhoneſtam, perducimur ad ſtudia, deducimur ad honorem.

Inter *eluxit* & *iuluxit* hoc intereſt, quod eluxit, qui luctum diſpoſuit, inluxit cùm lumen apparuit.

Inter *nuntiare*, *denuntiare*, *adnuntiare* & *renuntiare* hoc intereſt, quod nuntiatur de longinquo, denuntiatur in præſenti, adnũtiatur de futuro, renuntiatur de excuſando & repudiando.

Itner *conſcribere*, *exſcribere*, *tranſcribere*, *inſcribere*, *adſcribere*, *diſcribere* hoc intereſt: quod conſcribere vnà ſimul ſcribere eſt, exſcribere, ſcriptura transferre. tranſcribere cùm ius noſtrum ad alium tranſit.

Inſcribere accuſationis eſt, adſcribere adſignationis, diſcribere dictionis, vel ordinis, ſcibere verò verbum eſt imperfectum.

Inter *extruere*, *inſtruere*, *adſtruere*, *conſtruere*, *ſtruere* hoc intereſt, quod extruere eſt, in altum proficere, inſtruere aciem vel actionem, adſtruere, adfirmare, conſtruere ſtruendo coniungere, ſtruere: reliqua ſuper poſita ſubterſtruere.

Inter *conſueſcere*, *inſueſcere*, & *adſueſcere* hoc intereſt, quòd conſueſcimus bona, inſueſcimus mala, adſueſcimus vtraque.

Inter *fungi* & *defungi* hoc intereſt, quod fungi agere eſt, defungi peragere eſt, vnde & mortui defuncti vocantur, eò quod peregerint vitæ iſtius curſum.

Inter *adoleſcere*, *inoleſcere*, & *exoleſcere* hoc intereſt, quod adoleſcere augmenti eſt, inoleſcere coagmenti, exoleſcere euaniſcendi.

Inter *deportare*, *adportare*, *comportare* & *exportare* hoc intereſt, quod deportare & adportare aliquid adferre eſt, comportare in vnum locum conferre, exportare, tollere.

Inter *temperantiam*, *temperationem* & *temperiem* hoc intereſt, quod temperantia animorum eſt, temperatio rerum, temperies aurarum.

Inter *recipere* & *ſuſcipere* hoc intereſt, quod recipimus rogati, ſuſcipimus ſponte.

Inter *harundinem* & *hirundinem*, hoc intereſt, quod harundo canna eſt, hirundo auis quæ tegnis adhærere ſolet.

Inter *ſpirare* & *exſpirare* hoc intereſt, quòd ſpirare viuere eſt, exſpirare mori.

Inter *pertinaciam* & *conſtantiam* hoc intereſt, quòd pertinacia malæ rei dicitur, Conſtantia bonæ.

Inter *conſequi* & *adſequi* hoc intereſt, quod conſequimur pedibus, adſequimur ſtudio.

Inter *lætari* & *gratulari* hoc intereſt, quod lætamur de noſtris, gratulamur de amicorum.

Inter *herboſum* & *herbedum* hoc intereſt, quod herbedum locum in quo herba eſt, etiamſi aridus eſſe conſueuit, herboſum qui herbam facilè generat, etiamſi ad tempus aridus ſit: ſic & aqua tam potionem rectè dicimus, quanquam aliunde recipiat. Aquoſum enim locum, qui ex ſe aquam effundit, ſic & meracam potionem, & meroſum vinum appellamus.

Inter *ſubter* & *ſubtus* hoc intereſt, quod ſupter re aliqua ſuperiore premitur, & conculcatur, ſuptus eſt quod dimiſſum altius contingitur.

Inter *Sinum* & *gremium* hoc intereſt, quod ſinum dicimus ſinuatæ veſtis receptaculum. Gremium verò accinctæ veſtis ſecretum.

Inter *largitatem* & *largitionem* hoc intereſt, quod largitas humanitatis eſt, largitio ambitionis.

Inter *muliebre* & *mulierarium* hoc intereſt, quod muliebre dicitur à mulieribus factum, mulierarium, à mulieribus ordinatum, vt per viros geſtum.

Inter *diligere* & *deligere* hoc intereſt, quod diligi affectionis eſt, deligi iudicij, vnde & exercitus deligi iubetur.

Inter *commodare* & *mutuo dare* hoc intereſt, quod commodamus amico, pro tempore, equum, veſtem, ſeruum & ſimilia, mutuo autem damus pecuniam; triticum, vinum vel cætera.

Inter *ligare* & *legare* hoc intereſt, quod ligat

ligat quis vinculo, legat Testamentum.

Inter *loqui, obloqui*, *adloqui* & *eloqui* hoc interest, quòd loqui, hominis est, obloqui obtrectatoris, qui obeccitauit opponit, adloqui hortantis aut iudicantis eloqui honoris est.

Inter *percussum* & *perculsum*, hoc interest, quòd percussum corpore dicimus, perculsum animo.

Inter *fremorem* & *fremitum* hoc interest, quòd fremor murmur hominum est, fremitus bestiarum.

Inter *flauum*, *furuum* & *fuluum* hoc interest, quòd flauum robeum dicimus, vt flaua cæsaries, furuum nigrum, fuluum nigro robeum, vt fuluum leonem.

Inter *postulare* & *poscere* hoc interest, quòd postulatur cautè, poscitur improbè.

Inter *frixum* & *frictum* hoc interest, quòd frixum à frigore, frictum à frigendo dictum.

Inter *diutinum* & *diuturnum* hoc interest, diutinum est quod diu fuit, diuturnum diu duraturum.

Inter *delitum* & *inlitum* hoc interest, quòd delitum quia subitum. Inlitum verò lituratum.

Inter *damnum*, *dispendium*, & *detrimentum* hoc interest, quod damnum vnde diminutum sit, dispendium vbi pondus absit, detrimentum quod terendo minuatur.

Inter *dominium* & *dominatum* hoc interest, quod dominium priuatim intelligitur quod iuris est. dominatum autem Imperij.

Inter *nixus* & *nisus* hoc interest, quod nixus ingenua, nisus à nitendo, id est conando.

Inter *nubere*, *enubere*, & *denubere*, hoc interest, quod nubit ciuis ciui, enubit extraneo, denubit quæ in manu viri conuenit.

Inter *noxa* & *noxia* hoc interest, quod noxa pœna est, noxia ipsa culpa.

Inter *necessitatem* & *necessitudinem* hoc interest, quod necessitas vim significat, necessitudo coniunctiones sanguinis aut animi.

Inter *clausum* & *obturatum*, hoc interest, quod clausum à claustris & clauibus dicitur, obturatum autē proprium foraminum sit tanquam aures, obturatæ non clausæ.

Inter *operire*, *adoperire*, *inoperire*, hoc interest, quod operimus operculo, adoperimus fores, inoperimus cum iacenti aliquid super ponimus.

Inter *pometa* & *pomaria* hoc interest, quod pometa vbi ipsa nascuntur poma, pomaria in quo seruantur.

Inter *palmam* & *palmum* hoc interest, quod palma in corpore, palmum in mensura, est autem hæc mensura à primo pollice vsque ad minimum digitum.

Inter *poplites* & *suffragines* hoc interest, quod poplites hominum, suffragines animalium.

Inter *præparare* & *apparare* hoc interest, quod præparat desiderium repræit parando, apparat qui parando adecit. id accusa parat.

Inter *stipolationem*, *restipolationem*, *adstipolationem* & *constipolationem* hoc interest, quod stipolatio certum intellectum, restipolatio, si aliquid sit factum quod conuenit, adstipulatio eiusdem pecuniæ, vt vel aliter petere possit. Constipolatio confecta restipolatio, si qua dolo malo facta.

Inter *saturitatem* & *sacietatem* hoc interest, quod saturitas de cibo tantum, satietas de reliquis dicitur rebus.

Inter *viciniam* & *vicinitatem* hoc interest, quod vicinia loci videtur esse, vicinitas personarum.

Inter *fluctuo* & *fluctuor* hoc interest, quod fluctuo animo quasi fluctus ago, & huc illúcque fluo, fluctuor, fluctuferor ideóque fluctuat mare fluctuatur nauium, sic inter luxurior & luxurio discernendum est.

Inter *potero* & *potuero* hoc interest, quod potero certum promittentis est, potuero dubitantis.

Inter *Hispanum* & *Hispaniensem* hoc interest, quod Hispanus natione dicitur, Hispaniensis. Massiliensis & similia.

Inter *escendere*, *ascendere*, *conscendere* hoc interest, quod ascendimus excelsa, vel locum honoris ascendimus, cum in aliquid altius ascendimus, conscendimus cum equo inuehementi.

Inter *vterque* & *vtrique* hoc interest, quod vterque in singularibus, vtrique in pluralibus dicitur.

Inter *pignoro* & *pignoror* hoc interest, quod pignoror animum tuum, pignoro cum pignus tuum capio.

Inter *mereo* & *mereor* hoc interest, quod mereo pro merito seruitij, mereor, pro operis mercedes, sic rumino & ruminor & his similia.

Inter *laurum* & *lauream* hoc interest, quod laurus est ipsa arbor, laurea, corona vel virga.

Inter *cæruleum* & *cærulum* hoc interest, quod cærulum dicimus sicut aurum. Cærulæum ex cærulo quasi argentum.

Inter *imum* & *infimum* hoc interest, quod imus loco, infimus ordine.

Inter *curam* & *diligentiam* hoc interest

quod curam cruciatum habet qui commoueat, diligentia rerum administratio.

Inter *vires* & *virtutes* hoc interest, quod vires corporis sunt, virtutes animi.

Inter *animam, animum, spiritum*, & *mentem* hoc interest, quod anima est qua viuimus, animus quo regimus, spiritus quo spiramus, mens qualitas quæ bona aut mala potest referre ad cogitationem.

Inter *graue* & *ponderosum* hoc interest, quod grauis secundum ferentes, qualitatem ponderosum natura.

Inter *vltorem* & *vindicem* hoc interest, quod vlciscimur nos accepta iniuria, vindicamus ne accipiamur.

Inter *fallacem* & *pellacem* hoc interest, quod fallax infidelis dicitur, pellax in verbis ab appellando, id est per se loquendo.

Inter *immolare* & *mactare* hoc interest, quod immolare dicitur hostia commoles falsa incapit adiecta est, mactatum hoc factum quasi magis auctum.

Inter *hostiam* & *victimam* hoc interest, quod hostia perhibetur tunc cum dux in hoste proficiscitur, victima conuincunt sicut Ouidius in Fastis Victima quæ dextra cecidit Victrice vocatur, Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Inter *eruere* & *deruere* hoc interest, quod eruuntur latebræ, diruuntur eminentia.

Inter *nequiquam* & *nequaquam* hoc interest, quod nequiquam frustra, nequaquam nemo significat.

Inter *iter* & *itiner* hoc interest, quod iter quo imus, itiner à via dicitur.

Inter *proprium* & *proprius* hoc interest, quod proprium Domini est, proprius autem loci est.

Inter *vereor* & *reuereor* hoc interest, quod vereor ad metum refertur, reuereor ad effectum.

Inter *liberos* & *filios* hoc interest, quod filij masculino genere ponuntur: Liberi in vtroque sexu, & quod filij in numerum singularem reuocari possint. Nemo enim dicit qui habet filium vnum, liberum habeo, Item quod filij promiscuè omnis conditionis intelliguntur. Tam ingenui quam serui liberi non dicuntur, nisi ingenui.

Inter *dulce* & *suaue* hoc interest, quod dulce idem potest esse quod suaue. non vtique suaue quod dulce, dulce enim mel dicimus, & suaue acetum quod dulce non est.

Inter *bellum* & *auellum* hoc intererest, quod bellum inter exteras gentes, Auellum inter ciues, dictum quod auelluntur populi in duas pares.

Inter *exemplum* & *similitudinem* hoc interest, quod exemplum historia est, similitudo adprobatur.

Inter *diuinitatem* & *diuinationem* hoc interest, quod diuinitas ad potentiam nominis refertur, diuinatio futurorum præscius facit.

Inter *vim* & *virtutem* hoc interest, quod virtus hortare est, vis iniuria.

Inter *rogum* & *pyram* hoc interest, quod rogus defunctis paratur, pyra sacrificiis.

Inter *arma*, *armamenta*, & *tela* hoc interest, quod arma sunt quibus corpora nostra in bello tegũtur, armamenta nauium, tela missil a vt iacula.

Inter *virum* & *masculum* hoc interest, quod vir specie intelligitur, masculus genere, & quod vir tribus modis intelligitur, natura, nuptiis & virtute, masculus etiam ab homine segregatur vt in animalibus.

Inter *primum* & *priorem* hoc interest, quod prior alterum præcedit, primus omnibus.

Inter *profugum, exulem, relegatum*, & *trãsfugam* hoc interest, quod profugus quasi voluntarie reliquerit, exul quidam natus expellitur. Relagatus ad tempus, transfuga qui ad hostes transit.

Inter *altum* & *excelsum* hoc interest, quod altum tam in superiorem partem elatum intelligimus quã ad inferiora deponitur, excelsum, In superius tantum.

Inter *vim* & *vires* hoc interest, quod vis impetu & iniuria constat, vires ad bonum & fortitudinem corporis refertur. Ita vis facit violentiam, vires viriosum.

Inter *sæuum* & *crudelem* hoc interest, quod sæuus circa verba est, Crudelis monstratur sanguinis.

Inter *bellum, aciem, prelium* & *pugnam* hoc Interest, quod bellum dicitur, acies ordinatur, prælium committitur, pugna geritur, & quod acies tam ferri quàm oculorum est.

Inter *passum* & *expertum* hoc interest, quod patimur voluntate, experimur necessitate.

Inter *genus* & *gentem* hoc interest, quod genus tam hominum quam ferarum est, gens ad cognationem plurimum pertinet, & ab vno capite descendit, dicimus enim gens Gallorum.

Inter *terram, tellurem* & *humum* hoc interest, quod tertia pars mundi terra est, tellus Dea, humus locus sepulturæ dicitur ab humando.

Inter *mœnia* & *ædificia* hoc interest, quod

quod mœnia publicorum sunt operum, ædificia priuatorum.

Inter *omne* & *totum* hoc interest, quod omne numerositate costat, totum soliditas.

Inter *vlcus*, *vulnus* & *plagam*, hoc interest, quod vulcus per se exit, vulnus ferro, plaga potest esse planus ictus, siue quod vlcus leuitatis est, vulnus grauitatis, plagæ etiam verbera vocantur.

Inter *sic* & *ita* hoc interest, quod sic qui dicit ostendit exempla. Ita ad rationem refertur.

Inter *duos* & *ambos* hoc interest, quod duo numerantur, ambo congregantur.

Inter *paret* & *apparet* hoc interest, quòd paret imperio, apparet videntibus.

Inter *pullum* & *nigrum* hoc interest, quòd pullum albo contrarium est, nigrum colore accipimus.

Inter *putat*, *existimat*, *opinatur*, *arbitratur* & *suspicatur* hoc interest, quod putat qui dubitat, existimat qui ex immaturo quæ acta sunt dicit, opinatur qui opinioni aut suæ aut alterius credit, arbitratur qui dubię rei finem imponit, suspicatur, qui latentem rei prospicit formam.

Inter *prohibere* & *inhibere* hoc interest, quod prohibere est porrò habere, inhibere videtur, quod prohibemus iure, inhibemus imperio.

Inter *ostentum*, *prodigium* & *monstrum* hoc interest, quod ostentum siue corpore solidum nouisse ostentat & oculis & auribus, Prodigium verò quod solidis corporibus prospicitur vt in cœlo comites stella, & in nocte lux, interdiu tenebræ. Monstrum verò contra naturam cognitum egreditur, vt serpens cum pedibus, aut cum quatuor alis.

Inter *conticuere*, *obticuere* & *reticuere* hoc interest, quod qui conticuit vndique silentium præstitit, vt antiqui conticuit tandem factóque hic fine quieuit, Obticuit qui nullam spem loquendi reliquit, reticuit qui silentio responsa finiuit.

Inter *sepulchrum*, *tumulum*, *monimentum* & *bustum* hoc interest, quod sepulchrum locus in quo corpora sepeliuntur, à sepeliendo dicitur, Tumulus qui cineres tegit. Monimentum quod sepulchrum circumdatur, dictum à monitionibus. Bustum in quo ossa sunt, quasi bene vstum.

Inter *astra* & *sydera* hoc interest, quòd astra siue sydera esse possunt, quia astra fixa sunt cœlo, sydera mouentur.

Inter *diripere* & *deripere* hoc interest, quod diripimus cum ex superiore parte in inferiorem rapimus, Deripimus autem cum laniamus & in diuersas partes deducimus.

Inter *causam* & *rationem* hoc interest, quod causa multas habet species, Ratio paucissimas, & quod ratio efficitur causa desideratur.

Inter *Italum* & *Italicum* hoc interest, quod Italus homo, Italicus arcus dicitur, ita illud ad personam refertur hoc ad rem.

Inter *inuium*, *deuium*, *auium* & *peruium* hoc interest, quod inuium est sine vi[illegible]cretum, deuius desertus locus, auium extra viam, peruium per quod commeatur.

Inter *dexteram* & *dextram* hoc interest, quod quidam putauerunt literam sine causa abundare, consuetudinem antiquam, vt reprændo repræhendo, vt vemens & vehemens, ita dexteram manum, dextram prosperam partem dicimus.

Inter *leges* & *iura* hoc interest, quòd iura reperta sunt ab honesta consuetudine, Leges quæ inter nos probanda facimus, iura ab vniuscuiusque iustitia dicuntur, leges quod ista elegantur.

Inter *inuidum* & *inuidiosum* hoc interest, quod inuidus qui alteri inuidet, inuidiosum cui inuidetur.

Inter *protinus* & *protenus* hoc interest, quod protinus est statim continuò, aduerbium temporis, protenus quasi porrò tenus.

Inter *demitto* & *dimitto* hoc interest, quod demittit, hic qui de alto deorsum mittit, dimittit, qui in multas partes mittit.

Inter *altaria* & *aras* hoc interest, quod altaria Deo ponuntur, aræ etiam defunctis.

Inter *dimidium* & *dimidiatum* hoc interest, quod dimidium potest significare parem nisi subiiciat integrum nomen, siue dimidiatum est, vt plena hora dicitur, hora integrum nomen quasi totum, siue hora non potest dimidia esse, ergo aut dimidiata hora aut dimidium horæ dimidium est, dimidiatum autem diminuta portio.

Inter *fiduciam* & *confidentiam* hoc interest, quod confidentia est cum vitio temeritatis, fiducia habet si quis honesta conscientia viuit.

Inter *legionem* & *delectum* hoc interest, quod legio dicitur ab eo quod legatur viri fortes & vtiles militiæ, dilectus quæ maximè diligimus, vt filii vel cognatio patres.

Inter *assiduè* & *quotidiè* hoc interest, quod assiduè sedulitatis est, quotidie autem perseuerantiæ.

Inter *mœret* & *meretur* hoc interest, quod qui mœret tristis est, meretur autem qui ex alterius iudicio parem beneficio gratiam exspectat.

Inter *plenitudinem* & *plenitatem* hoc interest, quod plenitudo corporis est, plenitas rei, ita plenitudinem obesorum ho-

minum, plenitatem variæ rei dicimus cuiuslibet.

Inter *precor* & *deprecor* hoc interest, quod deprecamur Deum, precamur homines.

Inter *fortunam* & *felicitatem* hoc interest, quod fortuna nomen est, felicitas opus nominis.

Inter *tueor* & *tuor* hoc interest, quod tueor custodio, tuor video.

Inter *ludibrium* & *ludicrum* hoc interest, quod ludibrium in alterius iniuria, Ludicrum autem quod ipsi delectamur sine cuiusquam iniuria.

Inter *stillam* & *guttam* hoc interest, quod gutta imbrium, stilla situlæ, vel acei.

Inter *fidum* & *fidelem* hoc interest, quod fidus etiam amicus dicitur, fidelis seruus.

Inter *cognoscimus* & *agnoscimus* hoc interest, quod agnoscimus cognitos, cognoscimus quod nunquam vidimus.

Inter *clypeum* & clupeum hoc interest, quod clypeum scutum, clupeum verò in quo imagines ponuntur.

Inter *germanum* & *fratrem* hoc interest, quod germanus est verus frater patre & matre, frater verò ex diuerso patre & matre.

Inter *mersare* & *mergere* hoc interest, quòd mersare sæpius, mergere semel.

Inter *agere causam* & *dicere* hoc interest, quòd agit patronus, dicit reus.

Inter *eminùs* & *cominus* hoc interest, quod eminùs ex longinquo, cominus pede.

Inter *capere* & *decipere* hoc interest, quod capimus merentes, decipimus innocentes, aut capimus arte, decipimus insidiosè.

Inter *consilium* & *sententiam* hoc interest, quod consilium cogitatio, sententia consilij pronunciatio.

Inter *fors* & *fortunam* hoc interest, quod fors casus est, fortuna data est, & quidam sic volunt, fors tanquam mors.

Inter *voluntate* & *voluptate* hoc interest, quod voluntas animi, voluptas corporis.

Inter *interea* & *interdum* hoc interest, quod interdum aduerbium temporis est, Interea causa rei.

Inter *initium* & *principium* hoc interest, quod principium totius operis, cuiuscunque vnum est, quasi primum operis caput, initium est, quod frequentius intelligimus, & toties accipimus, quoties aut persona mutatur quasi intus in alteram rem, & principium semel initium sæpius. Principium, & arma virumque cano, Initium, musa mihi causas memora, Inueniuntur tamen principia quæ natura sui carent, & specie initia habent, vt. At Regina graui iamdudum saucia cura, & sic fatur lachrymans, clausíque immittit habenas.

Inter *meditari* & *melitari* hoc interest, quod meditamur animo, melitamur corpore.

Inter *homines* & *bestias* hoc interest, quod bestiæ ventri sæuiunt, homines ratione.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

Explicit Feliciter.

A 102/112
UNIVERSIDAD DE SEVILLA
600705147
i26609721

CORPUS AUCTORUM LINGUAE LATINAE

10?

819